This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT.

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES GRÆCA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ A S. BARNABA USQUE AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA;

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS V

S. IGNATIUS, S. POLYCARPUS, PONTIFICES ROMANI SÆCULI II, S. MELITO SARDENSIS; ALII.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1894

BR
60
.M38
t.5

Clichy. — Ex typis PAUL DUPONT, 12, viâ dictâ Bac-d'Asnières. 138.8.96.

SÆCULUM II.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΙΓΝΑΤΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΙΑΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

S. P. N. IGNATII

EPISCOPI ANTIOCHENI

EPISTOLÆ

CUM GENUINÆ, TUM DUBIÆ ET SUPPOSITITIÆ

Præmissa Dissertatione de integritate textus recepti Epistolarum S. Ignatii, auctore H. DENZINGER, *in Universitate Virceburgensi Theologiæ Professore.*

ACCEDUNT

ROMANORUM PONTIFICUM SÆCULI II, S. POLYCARPI MARTYRIS, S. MELITONIS SARDENSIS, S. PAPIÆ HIERAPOLITANI, S. QUADRATI ATHENIENSIS, S. CLAUDII APOLLINARIS HIERAPOLITANI, MAXIMI HIEROSOLYMITANI, POLYCRATIS EPHESINI, S. THEOPHILI CÆSAREÆ PALÆSTINÆ, S. SERAPIONIS ANTIOCHENI, ARCHÆI AFRICANI, EPISCOPORUM, ARISTIDIS APOLOGISTÆ CHRISTIANI, CASTORIS, ARISTONIS PELLÆI, S. HEGESIPPI, PANTÆNI, RHODONIS, APOLLONII, PLURIUM ANONYMORUM.

EPISTOLÆ, OPUSCULA, FRAGMENTA.

ACCURANTE ET RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1894

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO V CONTINENTUR

S. IGNATIUS MARTYR. — PROLEGOMENA, *col.* 9. — Epistolæ genuinæ, *col.* 625. — Epistolæ interpolatæ, *col.* 729. — Epistolæ suppositiliæ, *col.* 873. Liturgia S. Ignatii, *col.* 969. Martyrium S. Ignatii, 979.

S. POLYCARPUS MARTYR, SMYRNÆORUM EPISCOPUS. — Epistola ad Philipponses, *col.* 1005. — Fragmenta e responsionum capitulis S. Polycarpo ascriptis, *col.* 1025. — Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi epistola circularis, *col.* 1029.

EVARISTUS PAPA. — Epistolæ et decreta, *col.* 1045.

ALEXANDER I PAPA. — Epistolæ, *col.* 1057.

SIXTUS I PAPA. — Epistolæ et decreta, *col.* 1073.

TELESPHORUS PAPA. — Epistola ad omnes fideles, *col.* 1081.

HYGINUS PAPA. — Epistolæ, *col.* 1087.

PIUS I PAPA. — Epistolæ, *col.* 1093.

ANICETUS I PAPA. — Epistola ad Galliæ episcopos, *col.* 1129.

SOTER PAPA. — Epistolæ et decreta, *col.* 1133.

ELEUTHERUS PAPA. — Epistolæ, *col.* 1139.

S. MELITO SARDIUM IN ASIA EPISCOPUS. — Notitia et fragmenta, *col*, 1145.

S. PAPIAS HIERAPOLITANUS EPISCOPUS. — Fragmenta e quinque libris de expositione oraculorum Dominicorum, *col.* 1249.

S. QUADRATUS ATHENARUM EPISCOPUS. — Fragmentum ex ejus Apologia pro Christianis. *col.* 1265.

ARISTIDES APOLOGISTA ET PHILOSOPHUS CHRISTIANUS. — Notitia. — Desideratur ejus Apologeticum pro Christianis, *col.* 1267.

AGRIPPA CASTOR. — Notitia de deperdito ejus opere contra Basilidem, *col.* 1269.

ARISTO PELLÆUS. — Fragmenta, *col.* 1277.

S. CLAUDIUS APOLLINARIS, EPISCOPUS HIERAPOLITANUS, APOLOGISTA. — Fragmenta. *col.* 1285.

S. HEGESIPPUS. — Fragmenta ex quinque libris Comment. Actuum ecclesiasticorum, *col.* 1307.

PANTÆNUS. — Fragmenta, col. 1329.

RHODON. — Fragmenta, *col.* 1333.

MAXIMUS HIEROSOLYMORUM EPISCOPUS. — Fragmentum ex libro De Materia. *col.* 1339.

POLYCRATES EPHESIORUM EPISCOPUS. — Fragmenta ex epistola ad Victorem papam et Ecclesiam Romanam, *col.* 1357.

Acta S. Thimothei episcopi Ephesini auctore Polycrate, *col.* 1361.

S. THEOPHILUS CÆSAREÆ PALÆSTINÆ EPISCOPUS. — Fragmentum ex epistola super quæstione paschali synodi Cæsariensis nomine scripta, *col.* 1369.

S. SERAPION EPISCOPUS ANTIOCHENUS. — Fragmenta, *col.* 1371.

APOLLONIUS. — Fragmenta ex libro adversus Cataphrygas, *col.* 1381.

PLURES ANONYMI SÆCULI II. — Fragmenta, *col.* 1385.

Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis epistola de martyrio S. Pothini episcopi et aliorum plurimorum. Præmittitur fragmentum epistolæ SS. martyrum Lugdunensium ad Eleutherum Romanum pontificem, *col.* 1401.

Appendix. — I. Passio SS. Epipodii et Alexandri. — II. Passio S. Symphoriani. — III. Acta SS. Andochi, Thyrsi et Felicis, 1453-1467.

S. VICTOR I PAPA. — Epistolæ, *col.* 1483.

ARCHÆUS EPISCOPUS AFRICANUS. — Fragmentum de Paschate in die Dominica celebrando, *col.* 1491.

PROLEGOMENA

—

VETERUM TESTIMONIA DE S. IGNATII EPISTOLIS

—

(Galland., *Veterum patrum Biblioth.*, t. I, Venetiis 1765, in fol. pag. 245.)

I.

POLYCARPUS *Epist.* ad Philippenses, *cap.* 13.

VERSIO RUFINI.

Mittam vobis et Ignatii epistolas, et alias si quæ sunt, quæ ad nos transmissæ sunt; ex quibus utilitatem maximam capiatis: continent enim de fide et patientia instructionem perfectam, secundum Domini præceptum.

Ex EUSEBII Hist. Eccl. *lib.* III, *cap.* 36.

Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε· αἵ τινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ· Ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε· περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονήν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.

VERSIO H. VALESII.

Epistolas omnes Ignatii quas ad me scripsit, et quascunque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandastis, ad vos misimus; quas quidem huic epistolæ subjecimus. Ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit; continent enim fidem, patientiam et cætera quæ ad augendum Domini nostri cultum pertinent.

II.

IRENÆUS *lib.* V Contra hæreses, *cap.* 28.

VETUS INTERPRES.

Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias: *Quoniam frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.*

Ex EUSEBII Hist. Eccl. *lib.* III, *cap.* 26.

Ὡς εἴπέ τις τῶν ἡμετέρων διὰ τὴν πρὸς Θεὸν μαρτυρίαν κατακριθεὶς πρὸς θηρία· Ὅτι σῖτός εἰμι Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ.

VERSIO H. VALESII.

Quemadmodum dixisse fertur quidam e nostris, ob Christi fidem damnatus ad bestias: *Frumentum ego sum Dei, et ferarum dentibus molor atque comminuor, ut panis mundus efficiar.* Epist. ad Rom., cap. 4.

III.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS, *ut fertur*, Comment. in sacr. quat. Evangel. *Ex edit. Biblioth. Patrum Paris.* 1644, *tom.* I, *pag.* 450, A.

Cum esset desponsata mater ejus Maria. Quare non ex simplici virgine, sed ex desponsata concipitur Christus? Primo, ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur; secundo, ne lapidaretur a Judæis ut adultera; tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium viri; quarto, ut partus ejus falleret diabolum, putantem Jesum de uxorata, non de Virgine natum. *Epist. ad Ephes. cap.* 19. *Vide infra Hieronymi testimonium.*

IV.

ORIGENES, Prolog. in Cantic. canticor. *Ex noviss. BB. Paris, edit.* 1740, *tom.* III, *pag.* 30, D.

Memini aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine de Christo: *Meus autem amor crucifixus est*, nec reprehendi eum pro hoc dignum judico. *Epist. ad Rom., cap.* 7.

IDEM, *homil.* VI in Lucam, *ibid., pag.* 938, A. *Græca ex schedis* GRABII *descripta.*

Καλῶς ἐν μιᾷ τῶν μάρτυρός τινος ἐπιστολῶν γέγραπται [τὸν Ἰγνάτιον λέγω, τὸν μετὰ τὸν μάκάριον Πέτρον τῆς Ἀντιοχείας δεύτερον ἐπίσκοπον, τὸν ἐν τῷ διωγμῷ ἐν Ῥώμῃ θηρίοις μαχησάμενον]· Καὶ ἔλαθε τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας.

Eleganter in una epistolarum cujusdam martyris (Ignatium dico, secundum post beatum Petrum Antiochiæ episcopum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias): scriptum est: *Principem sæculi hujus latuit Mariæ virginitas.* Epist. ad Ephes., cap. 19.

1268

V.

VERSIO RUFINI.

Sed et in nostra quoque tempora famæ celebritate vulgatus Ignatius, apud Antiochiam post Petrum secunda successione episcopatum sortitus est. Quem sermo tradidit, de Syriæ partibus ad urbem Romam transmissum, et pro martyrio Christi ad bestias datum. Quique cum per Asiam sub custodia navigaret, singulas quasque digrediens civitates, Ecclesiæ populos evangelicis cohortationibus edocebat in fide persistere, et observare se ab hæreticorum contagiis, qui tunc primum copiosius cœperant pullulare, et ut diligentius ac tenacius apostolorum traditionibus inhærerent; quas traditiones, cautelæ gratia, et ne quid apud posteros remaneret incerti, etiam scriptas se asserit reliquisse. Denique cum Smyrnam venisset ubi Polycarpus erat, scribit inde unam epistolam ad Ephesios eorumque pastorem, in qua meminit et Onesimi: et aliam Magnesiæ civitati quæ supra Mæandrum jacet, in qua et episcopi Dammei mentionem facit. Sed et ecclesiæ quæ est in Trallis scribit, cujus principem tunc esse Polybium designavit. In ea vero quam ad Romanam Ecclesiam scribit, deprecatur eos ne se, tanquam suppliciis suis parcentes, velint spe privari martyrii; et his post aliquanta utitur verbis: *A Syria*, inquit, *Roman usque cum bestiis terra marique depugno*, etc. Hæc et multa alia his similia ad diversas ecclesias scribit. Sed et ad Polycarpum, velut apostolicum virum datis litteris, Antiochenam ei Ecclesiam præcipue commendat. Ad Smyrnæos sane scribens, utitur verbis quibusdam unde assumptis nescimus, quibus hæc de Salvatore proloquitur: *Ego autem post resurrectionem quoque in carne eum scio fuisse, et credo. Nam et cum venisset ad Petrum cæterosque, ait eis: Accedite, et videte, quia non sum dæmonium incorporeum. Qui et contingentes eum, crediderunt.* Scit autem et Irenæus martyrium ejus, nec non et mentionem facit scriptorum ejus. Sed et Polycarpus

EUSEBIUS, Hist. Eccl. *lib.* III, *cap.* 36.

Ὁ τε παρὰ πλείστοις εἰσέτι νῦν διαβόητος Ἰγνάτιος, τῆς κατ' Ἀντιόχειαν Πέτρου διαδοχῆς δεύτερος τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος. Λόγος δ' ἔχει τοῦτον ἀπὸ Συρίας ἐπὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἀναπεμφθέντα, θηρίων γενέσθαι βορὰν, τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν. Καὶ δὴ τὴν δι' Ἀσίας ἀνακομιδὴν μετ' ἐπιμελεστάτης φρουρῶν φυλακῆς ποιούμενος, τὰς κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίας, ταῖς διὰ λόγων ὁμιλίαις τε καὶ προτροπαῖς ἐπιῤῥώννυς, ἐν πρώτοις μάλιστα προφυλάττεσθαι αἱρέσεις ἄρτι τότε πρῶτον ἀναφυείσας καὶ ἐπιπολαζούσας παρῄνει· προὔτρεπέ τε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως, ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας, καὶ ἐγγράφως, ἤδη μαρτυρόμενος διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο. Οὕτω δῆτα ἐν Σμύρνῃ γενόμενος, ἔνθα ὁ Πολύκαρπος ἦν, μίαν μὲν ἐπιστολὴν τῇ κατὰ τὴν Ἔφεσον Ἐκκλησίᾳ γράφει, ποιμένος αὐτῆς μνημονεύων Ὀνησίμου· ἑτέραν δὲ τῇ ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ, ἔνθα πάλιν ἐπισκόπου Δάμα μνήμην πεποίηται· καὶ τῇ ἐν Τράλλεσι δὲ ἄλλην, ἧς ἄρχοντα τότε ὄντα Πολύβιον ἱστορεῖ. Πρὸς ταύταις καὶ τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ γράφει· ᾗ καὶ παράκλησιν προτείνει, ὡς μὴ παραιτησάμενοι τοῦ μαρτυρίου, τῆς ποθουμένης αὐτὸν ἀποστερήσαιεν ἐλπίδος· ἐξ ὧν καὶ βραχύτατα εἰς ἐπίδειξιν τῶν εἰρημένων παραθέσθαι ἄξιον· Γράφει δὴ οὖν κατὰ λέξιν· Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, νυκτὸς καὶ ἡμέρας, κ. τ. λ. Καὶ ταῦτα μὲν ἀπὸ τῆς δηλωθείσης πόλεως ταῖς καταλεχθείσαις ἐκκλησίαις διετυπώσατο· Ἤδη δ' ἐπέκεινα τῆς Σμύρνης γενόμενος, ἀπὸ Τρωάδος τοῖς τε ἐν Φιλαδελφείᾳ αὖθις διὰ γραφῆς ὁμιλεῖ, καὶ τῇ Σμυρναίων Ἐκκλησίᾳ, ἰδίως τε τῷ ταύτης προηγουμένῳ Πολυκάρπῳ· ὃν οἷα δὴ ἀποστολικὸν ἄνδρα εὖ μάλα γνωρίζων, τὴν κατ' Ἀντιόχειαν αὐτῷ ποιμνην, ὡς ἂν γνήσιος καὶ ἀγαθὸς ποιμὴν παρατίθεται, τὴν περὶ αὐτῆς φροντίδα διὰ σπουδῆς ἔχειν αὐτὸν ἀξιῶν. Ἡ δὲ αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδα ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται, τοιαῦτά τινα περὶ τοῦ Χριστοῦ διεξιών· Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ

VERSIO H. VALESII.

Ignatius præterea multorum sermonibus nostra etiam ætate celebratus, secundus post Petrum Antiochensem Ecclesiam sortitus est. Hic ob fidem Christi e Syria ad urbem Romam perductus, bestiis objectus esse dicitur. Et cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum quas ingrederetur ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans, monebat in primis ut sibi a pravis hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primum in lucem emergere cum cœpissent, copiosius pullulabant. Hortatusque est ut apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent; quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit. Itaque cum Smyrnam venisset in qua tum erat Polycarpus, unam quidem epistolam scripsit ad Ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum pastoris mentionem facit. Alteram quoque dedit ad Ecclesiam Magnesiæ civitatis quæ ad Mæandrum sita est, in qua etiam Damam episcopum nominat. Aliam item ad Ecclesiam Trallianorum, cujus antistitem tunc fuisse memorat Polybium. Præter has est et alia ejus epistola ad Ecclesiam urbis Romæ, in qua orat atque hortatur Romanos, ne martyrium a se depellentes ac deprecantes, spe ac voto se fraudare velint. Sed operæ pretium fuerit ad confirmationem eorum quæ diximus, nonnulla ex iis litteris hic ascribere. Scribit igitur in hunc modum: *A Syria Romam usque cum bestiis depugno, terra marique, noctu et interdiu*, etc. Et hæc quidem ille ex Asia ad ecclesias superius memorâtas perscripsit. Postea vero a Smyrna ulterius progressus, cum Troadem venisset, inde ad Philadelphenses litteras dedit et ad Smyrnæorum Ecclesiam, privatimque ad Polycarpum eorum episcopum. Quem cum apostolicum virum esse plane cognosceret, ipsi tanquam bonus ac fidelis pastor, gregem Antiochenæ Ecclesiæ commendavit, rogans, ut

VERSIO RUFINI.

horum memoriam facit in Epistola quam ad Philippenses scribit per hæc : « Deprecor, inquit, omnes vos obedientiæ operam dare, et meditari patientiam quam vidistis in Ignatio, et Rufo, et Zosimo beatis viris, præcipue autem in Paulo et cæteris apostolis, qui fuerunt ante vos ; scientes quod hi omnes non in vacuum, sed per fidem et justitiam cucurrerunt, usquequo pervenirent ad locum sibi a Domino præparatum ; quoniam quidem passionum ejus participes exstiterunt, nec dilexerunt præsens sæculum, sed eum solum qui pro ipsis et pro nobis mortuus est et resurrexit. » Et post pauca subjungit : « Scripsistis mihi et vos et Ignatius, ut si quis vadit ad partes Syriæ deferat litteras ad vos ; quod faciam, cum tempus invenero. » *Lege Haymon. lib.* IV, *cap.* 6.

τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα. Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἐλήλυθεν, ἔφη αὐτοῖς· Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμι δαιμόνιον ἀσώματον. Καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, καὶ ἐπίστευσαν. Οἶδε δὲ αὐτοῦ τὸ μαρτύριον καὶ ὁ Εἰρηναῖος, καὶ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ μνημονεύει. Καὶ ὁ Πολύκαρπος δὲ τούτων αὐτῶν μέμνηται ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῇ, φάσκων αὐτοῖς ῥήμασι· « Παρακαλῶ οὖν πάντας ὑμᾶς πειθαρχεῖν καὶ ἀσκεῖν πᾶσαν ὑπομονήν, ἣν εἴδετε κατ' ὀφθαλμοὺς οὐ μόνον ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ καὶ Ῥούφῳ καὶ Ζωσίμῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν· καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ καὶ τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις· πεπεισμένους ὅτι οὗτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δικαιοσύνῃ· καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον. Οὐ γὰρ τὸν νῦν ἠγάπησαν αἰῶνα, ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα, καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναστάντα. » Καὶ ἑξῆς ἐπιφέρει· « Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Κυρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα. Ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. » *Lege* NICEPHORUM *lib.* III, *cap.* 19.

VERSIO H. VALESII.

omni cura ac diligentia illum fovere vellet. Idem in epistola ad Smyrnæos de Servatore nostro loquens quædam ejus verba recitat, quæ unde acceperit ignoro. *Ego vero*, inquit, *post resurrectionem Dominum ipsum in carne apparuisse scio et credo. Qui cum ad Petrum et cæteros ejus comites accessisset, dixit illis : Apprehendite, contrectate me, et videte quod non sum incorporeus spiritus. Statimque eum contrectantes crediderunt.* Hujus porro Ignatii et martyrium et epistolas commemorat Irenæus. Sed et Polycarpus in sua ad Philippenses epistola earumdem meminit epistolarum : « Obsecro, inquit, vos omnes, ut pareatis præpositis vestris, omnemque patientiam exerceatis, quam spectastis non solum in Ignatio, Rufo ac Zosimo viris beatissimis, sed etiam in aliis civibus atque inquilinis vestris, et in ipso præcipue Paulo cæterisque apostolis : pro certo habentes, quod hi omnes non frustra cucurrerunt, sed in fide ac justitia ingressi, ad locum sibi a Deo debitum pervenerunt, quandoquidem et passionum ejus participes exstiterunt. Neque enim præsens sæculum, sed eum qui pro nobis passus et a Deo suscitatus est, adamarunt. » Et paulo post addit : « Scripsistis ad me et vos et Ignatius, ut si quis forte in Syriam proficisceretur, vestras litteras eo deferret. Quod quidem perficiam, si *tempus* opportunum nactus fuero ; vel ego ipse vel per alium quempiam, cui id munus vestra causa delegabo. » *Epist. Ignatii ad Roman.*, *capp.* 4 *et* 5 ; *Epist. ad Smyrn.*, *cap.* 3 ; *Epist. Polycarpi ad Philipp.*, *capp.* 9 *et* 13.

IDEM, *ibid. capp.* 37, 38.

Verum, quoniam impossibile nobis est singulos enumerare, qui post apostolorum primas successiones in ecclesiis quæ per orbem terræ sunt, vel principes, vel evangelistæ fuerunt, vel pastores ; illos tantummodo commemorasse sufficiat, quorum libris inserta ad nos usque fidei et prædicationis monimenta venere ; ut Clementis et Ignatii cæterorumque, quorum superius fecimus mentionem.

Ἀδυνάτου δ' ὄντος ἡμῖν ἅπαντας ἐξ ὀνόματος ἀπαριθμεῖσθαι, ὅσοι ποτὲ κατὰ τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν ἐν ταῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίαις γεγόνασι ποιμένες ἢ καὶ εὐαγγελισταὶ, τούτων εἰκότως ἐξ ὀνόματος γραφῇ μόνων τὴν μνήμην κατατεθείμεθα, ὧν ἔτι καὶ νῦν εἰς ἡμᾶς δι' ὑπομνημάτων τῆς ἀποστολικῆς διδασκαλίας ἡ παράδοσις φέρεται· ὥσπερ οὖν ἀμέλει τοῦ Ἰγνατίου ἐν αἷς κατελέξαμεν ἐπιστολαῖς.

Cæterum cum fieri nullo modo possit ut singulos nominatim recenseamus, quotquot primis illis apostolicæ successionis temporibus per omnes orbis terrarum ecclesias antistites aut evangelistæ fuerunt : eorum duntaxat nomina hic commemorare statuimus, quorum monumenta apostolicam illorum doctrinam continentia adhuc supersunt, verbi gratia, Ignatii, quas recensuimus epistolæ.

IDEM, *ibid.*, *lib.* V, *cap.* 8.

Justini quoque martyris, et Ignatii mentionem facit (Irenæus), et ea quæ scripserunt producit in medium.

Ἔτι καὶ Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος καὶ Ἰγνατίου μνήμην πεποίηται, μαρτυρίαις αὖθις καὶ ἀπὸ τῶν τούτοις γραφέντων κεχρημένος.

Præterea Justini martyris et Ignatii mentionem facit, ex eorum scriptis testimonia proferens.

VI.

ATHANASIUS, *Epist.* de Synodis Arimini et Seleuciæ. *num.* 47. *Ex edit. BB. Paris.* 1698, *tom.* I, *part.* II, *pag.* 761.

Ignatius certe qui post apostolos Antiochiæ epi A scopus constitutus est, ipseque martyr Christi fuit, de Domino scribens dixit : *Unus medicus est carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo....* Quod si gnari eorum in Christo fidei, persuasum habemus beatum etiam Ignatium recte scripsisse, cum illum carnis causa factum dixit (Christus enim caro factus est), et non factum, quia non ex opificiis et rebus factus, sed Filius ex Patre, etc. *Epist. ad Ephes., cap.* 7.

Ἰγνάτιος οὖν, ὁ μετὰ τοὺς ἀποστόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ καταστὰς ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ γενόμενος, γράφων περὶ τοῦ Κυρίου, εἴρηκεν· Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικὸς καὶ πνευματικός, γενητὸς καὶ ἀγένητος, ἐν ἀνθρώπῳ Θεός, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ.... Εἰ δὲ τὴν ἐν Χριστῷ πίστιν αὐτῶν γινώσκοντες, πεπείσμεθα, ὅτι καὶ ὁ μακάριος Ἰγνάτιος ὀρθῶς ἔγραψε, γενητὸν αὐτὸν λέγων διὰ τὴν σάρκα· ὁ γὰρ Χριστὸς σὰρξ ἐγένετο· ἀγένητον δὲ, ὅτι μὴ τῶν ποιημάτων καὶ γενητῶν ἐστιν, ἀλλ' Υἱὸς ἐκ Πατρὸς, κ. τ. λ.

VII.

HIERONYMUS, *lib.* De viris illustrib., *cap.* 16, *cum vetere* INTERPRETE GRÆCO.

Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum B apostolum episcopus, commovente persecutionem Trajano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Cumque navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Joannis episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos : et inde egrediens scripsit ad Philadelpheos et ad Smyrnæos, et proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam : in qua et de Evangelio quod nuper a me translatum est, super persona Christi ponit testimonium, dicens (ad Smyrn. cap. 3) : « Ego vero et post resurrectionem in carne eum vidi, et credo quia sit. Et quando venit ad Petrum, et ad eos qui cum Petro erant, dixit eis. Ecce palpate me et videte, quia non sum C dæmonium incorporale. Et statim tetigerunt eum, et crediderunt. » Dignum autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, et de epistola ejus quam ad Romanos (cap. 5) scribit (*al.* scripsit) pauca ponere : *De Syria usque ad Romam pugno ad bestias, in mari et in terra*, etc. Cumque jam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait : *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Passus est anno undecimo Trajani.

Ἰγνάτιος τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἐκκλησίας τρίτος μετὰ Πέτρον τὸν ἀπόστολον ἐπίσκοπος, διωγμὸν κινήσαντος Τραϊανοῦ, θηριομαχῆσαι κελευσθεὶς, εἰς Ῥώμην στέλλεται δέσμιος. Πλέων δὲ, καὶ ἐπιστὰς τῇ Σμύρνῃ, ἐν ᾗ Πολύκαρπος ἀκροατὴς Ἰωάννου ἐπίσκοπος ἦν, ἔγραψε πρὸς Ἐφεσίους ἐπιστολὴν μίαν, ἄλλην πρὸς Μαγνησιανοὺς, τρίτην πρὸς Τραλλιανοὺς, τετάρτην πρὸς Ῥωμαίους· κἀκεῖθεν ἐξιὼν ἔγραψε Φιλαδελφεῦσι, καὶ Σμυρναίοις, καὶ ἰδικῶς πρὸς Πολύκαρπον, παρατιθέμενος αὐτῷ τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἐκκλησίαν· ἐν ᾗ καὶ περὶ τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ πρώην μεταφρασθέντος (deest ὑπ' ἐμοῦ), ἐκ προσώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ μνήμην ποιεῖται, λέγων· « Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σώματι αὐτὸν εἶδον, καὶ πιστεύω ὅτι ἐστί. Καὶ ὅτε ἦλθεν πρὸς Πέτρον, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ὄντας, εἶπεν αὐτοῖς· Ψηλαφήσατέ με (deest καὶ ἴδετε), ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον σωματικόν (male legit *corporale*). Καὶ εὐθέως ἅψαντες αὐτοῦ, ἐπίστευσαν (al. ἥψαντο αὐτοῦ, καί). » Ἄξιον δὲ φαίνεται, ἐπείπερ τοιούτου ἀνδρὸς πεποιήμεθα μνήπτην, ἐκ τῆς ἐπιστολῆς αὐτοῦ τῆς πρὸς Ῥωμαίους γραφείσης ὀλίγα ἐκθέσθαι. Ἀπὸ Συρίας ἄχρι Ῥώμης θηριομαχῶ ἐν θαλάσσῃ καὶ ἐν γῇ, κ. τ. λ. Κατακριθεὶς τοίνυν θηριομαχῆσαι, καὶ πόθῳ τοῦ παθεῖν, ἀκούσας τοῦ βρυγμοῦ τῶν λεόντων, ἔφη· Σῖτος Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰμι, καὶ εὔχομαι τοῖς ὀδοῦσι τῶν θηρίων ἀλῆσθῆναι, ἵνα ἄρτος καθαρὸς εὑρεθῶ. Ἔπαθε δεκάτῳ ἔτει Τραϊανοῦ.

Lege FRECULPHUM *tom.* II, *lib.* II, *cap.* 11, *et* HONORIUM AUGUSTODUNENSEM, De luminar. Eccles. *cap.* 16.

IDEM, *lib.* Adversus Helvidium, *num.* 17. *Ex edit. Veron. tom.* II, *pag.* 225, C.

Nunquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere : Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum martyrem, multosque alios apostolicos et eloquentes viros, qui adversus Ebionem et Theodotum Byzantium et Valentinum, hæc eadem sentientes plena sapientiæ volumina conscripserunt ?

IDEM, *lib.* I Commentar. in Matth. I, 18.

Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit (Christus) : ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo ; dum eum putat, non de virgine, sed de uxore generatum. *Epist. ad Ephes. cap.* 19.

Vide ejusdem Hieronymi testimonium de Barnabæ epistola. Videsis quoque Freculphum in *Chron.* lib. II, cap. 11, Hieronymi verba, tacito ejus nomine, exscribentem

VIII.

S. Dionysius Areopag, *lib.* De divin. nominib. *cap.* 4, § 12. *Ex edit. Antuerp.* 1633, *pag.* 565.

Καίτοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων, καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα, τοῦ τῆς ἀγάπης, Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Vide Paraphras. Pachymeræ. A

Atqui visum est quibusdam e nostris scriptoribus sacris, nomen amoris divinius esse nomine charitatis. Etenim divinus Ignatius scribit : *Meus amor crucifixus est.* Epist. ad Rom., cap. 7.

IX.

Basilius, vel quisquis sit auctor, *homil.* in sanctam Christi generationem, *num.* 3. *Ex edit. BB. Paris.* 1722, *tom.* I, *pag.* 598, B.

Εἴρηται δὲ τῶν παλαιῶν τινι καὶ ἕτερος λόγος, ὅτι ὑπὲρ τοῦ λαθεῖν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου τὴν παρθενίαν τῆς Μαρίας ἡ τοῦ Ἰωσὴφ ἐπενοήθη μνηστεία.

Allata est et alia ratio a quodam ex antiquis, videlicet excogitatam fuisse Josephi desponsationem, ut Mariæ virginitas mundi hujus principem lateret. *Epist. ad Ephes., cap.* 19.

X.

Joannes Chrysostomus, *homil. in* S. Ignatium martyrem, *num.* 5. *Ex edit. BB. Paris.* 1718, *tom.* II, *pag.* 599, D.

Ἐν μέσῳ τῷ θεάτρῳ, τῆς πόλεως ἄνω καθεζομένης ἁπάσης, τὸν τοῦ μαρτυρίου τρόπον ὑπέμεινε, θηρίων ἐπ' αὐτὸν ἀφεθέντων· ἵν' ὑπὸ ταῖς ἁπάντων ὄψεσι τὸ τρόπαιον στήσας κατὰ τοῦ διαβόλου, τοὺς θεατὰς ἅπαντας ζηλωτὰς ποιήσῃ τῶν ἀγωνισμάτων τῶν ἑαυτοῦ, οὐκ ἀποθνήσκων μόνον οὕτω γενναίως, ἀλλὰ καὶ μεθ' ἡδονῆς ἀποθνήσκων. Οὐ γὰρ ὡς ζωῆς ἀποῤῥήγνυσθαι μέλλων, ἀλλ' ὡς ἐπὶ ζωὴν καλούμενος βελτίω καὶ πνευματικωτέραν, οὕτως ἀσμένως εἶχε τὰ θηρία. Πόθεν τοῦτο δῆλον; ἀπὸ τῶν ῥημάτων, ὧν ἀποθνήσκειν μέλλων ἐφθέγξατο. Ἀκούσας γὰρ ὅτι οὕτος αὐτὸν τῆς τιμωρίας ὁ τρόπος μένει, Ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὀναίμην, ἔλεγε. Τοιοῦτοι γὰρ οἱ ἐρῶντες· ὅπερ ἄν πάσχωσιν ὑπὲρ τῶν ἐρωμένων, μεθ' ἡδονῆς δέχονται, καὶ τότε δοκοῦσιν ἐμφορεῖσθαι τῆς ἐπιθυμίας, ὅταν πολλῷ χαλεπώτερα ᾖ τὰ γινόμενα· ὅπερ οὖν καὶ ἐπὶ τούτου συνέβαινεν. Οὐ γὰρ τῷ θανάτῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ προθυμίᾳ ζηλῶσαι τοὺς ἀποστόλους ἔσπευδε· καὶ ἀκούων ὅτι μαστιχθέντες ἐκεῖνοι μετὰ χαρᾶς ἀνεχώρουν, ἐβουλήθη καὶ αὐτὸν μὴ τῇ τελευτῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ χαρᾷ μιμήσασθαι τοὺς διδασκάλους· διὰ τοῦτο, *Τῶν θηρίων*, ἔλεγεν, ὀναίμην. B C D

In medio theatro, universa civitate sursum considente et spectante, bestiis in ipsum immissis et concitatis, martyrium pertulit (Ignatius) : ut sub omnium oculis adversus diabolum tropæum erigeret, cunctosque spectatores suorum certaminum imitatores efficeret ; cum non modo fortiter, sed etiam cum lætitia mortem oppeteret, ferasque cum voluptate spectaret ; non quasi raperetur e vita, sed tanquam ad vitam meliorem ac præstantiorem vocaretur. Unde hoc fit perspicuum? ex verbis quæ moriturus loquebatur. Cum enim id genus supplicii sibi esse subeundum intellexisset, *Ego*, inquit, *feris illis fruar.* Sic enim agunt, qui amant : cum pro iis qui amantur, aliquid patiuntur, gaudentes id faciunt ; tuncque sibi videntur optatis frui, cum ea quæ perferunt, sunt quam gravissima ; quod quidem in hoc item contigit. Siquidem non morte solum, verum etiam alacritate studebat apostolos imitari. Et non ignorans, quod illi flagellati, cum gaudio ibant e conspectu concilii, voluit etiam ipse non morte solum, sed etiam lætitia magistris esse similis ; idcirco *Feris*, inquit, *fruar.* Epist. ad Rom., cap. 5.

XI.

Incertus Auctor *apud* Chrysostomum *homil.* de Legislatore, *num.* 4. *Ibid., tom.* VI, *pag.* 410, C.

Διὰ τοῦτο γενναῖός τις ἀρχαίων· Ἰγνάτιος δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ· οὗτος ἱερωσύνῃ καὶ μαρτυρίῳ διαπρέψας, ἐπιστέλλων τινὶ ἱερεῖ ἔλεγε· Μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω, μηδὲ σὺ ἄνευ γνώμης Θεοῦ τι πράττε.

Propterea nobilis vir quidam ex veteribus, cui nomen Ignatius, quique sacerdotio simul et martyrio decoratus fuit, ad sacerdotem quemdam scribens dicebat : *Nihil sine tua voluntate geratur, neque item tu quidquam absque Dei voluntate facias.* Epist. ad Polycarp., cap. 4.

XII.

Theodoretus, *epist.* 89, ad Florentium Patricium. *Ex edit. Paris.* 1642, *tom.* III, *pag.* 966, B.

Ταῦτα δὲ ἡμῖν παρέδοσαν οὐ μόνον οἱ ἀπόστολοι καὶ προφῆται, ἀλλὰ καὶ οἱ τὰ τούτων ἡρμηνευκότες συγγράμματα, Ἰγνάτιος, Εὐστάθιος, Ἀθανάσιος, Βασίλειος, Γρηγόριος, Ἰωάννης καὶ οἱ ἄλλοι τῆς οἰκουμένης φωστῆρες.

Hæc porro tradidere nobis non apostoli modo et prophetæ, verum ii etiam qui horum libros interpretati sunt, Ignatius, Eustathius. Athanasius, Basilius, Gregorius, Joannes et reliqua orbis lumina.

Idem, *epist.* 145, ad monachos Constantinopolitanos. *Ibid., pag.* 1027, A.

Καὶ οἱ τούτων πρεσβύτεροι, Ἰγνάτιος καὶ Πολύκαρπος, καὶ Εἰρηναῖος, καὶ Ἰουστῖνος, καὶ Ἱππόλυ-

Atque his adhuc antiquiores, Ignatius, et Polycarpus, et Irenæus, et Justinus, et Hippolytus ; quo-

rum plerique non modo inter pontifices prælucent, sed martyrum etiam chorum exornant.

A τος, ὧν οἱ πλείους οὐκ ἀρχιερέων προλάμπουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν μαρτύρων διακοσμοῦσι χορόν.

IDEM, *dial.* Immutab. I. *Ibid.*, *tom.* IV, *pag.* 33, A.

Ostendam autem tibi celeberrimum Ecclesiæ doctorem, et illius de divina Incarnatione sententiam, ut cognoscas de suscepta natura quid senserit. Audivisti enim prorsus Ignatium illum, qui de Petri dextera pontificatus gratiam suscepit, et post administratam Ecclesiam Antiochenam martyrii coronam adeptus est.... Audi ergo viros apostolicam doctrinam sonantes.

Ἐπιδείξω δέ σοι τὸν πανευφημον τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλον, καὶ τὸ ἐκείνου περὶ τῆς θείας Ἐνανθρωπήσεως φρόνημα, ἵνα γνῷς τίνα περὶ τῆς ληφθείσης ἐδόξασε φύσεως. Ἀκήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἰθύνας τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο.... Ἄκουσον τῶν ἀνδρῶν τὴν ἀποστολικὴν προφερόντων διδασκαλίαν.

Sancti Ignatii episcopi Antiocheni et martyris ex Epistola ad Smyrnæos.

Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος, ἐκ τῆς πρὸς Ῥωμαίους [lege, Σμυρναίους] Ἐπιστολῆς.

Plane cumulateque persuasos de Domino nostro, qui est ex genere David secundum carnem, et Filius Dei secundum divinitatem et potentiam : qui vere natus est ex Virgine : baptizatus a Joanne, ut omnis ab ipso justitia impleretur : vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha, pro nobis in carne crucifixus. *Epist. ad Smyrnæos, cap.* 1.

B Πεπληροφορημένους ἀληθῶς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν, ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, Υἱὸν Θεοῦ κατὰ θεότητα καὶ δύναμιν, γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ Παρθένου, βεβαπτισμένον ὑπὸ Ἰωάννου, ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ' αὐτοῦ, ἀληθῶς ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου καὶ Ἡρώδου τετράρχου, καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν σαρκί.

Ejusdem ex eadem Epistola.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς.

Quid enim prodest, si quis me laudet, Dominum autem meum blasphemet, non confitens eum carnem gestare ? Quod qui non confitetur, plane ipsum negat, ut cadaver circumferentem. *Ibid.*, *cap.* 5.

Τί γὰρ ὠφελεῖ, εἴπερ με ἐπαινεῖ τις, τὸν δὲ Κύριόν μου βλασφημεῖ, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον ; ὁ δὲ τοῦτο μὴ λέγων, τελείως αὐτὸν ἀπήρνηται, ὡς νεκροφόρον.

Ejusdem ex eadem Epistola.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς.

Si enim opinione tantum hæc a Domino nostro gesta sunt, ego quoque opinione vinctus sum. Cur C autem et meipsum morti tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias ? Verum qui vicinus gladio, vicinus Deo. Solum in nomine Jesu Christi, ut passionum ejus socius fiam, omnia sustineo, ipso me corroborante homine perfecto, quem aliqui ignorantes negant. *Ibid.*, *cap.* 4.

Εἰ γὰρ τῷ δοκεῖν ταῦτα ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, κἀγὼ τῷ δοκεῖν δέδεμαι. Τί δὲ καὶ ἐμαυτὸν ἔκδοτον ἔδωκα τῷ θανάτῳ, πρὸς πῦρ, πρὸς μάχαιραν, πρὸς θηρία ; ἀλλ' ὁ ἐγγὺς μαχαίρας, ἐγγὺς Θεοῦ. Μόνον ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ συμπαθεῖν αὐτῷ πάντα ὑπομένω, αὐτοῦ με ἐνδυναμοῦντος τοῦ τελείου ἀνθρώπου, ὃν τινες ἀγνοοῦντες ἀρνοῦνται.

Ejusdem ex Epistola ad Ephesios.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς πρὸς Ἐφεσίους Ἐπιστολῆς.

Deus enim noster Jesus Christus, in Mariæ utero gestatus est secundum Dei dispensationem, ex semine quidem David, sed ex Spiritu sancto : qui natus est et baptizatus, ut mortalitas nostra purgaretur. *Ex Epist. ad Ephes.*, *cap.* 18.

Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ, ἐκ Πνεύματος δὲ ἁγίου· ὃς ἐγεννήθη, καὶ ἐβαπτίσθη, ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν καθαρισθῇ.

Ejusdem ex eadem Epistola.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς.

Siquidem singuli omnes universe in gratia nominatim convenitis in una fide et in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, filio hominis, et Filio Dei. *Ibid.*, *cap.* 20.

D Εἴ τι οἱ κατ' ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν τῇ χάριτι ἐξ ὀνόματος συνέρχεσθε ἐν μιᾷ πίστει, καὶ ἑνὶ Ἰησοῦ Χριστῷ, κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ.

Ejusdem ex eadem Epistola.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς.

Unus est medicus carnalis et spiritalis, genitus ex ingenito, in homine Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum patibilis et tunc impatibilis, Jesus Christus Dominus noster. *Ibid.*, *cap.* 7.

Ὅτι ἰατρός ἐστι σαρκικὸς καὶ πνευματικός, γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθὴς, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν.

Ejusdem ex Epistola ad Trallianos.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς πρὸς Τραλλιανοὺς Ἐπιστολῆς.

Obturate aures vestras, quando quispiam vobis loquitur sine Jesu Christo ; qui est ex genere Da-

Κωφώθητε οὖν, ὅταν χωρὶς Ἰησοῦ Χριστοῦ ὑμῖν λαλῇ τις, τοῦ ἐκ γένους Δαβὶδ, τοῦ ἐκ Μαρίας, ὃς

ἀληθῶς ἐγεννήθη, ἔφαγέ τε καὶ ἔπιεν ἀληθῶς, ἐδιώχθη ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἐσταυρώθη, καὶ ἀπέθανε, βλεπόντων ἐπιγείων καὶ ἐπουρανίων καὶ καταχθονίων. A

vid, qui ex Maria, qui vere natus est, vere comedit et bibit, qui sub Pontio Pilato passus est, crucifixus et mortuus, videntibus cœlestibus, terrestribus et inferis. *Epist. ad Trall.*, *cap.* 9.

IDEM, *dial.* Inconfus. II. *Ibid.*, *pag.* 86, B.

Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος, ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους Ἐπιστολῆς.

Sancti Ignatii Antiocheni episcopi et martyris, ex Epistola ad Smyrnæos.

Ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα· καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον· καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, καὶ ἐπίστευσαν.

Ego enim post resurrectionem ipsum in carne scio et credo esse : et quando ad eos qui cum Petro erant, venit, dixit eis : Accipite, palpate me, et videte quia non sum dæmonium incorporeum. Et statim ipsum tetigerunt, et crediderunt. *Epist. ad Smyrn.*, *cap.* 3.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς. B

Ejusdem ex eadem Epistola.

Μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν καὶ συνέφαγε καὶ συνέπιεν αὐτοῖς, ὡς σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ Πατρί.

Post resurrectionem autem una cum eis et comedit et bibit, tanquam carnaliter et spiritualiter unitus Patri. *Ibid.*

IDEM, *dial.* Impatib. III. *Ibid.*, *pag.* 154, D.

Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος, ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους Ἐπιστολῆς.

Sancti Ignatii episcopi Antiocheni et martyris, ex Epistola ad Smyrnæos.

Εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται, διὸ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν χρηστότητι ὁ Πατὴρ ἤγειρεν. C

Eucharistias et oblationes non admittunt, quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit. *Epist. ad Smyrn.*, *cap.* 7.

XIII.

GELASIUS I, Adversus Eutych. et Nestor. *Ex Biblioth. PP. Paris. tom.* IV, *part.* I, *pag.* 423, F.

Testimonia veterum de duabus naturis in Christo. *Ignatii episcopi et martyris Antiocheni ex Epistola ad Ephesios.* Unus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vita æterna, ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Dominus noster Jesus Christus *Et post pauca :* Singuli, *inquit*, viri communiter omnes, ex gratia ex nomine convenite in unam fidem, et in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, filio hominis et filio Dei. *Epist. ad Ephes.*, *capp.* 7 et 20.

XIV.

EPHRÆMIUS patriarcha Theopolitanus, *in* Epist. ad Zenobium scholasticum Emisenum. *Apud* PHOTIUM Biblioth. *Cod.* CCXXVIII, *pag.* 778, *edit. Rothomag.* 1653.

Ὅπερ οὖν εἴρηται κατὰ τὸ τρίτον κεφάλαιον ἔκ τε τῶν εὐαγγελικῶν φωνῶν καὶ ἐκ τῶν ἀποστολικῶν, καὶ δὴ καὶ ἐκ τῶν μακαρίων Πατέρων ἡμῶν, Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου, Ἰουλίου, καὶ Ἀθανασίου, καὶ Γρηγορίων καὶ Βασιλείου, κ. τ. λ. D

Quod igitur tertio capite dictum est tum ex evangelicis, tum ex apostolicis verbis, atque etiam ex beatis Patribus nostris, Ignatio Deifero, Julio, Athanasio, Gregoriis et Basilio, etc.

IDEM, De saeris Antiochiæ legibus *lib.* III. *Apud* PHOTIUM, *ibid.*, *Cod.* CCXXIX, *pag.* 810,

Καὶ ὁ Θεοφόρος δὲ Ἰγνάτιος καὶ μάρτυς, Σμυρναίοις ἐπιστέλλων, ὁμοίως κέχρηται τῷ ἄρθρῳ.

Etiam Ignatius, vir divinus et martyr, epistolam ad Smyrnæos scribens, similiter articulo utitur.

XV.

GILDAS SAPIENS, *in* Castigatione Cleri Britanniæ, *sub initium. Ex Bibl. PP. Paris. tom. V, pag.* 409. D.

Quis vestrum, ut sanctus martyr Ignatius Antiochiæ urbis episcopus, post admirabiles in Christo actus ob testimonium ejus, leonum molis Romæ confractus est ? Cujus verba, cum ad passionem duceretur, audientes (si aliquando vultus vestri rubore suffusi essent), non solum in comparatione ejus vos non putabitis sacerdotes. sed ne mediocres quidem Christianos esse. Ait enim in Epistola quam ad Romanam Ecclesiam misit : *A Syria usque Romam cum bestiis terra marique depugno, die ac nocte connexus et colligatus decem leopardis, militibus dico ad custodiam datis, qui ex beneficiis nostris sæviores fiant. Sed ego eorum nequitiis magis erudior : nec tamen in hoc justificatus sum. O salutares bestias quæ præparantur mihi ! Quando venient ? quando emittentur ? quando eis frui licebit carnibus meis ? Quas ego exopto acriores parari,*

et invitabo ad devorationem mei, et deprecabor, ne forte, ut nonnullis fecerunt, timeant attingere corpus meum; quinimo, si cunctabuntur, ego vim faciam. ego me ingeram. Date, quæso, ventam; ego novi quid expediat mihi: nunc incipio esse Christi discipulus. Facessat invidia vel humani affectus, vel nequitiæ spiritualis, ut Jesum Christum merar adipisci Ignes, cruces, bestiæ, dispersiones ossium, discerptionesque membrorum, ac totius corporis pœnæ, et omnia in me unum suppliciа diaboli arte quæsita compleantur, dummodo Jesum Christum merear adipisci.... Christianus non mediocris sed perfectus, sacerdos non vilis sed præcipuus, dicit : *Nunc incipio esse Christi discipulus.* Epist. ad Rom., cap. 5. Ex Rufino, *Htst. eccles.* lib. III, cap. 36.

XVI.

Auctor CHRONICI PASCHALIS, *pag.* 221. *edit. Paris.* 1688.

Quod autem Dominus, prædicato per tres annos Evangelio, ad voluntariam et vivificam crucem venerit, docet Ignatius ille Deifer et martyr, qui Joannis theologi genuinus discipulus fuit, sanctissimæque Antiochenæ Ecclesiæ episcopus ab apostolis constitutus. Is quippe in Epistola ad Trallianos sic verbo tenus scripsit : *Vere etenim peperit Maria corpus, Deo in eo habitante, et vere nudus est Deus Verbum ex Virgine, corpus similiter nobis passibile sine peccato induens. Vere conceptus est in utero, (qui omnes homines in vulva fingit), formans et faciens sibi corpus ex Virgine, sine semine scilicet et consuetudine viri; portatusque in utero, sicut et nos tempore portati sumus : et vere lactatus est et nutritus sicut nos ; et cibo et potu sicuti et nos usus est; et triginta annos agens baptizatus est a Joanne, in veritate et non in phantasmate. Et tribus annis prædicavit Evangelium, et fecit signa et prodigia coram falsis Judæis ; et sub Pilato præside Judææ judicatus est; flagellatus est, colaphis cæsus est, consputus est, spineam coronam purpureamque vestem portavit, condemnatus est, crucifixus est vere, non phantastice; neque fallaciter mortuus est, sed vere ; sepultus est, et resurrexit a mortuis.* Ecce aperte omnino talis ac tantus Ecclesiæ doctor triennio a Servatore prædicatum evangelium dicit. *Ex epist. ad Trallianos interpol., cap.* 10.

ἠγέρθη ἐκ τῶν νεκρῶν. Ἰδοὺ φανερῶς ὁ τοιοῦτος ἐνιαυτοὺς κηρύξαι τὸ Εὐαγγέλιον τὸν Σωτῆρα λέγει.

A Ὅτι δὲ τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον ὁ Κύριος ἐπὶ τὸν ἑκούσιον καὶ ζωοποιὸν ἦλθε σταυρὸν, διδάσκει καὶ Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος καὶ μάρτυς, ὁ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου γνήσιος μαθητὴς γεγονώς, τῆς δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καταστα θείς. Ἐν τῇ πρὸς Τραλλιανοὺς τοίνυν Ἐπιστολῇ γέγραφεν ἐπὶ λέξεως οὕτως· Ἀληθῶς τοίνυν ἐγέννησε Μαρία σῶμα, Θεὸν ἔχον ἔνοικον, καὶ ἀληθῶς ἐγεννήθη ὁ Λόγος ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας, σῶμα ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν ἡμφιεσμένος. Ἀληθῶς γέγονεν ἐν μήτρᾳ, ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐν μήτρᾳ διαπλάττων· καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ σῶμα ἐκ τῶν τῆς Παρθένου σπερμάτων· πλὴν ὅσον ὁμιλίας ἀνδρὸς ἄνευ· Ἀληθῶς ἐκυοφορήθη, ὡς καὶ ἡμεῖς, χρόνων περιόδοις·
B καὶ ἀληθῶς ἐτέχθη, ὡς καὶ ἡμεῖς· ἀληθῶς ἐγαλακτοτροφήθη, καὶ τροφῆς κοινῆς καὶ ποτοῦ μετέσχεν, ὡς καὶ ἡμεῖς· καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου, ἀληθῶς καὶ οὐ δοκήσει. Καὶ γ' ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον, καὶ ποιήσας σημεῖα καὶ τέρατα ὑπὸ τῶν ψευδοϊουδαίων, καὶ Πιλάτου ἡγεμόνος ὁ κριτὴς ἐκρίθη, ἐμαστιγώθη, ὑπὸ δούλων ἐπὶ κόρης ἐρράπισθη, ἐνεπτύσθη, ἀκάνθινον στέφανον καὶ πορφυροῦν ἱμάτιον ἐφόρεσε, κατεκρίθη, ἐσταυρώθη ἀληθῶς, οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, οὐκ ἀπάτῃ· ἀπέθανεν ἀληθῶς, καὶ ἐτάφη, καὶ καὶ τηλικοῦτος τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλος τρεῖς

Cf. Dufresnius in notis ad hunc locum monet veterem Ignatianam interpretationem sibi usurpatam ; quam tamen nonnihil pleniorem et alicubi variam editi exhibent.

XVII.

JOBIUS *monachus*, De Œconomia *seu* Verbo incarnato, *lib.* VII, *cap.* 31. *Apud* PHOTIUM Biblioth. *Cod.* CCXXI, *pag.* 622.

Nam tria divinus Ignatius sæculi hujus principem latuisse commemorat ; virginitatem Mariæ, conceptionem Domini, et crucifixionem. *Epist. ad Ephes., cap.* 19.

C Φησὶ γὰρ ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος τρία λαθεῖν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου· τὴν παρθενίαν Μαρίας, τὴν σύλληψιν τοῦ Κυρίου, καὶ τὴν σταύρωσιν.

XVIII.

LEONTIUS BYZANTINUS, *lib.* De sectis, *Act.* III, *Ex bibl. PP. Paris. tom.* XI, *pag.* 503, C.

Cæterum temporibus illis, quæ a Christi nativitate usque ad imperium Constantini numerantur, hi doctores et Patres exstiterunt : Ignatius Theophorus, Irenæus, Justinus, etc. Hos omnes secutæ deinceps hæreses excipiunt.

Ἐγένοντο δὲ ἐν τοῖς χρόνοις τοῖς ἀπὸ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου διδάσκαλοι καὶ πατέρες οἵδε· Ἰγνάτιος ὁ Θεοφόρος, Εἰρηναῖος, Ἰουστῖνος, κ. τ. λ. Τούτους ἅπαντας αἱ μετ' αὐτοὺς γενόμεναι αἱρέσεις δέχονται.

XIX.

JOANNES Rhetor., *Apud* EVAGRIUM, Hist. Eccl. *lib.* I. *cap.* 16.

Τότε καὶ Ἰγνάτιος ὁ θεσπέσιος ἐπειδή γε, ὡς ἐδού- A λετο, τάφον τὰς τῶν θηρίων ἐσχηκὼς γαστέρας ἐν τῷ τῆς Ῥώμης ἀμφιθεάτρῳ, κ. τ. λ.

Tunc etiam Ignatius divinus postquam, ut ipse voluit, ferarum ventres in amphitheatro urbis Romæ pro sepulcro habuisset, etc. *Epist. ad Rom., cap.* 4.

XX.

ANASTASIUS Senior patriarcha Antioch., *lib.* De rectis veritatis dogmat. *Ex ms. Colleg. Cantabr. apud* PEARSON. Vindic. Ignat. *part.* I, *cap.* 2.

Μορφὴν δούλου ἠμφιεσμένον, ἵνα λάθῃ θεὸς ὢν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου.

Forma servi indutum, ut Deus existens lateret principem hujus sæculi. *Ad Ephes. cap.* 19.

XXI.

ANASTASIUS SINAITA, *lib.* Ὁδηγός *inscript., cap.* 12.

Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας.

S. IGNATII *episcopi Antiocheni.*

Ἐάσατε μιμητὴν γένεσθαι τοῦ πάθους τοῦ θεοῦ μου.

Sinite me fieri imitatorem passionis Dei mei. *Ad Rom. cap.* 6.

XXII.

ANTIOCHUS, *homil.* CXXIV. *Ex Bibl. PP. Paris. tom.* XII, *pag.* 219.

Ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος ἐπιστέλλει, λέγων· Τῷ B ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὁ θεὸς ὑμῖν. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῷ ὑποτασσομένῳ [leg. τῶν ὑποτασσομένων] ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις τε καὶ διακόνοις. μετ' αὐτῶν μοι γένοιτο τὸ μέρος ἔχειν ἐν θεῷ.

Ignatius Theophorus per epistolam dicit; *Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Anima mea pro iis, qui episcopo, presbyteris et diaconis morem gerunt: cum illis portionem habere mihi in Deo contingat.* Ad Polycarp. cap. 6.

Idem Antiochus tum hic, tum alibi passim verba sancti Ignatii ex aliis ejus Epistolis descripta recitat.

XXIII.

MAXIMUS in Schol. ad PSEUDO-DIONYS. AREOPAG. De divinis nominib. *cap.* 4, § 12, *pag.* 613.

Ὁ ἐμὸς ἔρως. Ζητητέον, πῶς ἐπὶ Ὀνησίμου τοῦ μετὰ Τιμόθεον Ἰγνατίου διαλεγομένου, καὶ γράφοντος Ῥωμαίοις τὸ, Ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, κ. τ. λ. .... Τεκμήριον δή, τὸ μὴ προσκεῖσθαι· Γράφει δέ τισι, τουτέστι Ῥωμαίοις. ἀλλ' ἁπλῶς· Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. C

Amor meus. Quærendum quomodo Ignatio cum Onesimo, Timothei postero, disputante et ad Romano scribente, *Amor meus crucifixus est,* etc.... Cujus rei argumentum est, quod non habeatur hic, *scribit vero quibusdam*, id est Romanis; sed simpliciter *scribit vero divus Ignatius. Epist. ad Rom., cap.* 7.

IDEM, *in* Loc. comm. *Serm.* II. *Ex edition. Combefisii, tom.* II, *pag.* 534.

Ἰγνατίου.

Τέλειοι ὄντες τέλεια φρονεῖτε· θέλουσι γὰρ ὑμῖν εὖ πράττειν, θεὸς ἕτοιμος εἰς τὸ παρέχειν.

IGNATII.

Qui perfecti estis, perfecta sapite: volentibus enim vobis bene agere, Deus paratus est præbere. *Epist. ad Smyrn, cap.* 11.

IDEM, *ibid., serm.*, XLIII, p. 638.

Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου.

Κἂν ἐρρωμένος ὦ τὰ κατὰ θεὸν, πλέον με δεῖ φοβεῖσθαι, καὶ προσέχειν τοῖς εἰκῇ φυσιοῦσί με· ἐπαινοῦντες γάρ με, μαστιγοῦσιν. D

Sancti Ignatii.

Cum in rebus divinis firmus ac robustus fuero, tum vehementius timeam oportet, ab iisque caveam qui me incassum inflant; qui enim me laudant, flagris me afficiunt. *Epist. ad Trall. interpol., cap.* 4.

XXIV.

THEODORUS PRESBYTER, *apud* PHOTIUM Biblioth. *Cod.* I, *pag.* 3.

Πῶς μέμνηται τῆς τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος; ὁ μὲν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν ἀποστόλων ἐνήκμασε χρόνοις· Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸν διὰ μαρτυρίου ἤθλησεν ἀγῶνα, ὃς καὶ πρὸ βραχὺ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολήν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει.

Cur epistolam beati Ignatii hic liber (Dionysii Areopagitæ) citat? Dionysius enim apostolorum temporibus floruit: Ignatius vero Trajano Augusto imperante martyrii certamen certavit, et paulo ante mortem eam epistolam quam hic liber citat, conscripsit.

XXV.

ANDREAS CRETENSIS, *homil.* II, in Nativit. B. Virginis. *Ex ms. Oxon. apud* PEARSON. *in* Vindic. Ignat. *part.* I, *cap.* 2.

Ut ait sanctus vir, cui nomen Ignatius : *Principem hujus sæculi latuit virginitas Mariæ, et partus ejus, similiter et mors Christi : tria tremenda mysteria, quæ in silentio Dei facta sunt.* Epist. ad Ephes. cap. 19.

A Ὡς φησί που ἅγιος ἀνὴρ, Ἰγνάτιος ὄνομα αὐτῷ. Καὶ ἔλαθε τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας, καὶ ὁ τόκος αὐτῆς, ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ Χριστοῦ· τρία μυστήρια φρικτὰ, ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ ἐπράχθη.

XXVI.

ANTONIUS MELISSA, Loc. comm., *lib.* II, *cap.* 48.

Omnes ferto, ut te Dominus : omnes sustine in charitate; postula prudentiam majorem ea quam habes. Omnium morbos porta ; ubi enim plus laboris, ibi lucri multum. *Epist. ad Polycarp.*, *cap.* 1.

Πάντας βάσταζε ὡς σε ὁ Κύριος· πάντων ἀνέχου ἐν ἀγάπῃ· αἰτοῦ σύνεσιν πλείονα ἧς ἔχεις. Πάντων τὰς νόσους βάσταζε· ὅπου γὰρ πλείων κόπος, πολὺ τὸ κέρδος.

IDEM, *ibid.*, *lib.* II. *cap.* 89.

Stato quasi incus, dum cæderis ; generosi est athletæ, cædi et vincere ; maxime propter Deum omnia sustinenda sunt, ut ipse quoque nos sustineat. *Ad Polycarp.*, *cap.* 3,

Στῆκε ὡς ἄκμων, τυπτόμενος· μεγάλου ἀθλητοῦ ἐστι δέρεσθαι καὶ νικᾷν· μάλιστα δὲ ἕνεκεν Θεοῦ πάντα ἡμᾶς ὑπομένειν δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομένῃ.

IDEM, *ibid.*, *lib.* II, *cap.* 23.

Servi non desiderent a communi liberi fieri; sed in gloriam Dei plus serviant, ut meliori libertate a Deo potiantur, *Ad Polycarp.*, *cap.* 4.

B Οἱ δοῦλοι μὴ ἐράτωσαν ἀπὸ κοινοῦ ἐλευθεροῦσθαι, ἀλλ' εἰς δόξαν Θεοῦ πλέον δουλευέτωσαν, ἵνα κρείττονος ἐλευθερίας ἀπὸ Θεοῦ τύχωσιν.

IDEM, *ibid.*, *lib.* I, *cap.* 14.

Si quis in castitate manere potest ad honorem carnis Domini, sine jactantia maneat ; et si videri vult plus episcopo, corruptus est. Decet autem ducentes et ductas cum sententia episcopi unionem facere, ut nuptiæ fiant secundum Deum, et non secundum cupiditatem. *Ad Polycarp.*, *cap.* 5.

Εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν εἰς τιμὴν τῆς σαρκὸς τοῦ Κυρίου, ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω· καὶ ἐὰν γνωσθῇ πλέον τοῦ ἐπισκόπου, ἔφθαρται. Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταις γαμουμέναις, μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Θεὸν, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν.

IDEM, *ibid.*, *lib.* II, *cap.* 84.

Patienter alii alios cum mansuetudine patimini, ut nos semper Deus. *Ad Polycarp.*, *cap.* 6.

Μακροθυμεῖτε μετ' ἀλλήλων ἐν πραΰτητι, ὡς ὁ Θεὸς μεθ' ἡμῶν διὰ παντός.

IDEM, *ibid.*, *lib.* II, *cap.* 3.

Date operam ne resistatis episcopo, ut sitis Deo subjecti ; et quo magis tacitum videritis episcopum, eo magis illum metuite. Quemcumque enim mittit paterfamilias ut rei domesticæ præsit, sic decet nos excipere velut ipsum qui mittit. Episcopum igitur tanquam Dominum ipsum suspicere oportet. *Ad Ephes.*, *capp.* 5 et 6.

C Σπουδάσατε μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ἦτε Θεῷ ὑποτασσόμενοι· καὶ ὅσον βλέπετε σιγῶντα τὸν ἐπίσκοπον, πλέον αὐτὸν φοβεῖσθε. Πάντα γὰρ ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι ὡς αὐτὸν τὸν πέμποντα. Τὸν οὖν ἐπίσκοπον ὡς αὐτὸν τὸν Κύριον δεῖ προβλέπειν.

IDEM, *ibid.*, *lib.* II, *cap.* 67.

Nihil est pace melius, qua omne bellum dirimitur, *Ad Ephes.*, *cap.* 13.

Οὐδὲν ἐστιν ἄμεινον εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς ὁ πόλεμος καταλύεται.

IDEM, *ibid.*, *lib.* II, *cap.* 19.

Samuel cum adhuc parvus puer esset, Videns est vocatus, ac in prophetarum numero est cooptatus. Daniel adhuc juveuis consenes quosdam judicio damnavit, eosque non seniores, sed perdite libidinosos esse demonstravit. Jeremias cum juventutis causa, eam quam Deus ei tradebat prophetandi provinciam recusaret, a Deo illa audit : Te juniorem esse ne dicito : ad quoscunque enim te misero, proficisceris. Salomon autem ille sapiens, cum duodecim haberet annos, magnam quæstionem de igno-

D Ὁ Σαμουὴλ παιδάριον ὤν, ὁ Βλέπων ἐκλήθη, καὶ τῷ χορῷ τῶν προφητῶν ἐγκατελέχθη. Δανιὴλ νέος ὤν, ἔκρινεν ὁμογέροντάς τινας, δείξας ἐξώλεις αὐτοὺς, οὐ πρεσβυτέρους εἶναι. Ἱερεμίας διὰ τὸ νέον παραιτούμενος τὴν ἐγχειριζομένην αὐτῷ παρὰ τοῦ Θεοῦ προφητείαν, ἀκούει· Μὴ λέγε, νεώτερος εἰμί· διότι πρὸς πάντας οὓς ἐὰν ἐξαποστελῶ σε, πορεύσῃ. Σαλομῶν δὲ ὁ σοφὸς, δυοκαίδεκα τυγχάνων ἐτῶν, συνῆκε τὸ μέγα τῆς ἀγνωσίας τῶν γυναικῶν ἐπὶ τοῖς σφετέροις τέκνοις ζήτημα. Δαβὶδ ὁ προφήτης ὁμοῦ

καὶ βασιλεὺς, μειράκιον χρίεται ὑπὸ Σαμουὴλ εἰς βασιλέα,

A ratione mulierum non agnoscentium suos liberos dijudieavit. David propheta simul et rex adolescentulus adhuc a Samuele ad futurum regnum ungitur.

Editi Melissæ ferunt, ista ex Epistola ad Magnesianos esse desumpta. His quidem fere similia exstant in Epistola ad Magnesianos interpolata, cap, 3. Sed hæc potius videtur descripsisse Melissa ex Epistola Mariæ Castabal. ascripta, ubi pene αὐτολεξεί occurrunt capp. 3 et 4.

XXVII.

THEODORUS STUDITES, cateches. CXXVII. *Ex Biblioth. PP. Paris. tom. II, pag.* 727, F.

Συνέπεται δὲ καὶ ὁ Θεοφόρος Ἰγνάτιος, τάδε λέγων· Προφυλάσσω ὑμᾶς ἀπὸ τῶν θηρίων τῶν ἀνθρωπομόρφων, αἱρετικῶν· οὓς οὐ μόνον οὐ δεῖ ὑμᾶς παραδέχεσθαι, ἀλλ' εἰ δυνατὸν, μηδὲ συναντᾷν.

Nec abludit et Deifer Ignatius, scribens in hunc sensum: *Præmoneo vos hominiformium ferarum, hæreticorum: quos non solum non admittere debetis, sed ne occurrere quidem, si potest.* Epist, ad Smyrn. cap. 4.

Interpretationem hujus loci meliorem dabit Cotelerius infra num. 30.

IDEM. *in* Iambis, *num.* 70. *Ex edit. opp.* Sirmondi *Paris. tom.* V, *pag.* 766.

Εἰς τὸν ἅγιον Ἰγνάντιον τὸν Θεοφόρον.
Ἔχων ἔρωτα Χριστὸν ἐν σῇ καρδίᾳ,
Ἀποστόλων σύσκηνος ὤφθης τρισμάκαρ·
Ἄθλοις δὲ θερμοῖς ἐκφλογίζων τὴν πλάνην,
Ἐπιστολαῖς σου Παῦλος ἄλλος τις πέλεις.

B *In sanctum Ignatium Theophorum.*
Gerens in alto Christi amorem pectore,
Apostoiorum visus es felix comes:
Errorem et acri persequens certamine,
Alium tuis in Epistolis Paulum refers.

XXVIII.

MICHAEL SYNCELLUS, *in* Encom. Dionysii Aeropag. *Ex edit. opp.* Areopagit· *Antuerp., tom.* II, *pag.* 233.

Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰννάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐστάυρωται. Τοῦτο γὰρ τὸ ῥητὸν ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος, μέλλων ἐν Ῥώμῃ μαρτυρικῶς ἀθλήσειν, καὶ τοῖς λέουσι βορὰ κατὰ τὴν τοῦ τυράννου Τραϊανοῦ πρόσταξιν παραβληθήσεσθαι, περὶ τὸ τῆς αὐτοῦ τυραννείας ἔνατον ἔτος, κατὰ τῶν εὐσεβεστάτων Χριστιανῶν διωγμὸν ἐγείροντος, Ῥωμαίοις ἐπιστέλλων γέγραφε.

Scribit enim et divinus Ignatius: *Amor meus cruci suffixus est.* Hoc enim verbum divinus Ignatius extremo supplicio Romæ dimicaturus, ac leonibus imperio Trajani regis, cibus projiciendus, circa nonum regni ipsius annum, desævientis contra Christianos pietatis amantissimos, Romanis per C epistolam scripsit. *Cap.* 7.

XXIX.

PHOTIUS, Biblioth. *Cod.* CXXVI, *pag.* 306.

Λέγει δὲ καὶ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῖς Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου ἀπεσταλκέναι, καὶ αἰτεῖται ἀναδιδαχθῆναι παρ' αὐτῶν, εἴ τι περὶ ἐκείνου διακούσαιεν.

Refert quoque (Polycarpus), divini Ignatii litteras ad illos (Philippenses) se misisse; postulatque certior vicissim fieri, si quid forte de eo inaudierint.

XXX.

Ex CODICE REGIO 1624. *Apud* COTELERIUM *in Notis ad cap.* 4. Epist. ad Smyrnæos.

Ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους Πατρὸς αὐτοῦ [Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου].

Ex Epistola ad Smyrnæos ejusdem Patris [*Ignatii Theophori*].

Προφυλάσσω δὲ ὑμᾶς ἀπὸ τῶν θηρίων ἀνθρωπομόρφων αἱρετικῶν· οὓς οὐ μόνον οὐ δεῖ ὑμᾶς παραδέχεσθαι, ἀλλ' εἰ δυνατὸν μηδὲ συναντᾷν· μόνον δὲ προσεύχεσθαι ὑπὲρ αὐτῶν, ἐάν πως μετανοήσωσιν.

D Præmunio autem vos contra feras humanam formam præ se ferentes: quos non solum oportet vos non recipere, sed si possibile est, neque obviam eis fieri; solum vero pro ipsis orare, si quo modo pœnitentiam agant. *Ad. Smyrn., cap.* 4.

Eadem ferme recitat Theodorus Studites, ut modo vidimus: apud quem, sicut et hic, αἱρετικῶν est explicatio, non textus pars, monente Cl. Cotelerio.

XXXI.

IBN ZORHA Jacobita. *Ilib.* Adversus Eutychen, *cap.* 4. *Ex ms. cod. Arabico, interprete* Ed. Bernardo, *apud* PEARSON. Vind. Ignat. *part.* I. *cap.* 2.

Dicit Ignatius patriarcha Antiochensis tertius a Petro apostolo, in Epistola sua ad Smyrnenses; dicit, inquam: *Et vos estote persuasi in Domino nostro Jesu Christo, qui ex semine Davidis prophetæ quoad corpus, at Filius Dei in veritate ejus, natus ex Maria virgine, et baptizatus a Joanne, et crucifixus propter nos sub præfectura Pontii Pilati.* Ad Smyrn. cap. 1.

IDEM, *ibid.*

Et dicit etiam (Ignatius) in Epistola sua ad Antiochenses : *Qui credit nunc in Christo, et non in oblatione sua (esse eum) Filium Dei creatoris mundi, dicetque quod est illic filius alius, et substituet eum loco ejus, de quo vaticinati sunt prophetæ, quemque prædicarunt discipuli, palatium est diaboli.* Ex Epist. supposit, ad Antiochen., cap. 5.

ISAACI VOSII PRÆFATIO
IN EPISTOLAS S. IGNATII

Quas primus in lucem extulit Amstelodami, anno 1646, *in-4, ex codice ms· bibliothecæ Medicæ.*

Ita est, lector humanissime, quod et tu et ego sæpius animadvertimus ; omnia illa, quæ vel natura effinxerit, vel arte sint fabricata, illam habent conditionem, ut quæ in genere suo sint perfectiora, quanto diutius et attentius contemplemur, tanto pulchra magis et artificiosa, intuentium oculis sese offerant. Simile quid mihi evenit in Ignatio, cujus nunquam Epistolas relegi, quin semper aliquid novi, quo magis sese mihi probarent, in iis deprehenderim : quoties, inquam, illas in manus resumpsi, toties aliquid apparuit, unde genuinum potuerim agnoscere scriptorem ; nunc elegans illa simplicitas, et sæculo quo vixit convenientissima, nunc rerum et verborum passim et ubique congruentia ac veritas ; nunc zelus et martyrii fervor, qui cum alibi, tum maxime in Epistola ad Romanos elucet ; omnia denique auctorem suum testabantur. Quo magis miror fuisse, qui non tantum negarent epistolas has esse Ignatii sed nec dubitarent affirmare illum nullas omnino scripsisse. Non alio id argumento persuadere conabantur, quam eo quod dicerent neminem veterum, ante Eusebium, earum meminisse. Nam sententias quæ apud Irenæum et Origenem exstarent, eas ore pronuntiasse, non autem ex epistolis ejus esse petitas : non attenderunt viri doctissimi ad eum Origenis locum, qui exstat homil. VI in Lucam : *Unde elegantcr in cujusdam martyris epistola reperi, Ignatium dico episcopum Antiochiæ, post Petrum secundum ; qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias : « Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ, »* etc. Sed ad antiquiora veniamus, quo magis appareat antiquitas et veritas Ignatii nostri, et error eorum qui contrarium statuunt. Primus itaque qui earum meminerit is est Polycarpus martyr in Epistola ad Philippenses ; cujus verba hæc sunt ; Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε, αἵτινές ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ, ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθήναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονήν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. Nemo jam possit dubitare quin Polycarpus iste Ignatii habuerit epistolas, cui etiam unam ex illis septem inscripsit, quod ipse testatur, eum ait : Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς, καὶ Ἰγνάτιος. Supervixit autem Ignatio Polycarpus annis plus minus sexaginta. Hic jam, rogo, quænam veri est similitudo ut, Polycarpo vivente, veræ istæ Ignatii epistolæ fuerint suppressæ, et aliæ suppositæ ? Nunquid eas perdidit Polycarpus, ut opus fuerit alias excogitare ? Non puto quemquam ita fore ridiculum, ut talia probet. Jam pergo : Si Polycarpus eas habuerit. utique easdem habuit Irenæus, ejus discipulus, qui illas citavit. Irenæum excipit Origenes, cujus jam verba vidimus. Nemo autem, puto, sit, qui existimet diversas fuisse Ignatii epistolas quibus usus est Origenes, ab illis quas citat Eusebius. Eusebium sequuntur Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Antiochenus, Damascenus, Photius, et innumeri alii ; qui omnes usi sunt testimonio Ignatii, et ita quidem, ut nunquam a quoquam inter apocryphos sit relatus ; quod tamen ne novi quidem Fœderis libri effugere omnes potuerunt Cum itaque hic non interruptam habeamus seriem eorum, qui has epistolas approbaverunt : non video quo argumento opinionem suam confirmare possint, qui aliud sentiunt. Lectæ sunt hactenus Ignatii epistolæ, prout ab interpolatore fuerant corruptæ : et tamen non defuere, qui judicii acrimonia etiam verum in illis deprehendere potuerint. Ostendit hoc satis superque vir summus Andreas Rivetus. Veras jam exhibeo et genuinas, et testimoniis antiquorum ubique congruentes ; eo jam confugiunt, ut negent martyrem illum epistolas scripsisse. Sed fruantur illi opinione sua, certus sum paucos omnino fore qui cum ipsis sentiant, qui vero id cum ratione faciat, neminem.

Quod autem pura germanaque jam legere possis scripta hæc Ignatiana, benevole lector, bibliothecæ Mediceæ debes : debes serenissimo principi Ferdinando II, magno Eturiæ duci, cujus incredibili erga studia amore, inclytæ ejus bibliothecæ mihi contigit usura, et per hanc Ignatianus ille, quem damus, Thesaurus. Utinam vero sic alii quoque principes animati forent, nec plerique avari adeo iis pretium statuerent, quasi aliquid suis de opibus detereretur, si libri publice potius utiles forent quam

blattis et tineis absumendi relinqueretur; hi enim, non suæ quidquam gloriæ adimerent, si serenissimi principis exemplum æmularentur. Atque hic ejus ardor magis eluxit, postquam, ut mihi relatum est, Laurentianæ suæ præfecit Joannem Baptistam Donium, virum nobilem, dignissimum Petri Victorii successorem, nec ipsum modo litteratissimum, sed ea præditum prudentia, ut nemo judicio majori ad ea sacraria sit admissurus quemquam. Post tantum imperiitanti principem, majori etiam dignissimum, tacere non debeo beneficia viri summi Paganini Gaudentii, qui favore suo, eo me apud principem suum loco collocavit, ut quam diutissime bibliotheca hac bono, et meo, et publico, frui liceret. Sed de ejus erga me viri meritis, dabitur, spero, commodius posthac loquendi tempus. Nunc hæc attingere satis putavi, ut, licet me debitis non absolvam, beneficiis tamen non videar indignus. Nec video cur ulterius te detineam, lector. Occurrunt animo et alia, nec ab instituto aliena : sed aliis iis dabitur convenientior locus. Vale igitur, pluraque in dies a me exspecta.

J. B. COTELERII

JUDICIUM DE EPISTOLIS S. IGNATII.

(*Patres apostolici*, ed. Amstelod. 1724, t. II, p. 9)

Nisi officii mei ratio flagitaret ut in campum descenderem, tuiturus vel impugnaturus Ignatianas Epistolas, libenter abstinerem me celebri bello litterario, quod sciam profligatum fuisse, dein redintegratum, et ad quod conficiendum adhuc accingere se armis audiam duos fortes bellatores, unum hic in Gallia, alterum in orbe Britanno, adversus nuperum hostem, veteranum militem, pugnacem, doctis disertisque dictis certantem et maledictis, peritum ad hæc cauponari hellum et belligerare, qui hoc stratagemate utendum putavit ut, quia in verum Ignatium abunde non suppetebant jacula, falsum prælio involveret, quo imbellem vincendo, invictum etiam vicisse videretur. Sed jam pugna danda est. Rem paucis verbis, una ratiocinatione concludo. Sanctum Ignatium epistolas scripsisse diserte testatur ejus familiaris beatus Polycarpus : has vero quas per virum clarissimum Isaacum Vossium e codice Florentino primum editas legimus, easdem esse puras putas Ignatii ostendunt relata in testimoniis veterum loca Irenæi, Origenis, Eusebii, Athanasii, Hieronymi, Theodoreti, cæterorumque : nam reperiuntur in illa editione. Quid clarius? quid certius?

Contra hæc et contra nostrum Ignatium exceptiones adversariorum multæ sunt, multæ objectiones, generales aliæ, aliæ particulares. His ad loca singula, cum necesse judicabimus, occurremus : illarum præcipuas expendamus. In duas classes distribui possunt : aut enim petuntur ex antiquorum silentio, aut e stylo epistolarum. Aiunt itaque : Quot e primis Patribus mentionem facere poterant ac debebant Ignatianarum epistolarum, nec fecerunt ante Eusebium ? Polycarpi siquidem, Irenæi, Origenis testimonia suspecta habentur, vel nihil probant. Retorqueo ego ad hunc modum : Quot ecclesiasticorum operum primus ac sæpe unus meminit Eusebius (neque enim in numerum veniunt qui Eusebium transcribunt) quæ ab aliis memorari poterant, et vero pari ratione debebant? Eane omnia supposititia dicent? Nequaquam puto. Quænam vero sunt quæ opponunt locis Polycarpi, Irenæi et Origenis? Ecce illa: *Nicephorus patriarcha CP. in Indice apocryphorum Novi Testamenti, scripta Ignatii et Polycarpi apocrypha judicat. Anastasius Bibliothecarius eadem habet in Indice quem Historiæ suæ Ecclesiasticæ præfixit, quæ nisi eadem cum Nicephoro de his epistolis sensisset, non videtur fuisse sine aliqua censura vel animadversione dimissurus.* Verum auctor hujus laterculi non amandat ad apocrypha epistolas Ignatii et Polycarpi, amandat Ignatii et Polycarpi nonnihil. Illud autem nonnihil cur non potius exponemus de doctrina Ignatii et de doctrina Polycarpi, libris pseudepigraphis? Certe Ἰγνατίου διδαχήν ut apocryphum recensitam habes illo ms. indiculo, quem Anastasii Questionibus subjunctum ciat doctissimus Usserius, de Ignatii epistolis, cap. 1, et Ἰγνατίου διδασκαλίαν cum Πολυκάρπου διδασκαλίᾳ, indiculo iisdem Quæstionibus adjuncto, bibliothecæ Regiæ volumine 1789, qui a me supra positus fuit in meis notis. Ignatii vero Polycarpique epistolas in apocrypha relatas nullibi videmus. Ut omittam Liturgiam Ignatii, de qua eodem loco Usserius, ac ejusdem martyris aliquid de re fidei et canonibus, in catalogo Hebedjesu, num. 18, videtur enim diversum esse ab epistolis Chaldaicis sive Syriacis illius, ab Usserio in cap. 4 memoratis. Et vero (occasione sese offerente monebo id) objectum indicem seu canonem Scripturarum, ad tempora Nicephori Constantinopolitani et Anastasii Bibliothecarii nequaquam pertinere, facile mecum intelliget, qui consideraverit nono æræ Christianæ sæculo Ecclesias Græcam et Romanam non dubitasse de tot sacræ Scripturæ libris, quot in dubium eo in laterculo revocantur. Quare vel Nicephoro pa-

triarchæ canon abjudicetur, vel dicatur ab eo magis collectus quam compositus; per Anastasium vero conversus tantum putetur, non autem etiam creditus. Atque hinc evanescit in auras quidquid magna verborum pompa ob Nicephorum et Anastasium a viro docto toties jactatur. Ut necessæ non sit respondere, quæ tamen non improbabiliter dicentur : aut Polycarpum cum Ignatio fuisse proscriptum, ob syllogen epistolæ Polycarpianæ et epistolarum Ignatianarum tam interpolatarum quam falsarum, aut epistolam Polycarpi et epistolas Ignatii apocryphas esse appellatas, quod, licet innoxiæ, nec pseudepigraphæ, extra canonem omnium ecclesiarum legerentur. Quid enim, quæso, noxii, quid apostolico viro indigni continet Polycarpiana illa? Pergunt adversus epistolam Polycarpi, et affirmant eam pugnantia loqui, Ignatium viventem, Ignatium mortuum : nempe prius per hæc verba c. 13 : « Et de ipso Ignatio, et de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis significate. » Posterius per ea quæ habentur capite 9, de Ignatio aliisque martyribus, necnon apostolis, quod cuncti post agones suos in loco sibi debito sint apud Deum. Mira profecto ἀντιλογία, si veritate niteretur : at ea plane destituitur. Nam ponatur, quemadmodum sentimus, scripsisse Polycarpum tunc temporis, cum Ignatius martyrium subiisse credebatur, incerti tamen (ut fere fit) rumores ferebantur de iis quæ in morte illius contigerant. Hoc posito, nonne conveniebat ut Polycarpus diceret Ignatium apud Deum locum suum obtinere, simulque peteret edoceri περὶ Ἰγνατίου καὶ περὶ τῶν περὶ αὐτόν, si quid Philippenses explorati accepissent? Dubium nullum est nisi fallor.

A Polycarpo ad Irenæum : « Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias : quoniam frumentum sum Christi, » etc. *Dixit*, exponunt, *locutus est*, non *scripsit*. Ego vero, cum verbum *dixit* ad sermonem et ad scripturam perinde referatur, cumque constet ex Actis et Vita Ignatii, atque ex Hieronymo et Adone, ea verba a fortissimo martyre in agone quoque ipso fuisse pronuntiata, cur apud Irenæum epistolam potius intelligam quam vocem, causa est tum auctoritas Eusebii, qui ita accepit, tum quod Irenæus non scripserit Θηριομαχῶν, *cum bestiis pugnans*, aut quid simile, sed κατακριθεὶς πρὸς Θηρία, *damnatus ad bestias*. Origenes prologo *Commentariorum in Canticum canticorum* : « Denique memini aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo : *Meus autem amor crucifixus est.* »

A Dionysius, *De divinis nominibus*, c. 4, n. 12 : Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Origeni simile est, quod Dionysio γράφειν. Sed, inquiunt, commentarii illi non sunt Origenis. E memoria illorum effluxerat citari eos in fine *Philocaliæ*. Tu vero, ne tempus teram in agenda re acta, vide quæ a doctissimo clarissimoque viro Petro Daniele Huetio solide de hac controversia disputata sunt Origenianorum lib. III, p. 248. Lege pariter quæ eodem libro, p. 252, 253, afferuntur pro ejusdem Adamantii *Homiliis in Lucam*, quas etiam quia sibi incommodant aperta citatione Ignatianæ Epistolæ, rejicere conantur, idque per levicula argumenta, solutu facilia eis qui animum attenderint partim ad Hieronymum interpretem, partim ad juvenem eo temppre Origenem. Videto quoque nos infra in c. 19 Ep. ad Ephes., de Basilio et Hieronymo has homilias legentibus.

Hactenus de prætento veterum silentio. Nunc ad stylum epistolarum accedamus. Ignatiana oratio diversæ a nostra sententiæ auctoribus videtur mirum prodigiosumque in modum nova, poetica, turgida, putida, frigida, obscura, plena cacozeliæ et battologiæ, omnino absurda atque simulata, nullatenus apostolica. Longe aliter sentiunt alii, qui plurima in illa antiquitatis ac simplicitatis apostolicæ certissimaque deprehendunt vestigia, nihil vero inconsideratum, nihil fictum, aut non apostolicum. Concedamus tamen Ignatii dictionem aliquid habere novitatis, tumoris, obscuritatis. Quid tum? Suus cuique stylus est, sua scribendi ratio. Nonne si hujusmodi argutationum minutiis datur locus, convellentur facile pleraque vetustatis haud dubia monumenta? Nauseant pauci ad quædam Ignatiana sed cæteris fortior est stomachus. Sane veniam merebatur sanctissimus martyr, quod, inter milites leopardos scribens, unamque spirans martyrii coronam, nequiverit epistolas suas perpolire ac variare. Atque hæc in præsentiarum sufficere poterunt, broviter dicta pro ratione notarum, donec prodeant eruditorum hominum pro Ignatio exspectatæ dissertationes. Paucos existimo fore qui trium, licet magni merito nominis criticorum, Salmasii, Blondelli, Dallæi, censuram præferant judicio Eusebii, Athanasii, Hieronymi, Theodoriti, totiusque antiquitatis, necnon hujusce temporis catholicorum omnium, ac heterodoxorum plurimorum. Dicam autem de numero epistolarum in illam ad Polycarpum; de epistolis vero interpolatis et de subditiis suo etiam loco disseretur.

JOANNIS PEARSONII VINDICIÆ IGNATIANÆ.

(COTELERIUS, *Patres apost.* II, 252, ed. Amstelod. 1724)

DOMINO SUMME REVERENDO
D. GILBERTO
ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI, TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI.

Cum Anastasius Antiochenus ad Gregorium Magnum scripsisset, et S. Ignatii clausulam epistolæ suæ subjunxisset, eamdem suæ etiam Gregorius subtexuit, et hanc rationem reddidit, quia non tantum vester est, sed et noster. *Ita Occidentis et Orientis patriarchæ pro sanctissimo illo præsule et martyre inter se contendebant. Alii hujus sæculi mores, aliæ concertationes : et docti et indocti, et domi et foris, pretiosissimas illius martyris reliquias convellunt. Ad sedem igitur vestram archiepiscopalem confugit ipse archiepiscopus, et hoc unum efflagitat, ne pro impostore habeatur. Tu, cui apud nos sub rege maximo summa in negotio religionis et cura et potestas, singulari Dei providentia, meritissimo commissa est, qui Ecclesiam nostram adversus exulceratos hominum animos, et luctuosissimorum temporum vitio enatas inimicitias prudentiæ incredibilis auctoritate tueris, tam præclarum pristinæ simplicitatis cum in doctrina catholica tum in disciplina ecclesiastica monumentum ab ingeniis maleferiatis ventilari, epistolas in vinculis inter ferocientium militum manus et carcerum angustias animo præsentissimo exaratas tanquam invenustas rejici, hæresium tum primo exortarum et nunc demum repullulantium schismatumque certissimum remedium exstirpari, faciem denique Ecclesiæ primitivæ clarissime repræsentatam deturpari et obliterari nunquam patieris. Quid felicissimos eruditissimi primatis Armachani conatus : quid conspirantem originalis Græci codicis a doctissimo Vossio peropportune procuratam editionem : quid Hammondi viri optimi consummatissimique theologi lucubrationes commemorem ? Non enim dubito quin horum omnium labores, maximo Ecclesiæ emolumento susceptos, diu ante probaveris magnoque acerrimi judicii prudentiæque tuæ pondere stabiliveris. Cum autem hæc omnia ad severum nimis examen vocata sint ; quæ hoc qualicunque opere reponenda duxit, si non eodem judicio probare, tamen eo quo ipsum soles candore recipere ut non dedigneris, humillime petit*

Paternitati tuæ devotissimus
Joannes PEARSON.

AD LECTOREM.

Quæcunque ad controversiam hoc opere tractatam recte intelligendam conferant, in Proœmio jam satis perspicue et copiose exposita sunt, ut alia præfatione uti supervacaneum plane videatur. Unicum tamen est de quo te, Lector benevole, imprimis monendum duxi. Putarunt hactenus nostri, S. Ignatii epistolas antiquitati episcopatus luculentissimum testimonium præbuisse. Nescio tamen quo pacto effectum est, ut ex hoc uno scriptore, et quidem defæcato, satis firmum argumentum pro novitate ordinis episcopalis duci posse existiment nonnulli, illudque in scholis theologicis usurpent. Ecce enim, inter theses in academia Salmuriensi sub præsidio Ludovici Cappelli de episcopi et presbyteri discrimine disputatas, novum argumentum in hunc modum conficitur : « Auctor Epistolæ ad Magnesios primo, πρεσβυτέριον, hoc est » collegium presbyterorum, « et Ecclesiæ per illud administrationem atque regimen, vocat Χριστοῦ νόμον, quia ex institutione et voluntate Christi per apostolos institutum est ; νεωτερικὴν vero τάξιν, » novellam institutionem « vocat, eam quæ suo tempore episcopum presbyteris præponebat. Certum est autem eum scripsisse post Valentini hæretici tempus, qui Romam venit sub Hygino papa, circa annum a Christo nato 144. Ita fit manifestum novam constitutionem de episcopi in presbyteros prærogativa et auctoritate factam esse post centesimum et quinquagesimum a Christi resurrectione, et Spiritus sancti missione in apostolos, annum. » Hoc argumentum Dallæus prætermisit, vel quod ei nullam vim inesse putaret, vel quod scriptorem epistolarum impostorem non probaret, sed supponeret ; vel quod suæ hypothesi minime conveniret, qui impostorem suum vel sub finem tertii, vel sub initium quarti sæculi vixisse putavit ; quo tempore nemo, qui non insanivisset, episcopatum *novellam institutionem* vocasset. Nos ab illo prætermissum hic discutiendum putavimus ; ne quis postea tam ineptum Ignatio sensum affingat, aut ex illo tam fal-

sum et Ecclesiæ perniciosum dogma deducat.

Si enim concederetur et auctorem epistolæ ad Magnesios impostorem fuisse, et episcopatum novellam institutionem vocasse, nullo modo manifestum esset constitutionem de episcopi auctoritate post annum a Christi resurrectione 150 factam fuisse. Nam primo, si impostor esset, non necesse esset ut *de suo tempore* loqueretur ; fingendum enim sibi sumpsisse dicendus esset veterem et apostolicum virum, ab apostolis ordinatum episcopum, et paulo post S. Joannis apostoli obitum martyrio coronatum. Quod si impostorem bene ageret, ad eam ætatem omnia referre debuit ; et ad illud sæculum hæc ipsa eum non retulisse, probari nullo modo potest. Nihil igitur aliud ex duplici illa concessione sequitur, quam quod ex impostoris sententia episcopatus, ut presbyteratu superior est, tunc novella institutio fuerit, cum sanctus Ignatius ad martyrium per Asiam duceretur. Hoc autem factum est intra 75 annos post resurrectionem Christi, intra 8 post mortem S. Joannis apostoli ; ut episcopatus et novella institutio dici, et tamen apostolicus esse potuerit. Sub Antonino vel Aurelio vixisse impostorem suum vult Salmasius, unde pro more suo concludit : « Eo sæculo palam est, νεωτερικὴν illam τάξιν episcopi supra presbyteros introductam esse, ut ex hac epistola sole clarius dilucet. » At, si impostor ille sub hoc vel illo imperatore vixerit, *palam* non *est*, νεωτερικὴν τάξιν nunc fuisse introductam ; fieri enim potuisse, ut Ignatii simius martyrem ipsum repræsentaret, ad eam ætatem qua Ignatius vixit, et Damas adhuc juvenis Magnesiorum episcopus fuit, respiceret, omnes vident : unde sequitur eam novellam institutionem primo sæculo introduci potuisse. Et revera constitutionem auctoritatis episcopalis ad annum 150 post Christi resurrectionem, hoc est, ad vulgaris æræ annum 183 referre, ex ætate impostoris, ab omni ratione alienum est, cum illi qui eum impostorem esse volunt, de ejus ætate convenire nunquam potuerint. Circa medium secundi sæculi epistolam ad Magnesios scriptam fuisse sensit Albertinus ; paulo posterius forte Salmasius. At si novella eo tempore institutio fuit, institutio tamen fuit et quidem ante illud tempus facta ; quomodo igitur dici potuit hæc constitutio post annum facta 182 ? Blondellus Ignatius ὑποβολιμαῖον post Clementis Alexandrini obitum, hoc est, post initium tertii sæculi ; Dallæus, aut circa finem tertii, aut initium quarti ; Bochartus, sub imperio Constantini, scripsisse statuit ; nemo autem sanus diceret, ea ætate episcopatum novellam institutionem fuisse.

Sed neutrum concedendum est : non primum, quia auctor epistolæ ad Magnesios, ut et sex reliquarum, non impostor, sed verus Ignatius, Antiochiæ episcopus fuit, ut toto hoc opere probatum est ; non secundum, quia scriptor ille, quisquis fuit, episcopatum novellam institutionem nunquam vocavit. Illa enim vox νεωτερικὴ non novitatem episcopatus, ed juventutem episcopi denotat. Blondellus verbo Ignatii notavit, Latine non reddidit : Salmasius omnium primus νεωτερικὴν τάξιν, contra Ignatianum loquendi morem, contra manifestum totius contextus sensum, contra mentem scriptoris alibi satis explicatam, *novam institutionem* vel *novum ordinem* reddidit. Ad hanc translationem confirmandam locum Ignatii misere detorsit ; et cum nostrum locutionem S. Pauli maxime secutum esse novisset, illum etiam perperam et coacte interpretatus est. *In Epistola Pauli*, inquit, *ad Timotheum* II, cap. II, 22, νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι *non sunt* juveniles cupiditates, *sed* novæ, *vel* novarum rerum, *ut alibi nos explicabimus*. Idcirco, ut hoc argumentum prorsus explodatur, primo, lector benevole, S. Pauli locus, quem secutum hic ut alibi nostrum esse non injusta suspicio est, explicabitur ; secundo, Ignatii verba nude et aperte exponentur, et ab importunis adversariorum glossis vindicabuntur.

Νέον nunc *juvenem*, nunc *novum* significare omnes norunt. Glossarium Vetus : νέος ἄνθρωπος, *juvenis*, νέος οἶκος, ἢ ἕτερόν τι, *novus*, *novellus* ; a νέος νεώτερος pariter vel *junior*, vel *recentior* ; aut etiam *juvenis*, Hesychius, νεώτερον, οὐ μόνον συγκριτικῶς, ἀλλὰ καὶ νέον Ἀττικοί. Vetus Glossarium, *junior*, νεώτερος, *juvenis*, νεώτερος. Et in Excerptis, *juvenis*, νεώτερος, a νεώτερος vox possessiva νεωτερικός, *juvenilis*. Glossarium Græco-Latinum : νεωτερικός, *juvenilis* : Latino-Græcum, *juvenilis*, νεωτερικός ; *juvenile*, νεωτερικόν. Νεωτερικός igitur a νεώτερος *juvenilis*, non *rerum novarum cupidus*, qui Græce νεωτεριστικός dicitur, a verbo νεωτερίζειν. Unde inter vitiosa et vituperanda oratoris aut demagogi epitheta hæc enumerantur a Julio Polluce, παρατρέπων, νεωτερίζων, νεωτεριστής, νεωτεριστικός. Eo igitur loco, ubi hoc Timotheo Apostolus præceptum dat : Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε, νεωτερικὰς ἐπιθυμίας non *novas*, sed *juveniles cupiditates* reddi debere, omnibus recte interpretandi rationibus probabimus. Nam primo, sive rem ipsam quæ vetatur spectes, sive personam cui præceptum datur respicias, utrique hæc interpretatio imprimis convenit. Nam reipsa ἐπιθυμίαι, sive *cupiditates*, sive *libidines*, sive *desideria*, sive *appetitus* vel *appetentias* vertere placeat, ab omnibus semper juvenili ætati præcipue tributa sunt. Aristoteles, *Rhetoricorum* lib. II, cap. 11 : Οἱ μὲν οὖν νέοι τὰ ἤθη εἰσὶν ἐπιθυμητικοί. Ac rursus : Εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἀψίκοροι πρὸς ἐπιθυμίας. Idem, *Topicorum* lib. III, c. 2 : Μᾶλλον γὰρ οἱ νέοι τῶν πρεσβυτέρων ὑπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν ἐνοχλοῦνται. Inde Varro in Tithono apud Nonium : *Quam dereliquit multicupida juvenilitas*. S. Basilius : Κοῦφον ἡ νεότης καὶ εὐκίνητον πρὸς τὰ φαῦλα, ἐπιθυμίαι δυσκάθεκτοι. Quas ὁρμὰς δυσκαθέκτους appellavit Philo Judæus. S. Chrysostomus, Πρὸς θυμὸν καὶ πρὸς ἐπιθυμίας εὐέμπτωτος μᾶλλόν ἐστιν ὁ νέος. Quis igitur cum ἐπιθυμίας vetitas cernat, iisque vocem νεωτερικάς adjunctam animadvertat, non statim eas *juveniles* esse judicabit ? Est enim νεωτερι-

κός vox possessiva, ut grammatici loquuntur, et forma et significatione. Ἐκεῖνα δέ ἐστι τῷ τύπῳ καὶ τῷ σημαινομένῳ κτητικὰ, ὅσα εἰς τὴν γενικὴν τοῦ πρωτοτύπου ἀναλύονται, inquit etymologus. Νεωτερικός autem resolvitur in genitivum ejus vocis a qua originem duxit, ut idem sit νεωτερικάς, quod νεωτέρων ἐπιθυμίας. Jam vero persona, cui præceptum hoc datum est juvenis fuit. Nam I Tim. IV, 12 : Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, vel, ut antiquior translatio apud Ambrosiastrum, *juventutem*. Secunda autem Epistola proximo post primam anno scripta est : adhuc igitur Timotheus juvenis fuit. Juvenem igitur Apostolus monet, ut ἐπιθυμίας fugiat, eas νεωτερικάς indigitat ; sine dubio, nempe, juveniles intellexit. Secundo, hunc esse horum verborum sensum liquet ex omnibus veterum translationibus. Vetus interpres Latinus, *Juvenilia autem desideria fuge*, aliique eo antiquiores Latini. Quomodo Syri Apostolum intellexerint, inter quos versatus est S. Ignatius, non melius intelligitur, quam ex veteri versione Syriaca, quæ sic hæc verba reddidit, מן בלחין דגיגתא דמליותא ערוק *Ab omnibus cupiditatibus adolescentiæ fuge*. Sunt enim, רגיגתא דמליותא ὀρέξεις, vel ἐπιθυμίαι τῆς νεότητος, ut Matth. XIX, 20 : מן מליותי ἐκ νεότητός μου, et I Tim. IV, 12 : ולא אגש נבמא על מליותך μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω. Ita utrobique juventutem Timothei respiciens eamdem vocem usurpavit. Non aliter versio Arabica, et Æthiopica. Tertio, veteres omnes tum Græci tum Latini eodem modo hunc locum interpretati sunt. Ambrosiaster, qui sub Damaso scripsit : Juvenilia tu desideria fuge. *Juvenilia desideria adversa sunt : sunt enim voluptates mundanæ, quæ omnibus illecebris mancipatæ sunt, ac per hoc a Dei servo fugiendæ sunt.* Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem. *Hæc sectanda jubet, quæ juvenili ætati devia videntur et aspera.* S. Chrysostomus ad locum : Νεωτερικαὶ οὐχ αὗταί εἰσιν αἱ τῆς πορνείας μόνον, ἀλλὰ πᾶσα ἐπιθυμία ἄτοπος νεωτερική· ἀκουέτωσαν οἱ γεγηρακότες ὅτι οὐ δεῖ τὰ τῶν νεωτέρων ποιεῖν. *Juveniles hæ* cupiditates *non solius fornicationis sunt, sed omnis cupiditas absurda juvenilis. Audiant senes, quod non oporteat ea facere, quæ sunt juvenum.* Hanc interpretationem sequuntur Theophylactus et Œcumenius. Pelagius, ut videtur, in Commentario sub Hieronymi nomine edito. Juvenilia autem desideria fuge. *Quia hi ex senioribus esse non possunt. si hæc agant quæ gravitati non conveniunt Christianæ ; et a juvenibus vincuntur, si habeant levitatem.* B. Theodoretus in Commentario : Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, τουτέστι, τρυφὴν, γέλωτος ἀμετρίαν, δόξαν κενὴν, καὶ τὰ τούτοις προσόμοιά. *Hoc est, delicias, risum immoderatum, vanam gloriam, et quæ sunt his similia ;* quæ quidem non sunt *novæ*, aut *novarum rerum* cupiditates, sed juvenilis ætatis comites. Primasius : Juvenilia autem desideria fuge. « Juvenilia desideria et in senibus esse possunt, si hæc agant, quæ gravitati non conveniant Christianæ : et a juvenibus vinci possunt, si caveant levitatem. » Sedulius : Juvenilia desideria fuge, *id est fornicationem ;* quam rem novam esse nemo dixerit. Quarto, veteres Ecclesiæ scriptores secundum hunc Paulinum sensum vocem νεωτερικός usurpabant, ut Eusebius, libro *De martyribus Palæstinæ*, cap. 4, ubi describit fortissimum martyrem Apphianum nondum viginti annos natum, qui Beryti vixerat : Παράδοξον καὶ εἰπεῖν ὡς ἐν τοιαύτῃ πόλει τῶν νεωτερικῶν ἐπιθυμιῶν ὑπεράνω γενόμενος, καὶ μήθ' ὑπ' ἀκμῆς τοῦ σώματος, μήθ' ὑπὸ τῆς τῶν νέων ἑταιρείας διαφθαρεὶς τὸν τρόπον, σωφροσύνην ἠσπάζετο. « Incredibile dictu est, quo pacto in tali civitate adolescentiæ cupiditatibus superior, nec vigore corporis, nec juvenum sodalitio mores suos corrumpi passus, modestiam amplexatus est. » S. Chrysostomus de seipso adhuc juvene, oratione *De sacerdotio* prima : Ἐπειδὰν δὲ ἴδει τὸν μακάριον τὸν τῶν μοναχῶν μεταδιώκειν βίον, καὶ τὴν φιλοσοφίαν τὴν ἀληθῆ, καὶ οὐκ ἔτι ἡμῖν ὁ ζυγὸς οὗτος ἴσος ἦν, ἀλλ' ἡ μὲν αὐτοῦ πλάστιγξ ἐκουφίζετο μετέωρος, ἐγὼ δ' ἔτι ταῖς τοῦ κόσμου πεπεδημένος ἐπιθυμίαις καθεῖλκον τὴν ἐμαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ἐδιαζόμην κάτω μένειν νεωτερικαῖς αὐτὴν ἐπιβρίθων φαντασίαις. « Cum autem oporteret beatam monasticam vitam persequi, veramque philosophiam, nec jam nobis par statera esset, sed illius lanx, utpote levior, sublimis ferretur, ego vero mundanis cupiditatibus impeditus, meam lancem deorsum traherem, et inferius manere cogerem, juvenilibus eam aggravans cogitationibus. » Hic enim pariter νεωτερικὰς φαντασίας usurpavit, ac in expositione loci ad Timotheum, φαντασίας νεωτερικὰς φεῦγε. Auctor *Constitutionum Apostolicarum*, lib. II, c. 1, ex Didascalia, ut videtur, ea quæ Ignatio tribuebatur, docet episcopum non debere esse minorem natu quam annorum quinquaginta, ὅτι τρόπῳ τινὶ τὰς νεωτερικὰς ἀταξίας καὶ τὰς ἔξωθεν διαβολὰς ἐκπεφευγὼς ὑπάρχει. « Quod ea ætas quodammodo jam juveniles petulantias, et eorum qui foris sunt obtrectationes effugerit ; » nisi forte quis dignus sit episcopatu, διὰ τῆς νεότητος ἐν πραότητι καὶ εὐταξίᾳ γῆρας ἐπιδεικνύμενος, in juventute mansuete et composite vivendo senectutem ostendens. Pluribus, opinor, modis explicatio vocis μονήρους, quæ semel tantum in Scriptura reperitur, confirmari non potest : cum, si rem ipsam quæ vetatur, si personam cui datum est præceptum, consideres, si interpretes, si commentatores, si vulgatum vocabuli apud veteres usum spectes, omnes in hac una expositione consentiant atque conspirent. Quod si ea vocis hujus acceptio apud Apostolum recipi omnino debeat, plusquam verisimile est. apud Ignatium nostrum, quem tum in rebus tum in verbis S. Paulum præcipue imitatum esse et nostri fatentur, et adversarii queruntur, eamdem vocem eodem sensu accipiendam esse.

Ut autem hoc dilucidius appareat,locum ipsum, ut apud nostrum exstat, integrum apponam.Ex codice Mediceo in Epistola ad Magnesios hæc transcribimus : Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν Θεοῦ Πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν, καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους, οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν Θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ.Interpres Usserianus : « Sed et vos decet non couti ætate episcopi,sed secundum virtutem Dei Patris reverentiam ei tribuere,sicut cognovi et sanctos presbyteros,non assumentes apparentem juniorem ordinem,sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi. » Primo igitur hunc interpretem habemus consentientem,qui ad ætatem episcopi respiciens, νεωτερικὴν τάξιν, non *novellam institutionem*, sed *juniorem ordinem* vertit. Huic adjungimus interpolatorem sive paraphrasten,qui pro Ignatianis sua hæc posuit, οὐ πρὸς τὴν φαινομένην ἀφορῶντας νεότητα.Vulgatus interpres : «Non propter juventutem quæ in eo videtur arbitrantes eum contemnendum. » Unde occasionem nactus communem locum de prudentia juvenum pro suo instituto latius tractat, et exemplis ex Veteri et Novo Fœdere confirmat. Hos ex veteribus solos Ignatii interpretes habemus, qui totius contextus tenore ducti hunc nobis verborum sensum tradiderunt. Secundo, res ipsa clamat, et hanc interpretationem necessario postulat. Auctor Epistolæ ostendit se vidisse Damam eorum episcopum, et Sotionem ejus diaconum laudat, quod episcopo suo, ut oportuit, subjectus esset. Monet igitur populum Magnesianum, ut illi etiam nolint συγχρᾶσθαι,non nimis familiariter cum eo agant,aut ipsum contemnant, quod videatur junior ætate, sed ut reverentiam ei exhibeant. Urget exemplum presbyterorum,quorum duos secum tunc habuit, Bassum et Apollonium, quosque novit eidem episcopo, quamvis juniori, debitam reverentiam præstitisse.Ostenditjuventutem ejus esse φαινομένην,innuit eum ætate quidem et conspectu juvenem,moribus autem senem fuisse : obedientiam ei præstandam docet,aut potius in eo Deo ipsi,omnium episcopo. Nam ut recte observavit S. Chrysostomus, Apostolus, περὶ μὲν ἐπισκόπων διατασσόμενος οὐδαμοῦ τίθησιν ἐτῶν ἀριθμόν,« de episcopis præcepta dans nullibi annorum numerum statuit,» Orat, *in viduam juvenem*. Hæc omnia ex ipso contextu enata adeo plana,perspicua, sibique cohærentia sunt ; ut nec alium sensum hæc verba aut fundant aut admittant. Neque quidquam habent quod opponant adversarii, nisi quod modum loquendi spectat ; qui si inusitatior videatur,eo minus Ignatianus videri non debuit. Νεωτερικὴν τάξιν de juventute Damæ episcopi intelligi nolunt, quia τάξις ad ætatem referri non potest, ut censet Salmasius Sed ea vox tam latæ significationis est apud Græcos, ut ad ætatem aut quemlibet humanæ vitæ statum sive conditionem referri possit. Quamvis enim τάξις sæpe pro ordine sacro, aut ordinatione ecclesiastica sumatur,non infrequentius tamen ad alia refertur, et quidem ea quæ sacris ordinibus opponuntur. S. Chrysostomus homil.5 *adversus Judæos :* Οὗτος ὁ Ἀβραὰμ ὁ πρόγονος τῶν Λευϊτῶν, τῶν Ἰουδαϊκῶν ἱερέων ἐπὶ τοῦ Μελχισεδὲκ, ὃς ἦν τύπος τῆς καθ' ἡμᾶς ἱερωσύνης, λαϊκοῦ τάξιν ἐπεῖχε. « Hic Abraham progenitor Levitarum, Judaicorum sacerdotum,sub Melchisedech,qui nostri sacerdotii typus erat,laici ordinem,*vel* locum obtinuit. » Idem alibi distinguit τῶν ἱερέων τὸ ἀξίωμα, et τὸν ὑποτεταγμένον καὶ ἐν τάξει λαϊκῶν ὄντα. Eodem modo τάξιν ἰδιώτου dixit, et sacerdotes οἰκονόμων τάξιν καὶ ἐπιτρόπων καὶ ἀγοραίων τινῶν ἀντικαταλλαττομένους. Quotcunque modis homines dividi et distribui possunt,in quotcunque classes redigi,ad tot τάξεις a Græcis referuntur. Ita legimus τάξιν βασιλέως, τάξιν πατέρων, τάξιν διδασκάλων, τάξιν ὁμηρων, τάξιν αἰχμαλώτου, τάξιν πενήτων, τάξιν νομοθετοῦντος, et συμβουλεύοντος, τάξιν θεραπαίνης, et similia. In qualibet autem civitate semper distincti sunt juvenes, viri, senes : et hæ ubique hominum secundum ætatem τάξεις. In duas classes νεωτέρων et πρεσβυτέρων dividunt apostoli populum Christianum in unaquaque Ecclesia,ut I Tim. v, 1 : Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα, νεωτέρους ὡς ἀδελφούς, πρεσβυτέρας ὡς μητέρας, νεωτέρας ὡς ἀδελφάς.« Seniorem ne increpato, sed obsecra ut patrem, juniores ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores. » Ad Titum II, 6 : Πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι, τοὺς νεωτέρους ὡσαύτως. *Senes, ut sobrii sint, juvenes similiter.* Τάξις autem νεωτερικὴ, idem est quod νέων vel νεωτέρων, seu νέου vel νεωτέρου τάξις. Ut cum Plato rempublicam in γεωργοὺς et φύλακας, aliosque divisit, Proclus in Timæum illos γεωργικὴν τάξιν, hanc φρουρητικὴν τάξιν appellat, quæ τὸ γεωργικόν, vel τὸ φρουρητικόν recte dicitur. Nihil aliud hic voluit Ignatius, et satis bene νεωτερικὴν τάξιν Paraphrastes per νεότητα expressit.

Jam vero qui hic non ætatem episcopi,sed novitatem ordinis episcopalis denotari volunt, et rem inducunt ab auctoris mente prorsus alienam ; et ut id faciant totum contextum mire contorquent. Neque enim ipse Ignatius,neque sanus quisquam sub illius persona,de novitate episcopatus disseruisset, in quo ipse jam consenuerat. Quomodo ille episcopatum novellam institutionem esse diceret, et quidem tot annis,ut illi volunt, post omnium apostolorum mortem introductam, qui ordinis episcopalis institutionem semper Deo et Christo tanquam auctori tribuit ? Hoc ipso loco laudat Sotionem quod subjectus sit episcopo, ὡς χάριτι Θεοῦ, *tanquam gratiæ Dei*. Epistola ad Ephesios : οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσί. Vetus interpres : « Ipsi,*vel* episcopi, secundum terræ fines determinati Jesu Christi sententia sunt.» Describit episcopum : ὃν πέμπει οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, « quem mittit Dominus domus in propriam dispensationem, » qui est Christus. Epistola ad

Trallianos, Ἐρρῶσθε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς τῇ ἐντολῇ, « Valete in Jesu Christo, subjecti episcopo, ut Dei mandato. » Si novitatem episcopalis ordinis notare voluisset auctor Epistolarum, cur non alibi potius id fecit? Si novella hæc institutio fuisset, ea objectio tam in Polybio, Onesimo, et Polycarpo, quam in Dama valuisset: et consultius multo fecisset, si tunc eam tollere conatus esset, cum grandior episcopi ætas, cum gravitas et spectata viri prudentia aliquam novello ordini auctoritatem conciliarent. Non tam imprudentem Ignatium, non tam stultum impostorem quis putet, ut populo juventutem episcopi, et presbyteris simul novitatem ordinis episcopalis probare conaretur. Adeo novellæ institutionis mentio ab hujus loci natura et scriptoris instituto prorsus aliena est. Quod adhuc luculentius apparebit, si animadvertamus, quibus cuniculis auctoris sententiam subruant, quibus machinis omnia conturbent, qui novellam hanc institutionem hactenus inauditam hinc extundere conantur. Primo Salmasius observat impostorem suum Ignatium nostrum, dixisse πρεσβυτέριον esse νόμον Χριστοῦ, « quia ex institutione et voluntate Christi introductum est, » Sotionem autem laudesse, quod episcopo subjectus esset, ὡς χάριτι Θεοῦ, « ut gratiæ Dei, quo novam hanc institutionem episcopi presbyteris superponendi Deo etiam placere ostenderet. » Sed quis unquam ex eo ostenderet episcopatum presbyteris primo superimpositum fuisse gratia Dei, quia presbyterium ex lege Dei præscriptum est, episcopatus illo superior ex voluntate hominum introductus, et quidem diu post apostolorum omnium mortem? Aut quis colliget, ex eo, quod quid gratia Dei facium esse dicitur, idem ex voluntate et institutione divina etiam primæva profectum non esse? Salmasium ipsum appello, cujus hæc verba sunt: « Quasi vero ea quæ ex institutione Christi manarunt, non etiam Dei gratiam præferant. » Ea sine omni dubio scriptoris mens fuit, qui episcopalem ordinem, quatenus presbyterio superimpositus est, nunc χάριν Θεοῦ, nunc γνώμην Χριστοῦ, nunc τὴν ἐντολήν appellat, adeoque ex gratia Dei, ex sententia Christi, ex mandato divino institutum fuisse docet. Frustra igitur excogitata est illa distinctio inter gratiam et legem Dei evangelicam. Secundo, adhuc manifestius vim loco infert minime ferendam, dum duplicem ex his verbis petitionem proponit, ut de rebus duabus scriptorem agere, de juventute scilicet episcopi et novitate episcopatus doceat. Unam petitionem ad plebem, aliam ad presbyteres dirigit. « Petit, » inquit, « a plebe, ut non nimis familiariter cum episcopo agat, quod videatur junior; petita presbyteris, ut sine præjudicio approbandæ et recipiendæ novellæ hujus institutionis honorem ei deferrent. » Ita Epistolam duplici nomine petitoriam proponit, cum ne una quidem hic petitio sit, nedum duæ. Non petit Ignatius quidquam a populo, sed docet quid eos deceat; ὑμῖν δὲ πρέπει, inquit, μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, indecorum esse ostendit, ut episcopo suo, quamvis juvene, familiariter utantur; tantam ei officio dignitatem attribuit, ut ob personam evilescere non debeat. A presbyteris nihil omnino petit: quod eorum officium in hac re sit, ne docet quidem, quod eos satis ad hoc præstandum promptos et alacres esse novisset. Eorum igitur exemplum plebi proponit, æquissimum esse judicans, ut illi populus cum omni reverentia subjiceretur, cui presbyteri sine ulla excusatione parerent. Hoc autem sibi probe cognitum esse profitetur, qui non tantum Damam episcopum cum Sotione diacono ejus, sed et Bassum, et Apollonium presbyteros secum, tunc cum scriberet, habuit; a quibus probe intellexit quam episcopo suo presbyteri reverentiam exhibuerint: unde per totam Epistolam nunquam presbyteros monet ut episcopo suo, sed populum tantum, ut et episcopo et presbyteris, utpote optime consentientibus subjecti sint. Nihil igitur a presbyteris petit: ne minima quidem vocula est, quæ ullam speciem talis petitionis aut exhortationis præ se ferat. Qui rem novam sententiæ inferre voluit, novam petitionem excogitavit, sine qua ea inferri nullo modo potuit. Sed Ignatius unicam exhortationem ad populum persequitur, quam exemplo presbyterorum premit urgetque. καθώς, inquit, ἔγνων, quemadmodum cognovi presbyteros animatos esse, ita et vos animati sitis. Nulla igitur arte populum aggreditur Ignatius, multo minus alia populum, « alia presbyteros arte aggreditur, » ut vult Salmasius, quos ex ipsorum conversatione novit ad reverentiam episcopo exhibbendam satis sponte sua ferri. Adeo misere hunc locum torsit Salmasius, ut ad suam sententiam eum traheret. Neque mirum. Totum enim illud ædificium, quod ipse cum Blondello, de successione proximi presbyteri in locum seu primatum decedentis, exstruxerat, hoc uno testimonio subruitur, et funditus evertitur. Ubi enim illa successio primi secundum institutionem presbyteri in locum defuncti, ubi Lamas, ætate junior, toti presbyterio præficitur? Unde tanti privilegii usus apparet, cum ipsi presbyteri ei rei tam prompte consentirent?

Miror autem Dionysium Petavium, qui Salmasio adeo adversatus est, eum tamen in hac interpretatione duorum vocabulorum secutum esse, et ad novam conjecturam inde confugisse. Νεωτερικὴ τάξις, inquit ille, novitia et recens est ordinatio et institutio. Per illam autem non intellexit institutionem ordinis episcopalis cum Salmasio, sed aliam, quam ipse commentus est; illam nempe « quæ commoveri et jactari tum cæperat, nonnullis per ambitionem et cupiditatem introducere molientibus; nimirum, ut episcopatus non libera electione ab iis, quorum intererat, sed ex ætatis vel temporis antecessione, quo in clerum erant assumpti, ut non dignissimus quisque, sed antiquissimus caperetur. » Ita duo magni viri ex diametro oppositi sunt. Ille hanc antiquam institutionem putat, hic novitiam: ille ab apostolicis temporibus deductam, hic non tam per

tionem introductam,quam a presbyteris,dum A nescio qui eam introducere conarentur, repu- iam. Sed talem institutionem aut unquam obti- isse,aut tunc repudiatam esse neuter probat. iotheum Ecclesiæ Ephesinæ, et Damam Magnenæ juniorem præpositum fuisse fatemur : sed inam illi fuerint,qui « ut antiquitatis ratio præ- pue duceretur per ambitum et factionem pugna- int,» nondum intelligimus. Nam quod ejusmodi iisse contentionem illam credat Petavius, quæ a lemente epistolam ad Corinthios expressit,id sine illo fundamento dicitur.Illi enim « unus et alter » si se præteritos esse doluerint, tam juniores quam seniores esse,tam pro merito quam pro ætate pugnare potuerunt. Quicunque autem fuerint, eos ipse non de episcopatu, sed presbyteratu contendisse fatetur, et conjecturam suam Salmasiana verisimiliorem tantum esse dicit, pro veritate ejus asserenda nihil affert. Sed video unde in tantam incertitudinem,tamque improbabilem conjecturam inciderit vir doctissimus. Verba illa Ignotiana οὐ προσειλῆφοτας male cœpit.*Omnino*,inquit,« presbyteros repudiasse nec adminisse illud asserit,quodcunque tandem νεωτερικὴν τάξιν appellat, » Cum igitur nec juventutem, nec episcopalem ordinem repudiaverint Magnesii, ut ex ipso loco constat; aliud aliquid excogitandum putavit Petavius, quod ab illis repudiatum est, quodque νεωτερικὴ τάξις vocari posset. Et omnes quidem qui νεωτερικὴν τάξιν *novellam institutionem* reddunt, in illa voce προσειλῆφότας explicanda hærent. Καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους, οὐ προσειλημφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν Θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ, sic reddit Salmasius : « Sicut cognovi presbyteros, non ut accipientes eam,quæ nova apparet, institutionem, sed tanquam prudentes in Deo,cedentes ipsi.» Ubi primo καί particulam omittit, ut explicationi suæ inimicam, quod ea ostendat scriptorem de eadem re loqui, cum presbyterorum exemplum proponit, de qua populum monuerat, scilicet, de ætate episcopi : aliter enim καθὼς καί exponi non possunt. Secundo, veculam *ut* de suo addidit; vidit enim, *non accipientes,* hic locum habere non posse. Theseos Capellianæ auctor aliter versionem suam temperavit: « Quomodo censeo sanctos presbyteros; si minus recipiant novellam istam quæjam est institutionem,saltem tanquam prudentes in Deo cedant episcopo,» ut, cum omnia confuderit, nihil dicat. Petavius a versione caute abstinuit, hæc observatione contentus, presbyteros τὴν νεωτερικὴν τάξιν repudiasse. Mira hæc sane interpretatio illius, qui profitetur Ignatium iisdem verbis presbyteros *plebi proponere imitandos*. Sed hi,quid sit προσειλημφότας, hoc loco non viderunt. Patricius Junius legit οὐ προειλημφότας,, *non præoccupato animo respicientes*,haud male; sed ut litteram omitteret,opus non erat.Suidas, Προσειλήφεσαν, ὑπέλαβον, ἐνόουν. Nihil aliud hic προσειλημφότας, quam νοήσαντας sonat. Ita igitur verto, οὐ προσειλημφότας, « non cogitantes. non considerantes, non respicientes. » Ut Paraphrastes, οὐ πρὸς τὴν φαινόμένην ἀφορῶντας νεότητα. Non enim hic Ignatiana *miserrime pervertit* ille, ut vult Salmasius, sed fideliter et plane explicat.

Quare, cum hæc ætatem Damæ Magnesiorum episcopi tantummodo respiciant, cum auctor Epistolarum ubique episcopatum a Christo institutum esse significet, cum Christanos omnes, etiam presbyteros, quos a Deo institutos fuisse docet, ut episcopo pareant constanter moneat, cum omnes qui illi jam ipsis superimposito refragantur, mala conscientia premi, et diabolo inservire ostendat; palam est. hunc locum de novella episcopatus in- B stitutione intelligi non posse. Ant si quis sit qui adhuc dubitet, an hæc omnia ad ætatem Damæ referri debeant; eum omnino oportet νεωτερικὴν τάξιν de recenti, non episcopatus seu officii, sed hominis seu episcopi ordinatione interpretari ; nisi velit scriptoris instituto aperte contradicere. Fateor enim vocem νεωτερικὴν de re aliqua recenti, seu moderna usurpari posse. et satis quidem origini suæ congrue. Ut de Hierace Epiphanius, hæresi 67: ψαλμοὺς πολλοὺς νεωτερικοὺς ἐπλάσατο. *Psalmos complures recentes*, seu *novitios confinxit*. Et qui ita hunc scriptorem intellexerit de ordinatione Damæ recenter facta, doctrinam Ignatianam alibi copiose explicatam haud violabit ; sed quam congruum huic loco sensum ea interpretatione tribuere C possit, ipse viderit. Vox enim illa φαινομένην præter alia superius adducta mihi postulare videtur, ut νεωτερικὴ τάξις ad ætatem referatur. Denotat enim sine dubio aliquid quod ex conspectu Damæ apparebat ; ut ostenderet eum vultu juvenem, moribus virum. Quo etiam illa, τὸν ἐπίσκοπον τοῦτον τὸν βλεπόμενον, quæ statim in eadem periocha sequuntur, spectant.

Dum hæc, opere penitus finito, Lector benevole, scribo, pervenerunt ad manus meas, « SS. Patrum qui temporibus apostolicis floruerunt Opera, » a Joanne Baptista Cotelerio, societatis Sorbonicæ theologo doctissimo, edita. Quo libro conspecto, hisce temporibus non potui non serio gratulari, quod etiam in Ecclesia Gallicana, libertatibus suis optime usa, theologi ex omni ordine maxime eru- D diti non tantum pro veris antiquæ Ecclesiæ monumentis strenue concertent, sed et de libris spuriis et suppositiis, qui hactenes muudo imposuerunt, et suavi vetustatis somnio animos hominum deliniverunt. sine omni partium studio judicent ; quod post Sirmondum, Petavium, Petrum de Marca, Morinum, Launoium, post Valesium, Huetium aliosque complures, etiam Cotelerius candide de his rebus pronuntiet, eruditorum inter nostros virorum diligentiam sæpe probet, eademque cum libertate omnia discutiat. Unde spes est, aliquando fore, ut dogmatibus ecclesiasticis major lux affulgeat, controversæ in scholis agitatæ, pudendo im-

postorum patrocinio nudatæ, et ficta antiquitatis larva spoliatæ, æquius tandem et sedatius terminentur, animique hominum ea, qua par est, reverentia primitivam Ecclesiam, sua simplicitate conspicuam, nec alienis coloribus depictam, aut potius deformatam, prosequantur. Inter hæc B. Ignatii Epist. etiam notis Cotelerii illustratæ prodierunt: quas jam ad editionem nostrorum festinans, avide, quantum per temporis angustias licuit, percurri. Video autem, nisi me festinatio fefellit, viri doctissimi sententiam cum nostra plane conspirantem; idem de Ignatianis judicium, eamdem de argumentis adversariorum opinionem, similem fere locorum explicationem deprehendo. Unde mihi haud male augurari videor, sententiam nostram viris doctis, et in hoc litterarum genere optime versatis approbatum iri, eosque statim judicaturos, me nihil in his molitum esse, quod non aliis eadem tractantibus veritati maxime apertissimeque consentaneum prima facie videatur. Quod si ea quæ obiter tractavi, et in tui potissimum gratiam, Lector benevole, dissertationibus inserui, (qualia haud pauca in nostris invenies) aut minus recte aut minus accurate dicta judicaveris: nolim ea cum causæ susceptæ injuria coujungas, sed desiderio potius tibi placendi imputes. *Vale-*

VINDICIÆ IGNATIANÆ

PROŒMIUM.

De ortu, progressu et hodierno statu controversiæ.

CAPUT PRIMUM.

Occasio scribendi et Proœmii distributio.

Celebris est, hoc præsertim sæculo, de ordinis episcopalis a presbyteratu distinctione, vel saltem distinctionis origine controversia. In ea autem tractanda magni ponderis merito habita est S. Ignatii viri apostolici et martyris auctoritas; cujus disertissimo locupletissimoque testimonio cum episcopalis causa fulciatur, et paritatis presbyteranæ antiquitas nuper excogitata concidat; eo tandem deventum est, ut qui aliter sententiam episcopatui iniquiorem tueri nullo modo possent, omnes Ignatii epistolas convellerent, a S. martyre scriptas negarent, fictas et suppositicias pronuntiarent.

Inter hos vir doctissimus, Joannes Dallæus, in *SS. Patrum* monumentis diligenter versatus, in discernendis operibus spuriis admodum acutus, post velitationes Salmasii, atque Blondelli, librum nuperrime edidit satis prolixum, quo Epistolas Ignatii etiam purgatissimas maximeque sinceras, et veterum auctoritate munitas et propria præstantia conspicuas, quamplurimis argumentis videtur sibi, suisque, ut opinor, adulterinas probasse, et doctissimorum virorum, archiepiscopi Armachani, Isaaci Vossii, et doctoris Hammondi rationes omnes, sane firmissimas, diluisse.

Hujus viri præstantissimi stupendæ diligentiæ cum et Ignatii sanctitae, et episcopatus neeessaria auctoritas, et his maxime iniqua adversarii fama atque celebritas ut aliquid reponatur efflagitent; operæ pretium esse duximus dissertationem totam, quanta quanta est, ad examen vocare, rationes momento suo ponderare, singula quæ nos et Ecclesiæ SS. Patres ullo modo spectant excutere, omnia quæ auctoritatem S. Ignatii confirmare possint expo nere, quæ labefactare videantur, refellere et refutare.

Cum autem hæc quæstio multis jam modis implicata et involuta, doctisque plurimorum lucubrationibus facta sit obscurior; ut ea quæ dicturi sumus dilucide perspicueque tradantur, visum est imprimis necessarium, illa præmittere, quæ difficultatis rationes expediant, quæ sententias virorum doctorum explicent, quæ ortum, progressum, et præsentem controversiæ statum enarrent, et inutili altercatione præcisa, ad futuram disputationem faciliorem aditum patefaciant.

Ignatium fuisse Antiochenæ Ecclesiæ episcopum, agnoverunt quotquot illius mentionem fecere: ab apostolis ordinatum diserte tradiderunt S. Chrysostomus et Theodoretus. Hunc apostolicum virum, ab Antiochia Romam tractum, bestiis oblatum, ac martyrio coronatum testantur veteros; epistolas scripsisse ad Ecclesias præsertim in itinere, produnt antiquorum plurimi, negavit aut dubitasse se dixit eorum nemo. Et sanctissimi quidem martyris justissima existimatio etiam hactenus illibata et intemerata permansit; de epistolis tantum, quæ sub illius nomine prodierunt, et ad nostram usque ætatem perduraverunt, lis est. Neque de illarum auctoritate, si Ignatianæ fuisse appareant, disputatur: sed an revera ipsius Ignatii fuerint quæritur.

Ut autem origo, progressus, et præsens hodiernæ controversiæ status, etiam iis qui hactenus eam minus attente considerarunt, innotescat; rem omnem (quod a nemine adhuc factum esse video) clare et fideliter proponam. Sententias doctorum virorum, cujuscunque opinionis fuerint, eo ipso ordine quo scripserunt referam, editiones Epistolarum e mss. erutarum varias, et a se quoquo modo discre-

pantes, sigillatim notabo : ut simul et qualis Ignatius epistolicus eo tempore, quo quisque scripsit, apparuerit, perspectum habeat lector, et de unius cujusque sententia judicium ferat nullo præjudicio occupatus. Denique quæ sit Dallæi, postremi Ignatianorum hostis, sententia referam ; quæn ostra, ex adverso exponam, et quid a me probandum, quid refellendum sentio breviter declarabo.

CAPUT II.

Prima Ignatii editio Latina tantum. Epistolæ ejus pro genuinis habitæ.

Sub Ignatii nomine primo tres epistolæ in lucem editæ sunt Parisiis Latine tantum, anno Domini 1495, ad B. Mariam una, ad S. Joannem apostolum duæ. Anno 1498, undecim Epistolæ aliæ, Latinæ pariter, ex veteri versione, nondum comparente exemplari Græco, a Fabro Stapulensi typis sunt impressæ. Hæc autem princeps editio fuit, teste Philippo Labbeo, qui has undecim epistolas tunc excusas inter primas editiones numerat, quæ in Regia Bibliotheca Parisiis asservantur. Tum vero Symphorianus Champerius Lugdunensis, has a Fabro editas cum tribus aliis ab illo rejectis, et quarta ad Mariam Cassobolitam nunquam ante publicata, edi curavit ; atque ita tandem quindecim Ignatii epistolæ exstiterunt.

Et hæc quidem facies S. Ignatii sub initio decimi sexti sæculi fuit ; cum ipse Faber Stapulensis, primæ editionis curator, ejus auctoritate tanquam indubitata, in libello *De triduo Christi* utitur. « Tametsi mihi impossibile sit ex me ad illam intelligentiam penetrare ; eam tamen in hac re esse puto, quam deifer Ignatius in prima epistola, quæ est ad Trallianos, aperit de Domino sic loquens : » Ante vero solis occasum de cruce depositus est, etc. Joannes etiam episcopus Roffensis, libello cui titulus, *Petrus fuit Romæ*, inter primos has epistolas citavit ; « Ignatius autem et ipse contemporaneus apostolis, Christum cum esset annorum triginta fuisse baptizatum putat, et tres annos ultra docuisse. Sic enim Epistola ad Trallianos scribit. Triginta annos agens Christus baptizatus est a Joanne, et tribus annis prædicavit Evangelium. » Quinetiam Joannes Driedo celebris ea ætate theologus, libro *De dogmatibus ecclesiasticis et apocryphis*, quamplurima Romanæ Ecclesiæ dogmata, longa sententiarum serie ex Epistolis Ignatii petita confirmare nititur. Et Martinus Peresius Aiola, scriptor inter pontificios non ignobilis, inde testimonia sæpissime adhibuit ; et ad confirmandas traditiones non scriptas omnes has epistolas defloravit, Hæc quidem illi. hactenus de auctoritate Ignatianorum plane securi : neque enim quemquam novi, qui ea ætate de duodecim præsertim Apistolis dubitavit.

CAPUT III.

Epistolæ Ignatii primum Græce editæ. Doctorum virorum varia de ipsis judicia.

Atque hæc breviter de hominum judicio, quandiu Latine tantum exstarent hæ Epistolæ. Post autem sexaginta annos, Andreas Gesnerus, si ipsi credendum sit, epistolas duodecim Græce, interprete Joanne Brunnero. primus omnium edidit, a. D. 1559. Ita enim in Præfatione loquitur : *Ignatium vero cum ille* (Henricus Petri scilicet) « Latine tantum ediderit, ego Græcum exemplar ms. nactus ex Bibliotheca cl. v. piæ memoriæ D. Gaspari Nydpryck, existimavi neque Henrico Petri molestum, studiosis autem plerisque gratum fore, si ea quæ hactenus Latine tantum circumferebantur Græce simul et Latine a me fuissent edita. » Sed quidquid dixerit Gesnerus, ante eum S. Ignatium Græce ex Augustanæ Bibliothecæ exemplari Valentinus Pacæus publicaverat, a. D. 1557, quem primum in lucem eas edidisse testatur Morellius, qui easdem Parisiis recudendas curavit a. D. 1558. Eamque a Pacæo procuratam principem esse Græcarum Epistolarum editionem, fidem, faciunt illa Centuriatorum Magdeburgensium : « Est et hoc adnotandum, quod hoc anno 1558 Epistolæ Ignatii Græce sint impressæ et publicatæ quæ hactenus per aliquot sæcula latuerunt. Quare duodecim epistolæ ante a Stapulensi aut Champerio Latine. nunc a Pacæo, ex Augustano primum, dein a Gesnero e Nydprucciano codice editæ sunt.

Cum jam Græca exemplaria exstarent, primi omnium Centuriatores Magdeburgici suspiciones suas, sed caute satis moderateque proponunt. « Lectori autem pio et attento considerandum relinquimus, quantum sit illis Epistolis tribuendum » Ita illi : et cum quatuor argumenta adduxissent quæ merito suspectas reddere viderentur, *De doctrina*, inquiunt, « Ignatii nihil aliud habemus nisi quod hæc ejus monumenta, si tamen ejus sunt, complectuntur. » Quinetiam statim gravis illa Joannis Calvini censura prodiit, lib. I, cap. 3 *Institutionum*, jam tum in commodiorem formam redactarum. « Ignatium quod obtendunt, si velint quidquam habere momenti. probent apostolos legem tulisse de Quadragesima, et similibus corruptelis; nihil enim næniis illis, quæ sub Ignatii nomine editæ sunt, putidius. Quo minus tolerabilis est eorum impudentia qui talibus larvis ad fallendum se instruunt » Ita ille pro more suo acriter satis et animose. *Nec tamen offendit Calvinum Ignatius, sed ii qui Ignatium corruperunt*, inquit Rivetus : quod recte ab eo observatum tradit in academia Genevensi professor Vedelius ; et res ipsa satis indicat ; auctoritatem enim Ignatii rejecit Calvinus ab Antitrinariis objectam, ex Epistola sine dubio ad Tarsenses, quæ pro genuina non agnoscitur, et Quadragesimam aliasque traditiones objicit, quæ in assumentis tantum inveniuntur.

Tum Marianus Victorius in S. Hieronymum : « Recte [Ignatium] apostolicum vocat virum ; vixit enim apostolorum tempore, et Joannis Evangelistæ discipulus fuit, scripsit litteras ad sacratissimam virginem, Dei Genitricem Mariam, et alias quæ exstant. » Ac statim etiam ex Lutheri schola celebris Theolo-

gus, Martinus Chemnitius, in Examine concilii Tridentini, harum Epistolarum testimoniis sæpe utitur, eisque multum tribuit *Ignatius vero*, inquit, « auditor Joannis, in Epistola ad Philadelphenses de cælibatu et conjugio more prorsus apostolico loquitur. » Et alibi non sine censura laudat. « Ignatii Epistolas exstitisse non tantum Eusebii, verum etiam Hieronymi tempore, certum est. Feruntur nunc Latine : sunt editæ etiam Græce ; et multas habent non contemnendas sententias, præsertim sicut Græce leguntur. Admista tamen sunt et alia non pauca, quæ profecto non referunt gravitatem apostolicam » Et rursus : « De Epistolis igitur illis Ignatii quæ nunc ejus titulo feruntur, merito dubitamus : transformatæ enim videntur in multis locis ad stabiliendum statum regni pontifici : Et divinitus judico esse factum, quod adulterina quædam assumenta suo se indicio prodant. » Primus enim, ut opinor, observavit, locum ex Epistola ad Smyrnæos citatum a Theodoreto, nec in Græcis codicibus nec in Latinis reperiri, quamvis a Gulielmo Widefordo pariter citatus sit ; et loca plurima ex Apostolicis constitutionibus Epistolis Ignatii esse assuta. Post quem Petrus Canisius, vir eruditus, ad confirmationem catechismi testimonio Ignatii ex veteri interprete creberrime utitur.

Centuriatores et Calvinum, quod Ignatium tam parvi penderent, perstringit una sententia Campianus, ratione quinta « Centuriatores vehementer offendit Ignatius ; offendit et Calvinum, ut in ejus Epistolis deformes nævos et putidas nænias hominum quisquiliæ notarint » Defendit statim Calvinum Whitakerus, quud Ignatium *ab hæreticis introductum tanquam improbæ et detestandæ sententiæ patronum repulerit ;* ipse Epistolas *obscuræ dubiæque fidei* esse notat, « quod plures Ignatio nunc ascribantur, de quibus Eusebius et Hieronymus non meminerunt, et quod ejus quoddam dictum recitet Hieronymus aliudque Theodoretus, quod in istis quæ circumferuntur Epistolis nusquam reperitur. » Et de posteriori argumento a Duræo sollicitatus : *Ex eo*, inquit, *Ignatii scripta parum integra superesse constat.* Ac mox Bellarmino respondens, ex duodecim Ignatii Epistolis Græce exstantibus septem tantum memoratas Eusebio et Hieronymo animadvertit, *de quibus*, inquit, « quid statuamus, num sint Ignatii, an alterius cujusquam, non satis constat, constat autem quinque esse sine dubio spurias et adulterinas. » Eidem Campiano respondens Laurentius Humfredus, notat « Magdeburgenses moderatissima oratione prudentissime monuisse, haberi quædam in hisce Epistolis Ignatii, quæ ad deformes nævos declinare videntur ; et quædam abrepsisse in Ignatii scriptis adulterina non ferenda » asserit ; « quæ si rejicit Calvinus, non statim dicendus est aut iniquus censor Ignatii, aut opera Ignatii omnia tanquam putidas nænias reprobare ; quandoquidem ea solum quæ culpanda sunt in supposititio Ignatio pervellit. » Ipse autem aliquid Epistolis resectum, aliquid assutum esse autumat.

Interim reverendus admodum Whitgiftus in Ecclesiæ nostræ controversiis Ignatio multum tribuebat ; et schismaticorum coryphæus Thomas Cartwrightus ejusdem auctoritatem defugiebat, et Calvinum sequi professus, aliaque argumenta ex proprio penu suppeditans negabat auctorem Epistolarem fuisse illum apostolorum discipulum ; quod et ejus sequaces fecere, quoties aliquid ipsis objectum est, cui respondere aliter non potuerunt : quoties autem ad presbyterium confirmandum aliquid facere videbatur, ejus auctoritate libenter frequenterque utebantur. De quibus graviter conqueritur Lous : « Epistolas tuas, sanctissime Ignati, adulterinas esse contendunt. In id enim impudentiæ diverticulum in non se receperint, adulterata penitus et turpissimis sordibus aspersa eorum doctrina habeatur : » et gravissimus prudentissimusque Bancroftus, « Ad morem Genevensium Ignatius loqui debet ; aut si plus quam velint urgeas, pauperculus antiquus Pater iste tanquam fictitius et homo vanus jure rejicitur. »

Tum vero eminentissimi duo cardinales, Baronius atque Bellarminus, ita judicabant. Baronius caute primum distinguit inter epistolas Latine tantum exstantes, et eas quæ Græce etiam prodierant ; priores nullius auctoritatis esse innuit : posteriores omnes avide amplectitur, incorruptas et integras esse pronuntiat, easque miris effert laudibus. Non enim septem tantum Eusebio cognitas, sed et quinque reliquas. *Ignatii esse germanas, easdemque sincerissimas, nemo jure*, inquit, *poterit dubitare.* Bellarminus notat Latinas tres, *gravitatem eloquii S. Ignatii omnino non redolere ;* quinque Eusebio incognitas « ob styli similitudinem et spiritum vere apostolicum, a viris doctis omnino recipi ; non esse magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc exstant, quando discrepant a Latinis ; sæpe enim emendatiores inveniri codices Latinos quam Græcos ; quod verum, inquit, esse intelliget, qui conferet testimonia quæ ex Ignatio citant S. Athanasius et Theodoretus, cum verbis ejusdem Ignatii, quæ nunc habemus in codicibus Latinis et Græcis. »

De Epistola ad Tarsenses primo dubitat Faustus Socinus, his verbis, responsione ad Wiekum : « Atque hoc ipso argumento ad hoc ipsum probandum videtur uti Ignatius, aut quisquis fuit auctor illius epistolæ quæ sub ejus nomine ad Tarsenses inscribitur ; » et sententiam suam liberius de omnibus profert animadversione ad assertionem septimam Posnanensium. *Ignatii scripta partim adulterina, partim admodum corrupta et additamentis quibusdam coinquinata ; adeo ut eorum quoque in ipsis fiat mentio, quæ non nisi post aliquot sæculo exstiterunt.* Et licet Latinum Ignatii exemplar tantummodo tunc temporis vidisset, et *missarum* voce offensus ista scriberet ; nactus tamen postea Græcum codicem, sub eum locum aliter se habere invenit, sententiam non mutavit. *Non desunt tamen*, inquit, « in ipso Græco exemplari quædam, quæ non cum Ignatii sæculo, sed cum succedentibus conveniant, » et tandem in

hunc modum concludit ; « Fuit, nimirum, liber iste » Epistolarum Ignatii, « quandocumque id factum fuerit, ab iis partim depravatus, partim etiam consarcinatus, qui tyrannidem episcoporum, non in Ecclesiam tantum, sed in rempublicam quoque, contra omne jus fasque, invectam, vehementer probabant, ac stabilire volebant. » Ita ille in defensione prioris animadversionis.

Paulo post Rodolphus Hospinianus Tigurinus *Historiæ sacramentariæ* l. II, c. 1, Ignatium nostrum tanquam testem locupletissimum laudat. « Cum post apostolorum tempora hæretici turmatim erumperent, et sinceræ apostolorum doctrinæ impudenter contradicerent, Ignatius, unus ex senioribns, cum Antiochia Romam captivus traheretur, bestiis objiciendus, fidelis ac solliciti pastoris officio fungens, in itinere multas Ecclesias tam viva voce, quam epistolis confirmavit; admonuitque ut ab hæreticis et clandestinis seductoribus caverent; qui clam, insciis episcopis, sese insinuantes, simplicem plebeculam seducebant, et privata cogebant conventicula. Inter cætera autem Smyrnenses quoque adhortatus. » Non licet, *inquit*, sine episcopo, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque aliquod aliud publicum officium obire. « Et in Epistola ad Trallianos dicit infideli deteriorem esse, qui audeat aliquid circa altaris ministerium facere, nisi episcopus, aut presbyter fuerit. » Et paulo post locum de poculo eucharistico universis distributo ex Epistola ad Philadelphenses adductum appellat « apertum testimonium Ignatii, qui Joannis Evangelistæ discipulus fuit. »

Perkinsius autem nostras Whitakerum interim in hunc modum sequitur ; « Eusebius cum Hieronymo septem Ignatii pro veris numeravit epistolas: at nunc sub illius nomine habentur duodecim, quarum quinque spuriæ sunt. Etiam Epistola ad Ephesios aut spuria est, aut saltem corrupta ; quia locus a Theodoreto et Gelasio ex illa citatus in nostris exemplaribus non invenitur.

Thomas Bilsonus nostras, vir magni in Ecclesia nominis, de perpetua gubernatione Ecclesiæ scripsit fuse atque erudite, S. Ignatium autem in eo opere ut indubitatum auctorem frequenter laudat, et dum in vivis esset, eas ipsas epistolas, quas citat, scripsisse sanctissimum illum martyrem affirmat. Hunc tamen Parkerus ut dubitantem frustra et falso producit, doctissimumque præsulem mire calumniatur. *Thomas*, inquit, « Bilsonus in canonibus apostolorum fidentior est quam in Ignatio. Observa eamdem notam inussisse Ignatio, quam canonibus, laudem vero vetustatis attribuisse canonibus, quam Ignatii epistolis non attribuit, cum dicit : » Canones qui dicuntur apostolorum, « aperte innuit eos ipsorum apostolorum minime esse, sicuti alibi aperte docet, pari ratione, cum dicit : » Epistolæ quæ feruntur Ignatii, *eas Ignatii non esse subinsinuat*. At hæc mera est calumnia, quæ proximis episcopi verbis clarissime refutatur. Statim enim addit : « Ignatius quippe, eorum episcopus, adhuc vivus erat, et eas litteras conscripsit. » Epistolæ igitur Ignatianæ, judice Bilsono, et ipso vivo, et ab ipso sunt conscriptæ. Qui ejusdem oneris capite 14 earum antiquitatem diserte asserit : cum enim Tertullianum, Cyprianum et Hieronymum nominasset : *Si hi*, inquit, « satis antiqui vel sinceri vobis testes non videantur, audite quid Ignatius, Antiochiæ episcopus, Joanne apostolo etiamdum in vita manente, ejusque discipulus, post quam octo fere annis martyrio affectus est, ad diversas Ecclesias de episcoporum auctoritate scribat. » Ita Bilsonus locis quamplurimis S. Ignatium, ut antiquissimum et sincerissimum testem adducit.

Abrahamus Scultetus, in *Medulla Patrum*, propositis ex utraque parte rationibus, et eorum qui Ignatio has epistolas tribuebant, et eorum qui an recte ei tribuerentur dubitabant, tandem ita pronuntiat : « Rationibus in omnem partem probe diligenterque excussis, in tertiam nonnulli secesserunt sententiam, statueruntque esse quidem epistolas hasce Ignatii, sed adulteratas, sed interpolatas. Quorum in judicio et nos acquiescimus ».

Possevimus autem adhærens Baronio : *Licet S. Hieronymus*, inquit, « tantum meminerit septem epistolarum, duodecim tamen haud dubiæ fidei habemus. Quæ vero tres aliæ feruntur, etsi non tam certæ fidei sunt, citantur tamen a S. Bernardo ; nec defuere post illum viri docti, qui ipsarum meminerunt. » Et Jacobus Gretserus eadem presse sequitur vestigia de duodecim epistolis genuinis ; quarum Vindicias ab eodem scriptas alicubi latere testatur se audivisse Philippus Labbæus.

Tum vero Martialis Mestræus, doctor Parisiensis qui Ignatium ipsum edidit et notis illustravit, tres Latinas in *Commeniationum apocrypharum* numero collocat ; reliquas duodecim *germanas et vere aureas Ignatii Epistolas* prædicat, sed « ab hæreticis et a Græculis posterioribus alicubi interpolatas et depravatas » fatetur.

Georgius Dounamus nostras, vir doctissimus, sæpe schismaticos et sui et prioris sæculi accusat, quod nunc Ignatii testimonia in sua causa urgent, nunc epistolas ejus tanquam spurias rejiciunt ; et septem illas ab Eusebio memoratas doctas et pias appellat ; quas vel ideo rejici non posse ait, quod ab Eusebio memorentur.

Inter Socinianos Hieronymus Moscorovius de vera harum epistolarum antiquitate dubitasse haud, videtur, cum in refutatione Appendicis Martini Smiglecii hæc habeat : « Verum ne hoc quidem verum est ; primorum sæculorum Patres eum, quam ipsi profiteantur, sententiam prodidisse, Nam Ignatius, Patrum apud Latinos, quorum quidem scripta exstant, vetustissimus, apertissime fatetur in Epistola ad Tarsenses, quod Christus non sit ille qui est super omnia Deus, sed Filius ipsius.

Isaaci certe Casauboni, veterum scriptorum peritissimi judicis, sententia in hac etiam causa maxime notanda. Quare Parkerus hunc inter eos numerat, quos omnes Ignatii epistolas fictitias docuisse

vult: sed hoc et sublesta fide tradit, et levissimo argumento suadere conatur, quod Casaubonus de prisca Ecclesiæ disciplina locutus, Cyprianum testem adhibuit, Ignatium non nominavit : cum in Exercitationibus Baronianis S. Ignatium sæpe laudet, et nonnullarum ejus Epistolarum antiquitatem novis rationibus se tuiturum polliceatur; quas præmatura viri maximi morte ereptas nobis fuisse dolemus.

«Sed unus quidam vir, cætera doctissimus,» ut testatur Vedelius, «extra omne dubium ponit suppositionem harum epistolarum : imo dicere non veretur Ignatium nullas unquam epistolas scripsisse.» De hoc viro doctissimo altercantur doctores duo, Owenus et Hammondus; quem quasi nec nomine nec scripto notum producunt, et quem *Anonymum ineditum* Hammondus vocat. Ne igitur numerus Ignatii hostium augeatur, et præter eos quorum scripta novimus, alius aliquis, isque doctissimus, epistolas hasce penitus repudiasse censeatur, ineditum illum in lucem potrahendum, et svum anonymo nomen reddendum esse duximus. Est autem ille extra omne dubium Robertus Parkerus, schismaticus Anglus. Omnia enim quæ Vedelius a viro illo *cætera doctissimo* dicta profert, in Parkeri libro secundo *De politica ecclesiastica* capite decimo tertio reperiuntur. «Ego vero Epistolas Ignatii a nemine unquam ante concilium Nicænum citatas dico,» inquit Parkerus; quæ verba viro suo doctissimo tribuit Vedelius; et cum his opponat testimonium Irenæi : *Excipitur*, inquit, «a viro doctissimo primo, ab Irenæo etiam Hermæ Pastorem» citari, quem tamen sub persona Hermæ fictum agnoscunt omnes.» Verba sunt Parkeri. *Secundo excipit*, inquit Videlius, «Irenæum non allegare epistolam aliquam Ignatii, sed tantum dictum quoddam illius, quod tum circumferebatur. Et id inde probat, quia non utitur voce,» scripsit *sed voce*, dixit. Sunt autem et hæc Parkeri. « Tertio, ait vir doctissimus, inde patere epistolas has tum temporis non exstitisse, quod Patres, et nominatim Epiphanius, adversentur Ignatio, tempus baptismi Christi post annum trigesimum expletum collocanti » Hæc Videlius ex Parkero. Denique virum doctissimum putare ait Casaubonum omnes Ignatii epistolas rejecisse, quod Parkero, neque alii cuiquam, tribui potest. Non est igitur alius Videdii vir doctissimus quam Robertus Parkerus nostras, schismaticorum coryphæus; quem Vedelius cum refutare vellet, et Genevensis disciplinæ summum patronum fuisse nosceret, honoris causa nominare noluit. Hic autem Parkerus tredecim rationibus epistolas Ignatii fictitias esse probare conatur : cujus conjecturis Dallæi disertation maxime locupletata est.

Post hunc Robertus Cocus etiam nostras edidit «Censuram quorumdam scriptorum veterum.» quem suæ de Ignatio censuræ hunc titulum præscripsisse, *Ignatii epistolæ sunt supposititicæ*, observat Dallæus. Et ita quidem Titulus, sed Censura ipsa aliter loquitur. «Non desunt argumenta valida, quibus omnes vel supposititicas, vel fœde corruptas probari possit.» Et rursus : «Verum, ut concludam paucis, certo certius est, has epistolas vel supposititicas esse, vel quod supra monui, fœde corruptas. » Quotcunque igitur aut quæcunque firma sententiæ suæ probandæ argumenta attulit Cocus, id tantum revera probare omnia putavit. Epistolas Ignatii aut esse supposititicas, aut corruptas.

Cum hæc ita se haberent, Nicolaus Vedelius, professor Genevensis, rem totam ad examen revocavit; apologiam pro Ignatio scripsit, novam editionem adornavit, exercitationibus et appendice Epistolas illustravit. Lres igitur ille Latinas omnino rejecit, quod «nimis aperta ipsarum suppositio » ei videretnr. Reliquas duodecim in duos libros distinxit, quorum prior continet epistolas genuinas, posterior supposititicas. Genuinas tantum agnoscit septem illas ab Eusebio memoratas; reliquas quinque « aut perperam inscriptas, aut plane supposititicas » esse statuit. Præterea in ipsas septem genuinas non pauca irrepsisse stellionum audacissimorum vestigia testatur, quæ ut a genuinis secerneret curam habuit, et notulis quibusdam, in margine positis, quæ ex conjectura genuinis epistolis ab interpolatore inserta credidit, jugulavit.

Quare Andreas Rivetus, lfcet in tertia editione, *Critici sacri Censura* Roberti Coci sit adjutus, moderatissimam tamen sententiam amplecti se profitetur, scilicet, « esse plerasque epistolas Ignatii, ad minimum septem; sed hoc tempore non haberi nisi adulteratas, et multis in locis interpolatas. Hanc,» inquam, « sententiam amplectitur fretus rationibus quæ huic firmandæ ex ipsis epistolis desumuntur.» Et Daniel Chamierus, in responsionibus ad Testimonia a Bellarmino adducta, auctoritatem Ignatii nunquam declinat. Semel tantum ait : «Epistola ad Antiochenses viris doctis non videtur legitima, quia ab Hierouymo non adnotata in censu operum Ignatii, ipsisque adeo veteribus sit incognita.

Daniel Heinsius ad Novum Testamentum epistolas quasdam earum quæ editæ sunt, Ignatii revera fuisse indicat, alias non item. Ad I Cor. xv, 10. «Pauli apostoli parum prudens imitator, cujus omnes epistolæ sub Ignatii leguntur nomine, cum et aliorum sint. » Ita ille subobscurius. Sed ad 1 Tim. iv, 16, paulo clarius : *Quæ vox* (scilicet βεβαχρμένον) «inter eas, quas expressit qui epistolas Ignatii, atque inter eas quasdam non illius, nomine ejss, neque dignas eo dedit.» Gerardus Joannes Vossius, «De natali anno Christi,» sect. 41 : «Alii respondent Ignatii epistolas esse supposititicas, nec ulli ante Nicænum concilium memoratas. Itane vero? Quasi non meminerit earum Irenæns lib. v. cap. 28, et eo antiquior ipsique par Ignatio Polycarpus, apud Eusebium lib. iii, cap. λς. Ut de Origene taceam, qui quiddam inde adducit, homil. 6 in Lucam. »

Petrus autem Halloix, Jesuita, non tantum omnes Græcas genuinas et germanas esse operose contendit, sed et de tribus Latinis ita judicium suum

profert: « Nec ita certæ sunt, ut indubitatam fidem apud omnes mereantur, nec ita incertæ ut omnem perdant. » Aliter tamen Dionysius Petavius, licet ejusdem ordinis: *Constat*, inquit, « omnes Ignatii epistolas interpolatas fuisse. Nam pleraque ex illis loca ab antiquis laudata vel in eis mimine reperiuntur, vel longe aliter concepta. »

Et denique Walo Messalinus: « Apud me constat omnes illas Ignatii epistolas supposititias esse, vel certe multis locis interpolatas, »et aliqua rectat, quæ *satis evincunt*, inquit, «non posse illud opus auctori quem mentitur ascribi. » Ac rursus: « Epistolæ illæ natæ et suppositæ videntur circa initium, aut medium secundi sæculi, quo tempore primus singularis episcopatus supra presbyteratum introductus est.

CAPUT IV.

Stricturæ quædam auctoris. Quid de variis hominum judiciis sentiendum sit.

Hucusque virorum doctorum judicia, sive conjecturæ potius progressæ sunt dum editio, una Græca, licet ex duobus mss. exemplaribus, et una etiam interpretatio Latina vetus, illi satis apte respondens, aut ab aliis ad Græcos illos codices reformata, exstaret; de quibus conjecturis, priusquam ulterius progrediamur, nounulla nobis notatu non indigna visum est observare.

Primo, sententia decretoria Parkeri et Salmasii, qui statuunt omnes epistolas sub nomine Ignatii editas, esse plane supposititias, minime ferenda est: tum quod eorum argumenta nihil aliud evincunt quam quod a cæteris statuitur, nempe omnes aut supposititias esse, aut interpolatas (cum enim adhuc nescirent qualis revera interpolatio fuerit, quidquid illis displicuit, potuit ad interpolationes pertinere) tum quod Parkerus statuat, neminem ante concilium Nicænum earum meminisse, quod apertissime falsum est.

Secundo, ingens discrimen inter tres Latinas et duodecim Græcas epistolas recte observatum est; et Latinæ primum emissæ ab universis fere merito sunt rejectæ; tum quod Græcis omnibus fuerint incognitæ, neque Græcismum omnino redoleant ut non ab interprete, sed auctore Latino videantur profectæ; tum quod in vetustissimis Vulgatæ versionis mss. codicibus non inveniantur, et seorsim aliquando scriptæ sint, et inter Latinos a Bernardo aut Pseudo-Dextro primum memoratæ; tum denique quod vix rationi temporum videantur consentire, aut cum institutis Ignatii quidqam commune habere: « pro quibus frustra nonnulli pugnare aggressi sunt ante aliquot annos, » ut recte judicavit Philippus Labbæus.

Tertio, ne ipsæ quidem Græcæ duodecim parem auctoritatem sibi vindicant; et recte posita videtur distinctio inter septem epistolas, quæ sunt ab Eusebio memoratæ, reliquisque antiquissimis Patribus frequenter laudatæ, et quinque alias, quæ nonnisi post aliquot sæcula ab ullo Græco scriptore agnitæ sunt, atque ideo jure vel in dubium vocant ctiam plane rejiciuntur: idque non tantun verisimile non est, eas Eusebium, si ejus æv tissent, latere potuisse, aut ab eodem, si ij gnitæ essent, præteriri; sed etiam quia vel dum loquendi, ab Eusebianis multum discre apparent, vel ob materiam, doctrinæ instit moribus posterioris Ecclesiæ magis conso Ignatianis Eusebio memoratis sola imitatione nimis affectata, similes.

Quarto, recte animadversum est a quampl etiam illas septem antiquissimas et maxime nas epistolas in editione Græca tunc tempor gata, interpolatas et corruptas fuisse; idqu loca a veteribus Patribus adducta quæ in tione aut non comparent, aut non recte rep tantur, tum alia etiam non panca, quæ nequ quirati, neque sententiæ S. Ignatii cong neque tenori epistolarum satis convenienter runtur, planum faciunt.

Quinto, industria Vedeli, quam ad loca i stolis Eusebio memoratis corrupta et inter indicanda, et a genuinis secernenda adhib conatum spectemus, laudanda, si eventus successum, parvi quidem æstimanda videatur enim diligentia hoc tandem effectum est, una parte inserta et interpolata pleraque p mittantur, ac pro genuinis retineantur; ex vero, germana atque genuina sæpiuscule pr titiis notentur et rejiciantur. Quamvis igitur plurimi optimas Ignatii epistolas corruptu judicarent, hactenus tamen ad genuinas a ptelis certo aliquo criterio vindicandas paru nihil est effectum. Ut verum illud sit quod læo observatur: «Nisi sincerius exemplar Us et Vossius nacti essent, nulla plane spes supe interpolatoris aliena a veris scriptoris int cendi et secernendi. »

CAPUT V.

Alia vetus Latina versio ab Armachano pub qua interpolationes detectæ sunt. Græcæ ej e Mediceo codice per Isaacum Vossium Quid viri docti de epistolis ita purgatis ed senserint.

Quare Jacobus Usserius, archiepiscodus . chanus, Hiberniæ primas, vir miræ in his perspicaciæ fideique, cum videret talibus con ris nihil effici, animadverteretque tres in nostra theologos olim locum quemdam ex ej Ignatii a Theodoreto citatum, nec in editione aut Vulgata versione tunc repertum, eodem modo, qua a Theodoreto productus fuerat, lau circumspicere cœpit, num forte in Anglia exe aliquod Latinum adhuc delitescens reperiri p ex qua sua tres illi theologi hauserunt, et lo liqua a Theodoreto aliisque antiquis Patrib tata, integra comparerent. Cum, ecce, libro mss. nactus est, e publica collegii Gunvilli e apud Cantabrigienses nostros unum, e priv Ricardi Montacutii Norvicensis nuper episc

bliotheca alterum, qui Ignatii Epistolarum interpretationem a Vulgata Latina diversissimam continebant. Et statim collatione facta, testimonia Patrum omnium qui intra quinque, ut ait, post Christum sæcula floruerunt, a Græcis Latinisque codicibus dissidentia, cum hac versione optime convenire, et multa a Græculis posterioribus inserta et intertexta ab eadem pariter abesse conspexit. Jam vero non ex levibus conjecturis, aut ex sententia sua, ut Vedelius, sed ex veteris versionis fide Græcas Ignatii epistolas recognovit, assumenta stellionum genuinis facile et aperte secrevit; Polycarpianam illarum Syllogen ita excudendam curavit, ut minio in textu Græco laciniæ illæ signarentur, quas a recentiori interpolatore assutas fuisse, veteris Latini interpretis, tunc primum ab ipso editi, indicio deprehenderat. Felix hoc quidem inceptum quo reverendus senex, cum ingenii, judicii et doctrinæ specimen singulare exhibuit, tum Ecclesiæ utilissimam et hisce temporibus maxime salutarem operam præstitit.

Id vero ad cumulum accessit, quod vir præstantissimus et omni doctrinæ genere admodum excultus, Isaacus Vossius Crœcum exemplar (quod, opinor, infinitæ lectionis Turrianus centum fere annis ante viderat, et vetustissimum emendatissimumque esse testatus est) e Medicea Bibliotheca exscriptum produceret, viris doctissimis amicissime communicaret, et quoniam Latinæ versioni ab Usserio publicatæ apprime consonum animadvertit, cum ea simul imprimendum ac notis illustrandum curaret. Quæ cum tam amice conspirarent, non dubitavit asserere doctorum virorum par, easdem Epistolas tandem nos habere, quas habuit Eusebius, quas edidit Polycarpus, quas scripsit Ignatius.

Quam viris eruditis grata fuerit hæc Vossii editio, vel inde patet, quod Claudius Sarravius, senator Parisiensis, ab ipso in notis obiter laudatus, ei hæc rescripserit: « Ago itaque gratias, ago gratias tibi summas, mi Vossi; æternum enim me tibi devinxisti *tanto* et tam præclaro erga immerentem testimonio. Video enim ibi famam meam æternitati consecratam, eo monumento, quod saxa et marmora duratione vincat. »

Quare statim ex protestantibus Andreas Rivetus, cum ei Usserius novam Ignatii ex veteri libro editionem communicasset, in ultima *Critici sui sacri* recognitione illius judicium secutus est: et ex Jesuitis Petavius, Græcis Vossii et Latinis Usserii conspectis: *Hæc*, inquit, « prudens et justa suspicio est, illas esse genuinas Ignatii Epistolas, quas antiquorum consensus illustribus testimoniis commendatas et approbatas reliquit. » Idem etiam judicium Nicolai Fabroti fuit, ut ostendunt notæ ejus ad Anastasium « S. Ignatius, Epistola ad Ephesios (edidit eruditus vir Isaacus Vossius *et statim* Pseudo-Ignatius in epistola ad Antiochenos, *et alibi*, Vetus interpres Epistolæ ad Philippenses, quæ S. Ignatio ascribitur. » Ita ille genuinas Epistolas a spuriis sæpe distinguit, ut in editione Vossii distinguuntur.

Salmasius vero, editione Usserii perspecta, et codice Mediceo, antequam ederetur, viso, auctoritati Ignatii iniquior factus est. Ecce enim in Apparatu ad libros « De primatu Papæ: Varias, *inquit*, diversi temporis ejus operis interpolationes esse factas multis ostendit reverendissimus et doctissimus vir Jacobus Usserius Armachanus. Quale autem ab auctore primum prodiit, ne genuinum quidem Ignatii esse, possum omni asseveratione confirmare. » Hæc paulo sedatius. Quæ non longe post sequuntur, Salmasium magis sapiunt. « Qua autem ætate vixerit hic impostor, qui nomen Ignatii mentitus est in istis epistolis conscribendis, inquirendum est. Nam Ignatium non esse earum auctorem tam certum puto quam me hæc scribere. » Hic sane purum putum Salmasium habemus. Ad tempus autem quod attinet, impostorem eodem cum Valentino vixisse suspicatur; imperante, nimirum, Antonino, aut certe sub Marco Aurelio. Atque hæc est summa sententiæ Salmasianæ. Ipse autem cum hæc in *Apparatu* tam strenue asseruisset, in ipso opere auctoritate Ignatii sæpiuscule utitur. Quæ cum vidisset Claudius Sarravius, aurem Salmasio vellit et admonuit: « Non placet, quod ea in *Apparatu* culpes, quæ in ipso opere laudas. De Ignatianis Epistolis intelligo quas in *Apparatu*, qui prior legitur, merito τῆς νοθείας revincis, et tamen earum auctoritate postea sæpiuscule uteris, quasi essent legitimæ, nec titulus auctorem mentiretur. Saltem de ista tua sententiæ mutatione aliquid significasses. » Epist. p. 181. Hæc, epinor, in Sarravio, maximo Salmasii hyperaspista, etiam illi ferre possunt, qui eadem in Hammondo non ferunt.

David etiam Blondellus, ut ipse in Præfatione Apologiæ fatetur, quamprimum epistolarum priorum sex Isaacus Vossius copiam fecit, eas avidis oculis hausit, manu propria descripsit, cum citatis a veteribus locis studiose contulit, sæculo nostro gratulatus, quod illud ipsum exemplar, quo ante 1300 annos usus erat Eusebius, novam ipsi propediem affulsuram lucem sponderet. Sed postquam attentiore animo singularum et phrasin et materiam et ordinem expendit, blandientes antea spes pudibundus abjicere coactus, bonæ Patrum fidei impudenter illusum doluit, et argumentis quibusdam a priori, quam de Ignatianis epistolis imbiberat, opinione depulsus, eas omnes suppositicias credere coactus est. Ipsum autem impostorem, qui Ignatii martyris nomen septem, Eusebio, Athanasio, Hieronymo laudatis, Epistolis appinxit, longe post annum centesimum quadragesimum quartum, adeoque post Clementis Alexandrini, toto fere centenario Ignatio posterioris, obitum, prodiisse tradit.

Antequam hæc a Blondello ederentur, postquam vero ab opinione, quam e Mediceo codice primum imbiberat, depulsus est, sententia ejus Hugoni Grotio, viro maximo, innotuit, qui, quid de ea sentiret, in epistola ad Gerardum Vossium data protenus si-

gnificavit : « Blondellus, magnæ vir diligentiæ, sed suæ parti super æquum addictus, quid de episcopis et presbyteris sentiat, ex script,s ejus antehac editis non obscurum est. Imprimitur nunc apud Blavium liber ejus specialiter de eo argumento : Cognovi autem ex sermone ipsius omnino eum hoc agere velle, ut aliquid reperiat unde famam spargat, te in ea re plane secum sentire Ignatii Epistolas, quas filius tuus ex Italia attulit puras ab omnibus iis, quæ eruditi hactenus suspecta habuere, ideo admittere non vult, quia episcopatuum vetustati clarum præbent testimonium. Argumento alio non utitur, quam quod in illis verba quædam appareant elegantiora quam solent in apostolicorum scriptis reperiri : quales sunt ἀξιέπαινοι, ἀξιομνημόνευτοι, et similia. Dixi ego, paris monetæ vocabula non pauca esse in Clementis Epistola, quam suspectam non habet : adhæsisse hæc diu ex lectione Græcorum, qui nitidius scripserant. »

Quamprimum autem Blondelliana in lucem prodirent, et Isaacus Vossius codicem Mediceum, quem tam feliciter ediderat, tam male tractatum videret, statim epistola ad Rivetum rationes prescripsit, cur eum non omnino permovere potuerint *argumenta illa, quæ David Blondellus ad evertendam Epistolarum Ignatii veritatem attulit.* Huic epistolæ Blondellus adnotata sua aspersit, et præterea stricturas quasdam ad Vossii Notas ante editas ; quibus altera prolixiori epistola ad Rivetum pariter missa Isaacus accurate respondit. Hæc autem omnia cum apud ipsum Vossium diu delituerint, pro summa humanitate, et bonas litteras juvandi studio, quo præ cæteris omnibus viris doctis flagrare videtur, mihi tandem in hac arena desudanti amicissime communicavit, et efflagitanti ut cum nostris ederentur, libentissime concessit.

Quinetiam archiepiscopus Armachanus in Appendice, proximo post Blondelli Apologiam anno edita, mirari satis se non potuisse profitetur, duos hos magni nominis viros, Salmasium et Blondellum, conjecturis suis tantum tribuisse, cum Polycarpi ad Philippenses litteras, quibus Ignatianas a se subjectas fuisse ipse confirmat, germanas fuisse fateantur, et has ipsas quæ Ignatio tribuuntur Epistolas in Mediceo codice a novitiis assumentis demum liberatas, non minus quam Polycarpi ipsam, Eusebii temporibus in omnium manibus fuisse non negent ; in hisce tamen effingendis impostorem aliquem nomen Ignatii ementitum esse, confidentissime pronuntient. Pupugit Blondellum severa hæc mitissimi senis reprehensio, admirantis tantam ex levibus conjecturis confidentiam : quare epistola ad enm data, et quatuor productis argumentis, quæ ipsum sententiam mutare vetarent, hærere se etiamnum professus est.

Postea insignis admodum theologus, Henricus Hammondus, cum videret theologicas theses in Gallia propositas, proclamantes, litem et controversiam de episcoporum supra presbyteros prærogativa definitam jam videri a viris longe doctissimis domino Salmasio et Blondello ; dissertationes quatuor, quibus episcopatus jura ex sanctis Scripturis et primæva antiquitate astruuntur, edidit, et earum secundam de Ignatii scriptis instituit. In illa autem dissertatione primo quidquid ad has Ignatio abjudicandas epistolas dictum est, solemniter ad examen vocavit ; secundo quædam addidit, quæ earumdem auctoritatem stabiliant.

Ad hæc Hammondi nihil Salmasius, nihil Blondellus reposuit. Domi autem theologus, Joannes Owenus nostras in Præfatione quadam Anglice scripta multa in Hammondiana Ignatii defensione culpat, quæ peculiari scripto, lingua etiam nostra Hammondus defendit. Non tamen Owenus eorum sententiam probat, qui epistolas omnes Ignatianas tanquam fictas et suppositicias absolute condemnant : imo in earum aliquibus *suavem et gratiosum*, ut nostrates loquuntur, *fidei, dilectionis, sanctitatis, et zeli Dei spiritum spirantem et operantem* agnoscit. Ministri etiam Londinenses cum Sculteto. Vedelio et Riveto professi sunt se minime omnes reprobare ; sed ita de corruptelis locuti sunt, ac si editiones Usserii Vossiique nunquam vidissent ; certe quid de Epistolis defæcatis sentirent, minime indicarunt.

Theophilus autem Raynaudus in *Erotematibus* negat epistolam ad Mariam Deiparam esse Ignatianam. « Epistolam tamen, *inquit*, ad Mariam Cassoboliten esse S. Ignatii fœtum genuinum, extra controversiam pono ; quidquid contrarium pauci quidam sectarii effutiverint. »

Edmundus etiam Albertinus Usserii responsionibus et Hammondi dissertationi minime acquievit, sed in libris *De Eucharistia* Latine editis decretoriam sententiam in hæc verba protulit : « Non negaverim Ignatium epistolas aliquas scripsisse : sed, si quas scripsit, illæ perierunt : et plures aliæ sub illius nomine circa medium secundi sæculi compositæ sunt, ac incaute et absque examine a veteribus receptæ. » Et eodem anno Joannes Dallæus, libro « De jejuniis et Quadragesima *tertio*, Totum hoc quod Ignatii nomine circumfertur Epistolarum opus supposititicium esse, sanctissimoque martyri non paucis post ejus mortem annis falso et per fraudem ascriptum fuisse tam evidentibus patet documentis, ut mirum sit, hanc imposturam homines eruditissimos tandiu latere potuisse, » et de sex illis, quas Usserius voluit esse vere Ignatianas : « Sed quod magni viri pace dictum sit, ne istæ quidem, quas ille publicavit, a meliori quam cæteræ manu esse videntur.

Interim tamen non est omittendum, nobilem in theologia criticum, Joannem Morinum, collatis diversis editionibus ex Augustino et Florentino codicibus depromptis, in aliam plane diversam maximeque mirandam sententiam incidisse. *Antiqua* inquit, *Ignatianarum Epistolarum editio genuinum textum nobis exhibet, nova vero mancum et interpolatum.*

Samuel autem Bochartus, vir doctissimus, in in-

genti opere, Hierozoico, Epistolam ad Romanos, Eusebio visam, probatam, atque defloratam, non ante Constantini imperatoris ævum scriptam fuisse, asserere non dubitavit.

CAPUT VI.

Sententia Dallæi, aliquas epistolas Ignatium scripsisse. Epistolas, quas habemus, easdem esse, quas habuit Eusebius. Sex ab Eusebio memoratas, fuisse non ab Ignatio scriptas, sed ab impostore, ducentis post Ignatii mortem annis, confictas. Epistolam ad Polycarpum non fuisse Eusebio cognitam, sed ab alio impostore, ducentis post Eusebium annis, suppositum. Sententia nostra. Septem epistolas ab Eusebio memorari; easque omnes fuisse ab Ignatio ipso sanctissimo martyre conscriptas.

Tandem Joannes Dallæus, theologus e Gallia celeberrimus, plurimisque in hoc præsertim genere controversiarum elaboratis operibus notissimus, non contentus iis quæ de manifesta impostura obiter, libro *De jejuniis*, monuerat, et in novam plane sententiam de ætate impostoris delapsus, miraque suæ cenjecturæ dulcedine captus, controversiam hanc magna animi contentione redintegravit, et grandi volumine adversus omnes quarumcunque S. Ignatii Epistolarum defensores late disputavit. Sub ejus enim nomine prodierunt «De scriptis, quæ sub Dionysii Areopagitæ et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur, libri duo: quibus demonstratur, » uti præfert Titulus, « illa subdititia esse, diu post martyrum, quibus falso tribuuntur, obitum ficta.«

Et quidem de indubitata suppositione scriptorum Dionysii Areopagitæ Dallæo plane assentior; idque puto ante Dallæum, Sirmondum, Petavium, Launoyum, Morinum, aliosque vel ipsis pontificiis persuasisse. Sed de ætate auctoris, qui ea scripsit et Areopagitæ supposuit, quicunque fut, ab eo prorsus dissentio; et erit nobis in hoc ipso opere rationes sententiæ nostræ afferendi occasio non inopportuna.

De Ignatio duplicem Dallæus proponit questionem, quarum prima hæc est: «An omnes epistolæ, quæ sub ejus nomine circumferuntur, ejusdem sint parentis? » Hanc negat; neque ego affirmo, aut de ea litem moveo. Secunda quæstio est: «An earum epistolarum, quæ sunt ab Eusebio et Hieronymo memoratæ, vere auctor sit sanctissimus Ignatius, qui anno Trajani undecimo martyrium Romæ fecit?» Hanc ille pariter negat; ego nullo modo negandam puto, et omni asseveratione potius affirmo.

Ut autem utriusque nostrum sententia adhuc manifestius pateflat, nonnulla ulterius observanda duximus. atque illud imprimis: Scripsisse aliquas Ignatium epistolas non negat Dallæus; et ne talis ipsi affingatur sententia, summopere cavet. *Queritur*, inquit, «non an epistolas scripserit Ignatius (quis enim tam fatuus est, ut scripsisse eum aliquas neget?) sed, an has, quæ circumferuntur, scripserit?» Et alibi: «Quasi vero quisquam usque adeo stolidus sit, ut neget amplissimæ civitatis episcopum, ad hæc apostolorum discipulum, ullas vel scribere potuisse, vel etiam revera scripsisse. sive ad Polycarpum, sive ad Philippenses, sive ad alios litteras? Atqui non illud quæritur, an Ignatius epistolas aliquas scripserit (incredibile est, hujusmodi virum nullas scripsisse; neque scripsisse aliquas quisquam negat) quæritur, an has quas nunc habemus, scripserit?» Non igitur opus est ut probemus aliquas ab ipso S. Ignatio conscriptas fuisse epistolas, adeoque exstitisse aliquando alicubi aliquas genuinas; id enim jure pro concesso sumimus. cum adversarium confitentem habeamus.

Secundo epistolas eas, quas nunc habemus in editionibus Usserii et Vossii ab assumentis liberas easdem omnino esse, quas habuit Eusebius, cum Blondello suo fatetur Dallæus. *In eorum codicibus*, inquit, «hæ ipsæ epistolæ descriptæ sunt, plane quales Eusebii, Athanasii, et cæterorum quos duximus» (Hieronymi, scilicet, Theodoreti atque Gelasii), «ævo exstitisse verisimillimum est.» Idque «liquido apparere,» capite secundo tribus argumentis probat. Ad ostendendam igitur Ignatianorum veritatem non opus est ut probemus easdem nos epistolas habere, quas habuit Eusebius; hoc enim nobis largitur adversarius. Hoc tantum observandum est, habere nos epistolas Eusebii ævo cognitas, sed eo modo a librariis tractatas, quo alia veterum scripta ab iis tractari solent, hoc est, sæpiuscule aut litterarum, aut etiam vocabulorum permutationem, forte etiam sententiolarum mutilationem alicubi passas. Quod cum in aliorum scriptis usu venire soleat, cur in nostris idem factum quis neget, ratio nulla est; ut ea locis minus sanis medicina merito adhibenda sit, quæ aliis veterum scriptis male tractatis adhiberi solet.

Tertio epistolas illas, quas habuit Eusebius, ab Ignatio scriptas fuisse negat; ab impostore aliquo fictas et suppositas afirmat. Impostorem illum non circa medium secundi sæculi, ut Albertinus; non sub Antonino vel M. Aurelio, ut Salmasius; non statim post Clementis Alexandrini dormitionem, sive centum ab Ignatii morte annis, ut Blondellus; sed præcipiti tertio sæculo Epistolas effinxisse, et opus effictum in lucem exiisse circa tertii sæculi finem, vel quarti initia, ariolatur. Imo, ut alibi loquitur, ducentis post Ignatium annis hic impostor vixit. scripsitque tunc, «cum aliqua jam erat de Constantii vel Constantini ejus filii vel Christianismo, vel ad Christianismum propensione sparsa fama: et ejus operi in lucem erumpenti Eusebius a. D. circiter 330 obstetricatus est. Lepida plane hæc fabula, et ante hunc diem inaudita; nisi quod etiam Bochartus epistolam ad Romanos sub Constantino scriptam somniavit.

Ego certe e contra, qui de impostore illo, quem alii secundo, alii tertio, alii quarto sæculo vixisse statuunt, nihil unquam a quopiam ante hoc sæculum scriptum reperi, qui de impostura ulla in Epistolis Eusebio visis nullam unquam suspicionem in Ecclesia excitatam novi, qui ipsissimum S. Ignatium earum auctorem omni ab ipsius ætate sæculo

agnitum animadverti, qui omnes epistolas a tanto viro scriptas statim periisse animum inducere ut credam minime possum ; non tantum aliquas epistolas agnosco, sed et has ipsas, ab Eusebio memoratas, et tanto viro usquequaque dignissimas, ab ipso Igatio, sanctissimo illo martyre. exaratas fuisse assero.

Quarto, de numero epistolarum quæ Eusebio memoratæ sunt, aliquando dubitat Dallæus, easque sex septemve sæpe nominat; ex vulgari, scilicet opinione septem, ex singulari Usserii sententia sex: aliquando numerum satis confidenter assignat, et sex tantum asserit. *Quod vero*, inquit, «vulgo putant quamdam ab Eusebio memorari seorsum ad Polycarpum scriptam doctissimus Usserius hanc non diversam, sed unam et eamdem revera cum epistola quæ est ad Smyrnæos, ab Eusebio iutelligi et acutissime conjicit, et ex Hieronymo demonstrat. Et hanc merito ab Epistolarum ab Eusebio dictarum censu expungendam colligit ; numeratque inter eas, quas nondum Eusebii et Hieronymi temporibus exstitisse validissime probat » Hanc igitur epistolam ad Polycarpum ab alio impostore sub quinto sæcelo fictam putat.

Ego vero nec priorem, nec posteriorem hujus epistolæ fictorem agnosco et inter septem Eusebio memoratas, et a nobis dsfendendas omnino numerandam censeo. Neque enim Hieronymum hic imprimis spectandum esse puto : neque Eusebium ex Hieronymo interpretor, sed, uti par est, Hieronymum ex Eusebio, e quo sua transtulit. Primo itaque Eusebium assero septem omnino epistolas enumerasse, et illius ad Polycarpum tanquam ab ea quæ scripta est ad Smyrnæos plane diversæ meminisse. Nam quatuor e Smyrna missas, scilicet ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos tanquam distinctas Eusebium memorasse fatentur omnes : tres autem e Troade missas pariter diversas atque distinctas hæc Eusebii verbu non minus certo evincunt: Ἤδη δὲ ἐπέκεινα τῆς Σμύρνης γενόμενος, ἀπὸ Τρωάδος τοῖς τε ἐν Φιλαδελφίᾳ αὖθις διὰ γραφῆς ὁμιλεῖ, καὶ τῇ Σμυρναίων Ἐκκλησίᾳ, ἰδίως τε τῷ ταύτης προηγουμένῳ Πολυκάρπῳ. «Cum autem jam ultra Smyrnam esset, e Troade rursus tum Philadelphenos tum Smyrnæorum Ecclesiam, tum seorsim Polycarpum hujus Ecclesiæ episcopum scripto alloquitur. «His verbis tres epistolæ e Troade missæ diserte traduntur ; neque minus illa ad Polycarpum distinguitur ab altera ad Smyrnæorum Ecclesiam, quam illa ad Smyrnæos ab altera ad Philadelphenos. Haud aliter Eusebium intellexere Græci. Ita sane Nicephorus: Καὶ Σμυρναίοις ἄλλην διαχαράττει, καὶ αὐτῷ δὲ ἰδίᾳ τῷ προέδρῳ ταύτης Πολυκάρπῳ ἑτέραν ἐπέστελλε. «Et ad Smyrnæos aliam epistolam exaravit. et seorsim ad ipsum hujus Ecclesiæ antistitem aliam misit.» Neque ut aliter Eusebium intelligamus, tum particula conjunctiva τε ter repetita, cum vox illa ἰδίως, *seorsim*, sive *separatim*. patiuntur. Nicephorus pro ἰδίως, ἰδίᾳ dixit, ut Græci elegantiores loqui solent. Suidas : Ἰδίᾳ, χωρίς. Unde ἰδιάζεται, μόνῳ προσφωνεῖ, apud Hesychium, et ἰδιάσαι, κατ' ἰδίαν ὁμιλῆσαι. Ita apud Xenophontem Agesilaus, de epistola a Persarum rege ad ipsum missa nec ab eo recepta, τῷ φέροντι εἶπεν ἀπαγγεῖλαι βασιλεῖ, ὡς ἰδίᾳ μὲν πρὸς αὐτὸν οὐδὲν δέοι ἐπιστολὰς πέμπειν. «Eum a quo allata est, renuntiare jussit regi, non esse quamobrem privatim litteras ad se missitaret.» Ita Cyrus apud eumdem, ad Cyaxarem ; Εὐθὺς ἔπεμπες πρός τε τὸ Περσῶν κοινὸν, συμμάχους αἰτούμενος, καὶ πρὸς ἐμὲ ἰδίᾳ δεόμενος πειρᾶσθαι αὐτόν με ἐλθεῖν ἡγούμενον, εἴ τινες Περσῶν εἶοιεν. «Illico tum ad commune Persarum misisti, subsidiarias copias pascens; tum ad me privatim, rogans ut operam darem quo venirem ipse, copiarumque Persicarum, si quæ ad te irent, ductor essem. Idem valet ἰδίως, quod usurpat Eusebius. Suidas : Ἰδίως, καταμόνας, χωρὶς. Et ita loqui Eusebius solet: ut cum de Melitone et Apollinari agit : Οἳ Ῥωμαίων βασιλεῖ λόγους ὑπὲρ τῆς πίστεως ἰδίως ἑκάτερος ἀπολογίας προσεφώνησαν. «Quorum uterque orationes pro fide apologelicas seorsum nuncupavit» (Hist. l. iv, c 26); cum de Florino et Blasto hæreticis: Θάτερος ἰδίως περὶ τὴν ἀληθειταν νεωτερίζειν πειρώμενος. «Cum uterque seorsim novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laboraret » (l. v, c. 15); cum de Origene : Ἰδίως τὴν Ἀκύλου καὶ Συμμάχου καὶ Θεοδοτίωνος ἔκδοσιν ἅμα τῇ τῶν Ἑβδομήκοντα ἐν τοῖς τετραπλοῖς ἐπικατασκευάσας. « Editionem Aquilæ, et Symmachi et Theodotionis cum LXX Interpretum versione seorsum in tetraplis digsssit» (l. vi, c. 16). Ita illi peculiare aliquod scriptum, nunc ἰδία γραφή, aut ἰδία σχολή, nunc ἴδιον σύγγραμμα, vel ἴδιον σποράδασμα appellatur. Peculiarem igitur epistolam (præter eam ad Smyrnæos scriptam) et seorsim Polycarpo nuncupatam omnino intellexit Eusebius.

Neque tantum modus hic loquendi, qui aliter explicari non potest, sed et ea quæ sequuntur, idem evincunt. Nam cum Ignatium seorsim ad Polycarpum scripsisse memorasset, rationem ejus rei optimam assignat, tenerrimam nempe, gregis sui Antiocheni curam illi potissimum demandatam: Ὃν οἷα δὲ ἀποστολικὸν ἄνδρα εὖ μάλα γνωρίζων, τὴν κατ' Ἀντιόχειαν αὐτῷ ποίμνην, ὡς ἂν γνήσιος καὶ ἀγαθὸς ποιμὴν παρατίθεται, τὴν περὶ αὐτῆς φροντίδα διὰ σπουδῆς ἔχειν αὐτὸν ἀξιῶν. «Quem cum apostolicum virum esse plane cognosceret, ipsi tanquam bonus et fidelis pastor gregem Antiochenæ Ecclesiæ commendavit, rogans nt omni cura ac diligentia eam fovere vellet » At in hac ad Polycarpum epistola ipsius Polycarpi curæ atque diligentiæ Ecclesiam Antiochenam commendat, alibi nusquam. Nam in epistola ad Smyrnenses. Eeclesiam illam rogat, ut θεοπρεσβευτὴν instituerent ; sed Polycarpum omnino non alloquitur, neque eum in tota illa epistola diserte nominat, quem in epistolis ad Ephesios et ad Magnesianos nominaverat. Cujus rei vix alia ratio assignari potest, quam quod eodem tempore seorsim ad ipsum Polycarpum scripserit In epistola certe ad eum peculiariter data, hoc negotium ipsi dili-

gentissime commendat, ut concilium in eum finem convocet hortatur, ut virum eligat ἀγαπητόν λίαν καὶ ἄοκνον, *dilectum imprimis atque impigrum*. ut id non tantum Smyrnæ; sed et ab aliis Ecclesiis fieri curet, ut ab illis etiam nuntii et epistolæ ipsius ope ad Antiochenos mittantur; unde et gratiam precatur, et illi qui mitteretur, et ipsi qui eum mitteret Polycarpo. Quæ omnia ipsius Polycarpi φροντίδα διὰ σπουδῆς, ut loquitur Eusebius, « curam cum diligentia conjunctam, » mire illustrant.

Quinetiam verba quæ sequuntur non aliam fuisse Eusebii mentem aperte ostendunt: Ὁ δ' αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν ἐφ' ἡμῖν κέχρηται. *Item autem* Ignatius«ad Smyrnæos scribens, verbis utitur, quæ unde acceperit. ignoro.» Nunquam ita locutus fuisset Eusebius, ut recte observat Isaacus Vossius, si ex eadem epistola,de qua hactenus locutus esset, sequentia essent desumpta.Et adversativa hæc sententia,cum epistolæ nominatione, non aliam quam hanc interpretationem patitur: Idem ille Ignatius, qui seorsim ad Polycarpum scripsit, ejusque curæ atque diligentiæ Ecclesiam Antiochenam commendavit, in altera epistola, quam ad Smyrnenses scripsit, utitur testimonio nescio unde desumpto. Ut l. IV, c. 7, cum de Melitone loquitur : Ἐν δὲ ταῖς χρειώσαις αὐτῷ ἐκλογαῖς ὁ αὐτὸς κατὰ τὸ προοίμιον ἀρχόμενος.«Iden in exceptis ab ipso compositis statim in principio operis,» a libro qui *Apologia* dicebatur. ad alium ejusdem auctoris, cui Ἐκλογαί seu *Excerpti* titulus fuit,transiens. Hæc omnia minus quidem accurate interpretatus est, recte tamen cepit Rufinus qui ita vertit: « Hæc et multa alia his similia ad diversas Ecclesias scribit;sed et ad Polycarpum velut apostolicum virum datis litteris,Antiochenam ei Ecclesiam præcipue commendat, Ad Smyrnæos sane scribens, utitur verbis quibusdam unde assumptis nescimus.

Hieronymus etiam ipse non aliter capiendus in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, ubi ait ex Eusebio:«Inde egrediens scripsit ad Philadelphos,et ad Smyrnæos,et proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam.»Quid clarius? *Proprie* enim hic nihil aliud sonat, quam *separatim*, sive *seorsim*. Ita Sophronius interpres, Ἰδικῶς πρὸς Πολύκαρπον. Est autem ἰδικῶς, interprete Suida, κατ' αὐτάς. Ipse Hieronymus ita alibi lopui in hoc ipso Catalogo, Clementis Alexandriui opera recensens.«De canonibus ecclesiasticis, et adversus eos, qui Judæorum sequuntur errorem liber unus,quem proprie AlexandroHierosolymorum episcopo προσεφώνησε. Et de Apollonio agens: « Tertullianus sex voluminibus adversus Ecclesiam editis,quæ scripsit περὶ ἐκστάσεως, septimum proprie adversus Apollonium elaboravit,in quo omnia quæ ille arguit conatur defendere.»Utrobique *proprie*,significat *peculiariter*, et vertitur a Sophronio ἰδικῶς. ut in Ignatio. Quod autem sequitur,«in qua et de Evangelio quod nuper a me translatum est.super persona Christi ponit testimonium, » illud *in qua* cum expressum non habeat vocabulum antecedens.ad quod referatur. necessario ita sumendum est, ut ὁ δ' αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων apud Eusebium, ex quo sua Hieronymus transcripsit.Id autem ut fiat, nullum esse dubium jampridem asseruit Isaacus Casaubonus, quin parentheseos notis adjectis hic Hieronymi locus ita sit concipiendus: «Scripsit ad Philadelphos,et ad Smyrnæos,» tum parenthesi adhibita *(et proprie ad Polycarpum commendans illi Antiochensem Ecclesiam) in qua*, etc. Et Richardus Montacutius episcopus Norvicensis,qui quavis fere occasione arrepta Casaubonum vellicare solet, hic laudat. *Bene*, inquit, *et acute doctissimus Casaubonus adnotavit esse parenthesi includenda interjecta verba inter* Smyrnæos, et in qua Ipse etiam Userius Casaubonum et Baronio et Halloixio acutisrem longe agnoscit, cum tamen deserit, sola Augustodunensis Honorii auctoritate permotus,qui «Epistolam ad Polycarpum in censu scriptorum Ignatii plane prætermittendam esse judicavit,ita,videlicet verbis Hieronymi acceptis, ac si nulla peculiaris ad Polycarpum data hic ab eo fuisset Epistola. » Sed quis nescit Honorium illum mentis Hieronymi pessimum esse interpretem, et operum ab eo nominatorum ineptissimum testem, qui *Catalogum* quem secutus est, sæpe non intellexit. sæpius decurtavit ? Quis de verbis Heronymi accipiendis illi confidet in Ignatio,qui statim in Polycarpo, dicit eum scripsisse«ad Philippenses epistolam et quædam de die Paschæ,» cum Hieronymus eum tantummodo «propterquasdam super die Paschæ questiones Romam venisse» tradat; qui « in Evangelium κατὰ Ματθαῖον Commentarios» ascribit Origeni. quos Hieronymus tribuerat Symmacho ; qui Anatolium « decem libros de arithmetica,geometria, astronomia, grammatica, rhetorica, dialectica,»composuisse refert, quem Hieronymus miræ doctrinæ virum in his fuisse, licros autem decem de arithmeticæ institutionibus scripsisse innuit: qui in Clemente Alexandrino, pro illis Hieronymi, *Pædagogi libri tres*. habet *De prædagogis unus*, et pro illis, *De jejunio disceptatio*, hæc substituit, *De jejunio unus, de disceptatione unus ;* qui in Origene, quoniam Hieronymus indicem operum omiserat, ejus loco habet *sex millia librorum scripsit,* quod ab Hieronymi mente maxime alienum esse cognoscitur,ex Apologia secunda adversus Ruffinum : «Numera indices librorum ejus, qui in tertio volumiae Eusebii, in quo scribit vitam Pamphili continentur,et non dico sex millia,sed tertiam partem non reperies;»qui Græca fere omnia apud Hieronymum in Latinam linguam tam male atque imperite vertit? Imo quis de numero epistolarum apud Hieronymum Honorio credet in Ignatio, qui novit eum in Epitome sua tot opuscula præteriisse, quæ ab Hieronymo in *Catalogo* commemorantur? In Melitone, Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, *librum unum*; in Alexandro, *Epistolam ad Antinoitas ;* in Julio Africano, «Epistolam ad Origenem super quæstione Susannæ, et aliam ad Aristidem de genealogia Servatoris; » in Novatiano,librum *De instantia*; in Malchione, Græ

dem epistolam ad Dionyrium et Maximum; in Gregorio Neocæsareensi, *l'anegyricum ad Origenem;* in Lactantio, *Symposium*, et *Ad Demetrianum epistolarum libros duos;* in Athanasio, *Heortasticas epistolas;* in Acacio, Συμμίκτων ζητημάτων *volumina sex*; in Theodoro *Commentarios in Psalterium*; in Cyrillo Κατηχήσεις; in Basilio, Ἀσκητικόν; in Gregorio Nazianzeno, Περὶ φιλοπτωχείας; in Joanne Antiocheno, Περὶ ἱερωσύνης; in ipso denique Hieronymo, *Hebraicorum nominum librum unum, adversus Jovinianum libros duos*, et *ad Pammachium Apologeticum* et *Epitaphium* penitus omisit, quæ omnia in Hioronymi *Catalogo* adhuc exstant. In Dionysio autem Alexandrino, tot epistolas et opuscula intacta præteriit, ut sine maximo lectoris tædio ea enumerare non possim. Quidni igitur epistolam Ignatii, proprie ad Polycarpum scriptam, pariter omitteret? Leve est idcirco, imo prorsus evanidum argumentum, quod ex silentio Augustodunensis Honorii. tam mali interpretis, tam infidi epitomatoris, deducit Armachanus, ut inde concludat, in ea, quæ Hieronymi ætate omnium terebatur manibus Ignatianarum epistolarum sylloge, nullam Polycarpo privatim inscriptam exstitisse epistolam: præsertim cum Eusebius ἰδίως, Hieronymus *proprie* hoc est *privatim*, Polycarpo inscriptam fuisse testentur, Certe pari argumento deducere poterat, ætate Eusebii nullam Ignatii ad Philadelpheos exstitisse epistolam, quod eam Ruffinus interpretatione sua omiserit.

Præterea ætate Hieronymi scripsit S. Chrysostomus, et Ignatianarum epistolarum Sylloge usus est, quæ epistolam privatim Polycarpo inscriptam continebat. Nam in oratione, *Quod unus Veteris et Novi Testamenti legislator*, ipsi a veteribus attributa, sententiam quamdam, sub Ignatii nomine ex hac ipsa epistola depromit, quam inter veterum testimonia postea suo loco proferemus. Negat quidem Armachanus. orationem illam esse S. Chrysostomi: sed rationes ejus accurate examinabimus, cum testimonia pro Ignatio adducta ab objectionibus Dallæi vindicabimus.

Interim hanc ad Polycarpum epistolam esse inter eas quæ Eusebio cognitæ sunt numerandam res ipsa clamat, quia, uti reliquæ germanæ, fuit et ipsa interpolatoris manu contaminata: quod de suppositiis non est omnino sentiendum. Aliud enim est epistolam fingere, aliud corrumpere. Quæ sunt ab impostore serius fictæ, eodem modo integræ conservantur, quo primum sunt consarcinatæ: quæ a vero auctore primum factæ, postea sunt a stellionibus variis assumentis conspurcatæ. Armachanus quidem, cujus animo contraria sententia alte inederat, nullas hic interpolationes observavit; imo asserere non est veritus, interpretem suum, quem ipse e tenebris primus eruit, Epistolam ad Polycarpnm integram ex recentiore editione assumpsisse; quod primo intuitu a veritate alienum esse deprehenditur. Nam primæva hujus etiam Epistolæ editio, quam secutus est interpres ejus, et quæ in Mediceo codice conservatur, multum a recentiori editione differt, quæ e reliquis codicibus descripta est et partim a vulgato interprete conversa. Duo præcipue loca memorabo, ex inscriptione unum, ex corpore Epistolæ alterum, ut Interpolatoris manus manifeste appareat. Cpdex Medicens: Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος, Πολυκάρπῳ ἐπισκόπῳ Ἐκκλησίας Σμυρναίων. Interpres Usserianus: «Ignatius, qui et Theophorus, Polycarpo episcopo Ecclesiæ Smyrnæorum» Vulgati Græci codex: Ἰγνάτιος [ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας, ὁ καὶ μάρτυς Ἰησοῦ Χριστοῦ], Πολυκάρπῳ ἐπισκόπῳ Ἐκκλησίας Σμυρναίων. Et vulgatus interpres: «Ignatius [episcopus Antiochiæ, qui et martyr Jesu Christi], Polycarpo episcopo Smyrnensium.» In corpore Epistolæ codex Medicens: Πλέον σπουδαῖος γίνου οὗ εἶ, τοὺς καιροὺς καταμάνθανε· τὸν ὑπέρκαιρον προσδόκα, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατόν, τὸν ἀψηλάφησον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητόν. Interpres Usserianus: «Plus studiosus fias, quam es; tempora considera; eum qui supra tempus exspecta, intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem, impassibilem, propter nos passibilem» Vulgati Græci codices: Πλεῖον πρόσθες τῇ σπουδῇ οὗ εἶ (satis absurde), [συντονώτερον δράμε], τοὺς καιροὺς καταμάνθανε [ὡς ἐνταῦθα εἶ νίκησον· ὧδε γὰρ ἐστὶ τὸ στάδιον, ἐκεῖ δὲ οἱ στέφανοι]. Προσδόκα [Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ], τὸν ἄχρονον [ἐν χρόνῳ], τὸν ἀόρατον [τῇ φύσει], ὁρατὸν [ἐν σαρκὶ], τὸν ἀψηλάφητον [καὶ ἀναφῆ ὡς ἀσώματον, δι' ἡμᾶς δὲ ἁπτὸν καὶ ψηλαφητὸν ἐν σώματι], τὸν ἀπαθῆ, [ὡς Θεὸν], δι' ἡμᾶς δὲ παθητὸν [ὡς ἄνθρωπον]. Et Vulgatus interpres: «Plurimum adde ad festinationem, [continuanter curre], tempora cognosce [ut in ipsis semper vincas. Hic enim est stadium, illic corona]. Exspecta [Christum Filium Dei], intemporalem [in tempore], invisibilem [et intactum, ut incorporeum, corporeum vero propter nos et contrectabilem], impassibilem [ut Deum], passibilem vero propter nos [ut hominem].» Hinc igitur patet duas fuisse editiones Epistolæ ad Polycarpum multum diversas, germanam unum, interpolatam alteram germanam et primævam secutum esse interpretem Usserianum, posteriorem seu interpolatam vertisse interpretem Vulgatum. Idem etiam liquet ex verbis ad finem Epistolæ, in Vulgato Græco codice additis, Ἀμήν, ἡ χάρις, quibus respondent in Vulgato interprete, *Amen, gratia*, quæ a Mediceo codice et interprete Usseriano prorsus absunt. Hinc enim Armachanus ipse colligit Anastasium patriarcham Antiochenum circa annum 595, vulgata sive interpolata editione Græca usum fuisse. Quippe Gregorius papa Romanus. Registri l. IV, indict. 13, epist. 37, cum ad finem epistolæ suæ ad Anastasium scriptæ apposuisset, *Amen, gratia*, statim hæc addit: «Quæ, videlicet, verba de scriptis vestris accepta in meis epistolis pono, ut de S. Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est, sed et noster. Sicut enim magistrum ejus apostolorum principem habemus communem, ita quoque ejusdem prin-

cipis discipulum nullus nostrum habeat privatum.» Cum igitur hæc verba Ἀμὴν, ἡ χάρις, ad finem Epistolæ ad Ephesios, et pariter hujus ad Polycarpum apposita reperiantur, apparet, utramque pariter etiam illo ævo fuisse interpolatam.

Ad hæc omnia ulterius confirmanda multum valet id quod nos primi observavimus, fuisse antiquitus aliam Ignatianorum editionem, præter eas tres, quas memorat Usserius. Erat autem hæc editio omnium et solarum epistolarum quas vidit Eusebius, sed interpolatarum. Neque hæc est conjectura mera. Habeo enim exemplar ms. Græcum epistolarum Ignatianarum, mihi a viro docto et antiquitatum curioso communicatum, sine fictis et suppositiis (septem enim tantum sunt,) sed cum assumentis quidem diu post Eusebium imo et Gelasium factis, epistolas hoc ordine repræsentans.

Πρὸς Τραλλησίους Α'. Πρὸς Μαγνησίους Β'. Πρὸς Φιλαδελφεῖς Γ'. Πρὸς Σμυρναίους Δ'. Πρὸς Πολύκαρπον ἐπίσκοπον Σμύρνης Ε'. Πρὸς Ἐφεσίους ζ'. Πρὸς Ῥωμαίους Ζ'.

Hanc ego editionem peculiarem et ab aliis distinctam invenio, ideoque pro tribus Usserii quatuor diversas Ignatii editiones olim obtinuisse statuo. Prima fuit germana, epistolarum tantum septem : a Polycarpo edita, et ipsius Epistolæ ad Philippenses, in conventu Asiæ lectæ, subjecta, Irenæo, Theophilo, Origeni, Eusebio, Athanasio, Chrysostomo, Hieronymo, Theodoreto, Gelasio, Ephraimo, Antiocho cognita. Secunda fuit earumdem epistolarum septem, sed interpolata : qualis in nostro exemplari Græco ms. exstat, Stephano Gobaro, Anastasio patriarchæ Antiocheno, et Chronici Alexandrini consarcinatori conspecta. Tertia editio fuit, ex septem genuinis, et quatuor fictis seu suppositiis conflata, qualis in Mediceo codice, et interprete Usseriano comparet, Joanni Damasceno, et Antonio usurpata. Qarta denique fuit, ex septem interpolatis, et quinque suppositiis constans, addita. scilicet, Epistola ad Philippenses, postremo loco ficta, qualis in Augustano codice et Nidprucciano repræsentatur et a vulgato interprete redditur, Anastasio presbytero, et Adoni Viennensi visa. Unde liquet Epistolam ad Polycarpum in secunda et quarta editione apparuisse interpolatam, in tertia ab omni assumento liberam, ac proinde ex primæva in tertiam sine ulla interpolatione fuisse derivatam.

Hinc etiam patere potest, quid sentiendum sit de Vulgato interprete Latino, apud quem posterior pars Epistolæ ad Polycarpum non apparet. Armachanus eam partem velut adjectitiam resectam fuisse arbitratur, « quod tam multa in ea reperirentur, quæ ad Ecclesiam Smyrnæorum magis pertinebant, quam ad illius episcopum Polycarpum ; ab illis videlicet, verbis sui interpretis : « Episcopo attendite ; ut et Deus vobis. » Sed hæc conjectura seipsam jugulat. Neque enim resecta interpretatio dicenda est, quam unquam exstitisse non constat. Neque, si unquam exstiterit, ihi resecta est, ubi Ignatius Smyrnæos alloquitur, sed multo superius ; non ad ea verba, *Episcopo attendite, ut et Deus vobis*, sed ad ista longe priora : « Secundum omnem modum propter nos sustinentem. » Ineptissimi certe hominis et male feriati, ne dicam insani fuisset, tot sententias ad Polycarpum utrinque pertinentes ideo resecare, quod nonnullæ interjectæ ad Smyrnæos magis pertinere viderentur. Alia igitur hujus rei ratio reddenda est ; et sane ex sententia nostra perquam luculenta. Vulgatus ille interpres nec plenam nobis inscriptionem dedit, nec Epistolam. Ratio utriusque defectus eadem : quoniam epistolas jam interpolatas Latine reddere instituerat. Inscriptio priori parte interpolata est, posteriori minime : priorem igitur partem interpretatus, posteriorem plane omisit. Pariter prior pars Epistolæ insigniter interpolata est ; posteriori unum aut alterum verbulum adjectum. Priorem igitur partem interpretatus, posteriorem penitus omisit quod esset, opinor, ab alio interprete prius reddita. Hujus autem rei signum evidentissimum mihi videtur, quod in verbis interpolatis, *ut hominem*, desinat : reliqua, « secundum omnem modum propter nos sustinentem, » licet ad eamdem sententiam pertinentia, omittat.

Proinde septem epistolas ab Eusebio S. Ignatio attributas censeo ; inter eas Epistolam ad Polycarpum numerandam affirmo ; easdem omnes in Polycarpiana συναγωγῇ collectas, epistolæ ejus, in conventu Asiæ per aliquot sæcula publice lectæ, subjunctas, et a sancto martyre conscriptas fuisse asseveranter contendo. Sententiam Dallæi de impostore primo, sex epistolas post ducentos ab Ignatii martyrio annos in lucem proferente, et secundo, illam ad Polycarpum post ducentos etiam alios parturiente, figmentum, imo portentum esse judico.

Atque hæc de ortu, progressu et hodierno statu hujus controversiæ, introductionis more, atque perspicuitatis gratia dixisse sufficiat : quæ loco trium priorum capitum libri Dallæani, et prioris etiam quarti partis ponenda censui, ut ad ea aliud quidpiam reponere necesse non sit.

VINDICIARUM PARS PRIMA

Qua argumenta pro S. Ignatii epistolis e veterum testimoniis afferuntur, et a Dallæi exceptionibus vindicantur.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta pro S. Ignatii epistolis sunt vel externa vel interna. Externa a testimoniis, interna ab ipsis epistolis.

Ut probemus,aut persuasum habeamus,epistolas basce, de quibus dicimus, quæ nunc in omnium manibus sunt, et Ignatii præ se nomen ferunt, revera ab illo Antiochenæ Ecclesiæ antistite apostolorum discipulo et sanctissimo martyre, circa initium secundi sæculi fuisse conscriptas, non aliud quidquam a nobis, qui hac ætate vivimus, aut requiri aut exspectari potest, quam ut ex idoneis testimoniis eorum, quibus in rebus hujusmodi par est credere, id fideliter firmiterque colligamus ; et epistolas ipsas tanto auctore dignas, et temporis rerumque circumstantiis apprime congruas ostendamus. Ad auctoritatem enim Ignatianorum, aut aliorum quorum.cunque veterum scriptorum asserendam confirmandamque duo tantum argumentorum genera aflerri possunt, externa, scilicet, vel interna ; quorum priora ex testimoniis, posteriora e scriptis ipsis petuntur.Quamobrem dissertationem nostram in duas partes dispescendam duximus ; quarum quidem prima testimonia proferet,eademque ab adversarii objectionibus vindicabit ; et quæ ab ipso testimonia afferri videantur,quæque sub specie argumenti negantis disputantur,refutabit: secunda epistolas ipsas considerabit,easque ostendet et ævo Ignatiano rerumque circumstantiis apprime congruas, et ex ipsa materia atque scriptione martyre et episcopo Antiochensi dignas ; argumentisque omnibus, vel ex rebus, vel ex verbis ab adversario ductis, respondebit, plenissimeque satisfaciet. Quod si tam multa Veterum testimonia, tamque apposita pro his epistolis afferre poterimus, quam quæ in aliis hujusmodi scriptis stabiliendis,et extra omnem controversiam ponendis acceptari ab omnibus solent ; ac simul etiam epistolas ipsas tales esse ostenderimus, uteo ipso viro dignæ videantur, cui a veteribus tribuuntur, nihilque in iis omnino contineri,quod auctorem S. Ignatio vel minus antiquum vel minus pium.aut prudentem postulet, si hæc ita tractaverimus, ut summæ testium auctoritati rei ipsius dignitas suffragetur, nihil in disputandi genere ulterius requiri posse confidimus. Neque aliqua ratio assignari poterit, quare ullum antiqui scriptoris opus pro legitimo habeatur, si hæc a nobis rite probata repudientur.

Ut primi generis argumento epistolas de quibus agitur ab Ignatio martyre conscriptas fuisse demonscretur, ex idoneis testimoniis eorum, quibus in rebus hujusmodi par est credere, id fideliter firmiterque colligemus.Idoneos autem testes putamus scriptores ecclesiasticos veteres,qui antequam hæc in Ecclesia orta, aut postquam aliquibus oriri visa est, controversia, sententiam suam, ut se obtulit occasio,sine ulla dubitatione aut hæsitatione protulerunt. Hos ego testes incorruptos adducam atque integros : ex horum scriptis indubitatis, aut ab importuna dubitatione vindicatis, testimonia preferam ; idque ea modestia præstabimus, ut nullius veterum famæ detrahatur, nullius nomini injuria fiat, sua cuique auctoritas, qualis et quanta in Ecclesia Dei hactenus fuit illibata conservetur ; ea fide, ut neminem obtorto collo ad judicium ferendum trahamus, omnia plane et nude repræsentemus, prout in eorum scriptis reperiuntur. Cum igitur Ignatii epistolæ decimo quinto sæculo jamjam exeunte erutæ et impressæ primum conspicerentur, et varia hominum judicia postmodum expertæ sint ; ita veterum testimonia adducam atque disponam,ut omni, ab ipsa quo scriptæ sunt tempore, sæculo, usque ad eam ætatem qua impressæ prodierunt, a viris maximis agnitas et approbatas ostendam.

CAPUT II.

Testimonia pro S. *Ignatii epistolis. Quæ ita disponuntur ut nullum sæculum suis testimoniis careat, a secundo, quo primum natæ, ad decimum quintum, quo impressæ sunt epistolæ.*

Intra paucos post initum secundi sæculi annos natas esse has epistolas assero : duos igitur ejusdem ævi scriptores nobilissimos, S. Polycarpum et S. Irenæum testes cito. S. Polycarpus S. Joannis apostoli discipulus, ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps, S. Ignatio nostro perfamiliaris fuit ; cujus martyr ipse in epistolis meminit, cui earum etiam unam privatim misit.Hunc autem harum epistolarum mentionem fecisse diserte tradit Eusebius *Hist. Eccl.* l. III, c. 37 : Καὶ ὁ Πολύκαρπος δὲ τούτων αὐτῶν μέμνηται ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῇ. Hoc est, interprete Valesio: «Sed et Polycarpus in sua ad Philippenses epistola earumdem meminit epistolarum.» Ita Eusebius, cum jam septem S. Ignatii epistolas enumerasset, et descripsisset. Meminit quidem S. Ignatii sæpius in Epistola sua ad Philippenses S. Polycarpus ; nostræ autem assertioni hæc præcipue verba testimonium præbent, quæ ipse Eusebius ex ejus epistola tunc temporis cum omnibus esset notissima, et in Asiæ conventu legeretur, descripit. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου, τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε, ἅτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ

τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ. Quæ in veteri ejusdem epistolæ versione ita etiamnum Latine legimus : « Epistolas sane Ignatii, quæ transmissæ sunt vobis (*pro* nobis) ab eo, et alias quantascunque apud nos habuimus, transmisimus vobis, secundum quod mandastis; quæ sunt subjectæ huic Epistolæ. » Alter hujus sæculi testis, S. Irenæus Polycarpi discipulus, et apostolicorum temporum vir; quem harum epistolarum meminisse non semel testatur Eusebius. Ut *Eccl. Hist.* l. v, c. 8 : Ἔτι καὶ Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος καὶ Ἰγνατίου μνήμην πεπείηται, μαρτυρίαις αὐθις καὶ ἀπὸ τῶν τούτοις γραφέντων κεχρημένος. « Præterea Justini martyris et Ignatii mentionem facit, ex eorum scriptis testimonia proferens. » Quot quidem ex S. Ignatio testimonia protulerit S. Irenæus, scire nunc non licet, quod multa illius opera jam perierint. Unum expresse notavit Eusebius *Hist. Eccl.* l. III, c. 36 : Οἷδε δὲ αὐτοῦ τὸ μαρτύριον ὁ Εἰρηναῖος, καὶ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ μνημονεύει λέγων οὕτως· Ὡς εἴπέ τις τῶν ἡμετέρων διὰ τὴν πρὸς Θεὸν μαρτυρίαν καταχριθεὶς πρὸς θηρία, ὅτι· Σῖτός εἰμι Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ. Hoc est, interprete Ruffino : « Scit autem et Irenæus martyrium ejus, et mentionem facit scriptorum (*pro* epistolarum) ejus per hæc verba : Sicut dixit, inquit, quidam ex nostris pro martyrio Christi damnatus ad bestias : « Frumentum, ego sum Dei ; bestiarum dentibus molor et subigor, ut panis mundus efficiar Christo. » » Hæc autem verba ab Eusebio Græce excerpta, postquam Græca S. Irenæi exemplaria perierunt, in veteri Latina versione adhuc reperiuntur, l. III, c. 28 : « Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias, « quoniam frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molor ut mundus panis inveniar. » » Eademque in S. Ignatii Epistola ad Romanos exstant : Σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ.

Luculentissimis hisce testimoniis tres conjecturas subjungendas putavi, ex eodem sæculo petitas : quæ si eruditis placeant, bene est ; mihi certe placent, ut conjecturæ, scilicet, neque alio nomine propono. Smyrnensis Ecclesiæ epistola, licet in martyrio S. Polycarpi celebrando potissimum versetur, tamen et Germanici exitum breviter describit, qui, velut alter Ignatius, ἐπισήμως ἐθηριομάχησε, *gloriose pugnavit ad bestias*. Cum enim proconsul eum ab animi proposito retrahere conaretur, ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο τὸ θηρίον προσβιασάμενος, inquiunt, *feram ad se attraxit, vi adigens*. Quibus verbis existimo Ecclesiam Smyrnensem ad epistolam S. Ignatii omnino respexisse, et in simili proposito eodem vocabulo uti voluisse. Ita enim ille ad Romanos, de feris quibus objiciendus fuit : Κἂν αὐτὰ δὲ ἄκοντα μὴ θέλῃ ἐγὼ προσβιάσομαι, *quod si forte ipsæ recusabunt, ego eas vi adigam*. S. Theophilus, sextus Antiochensis Ecclesiæ episcopus, post S. Ignatium quartus, scripsit in S. Matthæum Commentarios, quos se legisse testatur S. Hieronymus, antequam suos in eumdem evangelistam scriberet. Sub hujus Theophili nomine etiamnum exstant in S. Matthæum Commentarii, sed Latine tantum, in quibus ad illa verba : « Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, » Matth. I, 18, hæc legimus : « Quare non ex simplici virgine, sed ex desponsata concipitur Christus? Primo, ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur ; secundo, ne lapidaretur a Judæis ut adultera. Tertio, ut in Ægyptum haberet solatium viri. Quarto, ut partus ejus falleret diabolum, putantem Jesum de uxorata, non de virgine natum. » Si hæc Theophili sint, sine dubio quartam rationem ex epistola S. Ignatii hausit. Nam cum S. Hieronymus, qui se Theophili commentarios legisse professus est, quatuor has rationes expressisset, quartam in hunc modum protulit : « Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit, ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum. » Quis enim non videt, si hæc Hieronymus ex Theophilo transcripsit, eum pro more suo indicare voluisse S. Theophilum hæc ab Ignatio decessore suo habuisse. Ignatius enim ipse non hanc quartam causam addidit, neque ullam causam protulit, cur a desponsata conceptus fuerit Christus : sed tantum dixit virginitatem Mariæ diabolum latuisse ; hanc autem sententiam Ignatii tanquam causam addidit Theophilus, atque adeo causam hanc attribuit Ignatio Hieronymus, quod eum illius sententiæ auctorem agnosceret. Certe hæc Hieronymus ex suo penu non sumpsit, sed a veteri commentatore hausit ; uno, scilicet, ex illis, quos ipse in Præfatione nominat, quem alium quam Theophilum fuisse non puto. Nam S. Basilius, oratione *in Natali Christi* habita, eumdem sine dubio auctorem respiciens, ait : Εἴρηται δὲ τῶν παλαιῶν τινι καὶ ἕτερος λόγος, ὅτι ὑμὲρ τοῦ λαθεῖν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου τὴν παρθενίαν τῆς Μαρίας ἡ τοῦ Ἰωσὴφ ἐπενοήθη μνηστεία. Cum enim tres causas attulisset, quartam sic adjungit : « Alia autem ratio a veterum quodam prolata est, quod ut principem hujus sæculi lateret virginitas Mariæ, desponsatio Josephi est excogitata. » Non igitur Theodorus fuit, non Apollinarius, non Didymus ; hi enim omnes S. Basilio synchroni fuere, sed vel Hippolytus, vel Origenes, vel Theophilus, quod potius reor. Utcunque sit, scriptor ille qui a S. Basilio antiquus dicebatur, haud injuria a nobis secundo sæculo vindicatur.

Porro Peregrinus, sive Proteus, ex ethnico Christianus, ex Christiano Cynicus, igni se tradidit valde senex; de quo Eusebius in Chronico ad quintum Marci, « Apud Pisas Peregrinus philosophus rogo, quem ex lignis composuerat, incenso seipsum superinjecit. » Cum enim vilissimus homuncio insana quadam gloriæ cupiditate flagraret, ita se gessit, ut eam quam posset, maximam sibi conciliaret. Excogitavit autem id quod nulli unquam philosopho in mentem venit : epistolas jamjam moriturus ad insignes

maxime civitates, et viros quosdam velut legatos misit ; ut igitur igne Herculem aut Empedoclem,ita epistolis,et legatis S.Ignatium nostrum de industria imitatum esse nebulonem sentio,et hujus conjecturæ rationem minime incertam reddo. Christianam religionem sub Adriano professus erat Peregrinus, et non mediocrem inter Christianos auctoritatem sibi comparaverat,unde in vincula conjectus factus est confessor nobilis, et ad eum sublevandum quamplurimi,etiam οἱ ἐν τέλει, *presbyteri, episcopique*,undique convolabant. Martyrium igitur subire maxime velle videbatur, et proconsul Syriæ, cum intelligeret ὅτι δέξαιτ' ἂν ἀποθανεῖν ὡς δόξαν ἐπὶ τούτῳ ἐπιλίποι, *quod mori cuperet, ut inde famam posteris relinqueret,* eum pœnæ subduxit et carcere liberavit. Et quidem postea gloriosus hic confessor ex Ecclesia ejectus est ; sed dum illa sub Syriæ proconsule passus est, non potuit eum latere S. Ignatii fama,cujus reliquiæ tanta cum veneratione Antiochiæ conservatæ sunt ; et cum tot ex Asia ad eum in carcere detentum conflluerent, sine dubio Ignatii omnia sæpissime commemorabantur. Placuit itaque ineptissimo viro,ab Ecclesia ejecto,et a philosophis recepto.mori quidem tanquam philosophum, famam autem eodem modo acquirere, quo acquisivisse Ignatium putavit ; epistolas ante mortem ad civitates nobilissimas exarando,et tales omnino viros instituendo, quales illum sæpius postulasse noverat.Hoc vero a Luciano disertissimis verbis descriptum est in *Peregrino* suo : Φασὶ δὲ πάσαις σχεδὸν ταῖς ἐνδόξοις πόλεσιν ἐπιστολὰς διαπέμψαι αὐτὸν, διαθήκας τινὰς, καὶ παραινέσεις, καὶ νόμους, καί τινας ἐπὶ τούτων πρεσβευτὰς τῶν ἑταίρων ἐχειροτόνησε, νεκραγγέλους καὶ νεοτεροδρόμους προσαγορεύσας. « Aiunt autem eum ad omnes fere præclaras civitates epistolas misisse, monita quædam, exhortationes, atque leges : et ex sociis suis de his legatos ordinavit, a mortuis nuntios, et ab inferis cursores appellans. »

Habemus hic epistolas a jamjam morituro ad insigniores civitates missas, cum exhortationibus : quod fecit S. Ignatius,neque ante Peregrinum præter eum, opinor, quisquam : habemus viros ex sociis suis institutos tanquam legatos : scilicet,ἐχειροτόνησε πρεσβευτάς, plane ut apud Ignatium nostrum epistola ad Smyrnæos, χειροτονῆσαι θεοπρεσβευτήν, et ad Magnesianos, χειροτονῆσαι διάκονον εἰς τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ θεοῦ πρεσβείαν· habemus eos legatos a Peregrino appellatos νεοτεροδρόμους, ut apud Ignatium, χειροτονῆσαί τινα, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι. Si huic conjecturæ locus sit, has epistolas quas defendimus probe novit Peregrinus, qui ante martyrium Ignatii natus, post medium sæculi secundi flammis se dedit.

Tertii quidem sæculi scriptores ecclesiasticos, præsertim Græcos, quibus maxime tum notus fuit S. Ignatius, habemus sane superstites perpaucissimos ; quorum præcipuus Origenes,eodem quo scripsit Ignatius ævo natus, et rebus theologicis innutritus, locupletissimus nobis testis est.Is enim undecimo Severi anno,tertio sæculo jam ineunte, *Catecheseon* opus aggressus, adhuc juvenis *Homilias in S.Lucam* scripsit quas interpretatus est S. Hieronymus.Homilia autem sexta hæc legimus : « Eleganter in cujusdam martyris epistola scriptum reperi ; Ignatium dico, episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias : « Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ. » » Ita nunc legimus in Epistola ad Ephesios, ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας. Vetus Interpres : « Latuit principem sæculi hujus virginitas Mariæ. » Idem Origenes natu grandior *Commentarios in Canticum* scripsit,in quorum Prologo hæc legimus : « Denique meminimus aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo : « Meus autem amor crucifixus est, » nec reprehendi eum pro hoc dignum judico. » Hæc autem verba in Epistola ad Romanos adhuc reperiuntur, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Vetus Interpres : « Meum desiderium crucifixum est. »

Quarti sæculi,sane florentissimi,ut multo plures ecclesiasticos scriptores,ita et Ignatianorum testes habemus.Eorum primus mihi quidem videtur ille, quisquis est, qui Dionysius Areopagita vulgo nominatur ; non longe enim ab initio hujus ævi eum scripsisse sentio. Ille autem libro *De divinis nominibus,* de amore disputans, et Origenem sequens, ita loquitur : Καίτοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγαπῆς· γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. « Visum est aliquibus nostræ ætatis sacris scriptoribus amoris quam charitatis nomen divinius esse.Scribit autem et divinus Ignatius : « Amor meus crucifixus est. » » Hujus autem viri longe doctissimi, si initio hujus sæculi revera scripserit,ut arbitramur,luculentissimum testimonium est ; quisquis autem fuerit, sive hujus, sive sequentis ævi scriptor, varia de hoc ipso loco hominum judicia Ignatianorum auctoritatem, ut deinceps ostendemus, plurimum confirmabunt.

Secundus hujus ævi testis est Eusebius Cæsariensis episcopus, qui multos Origenis discipulos vidit. Is autem cum singulos nominatim recensere non posset,qui primis apostolicæ successionis temporibus antistites, aut evangelistæ fuerant, eorum duntaxat nomina recensere statuit,quorum monumentis apostolicæ doctrinæ traditio ad sua usque tempora ferebatur. *Hist. eccles.*, l. III, c. 37, 38 : Ὥσπερ οὖν ἀμέλει τοῦ Ἰγνατίου ἐν αἷς κατελέξαμεν ἐπιστολαῖς, καὶ τοῦ Κλήμεντος ἐν τῇ ἀνωμολογημένῃ παρὰ πᾶσιν. « Quod factum est in epistolis Ignatii quas recensuimus,et Clementis illa ab omibus recepta. » Eusebius igitur, unam Clementis, plures Ignatii epistolas proponebat, ut antiquissima, apostolicæ successionis scripta, et apostolorum doctrinæ traditionem continentia.Illæ autem epistolæ, quas tantopere laudavit Eusebius, ipsissimæ sunt quas nos habemus, et defendimus. Tradit enim

Hist eccles., l. III, c. 36, Ignatium per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductum, singularum civitatum quas ingressus est ecclesias sermonibus et cohortationibus confirmasse, atque inprimis monuisse, ut ab hæresibus caverent tum primum exortis et invalescentibus; hortatumque esse, ut apostolorum traditioni tenaciter adhærerent, quam cautelæ gratia, etiam scriptis mandare necessarium duxit. Quare cum Smyrnæ esset, inquit, quatuor epistolas scripsit, ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, Romanos ; a Troade tres, ad Philadelphenses, ad Smyrnæos, et privatim ad Polycarpum. Hæc omnia diligentissime ex ipsis epistolis, ut opinor, observavit Eusebius ; epistolam enim ad Ephesios Smyrnæ scriptam fuisse ipsa testatur: « Unanimis vobiscum ego, et quem misistis in Dei honorem in Smyrnam, unde et scribo vobis. » Ad Magnesios: « Salutant vos Ephesii a Smyrna, unde et scribo vobis. » Ad Trallianos: « Saluto vos a Smyrna. » Ad Romanos : « Scribo autem vobis hæc a Smyrna. » Tres reliquas epistolas Troade scriptas fuisse, ex ipsis pariter patet. Ad Philadelphenses: « Salutat vos charitas multorum, qui in Troade unde et scribo vobis per Burrum. » Ad Smyrnæos : « Salutat vos charitas fratrum, qui in Troade, unde et scribo vobis per Burrum. » Ad Polycarpum : « Quia igitur omnibus ecclesiis non potui scribere, propter repente navigare me a Troade in Neapolim, ut voluntas præcipit, scribes aliis ecclesiis. » Observat Eusebius, Ignatium in epistola ad Ephesios Onesimi ipsorum pastoris meminisse, in epistola ad Magnesios Damam episcopum nominasse, in epistola ad Trallianos Polybii antistitis mentionem fecisse ; quos omnes earumdem Ecclesiarum episcopos nostræ epistolæ agnoscunt. Dicit eum Polycarpo Antiochenæ Ecclesiæ gregem commendasse, rogasseque ut omni cura et diligentia illum fovere vellet, quod in epistola ad eum data pluribus narratur. Pergit ulterius, et εἰς ἐπίδειξιν τῶν εἰρημένων, ex epistola ad Romanos bene longam ῥῆσιν excerpit, ut ipse loquitur, κατὰ λέξιν· Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, etc., quæ versioni nostræ Latinæ prorsus conveniunt, adeo ut hæc accuratior sit Eusebianorum translatio, quam vel Hieronymiana vel Rufiniana. Aliam etiam ex Epistola ad Smyrnæos sententiam transcripsit, quæ in nostris codicibus totidem verbis exstat. Denique ad confirmandam superiorem de his narrationem, Polycarpi et Irenæi testimonia profert, de quibus ante diximus, et postea dicendum erit. Hæc sunt ab Eusebio adeo diligenter luculenteque exposita, ut Dallæus ipse dixerit : « Fatemur Eusebium illas epistolas agnoscere, et pro vere Ignatianis habere : neque dissimulamus eas, de quibus ille verba facit, has ipsas fuisse videri, quæ his hodie nominibus circumferuntur, quales eas reverendissimus Usserius Latine; eruditissimus Vossius Græce, ex libris ille Anglicanis, hic Mediceis ediderunt. »

Eusebio succedit Athanasius, vere magnus, qui in epistola de synodis Arimini et Seleuciæ dum adhuc Arimini synodus hæreret, hoc est, circa annum Christi 360 scripta, hoc nobis illustre testimonium præbet. *De synodis*, p. 922 : Ἰγνάτιος οὖν, ὁ μετὰ τοὺς ἀποστόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ καταστα θεὶς ἐπίσκοπος, καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ γενόμενος, γράφων περὶ τοῦ Κυρίου εἴρηκεν· Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικὸς καὶ πνευματικός, γενητὸς καὶ ἀγένητος, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ. « Ignatius igitur qui, post apostolos, Antiochiæ episcopus constitutus est, et martyr Christi fuit, scribens de Domino dixit : « Unus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo. » Hæc enim verba ex Epistola ad Ephesios sunt transcripta, quam scripsisse non larvatum aliquem Ignatium, sed verum illum, apostolorum successorem, et martyrem testatur S. Athanasius. Idem paulo post : Ὁ μακάριος Ἰγνάτιος ὀρθῶς ἔγραψε, γενητὸν αὐτὸν λέγων διὰ τὴν σάρκα, ὁ γὰρ Χριστὸς σὰρξ ἐγένετο· ἀγένητον δὲ, ὅτι μὴ τῶν ποιημάτων καὶ γενητῶν ἐστιν, ἀλλὰ Υἱὸς ἐκ Πατρός. « Recte scripsit beatus Ignatius, factum eum dicens ob carnem ; Christus enim caro factus est ; non factum autem, quod non sit ex creaturis, et iis quæ facta sunt, sed Filius e Patre. »

Huic etiam sæculo S. Joannes Chrysostomus ascribendus est : presbyter enim ordinatus Antiochiæ anno 386, Constantinopoli episcopus consecratus est anno 398. Dum autem Antiochiæ esset, præclaram in S. Ignatii martyrium orationem habuit, in qua verba ejus, quæ sunt in Epistola ad Romanos adducit. Tom. V, orat. 70, pag. 504 : Ἀκούσας γὰρ ὅτι οὗτος αὐτὸν τῆς τιμωρίας ὁ τρόπος μένει, Ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὀναίμην, ἔλεγε· τοιοῦτοι γὰρ οἱ ἐρῶντες· ὅπερ ἂν πάσχωσιν ὑπὲρ τῶν ἐρωμένων μεθ' ἡδονῆς δέχονται. « Cum enim audivisset, quod hic eum supplicii modus maneret, « Utinam ego illis bestiis fruar, » inquiebat. Tales enim sunt qui amant ; quidquid pro iis quos amant patiantur, cum voluptate ferunt. » Idem rursus in oratione ipsi antiquitus attributa. *Quod unus Veteris et Novi Testamenti legislator sit*, hæc habet, tom. VI, pag. 645 : Διὰ τοῦτό τις τῶν ἀρχαίων, Ἰγνάτιος δὲ ὄνομα αὐτῷ, οὗτος ἱερωσύνῃ καὶ μαρτυρίῳ διαπρέψας, ἐπιστέλλων τινὶ ἱερεῖ ἔλεγε, Μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω· μηδὲ σὺ ἄνευ γνώμης Θεοῦ τι πράττε. « Propterea quidam ex antiquis, nomine Ignatius, sacerdotio et martyrio clarus, in epistola ad sacerdotem quemdam dixit : « Nihil sine sententia tua fiat ; neque tu sine sententia Dei quidquam facias. » Quæ totidem verbis in epistola ad Polycarpum etiamnum exstant.

Eidem ævo tribuenda sunt testimonia S. Hieronymi, qui anno 14 imperatoris Theodosii, circa annum Domini 393, *Catalogum scriptorum ecclesiasticorum* se composuisse testatur, in quo *Catalogo* hæc habet : « Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius, post Petrum apostolum episcopus, commovente persecutionem Trajano damnatus ab bestias, Romam

ittitur.Cumque navigans Smyrnam venis- A
olycarpus auditor Joannis episcopus erat,
nam epistolam ad Ephesios.alteram ad Ma-
s,tertiam ad Trallenses,quartam ad Roma-
nde egrediens scripsit ad Philippeos, et ad
os,et proprie ad Polycarpum, commendans
iochensem Ecclesiam,et reliqua Eusebiana
mia, tacito Eusebii nomine,transcripsit,ad-
sua fecit. Imo libello *Adversus Helvidium*,
ante *Catalogum* scripsit, circa annum,ut opi-
83, ab fontem veritatis provocans, Ignatinm
iam veterum scriptorum principem nominat.
nquid non possum tibi totam veterum scripto-
seriem commovere,Ignatium,Polycarpum,Ire-
m,Justinum martyrem,multosque alios aposto-
s et eloquentes viros, qui adversus Hebionem, et B
odotum Byzantium, et Valentinum hæc eadem
ntientes plena sapientiæ volumina conscripse-
nt?» Idem in S.Matthæum :«Ignatius etiam quar-
m addidit causam cur a desponsata conceptus sit,
ut partus,inquiens,ejus celaretur diabolo.»Et quid
e scriptis Ignatii nostri senserit,etiam cum erravit,
ostendit,*Adv.Pelagianos* l.m : « Ignatius,vir apostolicus et martyr,scribit audacter : « Elegit Dominus apostolos, qui super omnes homines peccatores erant. » Verba enim non sunt Ignatii,sed Barnabæ, in cujus Epistola etiamnum exstant.

Quinti sæculi primus testis est B. Theodoretus episcopus Cyri,qui et tertio et quarto generali concilio interfuit. Ille autem, cum testes ecclesiasticæ doctrinæ posteriores enumerasset, hæc de vetustissimis addidit,epist.ad monachos Constantinopolitanos, p. 1027 : Καὶ οἱ τούτων πρεσβύτεροι Ἰγνάτιος, καὶ Πολύκαρπος, καὶ Εἰρηναῖος, καὶ Ἰουστῖνος, καὶ Ἱππόλυτος, ὧν οἱ πλείους οὐκ ἀρχιερέων προλάμπουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν μαρτύρων διακοσμοῦσι χορόν. «Atque his antiquiores,Ignatius,et Polycarpus, et Irenæus, et Justinus,et Hippolytus,quorum plerique non modo inter pontifices prælucent,sed martyrum etiam chorum exornant. Idem Epist. ad Florentium Patricium, pag. 966 : Ταῦτα δὲ ἡμῖν παρέδοσαν οὐ μόνον οἱ ἀπόστολοι καὶ προφῆται, ἀλλὰ καὶ οἱ τὰ τούτων ἑρμηνευκότες, συγγράμματα, Ἰγνάτιος, Εὐστάθιος, Ἀθανάσιος, Βασίλειος, Γρηγόριος, Ἰωάννης, καὶ οἱ ἄλλοι τῆς οἰκουμένης φωστῆρες.«Hæc nobis tradidere non apostoli modo et prophetæ, verum etiam ii,qui horum libros interpretati sunt,Ignatius, Eustathius, Athanasius, Basilius, Gregorius, Joannes,et reliqua orbis lumina.»Ignatii autem testimonia adversus hæreticum producturus, *Dial. Immutab.* sic de ipso præfatur : Ἐπιδείξω δὲ σοι τὸν πανεύφημον τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλον, καὶ τὸ ἐκείνου περὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως φρόνημα, ἵνα γνῷς τίνα περὶ τῆς ληφθείσης ἐδόξασε φύσεως· ἀκήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἰθύνας τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο. «Ostendam autem tibi celeberrimum Ecclesiæ doctorem,et illius de divina incarnatione sententiam, ut cognoscas de susA cepta natura quid senserit. Audivisti enim prorsus Ignatium illum, qui de Petri dextera pontificatus gratiam suscepit, et post administratam Ecclesiam Antiochenam martyrii coronam adeptus est. » Cum tam honorificam auctoris mentionem fecisset, ex epistolis ejus testimonia subjicit : Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους (ita legendum, non Ῥωμαίους) Ἐπιστολῆς.« S. Ignatii,episcopi Antiocheni et martyris ex Epistola ad Smyrnæos. » Πεπληροφορημένους ἀληθῶς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν, ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, Υἱοῦ Θεοῦ κατὰ θεότητα καὶ δύναμιν, γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ Παρθένου, βεβαπτισμένον ὑπὸ Ἰωάννου ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ' αὐτοῦ, ἀληθῶς ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου καὶ Ἡρῴδου τετράρχου καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν σαρκί. « Plane cumulateque persuasos de Domino nostro, qui est ex genere David secundum carnem,et Filius Dei secundum divinitatem et potentiam,qui vere natus est ex Virgine, baptizatus a Joanne ut omnis ab ipso justitia impleretur;vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha pro nobis in carne crucifixus. » Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς. *Ejusdem ex eadem Epistola* : Τί γὰρ ὠφελεῖ, εἴπερ με ἐπαινεῖ τις, τὸν δὲ Κύριόν μου βλασφημεῖ, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον· ὁ δὲ τοῦτο μὴ λέγων τελείως αὐτὸν ἤρνηται ὡνταικροφόρον. « Quid autem prodest, si quis me laudet,Dominum autem meum blasphemet,non confitens eum carnem gestare ? Quod qui non profitetur, plane ipsum negat, ut cadaver circumferentem.» Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς. *Ejusdem ex eadem Epistola :* Εἰ γὰρ τῷ δοκεῖν ταῦτα ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, κἀγὼ τῷ δοκεῖν δέδεμαι· τί δὲ καὶ ἐμαυτὸν ἐκδοτον δέδωκα τῷ θανάτῳ, πρὸς πῦρ, πρὸς μάχαιραν, πρὸς θηρία ; ἀλλ' ὁ ἐγγὺς μαχαίρας, ἐγγὺς Θεοῦ· μόνον ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ συμπαθεῖν αὐτῷ πάντα ὑπομένω, αὐτοῦ με ἐνδυναμοῦντος τοῦ τελείου ἀνθρώπου, ὄντινες ἀγνοοῦντες ἀρνοῦνται. « Si enim opinione tantum hæc a Domino nostro gesta sunt, ego quoque opinione vinctus sum. Cur autem et meipsum morti tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias ? Verum qui vicinus gladio, vicinus Deo ; solum in nomine Jesu Christi, ut passionum ejus socius fiam,omnia sustineo, ipso me corroberante, D homine perfecto, quem aliqui ignorantes negant.» Has tres ῥήσεις, ab illo ante annos fere mille et ducentos excerptas,in eadem Epistola ad Smyrnæos etiamnum legimus. Pergit B. Theodoretus : Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς πρὸς Ἐφεσίους Ἐπιστολῆς. *Ejusdem ex Epistola ad Ephesios.* Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ, ἐκ Πνεύματος δὲ ἁγίου, ὃς ἐγεννήθη, καὶ ἐβαπτίσθη, ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν καθαρισθῇ. « Deus noster Jesus Christus in Mariæ utero gestatus est,secundum Dei dispensationem, ex semine quidem David,sed ex Spiritu sancto : qui natus est et baptizatus, ut mor

talitas nostra purgaretur. Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς. Ejusdem ex eadem Epistola Ἔτι οἱ κατ' ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν τῇ χάριτι ἐξ ὀνόματος συνέρχεσθε ἐν μιᾷ πίστει, καὶ ἑνὶ Ἰησοῦ Χριστῷ, κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ Υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ. Siquidem singuli omnes universe in gratia nominatim convenitis in una fide et in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, Filio hominis, et Filio Dei. Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς. Ejusdem ex eadem Epistola. Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς, καὶ τότε ἀπαθὴς, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν. Unus est medicus carnalis et spiritalis, genitus ex ingenito, in homine Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum patibilis, et tunc impatibilis, Jesus Christus Dominus noster ». Et hæ tres sententiæ in eadem ad Ephesios Epistola adhuc reperiuntur. Pergit porro B. Theodoretus : Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς πρὸς Τραλλιανοὺς Ἐπιστολῆς. « Ejusdem ex Epistola ad Trallianos. Κωφώθητε οὖν, ὅταν χωρὶς Ἰησοῦ Χριστοῦ ὑμῖν λαλῇ τις, τοῦ ἐκ γένους Δαβὶδ, τοῦ ἐκ Μαρίας, ὃς ἀληθῶς ἐγεννήθη, ἔφαγέ τε καὶ ἔπιεν ἀληθῶς, ἐδιώχθη ἐπὶ Ποντίου, Πιλάτου, ἐσταυρώθη καὶ ἀπέθανε, βλεπόντων τῶν ἐπιγείων, καὶ ἐπουρανίων, καὶ καταχθονίων. « Obturate aures vestras quando quispiam vos loquitur sine Jesu Christo, qui est ex genere David, qui ex Maria, qui vere natus est, vere comedit et bibit, qui sub Pontio Pilato passus est, crucifixus et mortuus, videntibus cœlestibus, terrestribus et inferis ». Hæc omnia uno loco ex tribus S. Ignatii epistolis B. Theodoretus adversus sui temporis hæreticos excerpsit atque congessit. Idem alibi rursus, *Dialog. Inconfus.* p. 86 : Τοῦ ἁγίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους Ἐπιστολῆς. « S. Ignatii Antiocheni episcopi et martyris ex Epistola ad Smyrnæos. Ἐγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα· καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον, καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, καὶ ἐπίστευσαν. Ego enim post resurrectionem, ipsum in carne scio et credo esse : et quando ad eos qui cum Petro erant, venit, dixit eis: Accipite, palpate me, et videte, quia non sum dæmonium incorporeum. Et statim ipsum tetigerunt et crediderunt. Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς αὐτῆς Ἐπιστολῆς. Ejusdem ex eadem Epistola. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν καὶ συνέφαγε καὶ συνέπιεν αὐτοῖς, ὡς σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ Πατρί. Post resurrectionem autem una cum eis et comedit et bibit, tanquam carnaliter et spiritualiter unitus Patri. *Et rursus*, Dial. impatib., p. 154 : Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος, ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους Ἐπιστολῆς. S. Ignatii episcopi Antiocheni et martyris, ex Epistola ad Smyrnæos. Εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν χρηστότητι ὁ Πατὴρ ἤγειρεν. Eucharistias et oblationes non admittunt, quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit.

Secundus hujus sæculi testis est Gelasius, qui circa annum 492, pontifex Romanus creatus, circa 496 defunctus est. Is enim in fine libri *De duabus naturis in Christo* jam tandem a pontificiis agniti et recepti, catholicorum testimonia magistrorum subjiciens, a nostro pariter ac B. Theodoretus orditur. « Ignatii episcopi et martyris Antiocheni ex Epistola ad Ephesios. « Unus medicus est,carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vita æterna, ex Mariaet ex Deo, primum passibilis et impassibilis, Dominus noster Jesus Christus. » Et post pauca : « Singuli, inquit, viri communiter omnes ex gratia ex nomiue convenite in unam fidem, et in uno Jesu Christo, secundum carnem ex genere David, Filio hominis, et Filio Dei. »

Observandum autem est, duos hujus ævi testes Theodoretum et Gelasium,tantummodo pro seipsis loqui, sed totius quinti sæculi judicium nobis repræsentare ; auctoritatem, scilicet, Ignatianorum tunc temporis inter omnes tum catholicos tum hæreticos ratam et fixam fuisse. Nam ut ex Socrate et Sozomeno. Theodoreto et Leontio aliisque constat ; hæretici qui ad finem ævi quarti antiquorum Patrum consensui acquiescere recusarunt, quinto statim et sequentibus, eos Patres tanquam arbitros admiserunt, qui ante divisionem, sive exortum cujuslibet hæreseos scripserant : unde tales catalogi, quales apud Theodoretum et Gelasium reperiuntur, confecti sunt. De qua re postea erit nobis disserendum latius In his igitur Theodoreti dialogis orthodoxus sententiam promit catholicorum, ut Eranistes hæreticorum illsus ævi. Cum autem orthodoxus ex Scripturis copiosius disputasset quærit Eranistes, quid antiqui Ecclesiæ doctores senserint, celebres, scilicet, et indubitati ; negat enim se recepturum ἄνδρας ἀσήμους ἢ ἀμφιβόλους, *obscuros aut ambiguos*. Interrogat igitur orthodoxus, an Athanasium, Gregorium, Ambrosium,Flavianum. Joannem Chrysostomum pro talibus habeat ; admittit hos omnes et ipsorum testimonia Eranistes ; tunc vero Ignatium,Irenæum, Hippolytum et Methodium, aliosque se producturum asserit ; *valde cupienti mihi etiam hæc testimonia proponeS*, inquit hæreticorum nomine Eranistes.Atque ita demum prolixum satis catalogum antiquorum Patrum texit orthodoxus ex parte catholicorum, et tanquam τηλαυγὲς πρόσωπον septem longiusculas sententias ex tribus Ignatii nostri epistolis excerptas reliquis præponit. Adversus hæc testimonia

ere quidem se potuisse fatetur Eranistes. A
iquet et orthodoxum et Eranistem, hoc
a catholicos tum hæreticos illius ævi, epi-
Ignatii, quas defendimus, pro veris et in-
tis episcopi Antiocheni scriptis habuisse.
ti sæculi primus testis S. Ephræmius, ex
te orientis patriarcha Theopolitanus, ut lo-
ir Photius, id est Antiochenus ; cui episco-
i circa annum 529 admotus est. Hic enim in
o *De Sacris Antiochiæ legibus*, (ut loquitur in-
pres Photianus) de articuli Græci usu adversus
erianos disputans, primo S. Scripturæ, dein
. Patrum testimoniis utitur et inter eos, ut fieri
lebat, S. Ignatium primum nominat : Καὶ ὁ θεο-
όρος δὲ Ἰγνάτιος καὶ μάρτυς, Τμυρναίοις ἐπιστέλ-
ων, ὁμοίως κέχρηται τῷ ἄρθρῳ. « Etiam Ignatius,
ir divinus et martyr, epistolam ad Smyrnæos scri-
bens, similiter articulo utitur ». Photius, Biblioth.
num. 228. Loca quæ ex ea Epistola excerpserat
S. Ephræmius, omisit epitomator Photius ; erant
autem hæc, ut arbitror : Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν
τὸν Θεὸν, « glorifico Jesum Christum Deum ; *et :*
Πάντα ὑπομένω, ἑαυτοῦ με ἐνδυναμοῦντος τοῦ τελείου
ἀνθρώπου γενομένου. Omnia sustineo, ipso me
fortificante qui perfectus homo factus est ». Licet
enim articulus τοῦ ad γενομένου potius refe-
ratur, quam ἀνθρώπου, alium tamen in hac epi-
stola locum, opinor, respicere non potuit. Sed
et idem S. Ephræmius, in epistola ad Zenobium
quemdam scholasticum et Acephalum, probavit
articulos naturis Christi adhibitos non inferre di-
visionem unitatis, ἔκ τε τῶν εὐαγγελικῶν φωνῶν, C
καὶ ἐκ τῶν ἀποστολικῶν, καὶ δὴ καὶ ἐκ τῶν μακα-
ρίων πατέρων ἡμῶν, Ἰγνατίου τοῦ θεοφόρου, Ἰου-
λίου, καὶ Ἀθανασίου καὶ Γρηγορείων καὶ Βασιλείου.
« Tum ex evangelicis, tum ex apostolicis verbis,
atque etiam ex beatis Patribus nostris, Ignatio
Deifero, Julio, Athanasio, Gregoriis et Basilio ».
Photius ibidem.

Secundus hujus ævi testis est Gildas Badonicus
ex Britannia nostra, qui anno 564 epistolem scri-
psit *De excidio Britanniæ*, in qua hæc habet : « Quis
vestrum, ut S. martyr Ignatius, Antiochiæ urbis
episcopus, post admirabiles in Christo actus, ob
testimonium ejus, leonum molis Romæ confractus
est ? Cujus verba, cum ad passionem duceretur,
audientes (si quando vultus vestri rubore suffusi D
sunt) non solum in comparatione ejus vos non puta-
bitis sacerdotes, sed ne mediocres quidem Christia-
nos esse. Ait enim in Epistola, quam ad Romanam
Ecrlesiam misit : « A Syria usque Romam cum bestiis
terra marique depugno, die et nocte connexus et
colligatus decem leopardis, militibus dico, ad cu-
stodiam datis, qui ex beneficiis nostris sæviores
fiunt. Sed ego eorum nequitiis magis erudior ; nec
tamen in hoc justificatus sum. O salutares bestias,
quæ præparantur mihi ! Quando venient ? quando
emittentur ? quando eis frui licebit carnibus meis ?
quas ego exopto acriores parari, et invitabo ad
devorationem mei, et deprecabor ne forte (ut in
nonnullis fecerunt) timeant attingere corpus meum;
quinimo si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me
ingeram. Date, quæso veniam ; ego novi quid expediat
mihi : nunc incipio esse Christi discipulus. Facessat
invidia vel humani affectus, vel nequitiæ spiritualis,
ut Jesum Christum merear adipisci. Ignes, cruces,
bestiæ, dispersiones ossium, discerptionesque mem-
brorum, ac totius corporis pœnæ, et omnia in me
unum supplicia diaboli arte quæsita compleantur,
dummodo Jesum Christum merear adipisci. » Chri-
stianus non mediocris sed perfectus, sacerdos non
vilis sed summus, martyr non segnis sed præcipuus,
dixit, « Nunc incipio esse Christi discipulus. »

Tertius hujus sæculi testis est Jobius monachus,
qui adversus Severum scripsit. Is enim in opere B
De incarnatione cujus excerpta nobis Photius tra-
didit, Biblioth. num. 222, hæc habuit : Φησὶ γὰρ
ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος τρία λαθεῖν τὸν ἄρχοντα τοῦ
αἰῶνος τούτου, τὴν παρθενίαν Μαρίας, τὴν σύλλη-
ψιν τοῦ Κυρίου, καὶ τὴν σταύρωσιν. « Nam tria divi-
nus Ignatius sæculi hujus principem latuisse com-
memorat, virginitatem Mariæ, conceptionem Do-
mini, et crucifixionem ». Quibus verbis ea quæ in
Epistola ad Ephesios reperiuntur expressit.

Quartus ejusdem sæculi testis ad finem jam
vergentis est Leontius Byzantinus, I. *De sectis*,
act. 3 : Ἐγένοντο δὲ ἐν τοῖς χρόνοις τοῖς ἀπὸ τῆς
γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς βασιλείας Κων-
σταντίνου διδάσκαλοι καὶ πατέρες οἵδε· Ἰγνατιος ὁ
θεοφόρος, Εἰρηναῖος, Ἰουστῖνος φιλόσοφος καὶ μάρτυς, C
Κλήμης καὶ Ἱππόλυτος ἐπίσκοποι Ῥώμης, Διονύσιος
ὁ Ἀρεοπαγίτης, Μεθόδιος ἐπίσκοπος Πατάρων, Γρηγό-
ριος ὁ θαυματουργὸς, Πέτρος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκο-
πος καὶ μάρτυς. « Cæterum temporibus illis, quæ
a Christi Nativitate usque ad imperium Constan-
tini numerantur, hi doctores et Patres exstiterunt :
Ignatius Theophorus, Irenæus, Justinus philosophus
et martyr, Clemens et Hippolytus episcopi Romani,
Dionysius Areopagita, Methodius episcopus Pataren-
sis, Gregorius miraculorum effector, Petrus Alexan-
drinus episcopus et martyr ». Doctorem autem et
Patrem Ignatium Theophorum nominat propter do-
ctrinam apostolicam, quam ejus Epistolæ contine-
bant, quæ toties adversus hæreticos laudabantur.
Τούτους ἅπαντας αἱ μετ' αὐτοὺς γενόμεναι αἱρέσεις
δέχονται. *Hos omnes* (inquit) *secutæ deinceps hæreses* D
recipiunt. Proponebant igitur Ignatii epistolas Catho-
lici, tanquam doctoris et Patris scripta : recipiebant
hæretici omnes post ipsum exorti. Ab omnibus igi-
tur agnoscebantur epistolæ, quas defendimus, tum
catholicis tum hæreticis. Hoc adeo disertum est
de sexti sæculi sententia testimonium, ut neeesse
non sit Joannem Rhetorem laudare, qui sub Mau-
ritio scripsit : Τότε καὶ Ἰγνάτιος ὁ θεσπέσιος ἐπειδή
γε, ὡς ἐβούλετο, τάφον τὰς τῶν θηρίων ἐσχηκὼς
γαστέρας ἐν τῷ τῆς Ῥώμης ἀμφιθεάτρῳ « Tunc
etiam Ignatius divinus, postquam, ut ipse voluit, ir
amphitheatro Romano, ferarum ventres pro sepulcr

habuisset,» etc. Licet illud, *ut voluit*; ad epistolam, quam scripsit Ignatius ad Romanos, haud dubie referatur; aut Anastasium priorem, Antiochiæ patriarcham, libro « De rectis veritatis dogmatibus,» in Bibliotheca collegii nostri Cantabrigiæ ms quem in exsilio sub Justino scripsit, ubi libris omnibus destitutus, de Christo ex Ignatio nostro locutus est, ut potuit, cum epistolas ad manum non haberet: Μορφὴν δούλου λαβόντα, ἵνα λάθῃ Θεὸς ὢν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος νούτου, « forma servi indutum, ut Deus existens lateret principem hujus sæculi. »

Non longe ab initio septimi sæculi alius Anastasius monachus, Sinaita, et catholicorum et hæreticorum ejusdem ævi in agnoscendo Ignatio nostro consensum innuit. Libro enim quem Ὁδηγόν nominavit, inter testimonia quæ tunc temporis Theodosiani et Gaianitæ ex Patribus adducebant, hoc τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, « S. Ignatii episcopi Antiochiæ,» habet: Ἐάσατε μιμητὴν γενέσθαι τοῦ πάθους τοῦ Θεοῦ μου. « Sinite me imitari passionem Dei mei,» ex epistola, scilicet, ad Romanos. Ejusdem sæculi secundus testis, et quidem locupletissimus, est Antiochus sub Heraclio monachus Palæstinus, qui ad Eustathium scripsit circa annum 620, eique homilias suas dedicavit. Quarum 124 quæ agit « De veneratione sacerdotibus præstanda,» hæc nobis e S. Ignatio decerpta tradit: Ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος ἐπιστέλλει, λέγων· Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὁ Θεὸς ὑμῖν. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῷ ὑποτασσομένῳ (lege τῶν ὑποτασσομένων, ne cum Tilmanno interprete ita reddas, «recreor in episcopo qui mihi subrogatus est),» ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις τε καὶ διακόνοις· μετ' αὐτῶν μοι τὸ μέρος γένοιτο ἔχειν ἐν Θεῷ. « Ignatius Theophorus per epistolam dicit: « Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Anima mea pro iis, qui episcopo, presbyteris, et diaconis morem gerunt: cum illis portionem habere mihi in Deo contingat.» Hæc autem in Epistola ad Polycarpum exstant. Καὶ αὖθις· Μάρτυς μοι, ἐν ᾧ δέδεμαι, ὅτι ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων· τὸ δὲ Πνεῦμα ἐκήρυσσεν λέγοντάδε· Χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε. « Et rursus: « Testis mihi, in quo vinctus sum, quod ex carne humana non noverim; Spiritus autem prædicavit, hæc dicens: Sine episcopo nihil facite.» Quæ totidem syllabis in Epistola ad Philadelphenses leguntur. Χρὴ οὖν ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ἡμᾶς. « Oportet igitur nos nihil sine episcopo facere,» ex Epistola ad Trallianos. Ὅπου γὰρ ἂν φανῇ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἦτω· ὥσπερ ὅπου ἂν ὀνομασθῇ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία ἐπισυνάγεται. « Ubi enim conspicietur adesse episcopus, ibi multitudo sit: ut ubi nominatur Christus Jesus, ibi catholica Ecclesia cogitur, » ex Epistola ad Smyrnæos. Οὐκ ἐξὸν οὖν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαδίζειν (l. βαπτίζειν ex ms. Oxoniensi) οὔτε ἀγάπην ποιεῖν· ἀλλ' ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ Θεῷ ἀρεστόν. «Non igitur licet sine episcopo vel baptizare, vel agapen facere; sed quod ille probaverit, hoc et Deo acceptum,» ex eadem. Ὁ τὸν ἐπίσκοπον τιμῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τιμᾶται· ὁ λάθρα ἐπισκόπου τι πράσσων τῷ διαβόλῳ λατρεύει. « Qui episcopum honorat, a Deo honoratur; qui clam episcopo aliquid facit, diabolum colit,» ex eadem. Ἀναγκαῖον δὲ ἐστιν ὑποτάσσεσθαι καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῇ ἐλπίδι ἡμῶν, ... κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτάτων εἰσὶν διάκονοι, ἀλλὰ Ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται· δέον οὖν ἐστιν αὐτοὺς φυλάσσεσθαι τὰ ἐγκλήματα ὡς πῦρ· ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς διακόνους ὡς Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὡς τὸν πατέρα, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον Θεοῦ, καὶ ὡς δεσμὸν ἀποστόλων· χωρὶς τούτων Ἐκκλησία οὐ καλεῖται. *Necesse igitur est* (non, « episcopo subjecti ut sint etiam presbyteri, ut et apostoli Jesu Christo,» uti pessime transtulit Tilmannus, sed) «subjici etiam presbyterio, ut apostolis Jesu Christi, qui est spes nostra..... omni modo omnibus placere: Non enim sunt esculentorum et poculentorum ministri, sed Ecclesiæ Dei servi. Oportet igitur eos vitare crimina perinde ac ignem. Similiter et omnes revereantur diaconos, ut Jesum Christum, et episcopum ut patrem, presbyteros autem ut concilium Dei, et vinculum apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur;» ex eadem. Lacuna autem apud Antiochum facile suppletur ex Ignatio.

Circa medium hujus ævi precipue claruit Maximus abbas, confessor et martyr, qui Epistolam ad Romanos agnoscit, eamque statim ante martyrium scriptam confitetur; licet ea sententia de scriptis Ignatii a tota Ecclesia recepta ipsius sententiæ de Areopagiticis plane repugnaret, eumque ad miras angustias, et effugia tanto viro prorsus indigna redigeret. Nunc enim Ignatium martyrem facit ante Domitianum: quod si verum esset, objectio Dionysianis facta porsus evanesceret. Sed cum omnes scirent eum sub Trajano martyrium subiisse, agnosceretque ipse scriptas fuisse sub Onesimo, Timothei successore, cum Dionysiana Timotheo dedicata sint; respondit, ut potuit, primo. verba Ignatii non fuisse ab ipso Dionysio scripta, sed ab aliquo studioso postea inserta; secundo, quia hoc gratis dictum esse videatur, verba illa: «Amor meus crucifixus est,» sæpius fuisse ab Ignatio tum in sermone tum in scriptis usurpata hariolatur, Dionysiumque non ad has epistolas, sed ad alia scripta respexisse, et rationem qualem qualem addit. Τεκμήριον δὲ τὸ μὴ προσκεῖσθαι. Γράφει δέ τισι, τουτέστι Ῥωμαίοις, ἀλλ' ἁπλῶς· Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. «Hujus rei indicium esse, quod apud Dionysium non addantur illi, ad quos scribit Ignatius, scilicet Romani; sed simpliciter dictum sit: Scribit autem divinus Ignatius. » Aperte igitur testatur Maximus, etiam cum ea confessione nimium premeretur, S. Ignatium epistolas quas habemus sub Onesimo scripsisse, et verba illa: «Amor meus crucifixus est,» in Epistola ad Romanos genuina

fuisse scripta. Idem in *Locis communibus* hæc ex Ignatio excerpit : Τέλειοι ὄντες τέλεια φρονεῖτε, θέλουσιν γὰρ ὑμῖν εὐπράττειν Θεὸς ἕτοιμος εἰς τὸ παρέχειν. «Qui perfecti estis perfecta sapite ; volentibus enim vobis bene agere Deus paratus est præbere,» ex Epistola ad Smyrnæos.

Huic adjungo Theodorum presbyterum, Photio in primo codice Bibliothecæ suæ memoratum, quoniam eum fuisse Theodorum Raithu Maximi synchronum suspicor : qui librum singularem ex professo composuit, quo ostendere conatus est, licet infeliciter sine dubio, ut et Maximus, germanum esse S. Dionysii Areopagitæ opus, et argumentis in contrarium allatis prout potuit respondit, quorum unum, teste Photio, hoc erat : Πῶς μέμνηται τῆς τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος ; ὁ μέν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν ἀποστόλων ἐνήκμασε χρόνοις, Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸν διὰ μαρτυρίου ἤθλησεν ἀγῶνα, ὅς καὶ πρὸ βραχὺ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολήν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει. «Quomodo divini Ignatii epistolam liber ille citat ? Dionysius enim apostolorum temporibus floruit, Ignatius autem sub Trajano martyrii certamen certavit, et paulo ante mortem hanc epistolam quam liber ille citat, conscripsit. »

Hæc autem e Maximo et Theodoro deprompta non sunt duorum tantum hominum nuda testimonia, sed ejusdem sæculi communia suffragia. Cum enim priori ævo hæretici auctoritatem Dionysii urgerent, quæ quidem nunc a catholicis rejiceretur, nunc reciperetur ; hoc demum sæculo inter ipsos catholicos acriter disputatum est, an ea opera essent ipsi Areopagitæ tribuenda ? Qui negabant, hoc inter alia argumento utebantur, auctorem libri *De divinis nominibus* citasse epistolam Ignatii ad Romanos, hanc autem epistolam sub Trajano, paulo ante mortem martyris, scriptam fuisse : eum igitur qui hanc citavit, non fusse Areopagitam, qui cum apostolis vixit et sub Domitiano mortuus est. Qui asserebant, fatebantur Ignatii epistolam paulo ante mortem ad Romanos scriptam fuisse, et ad incitas redacti, mira effugia comminiscebantur. Omnes igitur catholici, tum qui Dionysium rejiciebant, tum qui recipiebant, Ignatii nostri epistolas ut indubitatas agnoscebant.

Octavi sæculi primus testis est Joannes Damascenus, qui circa annum 740 in Syria floruit. Ilic autem cum SS. Patrum insignes sententias in libros *Parallelorum* congessit, complures ex Ignatio nostro transcripsit. Cardinalis Caraffa codicem Græcum cum Jacobo Billio communicavit, quem ille in hunc modum transtulit, l. I, c. 9 : « Volentibus nobis bene agere, Deus ad largiendum promptus est,» ex Epistola ad Smyrnæos, c. 18. «Pace nihil est præstantius, in qua bellum omne aboletur,» ex Epistola ad Ephesios. l. II, c. 15. « Facite omnes ut episcopum sequamini, quemadmodum Christus Patrem ; presbyterorum chorum, ut apostolos ; diaconos autem vereamini non secus ac Dei mandatum. Nemo quidquam eorum quæ ad Ecclesiam attinent, citra episcopi auctoritatem faciat. Ea firma eucharistia esse censeatur, quæ ab episcopis fit, Ubi episcopus apparuerit, illic vulgus sit : quemadmodum ubi est Christus, illic etiam catholica Ecclesia est. Citra episcopum nec baptizare, nec synaxim facere licet ; sed quod ille probaverit hoc Deo quoque gratum est. Qui episcopum honore afficit, is a Deo honoratur. Qui clam episcopo aliquid facit, hic diaboli cultor est ; » ex Epistola ad Smyrnæos. Ibidem : «Omnes perfer, ut te quoque Christus : omnibus in charitate hære. Precibus sine ulla intermissione stude. Probos discipulos si amaveris, nihil gratiæ tibi habendum erit. Itaque in hoc potius incumbe, ut morum facilitate atque clementia contumaces subjicias. Non omne vulnus eodem emplastro curandum est. Febrium accessiones perfusionibus seda. Propterea carne simul et spiritu constas. ut quæ oculis tibi subjiciuntur corrigas ; quæ autem aspectum tuum fugiunt petas ut tibi detegantur, quo nihil omnino prætermittas ; » ex Epistola ad Polycarpum, c. 35 : « Cum in rebus divinis firmus ac robustus fuero, tum vehementius timeam oportet, absque iis caveam, qui me incassum instant. Qui enim me laudant, flagro me afficiunt ; » ex epistola ad Trallianos, l. III, c. 30. «Mansuetudine opus habeo, per quam princeps hujus sæculi diabolus evertitur ; » ex eadem, c. 94. «Nemo vestrum adversus proximum quidquam habeat. Ne occasionem gentibus detis, ne paucorum stultorum culpa fiat, ut multitudo sancta ac divina quadam virtute prædita maledicis impetatur ; » ex eadem.

Huic adjungo Antonium, Damasceni, ut videtur, discipulum, qui in Melissa nostrum crebro citat. Οὐδέν ἐστιν ἄμεινον εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς ὁ πόλεμος καταλύεται. «Nihil est pace melius, qua omne bellum dirimitur ; » ex Epistola ad Ephesios. Εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν εἰς τιμὴν τῆς σαρκὸς τοῦ Κυρίου, ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω, καὶ ἐὰν γνωσθῇ πλέον τοῦ ἐπισκόπου, ἔφθαρται· πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμουμέναις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Θεόν, καὶ μὴ κατ' [αἰσχρὰν] ἐπιθυμίαν. « Si quis in castitate manere potest ad honorem carnis Domini, sine jactantia pergat. Et si videri vult plus episcopo, corruptus est. Decet autem ducentes et ductas cum sententia episcopi unionem facere, ut nuptiæ fiant secundum Dominum, et non secundum [turpem] cupiditatem ; » ex Epistola ad Polycarpum. Στῆκε ὡς ἄκμων τυπτόμενος· μεγάλου ἀθλητοῦ ἐστι δέρεσθαι καὶ νικᾶν· μάλιστα δὲ ἕνεκεν Θεοῦ πάντα ἡμᾶς ὑπομένειν δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομείνῃ. « Stato quasi incus dum cæderis : generosi est athletæ cædi et vincere : maxime propter Deum nobis omnia patienda sunt, ut ipse nos patiatur ; » ex eadem. Μακροθυμεῖτε μετ' ἀλλήλων ἐν πραΰτητι, ὡς ὁ Θεὸς μεθ' ἡμῶν διὰ παντός. «Patienter alii alios cum mansuetudine patimini ut nos semper Deus ; » ex eadem. Χρῄζω πραΰτητος, ἐν ᾗ καταλύεται ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου [διάβολος]. «Clementia egeo, qua evertitur princeps hujus

sæculi » [*diabolus*]; ex Epistola ad Trallianos. Οἱ A
δοῦλοι μὴ ἐράτωσαν ἀπό κοινοῦ ἐλευθερωθῆναι, ἀλλ'
εἰς δόξαν Θεοῦ πλέον δουλευέτωσαν, ἵνα κρείττονος
ἐλευθερίας ἀπὸ Θεοῦ τύχωσιν. «Servi non desiderent a
communi liberi fieri ; sed in gloriam Dei plus ser-
viant, ut meliori libertate a Deo potiantur ; » ex Epi-
stola ad Polycarpum. Σπουδάσατε μᾶλλον ἀντιτάσσεσθαι
τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ἦτε Θεῷ ὑποτασσόμενοι. καὶ ὅσον
βλέπετε σιγῶντα τὸν ἐπίσκοπον, πλέον αὐτὸν φο-
βεῖσθε, πάντα γὰρ ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν
οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι ὡς αὐτὸν
τὸν πέμποντα· τὸν οὖν ἐπίσκοπον ὡς αὐτὸν τὸν Κύ-
ριον δεῖ προσβλέπειν. « Date operam ne resistatis
episcopo, ut sitis Deo subjecti ! et quo magis tacitum videritis episcopum, tanto magis eum metuite. Quemcumque enim mittit paterfamilias ut rei domesticæ præsit, sic decet nos excipere, ut ipsum qui mittit. Episcopum igitur tanquam Dominum ipsum oportet suscipere ; » ex Epistola ad Ephesios, Πάντας βάσταζε ὡς καὶ σὲ ὁ Κύριος, πάντων ἀνέχου ἐν ἀγάπῃ· B
κρεῖσσον σύνεσιν πλείονα ἧς ἔχεις. Πάντων τὰς νόσους
βάσταζε. ὅπου γὰρ πλείων κόπος, πολὺ τὸ κέρδος.
« Omnes ferto, ut te Dominus ; omnes sustine in charitate. Postula prudentiam majorem ea quam habes. Omnium morbos porta ; ubi enim plus laboris, ibi lucri multum ; » ex Epistola ad Polycarpum.

Nono sæculo assigno Andream Hierosolymitanum, Cretensium archiepiscopum, qui Homilia *in Nativitatem B. Virginis* secunda, aqud Oxonienses mss. hæc habet : Ὡς φησί που ἅγιος ἀνήρ. Ἰγνάτιος
ὄνομα αὐτῷ· Καὶ ἔλαθε τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος C
τούτου ἡ παρθενία Μαρίας, καὶ ὁ τόκος αὐτῆς,
ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ Χριστοῦ, τρία μυστή-
ρια φρικτά, ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ ἐπράχθη. « Ut ait sanctus vir, cui nomen Ignatius : « Principem hujus sæculi latuit virginitatis Mariæ, et partus ejus, similiter et mors Christi, tria tremenda mysteria, quæ in silentio Dei facta sunt ; » ex Epistola ad Ephesios.

Freculphus Lexoviensis, qui circa A. C. 840 scripsit, omnia quæ a S. Hieronymo de epistolis S Ignatii in *Catalogo* scripta sunt, in historiam suam transtulit, et tacito ejus nomine pro suis haberi voluit. Michael Syngelus, qui aliquando destinabatur patriarcha Constantinopolitanus, et Nicephori successor, in Encomio Dionysii Areopagitæ, D
ad illa verba : Γράφει δὲ ὁ Θεῖος Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς
ἔρως ἐσταύρωται, « Scribit autem divinus Ignatius : » « Amor meus crucifixus est, » hæc habet : Τοῦτο γὰρ
τὸ ῥητὸν ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος μέλλων ἐν Ῥώμῃ μαρτυ-
ρικῶς ἀθλήσειν, καὶ τοῖς λέουσι βορὰ κατὰ τὴν τοῦ
τυράννου Τραϊανοῦ πρόσταξιν παραβληθήσεσθαι, περὶ
τὸ τῆς αὐτοῦ τυραννείας ἔννατον ἔτος κατὰ τῶν εὐσε-
βεστάτων Χριστιανῶν διωγμὸν ἐγείραντος, Ῥω-
μαίοις ἐπιστέλλων γέγραφε. « Hanc enim sententiam deifer Ignatius, cum jam Romæ martyrium subiturus, et tanquam esca leonibus projiciendus esset, secundum Trajani tyranni decretum, qui circa annum tyrannidis sum nonum adversus piissimos Christianos persecutionem excitaverat, in epistola ad Romanos scripsit » Ita ille quidem simul et Ignatium et Dionysium defendens, quem, ut Ignatii epistolam videret, non ante finem imperii Trajani obiisse vult. E contra Photius eodem sæculo, dum argumenta repetit, quibus Theodorus presbyter respondit, interque ea illud de Ignatii Epistola ad Romanos paulo ante martyrium scripta, simul et defensionem Dionysii infirmam esse indicat, et epistolam eam ab ipso Ignatio, paulo ante martyrium, scriptam fuisse confirmat, codice primo. Idemque codice 228 dum patriarchæ Ephræmii sententiam suis verbis recitat : Ὅπερ οὖν εἴρηται κατὰ τὸ τρίτον κεφάλαιον,
ἔκ τε τῶν εὐαγγελικῶν φωνῶν, καὶ ἐκ τῶν ἀποστο-
λικῶν, καὶ δὴ καὶ ἐκ τῶν μακαρίων πατέρων ἡμῶν,
Ἰγνατίου τοῦ θεοφόρου, καὶ Ἰουλίου, καὶ Ἀθα-
νασίου, καὶ Γρηγορείων, καὶ Βασιλείου, διελέγχει
τοὺς δυσσεβεῖς ὡς ἡ τῶν ἄρθρων χρῆσις (πάντες
γὰρ οὗτοι τούτοις ἐχρήσαντο) οὐδεμίαν τομὴν ἢ διαι-
ρεσιν ἐπινοεῖ τῆς ἑνώσεως. « Quod igitur tertio capite dictum tum ex scriptis evangelicis apostolicisque, tum ex beatis Patribus nostris, Ignatio deifero, Julio, Athanasio, Gregoriis et Basilio, convincit impios, quod articulorum usus (omnes enim hi illis usi sunt) nullam sectionem aut divisionem unitatis subindicat, » satis ostendit se epistolas illas Ignatii pro veris et genuinis habuisse.

Sub initio decimo sæculi Simeon ὁ Λογοθέτης, qui dictus est Metaphrastes, martyrium S. Ignatii longa oratione exornavit, Epistolam ad Romanos eidem intexuit, Irenæi etiam et Polycarpi testimonia protulit.

Undecimo sæculo assignandum puto auctorem *Locorum communium* mss. in Bibliotheca Oxoniensi, qui sententiam illam, τέλειοι ὄντες τέλεια φρονεῖτε, ex Epistola ad Smyrnæos citat. Circa medium hujus sæculi Gervinus abbas, inter XXXVI volumina in Bibliotheca abbatiæ Centulensis primo loco ponendas curavit epistolas Ignatii, ut ostendit Chronici Centulensis Auctor lib. IV, cap. 32.

Duodecimo sæculo vixit Honorius Augustodunensis, qui in lib. *De luminaribus Ecclesiæ* hæc habet : « Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ post Petrum apostolum tertius episcopus, scripsit Ecclesiæ Ephesiorum epistolam, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, deinde ad Philadelphios, et Smyrnæos. Hic passus est sub Trajano. »

Sub initio decimi tertii sæculi Nicetas Choniates eadem protulit in *Thesauro*, quæ antea sub Anastasii Sinaitæ nomine produximus. Georgius autem Pachymeres ad Dionysium Areopagitam, Φέρει γοῦν τὸν Σολομῶνα μάρτυρα, καὶ τὸν μέγαν Ἰγνάτιον. Epistolæ igitur ad Romanos auctorem, quem citat Dionysius, *magnum Ignatium* appellat. Robertus autem Lincolniensis episcopus, vir sui temporis doctissimus, *Commentariorum in* Dionysii *Ecclesiasticam hierarchiam* cap. 3, hæc ex Epistola ad Smyrnæos profert : « Est enim eucharistia, secun-

dum beatum Ignatium, caro Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passa, quam benignitate Pater resuscitavit »Et ad librum *De divinis nominibus* cap. 4, tradit Ignatium ita vehementer dilexisse, quod optavit etiam tradi malis punitionibus diaboli, ut ipso frueretur ; ex Epistola ad Romanos.

Decimi quarti sæculi testis est Nicephorus Callistus,qui ex veteribus Ecclesiasticæ Historiæ scriptoribus plurima congessit,omnia quæ ab Eusebio de Ignatii epistolis scripta sunt in historiam suam transtulit, lib. III, cap. 19. Auctor *Memorialis historiarum*, libri in Bibliotheca Cantabrigiensi ms. : «Beatus autem Dionysius,in scientia tam profundus, adducit quasi pro auctoritate, de B. Ignatio dicens in lib. » De divinis nominibus : *Amor meus crucifixus est.* Idem etiam adducit loca S. Polycarpi et S. Irenæi, verbaque etiam ex Epistola ad Romanos ab Eusebio transcripta Macarius Chrysocephalus inter codices Barocianos Oxonii ms. in magna *Alphabeto*, sive *Catena*, quam in ea Lucæ quæ non sunt in Matthæo scripsit, apposito nomine Ignatii hæc inseruit: Εγεννήθη γὰρ καὶ ἐβαπτίσθη ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν καθαρισθῇ,«natus est enim et baptizatus ut mortale nostrum purificaretur.»Gulielmus Wodeford Anglus,ex academia Oxoniensi theologiæ doctor,contra *Trialogum* Wiclefi hæc Ignatii laudat. « Considerate qualiter Anthropomorphi a communione et oratione sanctorum recedunt, propterea quod non habent confiteri eucharistiam carnem esse Salvatoris ; ex Epistola ad Ephesios. Denique Joannes Tissington, etiam Anglus, in *Confessione contra Wiclefum*, in Bibliotheca Usseriana ms.: « Considerate qualiter [Anthropomorphi] a communione et oratione sanctorum recedunt,propter non confiteri eucharistiam carnem esse Salvatoris, quam Pater sua benignitate resuscitavit. Contradicentes huic dono perscrutantes. Decens est a talibus recedere, et nec communiter nec seorsim cum eis loqui, » ex eodem loco.

Præter hæc veterum testimonia suo quæque sæculo assignata, aut ex Græcis aut Latinis scriptoribus producta, est et aliud ex Arabico depromptum ; cujus cum nec auctor satis certo, nec ætas mihi hactenus innotuit,illud postremo loco adjungendum putavi, quemadmodum a viro docto Bernardo Oxoniensi e codice ms. D. Thevenoti, qui numero octavus est in Catalogo Verlanii, exscriptum, mihique communicatum est. Ita igitur Ibn Zorha Jacobita (si bene meminit amicus noster), libri sui *Adversus Eutychen* cap. 4: « Dicit Ignatius patriarcha Antiochensis tertius a Petro apostolo in epistola sua ad Smyrnenses, dicit (inquam) : « Et vos etiam estote persuasi in Domino nostro Jesu Christo,qui ex semine Davidis prophetæ quoad corpus, at Filius Dei in veritate ejus, natus ex Maria virgine, et baptizatus a Joanne, et crucifixus propter nos sub præfectura Ponti Pilati. » Et dicit etiam in Epistola sua ad Antiochenses : « Qui credit nunc in Christo, et non in oblatione sua (esse eum) Filium Dei creatoris mundi, dicetque quod est illic filius alius, et substituet eum loco ejus, de quo vaticinati sunt prophetæ,quemque prædicarunt discipuli,palatium est diaboli. » Ex quibus duobus locis apparet, Jacobitam illum istam Ignatii editionem habuisse, quam nos ex Mediceo codice habemus. Citat quidem Epistolam ad Antiochenos.quæ inter spurias fuit ; verba autem priora ex Epistola ad Smyrnæos non interpolata, sed genuina prorsus sunt deprompta. Neque enim ea habet quæ ab interpolatore sunt inserta. τον πρωτότοκον πάσης κτίσεως, τὸν Θεὸν Λόγον, τὸν μονογενῆ, Υἱόν. Usus igitur est Jacobita ille editione tertia, qua genuinæ et hactenus integræ Ignatii epistolæ continebantur cum aliquot etiam fictis, qualem Damascenus et Antonius usurpabant ; adeoque testatur, epistolas Ignatii genuinas non tantum a Græcis et Latinis, sed etiam ab Arabibus. non tantum catholicis, sed et hæreticis receptas fuisse.

CAPUT III.

Argumenta pro S. Ignatio, partim a testibus, partim a testimoniis petita. A testium numero, antiquitate et serie. A testimoniorum tum generali, tum particulari indicatione.

Cum tot omnium sæculorum testimonia adduxerimus,nihil ulterius,quod ad argumentum externum attinet,desiderari posse videatur ; τὸ γὰρ τοσούτοις μάρτυσιν ἀντιτείνειν παραπληξίας ἐσχάτης. « Tot enim et tantis testibus refragari extremæ dementiæ est, » ut loquitur Theodoretus dialogo 1. Et tamen repertus est Blondellus. qui in Præfatione rotunde dixerit: «Sed plenam illis ipsis quas confictas putamus epistolis fidem habuere Patres! Quid tum ?» Ain vero, *quid tum* ? Tum certe habemus argumentum a testimoniis petitum de scripto viri apostoli ecclesiastico locupletissimum firmissimumque, et quale nunquam adhuc quemquam fefellit ; neque si cætera respondeant, quæ in argumento interno afferemus,fallere potuisse putandum est. Hoc ut dilucidius appareat,ex ante dictis nonnulla observabimus, et quam ea vim ad fidem faciendam habeant, tum ex testibus ipsis, tum ex ipsorum testimoniis perpendemus.

A testibus non unum suminus argumentum. Ut a numero incipiamus, sunt illi sane quamplurimi ; neque ulla scripta tam brevia tot fautores et testes, tot excerptores laudatoresque adhuc uspiam nacta sunt. Est enim vel una S. Clementis epistola ad Corinthios scripta his septem S. Ignatii haud paulo prolixior ; præsertim si folium illud ms. excisum consideremus, quod octo ad minimum paginas, ut nunc Clemens editus est,exæquat.Et quamvis Dallæus de numero testium provocet ad testimonia Ignatio ab Usserio, Clementi a Junio præfixa ; observandum illi prius fuit, ab Armachano partem longe maximam esse prætermissam,a Junio quamplurimos esse adductos, qui nullum epistolæ testimonium perhibent, quales sunt S. Paulus, Ignatii interpolator, Optatus,Ruffinus,Augustinus, Euche-

rius, Ivo Carnotensis, Zonaras, Hugo de S. Victore, et Albertus Stadensis ; qui omnes Clementem quidem aliquo, epistolam nullo modo nominant. Sunt autem testes nostri, qui epistolis ipsis, quas defendimus, suffragantur, oppido multi ; et si perpendamus quam pauca veterum ecclesiasticorum scriptorum opera nunc exstant, quam multo plura perierunt aut adhuc cum blattis et tineis certant, non possumus non hanc testium nubem satis amplam putare, et ex his quos adduximus, eorum numerum, quos adducere non possumus aut negleximus, infinitum pene æstimare. Et hæc omnino premenda erant adversus Dallæum, qui Hammondum « ne quatuor quidem Patres ex omni secundi, tertii et quarti sæculi copia nominare potuisse » tam falso pronuntiavit.

Secundo, si animum ad seriem temporum referamus, et ab ipsa ætate qua primum scriptæ perhibentur epistolæ, ad eam qua primum impressæ, et erumpentibus Ecclesiæ discordiis, in dubium sunt vocatæ, testes nostros ita dispositos esse observemus, ut cum primus ipsi S. Ignatio, primo secundus familiaris fuerit, tum nemo fere reliquorum sit, qui non a sequenti aut nosci aut videri potuerit, cum in unoquoque fere sæculo nunc binos, nunc trinos, nunc quaternos numeraverimus plurimum certe etiam hoc ad sententiam nostram confirmandam valet. Ab hac enim testium serie nullibi interrupta pro certo haberi debet aut neminem unquam hoc ipsum quod illi constanter docuerunt negasse, neminem de auctoritate S. Ignatii dubitasse, aut si quis unquam id fecerit, ejus sententiam ab aliis semper pro nihilo habitam. Quocunque enim tempore aliquem aliter sensisse quis velit (qualem tamen ego neminem agnosco) ejus importunam dubitationem et ea quæ præcesserunt improbabilem reddent, et ea quæ sequuntur testimonia, nullius apud alios ponderis aut auctoritatis fuisse probabunt. Cum igitur nostri asserant, testimonia quæ afferuntur pro Ignatianis, paria esse iis, quæ pro epistolis Clementis aut Polycarpi adduci solent aut possunt, ego autem multo ampliora illustrioraque ; Dallæus, qui antiquissima frustra negat, hanc comparationem nullo modo admittit, et nimis dilute adversus eam integris sæculis pugnat. Videamus igitur an hoc ab eo jure fiat ; et quoniam de Polycarpo prudens silet, de Clemente solo lis erit. Testimonia in hac re ea sane optima sunt, quæ ad ipsam scripti ætatem proxime pertingunt ; hoc ab utroque nostrum admittitur. Scriptoribus secundi sæculi non minus auctoritatis tribuunt Patres tertii sæculi, quam scriptoribus primi Patres secundi. In assignando sæculo fallax esse potest argumentum ; non igitur integris sæculis eminus, sed annis cominus pugnemus. Scripta est epistola, quæ sub S. Clementis nomine circumfertur, ante annum Domini septuagesimum sextum, fatente Blondello ; ut alii existimant, sub initio imperii Vespasiani, id est circa septuagesimum vulgaris æræ annum : stantibus enim Hierosolymis eam exaratam esse non dubitant ; cui sententiæ etiam illa in initio Epistolæ verba, Διʼ αἰφνιδίους καὶ ἐπαλλήλους γενομένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ παραπτώσεις, ut aliquando, Deo volente, ex antiquissimo illo ms. legendum ostendemus, suffragari videantur. Jam quis primum huic epistolæ testimonium perhibuit ? Non illi quos præfixit Junius, Ignatius et Justinus, neuter enim verus est ; sed Dionysius, quem non nominavit, Corinthiorum episcopus, epistola ad Romanos, Soteri episcopo nuncupata. « At Soter præfuisse dicitur Ecclesiæ Romanæ ab a. D. 178 ad 179, » inquit Blondellus. Ante igitur a. 178 scriptam fuisse Dionysii epistolam non apparet. Quare plures quam centum anni sunt elapsi, antequam quisquam, quod novimus, S. Clementis Epistolæ testimonium perhibuit. E contra qui primum Ignatianis testimonium perhibet est S. Polycarpus, S Ignatio non tantum synchronus, sed et familiaris, qui ipsi Smyrnæ aderat, cum quatuor epistolas inde mitteret, qui unam ad se datam, ad Smyrnæos suos aliam Troade recepit, qui intra paucos menses septem collegit, edidit, et suæ subjunctas Philippensibus misit. Secundus pro Clementina testis forte afferri poterat Hegesippus : de ea enim quædam commemoravit, sed quæ ignorare nos voluit Eusebius. Anastasius quidem Bibliothecarius (ut hunc Junii Catalogo testem addam) in *Historia ecclesiastica* hæc de S. Clemente refert : « Hujus epistola fertur ad Corinthios missa, quam tota recipit, ut Hegesippus testatur, Ecclesia. » Sed hoc Hegesippi testimonium nullibi exstat, et Anastasius Georgium Syncellum hic male transtulit. Syncellus enim (alius Junii Catologo testis addendus) de S. Clemente ita loquitur : Τούτου ἐπιστολή, ἡ μία γνησία, Κορινθίοις φέρεται ὡς ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας γραφεῖσα, στάσεως ἐν Κορίνθῳ συμβάσης τότε, ὡς μαρτυρεῖ Ἡγήσιππος, ἥτις καὶ ἐκκλησιάζεται. Sed et in horum verborum interpretatione Jacobus Goar, qui Syncellum tam infeliciter transtulit, non minus quam Anastasius erravit. « Germanam ejus ad Corinthios epistolam, quasi a Romana Ecclesia, tumultus cujusdam Corinthi exorti occasione, scriptam ab Ecclesia vulgo recipi, et coram publice legi, auctor est Hegesippus. *Ita ille, tu autem verte* : Hujus epistola, quæ unica genuina est, ad Corinthios fertur, tanquam ab Ecclesia Romana scripta, seditione tunc temporis, ut testatur Hegesippus, Corinthi orta ; quæ etiam ab Ecclesia recipitur, » hæc enim Syncelli nihil aliud sunt quam epitome capitis 16, libri III *Historiæ Eusebianæ*, cujus verba sunt, καὶ ὅτι κατὰ τὸν δηλούμενον τὰ τῆς Κορινθίων κεκίνητο στάσεως, ἀξιόχρεως μάρτυς ὁ Ἡγήσιππος, *porro supradicti* Clementis « tempore seditionem inter Corinthios esse commotam, luculentissimus testis est Hegesippus. » Auctoritate igitur Hegesippi utitur in hunc tantummodo finem eo loci Eusebius, ut ostendat, sub pontificatu Clementis seditionem Corinthi ortam

esse ; neque aliud quidquam voluit Syncellus.Tertius pro Clementina testis est Irenæus, itidem et pro Ignatianis ; sed Irenæus pluribus quam triginta,imo pene quadraginta annis ab illius quam a nostrarum scriptione remotior fuit. **Quartus** pro Clemente Romano testis est Clemens Alexandrinus, qui post mortem Commodi scripsit, centum et viginti ad minimum annis postquam edita creditur epistola Clementina. At a martyrio Ignatii tot anni non effluxerant, cum Origenes Clementis discipulus, luculentissimum illi testimonium præbuit, *Homiliis in Lucam,* quas scripsit juvenis, teste Hieronymo, ante virilem ætatem, hoc est sub Severo vel Caracalla, cum esset 20 pene annis editioni Ignatianæ ætate propinquior, quam fuerat Clementinæ, cum scriberet Clemens Alexandrinus. Et jam quis non videt, seriem testium ab ipso initio per tot sæcula deductam ad fidem faciendam plurimum valere ?

Testimonia ipsa quod attinet,sive ea generatim et universe dicta sunt,sive particulatim, et distincte ; omnia certe epistolis hisce, quas defendendas suscepimus, inprimis congruunt, easque vel eo nomine minime suspectas reddunt.S. Polycarpus, qui primo hanc epistolarum συναγωγὴν edidit, hoc eas admodum honorifico elogio insignivit, et Philippensium Ecclesiæ magnopere commendavit : Ἐξ ὧν inquiens, μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς, τὸν Κύριον ἀνήκουσαν, ut habetur Græce apud Eusebium, et in veteri Latina versione : « Ex quibus magnus vobis erit profectus.Continent enim fidem, patientiam, et omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem. » Tria itaque S. Pater præcipue notavit,quæ in epistolis Ignatianis quas Philippensibus misit maxime eminerent ; hæc autem singula in iis, quas nunc habemus, potissimum elucent. Nam sive fidem in seipsa spectes, eam Ignatius miris effert laudibus ; ad Smyrnæos : Τὸ γὰρ ὅλον πίστις καὶ ἀγάπη, ὧν οὐδὲν προκέκριται· ad Ephesios : Ἡ δὲ πίστις ὑμῶν ἀναγωγεὺς ὑμῶν, voce eleganti, et Lexicographis ignota ; οὐδεὶς πίστιν ἐπαγγελλόμενος ἁμαρτάνει· ad Philadelphenses : Πάντα ὁμοῦ καλά ἐστιν, ἐὰν ἐν ἀγάπῃ πιστεύητε· sive fidei habitum in auctore respicias, vivis adeo coloribus ubique depictus est, ut Owenus nostras in eo suavem fidei spiritum agnoscat. Inde illa : Ἐγὼ δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα (*ad Smyrn.*) ; Ὕδωρ δὲ ζῶν ἀλλόμενον ἐν ἐμοὶ ἔτωθέν μοι λέγει· Δεῦρο πρὸς τὸν Πατέρα (*ad Rom.*). Sive fidem pro objecto sumas, multi in his epistolis articuli fidei breviter explicantur, de Deo, de duabus in Christo naturis, de vita, et morte, et resurrectione Christi, ad quos antiqui Patres toties appellarunt. Ad patientiam et tolerantiam Christianam sæpissime alios impellit, ut Smyrnæos : Ἀμείβῃ ὑμῖν Θεὸς, δι' ὃν πάντα ὑπομένοντες αὐτοῦ τεύξεσθε· ut Polycarpum : Μάλιστα δὲ ἕνεκα Θεοῦ πάντα ὑπομένειν ἡμᾶς δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομένῃ ; sæpe etiam suam exprimit, ut ad Smyrnæos : Πάντα ὑπομένω, αὐτοῦ με ἐνδυναμοῦντος, et gratiam ipsam patientia maxime deprædicat ; Ἡ πίστις ὡς περικεφαλαία, ἡ ἀγάπη ὡς δόρυ, ἡ ὑπομονὴ ὡς πανοπλία. Ad ædificationem denique faciunt exhortationes comminationesque omnes, quibus tam frequenter et crebro utitur, ad omne Christianum officium, ad omnes pietatis partes ubique impellens ut fierent λίθοι ναοῦ Πατρὸς ἡτοιμασμένοι εἰς οἰκοδομὴν Θεοῦ Πατρὸς, quemadmodum ipse ad Ephesios loquitur. Quo etiam pertinent illa quæ toties de concordia, unitate, et obedientia episcopis et presbyterio præstanda, usque ad invidiam inculcat ; quibus etiam suos ab heterodoxis eadem opera revocat, eorumque fabulis,«quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei quæ in fide est.» Hæc de testimonio S. Polycarpi, ex quo patet, quanta cum ratione asseramus, illius ætate epistolas quas defendimus exstitisse. Eusebius etiam duos generales epistolarum characteras notat, de traditione apostolica, et hæresibus ævi Ignatiani, quibus nostræ optime respondent ; quod hic monendum tantum duxi, nec ulterius urgendum ; quod Eusebium epistolas nostras vidisse atque descripsisse vel ipsi adversarii fateantur.

Nec tantum testimonia quæ Ignatiana generatim et universe describunt, epistolis hisce apprime congruunt, sed et ea quæ particulatim a testibus productis ex Ignatio sunt excerpta et in ipsorum libros sub ejus nomine transcripta, in codice nostro totidem fere verbis reperiuntur ; ut ex accurata collatione singulorum testimoniorum quæ attulimus cum Mediceo codice planissime apparebit. Cum autem omnes sententiæ a veteribus particulatim transcriptæ, antequam aliæ epistolæ conflctæ, aut hæ ipsæ interpolatæ sunt, ex nostro codice desumptæ appareant ; cumque postea nullum testimonium vel ex fictis, vel ex assumentis catalogo nostro adhibuerimus, eosque testes tantummodo citaverimus, qui antiquis, veris, et puris epistolis utebantur · non potest non hæc testium indeficiens successio summam epistolis nostris fidem, quod ad externum argumentum attinet, conciliare. Illi enim ipsi, qui de germanitate septem epistolarum ab Eusebio memoratarum dubitabant, hanc potissimum rationem afferebant, quod verba Athanasii, Theodoreti aliorumque veterum in iisdem, prout tunc etiam Græce, sed interpolatæ, exstabant, non compararent ; ut ex iis constat, quæ in Proœmio latius disseruntur. At qui Catalogum testium a nobis confectum inspiciet, omnia testimonia a veteribus excerpta in epistolis nostris, ab omni assumento liberis, iisdem fere verbis diserte contineri reperiet. Neque vero ullum de industria prætermisimus, præter unicum illud S. Hieronymi, I, III, « Adversus Pelagianos : Ignatius vir apostolicus et martyr scribit audacter: « Elegit Dominus apostolos, qui super omnes homines peccatores erant.»

Constat enim eum in hac sententia citanda memoriam fefelisse, et Ignatium pro Barnaba posuisse; in cujus epistola quam nunc habemus, ea verba exstant; et ex quo Origenes ante Hieronymum eadem produxerat. Posuit itaque Hieronymus Ignatium pro Barnaba, ut alibi Clemens Alexandrinus Barnabam pro Clemente. Cum igitur omnia testimonia priorum sæculorum, ex S. Ignatio particulatim excerpta, inde libris veterum Patrum, tanquam tot flores, sparsa; cumque post has epistolas corruptas aliasque confictas, tot tamen etiam ex puris adducta, in his epistolis totidem fere verbis compareant, jure ac merito easdem eidem S. Ignatio, cui illi omnes tribuerunt, ascribendas contendimus.

Denique hinc etiam argumentum ad asserendas S. Ignatio has epistolas non leve elicimus, quod nulla vetustiorum temporum ætatem præ se ferentia jam scripta exstent; de quorum veris auctoribus aut hoc aut priore sæculo ulla cum ratione dubitatum est, quin aut a veteribus non fuerint omnino agnita, aut si forte ab aliquibus agnita sint, de iisdem tamen in Ecclesia Dei ab aliis aut dubitatum aut disputatum fuerit. S. Clementis epistolam secundam non ejusdem auctoris esse cum prima volunt viri docti, licet utraque in Canonibus apostolicis pariter probetur, et ab Epiphanio aliisque agnoscatur. At hoc primo indicavit Eusebius, dein Hieronymus et Photius. Dionysii Areopagitæ libros male tanto viro ascriptos, et sub ejus nomine fictos jam plurimi contendunt, atque inter eos maxime Dallæus. Sed hos ipsos prius, ob testimoniorum defectum, rejecit cum suis Hypatius; et post eum multi, etiam ob materiam, Areopagitæ esse negarunt, ut ostendunt Maximus et Theodorus, qui eosdem infeliciter defendere conati sunt. Hermæ *Pastorem* universi hac ætate fere condemnant; idem multi Origenis ævo, ipso teste, fecerunt, ut et Tertulliani; et si verum esset, quod *Latini* postea tradiderunt, librum eum a Pii pontificis fratre scriptum fuisse, esset sine controversia suppositilius. Prochori libellus *De vita S. Joannis* haud immerito rejicitur, ut et *Historia apostolica* Abdiæ Babylonii, quem post Hegesippum scripsisse observat Gerardus Vossius, addere potuit et post Ruffinum, nam verba Hegesippi apud Abdiam ex Ruffini translatione sunt transcripta. Sed de utroque altum apud veteres silentium. Passio S. Andreæ a presbyteris et diaconis Ecclesiarum Achaiæ, ut volunt, scripta adhuc controvertitur, sed tam antiqui maximeque venerandi monumenti, si verum esset, nemo veterum meminit, neque ante finem octavi sæculi a quopiam memoratur. Reliqua etiam quæ vetustatem summam præ se ferunt scripta, et hoc, vel præcedente sæculo, viris doctis spuria videntur; vel alto atque diuturno veterum silentio damnantur, vel a veterum aliquibus, diu ante nostra tempora, rejecta, aut saltem in dubium vocata sunt.

At de Ignatii epistolis neutrum horum dici posse illa quæ adduximus testimonia et quæ postea dicenda sunt clare evincunt; nam alto silentio condemnari non possunt, quæ ab initio receptæ atque summopere laudatæ sunt; et an S. Ignatii revera genuinæ essent, nemo veterum, nemo recentiorum dubitasse se diserte dixit: nemo spurias et commentitias fuisse suspicatus est, antequam primo aliquæ Latine sunt impressæ veteribus prorsus incognitæ, aliæ etiam Latine tantum primo, dein Græce, sed cum aliis junctæ, quæ recentioribus tantum Græcis agnitæ sunt, illæque ipsæ, a veteribus probatæ, nonnisi multis assumentis contaminatæ apparerent. Cum igitur jam tandem antiquissimæ Ignatii epistolæ a sequioribus sint discriminatæ atque disjunctæ, ab assumentis atque corruptelis liberatæ, nitoique pristino restitutæ, simulque cumulatissimis uniuscujusque sæculi testimoniis confirmatæ, neque quisquam veterum appareat, qui de earum suppositione quidquam hariolatus sit; nulla ratio vel excogitari potest, ob quam earum veneranda antiquitas et auctoritas debita in dubium sit revocanda; aut si ulla excogitari possit, ea ex ipsa epistolarum materia elici debet, quam in sequenti dissertatione ab omni suspicione liberabimus: hac interim justissima præsumptione contenti, tot vetustissimos doctissimosque Patres cum sequacibus in Ignatianis non errassse, qui tanto consensu in nullo alio celebri et antiquo ecclesiastico scripto nos fefellisse hactenus deprehensi sunt.

CAPUT IV.

Argumentum adversariorum a testimoniis adversus Ignatiana expungitur. Stichometriam *non esse Nicephori patriarchæ. Et Nicephorum et Anastasium Ignatii epistolas admisisse. Stichometriæ auctorem non condemnare Ignatii epistolas. Defensio responsionis Hammondi. Non probari suppositionem ex nudo titulo apocryphorum. Non ex reliquis qui cum Ignatio numerantur. De Hermæ* Pastore *veteris Ecclesiæ judicium. Consensus Nicephori et Gelasii frustra obtenditur. Decretum sub Gelasii nomine editum ipsius esse non videtur. Defensio Usserii ab objectionibus Dallæi vindicatur. Responsio nostra illis Hammondi et Usserii supperaddita. In Stichometria sub Ignatii nomine non epistolas, sed* Διδαχήν *intelligi. De indiculis; itemque de didascaliis, et Constitutionibus apostolicis brevis dissertatio.*

Ut hoc externum argumentum a testimoniis petitum vim eam qua pollet obtineat, et illibatum conservetur, haud meliori methodo uti me posse sentio, quam si ea omnia, quæ adversarius ad ipsum labefactandum excogitavit, porro examinanda proponam. Observo autem ea ad tria capita commode reduci, et in hunc ordinem luculenter redigi posse. Primo, ille etiam testimonia adducit, quibus suam de suppositione epistolarum sententiam confirmet. Secundo, testes nostros, ab Hammondo prius adductos, vetustissimos præcipue, rejicit; aut invalidum plane eorum testimonium reddere sigillatim conatur. Tertio, argumentum a testimonio negativum fabricatus est, qua probare nititur, nemi-

nem epistolarum quas defendimus, per ducentos post Ignatii mortem annos meminisse, et inde concludit, ab Ignatio non fuisse conscriptas.

Incipio a testibus ab adversario contra nostrorum aciem miro modo productis, vel potius subductis. Illos enim, « non tam ad constituendam sententiam, quam ad depellendam invidiam » adduxisse se fatetur in eum, scilicet, finem, ut probet Salmasium et Blondellum non fuisse primos, qui has epistolas confictas putarent. *Quisquis enim auctor Stichometriæ*, quam adducit, *fuit diu ante Salmasium et Blondellum vixit.* Opponit igitur *Stichometriam* Hammondo, prorsus inconcinne. « Hujus vero, *inquit*, Στιχομετρίας auctoritas cur non tanti apud nos esse debeat, quanti suam viri doctissimi esse cupiunt non video. » At si qua sit iilius *Stichometriæ* auctoritas, ea non Hammondo, sed Patribus opponenda fuit, ab Hammondo contra Salmasium et Blondellum productis, Polycarpo, Irenæo, Origeni, vel saltem Eusebio, Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Theodoreto, Gelasio, aliisque : non enim quæritur, an *Stichometriæ* auctoritati præferenda sit auctoritas Hammondi, sed utri potius credendum sit, Salmasio sola *Stichometria* armato, an Hammondo SS. Patrum, et omnium sæculorum testimoniis stipato. Nimis igitur subdole hoc testimonium adducit Dallæus, *ad depellendam invidiam tantum*, quo postea ad confirmandam sententiam suam sæpissime utitur : et quam infirmum sit cum probe conscius esset, ita omnino proposuit, ut nescias, utrum pro argumento haberi voluerit, necne. Si titulum capitis quarti, quinti, et reliquorum inspiciamus, argumentum est primum ; si caput quintum spectemus, nullum est ; ibi enim primum aliud, a silentio scriptorum ecclesiasticorum ante Eusebium ducitur. Semper tamen postea argumentum hoc sive primum, sive nullum, maximi facit, et ubique fere inculcat. Ac revera si hoc argumentum sive primum, sive nullum, illi eripiatur, reliqua plane, quæ nos spectant, nulla erunt.

Audiamus igitur adversarii testes non sine pompa productos. « Ecce auctores habemus, *inquit*, et multis ante nos sæculis denatos, et ab omni contra hierarchiam suspicione semotos, qui omnia Ignatii scripta rotunde ac sine ulla hæsitatione ad apocrypha relegarunt in *Stichometria* Georgio Syncello in libro antiquissimo præfixa ». Quæso te, vir doctissime quot auctores habes in illa *Stichometria* Syncello præfixa ? ostendas numerum, edic nomina. An ita numeras, quemadmodum ille apud Plautum ?

> *Quot erunt ? Ego, et Menæchmus, et Parasitus.*
> *Jam isti sunt decem : nam Parasitus*
> *Octo hominum officio fungitur.*

Stichometria, quam vis Syncello præfixam, aut nullum certum auctorem habet, aut unicum certe. An Nicephorum tuum, si modo is sit, cum Ignatio tuo epistolico bicorporem, aut tricorporem facis ? Certe in multo plures dividi oportet istum incerti laris homuncionem, ut testes nostris vel numero pares habeas. Sed *ecce auctores* hi, quotquot sunt, *omnia Ignatii scripta ad apocrypha relegarunt.* Pro unico scriptore, nescio quo, auctores nescio quot Syncello præfixos ; et ubi nudum Ignatii nomen scriptum est, *omnia* ejus *scripta* legi vult vir doctissimus.

Ut autem majorem *Stichometriæ* suæ jamjam producendæ auctoritatem conciliet, gravem querelam prius instituit, quod tam *immerito viri docti de Salmasii fide dubitaverint*, quem editio Nicephori Parisina ab omni suspicione liberavit. Quinam autem sunt ex nostris partibus viri docti, qui de Salmasii fide tam immerito dubitarunt ? Certe Usserius *Stichometriam*, quam Georgii Syncelli et Theophanis operi præfixam in antiquissimo exemplari se invenisse narrat cl. Salmasius, non diversam esse ab ea, quam inter Petri Pithœi opuscula Græce et Latine habemus editam, existimare se professus est. Quod non est hominis Salmasii fidem elevantis, sed potius confirmantis, et sua conjectura suffulcientis ; quam non minus quam Salmasii fidem Editio Parisina postea confirmavit. Hammondus etiam de auctoritate *Stichometriæ* nullam sibi cum Salmasio litem fore professus est, illamque a Walone laudamque ab Indiculo a Pithœo edito non procul abesse recte colligi, vel ex titulo Georgii asseruit. Non agitur de fide Salmasii Hammondus magis quam Usserius dubitavit : ἀδέσποτον στιχομετρίαν eam vocat meritissime, quia ipsam ita Salmasius produxerat, neque ei ullum auctorem assignaverat. Produxerat eam ex ms. codice, tanquam sibi soli viso, nulla auctoris *Stichometriæ* mentione facta ; de tenebris igitur conqueritur Hammondus haud immerito ; vix enim credibile fuit, voluisse quemquam *Stichometriam* in mss. latitantem, et incerti tituli, testem citare, cum eadem in maxima luce, et sub speciosissimo titulo, non tantum auctoris, sed etiam interpretis poneretur. Ediderat enim eam Græce ad Eusebii sui calcem Josephus Scaliger, Chronologiæ Nicephori patriarchæ Constantinopolitani suffixam : ediderat eamdem sub ipsius Nicephori nomine ex veteri codice Carpensi Petrus Pithœus, cum Anastasii Nicephoro supparis Latina interpretatione, quam nos postea inter Criticossacros edendam curavimus. Monuerat Joannes Seldenus, libro *De successione in pontificatum Hebræorum*, Nicephori Chronographiam ms. exstare in Bibliotheca Londinensi collegii Sionensis, cui hanc etiam *Stichometriam* suffixam esse testamur. Non potuit itaque non mirari Hammondus, si hæc tam publice nota ex *nescio qua officina* produceret Salmasius.

Interim de *Stichometriæ* auctoritate litem non movit Salmasio vir doctus : suspicionem tantum parenthesi inseruit ; quæ quidem post splendidam illam editionem Parisinam hæret altius : et consultius omnino fecisset Dallæus, si eam nunquam nominasset, aut saltem in ea triumphare adeo visus non fuisset. Ita enim loquitur : *Viri docti* Στι-

χομετρίαν ἀδέσποτον «vocant. Editio Nicephoro vindicat amplissimo viro; primæ in oriente sedis antistiti, scriptori gravissimo atque eloquentissimo, et liberalissimis Photii laudibus ornato. Hujus enim ipsius Nicephori est illa Στιχομετρία, non alterius cujusquam recentioris : idque solide et fuse demonstrat eruditissimus Goar ; quem adeat, si quis adhuc dubitet »Non jam de Salmasii, sed Dallæi fide quæritur. Quid enim? an eruditissimus Goar hoc *solide demonstrat?* neutiquam : an *fuse?* nequaquam : an omnino *demonstrat?* nullo modo : an id nude dicit, aut affirmat? minime gentium. Imo vero id dicit, quod est Dallæi assertioni plane contrarium ; ad prima enim verba Στιχομετρίας hæc diserte adnotat : « Canonicus sacrorum librorum laterculus, ad Chronographiam nihil spectans. librarii πάρεργον judicatur. » Teste igitur eruditissimo Goar, *Stichometria* a Salmasio producta, Hammondo objecta, a Dallæo defensa, non est Nicephori patriarchæ opus, sed librarii πάρεργον. Fidem igitur in Dallæo requirimus, Salmasii non tantum fidem sed et modestiam laudamus, qui *Stichometriam* ἀδέσποτον tradidit, Nicephori nomen non apposuit, ad Scaligeri et Pithæi editiones nos non ablegavit, quod eam Nicephoro minime tribuendam putaret.

Sed post eruditissimi Goar infelix testimonium : *En tibi*, inquit, « majorem omni exceptione testem, Anastasium Bibliothecarium, hominem noni sæculi, Nicephori supparem. Is enim in præfatione Historiæ ecclesiasticæ : « Huic sane, *inquit*, operi ratum duxi B. Nicephori Constantinopolitani episcopi Chronographiam præponere. » » Quæritur de *Stichometria*, respondet Dallæus de Chronographia, ad quam illa nullo modo spectat. *Hujus autem Chronographiæ pars ultima est*, inquit, *illa a nobis laudata* Stichometria, *eamque editio Anastasii exhibet in calce Historiæ.* At quomodo, quæso, *Stichometria* pars est Chronographiæ, quæ ab ea toto cœlo distat? Assuta est illi quidem in codicibus Græcis, sed non magis ipsa pars est Chronographiæ, quam Chronographia pars est *Stichometriæ*. Apud Anastasium autem ne quidem Chronographiæ est adjuncta, sed in calce Historiæ Anastasianæ, patriarcharum indiculo subjuncta. Anastasius de Nicephori Chronologia loquitur, quam operi suo proposuisse (vel præposuisse) se dixit. Quid hoc ad *Stichometriam* quam operi suo non præposuit Anastasius, quam in calce editio exhibet? Ideo Chronographiam præposuisse se dixit Anastasius, ut Joannes diaconus, qui *ecclesiasticam Historiam* scripturus erat, *ex ea posset aliquantula carpere ;* quid autem confert *Stichometria* ad *ecclesiasticam Historiam?* Scripsisse igitur Nicephorum *Stichometriam* Anastasius testis non est.

Rei hujus veritas satis innotescit ex ipsa farragine, quæ Georgio Syncello subjuncta est, et ex quinque partibus distinctis constat, *Chronologia brevi*, *Genealogia*, *Indiculo regum et sacerdotum*, *Indiculo patriarcharum*, et *Stichometria*. Anastasius tantum *Chronographiam* brevem ab Adamo ad Theophilum Nicephoro tribuit : *Genealogiam* huic quidem subjungit, sed Nicephori esse non affirmat ; eamque duo mss. vetustissimi Græci Oxoniensis atque Londinensis non agnoscunt. *Indiculum regum et sacerdotum* Anastasius cum sequentibus post *Historiam* suam sine nomine Nicephori posuit, quem ms. Oxoniensis non habet ; *Stichometriam* denique *Indiculo patriarcharum*, nulla Nicephori mentione facta, subjungit ; eamque *Stichometriam* ms. Oxoniensis non agnoscit. In tota igitur hac farragine nihil unquam a quopiam Nicephoro tributum est, præter Chronologiam ab Adamo ad Theophilum : de qua tamen adhuc haud immerito dubitari potest, quidquid Goar, quem doctissimum appellat Dallæus, dixerit.

Ad rem ipsam quod attinet, asserimus neque Nicephorum patriarcham, neque Anastasium Bibliothecarium, ne *Stichometriæ* quidem auctorem, quisquis est, unquam tradidisse epistolas Ignatii, quas nos defendimus, fuisse suppositicias. Nicephori effatum est in epistola ad Leonem papam Romanum de receptis SS. Patrum operibus : Ἁπάντων τῶν ἐκκρίτων καὶ μακαρίων Πατέρων τά τε δόγματα καὶ πονήματα ἀσπάζομαι, ὡς διδασκαλίαν ἀνεπίληπτον καὶ σωτηρίας θεμέλιον· καὶ οὓς ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία προσίεται ἀποδέχομαι, καὶ οὓς ἀποτρέπεται ἀποστρέφομαι. «Omnium electorum beatorumque Patrum dogmata et opuscula, ut quæ ab omni reprehensione alienam doctrinam salutisque fundamentum contineant, amplector ; et quoscunque Ecclesia catholica recipit, recipio, quoscunque illa aversatur, rejicio. » At Ignatium inter ἐκκρίτους καὶ μακαρίους Πατέρας numeratum, et epistolas ejus, tanquam opuscula irreprehensibilem doctrinam continentia, ab Ecclesia catholica per aliquot ante Nicephorum sæcula receptas fuisse, jam ante ostendimus. S. Ignatii igitur epistolas recepit et amplexus est Nicephorus. Præterea, Nicephorum scimus Dionysiana pro veris Areopagitæ operibus habuisse, ex disputatione cum Leone Armeno ; idem sensisse certum est Anastasium ex ipsius præfatione ad Dionysiana. At Dionysius S. Ignatii epistolam tam diserte laudat, ut qui verum Dionysium fuisse sensit, aliter de Ignatio sentire non potuerit ; neque quemquam novimus qui Areopagitam defendit, quin idem licet ad angustias redactus, etiam S. Ignatium admiserit.

Auctorem etiam *Stichometriæ*, quisquis est, negamus S. Ignatii epistolas quas defendimus suppositicias pronuntiasse. Ejus quidem verba hæc sunt, prout in editione Parisiana exhibentur :

Καὶ ὅσα τῆς Νέας εἰσὶν ἀπόκρυφα·
Περίοδος Πέτρου στίχων ,βψν'.
Περίοδος Ἰωάννου στίχων ,γχ'.
Περίοδος Θωμᾶ, στίχων ,αχ.
Εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶν, στίχων ,ατ.
Διδαχὴ ἀποστόλων, στίχων σ'.
Κλήμεντος λϐ στίχων ,βχ'.
Ἰγνατίου, Πολυκάρπου, Ποιμένος καὶ Ἑρμᾶ.

Quæ ad calcem Anastasii *Historiæ* ita Latine redduntur :

Et quæ Novi sunt apocrypha.

Itinerarium Petri, versus 2, 800.
Itinerarium Joannis, versus 2, 500.

Itinerarium Thomæ, versus 1, 600.
Evangelium secundum Thomam, versus 1, 300.
Doctrina apostolorum, versus 200.
Clementis (*), versus 2, 600.
Ignatii et Polycarpi.

Ex his nego ullo modo probari posse epistolas S. Ignatii Eusebio visas ab auctore *Stichometriæ* pro suppositiiis habitas fuisse. Nudum enim hic Ignatii nomen ponitur, neque vel de epistolis, vel de suppositione quidquam affirmatur. Ut autem id quod volunt probent adversarii, necesse est ut in hunc modum disputent : Quidquid ab auctore *Stichometriæ* ad apocrypha refertur, id ipsius sententia est suppositiium. Epistolæ Ignatii ab auctore *Stichometriæ* ad apocrypha referuntur. Epistolæ igitur Ignatii sunt ex sententia auctoris *Stichometriæ* suppositiiæ. Hujus syllogismi Hammondo nostro majorem propositionem negare, Usserio de minori visum est distinguere. Ego neutram ulla ratione probari posse contendo, et utramque pariter negandam censeo, ut ne vel umbra argumenti relinquatur.

Primo enim rectissime Hammondus noster hæc Salmasio reposuit : « Non ita vocis istius, ἀπόκρυφα, significatio accipienda est, ut statim spurium aut κίβδηλον aut ψευδεπίγραφον, sequioris ævi figmentum sit, quidquid ubivis inter apocrypha repositum inveniatur. » Nihil hoc effato verius est. Fatetur Dallæus, non esse eam hujus nominis ex etymi sui ratione vim ; vult tamen « ex usu ecclesiastico, ut qui liber apocryphus dicitur is fere aliquo istorum vitiorum laboret. Fere, » inquit, hoc est aliquando, vel plerumque, quod nec Hammondo contradicit, nec quidquam probat. Affirmat apocrypha opponi « apud veteres scriptores libris et divinis et ecclesiasticis, hoc est, omnibus libris apud Ecclesiam notis et probatis, » apud aliquos, scilicet, et aliquando (neminem enim nominat præter Tertullianum atque Gelasium), quod omnino nihil probat. Quæritur an semper ex usu ecclesiastico ita sumatur, ut opponatur omnibus libris ab Ecclesia quoquo modo receptis ? Quæritur an quoties aliquod scriptum dicitur Veteris vel Novi Testamenti apocryphum, id statim omnibus ecclesiasticis opponatur, et a tota Ecclesia pro spurio et hæretico rejiciatur ? Auctor *Stichometriæ* ita loquitur : « Hæ sunt divinæ Scripturæ, quæ recipiuntur ab Ecclesia et canonizantur. Et quæ sunt apocrypha, Veteris Testamenti. Et quæ Novi sunt apocrypha. » Hic nulla mentio librorum ecclesiasticorum, puta Cypriani, Basilii, Chrysostomi, a quorum consortio Ignatius et Polycarpus ablegarentur ; sed Veteris tantum et Novi Testamenti ut a Scripturæ canone rejicerentur. Ut S. Hieronymus epistola 106 : « Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest : ut scire valeamus quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. » Qui etiam eodem modo loqui censendus in Catologo : « Barnabas unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apocryphas Scripturas legitur. » Barnabæ enim epistolam fuisse tradit ; non ipsi supposiiam, aut spuriam ; ad ædificationem Ecclesiæ pertinuisse asserit ; non itaque hæreticam putavit ; lectam tamen inter apocryphas scripturas docet, nec ab Ecclesia repudiatam innuit. Idem in epistola 110 : « Exigitis enim ut librum Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traham, librum utique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum Scripturarum secantes his quæ hagiographa (*lege* apocrypha) memorant, manciparunt. » Emendationem hanc cum multa alia, tum verba sequentia satis confirmant : « Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. *Et rursus epistola* 111 : Apud Hebræos liber Judith inter hagiographa (*lege iterum* apocrypha) legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus inter historias computatur. » Quare ex voce nuda *apocrypha*, nihil aliud recte infertur, ubi de libris canonicis agitur, quam scriptum aliquod esse a canone S. Scripturæ removendum. Extra igitur canonem Novi Testamenti certissime ponitur Ignatius ; neque quidquam aliud ex vi verborum *Stichometriæ* per necessariam consequentiam colligi potest.

Quare quod ex Gelasii decreto arripit Dallæus, plane est ἀπροσδιόνυσον. Ille enim utriusque Testamenti canonem tradit, nullis omnino apocryphis additis ; imo Veteris Testamenti apocryphis nonnullis in canonem receptis, aliis cum apocryphis Novi in ultimum caput rejectis, et inter hæretica scripta positis. Unde duo facta sunt, primum, ut apocrypha melioris notæ ad Vetus Testamentum pertinentia, sine ulla distinctione, pro canonicis haberentur (quæ labes adhuc canoni Romano adhærescit) ; secundum, ut reliqua Veteris et omnia Novi Testamenti apocrypha cum scriptis hæreticis, fictitiis atque damnatis contra Veterum Patrum sententiam confunderentur. Iniquissime igitur postulatur, ut ex hoc decreto sub nomine Gelasii edito *Stichometriam* interpretemur : cum in Stichometria, *Novi Testamenti apocrypha* dicantur, in decreto tantum *apocrypha*, sine ulla restrictione ; in illa post scriptores canonicos, in hoc post omnes catholicos ; in illa canonicis, in hoc omnibus scriptoribus ab Ecclesia probatis opponantur.

Quod autem ex nudo titulo frustra probare conatus est Salmasius, id ex natura librorum qui simul cum Ignatio inter apocryphos numerantur præstare voluit Dallæus. Ita enim videtur disputare : Omnes libri qui ab auctore *Stichometriæ* inter apocryphos numerantur, ab eo tanquam hæretici aut ficti a publica Ecclesiæ luce removentur : ergo et epistolæ Ignatii. Sed respondeo primo, nullam esse necessitatem consequentiæ. Non enim lev

(*) De significatione litterarum λδ quæ in Græco textu exstant, vide infra col. 109. C. et col. 129, B.

Nota obiter, numeros versuum in Anastasiana versione non semper Græco textui consonare. Ed. Pata.

semper discrimen habitum est inter eos libros, qui apocryphi dicebantur. Et quamvis « una eademque, uno eodemque nomine, sive elogio, de omnibus lata sit sententia, » nihil tamen unum atque idem de omnibus asseritur, nisi quod omnes a sacro canones removentur. Fieri itaque potuit, ut unus aliquis reliquis melior fuerit, quamvis inter θεοπνεύστους numeratus non sit. Respondeo secundo, probari nullo modo posse auctorem *Stichometriæ* reliquos omnes pro hæreticis aut fictis habuisse, et a publica Ecclesiæ luce removere voluisse. Nam primo *Nicephorus*, inquit, *epistolam Polycarpi inter apocrypha nullius apud se pretii censet.* Inter apocrypha quidem numerat, sed cujus pretii apud se fuerit, nullo modo indicat. At nemo unquam Polycarpi epistolam aut pro hæretica aut pro ficta habuisse deprehenditur; Nicephorus itaque Dallæi sine ullo fundamento pro tali habuisse dicitur; et iniquissime accusatur, ac si voluerit eam epistolam, quæ tam diu in Asiæ conventu lecta fuerat, a publica omnium Ecclesiarum luce removere. Secundo, Διδαχὴ ἀποστόλων, versuum 200, inter apocrypha numeratur. An igitur eam tanquam pessimæ notæ scriptum, ab Ecclesia penitus eliminandam censuit *Stichometriæ* auctor? Quodnam hujus censuræ indicium, quæ ratio excogitari potest? Ab illis quæ ab hæreticis conficta sunt, separat hoc op. s Eusebius. Magnus Athanasius in epistola ἑορταστικῇ numerat inter eos libros, quos SS. Patres prælegi voluerunt catechumenis, ut inde pietatis rationem cognoscerent.

Tertio, quænam fuerint illa Clementina, quæ in hoc Indiculo memorantur, non docet Dallæus : vocat quidem *Libros Clementis* 32. Sed quinam fuerint libri 32 qui Clementi, præter eos qui in Indiculo superius memorantur, attribui solerent, nefando quisquam adhuc audivit. Quid igitur si pro A B legamus Δ B (Δ enim et A sæpe in mss. confunduntur), et duas Clementis epistolas intelligamus? tunc enim et versus 2,600 illis satis bene quadrabunt (nam utramque simul sumptam cum jam integræ essent, æquasse Evangelium secundum Lucam cui totidem plane versus ascribuntur, quivis concedet), et genuinum Clementis opus Ignatianis adjunctum habebimus, quod ea pariter a suppositionis crimine liberabit. Quinto, quod Hermas cum Ignatianis nominetur, negari non posse volunt, quin *Nicephorus eadem habuerit pro falsis, adeoque fictis et spuriis.* Imo vero hoc negari idque jure optimo potest, si vetustissimorum doctissimorumque in Ecclesia scriptorum sententiæ animadvertantur, quos secutum fuisse auctorem *Stichometriæ* par est credere.

Quæ fuerit S. Irænei de Hermæ libro sententia, ab Eusebio observatum est, *Hist. eccles.* l. v, c. 8 : Οὐ μόνον δὲ οἶδεν, ἀλλὰ καὶ ἀποδέχεται τὴν τοῦ Ποιμένος γραφήν, λέγων· Καλῶς οὖν εἶπεν ἡ Γραφὴ ἡ λέγουσα· Πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ κατ-

A ἀρτίσας, καὶ τὰ ἑξῆς. « Non tantum novit (Irenæus) sed et recipit » Pastoris « scripturam, dicens » (lib. IV, c. 37, secundum interpretem veterem) : « Bene ergo Scripturam dibit : Primo omnium crede quoniam unus est Deus, qui omnia constituit et consummavit, et fecit ex eo quod non erat, ut essent omnia, omnium capax, et qui a nemine capiatur. » Quæ verba exstant Hermæ l. II, mandato I, toties tum a Catholicis tum ab hæreticis citata. Clemens Alexandrinus Irenæo σύγχρονος, Hermæ frequentius, quam cujuspiam scriptoris ecclesiastici auctoritate utitur, eumque sæpius explicat et interpretatur. Sententiam ejus de libro ipso vel ex his locis colligere possumus. Στρωματ. l. I : Θείως τοίνυν ἡ δύναμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατὰ ἀποκάλυψιν λα-

B λοῦσα· Τὰ ὁράματα, φησί, καὶ τὰ ἀποκαλύμματα· « Divine ergo potestas illa quæ Hermæ loquitur in revelatione, » « *Visiones*, inquit, *et revelationes*, » etc.; l. VI : Καὶ καλῶς εἴρηται τῷ Ποιμένι, Κατέβησαν οὖν μετ' αὐτῶν (ita legendum) εἰς τὸ ὕδωρ. *Et præclare dictum est a Pastore :* « *Descenderunt ergo cum eis* (non, *eorum*, ut male interpres) *in aquam.* » Origenes, Clementis discipulus, Hermæ testimonio creberrime utitur, et tum suum tum aliorum judicium de libris ejus sæpe exprimit. Auctorem agnoscit Hermam illum, cujus in Epistola ad Romanos mentio fit, et opus ipsum in Commentariis ad eum locum magnopere laudat. « Puto tamen, *inquit*, quod Hermas iste sit scriptor libelli illius qui *Pastor* appellatur. Quæ scriptura valde mihi utilis videtur, et, ut puto, divinitus inspirata. *Homil. in*

C *Lucam* 35 : Legimus (si tamen cui placet hujusmodi scripturam recipere) justitiæ et iniquitatis angelos super Abrahæ salute et interitu disceptantes ; dum utræque turmæ suo cum volunt cœtui vindicare. Quod si cui displicet, transeat ad volumen, quod titulo *Pastoris* scribitur, et inveniet cunctis hominibus duos adesse angelos. *Tomo* XIV, *in Matthæum :* Εἰ τῇ χρὴ τολμήσαντο καὶ ἀπό τινος φερομένης μὲν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ γραφῆς, οὐ παρὰ πᾶσι δὲ ὁμολογουμένης εἶναι θείας, τὸ τοιοῦτο παραμυθήσασθαι, ληφθεὶη ἄν τὸ ἀπὸ τοῦ Ποιμένος. « Sin audendum sit istud emollire ex quadam scriptura, quæ in Ecclesia circumfertur, sed non ab omnibus pro divina habetur, adhibeatur illud ex libro *Pastoris*. Περὶ ἀρχῶν, lib. IV :

D Διὰ τοῦτο ἡμεῖς καὶ τὸ ἐν τῷ ἀπό τινων καταφρονουμένῳ βιβλίῳ, τῷ Ποιμένι, περὶ τοῦ προστάσσεσθαι τὸν Ἑρμᾶν δύο γράψαι βιβλία, καὶ μετὰ ταῦτα αὐτὸν ἀναγγέλλειν τοῖς πρεσβυτέροις τῆς Ἐκκλησίας ἃ μεμάθηκεν ἀπὸ τοῦ Πνεύματος, οὕτω διηγούμεθα. « Propterea nos illud in *Pastore*, libro qui ab aliquibus contemnitur, de dato Hermæ præcepto ut duos libros scriberet, ipseque postea senioribus Ecclesiæ annuntiaret quæ a Spiritu didicerat, ita interpretamur. *Homilia* 8, *in Numeros* : Quod autem dies peccati in annum pœnæ reputetur, non solum in hoc libro, in quo nihil omnino est quod dubitari possit, ostenditur, sed et in libello *Pastoris*, si cui tamen scriptura illa recipienda videtur, similia designantur. *Eusebius, Hist. eccle.* l. III, c. 3 : Ἐπεὶ δὲ

ὁ αὐτὸς Ἀπόστολος ἐν ταῖς ἐπὶ τέλει προσρήσεσι τῆς πρὸς Ῥωμαίους μνήμην πεποίηται μετὰ τῶν ἄλλων καὶ Ἑρμᾶ, οὗ φασιν ὑπάρχειν τὸ τοῦ Ποιμένος βιβλίον· ἰστέον ὡς καὶ τοῦτο πρὸς μὲν τινων ἀντιλέλεκται, δι' οὓς οὐκ ἄν ἐν ὁμολογουμένοις τιθείη· ὑφ' ἑτέρων δὲ ἀναγκαιότατον οἷς μάλιστα δεῖ στοιχειώσεως εἰσαγωγικῆς κέκριται· ὅθεν ἤδη καὶ ἐν Ἐκκλησίαις ἴσμεν αὐτὸ δεδημοσιευμένον, καὶ τῶν παλαιοτάτων δὲ συγγραφέων κεχρημένους τινὰς αὐτῷ κατείληφα. «Quoniam vero idem Apostolus in salutationibus ad finem Epistolæ ad Romanos inter alios mentionem fecit Hermæ, cujus esse aiunt librum *Pastoris* ; sciendum est etiam huic a quibusdam contradici, propter quos inter receptæ auctoritatis libros poni non potest. Ab aliis vero maxime necessarius judicatur, iis præsertim qui elementaria institutione indigent. Unde etiam in Ecclesiis eum publicatum scimus; et ipse quoscam ex vetustissimis scriptoribus ipsius testimonio usos esse deprehendi. »

S. Athanasius, Eusebio synchronus, in epistola ἑορταστικῇ, cum libros S. Scripturæ canonicos recitasset, monuit esse καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν Πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον· Σοφία Σολομῶντος, καὶ Σοφία Σιρὰχ, καὶ Ἐσθήρ, καὶ Ἰουδίθ, καὶ Τωβίας, καὶ Διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων, καὶ ὁ Ποιμήν. « Etiam alios libros extra hos, non canone quidem probatos, sed Patrum auctoritate illis qui pietatis elementis imbuendi essent propositos, *quales sunt* : Sapientia Solomonis, Sapientia Sirach, Esther, Judith. Tobias, Doctrina apostolorum, et Pastor. » Hæc quidem tunc Ecclesiæ sententia ; quid autem de *Pastore* judicaverit, aliunde patet. Nam et epistola de Nicæna synodo verbis Hermæ ipsius utitur, et lib. *De Incarnatione Verbi* probat omnia ex nihilo facta per Verbum : Ἤ φησι διὰ μὲν Μωσέως· Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· διὰ δὲ τῆς ὠφελιμωτάτης βίβλου τοῦ Ποιμένος· Πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι. « Quatenus loquitur per Mosen quidem : « In principio fecit Deus cœlum et terram : » per utilissimum autem *Pastoris* librum : « Primum omnium crede unum esse Deum, qui condidit omnia et absolvit, fecitque ut ex non ente essent. » Quem Hermæ locum ante, ad eamdem rem demonstrandam, produxerat Origenes tomo I in Joannem. Et cum eumdem etiam producerent Ariani, Athanasius epistola pro Nicæna synodo : Ἐν δὲ τῷ Ποιμένι γέγραπται (ἐπειδὰν καὶ τοῦτο, κἄν τοι μὴ ὂν ἐκ τοῦ κανόνος, προφέρουσι)· « Πρῶτον πάντων πίστευσον. » « In *Pastore* quoque scriptum habetur (quoniam et hoc, quamvis ex canone non sit, allegunt) : » « Primum omnium crede, » etc.

Quid Didymus Athanasio synchronus de Herma senserit, quamvis ejus omnia fere opera perierint, colligere licet ex Catena in Jobum, ubi ait : Ὁ ἀσεβὴς οὖν ἅπασαν τὴν διαγωγὴν ἐν οἴκῳ κακίας ἔχει διαλελυμένος, κατὰ τοὺς ἔξω τῆς οἰκοδομῆς λίθους, οἳ οὐχ ἁρμόζουσι τῇ οἰκοδομῇ τοῦ πύργου κατὰ τὸν Ποιμένα. « Tota igitur impii conversatio in domo pravitatis est, cum sit dissolutus non aliter quam lapides extra ædificium, qui ædificandæ turri plane inepti sunt, juxta Pastorem. » Rufinus, Didymi discipulus qui in Ecclesia Græca plurimum versatus est, Expositione in Symbolum apostolorum, cum canonem S. Scripturæ prius tradidisset, addit : « Sciendum tamen est quod et alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Salomonis, et alia Sapientia quæ dicitur filii Sirach. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ et Judith, et Machabæorum libri. In Novo vero Testamento libellus qui dicitur *Pastoris*, sive Hermatis, qui appellatur Duæ viæ, vel judicium secundum Petrum : quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. » S. Hieronymus, qui inter Græcos consenuit, in Catalogo hæc habet : « Herman cujus apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit, asserunt auctorem esse libri qui appellatur *Pastor*, et apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo scriptorum veterum usurpaverunt testimonia ; sed apud Latinos pene ignotus est : » Idem epistola 196, sive Prologo galeato : *Igitur* Sapientia *quæ vulgo* Salomonis *inscribitur*, *et* Jesu filii Sirach liber, *et* Judith *et* Tobias *et* Pastor *non sunt in canone*, Joannes Classianus, sancti Chrysostomi discipulus, collat. VIII, capit, 17 : « Jam quod unicuique nostrum duo cohæreant angeli, id est bonus et malus, Scriptura testatur. De bonis quidem Salvator, *etc.*, de utrisque vero liber *Pastoris* plenissime docet. *Et collat.* XIII, *cap.* 12 : Adjacere autem homini in quamlibet partem arbitrii libertatem, etiam liber ille qui dicitur *Pastoris* apertissime docet. *Maximus in Scholiis ad Dionysii librum De divinis nominibus*, cap. 4 : Τελεσιουργίαν δὲ ἀγγέλων λέγει ὡς ἐπὶ τοῦ Δανιὴλ καὶ τοῦ ἀγγέλου τοῦ ἑρμηνεύσαντος αὐτῷ, καὶ περὶ τοῦ Ποιμένος τὸν Ἑρμᾶν τελειώσαντος, ὡς ἐκεῖ ἀνέγνωμεν ἐν τῷ Ποιμένι. « Porro perfectionis efficientiam angelorum vocat, ut de Daniele et angelo ipsi interpretante, et de Pastore Hermam perficiente, ut ibi legimus in *Pastore*. *Et paulo post* : Καὶ ὅτι διὰ τῶν ἀγγέλων αἱ ψυχαὶ χειραγωγοῦνται αἱ ζωὴν ἀγγελικὴν ἐπιτηδεύουσαι, οὕτω ἐν τῷ Ποιμένι ἀνεγνωμεν. « Et quod animæ vitam angelicam instituentes ab angelis manuducuntur, ita in *Pastore* legimus.

Cum hæc fuerit tam antiqua, tam constans eorum qui in Græca Ecclesia floruerunt de libro *Pastoris* sententia ; cum auctorem prodant Hermam a S. Paulo nominatum, cum librum ipsum in aliquibus ecclesiis publice lectum, ad institutionem catechumenorum a Patribus commendatum memorent, cum ipsi aut sacrum et divinum, aut certe utilissimum librum pronuntient, et ideo tantum in

canone non ponendum, quod de eo aliqui dubitarunt, an credibile est Nicephorum aut alium quemvis Ecclesiæ Græcæ alumnum, eumdem ut falsum et fictum, ut pessimæ notæ apocryphum jugulare, et ab omni Ecclesiæ luce removere voluisse? Et tamen Dallæus pro certo habet Nicephorum suum, his omnibus prætermissis sive damnatis, sententiam Tertulliani atque Gelasii secutum esse.

Tertullianus aliquando catholicus, aliquando hæreticus, et alia catholici, alia hæretici de *Pastore* sententia fuit. Librum *De oratione* adhuc catholicus scripsit, in quo dum ritus quosdam in oratione usurpatos, tanquam affectatos et coactos, et curiosi potius quam rationalis officii perstringit, hæc habet: «Idem quod assignata oratione assidendi mos est quibusdam, non perpicio rationem; nisi si Hermas ille, cujus scriptura fere » Pastor « inscribitur, transacta oratione non super lectum asedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus. Utique non. Simpliciter enim et nunc positum est: « Cum adorassem, et as sedissem super lectum, » ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam erit adorandum nisi ubi fuerit lectus. Imo contra Scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederet. » Nempe ritus quidam a Christianis quibusdam Tertullianei ævi observatus, statim finita oratione sedendi; quem ille tanquam superstitiosum, irreligiosum, et gentili ritui affinem reprehendit. Ritum autem ipsum ex loco quodam *Pastoris* male intellecto ortum esse putat. Quod clare ostendit, quanto tum in pretio liber ille Hermæ fuit, ut ex eo ritus in Ecclesiæ disciplinam transfundetur. Ipse autem, ut solet, acute respondens, non rejicit libri auctoritatem, sed admittit, et verba ejus ita interpretatur, ut ostendat tantum ordinem narrationis observandum esse, nec ullam inde disciplinæ rationem erui posse. Ita Tertullianus adhuc catholicus, ut observavit S. Hilarius in Matthæum, canone 5: «Quanquam et Tertullianus hinc (De oratione) volumen aptissimum scripserit, sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.» Sed in libro *De pudicitia*, ubi purus putus Montanista est, contraque catholicos tanquam psychicos disputat, et illa quæ ipse in libro *De pœnitentia* ante docuerat, damnat, aliter quidem loquitur. *Sed cederem tibi, si scriptura* Pastoris, «quæ sola mœchos amat, divino Instrumento meruisset incidi: si non ab omni concilio Ecclesiarum, etiam vestrarum, inter apocrypha et falsa judicaretur, adultera et ipsa, et inde patrona sociorum, a qua et alias initiaris.» In his Tertulliani ampulis jam catholicorum omnium hostis facti, et Hermam pro doctrina catholica accusantis, fortasse nihil aliud contineri putandum est, quam *Pastorem* Hermæ non fuisse ex judicio Ecclesiæ librum canonicum, sed potius inter apocryphos, id est non canonicos numeratum; ut Eusebius ἐν τοῖς νόθοις posuit *Pastorem*, quem ipse utilissimum librum pronuntiavit, et Barnabæ Epistolam, et Joannis Apocalypsin, quos tamen agnoscit libros a plerisque ecclesiasticis agnitos, qui apocryphos pessimæ notæ οὐδὲ ἐν νόθοις ponendos voluit, *Hist* l. III, c. 25. Et ipse Tertullianus ita videtur seipsum explicare; nam statim addit: *At ego ejus* Pastoris «scripturas haurio, qui non potest frangi, » hoc est vere canonicas. Nec non eodem libro: «Et utique receptior apud Ecclesias Epistola Barnabæ apocrypho» Pastore *mœchorum*; epistola autem Barnabæ Tertulliano alia non est quam illa S. Pauli ad Hebræos. Quod si aliquid aliud intellexit, et per falsam et adulteram scripturam, Hermæ librum tanquam pessimæ notæ apocryphum ab omnibus Ecclesiis fuisse eliminatum voluerit, non magis id verum est quam cum eam solam mœchos amare ait: et contrarium plane demonstrant Irenæi, Clementis et Origenis testimonia. Nullo igitur modo credendum est auctorem *Stichometriæ* a recepta Græcorum Patrum sententia recessisse, et auctoritate Tertulliani hæretici permotum, Hermæ *Pastorem* pro pessimæ notæ apocrypho haberi voluisse.

Ad Gelasium autem quod attinet, cum Dallæus «utriusque censoris Romani et Constantinopolitani, et quidem utriusque summam in Ecclesia dignitatem suo sæculo gerentis, concordem planeque ejusdem generis censuram» fuisse tradat, suave omnino somnium est. Quis enim credat auctorem *Stichometriæ* Græcos Patres in judicio de Herma deseruisse, ut Gelasio consentiret; eorumdemque sententiam de Ignatio postposuisse, ut Gelasio contradiceret? Vult enim adversarius Nicephorum suum epistolas Ignatii tanquam fictas inter apocrypha numerasse, quas Gelasius ipse, scripto plane genuino ipsi martyri ascripsit, ut ex testimoniis nostris patet. Imo quis Nicephorum Gelasii sententiam in decreto secutum esse affirmabit, qui illud ipsum decretum noverit a nemine unquam vel inter Latinos fuisse agnitum ante aliquot annos post Nicephori mortem? Nicephorus patriarcha e vivis excessit circa annum Christi 828: primi autem, opinor, qui decreti Gelasiani meminisse deprehenduntur, sunt Lupus Ferrariensis, Hincmarus et Nicolaus papa primus, circa idem quidem tempus omnes; sed et ex iis qui primo loco decreti mentionem fecit, post annum 840 scripsit. Mentio quidem hujus opusculi in *Chronico Centulensi* a Dacherio edito, ubi inter alios bibliothecæ illius abbatiæ libros legitur: « Gelasii papæ de libris recipiendis et non recipiendis, » lib. III, c. 3. Iste autem catalogus confectus esse dicitur anno 831, triennio postquam Nicephorus defunctus est. Ne autem duorum patriarcharum consensu nimium viri doctissimi triumphet oratio, quemadmodum uni superius larvam detraximus, ita et alteri jam detrahamus.

Decretum quidem extat «de libris canonicis ecclesiasticis et apocryphis, » quod magna virorum hujus ævi doctorum conspiratione Gelasio I pontifici Romano tribuitur. Sed mss. codices multorum sæculorum in assignando auctore plurimum variant.

Vetustissimus codex collectionis Dionysianæ,quem beneficio Dacherii vidit Baluzius, decretum hoc Damaso papæ ascribit, et Baronius ad annum Christi 69,ex concilio Romano sub Damaso, quod continet Cresconiana collectio, partem hujus decreti citat.Ex qua obiter observo verba illa : « Sancta tamenRomanaEcclesia nonnullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed et evangelica voce D.Salvatoris nostri primatum obtinuit, » levi mutatione, sed gravi errore in hæc jam esse mutata : «Sancta tamen Romana Ecclesia nullis synodis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est,sed evangelica voce Domini etSalvatoris nostri primatum obtinuit.» Codex Ecclesiæ Urgellensis, teste Baluzio,et Jurensis pervetustus, teste Chifletio, idem tribuunt Hormisdæ. Alii Gelasium auctorem agnoscunt, ut et noster, qui in bibliotheca collegii SS. Trinitatis Cantabrigiæ asservatur,quem olim «Lanfrancus archiepiscopus» Cantuariensis «de Beccensi cœnobio in Anglicam terram deferri fecit,» ut ipse loquitur. Inde colligunt viri docti primo Gelasium, dein vero Hormisdam idem decretum edidisse. Ad Damasum enim referri nullo modo potest. Quamvis Baluzius «Damasum primum de hujusmodi libris publice statuisse: dein vero Gelasium Damasi decretum renovasse, illudque auxisse eorum auctorum nominibus qui post Damasum vixere, et idem quoque de Hormisda dici posse,»atque hæc omnia ex titulis librorum mss. elici posse hariolatur. Cum autem tale quidpiam neque de Damaso, neque de Gelasio,neque de Hormisda vetus Ecclesiæ historia doceat, illud potius ex mss.eliciendum puto,incertum plane fuisse a quo pontifice, imo a quo auctore hoc decretum conditum sit.

Refert quidem Gratianus decretum hoc scriptum fuisse a Gelasio in concilio LXX episcoporum, ut nunc Gratianus editur : nam in vetustissimis mss. illa de concilio desiderantur. Sed ms. noster Gratiano et Ivone antiquior, hunc titulum præfert : «DecretaGelasii papæ de recipiendis et non recipiendis libris.Quæ scripta sunt ab eo cum LXX eruditissimis episcopis.»Videturque hic titulus fuisse antiquissimus, tum quod apud Burchardum ita concipitur. tum quod maxime illis convenit quæ apud Lupum Ferrariensem, epist. 128, legimus:«Quoniam docet Gelasius cum LXX episcopis,viris eruditissimis,qui scriptores essent vel non essent recipiendi.»Aliqui autem mss.codices addiderunt concilio huic etiam suos consules, celebratumque tradiderunt *Asterio et Præsidio coss.* Inde Baronius in *Annalibus* refert congregatum Romæ concilium LXX episcoporum tertio Gelasiani pontificatus anno,Domini vero 494; cum tamen nullum ejus in Historia ecclesiastica exstet monumentum aut vestigium. Baronium secutus est in editione conciliorum Binius,et Philippus Labbeus,in Historia omnium Conciliorum synopsi. « 494, Romanum I concilium sub Gelasio, quo a LXX episcopis libri sacri et authentici ab apocryphis sunt discreti,Asterio atque Præsidio consulibus.Ex codicibus mss. omnia illustrabuntur. Atque ita tandem habemus concilium sub Gelasio primum, et pro actis concilii hoc decretum.

Sed eo anno, aut sub illis consulibus conditum fuisse hoc decretum plane incredibile est. Neque enim diu post Collectionem decretorum pontificum collegit et edidit Dionysius Exiguus, et decreta Gelasii papæ nobis exhibet,inter quæ illud de quo disputatur, minime comparet.Illa tamen decreta monet Dionysius sub iisdem consulibus condita fuisse. Hæc enim ad eorum decretorum finem legimus : «Datum v Idus Martiarum, Asterio et Præsidio VV. CC.coss.»Quisquamne autem credet Dionysium,nominis Gelasiani adeo studiosum, inter decreta iis consulibus edita,hoc tam celebre omittere voluisse, quo Gelasius depingitur,«distinguens separansque, quasi os Domini, mundum ab immundo, et secernens pretiosum a vili,» ut loquitur Baronius? Præterea res ipsa clamitat eum titulum ex collectione Dionysii fuisse huic decreto falso præfixum. In eo enim legimus: « Item venerabilis viri Sedulii Paschale opus,quod heroicis descripsit versibus,insigni laude præferimus.»Quibus verbis auctor decreti celebre et notissimum poema, tanquam catholicum suis Romanis commendare voluit.At opus Paschale Sedulii iis consulibus notum non fuit ; nam Asterio demum exconsule divulgatum est. Unde factum est ut Gennadius Sedulii non meminerit : quod mirantur illi qui finem libro *De scriptoribus ecclesiasticis* eodem anno impositum a Gennadio non observant. Adnotatio illa, quæ in veteri Aldi Manutii editione Paschali carmini adnexa est,hoc satis indicat:«Hoc opusculum non a Sedulio auctore editum est, sed a Turcio Rufo Asterio V.C. exconsule ordinario atque patricio,qui id inter scripta Sedulii invenit.» Idemque confirmat ipsius Asterii exconsulis ad Macedonium epigramma, eidem operi in duobus vetustis mss. testibus Sirmundo atque Usserio præfixum.

Sume, sacer meritis, veracia dicta poetæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio ;
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope et cura edita sunt populis.
Quem quamvis summi celebrent per sæcula fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Cum igitur Asterius consul fuisset, cum nomen ejus in Fastis esset,tunc primum edidit Paschale opus Sedulii; non potuit igitur a Gelasio anno Christi 494, Asterio et Præsidio coss. tantopere celebrari. Vidit hæc acutissimus Usserius, et Binium perstringens quod Romanam LXX episcoporum synodum ad eum annum absque ullo veterum vel codicum vel auctorum testimonio retulisset, ipse ad biennium pontificatus Gelasiani adhuc reliquum confugit. » *Cum*, inquit, «post biennium e vita excesserit pontifex Gelasius, intra illud temporis spatium putandum est et Sedulii nuper defuncti Paschale carmen

ab Asterio recensitum atque Macedonio adhuc superstiti denuo oblatum, et Romanum illud LXX episcoporum sub Gelasio habitum fuisse concilium, qui nuperrime divulgato operi præclarum dederunt testimonium.» Et certe ita *putandum* esset, si certo constaret a Gelasio et synodo ejus hoc decretum editum fuisse; at hoc non magis posteriori, quam priori biennio competit; nam ecce, anno proximo sive hujus biennii primo, sub Viatore consule alia synodus a Gelasio Romæ congregata est episcoporum non LXX quidem, sed LV. Hujus synodi Acta exstant; nec in iis ullum hujusce decreti vestigium apparet. Postremo Gelasii anno synodus nulla, quantum novimus, coacta est; ut a synodo aliqua Gelasiana editum fuisse hoc decretum plane incredibile sit. Nicolaus quidem de Cusa *De concordia catholica*, lib. II, c. 14, hæc ex concilio Toletano, tempore Sysevandi regis celebrato, cap. 17, citat: «Apocalypsis librum multorum conciliorum auctoritas, et synodica SS. Romanorum præsulum decreta Joannis evangelistæ esse describunt, et inter divinos libros constituendum decreverunt,» et inde colligit, approbationem librorum, quæ Gelasio papæ ascribitur, fuisse synodicam. Sed hoc si aliunde non constet, certe hinc constare non potest. Gelasii enim non meminit, et alii pontifices Romani canonem ediderant, quo liber Apocalypseos reciperetur: et decretum hoc illius concilii tempore exstare potuit, vel sub Gelasii vel sub alterius pontificis nomine, nam concilium illud celebratum est pluribus quam 140 annis post mortem Gelasii, sc. a. D. 633 non 582, ut voluit Cusanus. Illo autem ævo canonem Scripturarum sub nomine Gelasii papæ exstitisse non est verisimile. Nicolaus enim papa, in epistola ad archiepiscopos et episcopos per Gallias constitutos, canonis Innocentii tantum meminit, non autem Gelasii, quamvis in eadem epistola decreti Gelasiani meminerit. *Sed responsuri sunt isti*, inquit, «qui non ad obediendum potius quam ad resistendum sunt parati, aientes, quod inter canones inveniatur capitulum S. papæ Innocentii; cujus auctoritate doceatur a vobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum.» Quibus verbis uti patet canoni concilii Laodiceni, ut apud Latinos habebatur, libros S. Scripturæ non fuisse additos, aut Apocalypsin inter eos numeratam non fuisse: ita etiam eosdem in decreto hoc Gelasii non fuisse numeratos constare videtur. Certe Ivo Carnotensis in decreto ordinem librorum S. Scripturæ, sine nomine Gelasii, posuit, parte quarta; capite 61, aliisque interpositis, cap. 63, demum Gelasii decretum recitat cap. 64, et codex Jurensis, quem edidit Chifletius, in Hormisdæ decretal-ordinem librorum S. Scripturæ præmittit; sed decreti verba immutat, ut ad ordinem respiciat. Ita enim ex illo codice legimus: *Post* has omnes « prophetica et evangelica atque apostolica » quas superius deprompsimus, *Scripturas*. Cum in aliis codicibus simpliciter legatur: «Post propheticas et evangelicas atque apostolicas Scripturas. *Verba igitur illa*, has omnes, *et*, quas superius deprompsimus, » palam inserta sunt, ut *ordinem* cum decreto conjungerent. Quod et postea rursus factum est: nam pro illis, « regulariter suscepimus, *substituit*, regulariter superius enumeravimus. » Nec igitur in synodo, nec unquam Gelasium papam hoc decretum edidisse verisimile est.

Nam primo auctor decreti male de Eusebio sensit unde illa: *Historia Eusebii Pamphili apocrypha*; ostendit autem et ipse, quare apocrypham nominavit, nempe quia *in primo narrationis suæ libro tepuit*, id est mala de natura Christi scripsit: numeravit itaque Eusebium inter Arianos. At verus Gelasius aliter de Eusebio sensit; ipsum in Catholicorum Patrum numero posuit; illius testimonia ad confirmandam Ecclesiæ de duabus naturis Christi doctrinam adhibet. Auctor igitur decreti verus Gelasius esse non videtur. Neque illa Chifletii conciliatio admittenda est, quod *Historiæ ecclesiasticæ libros* tantum dicat in decreto *non esse usquequaque renuendos*; ipse enim pariter se explicat, «propter rerum tamen singularium scientiam, quæ ad instructionem pertinent, » scilicet, renuendos non esse usquequaque; ad confirmationem autem doctrinæ catholicæ, præsertim de natura Christi, cum et ipse erraverit in hac ipsa re, et origenem tantopere laudaverit, adhibendam esse auctoritatem Eusebii ex quocunque libro depromptam nunquam putavit auctor decreti.

Præterea in hoc decreto hanc censuram legimus, « Liber qui appellatur Canones apostolorum apocryphus, » quam Gelasio papæ tribuendam minime esse multa suadent. Nam Dionysius Exiguus, qui tantopere Gelasium admiratus est, post tam gravem ejus censuram, nunquam Canones apostolorum interpretari, et reliquis canonibus præfigere voluisset: nunquam in præfatione operis sui, his verbis usus fuisset: « In principio itaque Canones, qui dicuntur apostolorum, de Græco transtulimus; quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem; quamvis postea quædam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur. » An tam leni censura ipse perstrinxisset, an tantummodo « plurimos consensum non præbuisse facilem, » id est, aliquo modo de eorum auctoritate dubitasse dixisset, si ante paucos annos pontificem Romanum in concilio eas numerasse inter illa scripta, quæ « catholicis vitanda sunt, et quæ nullatenus recipit catholica et apostolica Romana Ecclesia » novisset? An de hac dubitatione Stephanum Salonitanum episcopum monendum duxisset, *ne*, scilicet, *hoc ipsum ignoraret*, qui quid a Celasio in concilio decretum fuit, ignorare non potuit? An denique « postea constituta pontificum ex illis canonibus assumpta » fuisse notasset, si eos tam recenti pontificis constituto transfixos atque jugulatos cognovisset? Certe Dionysius

translatione sua efficere nunquam potuisset, ut hi canones ab Ecclesia Romana reciperentur, si ab ipso Gelasio fuissent nuperrime rejecti. At receptos statim fuisse ostendit Cassiodorus *Divin. lect.*, cap. 23, qui de Dionysio et collectione ejus ita loquitur : « Petitus a Stephano episcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus et disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur. » Verum autem esse quod Cassiodorus asseruit, patet ex epistola Joannis II pontificis Romani paulo ante ad Cæsarium Arelatensem data, in qua Contumeliosum Regensem episcopum, auctoritate canonum ex collectione Dionysii Exigui excerptorum, ab episcopatu suspendit, et canones apostolicos ad eam rem diserte adhibet. « Ex Canonibus apostolorum capitulo XXV : Episcopus, presbyter, aut diaconus qui in fornicatione aut perjurio captus est, deponatur, non tamen communione privetur ; dicit enim Scriptura : Non vindicabit Dominus bis in id ipsum. Ex canonibus supra scriptis capitulo XXIX, quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant : Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesias penitus abscindatur. » Fuerunt igitur tempore Joannis II pontificis et Cassiodori, canones apostolici in Romana Ecclesia receptissimi, quod fieri potuisse nemo concedet, si vel a Gelasio, vel Hormisda fuissent tam publice rejecti.

Mirari enim satis non possum, qua ratione ductus Dallæus seipsum Dionysio directe et ex diametro opponeret. Ille in Ecclesia Græca enutritus, ubi maxime valebant Canones apostolici, in Romana diu versatus, ubi tum non erant adeo recepti, in decretis pontificum evolvendis multum desudans, observavit, ex canonibus illis aliqua pontificum constituta, Romanorum scilicet, assumpta fuisse. Dallæus econtra « De pseudepigraphis apost., *lib.* III, *cap.* 3 : Ego vero putaverim non ex canonum collectione sua decreta pontifices, sed ex pontificum constitutis suos canones assumpsisse primum eorum collectorem. » Respexit sine dubio Dionysius Innocentii, Leonis et Gelasii epistolas, quibus nonnulla ex 50 canonibus apostolicis repræsentantur ; at si Dallæus putaverit, aut hos 50 canones, aut eorum aliquos ex illis epistolis, aut cujusvis Romani pontificis decreto assumptos fuisse, fugit eum omnino ratio, et Dionysio verissima tradenti perquam importune illud opposuit, quod aperte falsum est.

Præterea non pauca sunt, quæ me movent ut credam ipsum Gelasium canones, qui dicuntur apostolorum, et admisse, et in suis epistolis decretalibus usum ipsis fuisse. Tricesimus inter illos canon est : « Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur et ipse et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a Petro. *Gelasius, epistola ad episcopos per Lucaniam constitutos, cap.* 21, *ut in nostro ms. repetitur* : Quos vero constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantis (*ita ms. non* perpetrantes), quia dantem pariter accipientemque damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit. *Respondet Dallæus* De pseudapostol. *l.* III, *c.* 4 : Gelasii locus nullum omnino canonem laudat, neque apostolicum neque ecclesiasticum. Tantum *Simonis damnationem* memorat, quam *sacra*, inquit, *lectio*, Actuum scilicet apostolicorum, ut notum est, *testatur*. Canonem *quidem* non laudat » Gelasius, id est, non expresse dicit, ea quæ præcipit in aliquo canone contineri : nec id voluit Dionysius, cum doceret aliqua pontificum constituta ex canonibus qui dicuntur apostolorum fuisse assumpta ; neque enim aliquis pontificum Romanorum ante Dionysii ætatem in suis constitutis canones apostolorum nominasse deprehenditur, Sed id tantum nos cum Dionysio volumus, hoc Gelasii constitutum ex illo canone assumptum esse. Neque mentio sacræ lectionis impedit quominus hæc asseramus ; ad Actus enim apostolicos nos tantum ideo refert, ut sciamus quænam fuerit damnatio Simonis ; quod autem illa damnatio pertineat tum ad Simoniace promotum, tum ad promoventem, omnino ad illum apostolicum canonem pertinet, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας, hoc est, « arceatur dans pariter accipiensque, *ut loquitur Gelasius. Canon apostolicus* 22 *est* : Si quis abscidit seipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus, quia suus homicida est, et Dei conditionis inimicus, *etc.*; *Gelasius autem epistola eadem, cap.* 14 : De iis autem qui seipsos abscindunt, paterni canones evidenter sequenda posuerunt ; quorum tenorem sufficiat indidisse : dicunt enim, talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere clericali debere eos secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppeditat, præter illa quidquam quæ memorabilis decrevit forma censere. » Respondet Dallæus, hæc in Nicæno canone contineri, quod nemo negat, et *paternos canones*, potius ad Nicænos Patres quam apostolos referri debere. At nos ad apostolos non referimus, sed ad Nicænos Nicænis longe antiquiores Patres. Ut Dionysius Exiguus se ideo tum concilium, tum eos, qui apostolorum dicti sunt canones, in Latinum sermonem transtulisse profitetur, ut *sancti præsules paternis muniantur regulis*. Et Cæsarius post acceptam epistolam Joannis papæ II, qua canones apostolici duo continebantur, subjungit : « Ecce manifestissime constat, quia secundum quod et tituli antiquorum Patrum a S. Joanne papa transmissi, et 318 episcoporum sententia, sed et canones Gallicani continere videntur, » etc.

Præterea et hæc et alia quæ habet Gelasius, ita in Nicænis canonibus continentur, ut iidem Nicæni canones agnoscant eadem in prioribus canonibus præcepta fuisse, quos scimus inter canones, qui

dicuntur apostolorum numeratos fuisse. Primus quidem Nicæni concilii canon eadem continet,quæ nos ex Gelasio descripsimus ; sed et idem ostendit canonem ante in Ecclesia latum fuisse : Εἴ τινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν,[καὶ] εὑρίσκοιντο ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών.Quod nihil aliud est, quam quod canon apostolicus 21 præcipit :« Eunuchus,si per insidias hominum factus est,vel si in persecutione ejus virilia amputata sunt,vel si ita natus est,et est dignus, efficiatur episcopus.» Fatetur Dallæus libri supra nominati cap. 4, « fuisse jam ante Nicænæ synodi tempora aliquam in Ecclesia regulam, ex qua hæc itaadministrarentur,eam regulam ab ipsis apostolis ita diserte constitutam, vel a Clemente litteris mandatam, et in istam syllogen, quam Turrianus defendit, relatam negat.» Nego et ego ab apostolis constitutam, a Clemente scriptam ; accipio, quod largitur,ante Nicænam synodum exstitisse, asseroque eam in illam syllogen canonum, qui dicebantur apostolorum relatam fuisse. Eamdem fere rationem esse cæterorum,quæ ex Nicæna synodo colligit Turrianus, fatetur etiam Dallæus. Sic igitur cum citavit illud quod in canonibus 15, 16, 9 et 10 concilii Nicæni continetur,et ab iisdem ad veteres seu ecclesiasticos canones ibidem refertur, eodem opere laudasse librum canonum,qui apostolici dicebantur, omnino putandus est, quia eo libro isti veteres canones continebantur.Præterea quid scripserint Innocentius et Leo, antecessores sui, nescire Gelasius non potuit, qui quamplurima ex canonibus illis in sua constituta transtulerant. Et hi quidem veteres canones, et ecclesiastici in conciliis dicti,ab aliis diu ante Gelasium diserte apostolici dicebantur.Ut in concilio Ephesino Act. Antiochenus episcopus notatur, quod παρὰ ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων ἀποστόλων, « contra leges ecclesiasticas,et canones sanctorum apostolorum, » ordinationes provinciæ Cypri ad se trahere conaretur: qui quidem erant 34 et 35 canones ejus libri quem habuit Gelasius. Cum Eusebius Cæsariensis recusasset episcopatum Antiochiæ, in hunc modum a Constantino imperatore laudatus est : Ἡ σὴ σύνεσις ἤγουν τάς τε ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ,καὶ τὸν ἀποστολικὸν κανόνα καὶ τῆς Ἐκκλησίας φυλάττειν ἔγνωκε· « Tua prudentia et mandata Dei,et apostolicum canonem, atque ecclesiasticum custodire statuit : » ut ipse refert de *Vita Constantini* lib. III, c. 61. Est autem hic canon inter eos, qui apostolici dicebantur,decimus quartus.Alexander episcopus Alexandriæ ante concilium Nicænum, cum Arium ejusque socios excommuuicasset, epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum episcopum data graviter conqueritur, quod ab aliquibus in Ecclesiam reciperentur, τῷ μήτε τὸν ἀποστολικὸν κανόνα τοῦτο συγχωρεῖν, « quod apostolicus canon id non permittat, » ut refert Theodoretus *Hist. eccl.* l. I, c. 3. His autem in codice Gelasii fuit 15. Cum igitur Dallæus quinquaginta tantum canones sub apostolorum nomine ævo Gelasiano exstitisse velit,cum ex illis tot a Patribus,a conciliis,a Romanis pontificibus fuerint diserte laudati, aliqui etiam ab ipso Gelasio agniti atque probati, cum reliqui ejusdem plane generis sint et in eodem cum his adeo receptis atque probatis codice repræsentati, cur *Librum qui appelatur* Canones apostolorum *apocryphum* ita appellaret,ut inter illa «quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta sunt,» numeraret,ut «nullatenus a catholica et apostolica Romana Ecclesia receptum» indicaret,et a *catholicis vitandum* pronuntiaret, ratio nulla vel excogitari potest.

Hæc, opinor, adeo a mente Gelasii abhorrere videbantur,ut hæc ipsa verba e decreto eradenda ac penitus tollenda judicaverint nonnulli. Nam in ms. nostro ante sexcentos fere annos exarato non comparent : et Hincmarus ducentis adhuc senior in suo codice sine dubio non invenit. Ita enim ipse Opusc. c. 24 : « Sed et beatus Gelasius in catalogo, qui libri ab Ecclesia recipiantur, de his apostolorum canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit. » Illa igitur verba : *Liber qui appellatur* Canones apostolorum *apocryphus*, in decreto Gelasii Hincmarus non legebat. Sed hic se criticum ostendit Dallæus ; ultima illa verba mendosa esse pronuntiat,et restituto verbo *omisit*, pro eo quod in codicibus vulgatis legitur *misit*, corrigenda, ut ita scripserit Hincmarus,« Sed nec inter apocrypha eos omisit.» Quam importunam correctionem ea quæ sequuntur plane rejiciunt.«Quapropter in lectione illorum sequenda est cautela ab eodem S. Gelasio præmonita : « Cum hæc,inquit,ad Catholicorum manum advenerint, B. Pauli apostoli præcedat sententia quæ dicit : Omnia probate,quod bonum est tenete [1]. » » Hoc est, quoniam Gelasius hunc librum canonum nec inter eos qui ab Ecclesia recipiebantur,nec inter apocryphos numeravit, et tamen vulgo legeretur ; id tandem sequitur, inter eos esse numerandum, quos ille nec recepit, nec penitus rejecit, quales erant *Actus Silvestri*, scriptura *De inventione Dominicæ crucis*, et *De inventione capitis B. Joannis Baptistæ*, de quibus regulam ab Hincmaro observatam tradit Ne Gratianus quidem hæc in Gelasii decreto legisse videtur ; nam inter eos qui Canones apostolorum inter apocrypha numerabant,Gelasii non meminit, dist. 16. Quod autem dist. 15 nunc ea habentur, nihili est ; nam Gratiani codici omnia de libris apocryphis postea sunt inserta, nec ad eum quo leguntur locum pertinent,quo agit de conciliis, ut ipsius titulus indicat ; et Glossa summam capitis complectens hæc tantum habet:«Dicit enim Gelasius,quod supradicta quatuor concilia vult venerari,et si qua alia fuerunt a SS. Patribus instituta, et ostendit quæ opuscula SS. Patrum in Ecclesia recipiantur.» Ulterius igitur

[1] I Thess. v, 21.

non processit Gratianus. In plurimis etiam mss. codicibus decreti Gratianei reliqua non comparent. Qui netiam in duobus veteribus mss. *Panormiæ* Ivonis ad publicam academiæ nostræ Bibliothecam pertinentibus, eadem verba desiderantur. Neque mirum, cum illa pars postrema decreti Gelasiani, tum in *Panormia* tum in decreto Burchardi, hoc titulo gaudeat: « De notitia librorum apocryphorum, qui a SS. Patribus æterna damnatione damnati sunt. » Quis enim ferre tum temporis potuit canones apostolorum in decreto sub tali titulo comprehensos, si simul cogitaret, iisdem canonibus Romanam Ecclesiam gubernatam esse ? Cum igitur aliquorum ante Gelasium pontificum, et ipsius etiam Gelasii decreta ex canonibus apostolicis desumpta sint, cum paulo post Gelasii mortem, canones illi a tota Romana Ecclesia recepti sint ; decretum illud, quo hi canones æterna damnatione damnati sunt, Gelasio papæ tribui non potest.

Præterea hæc verba auctorem decreti Gelasio juniorem omnino demonstrant : « Sed et si qua sunt concilia a SS. Patribus hactenus instituta, post illorum quatuor auctoritatem et custodienda et recipienda decrevimus. » De quatuor generalibus conciliis ante locutus, de reliquis post ea celebratis agit, minoremque iis auctoritatem tribuit ; quod omnino intelligi debet de conciliis quæ videbantur esse generalia : aliter nihil diceret. At ætate Gelasii nullum post Chalcedonense concilium celebratum est, quod in numero generalium poni potuit. Auctor igitur hujus decreti omnino post concilium quintum, sive Constantinopolitanum secundum scripsit. De illo enim diu dubitanter locuti sunt Latini, nec paris cum quatuor auctoritatis esse voluerunt. Gregorius I : « De illa tamen synodo, quæ Constantinopoli postmodum facta est, quæ a multis quinta nominatur, scire vos volo. » A multis igitur ævo Gregorii, non ab omnibus quinta dicebatur, et cum idem Gregorius de synodi Chalcedonensis auctoritate dixisset, de quinta hæc statim addidit : « Nam synodus quæ post eam generaliter facta est, idcirco a nobis recipitur, quia ejusdem synodi in omnibus sequens tenorem illius auctoritatem custodit. *Isidorus* l. VI Etymol., c. 16 : Hæ sunt quatuor synodi principales, fidei doctrinam plenissime prædicantes. Sed et si qua sunt concilia quæ SS. Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt post illorum quatuor auctoritatem, omni manent stabilita vigore. » Quis non videt hæc eadem quasi mente scribi, qua illa in decreto Gelasiano scribebantur ? Nec hæc igitur, nec illa ante quintam synodum scripta fuisse putandum est. Cassiodorus qui post Gelasium, ante vel circa synodum quintam scripsit, quatuor tantum nominavit, de posterioribus nihil omnino addidit.

Denique legimus in decreto : « Item scriptura de inventione Dominicæ crucis, et alia scriptura de inventione capitis B Joannis Baptistæ novellæ quidem relationes sunt, et nonnulli eas Catholici legunt. » Verum tales scripturas, sive libros, Gelasii ævo exstitisse non apparet. Est quidem libellus inter Opera S. Cypriano falso ascripta, « De revelatione capitis Joannis Baptistæ, » et si Baronio credendum sit, in Adnotationibus ad Martyrologium, quarto Kal. Septembris, « cujus fidei sit tractatus ille, declarat censura Gelasii, qui sic ea quæ ibi sunt reliquit lectoris arbitrio, ut quæ vera vel falsa sint, ante examinet quam probet. » Sed Gelasii censura cujus fidei sit, tractatus ille declarare non potuit ; scriptus enim est tractatus ipse post Marcellinum comitem, cujus Chronicon citat : Chronicon autem Marcellini diu post Gelasii mortem scriptum est. Fertur quidem Dionysius Exiguus eamdem revelationem ex Græca Marcelli archimandritæ relatione in linguam Latinam transtulisse, ut eam Romani legerent ; sed et Dionysius ille post obitum Gelasii scripsit.

Decretum docet Marcum evangelistam gloriosum consummasse martyrium ; at hoc neque Eusebius, neque Hieronymus ante Gelasium tradidit, neque post eum Isidorus Hispalensis : ut Vita S. Marci, in qua ejus martyrium describitur, post Isidori, ante Bedæ et auctoris decreti tempora scripta esse videatur.

Denique, quod præsens negotium maxime spectat, auctor de Ruffino agens ait : « Illa sentimus quæ beatum Hieronymum sentire cognoscimus : et non solum de Ruffino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit. » Quæ verba nec concilio, nec pontifici Romano satis conveniunt ; et res aliter omnino se habet. A nemine enim magis dissentit quam ab Hieronymo. Libros omnes Veteris Testamenti, qui non in Hebræorum canone habebantur, ad apocrypha rotunde relegavit Hieronymus ; eosdem in decreto pariter cum canonicis « sancta et catolica suscipit et honorat Ecclesia. » Hieronymus libros quos apocryphos vocat, legi in Ecclesia vult, epist. 115 : « Sicut Judith et Tobiæ, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas, inter canonicas Scripturas non recipit : sic et hæc duo volumina » (παναρετον Jesu filii Sirach. et Sapientiam Salomonis) « legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. » In decreto omnia quæ apocrypha appellantur, tanquam a Catholicis vitanda, et ab Ecclesia eliminanda damnantur. Hoc sensus inter apocrypha numerantur Opuscula Tertulliani, Novati, Arnobii, Apollinarii. Aliter plane Hieronymus, epist. 76 : « Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, et nonnullos ecclesiasticos scriptores Græcos pariter et Latinos, ut bona eorum colligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem : « Omnia probate, quod bonum est tenete. » » Quæ verba Apostoli ad aliam plane classem in decreto trahuntur, ut ante observatum est. Pessimo sensu in decreto legimus : *Liber qui appellatur* Pastoris, *apocryphus ;* quem apud quasdam Græciæ

Ecclesias etiam publice legi testatus est, et revera utilem librum pronuntiat Hieronymus. Auctor decreti. « Opuscula Clementis Alexandrini apocrypha. *Hieronymus in Catalogo* : Feruntur ejus insignia volumina, plenaque eruditionis et eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quam de sæcularis litteraturæ instrumento ». Adeo decreti scopus, et quasi peculiaris tractatio, ab Hieronymi doctrina penitus abhorrent. « Liber Proverbiorum, qui ab hæreticis conscriptus, et S. Sixti nomine prænotatus est, apocryphus », inquit ille quem Gelasium esse volunt. At Hieronymus eum librum docuit non ab hæreticis fuisse conscriptum, sed a philosopho Pythagoro, epist. 66 : « Librum Sixti Pythagorei, hominis absque Christo, atque ethnici, immutato nomine, Xysti martyris et Romanæ Ecclesiæ episcopi prænotavit ».

Cum igitur nec *Stichometria* patriarchæ Constantinopolitano tribuenda sit, nec Decretum Romano tribui posse videatur, non est ea censuræ auctoritas, quam voluit Dallæus : cumque tanta sit *Stichometriæ* atque Decreto in apocryphis denotandis discrepantia, non est ea censuræ concordia, quam tradit vir doctissimus : cum denique in ipsa *Stichometria* libri illi tantummodo *Novi Testamenti apocryphi* dicantur, satis apposite Hammondus, si epistolas Ignatii in Indiculo denotari concedatur, Salmasio videtur respondisse : « Nihil ab auctoritate epistolis hisce a nobis tributa ex eo detractum aut minutum esse, *quod sic* in apocryphorum numero repositæ inveniantur. Sic », inquam, id est in Indiculo librorum, qui in canonem recipiuntur, et qui a canone removentur. Quod enim *sic* in apocryphorum numero reponitur, canonicis libris solis opponitur. Ut S. Augustinus « De Civitate Dei, *l.* xv, *c.* 23 : Multa sub nominibus et aliorum prophetarum et recentiora sub nominibus apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nominibus apocryphorum ab auctoritate canonicorum diligenti examinatione remota sunt. *Nomen igitur* apocryphi *tantum* ab auctoritate canonicorum » scriptum aliquod removebat.

« *Sed* multo melius ac modestius, atque sapientius optimus ac doctissimus Usserius Ignatiana sua ab hoc Nicephori telo defendit », inquit Dallæus. Non male defendisse ostendimus Hammondum ; si *multo melius* Usserius, certe optime defendit. Nempe Armachanus docuit non mirum esse, si epistolæ Ignatii, adjectione spuriarum, et interpolationibus a pristina forma immutatæ in apocryphorum numero reponerentur : quemadmodum Estheræ liber, licet ab Hebræis receptus, tamen propter additamenta, a Melitone Sardensi, et Oregorto Nazianzeno inter sacros libros nominatus non est, ab Athanasio etiam inter nothos nominatim abjectus. Verumtamen si Dallæum bene novi, non est nihil, quod Armachani defensionem tantopere probat. Non enim sine dolo laudat, quam sine ratione rejicit. Laudat, ut suos excuset : rejicit, ut argumentum vim suam retineat. O præclaram Usserii defensionem, quæ adversarium absolvit, argumento cedit ! Qui sic virum summum laudat, quomodo vituperat ?

Videamus igitur primo quid tandem sit, ob quod hanc defensionem tanto præconio effert ; nempe quod hinc appareat eos immerito accusatos esse, qui Ignatiana damnarunt, antequam purior editio procurata est. At nostri eos non accusarunt, qui epistolas Eusebio minime memoratas tanquam spurias rejecerunt, aut etiam reliquas interpolatas esse pronuntiabant ; sed eos tantum, qui epistolas illas quæ interpolatæ sunt antequam interpolarentur, fictas fuisse contendebant ; aut interpolatas penitus rejiciebant, tanquam nihil ex iis probari posset. Quod autem epistolas Ignatii *omnem eam auctoritatem, quam olim obtinuerant plane amisisse, nulliusque auctoritatis* fuisse ante Nicephorum, ex Usserio doceat Dallæus ; observo eam vocem *omnem* non esse ab Armachano usurpatam, sed a Dallæo adjectam ; ut et illa, *nullius auctoritatis*, quæ inde pariter deducit. Ego aliter Usserium intelligo ; et qui sic interpretantur, fruantur illi excusatione quam cupiunt, sed interim sciant sententiam eam qua excusari volunt esse apertissime falsam.

Hanc tamen defensionem ab Usserio *ingeniosissime et ad causam quam agit appositissime inventam* rejicit vir doctissimus, quod *non videatur satis certa*. Et *satis* quidem *certum* non est, ullas Ignatii epistolas *Stichometriæ* auctorem inter apocrypha numerasse, ut voluit Salmasius ; multo minus *certum* est, inter pessimæ notæ apocrypha reposuisse, ut vult Dallæus ; sed si quis hæc concedat, satis profecto certum est, eas propter aliarum suppositiones et ipsarum interpolationes, tantam ignominiam passas esse. Constat enim epistolas Eusebio visas per multa sæcula summa auctoritate floruisse : constat ante nonum sæculum easdem et interpolationibus fœdatas, et adjectionibus auctas fuisse ; constat alios libros primo integros dein corruptos inter apocrypha rejici solitos : si igitur hæ epistolæ nono illo sæculo tanquam omnibus Catholicis vitandæ proponerentur, quæ hactenus ab omnibue tum catholicis tum hæreticis fuerant receptæ, id ob aliam causam, quam ob adjectiones corruptelasque fieri non potuisse quis non videt ?

Hæc tamen, postquam tantopere laudaverat, negat Dallæus, primo, quia *nullus est eorum librorum, quos damnat* Nicephorus, *de quo aliquid simile dici possit*. Si hoc verum esset, nihil tamen efficeret, quia non est eadem omnium apocryphorum ratio, ut ante ostendimus : sed est aperte falsum. Ecce enim in *Stichometria* legimus Περίοδος Πέτρου, στίχου βψ'. *Itinerarium Petri*, *versus* 2,700. Hoc Itinerarium a Clemente Romano scriptum fuisse credebant veteres, unde primum inter ἀντιλεγόμενα positum est, dein inter apocrypha. Rationem ipsi reddiderunt, quod ejus libri doctrina ab illa quæ a Clemente tradita est, multum tandem discrepabat. Non quod Clementem eum librum mini-

me scripsisse crederent, sed quod ab hæreticis interpolatum adeoque corruptum putarent. Ita Epiphanius de Ebionæis : Χρῶνται δὲ καὶ ἄλλαις τισι βίβλοις, δῆθεν ταῖς Περιόδοις καλουμέναις Πέτρου ταῖς διὰ Κλήμεντος γραφείσαις, νοθεύσαντες μὲν τὰ ἐν αὐταῖς, ὀλίγα δὲ ἀληθῆ καὶ ἐάσαντες. *Sunt et alii libri quibus utuntur, ut* Circuitus Petri *a Clemente scripti, quo in libro, paucis veris relictis cætera supposuerunt.* Quod igitur asseritur, *nullum esse eorum librorum, quos damnat* Stichometriæ auctor, *de quo aliquid simile dici posset ;* non est veritati consentaneum.

Secundo defensionem Usserii rejicit, quod putet Nicephorum, si Ignatiana, non per se proprie, sed tantum ob addititia et interpolota damnasset, id ipsum testari, suumque de libro olim probato judicium diligenter purgare voluisse ; idem enim in Constitutionibus apostolicis fecerunt Trullani Patres. Mirari satis non possum hanc viri doctissimi iniquissimam postulationem, ut, scilicet, *Stichometriæ* auctor causam exprimeret, seque diligenter purgaret, si ob eam causam Ignatiana inter apocrypha relegaret, quam voluit Usserius. Si enim tam nobile scriptum,et ab omnibus receptum condemnare voluit, cur hanc non minus, quam aliam quamcumque causam, quam habuisse videatur,reticere potuit? Certissimum est, Ignatii epistolas per aliquot sæcula ante nonum, quo scripsisse censor ille perhibetur, tum ab omnibus Catholicis, tum etiam hæreticis receptissimas fuisse,et inter scripta catholica primo loco numeratas. Si igitur has condemnare, simulque *debitam majoribus reverentiam* præstare, et seipsum *diligenter purgare* voluisset, eo magis sui judicii causam reddere tenebatur, si ut prorsus supposititias et fictas abjiciendas potius, quam interpolatas et auctas respuendas judicaret ; interpolatas enim et spurias pauci tunc ac moderni, eas autem quas genuinas putamus, et plurimi et vetustissimi receperant.Sed revera ut quisquam qui indiculum tantum sive ἀπαρίθμησιν, ut Græci loquuntur, confecit librorum canonicorum et apocryphorum, de natura librorum quos tantum numerat, disputaret, aut de aliquo peculiari scripto, cur eo loco poneretur,rationem redderet,hactenus plane inauditum est. Dispar igitur plane ratio est canonis Trulliani, et Indiculi, sive *Stichometriæ.* Ut, si Patres illius concilii purgare se voluerint, idem etiam ab auctore hujus Indiculi nobis exspectandum non sit. Sed nec illud verum est quod asserit Dallæus, Patres Trullanos, ideo rejectionis Constitutionum rationem reddidisse, ut judicium suum purgarent,aliter enim omnino se res habuit, quod ignorare Dallæus non potuit. Recepit illud concilium 85 canones apostolicos,tanquam ab ipsis apostolis dictatos : videbant in ultimo eorum canonum octo libros Constitutionum confirmari (numerantur enim inter βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια, adduntur scriptis apostolicis, Novi Testamenti, αἱ δικταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσπεφωνημέναι), quos tamen pariter recipiendos minime putabant. Necesse itaque erat ut admonerent constitutiones illas esse rejiciendas; aliter eadem opera cum canonibus apostolicis confirmatæ fuissent. At constitutiones eas ut primo fictas et suppositiitias rejicere non potuerunt, nisi simul canones rejicerent (qui earum tam honorificam mentionem fecerant',quos stabilire voluerant. Ut igitur canones retinerent, et constitutiones reprobarent, quasi ab apostolis primo dictatas et a Clemente scriptas (ut canones affirmabant), sed ab hæreticis postea corruptas eas damnarunt. Hæcque omnia vera esse ostendit ipsum damnationis proœmium. Ἐπειδὴ δ' ἐν τούτοις τοῖς κακόσιν ἐντέταλται δέχεσθαι ἡμᾶς τῶν αὐτῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος διατάξεις. « Quoniam autem in his canonibus præceptum nobis est, ut eorumdem sanctorum apostolorum per Clementem constitutiones susciperemus », etc. Non igitur erat cur ab exemplo canonis concilii Trullani, cum indiculo perperam collati, defensionem Usserii, tantopere a se laudatam, rejiceret Dallæus.

Sed quidquid sit, nec auctoris *Stichometriæ*, nec interpretis Anastasii testimonia auctoritatem epistolarum S. Ignatii vel tantillum minuunt. Nego enim illius epistolas in hoc Indiculo vel nominari, vel innui, vel quovis modo contineri.Ignatii nomen audio, epistolas non lego : video in Græcis Ἰγνατίου, in Latinis *Ignatii*, neque amplius quidquam : volunt Salmasius et Dallæus Ignatii omnia intelligi debere. Id vero mihi esse videtur ab omni ratione alienissimum. Recitat auctor libros Novi Testamenti canonicos, dubios et apocryphos : epistolas a S. Ignatio, instante martyrio, scriptas, vel ad martyrium festinanti supposita, nec inter canonicas, nec dubias, nec apocryphas scripturas numerari recte potuisse contendo. Scimus a qualibus viris profecta sunt scripta,quæ in sacrum canonem recipiantur, scilicet, vel ab apostolis, S. Matthæo, S. Joanne, S. Paulo, S. Petro, et fortasse S. Jacobo atque S. Juda, vel ab apostolorum discipulis atque comitibus, eodem spiritu afflatis, S. Marco atque S. Luca. De iis quæ sub nomine apostolorum scripta sunt, aliquando dubitabant, et nunc hæsitanter, nunc aperte et simpliciter rejiciebant. De iis quæ a discipulis aut comitibus apostolorum,qui vivis apostolis defuncti sunt, edita fuisse primo putabantur, dubitabant an ab eodem spiritu profecta in eumdem canonem cum illis S. Lucæ atque S. Marci recipi deberent, ut de Clemente, Barnaba et Herma primo quæsitum est. Postea etiam aliqua dicebantur ab ipsis apostolis dictata, et a discipulis suis ex apostolorum præcepto scripta, et post eorum mortem forte divulgata, de quibus rursum in Ecclesia dubitatum est; et ex illis τῶν ἀντιλεγομένων et τῶν ἀποκρύφων Indiculi confecti sunt. Illa igitur scripta, quæ cum primo apparebant, tanquam S. Scripturæ partes accipiebantur, ab aliquibus postea negata, inter ἀντιλεγόμενα hæserunt,

quæ ab omnibus a canone rejecta, in apocryphis numerabantur. Illa vero,quæ ad divinæ Scripturæ canonem nunquam aspirabant, quæ quamprimum scripta sunt,diuque postea, non ut canonica, sed catholica tantum recipiebantur,neque inter ἀντιλεγόμενα, neque inter apocrypha numerari sæculis sequentibus potuerunt.Cum igitur epistolæ.S.Ignatii post omnium apostolorum mortem,ex occasione tantum martyrii, et in itinere subito effusæ sint, eum a Christianis pro scriptis sancti viri atque martyris tantummodo acceptæ,nec unquam, quod scimus, in Ecclesia lectæ sint,nescio quomodo cuiquam in mentem venire potuerit, ut eas in numero apocryphorum Novi Testamenti numeraret.

Quid igitur,inquies, facit in Indiculo Ignatii nomen ? Facilis et expedita responsio. Non in hoc tantum,sed et in alio Indiculo nomen Ignatii reperitur ; et sane ratio suadet, ob eamdem causam eumdem in utroque nominari. Indiculus ille ms. exstat inter libros Baroccianos in Bibliotheca publica Oxonii, de quo monuit Usserius, quemque nos vidimus. In illo inter plurima apocrypha numerantur Διδαχαί τῶν ἀποστόλων, Δίδασκαλία Κλήμεντος, Ἰγνατίου Διδασκαλία. Ut autem aliud est Διδασκαλία vel Διδαχὴ Clementis,aliud epistola, ita et Ignatii. Sed eodem modo supplendam et intelligendam *Stichometriam* nostram censeo : scilicet, Διδαχὴ ἀποστόλων, Κλήμεντος (διδαχὴ), Ἰγνατίου (διδαχή, ut illa vox διδαχή, quasi ἀπὸ κοινοῦ subintelligatur,quod scriptoribus omnibus perquam familliare est. Atque ita illud λϚ Clementi adjectum in Græcis, et ab Anastasio prætermissum, nihil aliud fuerit,quam abbreviatio aliqua vocis διδαχή a librario minime intellecta et male depicta,aut numerus capitulorum,quæ in illa Didascalia continebantur. Ut Coptitarum Didascalia, quam factam tradunt a duodecim apostolis, cum S. Paulo et Jacobo Hierosolymorum episcopo, continebat 38 capitula, et abbreviatura solemni dicebatur *Dask*, quemadmodum ex ms. codice Barocciano constat. Cum enim in altero Indiculo Ἰγνατίου διδασκαλία, ad apocrypha videamus relegatam, quid aliud est quod in nostro ad nomen Ἰγνατίου subintelligatur (subintelligi enim aliquid omnino debet), quam διδαχή ; et cum διδασκαλία Κλήμεντος in illo altero Indiculo præcedat eam Ignatii,cur hic etiam Κλήμεντος διδαχή non recte intelligatur,præsertim cum præcedat in hoc, ut in altero, Διδαχὴ ἀποστόλων. Tanta est in utroque Indiculo ad hanc interpretationem roborandam conspiratio.

Quin et res ipsa idem omnino docet Observandum enim est, plures olim exstitisse διδαχάς, sive διδασκαλίας, quasi ab apostolis profectas, et vel ab ipsis scriptas, vel certe viris apostolicis dictatas, et ab illis sub apostolorum nomine exaratas et Ecclesiæ commendatas.Cum enim voces διδαχή et διδασκαλία frequentissime in Novo Testamento occurrerent, ut διδαχὴ Κυρίου, διδαχὴ ἀποστόλων, διδασκαλία τοῦ Σωτῆρος, διδασκαλία Παύλου, hæretici aut male feriati homines, sacris oraculis minime contenti, tales διδαχάς et διδασκαλίας commenti sunt. Quæ nulli certo apostolico viro ascribebatur, dicta est διδαχή vel διδασκαλία ἀποστόλων, quæ ab aliquo apostolorum discipulo scripta putabatur,ejus nomen præ se ferebat, ut διδασκαλία Κλήμεντος, vel διὰ Κλήμεντος, quæ omnium hujus generis antiquissima videtur.Ad hujus autem formam effictæ sunt et aliæ complures diversis sæculis excogitatæ atque evulgatæ ; ut διδασκαλία Ἰγνατίου, de qua diximus, et διδασκαλία διὰ Ἱππολύτου, nondum a quopiam observata, quam in codice ms. bibliothecæ Oxoniensis latere testamur. Neque enim deerant, qui Hippolytum ipsis notum apostolis prædicarent. Quin et talem διδαχὴν etiam S. Polycarpo attributam fuisse non dubito. Tales erant antiquitus evulgatæ,quasi ab apostolis derivatæ διδαχαί atque διατάξεις. Nam,ut recte S. Chrysostomus, τῶν πραγμάτων τὰ μὲν διδασκαλίας δεῖται, τὰ δὲ ἐπιταγῆς, *aliæ res docentur, aliæ mandantur*. Ex illis didascaliæ, ex his constitutiones prodierunt sive διατάξεις ut S. Paulus, I Cor. VII, 17 : Οὕτως ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι, et XI, 34 : Τὰ δὲ λοιπὰ, ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι.

Ut hujus observationis nostræ veritas ulterius innotescat,ex his diversis didascaliis atque constitutionibus, libros octo Constitutionum apostolicarum, quos nunc habemus,confectos atque consarcitatos fuisse, asserere non dubito. Duos hujus operis titulos reperiri fatentur viri docti, quorum unus Διαταγαί, alter Καθολικὴ διδασκαλία. Utriusque sæpe in ipsis libris mentio fit,et vetus Epiphanii testimonium hæresi 80 suffragatur : Καὶ περὶ μὲν οὖν τοῦ γενείου ἐν ταῖς Διατάξεσι τῶν ἀποστόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ διδασκαλία. *Et de barba quidem in Constitutionibus apostolorum loquitur divinus sermo et doctrina*. Ita ille, verba citans quæ nunc reperiuntur lib. I, cap. 3, cujus libri initio dictum est : Ἀνούσατε διδασκαλία ἱερὰν. Illa autem καθολικὴ διδασκαλία omnium disdascaliarum collectionem denotare videtur.Hæ autem didascaliæ diversis temporibus, et diversis etiam Ecclesiæ partibus, ubi distinctæ erant traditiones apostolicæ, scriptæ,occasionem dederunt consarcinatori multa immutandi interpolandique, ut omnia ipsius ævo melius quadrarent : quemadmodum apparet præcipue ex iis, quæ Epiphanius citavit, a nostris nonnunquam discrepantia.Ut in vetustissima diataxi, quæ Epiphanii ævo exstitit,de celebrando Paschate, constitutum fuit : Ὑμεῖς μὴ ψηφίζετε, ἀλλὰ ποιεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς, μετ' οὐτῶν ἅμα πτιεῖτε. *Vos calculis haud utimini, sed eo tempora celebrate quo fratres vestri qui ex circumcisione prodierunt : cum iis simul Pascha peragite*. Videtur igitur hæc diataxis facta,antequam urbs Hierosolymitana ab Adriano everteretur.Post hanc autem diataxin, prodiit alibi canon sub apostolorum nomine qui nunc septimus habetur : Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ Πάσχα ἡμέ-

ραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus sanctum Paschæ diem ante veris æquinoctium cum Judæis egerit, a gradu suo dejiciatur.* Hæc cum postea a concilio Nicæno confirmarentur, constitutionum earum quas nunc habemus consarcinator veterem diataxin immutavit, et ad sua tempora accommodavit, lib. v, c. 16 : Δεῖ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοί, τοὺς τῷ τοῦ Χριστοῦ τιμίῳ ἐξηγορασμένους αἵματι, τὰς ἡμέρας τοῦ Πάσχα ἀκριβῶς ποεῖσθαι μετὰ πέσης ἐπιμελείας μετὰ τροπὴν ἰσημερινήν. *Oportet igitur vos, fratres, utpote pretioso Christi sanguine redemptos, dies Paschæ accurate et omni diligentia post æquinoctium celebrare.* Quibus etiam tot adversus Judæos addita sunt, ut appareat post tempora Epiphanii hæc immutata fuisse, et totum illud caput aliter plane conceptum esse. Unde conjicio octo libros Constitutionum post ævum Epiphanii ex veteribus didascaliis atque diataxibus immutatis interpolatisque factos esse : neque enim ille numerum librorum memorat. In canone quidem ultimo eorum qui dicuntur apostolorum, octo libri Constitutionum diserte nominantur ; sed illum canonem ita fuisse conceptum ante sextum sæculum, opinor, non apparet. Septimo quidem sæculo ante concilium Trullanum Maximus monet Dionysium factum episcopum Athenis, κατὰ τὸ φερόμενον ἐν ἑβδόμῳ βιβλίῳ τῶν ἀποστολικῶν διαταγμάτων, quod nunc legimus lib. VII, cap. 48. Auctor *Imperfecti Operis in Matthæum*, homilia 53, laudat aliqua ex libro octavo Canonum apostolorum, quæ nunc reperiuntur lib. VIII, cap. 2 Consiitutionum. Et hunc quidem auctorem Usserius facit *non minus antiquum*, quam fuit Epiphanius. Sed sine omni controversia multo junior fuit. Scripsit *Panarium* Epiphanius ante imperium Theodosii : imperavit Theodosius annis sedecim, diu post Theodosium scripsit auctor *Operis imperfecti*, ut vel ex his verbis patet homil. 49 : *Si quis autem auditiones quidem præliorum, fames, et tumultus, et pestilentias intelligat esse omnia hæc mala spiritualia, quæ facta sunt tempore Constantini simul et Theodosii usque nunc.* Inter tempora igitur Epiphanii et auctoris *Operis imperfecti*, existimo Constitutiones apostolorum ex diversis didascaliis diataxibusque minoribus conflatus ad volumen octo librorum excrevisse, quod ab illo hæretico avide arreptum, qui spuria Clementis aliorumque scripta sæpius adducit. Fuerunt igitur ex sententia nostra antiquitus hi libri, quasi ab apostolis scripti, aut dictati, Διδαχὴ ἀποστόλων, Διατάξεις ἀποστόλων, Διδασκαλία Κλήμεντος, Διδασκαλία Ἰγνατίου, Διδασκαλία δι' Ἱππολύτου, Διδαχὴ Πολυκάρπου. Ex his omnibus, et aliis fortasse adhuc incognitis conflatæ sunt Διαταγαί, sive καθολικὴ διδασκαλία. Et sane sunt in libris Constitutionum capita quædam, quæ nihil aliud esse videntur quam methodi gratia factæ connexiones quædam, quibus una alteri didascalia subnecteretur. Quale caput tertium libri octavi esse, ipsi ex ms. codice Oxoniensi, quo repræsentantur tum Διδασκαλία δι' Ἱππολύτου, tum Διαταγαὶ ἀποστόλων, ex quibus liber octavus præcipue constat, deprehendimus.

Certe inter illas didascalias, quas consarcinator librorum octo usurpavit, fuisse Διδασκαλίαν Ἰγνατίου, quamplurima sunt quæ ut firmissime credam efficiunt. Qui primum has didascalias finxerunt, sine dubio eorum scripta ante oculos habuere, quibus figmenta sua tribui voluerunt, ut eos ipsos quantum possent exprimerent ; unde non dubito Clementis διδαχήν ita fuisse compositam, ut epistolas ejus maxime referrent. Ex hac igitur Clementis Didascalia consarcinatorem ea sumpsisse credibile est, quæ de phœnice habet et carminibus Sibyllæ l. v, c. 6, ex epistolis Clementis prius desumpta et exaggerata. Ex eadem, ni fallor, totius operis proœmium descripsit ; non enim a postremo collectore illud factum puto ; quem Epiphanio juniorem esse sentio, qui sententiam illam ex proœmio citat : Θεοῦ φυτεία ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία, καὶ ἀμπελὼν αὐτοῦ ἐκλεκτός, « Ecclesia catholica arbor a Deo, sata, et vinea ejus electa. » Clementis autem simiæ ista ascribo, ἐνεστερνισμένοι τὸν φόβον αὐτοῦ, ut alluderet ad illa in Epistola ejus ad Corinthios non satis trita, ἐνεστερνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις. Jam vero tanta est epistolarum Ignatii, præsertim interpolatarum, cum Constitutionibus similitudo, atque conspiratio, ut eam non tantum Turrianus et Bovius, ad probandam Constitutionum antiquitatem, sed et Usserius etiam notaverit, ut probaret eumdem fuisse Clementis et Ignatii interpolatorem. Et Turriani quidem atque Bovii sententia merito explosa est. Usserius autem id quod voluit probasse non videtur, quamvis veritatem pene attigerit. Id enim mihi maximus ille consensus potius innuit, Διδασκαλίαν Ignatii Constitutionibus fuisse interspersam, eamque Διδασκαλίαν fuisse ad interpolatas Ignatii epistolas conformatam, vel potius interpolatorem Ignatii e Didascalia ejusdem suas primum lacinias epistolis intexuisse. Quod cum alia suadent, tum etiam illud in epistola ad Trallianos ab interpolatore additum : Αἰδεῖσθε δὲ καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν ὡς Χριστὸν, καθ' ὃ ὑμῖν οἱ μακάριοι διετάξαντο ἀπόστολοι. « Veneramini autem et episcopum vestrum sicut Christum, ut vobis beati apostoli constituerunt. » Cum enim nihil illic in genuina epistola Ignatii de veneratione episcopo præstanda diceretur, sed de fuga hæreticorum secundum præcepta apostolica, sive διατάγματα τῶν ἀποστόλων, interpolator, occasione hac arrepta, ad illa confugit, quæ in Constitutionibus exstabant, ex Didascalia Ignatii sine dubio desumpta. Ita in prolixa illa interpolatione, qua viduis eadem præcepta dat, et exempla proponit, quæ in Constitutionibus l. III, c. 6 et 7, occurrent, statim subjungit : Ταῦτα οὐχ ὡς ἀπόστολος διατάσσομαι. « Hæc non ut apostolus constituo, » quod omnes norint hæc in Didascalia apostolorum nomine fuisse injuncta.

Concludo itaque, in *Stichometria* nobis objecta Ἰγνατίου nomen inter libros Novi Testamenti apocryphos positum, non denotare Ignatii epistolas, quæ inter apocrypha nusquam repertæ, quæ post mortem omnium apostolorum scriptæ, quæ ab ipso in itinere exaratæ, omnem apostolicam auctoritatem sæpe de industria amoliuntur; sed Διδαχήν eidem Ignatio supposititam, quasi ipsi ab apostolis, a quibus ordinatus est Antiochiæ episcopus dictatam, quæ in alio Indiculo inter Novi Testamenti apocrypha reperitur. Unde patet, nullum adhuc testem reperiri potuisse, qui diceret Epistolas Ignatii fuisse supposititias, aut qui de earum antiquitate, veritate auctoritateque vel dubitare videtur.

CAPUT V.

Testimonium S. Polycarpi ab exceptionibus vindicatur. Nec fidem ei deesse, nec vim. Auctoritas Epistolæ ad Philippenses ab omnibus recepta est. Auctoritati ejus non derogat Stichometria *quæ dicitur Nicephori. Posteriori, pars epistolæ non minus genuina quam prior. Testimonium nostrum esse mendacio inspersum aperta calumnia est. Particula suprema prioribus non contradicit. Vis testimonii defenditur. Nullas alias epistolas Ignatii, quam eas quas habemus, a Polycarpo intelligi potuisse ostenditur.*

Cum testes ab adversario adducti, nec tales appareant, quales ille voluit nec id omnino testentur, quod sententiæ nostræ est contrarium ; videamus an aliquid tale adversus testes nostros dici possit, an, scilicet. ii non sint, quos esse nos dicimus, aut revera id non testentur, quod nos volumus.

Primum pro Ignatianis S. Polycarpi testimonium est, quod nostri dissertissimum putant: sed vir doctissimus longe aliter sentit; et huic testimonio duo deesse vult, tum fidem, tum vim. Fidem ei derogat primo, quod epistolæ Polycarpi « non sit apud omnes recepta auctoritas.

Quamvis hæc responsio, etiamsi vera esset, minime satisfaceret (cum certum sit fidem plenissime adhibere debere aliquibus libris, quorum aliquando *apud omnes non fuerit recepta auctoritas*, ut ex aliquot epistolis Novi Testamenti patet), eam tamen assero etiam esse falsam, et ab omni specie veritatis alienam. Auctoritas enim hujus Epistolæ S. Polycarpi ad Philippenses ab omnibus fuit recepta, ita, scilicet, ut viri apostolici scriptum ecclesiasticum et orthodoxum judicaretur; neque unquam a quopiam an tale revera fuerit, dubitatum sit. Nam primo Irenæus, qui ipsum Polycarpum vidit, luculentissimum huic epistolæ testimonium præbet, l III *Adversus hæreses* ; Εστι δὲ ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας οἱ βουλόμενοι καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας δύνανται μαθεῖν. Ita Eusebius *Hist. eccl.* l. IV, c. 14. vetus Irenæi interpres: « Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua et characterem fidei ejus, et prædicationem veritatis, qui volunt, et curam habent suæ salutis, possunt discere. » Hæc Irenæus, ex constanti cœtuum ab apostolis conditorum traditione disputans ; *recte quidem ille, et apposite*, ut Dallæus ipse testatur, de Areopagiticis capite secundo. At neque *recte*, neque *apposite* disputavit Irenæus, si hæc epistola a Polycarpo scripta non sit, aut ab omnibus tunc temporis non reciperetur. De eadem epistola Eusebius, qui intra centum post Polycarpi mortem annos natus est, *Hist. eccl.* l. IV, cap. 14, post productum hoc Irenæi testimonium : Ὁ μέντοι Πολύκαρπος ἐν τῇ δι' ἡλωθείσῃ πρὸς Φιλιππησίους αὐτοῦ γραφῇ φερομένῃ εἰς δεῦρο, κέχρηται τισι μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Πέτρου προτέρας ἐπιστολῆς. « Polycarpus, scilicet, in antedicta ad Philippenses epistola, quæ usque adhuc circumfertur, utitur quibusdam testimoniis ex priori Petri epistola desumptis. » Et plurima quidem testimonia ex priori epistola deprompta, ex posteriori nulla, adhuc in hac epistola reperiuntur, quæ cum iis conjuncta, quæ ad Ignatium pertinentia totidem verbis exscripsit Eusebius, dubitare nos non sinunt, quin eamdem Polycarpi epistolam habeamus, quam habuit Eusebius. Multum Irenæo, multum Eusebio tribuebant veteres ; neque de scriptore quopiam eorum testimoniis commendato unquam dubitabant. Et si id eorum auctoritatem effecisse nolimus, ut ab omnibus reciperetur hæc epistola ; idem extorsisse publicam in ecclesiis Asiaticis lectionem diffiteri non possumus. Hieronymus enim in Catalogo hæc de Polycarpo habet : « Scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur. » An fieri potuit ut epistola Polycarpi, qui « Joannis apostoli discipulus, et ab eo episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit, » in tanta luce posita, in conventu ejusdem Asiæ lecta, ab omnibus non reciperetur? Certe Hieronymus et Theodoretus Polycarpum numerant inter vetustissimos clarissimosque Ecclesiæ scriptores. Inter autem ejus opera hæc epistola tanquam præcipua semper numerata est.

Adversus hanc epistolæ Polycarpianæ auctoritatem, ab omnibus receptam, a nemine certe, quantum novimus, in dubium vocatam, urget vir doctissimus scriptores, et quidem, ut ait, gravissimos, qui eam apocrypham esse judicabant. Scriptores illi dicuntur Nicephorus patriarcha et Anastasius Bibliothecarius, quorum neuter ante nonum sæculum scripsit. Sed primo, nos ante ostendimus Nicephorum illum frustra et sine ullo fundamento tanquam auctorem *Stichometriæ* allegari, et Anastasium tantummodo illius *Stichometriæ* interpretem esse. Secundo, si concederetur epistolam Polycarpi ad Philippenses in ea *Stichometria* intelligi debere, ne illud quidem auctoritatem ejus omnino minuerit ; tantummodo enim inter apocrypha Novi Testamenti numerantur, hoc est, a canone SS. Scripturarum removetur ; cum autem in Ecclesiis legeretur, a canonicis libris distincta et inter ecclesiasticos tantum numerata est. Tertio, epistolam hanc in *Stichometria* neque nominari, aut intelligi debe

re, aut ullo modo innui concedo ; sed ut Ἰγνατίου ita et Πολυκάρπου nomini subjiciendam διδαχὴν arbitror ; nam quamvis in alio Indiculo Polycarpi didascalia non compareat, ut illa Ignatii, ideoque gratis ficta esse videatur ; tamen cum Διδασκαλία διὰ Ἱππολύτου in nullo Indiculo pariter inveniatur, quæ tamen in mss. reperitur, et in Constitutionibus quas habemus continetur, vix dubitandum esse sentio, quin post apostolorum, Clementis et Ignatii διδασκαλίας, etiam alia Polycarpi intelligi debeat. Inde illa in veteri didascalia, quæ nunc in Constitutionum lib. III, cap. 6, legimus : Γνωριζέτω οὖν ἡ χήρα, ὅτι θυσιαστήριόν ἐστι Θεοῦ, « Sciat igitur vidua, quod altare Dei sit, » ad ista Polycarpi efficta : Τὰς χήρας σωφρονούσας περὶ τὴν τοῦ Κυρίου πίστιν..... γινωσκούσας ὅτι εἰσὶ θυσιαστήριον Θεοῦ. Vetus interpres : « Viduæ vero pudicæ circa fidem Dei... qui sunt sacrarium Dei. » Hæcque sæpius auctor Constitutionum inculcat. Quarto, neque Nicephorus, neque Anastasius, neque *Stichometriæ* auctor, neque quisquam noni sæculi scriptor receptæ hujus epistolæ auctoritati officere putandus est, quæ et prioribus, et eodem ævo et sequentibus viguit, et a nemine rejecta deprehenditur. Ante Nicephorum Maximus abbas : Ἔχει δὲ καὶ ἐπιστολὰς ὁ αὐτὸς Θεῖος Πολύκαρπος πρὸς Φιλιππησίους. Venerabilis Beda in Martyrologio ad VII Kal. Januar. Nicephoro suppar Photius : Ἀνεγνώσθη Πολυκάρπου ἐπιστολὴ πρὸς Φιλιππησίους γέμουσα πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος, κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας τύπον. « Legebatur et Polycarpi epistola ad Philippenses multis referta admonitionibus cum perspicuitate ac simplicitate, ad ecclesiasticam loquendi formam. » Ubi obiter observandum, eo ipso nono sæculo hanc Polycarpi epistolam cum illa Clementis ad Corinthios fuisse conjunctam (ita nempe Photius, ἐν τῷ αὐτῷ δὲ βιβλιδαρίῳ ἀνεγνώσθη, *in eodem libello legebatur*) ; iisdem laudibus a Photio fuisse ornatam ; eamdem enim perspicuitatem, simplicitatem et ecclesiasticum characterem utrique tribuit ; objectiones aliquas adversus illam Clementis tunc fuisse factas, adversus hanc Polycarpi nullas. Eodem ævo Usuardus, et Ado Viennensis in Martyrologio XV Kal. Januar. : « Natalis beatorum martyrum Rufi et Zosimi, de quorum agone felici S. Polycarpus epistola ad Philippenses scribit. » Post hos Symeon Metaphrastes, Actorum S. Ignatii anonymus. Suidas, verbo Πολύκαρπος· Ἔγραψεν ἐπιστολὴν πρὸς Φιλιππησίους πάνυ θαυμαστήν. « Scripsit epistolam ad Philippenses prorsus admirandam. » Quibus addendi Georgius Pachymerius, Honorius Augustodunensis, et Nicephorus Callistus, qui post Nicephorum Constantinopolitanum idem de S. Polycarpi epistola cum iis, qui ante vixere, protulerunt.

Verum *hic Nicephori patriarchæ primarii* de hac epistola *judicium Hammondi sententiæ præferre, nulla*, inquit, *invidia est.* At non hic de invidia, sed de recepta S. Polycarpi auctoritate quæritur. Hammondum cum Nicephoro non comparamus : Nicephorum hic omnino non agnoscimus. Ep Polycarpi in *Stichometriam* non videmus. Si intelligatur, inter pessimæ notæ apocryph eamdem numerare portentum putamus. I prete *Stichometriæ* judicium requirimus : exponere, ut contra mentem omnium sæc loquatur, iniquissimum esse dicimus ; et mam certissimamque sententiam, non Han sed Ecclesiæ Asianæ, omniumque quos ali epistola dixisse novimus Christianorum, i simæ ficti Nicephori expositioni anteponi

Prima hæc velitatio : sed secundo, vir d mus cum totam epistolam rejicere se po speraret, in duas partes eam divisit, nov ausu et hactenus inaudito ; superiora omittit, et si quis ea S. Polycarpo ascribe non renititur ; imo posterioribus exceptis *epistola occurrere* concedit, *quod vel quem fendere, vel Polycarpo indignum censeri* postremam particulam suggillat, in qua testi ab Eusebio productum exstat. Hanc igitur *mere et præter auctoris mentem, aliena ma assutam.* At Eusebii ætate illa etiam postrem cula certissime exstabat ; ex epistola Pol Eusebio exscripta fuit. Eusebius nec falli lere potuit : erat enim tota epistola omnibu sita ; erat in Ecclesiis Asiaticis, tunc tempo scriberet Eusebius, publice lecta ; novit e ronymus, cujus versioni, nisi aliis occupa cubuisset, et tamen Eusebiana nunquam ac de illa igitur particula, quam excerpsit E dubitari non potest, nisi etiam de tota epi mul, absque ulla ratione, dubitemus.

Sed ex ipsa epistola, quam præ manibu mus, disputat, et primo *in ea*, inquit, *quæ te um* nostrum « præcedunt, ut in decentissima sulam, desinebat epistola : reliqua autem cohærent, atque ideo expungenda sunt. » V nimvero unde illi notum est Polycarpi epist ea verba desiisse ? an eam unquam audivit i Asiæ conventu lectam ? an unquam vidit Pc epistolam vel Græce vel Latine, vel ms., pressam, quæ in ea verba desineret ? minir tium Quid igitur ? Judicio J. Dallæi ea c erat decentissima ; quare non debuit Pol plura addere : igitur in ea verba desinebat e Neque enim putandum est Polycarpum plu bere voluisse, quam permitteret Dallæus ! hac lege in epistolis veteribus uti liceat, pene clausulæ, quæ nunc exstant, erunt n pungendæ. Nonne versus ultimus capitis quinti Epistolæ ad Romanos : *Deus autem cum omnibus vobis, Amen*, decentissima c est, totum igitur caput decimum sextum e dendum. Nonne versus ultimus tertii capi stolæ ad Ephesios : *Ipsi gloria in Ecclesi Christo Jesu, in omnes generationes sæculi rum, Amen*, decentissima clausula est ? A tria reliqua capita pro assutis sunt haben

mens Romanus, epistolæ ad Corinthios pagina 29, « Per Jesum Christum, *inquit*, cui gloria omnis et magnificentia in sæcula sæculorum. Amen. » Nonne hæc decentissima clausula est? Igitur quadraginta septem paginæ sunt assutæ. Eamdem clausulam habemus pag. 41, 50, 57, 59, 66, 75 ; opus igitur erit Marcionis machæra, ut hæc et similia rescindantur. Ea quidem, quæ sequuntur testimonium nostrum, admitti posse ait, licet decentissima illa clausula præcesserit. At si post decentissimam clausulam aliquid admitti possit, cur non illud de Ignatio? An illa absurde inserta atque infulta dici possunt, quæ post omnes salutares admonitiones ad fidem, patientiam et ædificationem pertinentes, speciatim ad ista respondent, quæ ipsi ad quos scribit, litteris suis postulaverant? Philippenses ad Polycarpum scripserant de mittendis litteris suis Antiochiam, et oraverant etiam ut epistolas S. Ignatii, quas apud se haberet, ad ipsos mittere dignaretur. Nonne ad finem epistolæ responsoriæ peropportune faceret Polycarpus, si illa reponeret, quæ ipsi ab eo efflagitabant ? Cum epistolas Ignatii suæ subjunxisset, an de illis alibi potius quidquam scriberet, quam ad finem epistolæ suæ, cui earum συναγωγὴν subjunxerat? Nihil his certe aut rei ipsi, aut mori hominum in conscribendis epistolis convenientius excogitari potest.

Levia igitur hæc sunt, vel ipso Dallæo judice : « sed et aliud est, *inquit*, multo gravius, quod hanc de Ignatianis particulam non auctoris, sed alicujus alterius esse arguit. Grave » quidem hoc, si vera sint, quæ proximo capite asserit adversarius, *locum* nempe, quo Ignatiana nominantur, « insigni mendacio deformem esse, » et quæ capite 36 pariter affirmat, *Polycarpi*, scilicet, « quod affertur testimonium esse subditicium mendacioque inspersum. » Grave quidem crimen mendacium, præsertim si insigne sit, neque video quomodo excusari possint, qui testimonio utuntur tam gravi crimine insperso. Non negligenter igitur quærendum est ubi, hoc mendacium inveniri possit : nam certe, ut nunc se res habet, aut in Polycarpo, aut in Eusebio, aut in impostore aliquo, aut in testimonium afferente, aut in repudiante mendacium est.

Primo igitur nos qui testimonium proferimus, nos ipsos ab hoc crimine aperte liberabimus. Hæc verba Græce ex Eusebio sine ullo dolo transcribimus, *Hist. eccl.* l. III, c. 36 : Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε, αἵτινες ἀποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ, ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε· περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονήν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. Hæc verba quæ nunc in Eusebio legimus, ab ipso fuisse scripta non dubitamus : sic enim ea intra annos 85 a Rufino, licet negligenter, versa videmus : « Mittam vobis et Ignatii epistolas, et alias si quæ sint, quæ ad nos transmissæ sunt ; ex quibus utilitatem maximam capiatis. Continent enim de fide et patientia instructionem perfectam secundum Domini præceptum. » Eusebium ex epistola Polycarpi, quæ tunc omnium manibus tenebatur, hæc ipsa verba transcripsisse credimus ; tum quod ipse hoc asserat, tum quod in veteri vulgata versione epistolæ S. Polycarpi hæc etiamnum legamus : « Epistolas sane Ignatii quæ transmissæ sunt vobis (*pro* nobis) ab eo, et alias, quantascunque apud nos habuimus, transmisimus vobis, secundum quod mandastis, quæ sunt subjectæ huic epistolæ : ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, et omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem; » tum denique quod Photius, qui hanc ipsam epistolam legit, et tantopere laudavit idem non obscure testetur, cum ait : Λέγει δὲ καὶ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῖς Ἰγνατίου τοῦ θεοφόρου ἀπεσταλκέναι, « dicit autem (*Polycarpus*) se etiam Ignatii theophori epistolas ipsis transmisisse. » Hoc unicum testimonium ex Polycarpi epistola depromimus, quod integerrimum esse putamus, et cui nulla unquam labes aspersa est, antequam a nostris pro Ignatianis adduceretur. Satis igitur nos ipsos a mendacii crimine tutati sumus.

S. Polycarpum ipsi ab omni suspicione liberant, deo enim volunt hæc a Polycarpo minime scripta fuisse, quod ab ejus prudentia atque sanctitate ea maxime adhorrere arbitrantur Quid igitur ? an mentitus est Eusebius, et ea nobis tradidit, quæ in epistola Polycarpi sua ætate minime comparebant? An ille lectores fallere voluisse putandus est in re tam aperta et omnibus tunc temporis notissima ? Nonne epistola Polycarpi in conventu Asiæ publice lecta fuit, cum Historiam suam scribebat Eusebius ? An sententiam bene longam ipse comminisci voluit, et epistolæ inserere, ad fidem Ignatianis faciendam, suis derogandam ? Hoc etiam nimis crassum putant; neque Polycarpum neque Eusebium mentitum voluit ; sed impostorem nescio quem, quem ante Eusebium vixisse hariolantur, sed quem in vivis unquam, nec ille, nec alius quispiam, fuisse præstabit. Ille autem falso et vafre totum nostrum testimonium alicui epistolæ Polycarpianæ exemplari inseruit : et statim aut in impostoris autographum, aut in libellum aliquem ab illo transcriptum incidit, non forte sed certissime, Eusebius, cum igitur aliud exemplar non videret, et quid in Asiæ conventu legeretur ignoraret, in fœdum errorem delapsus est *Ecclesiasticæ historiæ* Pater. Neque mirum; erat quippe egregius artifex hic impostor ; idem enim, neque quisquam alius fuit, qui sex vel septem epistolas a se conflictas Ignatio subdidit, « et hæc de quibusdam Ignatii a Polycarpo litteris hujus ad Philippenses extremæ epistolæ subtexuit, ratus, quod accidit, lectores hæc de suis epistolis accepturos. » Hujus fallaciis deceptus est Eusebius, ut videtur, vir minime malus, aut suspicax ; in eumdem errorem induxit omnes eos Patres, qui dum epistola Polycarpi in conventu Asiæ publice

tegeretur,vixere,quique epistolam integram et incorruptam videre nunquam potuerunt. At postquam ea legi desiit,quingentis post Eusebium annis, omnia hæc vidit Nicephorus, ideoque tam tristem sententiam de Polycarpi epistola tulit,et inter pessimæ notæ apocrypha numeravit. Proh lepidam fabulam ! Proh suave somnium ! Hæc omnia non tantum contra nostrum, sed et commune omnium judicium,imo contra ipsius Dallæi sententiam conficta sunt. Quisquamne credet hominem qui sub Ignatii nomine Ecclesiæ imponere voluit,antequam Eusebius scriberet, sub finem tertii aut initium quarti sæculi, ut id facilius faceret, majoremque auctoritatem fictis suis mercimoniis conciliaret,S. Polycarpi epistolam primo corrumpere voluisse ; cum ex illa una re ejus fallacia omnibus aperta foret,majoremque de Ignatianis ab ipso producendis suspicionem excitare, et seipsum certius prodere non posset? Polycarpi enim hæc epistola omnibus fuit exposita, in ecclesiis Asiaticis publice lecta ; cui si quid novum et hactenus inauditum adderetur, latere,et non protinus innotescere non potuit. Fatuus sane impostor, qui hæc tam pueriliter excogitaret : fungus Eusebius, qui tam adulterinis mercibus tam facile deciperetur : cæci surdive omnes Patres,qui epistola per Asiam sonante, hæc non deprehenderunt : unicus, et ille fictus, Nicephorus hæc omnia, scilicet, detexit, et totam Polycarpi epistolam ad scombros condemnavit.Sed an propter hanc interpolationem Nicephorus Polycarpi epistolam condemnavit, cum id verum esse de epistolis Ignatii non posse pronuntiaverit Dallæus,quod in nullo alio opere idem præstitum sit a Nicephoro ? An ille Nicephorum ob hanc causam Polycarpi epistolam adeo nobilem,tam diu publice lectam, et ab omnibus ad suam usque ætatem tanta cum veneratione susceptam uno verbulo rejecisse vult,qui idem in Ignatio fieri non potuisse contendit, nisi Stichometriæ auctor id ipsum monuisset, et diligenter se purgasset ? An id Nicephoro suboluisse tam certo definiri potest, quem legisse Polycarpum nondum scimus,cum Photium, qui eamdem sedem post paucos annos tenuit, idem plane latuit, quem et epistolam et ea verba legisse novimus ?

Sed quid auctorem mendacii quærimus qui nondum mendacium ipsum deprehendimus ? *Testimonium Polycarpi*, inquit, *subditititium est et mendacio inspersum.*Testimonium audivimus,mendacium non perspicimus.Sed impostore de Ignatio ita loquitur, ut eum quo tempore hæc scripta sunt, adhuc superesse significet.»De ipso,*inquit*,Ignatio,et de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate. « At epistolæ auctor plane alia loquitur, apertissime affirmans Ignatium,quo tempore ipse ad Philippenses scribebat,jam fuisse» τετελειωμένον. Huc tandem tota mendacii imputatio redit. Quid autem hæc ad testimonium nostrum, quod nos ex Eusebio transcripsimus ? Optime certe illud et cum præceA dentibus et cum sequentibus congruit,neq eam et ullam aliam epistolæ particulam i crepantia est. Verba quæ producimus ab ex Polycarpi epistola transcripta nec Ig tunc temporis in vivis,nec mortuum fuisse cant,nec vitæ aut necis mentionem ullam f epistolas tantum primo petitas, dein miss cant, quæ Ignatio vel vivente vel mortuo et mitti potuerunt.Nullum igitur vel minimu dacii vestigium in testimonio nostro apparet in sequenti particula minus congruum vide lud non magis nostra verba inficit quam pr fatetur Dallæus *nihil* in prioribus « occurre vel quemquam offendere,vel Polycarpo in censeri debeat.»Idem igitur de nostris omn
B cendum, aut aliquid in iis verbis ostend quod Polycarpo sit indignum : illud autem nec fieri omnino potest. Certe Polycarpo in non est ut epistolas Ignatii apud se conser Philippenses eas ab ipso peterent,aut ut ab titas mitteret,et suæ epistolæ subjungeret,ut erat ; sic enim clerus Romanus ad S. Cypr «Quales litteras in Siciliam quoque miserim jectas habebis : » sic synodus advers s Paul mosatenum coacta, ad Dionysium Roman episcopum,epistolam Dionysii Alexandrini rant. Ἧς καὶ τὸ ἀντίγραφον, inquiunt, ὑπετ *cujus etiam exemplar subjecimus.* Euseb. *Hist* l. VII, c. 30.

Tota igitur criminis objectio ad illam t
C modo particulam pertinet, quacum nostrun monium nihil commune habet,quæ si adm nihil nos juvat ; si rejiciatur, nihil nobis Nostra tunc in epistola Polycarpi vidit Eu cum tota et integra in conventu Asiæ le cum Eusebius nec sine summa negligentia e tantia falli, nec sine incredibili audacia et dentia fallere potuit.Hæc particula quingent Eusebium annis in eadem epistola exstabat Photio discimus ; an reliquis coæva fuerit nescimus. Sed si demus eam etiam fuisse testimonio tempore Eusebii subjectam, n tamen vel illam mendacio inspersam esse c mus Imo vero quomodo hæc verba : « Et Ignatio.et de his qui cum eo sunt,quod certiu
D veritis significate, » quæ nihil omnino ass nihil affirmant aut negant.mendacii et quid signis rea esse possint, non intelligo. Qu mihi scriberet,eum ne vera quidem dixisse minus mentitum esse dicerem. Verum, in quamvis non asserunt, innuunt tamen illu erat veritati contrarium, scilicet, Ignatium esse, vivere et valere, quem Polycarpus n ante defunctum esse. Sed ne hoc quidem est ; particulæ illius auctor non significat, a modo innuit Ignatium tunc in vivis fuisse particulæ in veteri Latina versione : « Et Ignatio, et de iis qui cum eo sunt » (Grae opinor, καὶ περὶ Ἰγνατίου καὶ περὶ τῶ

αὐτοῦ *quod certius agnoveritis significate;* verba Photii sunt : Αἰτεῖται ἀναδιδαχθῆναι παρ' αὐτῶν εἴ τι περὶ ἐκείνου διακούσαιεν, *petit ut ab ipsis certior fiat, si quid de illo inaudiverint.* Primo autem audire poterant Philippenses aliquid de Ignatio vivo, quod Polycarpus ab illis scire cuperet illo defuncto. Ignatius, ut referunt illius acta, *per Philippenses pertransivit Macedoniam pedes*; a Philippensibus missi sunt aliqui qui eum, honoris et refrigerationis causa, in itinere deducerent, quod mihi videtur Polycarpus in initio epistolæ innuisse, his verbis: Δεξαμένοις τὰ μιμήματα τῆς ἀληθοῦς ἀγάπης, καὶ προπέμψασιν, ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν, τοὺς ἐνειλημένους τοῖς ἁγιοπρεπέσι δεσμοῖς, quæ quidem verba cum nec recte legeret, nec omnino intelligeret vetus interpres, ita transtulit : « Suscipiens imitabilia verba dilectionis, quam ostendistis in illis, qui præmissi sunt viris sanctis decorosis vinculis connexis ». Ita ille, δεξάμενος pro δεξαμένοις legens, atque ideo reliqua omnia aliorsum trahens : tu vertas : Congavisus sum vobis, « qui veræ charitatis exemplaria excepistis, et deduxistis, ut vestro officio conveniebat involutos vinculis, quæ sanctis ornamento sunt ». Halloixius ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν, redeidit, *ut vobis Dominus inspiravit*; ego potius, *ut vestro officio conveniebat*, quia hæc multo simpliciora sunt, et hoc sensu bene Græca. Deducebant igitur ex Philippensibus aliqui Ignatium comitesque per Macedoniam, forte etiam usque Epidamum, unde pseudo-Ignatius, vel potius aliquis alius, qui titulum epistolæ ad Philippenses præfixit, scriptam eam voluit ab Epidamno. Hi igitur Philippos ab Ignatio reversi multa sine dubio de ipso narrabant, multa de comitibus, quæ S. Polycarpum ab ipsis audire voluisse, etiam post martyrium S. Ignatii, par est credere. Secundo audire poterant Philippenses aliquid de Ignatio mortuo, non minus quam vivo : et Polycarpus sine dubio scire magis avebat quæ ad mortem, quam quæ ad vincula Ignatii pertinebant; quam præclare se in ipso martyrio gesserit, quantum honorem Christianæ religioni attulerit, quid comites ei in tam præcipiti periculo præstiterint, quid passi sint, aut fecerint, an de reliquiis tanti martyris aliquid conservaverint. Non enim tantum de Ignatio, sed etiam de Philone et Agathopode comitibus ejus quærit. Potuit igitur Polycarpus incendi studio audiendi aliquid de Ignatio vivo, quod nondum audiverat, licet eum jam defunctum esse non dubitaret; potuit aviditas eum tenere aliqua de ipso mortuo vivisque comitibus intelligendi, quæ prius ad Philippenses in Macedonia, quam ad Smyrnenses in Asia pervenire possent. Non sunt igitur hæc de eadem re dissentanea, nulla in his verbis contrarietas aut repugnantia. Quare satis manifesto nos extremam particulam a mendacii crimine liberavimus; eum autem, qui tam diserte *testimonium* Polycarpi *mendacio inspersum, et locum insigni mendacio deformem* dixit, alii qui volunt et possunt, liberent.

Atque hæc de fide; nunc de vi testimonii agendum est: Asserit Eusebius has ipsas epistolas, quas defendimus, fuisse a Polycarpo memoratas. Καὶ ὁ Πολύκαρπος δὲ τούτων αὐτῶν μέμνηται ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῇ. « Sed et Polycarpus in sua ad Philippenses epistola earumdem meminit epistolarum ». Quod Eusebius asserit, nostri pariter affirmant; Dallæus negat. Fatetur quidem testari posse Polycarpum, aliquas scripsisse epistolas Ignatium, has autem eas fuisse negat; similes aliqua re fuisse largitur, easdem fuisse pernegat. Rationem negationis unicam affert, quod id *clarissime et multifariam a se fuerit* demonstratum, ob nempe *Valentinianorum* σιγήν, *et Patripassianorum hæresin*, similiaque *quæ fieri non potest ut epistolæ vere ab Ignatio scriptæ habuerint.* Ita ab argumento a testimoniis petito, ad illud quod ex materia operis deducitur, desultorie transit, et cum externo argumento premitur, ad internum confugit. Dicunt nostri Polycarpum testari S. Ignatium has epistolas scripsisse; respondet, *ipsæ luculentissime negant.* Frustra omnino et dictis causa refellendis nostrorum argumentis a veterum auctoritate sumptis insudavit, si quoties ea afferuntur, ad tales demonstrationes recurrat; cum una opera potius omnia repudiare debuerit. Sed nos demonstrationes ejus omnes quas ubique prædicat, proxima dissertatione, hoc est, suo loco, objectiunculas tantum infirmas, levissimasque conjecturas esse demonstrabimus, atque interim hoc ipsum Polycarpi testimonium defendemus, et extra omnem contradictionis aleam ponemus.

Has, inquit, *scripsisse* Ignatium *non dicit locus objectus.* Quid igitur? an minus idoneum est testimonium, aut eo nomine statim rejiciendum? Quis unquam veterum dixit eos libros, quos nunc habemus, fuisse ab illis scriptos, quibus jam tribuuntur? An eorum quisquam vidit nostra exemplaria? an scire ullo modo potuit, quid nos hac ætate legeremus? Si sic criticen exercere placeat, universa veterum testimonia incassum libris nostris doctorum virorum industria præfixit : quæ potius in posterum eradenda videntur; si enim hæc observatio obtineat, nihili sunt omnia. Verba sunt Dallæi : « Quod enim aiunt, Ignatiana apud veteres *ab omni ævo* Patres *pari* cum Clementis et Polycarpi epistolis *reverentia semper* fuisse, id miror iis excidisse qui probe sciunt, utramque hanc epistolam ab Irenæo magnis laudibus celebratam fuisse, et Clementinam proprie a Dionysio Corinthio laudatam ». Sed quare miretur non video, eum probe sciat, nec S. Irenæum hanc Polycarpi, aut Clementis nec Dionysium hanc S. Clementis proprie laudasse. S. Irenæi verba sunt : « Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis ». Non dicit hanc epistolam, quam nunc habemus, ad Corinthios tunc fuisse scriptam : non affirmat hanc, ne ullam

quidem a Clemente fuisse exaratam. De Polycarpi epistola, hæc habet : « Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua characterem fidei ejus, et prædicationem veritatis, qui volunt, et curam habent suæ salutis, possunt discere ». Non affirmat eamdem epistolam eam fuisse quæ nun exstat, imo nullum characterem tradit huic peculiarem. De Clementis epistola Dionysius Corinthiorum episcopus, ad Soterem Romæ episcopum hæc scribit ; « Hodie sacrum diem Dominicum transegimus, in quo epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis præceptis ac documentis abundabimus ». Tradit quidem et ille epistolam quamdam a Clemente ad Corinthios scriptam fuisse, et in Ecclesia lectam : non dicit hanc, quam Junius ex codice Regio descripsit, eam fuisse : imo qualis illa fuerit quam Corinthii legebant, nullo modo depingit, ut nostram ad illius characterem examinare possemus. Et tamen hæc Irenæi et Dionysii testimonia ad Clementinam epistolam statuminandam magnam vim habere volunt. Polycarpi autem suffragium et multo antiquius atque disertius ad Ignatii epistolas confirmandas plane nullam.

Hæc cum unica sit objectio, quæ proprie vim testimonii spectat, præter silentium Irenæi, quod proximo capite examinandum est ; cumque ea tam iniqua ac levis sit, ut omnes vident ; superest ut Polycarpiani suffragii robur latius explicetur, omniumque oculis clarius exponatur. Primo enim Polycarpus non tantum testatur scripsisse aliquas epistolas Ignatium, sed significat συναγωγὴν epistolarum ejus tunc temporis Smyrnæ se præ manibus habuisse ; earumdem exemplar epistolæ suæ (quam aliunde in ecclesiis Asiaticis publice lectam scimus) se subjecisse tradit, et Philippensibus misisse, idque ipsorum rogatu ; quanti eas ipse æstimaret optimus judex ostendit, easque Philippensibus utilissimas fore profitetur, et fidem, patientiam, omnemque ædificationem ad Dominum pertinentem continere affirmat. Hæc de epistolis quas ipse collegit et apud se habuit cum testetur Polycarpus, easdem omnino eum intellexisse, quas nos habemus, quas ante nos Eusebius, Athanasius, Theodoretus, aliique habuerunt, et contendo, et aperte firmiterque probo. Aut enim illæ epistolæ quas publicavit Polycarpus, hæ ipsæ sunt, quas nostri defendunt, aut fuerunt aliæ et ab his diversæ. Sed aliæ, et ab his diversæ non fuerunt. Reliquum igitur est ut hæ ipsæ fuerint Epistolas autem quas publicavit Polycarpus, non fuisse alias, et ab his, quas nunc habemus, diversas, sic ostendo :

S. Ignatium, qui paucis post S. Joannis apostoli mortem annis martyrium Romæ fecit, apostolos ipsum audivisse, et ex his purissimis Christianismi fontibus doctrinam suam hausisse constat. Huc accedit eximia viri dignitas, qui non modo apostolorum discipulus, sed eorum insuper judicio sic probatus sit, ut Antiochenæ, id est omniu apud gentes erant Ecclesiarum antiquissi hæc, ob civitatis in sæculo amplitudinem præstantiam, nobilissimæ, præfici meruer ejus postremo martyrium dicam, quo ope unquam apud nostros excellentius aut pra habitum fuisse scimus ? Hujus ergo tanti viri, in quo summa omnia erant, si aliæ f quam quæ nunc circumferuntur epistolæ ab illis temporibus, sæculisque proxime sequ celeberrimas fuisse necesse est, et post ap rum ipsorum et Clementis si forte script nobilissimas. Sed eas præter auctoris m ipsum insuper tempus, quo datæ esse di supra modum nobilitare debuit. Innuit enir carpus ab Ignatio in supremis, in martyrii tione, eo ipso tempore scriptas fuisse, qu Antiochiæ apud Trajanum præclarissima confessione, principis ore ad bestias dar Romam ad mortem pro Domino oppetend ducebatur. Cum igitur charorum pietate tim ac virtute præstantium virorum iu st editas voces magna cura eecipere, servar brare memoriæque posterorum mandare sol quo studio a viris illis aut ecclesiis excepi par est sanctissimi martyris ad se in ipsa dicam, arena scriptas litteras, quo animoru recitatas, qua charitate cum snis, quacunqu sti nomen colebatur, fratribus commun Summum ecclesiarum in istas epistolas ar summam colligendarum et servandarum fratres disseminandarum curam, summumq dium fuisse satis testatur S. Polycarpus, nis apostoli pariter discipulus, qui ab eo S episcopus ordinatus, totius Asiæ princep Ignatio familiaris fuit, qui docet se a Philip bus rogatum omnes Ignatii epistolas, quas apud se haberet, collegisse, easque ad ipsos litteris subjectas mittere. Ex his satis nun stat illas epistolas quas scripsit Ignatius, qu legit et edidit Polycarpus, non potuisse no illius, et proximæ deinceps memoriæ Chri præsertim vero litteratis et eruditis, si qui notissimas. Puid quod hæc ipsa S. Polycar stola, qua Ignatiana tantopere prædicabant tria integra sæcula in conventu Asiæ public retur, qua summa eorum utilitas inculc animique hominum scriptorum fidem antiq patientiam, et ædificationem continentium tate perpetuo accendebantur. Si igitur al nostra diversa fuit Polycarpi συναγωγή, epistolæ Ignatii fuerint quas ille collegit, litteris commendavit, et Philippensibus con cavit, quam eæ, quas nos hebemus et gnte n buit Eusebius ; illæ certe ut viris litteratis pue atque eruditis notissimæ, pxr omnia i cula, præsertim quibus Polycarpi epistola i ticis ecclesiis sane nobilissimis personabat, tescerent atque agnoscerentur necesse fuit. I

existimatione cum primo fuerint, tanta cura atque studio ab ecclesia ad ecclesiam transmissæ, tam publica, tamque perpetua commemoratione ornatæ atque posteritati commendatæ, non potuerunt omnino latere, et viris doctis, et apostolicæ traditionis maxime curiosis ignotæ esse. At si omnium Christianorum per tria sæcula, non tantum post Ignatii, sed, et Polycarpi mortem, libros consulamus, nullam aliarum, quam quas nos habemus, Ignatii epistolarum mentionem unquam factam inveniemus. Alias igitur nunquam fuisse manifestum est. Clarus, ni fallor, rerum nexus, clara et indubitabilis consecutio.

Qui quinque vel sex epistolas nuper Ignatio attributas tanquam spurias et fictas rejiciebant, id se ideo fecisse profitebantur, quod Eusebii et Hieronymi tempore non exstarent : eo autem tempore non exstitisse inde colligebant, quod nec Eusebius, nec Hieronymus earum meminerit, cum alias sex septemve, quas nostri defendunt, diligenter memorassent, atque descripsissent. Hanc eorum sententiam atque rationem et laudat et amplectitur Dallæus. Nam de Usserio loquens, hæc capite secundo scribit : « Primum ergo sex illas epistolas ad Mariam Cassobolitam, ad Polycarpum, ad Tarsenses, ad Antiochenos, ad Heronem, et ad Philippenses, has, inquam, nondum Eusebii et Hieronymi temporibus exstitisse inde validissime probat, quod de iis uterque iste scriptor nullum Verbum facit, qui sex alias superiores ambo memorant. Cur enim has potius quam illas, si illas, si utrasque norunt, dixissent ? Cur vero eas eruditissimi ac diligentissimi homines ignorarent, si erant, ut narrat Baronius, a Philippensibus cum sex superiorum ad eos missa a Polycarpo collectione conjunctæ ? Non fuisse, adeoque neque tum exstitisse inde constat, quod eas Eusebius nescierit: nescivisse altum ejus de his silentium arguit. » Si autem hæc validissime probent sive quinque sive sex illas epistolas tempore Eusebii et Hieronymi non exstitisse, adeoque postea excogitatas et fictas fuisse ; nostrum certe argumentum validissime etiam probat, alias quam nostras Ignatii epistolas nec eodem nec ullo alio antecedente ævo apparuisse ; ut de aliis a Polycarpo collectis, in unum corpus redactis, ad Ecclesias transmissis, et insigni elogio ornatis loqui, plane commentum sapiat. Nemo enim ante Eusebium, vel Hieronymum, vel etiam Theodoretum, aut Gelasium, nemo ante quinti sæculi finem, quo veteres omnes ecclesiastici et catholici scriptores, ac in primis S. Ignatius, in controversiis fidei tum a catholicis, tum a modernis hæreticis tanquam arbitri admittebantur, vel virum, vel ecclesiam aliam nominavit, ad quam Ignatius litteras dederat ; nemo ullam sententiam ex ulla alia epistola excerpsit. Ex nostris unam Irenæus, unam Theophilus, aut antiquus Basilii auctor, ejusdem cum Irenæo ævi, duas Origenes, unam pseudo-Dionysius, complures Eusebius, unam Athanasius, duas Chrysostomus, plures Hieronymus, plurimas Theodoretus, duas Gelasius sententias laudarunt, omnes ex epistolis nostris, ex alia aliqua ne unam quidem. Aliæ igitur quam nostræ Ignatii epistolæ nunquam fuerunt a Polycarpo posteritati commendatæ Quare cum ab illo aliquæ fuerint collectæ publicatæque, ut ex ipsius testimonio patet ; aliæ autem et a nostris diversæ non fuerint, ut ex alto tot sæculorum silentio manifestum est ; restat ut hæ ipsæ fuerint, quas nostri defendunt, quas Eusebius vidit, descripsit, defloravit.

Quænam enim, quæso, illæ epistolæ sunt, si hæ non sint ? Quis eas unquam legit ? quis oculis usurpavit ? quis vel fando de aliis epistolis ab Ignatio scriptis, a Polycarpo collectis aliquid audivit ? aliis, inquam, quam quas habemus ? An ullo modo verisimile est, epistolas a tanto martyre exaratas, a tanto editas atque laudatas, epistolæ etiam illi subjectas, quæ per tot sæcula publice lecta earum memoriam perpetuo redintegrabat, statim periisse, et ab omnium oculis ereptas fuisse ? An putabimus Ignatii ossium reliquias Roma Antiochiam transportatas, tantaque veneratione per tot annos habitas ; epistolas autem in ipso itinere scriptas, propediem in ventos abiisse ? An conjiciemus, imperante Antonino, aut Aurelio, hoc est, vivo adhuc et valente S. Polycarpo, fictas fuisse, has quas habemus epistolas, cum Salmasio et Albertino ; aut saltem statim post Clementis Alexandrini mortem, cum Blondello, quorum ipsum Dallæum pudet ? An autem tertio sæculo exeunte, aut ineunte quarto, cum homines undique doctissimi in Ecclesia florerent, et bibliothecæ variæ ad veterum Christianorum scripta conservanda conderentur, putabimus alias epistolas earum loco suppositas fuisse, et illis, quibus Christiani per tot annos consueverant, penitus sublatis successisse ? Ecce enim Dallæus, qui modo impostorem suum Polycarpi epistolæ testimonium nostrum inseruisse, et ubi antea non exstaret, infulsisse diserte affirmabat, cum de auctoritate epistolæ Polycarpianæ ageretur : nunc eum de vi testimonii agitur, conversis velis remisque in omnia alia fertur, non eodem quidem loco, sed caute provideque capite 26, ubi totum fabulæ suæ argumentum contexit, aliam nobis scenam aperit. Vult enim « impostorem *suum*, cum scriptas hinc didicisset olim fuisse ab Ignatio aliquas epistolas, easque jam desiderari animadverteret, consilium inde cepisse suas sub eodem nomine fingendi et edendi. » Quamvis Dallæi impostor mirus artifex sit, nec minori ingenii acumine præditus, quam ipse, non tamen hæc duo idem præstare potuit : non potuit ex Polycarpi epistola discere, scriptas fuisse olim ab Ignatio aliquas epistolas, et idem ea verba, quæ hoc ipsum indicant, inserere. Si ipse primus ea inseruit, non igitur in Polycarpi epistola prius fuerunt ; quare inde disiere non potuit. An ideo insulsit, ut non tantum alios, sed et seipsum falleret ? an illa interpolatione non tantum aliis, sed et sibi persuasit scriptas fuisse aliquas ab Ignatio episto-

las, quod omnes ante eum, scilicet, ignorabant? Sed quid opus est ut impostor hoc ex epistola Polycarpi disceret, aut, ut alii inde haurirent, curaret? « Quasi vero quisquam adeo stultus sit, ut neget amplissimæ civitatis episcopum, ad hæc apostolorum discipulum ullas vel scribere potuisse, vel revera scripsisse litteras. » Verba sunt Dallæi. Quorsum igitur impostorem suum ad Polycarpum remittit, ut hoc ab eo discat? quorsum eum violentas epistolæ notissimæ manus inferre cogit, ut alios idem doceat, quod ne stulti quidem negare potuerunt? Sed si hoc impostor ex Polycarpo didicisset, epistolas Ignatii ab ipso collectas et posteritati commendatas fuisse, unde eas jam desiderari animadvertit? unde hoc vir doctissimus didicit? quis collectionem Polycarpi periisse dixit, aut credidit? Nonne eodem tertio sæculo dixerat Origenes: « Eleganter in cujusdam martyris epistola scriptum reperi, Ignatium dico, episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias? » An qui Polycarpum legerat, lectamque ejus etiamnum in publicis conventibus epistolam noverat, et ex eadem Ignatianorum συναγωγὴν tanta cura Smyrnæ conservatam, in Macedoniam tanta cum laude transmissam, animadverterat, eodem sæculo quo Origenes eamdem laudaverat, funditus periisse putare potuit? Nimis crassa hæc sunt, quam ut a viris doctis coquantur; nimis invalida, quam ut argumentum nostrum debilitent, quo non alias quam nostras a Polycarpo editas epistolas ostendimus.

Idem autem alio, et quidem affirmativo, nec illo contemnendo argumento, ex ipsis epistolis petito, non leviter confirmare me posse confido. Non enim tantum nostras epistolas quamvis generaliter, tamen satis diserte describit, quas fidem, patientiam, omnemque ædificationem continere testatur, de qua re paulo fusius ante diximus; sed et speciatim legationem ad Antiochenos tangit, quæ cum in aliis tum præcipue in illa ad Polycarpum exstat; imo ipse Polycarpus in reliquo epistolæ corpore multa repræsentat, quæ epistolas nostras sæpe respiciunt; ut eum easdem omnino diligenter legisse, et libenter usum fuisse, quivis perspiciat, ut vix S. Paulum, aut S. Petrum, aut Clementem magis in epistola sua, quam Ignatium nostrum secutus esse videatur. Quippe ex summa veneratione, frequenti lectione, et recenti memoria tunc cum ad Philippenses scriberet, hæc ejus animo alte insedisse observamus. Statim aA initio, cum de Ignatio ejusque comitibus loquitur, eos ita describit, τοὺς ἐνειλημένους τοῖς ἁγιοπρεπέσι δεσμοῖς, ἅτινά ἐστι διαδήματα τῶν ἀληθῶς ὑπὸ Θεοῦ, καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων, iisque verbis duo Ignatii nostri loca expressit, unum epistolæ ad Smyrnæos: Δεδεμένος θεοπρεπεστάτοις δεσμοῖς πάντας ἀσπάζομαι, alterum ad Ephesios: Ἐν ᾧ τὰ δεσμὰ περιφέρω τοὺς πνευματικοὺς μαργαρίτας. Et non multo post ad Philippenses suos, ad quos epistolam scripserat S. Paulus: Οὔτε γὰρ ἐγὼ, οὔτε ἄλλος ὅμοιος ἐμοὶ δύναται κατακολουθῆσαι τῇ σοφίᾳ τοῦ μακαρίου καὶ ἐνδόξου Παύλου, ὃς γενόμενος ἐν ὑμῖν κατὰ πρόσωπον τῶν τότε ἀνθρώπων, ἐδίδαξεν ἀκριβῶς καὶ βεβαίως τὸν περὶ ἀληθείας λόγον· ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστόλας. Quibus quis non videt eum Ignatium nostrum ad Ephesios, quibuscum pariter conversatus est et ad quos scripserat S. Paulus, imitatum esse ita scribentem: Οἶδα τίς εἰμι, καὶ τίσιν γράφω. Παύλου συμμύσται τοῦ ἡγιασμένου, μεμαρτυρημένου ἀξιομακαρίστου. Οὗ γένοιτό μοι ὑπὸ τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι, ὅτ' ἂν Θεοῦ ἐπιτύχω· ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Monet Polycarpus, ut Philippenses sint ὑποτασσόμενοι πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ, quod toties inculcat Ignatius noster. De diaconis: Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων. Ut noster ad Trallenses: Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσὶν διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. Præcipit Polycarpus Philippensibus, ut sint μὴ ἀμελοῦντες χήρας, ἢ ὀρφανοῦ, ἢ πένητος, cum Ignatius ita hæreticos sui temporis descripsisset, περὶ ἀγάπης οὐ μέλει αὐτοῖς, οὐ περὶ χήρας, οὐ περὶ ὀρφανοῦ, οὐ περὶ θλιβομένου, et ipsi Polycarpo hoc præceptum dedisset, χῆραι μὴ ἀμελείσθωσαν. Unde illa, quæ nunc Latina tantum legimus, nisi ex Ignatio nostro? « Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus; qui estis in principio epistolæ ejus: de vobis etenim gloriatur in omnibus ecclesiis. Nihil, » inquit Polycarpus ad Philippenses, *vos latet*: Ignatius ad Ephesios: Ὧν οὐδὲν λανθάνει ὑμᾶς. Et præter alia nonnulla, epistolas Ignatii Polycarpus quasi ipsius verbis tandem laudat, scilicet, quod contineant οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἀνήκουσαν, ut ille: Ἕτοιμοί ἐστε εἰς εὐποιΐαν Θεῷ ἀνήκουσαν, et alibi: Τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, et: Τὴν διακονίαν τὴν εἰς τὸ κοινὸν ἀνήκουσαν. Hæc ostendunt Polycarpum in his ipsis, quas nos etiam tandem habemus, Ignatii epistolis non indiligenter versatum esse.

Atque hic finem huic disputationi imponere tempus esset, nisi Dallæus, ab hoc argumento delapsus, postea, ut solet, novam nobis molestiam crearet, et, quasi sui oblitus, aliquid fortius, quod ante omiserat, haberet, controversiam hanc postliminio redintegraret. Capite enim tricesimo sexto: « Hoc certe, *inquit*, Polycarpi testimonio Latini pro sex illis Ignatianis epistolis, quas præter Usserianam collectionem asserunt, non minus speciose utuntur, quam pro suis sex primis reverendissimus Usserius et doctissimus Hammondus. *Ain vero*, non minus speciose? » mirer maxime. An *speciose*, imo an omnino Polycarpi testimonio in ea re utuntur? nisi Dallæus hoc diceret, non crederem; imo postquam dixit, dum mecum perpendo, non credo. Latini

enim, ut opinor, illi sunt, qui Ecclesiæ Romanæ adhærent, quorum pars maxima epistolas, quas nostri rejiciunt, hactenus recepit. Sed quod illi Polycarpi testimonio freti id fecerint, nondum didici. Audiamus illustrissimum illum cardinalem Baronium : « Quod igitur septem illæ seorsum positæ haberentur (*de nostris loquitur*), fuit illa prima collectio facta a Polycarpo, qui non tantum ad se missas, sed et alias in unum collegit, quæ ad Asiæ nominatas ecclesias scriptæ fuissent, quas, ut testatur, misit ad Philippenses. Hi vero, iis a Polycarpo acceptis, quatuor alias volumini addiderunt ; tres nimirum Philippis apud se datas, ad Antiochenos, ad Tarsenses, et ad Heronem diaconum, quarum exempla apud se remansissent ; quartam vero ad seipsos, post recessum Philippis ab eodem Ignatio scriptam. » Vides Latinorum sententiam : collectionem septem epistolarum Polycarpo tribuunt, reliquas ab eo collectas non dicunt ; vel Philippis scriptas, vel ad Philippenses postea missas volunt ; et a Philippensibus novam collectionem factam docent ; Polycarpi testimonio pro aliis præter septem, quas solas nostri defendunt, non speciose, non omnino utuntur. Duas collectiones aperte fatentur, unam Polycarpi, aliam Philippensium ; priorem illam, posteriorem hanc, appellant ; Polycarpi epistolam ad Philippenses, « haud multos post dies a discessione Ignatii Philippi » scriptam putant ; continere igitur alias non potuit, quam eas, quas « priusquam ex Asia proficisceretur conscripsit, » de quibus solis agunt Eusebius et Hieronymus, ut illi etiam observant. Pro collectione igitur Philippensium testimonio Polycarpi non utuntur, sed sine ullo alio fundamento, sine Polycarpi aut alterius cujuspiam testimonio ex ipsis epistolis eam colligunt, quas illi genuinas, nostri fictas fuisse contendunt. Sed in enarranda fabula sua pergit vir doctissimus. *Hi* (Usserius, scilicet, et Hammondus) « Latinis objectionibus negant, de sex illis aut quinque epistolis loqui Polycarpum. » Imo vero hi nec illud negant, nec negare possunt Latinis objectionibus, quod Latini nunquam objecerunt. De quinque illis epistolis loqui Polycarpum nemo Latinorum dixit. Non hoc Usserius eorum objectionibus negat, sed plane e contrario, multis probat, eos nunquam hoc Polycarpo tribuisse, septem tantum epistolas in Polycarpi collectione contentas semper fassos esse, eamque rationem, cur Eusebius et Hieronymus earum tantum meminerint, assignasse. Hoc Baronium innuisse, hoc Gretserum plane et plene extulisse vult, quare illi epistolas hasce non commemoraverint, causam istam fuisse asserentem, « quia non viderant nisi illam epistolarum collectionem quæ facta fuerat a S. Polycarpo ; qui illas duntaxat, quas B. Ignatius Smyrnæ primum et postea Troade scripserat, unum in volumen comportavit. » Ita Usserius disputat, ut probet illas epistolas antiquis fuisse incognitas.

Quorsum igitur hæc narrare voluit Dallæus, quæ omnes norunt esse falsissima ? Nempe « ut Polycarpiani testimonii cesset in utraque causa auctoritas. in nos pro doctissimis viris nihilo validior, quam in viros doctissimos pro Latinis. » Quam falsa assertio ! quam iniqua postulatio ! tam certe hæc iniqua, quam illa falsa. Latini hæc nunquam objecere ; si objecissent, noverunt nihil se proficere potuisse, statim responsum esset, Polycarpi testimonium ad illas epistolas quas nec Eusebius, nec Hieronymus, nec quisquam quinti sæculi memorasset, non pertinere. Ad nostras autem epistolas nemo eorum, nostrorum nemo cum ulla ratione dixit Polycarpum non respexisse. Pro nobis igitur et semper fuit, et erit tanti Patris multo validior auctoritas contra quoscunque, quam pro Latinis contra nos, qui neque adversus nos, neque quemcunque alium eam aut adduxerunt, aut adducere potuerunt. Quam igitur iniqua postulatio est, ut ejus auctoritas *in utraque causa cesset*, quæ in altera nunquam obtinuit ; in illa, quæ ab omnibus adducitur, oblitterari nunquam poterit ! Auctoritatem igitur Polycarpi suo loco justissime afferimus, premimus, urgemus ; objectiunculas adversus epistolas illius testimonio corroboratas suo etiam loco discutiemus, atque difflabimus.

CAPUT VI.

Testimonium S. Irenæi ab objectionibus liberatur. Frivolum et ineptum est putare illud aliunde quam ex epistola ad Romanos citatum esse. Inanis est distinctio inter dixisse, *et* scripsisse. *Nulla ignatii apophthegmata a veteribus memorantur. Ignorasse Irenæum Ignatii epistolas nulla cum ratione asseritur. Argumentum negativum adversus Irenæi testimonium nullam vim habet.*

Proximum est S. Irenæi, Polycarpi discipuli, testimonium, quod appellat vir doctissimus argumentum pro Ignatianis secundum. Asserit enim Eusebius Irenæum harum epistolarum meminisse, cum diceret : « Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium ad Deum adjudicatus ad bestias, quoniam « frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molor, ut mundus panis inveniar. » » Respondet vir doctissimus : *Ego hæc verba vere Ignatii fuisse concedo ; sed quid ad epistolas ?* Rogas ? quia sunt in epistolis, alibi in antiquissimis monumentis nusquam, ne quidem in modernis, nisi quando ex epistolis transcripta. Ne unum quidem Ignatii apophthegma a veteribus memoratum est. At *Irenæus non hic facit epistolæ mentionem ;* sed neque B. Ignatii mentionem facit. Concedis tamen verba hæc vere esse Ignatii, cur non et epistolæ ? cum in epistola Ignatii inveniantur, alibi nusquam ? Neque enim alia ratio excogitari potest, quare Ignatii verba esse aut tu, aut nos credamus, nisi quod in ejus epistola inveniantur ; alii enim præter Ignatium adjudicati erant ad bestias Eusebius crebo probat epistolas apostolicas et Evangelia nostra, quod ex iis testimonia proferant Patres primitivi ; quæ fere omnia vana essent, si hac ratione testimonia metiamur ; raro enim libros aut epistolas vetustissimi illi scriptores nominabant, ex quibus verba et sen-

tentias decerpserunt. Recolat Dallæus verba sua de Dionysio : « Quæ citat,cum totidemverbis in epistola ad Romanos Ignatiana legantur, frivolum et ineptum est,ea aliunde quam ex hac epistola citata esse hariolari.»Cum enim quæ citat Irenæus totidem verbis in epistola ad Romanos Ignatiana legantur, cur non æque frivolum et ineptum est,ea aliunde quam ex hac epistola citata esse hariolari?

Sed habet quod reponat ex Parkero vir doctissimus : « Nihil aliud scribit Irenæus, nisi hoc istum, cujus meminit,dixisse.Si saltem hæc eum scripsisse diceret,colorem, licet falsum et evanidum, aliquem tamen haberet argumentatio. Sic enim ex aliquo Ignatii scripto hæc ejus verba Irenæum habuisse legitime concluderes : tametsi illud unde ea sumpsisset Ignatii scriptum ne sic quidem conficeres eamdem illam esse, quam nos hodie habemus ad Romanos ejus nomine inscriptam epistolam.» Duo igitur reponit : apud Irenæum legi non *scripsisse*, sed *dixisse*, hoc primum ; si legeremus *scripsisse*, argumentum tamen nostrum *colorem* tantum *falsum* et *evanidum* haberet,hoc secundum.A posteriori incipio,et Dallæo Dallæum oppono,pro simili sententia ex eadem epistola a pseudo Dionysio producta adversus Maximi effugium fortiter pugnantem.Auctor Areopagiticorum, quisquis est,produxerat testimonium ex Ignatii epistola ad Romanos ; epistolam illam veteres omnes sub Trajano scriptam paulo ante martyrium Ignatii crediderunt.Dionysium Areopagitam sub Domitiano mortuum fuisse iidem putarunt. Inde validissimum confectum argumentum est, verum Dionysium ista scribere non potuisse præsertim in opere Timotheo dicato. Maximus hac objectione pressus mira effugia excogitavit, et plane Dallæana. Primo,quod ad rem nostram spectat, τάχα σύνηθες αὐτῷ εἶναι ἀπόφθεγμα, ὡς καὶ τὸ Θεοφόρος πολλάκις αὐτῷ λεγόμενόν τε καὶ γραφόμενον, forte hæc verba : *Amor meus crucifixus est*, apophthegma esse Ignatio familiare. Ita ille cum Dallæo ad apophthegmata recurrit,et multo quidem adhuc speciosius. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται perfectissimam apophthegmatis speciem habet, et viro sancto per totum vitæ cursum tum in dictis tum in scriptis familiare esse potuit.Non ad Trajani tempora confugere necesse fuit ; etiam sub Domitiano hoc apophthegma et sæpius dixisse et aliquando scripsisse poterat Ignatius. Non eadem natura est Dallæani apophthegmatis apud Irenæum : «Frumentum sum Christi et per dentes bestiarum molor,ut mundus panis Dei inveniar.»Quis hoc ab Ignatio dictum per totum vitæ cursum familiariter usurpatum,quis ante condemnationem ad bestias unquam prolatum,quis in alia quam illa epistola quæ in itinere exarata est, scriptum putet? Et tamen hoc Dallæo apophthegma est, quod ipse alteri negat. *Valeret*, inquit, *effugium*, *si hæc Ignatium* dixisse *scriberet Dionysianorum auctor : sed plane aliter eum ait hæc* scripsisse,*non dixisse*, γράφει δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· quasi vero id quod sæpius dictum est, scribi etiam non semel non potuerit. Maxim firmat, apophthegma illud forte ab Ignatio n mel dictum,neque semel scriptum fuisse ; si tur Dionysius *dixisse* sive *scripsisse* Ignatiu scripserit, perinde erit.Commentum certe hoc modo refutari non potest ; ut frivola pl hæc distinctio,et Dallæo indigna. Ipse enim dem opere non dubitat cum Albertino as pseudo Dionysium hæc ipsa ab Origene hau Origenes autem non scribit Ignatium ista *scr* sed *dixisse* tantum.Verba ejus sunt : « Deniq minimus aliquem sanctorum dixisse, Ignati mine,de Christo,«Meus autem amor crucifix Dixisse » igitur et *scripsisse* in hoc negotic idem ; neque aut hoc aut illud Maximi comm vel juvat,vel lædit. Omissa plane hac inani ctione,aut illud, aut nihil, quod apposite ol Dallæus,Maximum jugulat.«Quæ citat,cum t verbis in epistola ad Romanos Ignatiana le frivolum et ineptum est, ea aliunde quam ipsa epistola citata esse hariolari. »

Secundo, Maximus ut ostendat illud es phthegma Ignatio tum viva voce tum scripto usurpatum,inquit : Τεκμήριον δὲ, τὸ μὴ προσγράφει δέ τισι,τουτέστι Ῥωμαίοις· ἀλλ' ἁπλῶς, ὃ δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. *Argumento autem est,d* phthegmate Ignatii locutum esse Dionysium non adjectum sit, « Scribit autem quibusdam cet Romanis, sed simpliciter,« Scribit autem Ignatius.» *Ad hæc Dallæus :* Quod contra affer mus suum Dionysium simpliciter dicere, Ig *scribere*, non autem quibusdam scribere, qu aliud quam scriptam ad Romanos epistolam i significet, id, inquam, prorsus nullam vim cum notum sit auctorum sententias et loca a nostris nunc litteratis citari, multo verc sæpius a veteribus citata esse,nullo auctori vel libro vel capite,unde illa habentur, nom edito.»Recte hæc quidem et apposite. Nam ci læus contra nostros disputat,Maximus est ; c versus Maximum,plane noster est.Dicimus i nos,si Irenæus dixisset, Ignatium ista sci quæ protulit, argumentum nostrum non c tantum falsum et evanidum, sed illius nega tius « nullam prorsus vim haberet ; cum no auctorum sententias et loca sæpe et a nostr litteratis citari,multo vero etiam sæpius a ve citata esse,nullo auctoris certo vel libro,vel unde illa habentur, nominatim edito. » Sic conficimus,præeunte viro doctissimo,ex usu rum nunc litteratorum et multo magis vete Irenæus dixisset Ignatium ea quæ refert *sc* eadem ab illo ex epistola ad Romanos ejus i inscripta sumpta fuisse.

Ut ad primum revertar, distinctionem ill ter ista duo *dixit* et *scripsit*, cum verba ips pta esse sciamus,*nullam prorsus vim habere* dico, *cum notum sit sententias et loca a veteri tata esse* per verbum hoc *dixit* non minus, ir

plus quam per verbum alterum, *scripsit*. Clemens Alexandrinus *Stromat.* l. v : « Moses permisit vesci iis, quæ habent fissam ungulam et quæ ruminant, μηνύων, φησὶν ὁ Βαρνάβας, κολλᾶσθαι δεῖν μετὰ τῶν φοβουμένων τὸν Κύριον, significans, inquit Barnabas, oportere adhærere iis qui timent Dominum,» et cætera bene multa, quæ apud Clementem sequuntur, et nunc in epistola Barnabæ reperiuntur. Lib. II: Παραθεμένῳ μάρτυν τον ἀποστολικὸν Βαρνάβαν (ὁ ὢν τῶν ἑβδομήκοντα ἦν, καὶ συνεργὸς τοῦ Παύλου) κατὰ λέξιν ὧδέ πως λέγοντα. Ubi adducuntur duæ longiores ῥήσεις ex eadem epistola quæ nunc exstat. Lib. eodem, Εἰκότως οὖν ὁ ἀπόστολος Βαρνάβας. Ἀφ' οὗ, θησὶν, ἔλαβον μέρους, et cætera. Ac rursus: Ἀμέλει μυστικῶς ὁ Βαρνάβας· « Ὁ δὲ Θεὸς ὁ τοῦ παντὸς κόσμου κυριεύων, φησὶ, δώῃ καὶ ὑμῖν σοφίαν. » Et l. v : Ἀλλὰ καὶ Βαρνάβας, ὁ καὶ αὐτὸς συγκηρυξας τῷ Ἀποστόλῳ, κατὰ τὴν διακονίαν τῶν ἐθνῶν, τὸν λόγον· « Ἁπλούστερον, φησὶν, ὑμῖν γράφω, ἵνα συνίητε, » εἰθ' ὑποβὰς ἧττον σαφέστερον γνωστικῆς παραδόσεως ἴχνος παρατιθέμενος λέγει. Ita Clemens Barnabam multa dixisse, nec aliquid scripsisse testatur, cum tamen ea omnia in epistola Barnabæ attributa exstent, nec ad apophthegmata referri possunt. Sic Veteres omnes locuti sunt. In eumdem modum scripsit Eusebius, in quem scripserat Irenæus. Hic: « Meminit epistolarum Ignatii Irenæus ita dicens, » id est *scribens;* ille : « Quidam de nostris dixit, » id est *scripsit*. Adeo huic phrasi addictus est Irenæus, ut Scripturam ipsam *dicere* scribat. Lib. II, cap. 2 : « Et hic ergo a Verbo ejus factus est, sicut Scriptura Geneseos dicit. » Et de Hermæ *Pastore* loquens lib. IV, cap. 37 : « Bene ergo pronuntiavit Scriptura quæ dicit : « Primo omnium crede quoniam unus est Deus. » Quoties sententiam cujuscunque auctoris producit, non eum *scripsisse*, sed *dixisse* ait. Ita de antiquissimis poetis loquitur : « Quæ Hesiodus ait de Pandora. De quibus Homerus poeta dixit : »

Ὡς δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο,

et rursus : « Accusabit eos Homerus, proprius ipsorum poeta, ipso dicente hæc :

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος...

Eodem modo de philosophis, de Anaxagora, Empedocle, Democrito, Platone loquitur, cum non ad eorum dicta sive apophthegmata, sed scriptas sententias respicit. Pariter prophetas et apostolos citat: « Propter hoc et Paulus apostolus ait ad Corinthios, *et alibi* : Dicebat ad Corinthios. Bene in prophetia Malachias ait : Tales presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus et propheta ait : Et dabo principes tuos in pace et episcopos tuos in justitia. » Eodem etiam modo, quoties aliquam sententiam ab ecclesiastico viro scriptam laudat, semper loquitur : Καλῶς ὁ Ἰουστῖνος ἔφη, « Bene Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum, nondum sciens suam damnationem. » Alibi : « Et bene Justinus in eo libro qui est ad Marcionem ait. » Neque dubito quin Justini Apologiam in animo habuerit, cum ista de Simone Mago scripsit : « Quippe cum esset sub Claudio Cæsare, a quo etiam statua honoratus esse dicitur. » Quinque libros fuisse a Papia conscriptos asserit Irenæus : Sed cum verba ex illis citat, eodem modo loquitur : *Et adjecit dicens :* Hæc autem credibilia sunt credentibus, *Et*, Juda, *inquit*, proditore non credente, et interrogante, etc. Ita etiam in Proœmio, καθὼς ὑπὸ τοῦ κρείττονος ἡμῶν εἴρηται, cum elegantem similitudinem ab antiquo scriptore mutuatur. Cum prolixas ῥήσεις ex Valentinianorum scriptis recitat, ita præfatur : Τοῦτο πείθουσι τοὺς ἀνοήτους, αὐταῖς λέξεσι λέγοντες οὕτως, et : Ἰωάννην τὸν μαθητὴν τοῦ Κυρίου διδάσκουσι τὴν πρώτην ὀγδοάδα μεμηνυκέναι, αὐταῖς λέξεσι λέγοντες οὕτως, etc. : φασὶ δὲ οὗτοι ὡς ἐπὶ τὸ ὑψηλότερον καὶ γνωστικώτερον ἐπεκτεινόμενοι τὴν πρώτην τετράδα οὕτως, et : Ὑπανυπερτάτην τετράδα τούτῳ μόνῳ διηγήσασθαι οὕτως εἰποῦσαν. Imo quotiescunque aliquam sententiam ex scriptore aliquo Irenæum citasse observavi, semper eum vocem illam *dixit*, nunquam autem alteram *scripsit* usurpasse animadverti. Nullam omnino locum e contrario adducit Dallæus, unum quidem Parkerus, sed infelicissime Nam inquit : « Cum Clementem citat, utitur hac voce, scripsit. » Sed quomodo quæso, utitur? Verba ejus sunt lib. III, cap 3 : « Sub hoc igitur Clemente scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis. » Nulla hic sententia citatur, nullius auctoris testimonium ex ejus scriptis adducitur, ne Clemens quidem tanquam auctor advocatur, tantum sub Clemente scripta fuisse epistola dicitur, quod a rem nihil. Frustra igitur objicitur Irenæum quidem testari sententiam hanc Ignatium *dixisse*, non autem *scripsisse*, cum ille nunquam aliter loquatur quoties verba aliqui e Veterum libris citet. Eamdem igitur vim in sententiis Veterum recitandis habere debet apud Irenæum *dixit*, quam habet apud alios, plerumque *dixit*, non nunquam *scripsit*. Ut dicere non vereamur cum Dallæo : « Quæ citat cum totidem verbis in epistola ad Romanos Ignatiana legantur, frivolum et ineptum est, ea aliunde quam ex hac Epistola citata esse hariolari. »

Ille tamen adhuc *aliunde* vult hæc Ignatii habuisse Irenæum, nempe, ex apophthegmatibus, quæ vel a Polycarpo, vel ex ipsis martyrii Actis discere potuit. Epistolas Ignatii ubique legimus, apophthegmata nusquam. Solus Maximus, tali argumento pressus, quali nunc premitur Dallæ, apophthegmata somniavit. A Polycarpo collectas epistolas scimus, ab illo disseminata apophthegmata ignoramus; in Epistola a Polycarpo edita sententiam ipsam, quam laudavit Irenæus, invenimus; non opus est ad famam recurrere, cum in scriptis teneamus; et quomodocunque postea usurpata sit, ex epistola haustam non dubitemus. Nulla sunt Ignatii apophthegmata quæ epistolas præcesserunt : si qua fuerint postea decantata, ex epistolis desumpta fuisse et facile intelligitur et satis certo cognoscitur. Ex Usserio quidem Dallæus et Hieronymum,

et Acta etiam aliqua martyrii suæ opinioni favere intellexit ; sed nec illa ad hanc rem quidquam faciunt. Fateor equidem Hieronymum scripsisse, verba quæ apud Irenæum exstant Ignatium locutum fuisse,*cum rugientes audiret leones*, ut in aliquibus codicibus legimus. Nam in aliis illud *cum* eo loco non apparet.« Cumque jam damnatus esset ad bestias,et ardore patiendi rugientes audiret leones, ait » Ex his enim non tam perspicue *Romæ* enm hæc dixisse, ac *in re præsenti*, et *quasi in arena ipsa* ex mente Hieronymi apparet.Certe illud *et* quod in Breviario Romano reperitur, et Græca Sophronii versione confirmatur, alium sensum postulare videtur ; neque enim Romæ, sed Antiochiæ *damnatus est ad bestias* ; rugientes autem leones tam Smyrnæ quam Romæ audire potuit ; nec *rem præsentem* intelligere videtur Sophronius, qui *dentibus bestiarum molor*, εὔχομαι ἑοῖς ὀδοῦσι τῶν θηρίων ἁλῆσθῆναι translulit. Sed mentem Hieronymi in hac re non moror ; quid iste per illa verba voluerit parum refert, quæ ab eo sine ulla auctoritate dicta sunt. Omnia quæ de Ignatianis habet in Catalogo,ex Eusebio sumpsit : ex illa transcripsit sententiam hanc ab Irenæo laudatam. Nihil tale Eusebius,nihil Irenæus : de suo illa verba quæ tempus denotare videantur aut incaute, aut rhetorice addidit ; atque ita quæ ab Eusebio acceperat minus recte tradidit ; quod ei in hoc opere solemne est. De Apollonio agens cujus martyrium descripserat Eusebius,eum de suo senatorem facit, insigne illi volumen attribuit,eumque in Catalogum scriptorum ecclesiasticorum refert, imo inter eos tandem numerat epist. 84,«qui in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos referciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas,eruditionem sæculi,an scientiam Scripturarum.»Hæc Hieronymus proprio ingenio ex Eusebio extudit et exaggeravit.Neque enim audiendus Josephus Scaliger, qui eum cum illa scriberet,« non Græcum Eusebii exemplar,sed Ruffini interpretationem Latinam » in manibus habuisse asserit : aut Henricus Valesius, qui eum hæc « sine dubio ex prava Ruffini interpretatione » hausisse tradit.Hoc enim fieri nullo modo potuit,cum tot annis Catalogum scripserit Hieronymus,antequam Eusebium verterit Ruffinus. Scripsit hæc Hieronymus anno Theodosii decimo quarto,hoc est, circa A, D. 392, ut ipse in fine operis testatur : translulit Historiam Eusebii Ruffinus post Theodosii mortem, imo post *direpta Italiæ claustra ab Alarico duce Gothorum*, ut ipse in præfatione profitetur Alaricus autem Italiam non intravit ante A. D. 400. Octo igitur ad minimum annis Eusebium Latine edidit Ruffinus, postquam Catalogum suum scripserat Hieronymus. Male etiam Valesius conjecit Hieronymum,eamdem ob causam, ob quam Eusebius omiserat Methodii Origeni iniquioris opera, Ruffinum quocum simultates exercuerat in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* de industria prætermisisse.Nam nec tunc temporis cum Ruffino adhuc simultates exercuerat,ideoque in hoc ipso libro *inter cæteros tractatores librum a Pamphilo editum posuit*, quod a Ruffino ita *fuerat divulgatum* ; nec Ruffinus ipse aliqua alia tunc conscripserat,quæ ab Hieronymo memorari poterant. Hieronymus igitur a nemine deceptus suo Marte illa Eusebianis addidit.Eodem etiam modo in altero Apollonio describendo versatus est. « Apollonius, inquit, vir disertissimus, scripsit adversus Montanum,Priscillam et Maximillam insigne et longum volumen in quo asserit Montanum et insanas vates periisse suspendio ;» de suspendio enim Montani locutus quidem est Eusebius,sed ejus narrationem alteri plane scriptori, et qnidem anonymo tribuit, lib. v, cap. 16, a quo satis aperte Apollonium distinguit cap. 18. Eusebius Apollonium scripsisse dicit Ὄνον σύγγραμμα,Hieronymus illud appellat *insigne et longum volumen*, cum ipse, scilicet, ei addidisset tres alios libros ab anonymo conscriptos. Imo et idem anonymi Opus Rhodoni etiam attribuit.« Miltiades, inquit, cujus Rhodon in opere suo, quod adversus Montanum, Priscillam Maximillamque composuit, recordatur. » Cum ille qui Miltiadis meminit,idem sit qui tradidit Montanum et Maximillam suspendio vitam finiisse Hæc Hieronymus itaque ex suo addidit. Nam quod Gravius pro *Rhodone Apollinarium* legit, nec errorem tollit, nec Hieronymo convenit, qui Rhodonem *composuisse* ait *adversum Cataphrygas insigne opus*. Ut aliquid de tempore notem. quod præsenti rei magis convenit. Hieronymus in Catalogo,v.Clemens,hæc habet : « Exstat Alexandri Hierosolymorum episcopi,qui cum Narcisso postea rexit Ecclesiam,epistola super ordinatione Asclepiadis confessoris ad Antiochenses.Quasi Alexander aut Hierosolymorum episcopus fuerit priusquam cum Narcisso Ecclesiam regeret. aut Epistolam tum scriberet,cum Hierosolymorum episcopus esset : eam, inquam, epistolam, quam per Clementem Alexandrinum misisse se significat,qui ante episcopatum ejus Hierosolymitanum mortuus videtur esse. Mirum igitur omnino non est, si Hieronymus sententiam Ignatii ab Irenæo citatam ex Eusebio depromens, in tempore aut occasione erraret.Quinimo de ipso Ignatio non magis accurate loquitur; cum enim epistolas ab eo Smyrnæ scriptas commemorasset,*et inde*.inquit« egrediens scripsit ad Philadelpheos et ad Smyrnæos,et proprie ad Polycarpum.commendans illi Antiochensem Ecclesiam.«Crederes Ignatium has epistolas vel e Smyrnæ suburbio, vel a primo, aut secundo lapide scripsisse ; quod enim quis egrediens fecisse dicitur, id in ipso egressu vel cum egrederetur peregisse intelligendus videtur.Sed has epistolas Ignatius,ut Eusebius,a quo hæc habuit Hieronymus, et epistolæ ipsæ testantur,Troade scripsit,ad quam a Smyrna aliquot dierum iter fuit ; ibique aliquandiu permansit Ignatius,et de pacatiori Antiochiæ statu aliquid audivit. priusquam Polycarpo Antiochensem Ecclesiam commendavit.Non est igitur aut abbre-

viationibus aut exaggerationibus Hieronymi fidendum, ubi auctores ipsos habemus, quos illum secutum esse constat.

Ad Acta martyrii quod attinet, non illa sunt quæ ætate S. Irenæi exstabant, sed alia plane, sexto vel septimo sæculo ficta, et fabulosis narrationibus aucta; quibus Ignatium quasi in amphitheatro loquentem introducunt, quem ne unum tunc verbum dixisse antiquissima Acta narrant. Illius igitur Historiæ conditor sententias Ignatio quasi viva voce prolatas attribuit, quas ex illius epistolis ipse excerpsit idque non tantum ex genuinis, sed etiam ex fictis. Ut illuc ab eo coram Trajano dictum narrat: Τίνας δὲ ἡμῶν ἔγνως στάσιν καὶ πόλεμον ἀγαπῶντας; οὐχὶ δὲ καὶ ὑποτασσομένους ἄρχουσιν, ἐν οἷς ἀκίνδυνος ἡ ὑποταγή; Vetus Interpres: *Quem enim nostrum cognovisti bellum meditari? et non potius subjectos esse principibus, ubi non est periculosa subjectio?* Quod est ex Epistola ad Antiochenos depromptum. Ut etiam Menæa illud referunt: Ἐκραξε σὺν πόθῳ ἐν μέσῳ τῶν κινδύνων· Χριστὸν διώκω χαίρων, Χριστῳ συνεσταύρωμαι· ζῶ δὲ, οὐκέτι μὲν ἐγὼ, ζῇ δὲ, φησὶν, ἐν ἐμοὶ μόνος Χριστός. *Clamavit cum desiderio in mediis periculis: « Christum gaudens insequor; cum Christo crucifixus sum; vivo autem jam non ego; vivit vero in me, inquit, solus Christus* [1], » ex interpolata epistola ad Romanos. Talia non pauca posteriores Actorum consarcinatores Ignatio attribuunt, quasi ab eo in ipsa veluti arena pronuntiata, quæ ipsi nunquam fama tanquam martyris apophthegmata acceperant, sed ex epistolis, quales suo ævo exstiterunt, desumpserant. Eodem igitur modo hæc martyris sententia, quam Irenæus citavit, in Actis aliquot sæculis postea conscriptis, a consarcinatore Ignatio in extremo agone tribuitur, non ex fama, non ex antiquioribus Actis, in quibus non apparet, sed ex epistola ad Romanos deprompta, et ad rem præsentem applicata; unde postea Symeo Logothetes huic sententiæ alia ex eadem epistola superaddidit, quasi eodem tempore prolata, ὥστε Θεοῦ ἐπιτυχεῖν, et οὗπερ ἐρῶ. Cum igitur sententia ab Irenæo citata in epistola ad Romanos exstet, cum nulla unquam vetustissimos scriptores apophthegmatum Ignatii apud mentio facta sit, et apophthegmatis nomen in hac re a Maximo ad effugium suum tutandum tam infeliciter excogitatum sit, cum antiquissima martyrii Ignatiani Acta nec hanc nec similem aliquam sententiam commemoraverint, posteriora autem Acta sententias ex epistolis tum genuinis, tum interpolatis, tum etiam fictis excerpserint, quas sanctissimo martyris ori in ipso agone insererent, *frivolum et inaptum est*, eam sententiam ab Irænco *aliunde quam ex hac ipsa epistola citatam esse hariolari.*

Confugit igitur vir doctissimus ad argumentum negativum, tanquam ad asylum tutissimum, asseritque Irenæum *hæc verba nec sumpsisse nec sumere potuisse* ex hac epistola ad Romanos, *quod ea Irenæo ignota fuerit*; ignotam autem ei hanc fuisse, quod cæteræ Ignatii epistolæ, quas nostri eodem cum hoc volumine a Polycarpo collectas et ordinatas fatentur, Irenæo ignotæ fuerint. Cæteras ei plane ignotas fuisse hoc argumento capite quinto probare conatur. Irenæus hæreticos ante se omnes argumentis ex traditione et testimonio ductis refutat. Sunt autem in epistolis Ignatii loca quamplurima ad illud argumentum luculentissima: hæc fuse suo more probat. Habuit igitur causam idoneam et pene necessariam ea loca ex epistolis recitandi, vel sane indicandi. At eas ne uno verbo memoravisse, nec omnino nutu significasse deprehenditur: imo ne unum ex iis μῦ. Plane ergo eas ignoravit.

Quamvis facile et breviter respondeatur celebrem sententiam ex epistola ad Romanos ab Irenæo adductam esse, idque fuisse ab Eusebio observatum non semel, et a multis aliis etiam agnitum, nec a quopiam ante hoc sæculum negatum, a nobis etiam probatum atque confirmatum; nec Irenæum, qui hanc ad Romanos epistolam novit, cæteras eodem volumine comprehensas et Polycarpi epistolæ subjectas ignorare potuisse; multa tamen hic reponenda sunt. Cum enim magna diligentia usus sit vir doctissimus, ut nihil ageret: ego non minori mihi utendum puto, ut eum nihil egisse omnibus appareat. Sepositа igitur imprasentiarum illa unica sententia, licet Irénæus loca nulla ad institutum opportuna ex Ignatio citaverit intimaveritve; tamen non sindesequitur epistolas illi fuisse ignotas: neque Dallæana argumenta persuadent Irenæum necessario uti voluisse talibus testimoniis, si ei cognita fuissent. Imo multo verisimilius est supposito quod Ignatiana ei fuissent cognitissima, ut nostri affirmant, si scribendi modum ab eo observatum spectemus, a sententiarum excerptione abstinere potius voluisse, quemadmodum revera abstinuisse dicitur.

Quinque libros adversus hæreses scripsit S. Irenæus sane præclaros, non eodem tempore aut continuo, ut ex præfationibus videtur. Tertium autem librum scimus sub Eleutheri pontificatu scriptum fuisse; quem cum 15 annos sedisse scribant veteres, circa quem annum librum eum scripserit Irenæus, nondum compertum est. Circa posteriora Eleutheri tempora editum fuisse librum tertium ego non dubito, cum etiam primo, quem ad eum cui opus suum dedicavit, aliquo ante tempore missum fuisse ex ipso scimus, Encratitarum hæresim describat, quam primo a Tatiano acceperant. Tatianum autem ipse affirmat, vivo adhuc Justino, nulla hæretica doctrina infectum fuisse. Post martyrium Justini ab Ecclesia recessit, et, teste Epiphanio, in Orientem se contulit, ubi hæresim partim ex Saturnini et Marcionis placitis, partim ex Valentini deliriis, additis etiam de suo aliquibus, conflavit. Ex eo Encratitæ nati, et in Occidentem etiam disseminati, sub Marco Antonino innotescere in Gallia non potuerunt; neque Irenæus nisi sub

[1] Gal, 16, 20.

Commodo, et adulto jam Eleutheri pontificatu, eos tam graphice depingere potuit.Quinetiam Theodotionis versionem memorat lib. III, cap. 24, qui primo ἐκ τῆς διαδοχῆς Μαρκίωνος erat, e castris Marcionitarum ad Ebionæos transfugit, et cum circumcisus esset, linguam Hebræam didicit ; versionem Veteris Testamenti tandem elaboravit, et, teste Epiphanio, sub Commodo imperatore edidit. Priores igitur tres libros sub Eleuthero quidem scriptos constat, sed vergente jam ad finem ejus pontificatu ; reliquos aut sub Eleuthero jam exeunte, aut sub ineunte Victore exaratos patet.

Quare ante Irenæum scripsere viri in Ecclesia celeberrimi,Barnabas,Clemens, Hermas, Ignatius, Polycarpus,Papias, Quadratus, Aristides, Agrippa, Castor, Justinus, Melito, Athenagoras,Theophilus, Dionysius Corinthiorum,Apollinarius,Hierapolitarum episcopus, et Hegesippus ; Irenæus igitur *omnium doctrinarum curiosissimus explorator*, ut eum appellat Tertullianus,scripta horum omnium optime novit ; saltem,Dallæo fatente, sine quo argumenti negativi vis omnino nulla. hoc supponere jure possumus.At ex his aliquot ab Irenæo nullibi nominantur ; nullæ ex illis sententiæ excerpuntur, et ad testimonium adversus hæreticos ferendum adhibentur. Quales sunt Barnabas, Quadratus. Aristides, Agrippa, Melito, Athenagoras, Theophilus, Dionysius, Hegesippus : numero certe plures quam qui ab eo nominantur. An hos omnes ideo Irenæo incognitos fuisse dicent, quod ab illo in libris quos nunc habemus, cum plures perierint, non commemorentur ?Barnabas,Clementi Alexandrino sæpe citatus et exscriptus.Irenæi Synchrono : Quadrati et Aristidis apologiæ notissimæ, omnibusque charissimæ, quod Adriano imperatori oblatæ persecutionem restinxerint. Agrippa Castor Eusebio γνωριμώτατος συγγραφεύς, Hieronymo *vir valde doctus*. Melitionis *elegans et declamatorium ingenium* laudavit Tertullianus : Dionysius *magnæ eloquentiæ fuit*. Hegesippus *vicinus apostolicorum temporum*, teste Hieronymo. Scriptores igitur tam præclaros ignorare non potuit Irenæus;quare iidem nec nominati nec ignoti fuere, et perperam plane infertur, aliquem fuisse Irenæo penitus ignotum, quod ab eo in his quos habemus ejus libris non fuerit nominatus.

Dices fortasse sententias Ignatianas ad Irenæi argumentum esse idoneas, illorum non item : causam habuisse eum Ignatium nominandi justam atque necessariam, illos autem commemorandi nullam Imo vero nec huic effugio hic locutus est. Sunt in epistola Barnabæ loca quamplurima quæ hæreticos,contra quos scripsit Irenæus, aperte refellunt.Multa habet quæ Patrem Christi mundi conditorem constituunt ; de qua re tam prolixe agit Irenæus,et pro qua sola Clementis epistolam citavit : de Moysis et prophetarum scriptis plurima, quæ huic sententiæ tanquam fundamento innituntur: *Prophetæ ab ipso habentes donum in illum prophetaverunt*, et ex diametro pugnant cum iis quæ cione dicebantur ; multa quæ ad suam γνῶσι sticumque trahebat Clemens Alexandrinus adv illos qui ἀπὸ ψευδωνύμου γνώσεως gnostici bantur. Quadratus Adriano porrexit librum p ligione nostra compositum, ἐξ οὗ κατιδεῖν ἔστι πρὰ τεκμήρια τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας, κα στολικῆς ὀρθοτομίας, ut loquitur Eusebius, *l valde utilem plenumque rationis et fidei, et apo doctrina dignum*, teste Hieronymo. At qui fidei et doctrinæ apostolicæ fuit,id omne ad tandos Irenæanos hæreticos non potuit non utile et idoneum ; præsertim cum fuerit ab e ptum, qui *plurimos a se visos,qui sub Domino in Judæa oppressi calamitatibus sanati fu qui a mortuis resurrexerunt*, ut soltem sua superfuisse, testatus est. Quod etiam pari Aristide sentiendum,qui teste Hieronymo,*vo nostri dogmatis rationem continens eodem te quo et Quadratus Adriano principi dedit*.Quod nostri dogmatis rationem continet,fundamer rum hæreticorum necessario evertit.Idem eti Apollinario,Asiæ Hierapolitano episcopo,dice qui M. Antonio *insigne volumen pro fide Ch norum dedit*, ut et de Melitone. Theophilu imperatore M. Antonino librum contra Marci composuit : alium contra Hermogenis hæresi scripsit.Agrippa Castor *adversum Basilidis ha volumina, quæ in Evangelium confecerat, fort disseruit*. Melito ante libellum supplicem M. nino datum multa scripserat de prophetis.de sia, de fide, de generatione Jesu Christi,de l natione Dei ; Athenagoras etiam,præter Apolo de Resurrectione scripserat, quæ omnia ad mentum Irenæi pertinebant. Denique, ut Eusebius *Hist. eccles.*, l. IV. c. 21 : *Iisdem ten bus in Ecclesia floruit Hegesippus, et Dionysiu rinthiorum episcopus, Pinytus quoque Crete episcopus, Philippus præterea et Apollinaris,e lito, Musanus etiam et Modestus*, καὶ ἐπὶ πᾶσ ρηναῖος *et postremo*, seu *post hos omnes Ir* At, eodem teste,Philippus luculentissimum li contra Marcionem composuit.Modestus præc errores ejus omnibus spectandos exibuit;Mu librum ἐπιστρεπτικώτατον adversus Encratita primum exortos scripsit ; neque tamen hort juspiam Irenæus meminit. Hi cum Irenæo n tuerint esse incogniti, et multa in libris sui editis habuerint,quæ ad argumentum ejus f idonea, non tamen erant ab eo nominati.Ma tur a Dallæo tam peremptorie asseritur, auc aliquem etiam præclarum fuisse Irenæo p ignotum, ideo tantum, quia opportuna occ ablata eum minime nominavit.

Rursus Hermas, Clemens, Polycarpus, P Justinus,ex multis qui ante ipsum scripsere fuerunt ab Irenæo quidem nominati ; sed an ex illis loca ad argumentum suum luculenta de Ignatio postulat vir doctissimus,excerpsi

libros suos congessit ? minime. Clementis epistolam continere ait *traditionem annuntiantem unum Deum omnipotentem factorem cœli et terræ* (neque mirum, cujus enim catholici scriptoris opus hoc non continet ?) ; sed ne unam quidem ex ea epistola sententiam eo loci affert, aut alibi vel unum μῦ exprimit. Polycarpum etiam ibidem laudat, et epistolam ejus ad Philippenses memorat ; sed ne unam quidem syllabam ex ejus scriptis, vel ad confutandos hæreticos, vel in alium finem adducit. Papiam etiam nominat, et narratiunculam ex eo adducit, non tam contra hæreticos quam ad Chiliastarum dogma confirmandum, quod illi unus Papias persuaserat, teste Eusebio lib. III, ad finem, et Hieronymo in Catalogo. Ex unico Justino, qui sua ætate vixit, duas sententias protulit, ex Herma unam. E tot igitur scriptoribus, quorum nomina ad nos pervenerunt, quatuor tantum sententias in tam prolixo tamque accurato et erudito opere excerpsit, quarum una ex epistola Ignatii desumpta est. Quare frustra Dallæus tot sententias ex commentitiis, tot ex interpolatis tot ex genuinis Ignatii epistolis deprompsit ; possumus enim longe plures ex auctoribus et quidem celeberrimis qui ante Irenæum scripserunt afferre, quarum nullas ille attigit, etiam ex illis, quos Irenæum novisse certissimum est.

Sed Athanasium et Bellarminum, Theodoretum et Gelasium mire conjungit et nostris objicit, qui tot loca ex Ignatio produxerunt. Tum vero, « Obsecro tuam fidem, *inquit*, hæc Ignatiana Athanasius et Theodoretus contra Arianos et Eutychianos, in quos, utpote nondum exortos, scripta non sunt, adducerent tamen et recitarent ? Irenæus eadem his ipsis in quos proprie scripta sunt, Gnosticis, Valentinianis, Docetis non objicerent ? » Non nunc disputo, contra quos Ignatiana proprie scripta sint, de qua re fortasse aliquando et fuse et accurate disserendum erit. Satis est, quod Eusebius nos docuit, et res ipsa testatur eum contra sui temporis hæreticos scripsisse ; satis est, sive contra aliquos, sive contra nullos diserte, ut Clemens Romanus, scripserit, auctoritatem viri sanctissimi antiquissimique multum valere contra hæreticos quocunque sæculo exortos. Id dico quod hujus argumenti vim omnem prorsus elidit et pessundat : poterat Athanasius non pauca ex nostris Ignatii epistolis proferre loca, quæ Arianam hæresim diserte peterent, cum eas ante illius hæreseos exortum scriptas fuisse etiam adversarii omnes fateantur. Varios ille quidem libros adversus Arianos fortissimosque conscripsit, auctoritate tamen Ignatii nunquam eos premit, nullam ex ejus scriptis sententiam iis opponit. In epistola quadam, πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ γνωρίμους, *ad familiares*, seu *discipulos suos*, ut eam indigitat Socrates, disputat primo contra Arianos, dein cum illis agit, quos Arianos esse negat, quos omnia alia a Nicæna synodo scripta recipere, præter unicam vocem ὁμοούσιον testatur, quos ἀγαπητούς, *dilectos* appellat, ad quos *tanquam frater ad fratres* loquitur, quibus eadem esset cum ipso sententia, controversia autem de verbis tantum. Ad hos posteriorem partem epistolæ dirigit a pagina 915 incipientem ; quam male interrumpit, pagina frequenti, Latina interpretatio : « Nos vero iterum impetentes eos, qui Verbum creaturam esse dicunt nec eum volunt legitimum et naturalem filium esse, ostendimus eos ex humanis exemplis patris et filii adversum se rationes et demonstrationes accipere. Quæ verba et tenorem dissertationis pertubant, et personas atque res ipsas mire confundunt. Græca ita se habent : Καὶ οὗτοι γοῦν ἐνιστάμενοι πάλιν πρὸς τοὺς κτίσμα λέγοντας εἶναι τὸν Λόγον, καὶ μὴ θέλοντας αὐτὸν γνήσιον Υἱὸν εἶναι, ἐξ ἀνθρωπίνων παραδειγμάτων υἱοῦ καὶ πατρὸς εἰλήφασι τὰς κατ' αὐτῶν ἀποδείξεις. *Rursus etiam ipsi* (scilicet quos fratres appellaverat) « disputantes adversus eos qui Verbum creaturam esse dicunt, nec proprium Filium esse volunt » (scilicet Arianos), « ex humanis exemplis patris et filii, contra eos » (Arianos) « demonstrationes sumpserunt. » Hi igitur, quibuscum agit Athanasius, contra Arianos disputabant, eamdem fidem cum Athanasio profitebantur ; vocem autem ὁμοούσιον nondum admittebant, idque propter reverentiam et honorem erga eos Patres, qui Paulum Samosatensem condemnaverant. Athanasius ut hunc iis scrupulum evellat, docet non esse contendendum, si prior synodus ὁμοούσιον rejiceret, posterior commendaret : id enim ex diverso sensu factum esse. Dein exemplum producit sanctorum Patrum, qui ἀγέννητον aliter atque aliter acceperunt. Ignatius, inquit, Dominum tum γεννητόν, tum ἀγέννητον ; alii post Ignatium dixerunt, ἓν τὸ ἀγέννητον ὁ Πατήρ, *solus Pater ingenitus*. Recte autem et Ignatius, et illi secundum diversum sensum, cui ipsi cum scriberent attenderunt. Hæc ille. Obsecro igitur tuam fidem, quot loca ex Ignatio Athanasius adversus Arianos produxit ? ut tibi videtur, unum ; ut mihi, ne unum quidem. Quod igitur de Athanasio verum esse scimus, quidni et de Irenæo dicamus ? Quamplurima ex professo contra Arianos scripsit Athanasius, plura quam ab Irenæo contra omnes hæreticos scripta habemus. Multa in Ignatio sunt ad refellendos Arianos satis luculenta nullam tamen ex illo sententiam adversus eos adduxit, ne Ignatium ipsum nominavit ; et tamen illum optime novit, et semel ad dilectos et fratres suos citavit. Irenæus pariter nihil adversus hæreticos ex Ignatii epistolis deprompsit ; eas tamen optime novit, et semel obiter citavit.

At Theodoretus plura, recte, sed quid hoc ad Irenæum ? Hic secundo, ille quinto sæculo scripsit. Nos autem ante docuimus, circa finem quarti sæculi primum ex longa experientia observatum esse, hæreses et schismata disputationibus tolli non potuisse ; et certissimum remedium fore τὰς ἐκδόσεις τῶν παλαιῶν in testimonium adductas. Quod Theodosio et Nectario primus omnium Sisinnius persuasit. Post igitur severam Theodosii legem contra hæreticos latam, illi paulo sapientiores facti, admi-

serunt eorum Patrum testimonia,qui ante divisionem ortam scripserant, et celebres in Ecclesia fuerunt. Ante hanc ætatem non videmus ecclesiasticos scriptores catalogos Patrum texentes,et confertas sententias ex eorum scriptis contra hæreticos promentes.Quinto demum sæculo hoc factum, et a Theodoreto inter primos ; ante illud tempus parcius et obiter ;ætate autem Irenæi id fieri nullo jure potuit.Hæretici enim, contra quos ille scripsit, vetustioribus catholicis nihil tribuebant ; omnia eorum scripta flocci faciebant,libros quamplurimos apocryphos a suis compositos, suisque tantum notos sub antiquorum nomine proferebant plurima etiam evangelistarum et apostolorum scripta respuebant, multaque commenti sunt. contra quæ nemo veterum quidquam disseruerat.Irenæus ut hos refutaret, libro primo sententiam eorum aperuit, secundo rationibus subvertit, tertio Scripturas et traditionem adhibuit, quod ad eam hæretici aliquando provocarent, quarto ex Veteri Testamento præcipue disputavit, quinto ex reliquis doctrinis Domini nostri,et ex apostolicis epistolis, ut ipse in Præfationibus profitetur. Nunquam se usurum testimoniis veterum adversus eorum sententiam testatur,nunquam ulla loca ad eam rem idonea exscribit,et si quem forte adducit ad traditionem firmandam tantum nominat ; sententiam quidem Justini laudat contra Marcionem fervidam et zeli plenam; at Marcion Justino antiquior fuit,et auctoritas ejus ad revincendos Marcionitarum errores nihil valebat, neque in eum finem est adducta. Dispar itaque omnino ratio Irenæi et Theodoreti : non eadem utrique mens, aut occasio in scribendo fuit. Frustra igitur et sine ullo fundamento asserit vir doctissimus, cum tot loca ex Ignatio Theodoretus produxerit,Irenæum etiam non pauciora adducere debuisse, si Ignatium epistolicum novisset.

Verumenimvero, « est et aliud, *inquit* quo hæc Ignatiana omnia Irenæus plane nescivisse deprehenditur. Solet enim ille præstantium virorum se vetustiorum sententias et ῥήσεις,sive scriptas,sive viva voce ab iis prolatas,non nominatis auctoribus afferre ac recitare.»Nullas Ignatii suo operi inspersit.Nullas ergo epistolas scivit. Nullæ ergo tum extiterunt.Imo vero si sententias, quas vir doctissimus intelligit,consideremus, etsi multo plures essent, nemo unquam ideo concluderet, necessario etiam eum aliquas ex Ignatianis usurpare voluisse. Primam ab aliquo se præstantiore in præfatione refert venustam sane atque elegantem : Ὅτι λίθον τὸν τίμιον σμάραγδον ὄντα, καὶ πολυτίμητόν τισιν ὕαλος ἐνυβρίζει διὰ τέχνης παρομοιουμένη, ὁπόταν μὴ παρῇ ὁ σθένων δοκιμάσαι καὶ τέχνῃ διελέγξαι τὴν πανούργως γενομένην. Vetus interpres : « Quomodo lapidem pretiosum smaragdum magni pretii apud quosdam vitreum in ejus contumeliam per artem assimilatum quoadusque non adest qui potest probare, et artificium arguere quod subdole sit factum ; » et aliam etiam ab eodem ut videtur, ὅτι τολμηρὸν καὶ ἀναιδὲς ψυχῇ κενῷ ἀέρι θερμένῃ, pari venustate et elegantia conspicua vero,Dallæe,ex his colligere potes, necessarium ex epistolis Ignatianis sententias ha voluisse, si scivisset ? Tu, inquam, qui esse omnes tristes, salebrosas, rudes et incultas Tu, qui orationem tanquam horridam et to instar per confragosa montium,per abrupta et cautes et præcipitia vix enitentis accusa qui magnam sensuum ubique obscuritatem, nullum vel malignum verborum inter se observas ? Tu,qui prisca Loxiæ Apollinis o vel Sibyllarum folia legere te credis ? Sic eni putas. Irenæus operi suo τηλουγὲς πρόσωπον suit, præfationem eleganti quadam veterum jus sententia adornavit,et aliam similis ven alibi adhibuit ; Ignatiana igitur prorsus igno aliter rudem aliquam et incultam, tristem e brosam sententiam ad commentarios suos nandos et illuminandos produxisset. A divin dam sene, et veritatis præcone versus qu iambicos adversus Marcum hæreticum effus dat, quos hic a Scaligero, atque Petavio su meris restitutos repræsento :

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἃ σοὶ χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατᾶν ἀεὶ
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν,
Ἔχων σε πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας.

Quorum restitutio veteri versione maxime firmatur :

Idolorum fabricator Marce, et portentor [*specl*
Astrologiæ cognitor, et magicæ artis,
Per quas confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,
Quæ tibi præstat tuus pater Satanas
Per angelicam virtutem Azazel facere,
Habens te præcursorem contrariæ adversus [*nequit*

Posteriores Petavius metrice reddens mi pressit :

Hæc tu illa Satanæ fretus auxilio patris,
Azazelisque mira designas ope,
Præcursor illi fraudis in Superos datus.

Hæc enim Marcum Satanæ, aut Azazelis præ rem faciunt ; cum divinus ille senex eum c bere voluerit, tanquam Antichristi præcurs quod hic significat ἀντίθεος πανουργία Jam v Ignatianis an aliquid simile petere potuit Ire si ea novisset ? aut quisquam non novisse af bit,quia qui versiculos aliunde in Marcum c sit,nihil illi ex Ignatio aspersit ?Cujusdam a de duplici vocabuli *Filii* acceptione observat ad interpretationem S. Scripturæ pertinente IV, cap. 79 affert. Vult enim impios et infide sacris Litteris *filios et angelos diaboli* dici ; ve autem alicujus testimonium affert, qui *Filiu* pliciter intelligi dixit,aut de nato,aut de fac

secundum naturam et conditionem, aut secundum doctrinæ magisterium : « Qui enim eloctus est verbo, filius docentis esse dicitur, et ille ejus pater ». Deinde ea Clemens Alexandrinus, αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμέν, et Gregorius Nazianzenus :

Αὐτὰρ ἐμοὶ τοκέες μὲν ὅσοι καλὸν ἐξεδίδαξαν,
Πατέρες ὃ οὐκ ἐδίδαξα.

An autem qui e veteribus unum, qui simili modo ante ipsum Scripturas interpretatus est, ne novum sensum illis affixisse videretur, adduxit : ideo aut aliquid ex Ignatianis citare debuerit, aut ea ipsi ignota non concedere debeamus, in quibus talia nec inveniri nec exspectari potuerunt ?

Quod si hæc ad sententiam viri doctissimi confirmandam parum valere videantur, certe reliqua omnino nihil. Sunt enim tantum virorum quorumdam, non scripto sed viva voce prolata testimonia; quæ recte ἀπομνημονεύματα Eusebius appellat, lib. v, cap. 8, καὶ ἀπομνημονευμάτων Ἀποστολικοῦ τινος πρεσβυτέρου, οὗ τοὔνομα σιωπῇ παρέδωκε, μνημονεύει. Ruffinus interpres : « Sed et apostolici cujusdam viri, cujus nomen reticuit, sermonis quasi memoriter meminit ». Sic Marci Evangelium credebant veteres nihil aliud fuisse quam Petri ἀπομνημονεύματα. Ita Papias apud Euseb., l. III, cap. 39 : Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν ; et rursus : Ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπεμνημόνευσε. Ut Cynici cujusdam verba de Peregrino ex memoria recitare se fideliter profitetur Lucianus, καὶ ὡς ἂν αὐτός τε ὢν πειράσομαί σοι αὐτὰ ἐκεῖνα ἀπομνημονεῦσαι ὡς ἐλέγετο. Sic igitur Irenæus lib. IV, cap. 5 : « Quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audierat ab his qui apostolos viderant, et ab his quid didicerant ». Ubi diligenter observandum est Irenæum hic plane Papiam fuisse imitatum, a quo doctrinam mille annorum accepit; sis enim Papias ex memoriæ mandavit quæ a veteribus hoc modo didicerat, ut ipse de se testatur : Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους, τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, ἢ τί Φίλιππος, ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος, ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος, ἢ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἅτε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταὶ λέγουσιν· οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ἀπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης. « Quod si quis interdum mihi occurrebat qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar quænam essent seniorum dicta : quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes quid Matthæus quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent, quidnam Aristion et Joannes presbyter discipuli Domini traderent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce ». Quæsivit Papias a senioribus quid illi ab apostolis aut discipulis audiverant, et quæ ab illis acceperat scripsit, καὶ οὕτω, inquit, ὁ πρεσβύτερος ἔλεγεν. Irenæus, Papia junior, exemplo ejus nimis permotus, quæsivit pariter a senioribus, quid illi audiverant ab iis, qui apostolorum discipulos viderant, et cum hæc viva voce prolata sibique tradita scriptis præferret, quæ ab illis acceperat pariter scripsit. Horum igitur seniorum auctoritate et testimonio, ad firmandam traditionem nonnunquam, sæpius ad suas, de annis Christi quos egit in terris, de illis quos ibidem iteram acturus est, de mortuorum statu, de bestiæ Apocalypticæ numero, privatas opiniones stabiliendas utitur. Sed quid inde sequitur ? an illud in primis, Irenæo ignota fuisse Ignatiana omnia, quia nihil ab eo scriptum inter hæc omnia testimonia reperitur ? minime. Ignatium consulere non potuit Irenæus, qui illo mortuo natus est. Seniores Irenæo recitant quid audiverant, id Ignatius diu ante bestiis oblatus facere non potuit. Frustra igitur eum inter seniores illos sua suffragia afferentem quæras. Seniores illi, quid voce viva audiverant, non quid in scriptis legerant, narraverunt; frustra igitur etiam sententiam aliquam ab Ignatio scriptam ab illis exspectes Ignatius ipse ad bestias condemnatus, et Ecclesias in itinere confirmans, non ut Papias σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, quid ab hujus vel illius apostoli, vel discipuli ore vel ipse vel alii acceperant, in epistolas scripsit : hinc igitur colligi nullo modo potest, ejus epistolas ab Irenæo laudari debuisse, aut eo nomine ipsi ignotas fuisse.

Nondum igitur *res satis confecta* videri debuit, sed eam *multo luculentius ex quodam ejusdem Scriptoris loco* probare se posse putat vir doctissimus ; ille, scilicet quo ad Ecclesias duas epistolas memorat, unam Clementis ad Corinthios, alteram Polycarpi ad Philippenses. Quare *hic rogat, cur, si ei notus erat noster Ignatius, illius loco tam opportuno tamque necessario nullus meminerit ?* Respondeat non tam pro nobis quam pro seipso jam Irenæus. Nos enim multo tutiores sumus a Dallæi conjecturis, quam S. Irenæus ab ejusdem censura. Sic igitur ille lib. III, cap. 3 : « Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire ; et habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab eis deliratur ». Traditio igitur secundum Irenæum erat in omni Ecclesia Romana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, reliquisque, et si voluisset, poterat numerare omnes episcopos ab apostolis institutos, « quos successores reliquerant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, *et eorum etiam successores*. Sed quoniam, *inquit*, in hoc tali volumine longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, et antiquæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenien-

tem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos ». Tunc inter alios Romæ episcopos Clementem enumerat, *qui et vidit ipsos apostolos et contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet*, traditque Romæ Ecclesiam sub hoc Clemente, scripsisse epistolam ad Corinthios, *ad pacem eos congregantem, et reparantem fidem eorum, et annuntiantem quam ab apostolis receperat traditionem*. Meminit igitur Clementis et epistolæ sub ejus pontificatu scriptæ, quare non et Ignatii ? respondeo quia Ignatius Romæ episcopus nunquam fuit, sub eo Ecclesia Romana epistolas scribere non potuit. Statuit autem Irenæus de traditione ad Romanam Ecclesiam pertinente tantum loqui. *Inerter ac flagitiose*, dicet Dallæus fortasse. Certe ita fecit Irenæus, et cur sic argumentum adversus hæreticos instituerit, rationem reddidit, quod *propter potentiorem* illius Ecclesiæ *principalitatem*, ejus solius traditio omnes hæreticos confunderet. Quæ quidem ratio Irenæum, etsi Ignatii eo loci non meminerit, apud me flagitiosissimi silentii crimine absolvit ; viderint Dallæani si adhuc reum teneant. At præter Clementem etiam Polycarpi meminit epistolæque ejus ad Philippenses : quare igitur non et Ignatii, Polycarpo senioris, cujus epistolæ illi ad Philippenses erant adjunctæ ? *Memorandi certe ratio utriusque par erat, Ignatii vero etiam potior*. Priusquam respondeo de Irenæo, quæro pariter de Tertulliano. Concedes, opinor, eum bene novisse, Ignatium fuisse Ecclesiæ Antiochenæ episcopum et ab apostolis ordinatum, etiamsi epistolas ejus ignorasse putes. Quæro igitur cum Ecclesias apostolicas memorat, *De præscriptione hæreticorum*, cap. 32, cur Ignatii aut Ecclesiæ Antiochenæ non meminit ? « Hoc modo, *inquit* Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt ; sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem ». Nullam aliam Ecclesiam apostolicam nominavit. Quid ? nonne novit Ignatium Polycarpo fuisse seniorem ? nonne existimavit S. Petrum fuisse Antiochiæ prius quam Romæ ? Quare igitur Antiochenam Ecclesiam et episcopum ejus Ignatium non commemoravit ? Nempe *inerter et flagitiose* fecit : certe Irenæum imitatus et secutus est. Quocirca si jam quæras, quare Irenæus Polycarpi meminit, non autem Ignatii ; causa in promptu est ; quia traditionem solius Ecclesiæ Romanæ proposuerat, ad quam confirmandam adversus hæreticos, auctoritas Polycarpi plurimum faciebat, Ignatii nihil. Hanc rationem ipse indicat. « Is enim, *inquit*, est, qui sub Aniceto cum advenisset in Urbem, multos ex his quos prædiximus hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab apostolis percepisse se, quam et Ecclesia tradidit ». Ad confirmandam Romanæ Ecclesiæ traditionem adducit Polycarpum, quem ipse viderat, quod venerandus ille senex Romæ adesset, quod eadem cum Romanis prædicasset, quod multos ex hæreticis, contra quos hi libri exarati sunt, ad catholicam fidem Romæ converterit, et Romanæ Ecclesiæ reconciliaverit. quod quid S. Joannes de Cerintho senserit, quid ipse de Marcione, testatus sit. Horum vero nihil de Ignatio dici potuit. Epistolæ quidem ejus obiter meminit, sed ne μῦ ex illa adducit ; ne id quidem dicit eam continere eamdem traditionem quæ in Romana Ecclesia obtinuit. Polycarpum itaque ideo tantum citavit, quod Romæ eadem cum Romana Ecclesia docuerit, et hæreticis ibidem restiterit. Nec erat *utriusque nominandi par ratio*.

Quod addit vir doctissimus, Irenæum in epistola ad Florinum Polycarpi mentionem fecisse, non autem Ignatii, cujus epistolæ multa contra Florini blasphemiam continent, id omnino vim nullam habet. Blasphemia quam tunc temporis tuebatur Florinus, ipsi peculiaris fuit, utpote quam hæretici qui extra Ecclesiam erant, nunquam profiteri ausi sint. Postea quidem, teste Eusebio, descivit ad Valentinianos. Epistola autem Irenæi tantummodo pro argumento habuit, quod *Deus non sit auctor malorum* [4], nam licet, alter titulus Περὶ μοναρχίας ostendere videatur Florinum duo principia invexisse et Marcionis ac Cerdonis dogmatibus adhæsisse, ut observat doctissimus Valesius ; tamen cum Irenæus ipse dogmata Florini asserat ab hæreticis nunquam fuisse tradita, et Eusebius addat, ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης. οὗτος ἐδόκει προασπίζειν, videtur Irenæus de illa re tantum disputasse adversus Florinum : « An, scilicet, Deus auctor esset malorum. » At quam multa, quæso, ad blasphemiam in ea re retundendam opportuna epistolæ Ignatii continent ? aut si continerent, unde liceret colligere sententias ex iis ad refellendum Florinum excerpere voluisse Irenæum ? Certe ab exemplo Polycarpi hoc nullo modo sequitur. Innuit quidem eum plures epistolas scripsisse, ne unam ex earum ulla sententiam adducit Ipsum nominat, sed eo loco quo πεφεισμένως, *parce* ac *leviter* cum Florino agit, quo ostendit seniores qui cum apostolis versati sunt, nihil tale eum docuisse. Eorum aliquibus familiarem fuisse Florinum noverat ; unum ex iis nominat, nempe Polycarpum ; eumque præcipue seligit, ob multas quas significat rationes. Primo, respectu Florini, qui Polycarpum audierat, sed et cum eo simul Irenæus, εἶδον γάρ σε, inquit, παῖς ὢν ἔτι ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ, καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. « Vidi enim te cum adhuc puer essem in inferiori Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, et magnopere laborantem ut te illi approbares ». Secundo, respectu sui ipsius, quem tanquam optimum ejusce rei testem depingit. quod quæ tunc audivit a Polycarpo, firmius memoriæ adhærerent, quam quæ nuper acciderant. Ταῦτα καὶ τότε σπουδαίως ἤκουον ὑπομνηματιζόμενος οὐκ ἐν χάρτῃ ἀλλ' ἐν τῇ ἐμῇ καρδίᾳ, καὶ ἀεὶ τὰτὰ ἀνατμή-

[4] Jac. I, 13.

ρωκῶμαι. «Hæc ego tunc studiosius audiebam non in charta, sed in corde meo audita describens, eademque apud me repeto et revolvo.» Tertio, ratione argumenti quod fortissimum putavit. Audivit enim tunc Polycarpum, quæ illi fuerat cum S. Joanne et reliquis qui Dominum viderant consuetudo, quænam ab illis de Christo relata perceperat, et quam illa omnia, quæ ab iis qui Verbum vitæ conspexerant, SS. Scripturis consentirent, diligenter observavit. Quod est ipsissimum argumentum quo toties Irenæus vel ad hæreticos refellendos, vel ad suas sententias confirmandas utitur. Nihil autem horum de Ignatio dicere potuit; cum eo nunquam versatus est Florinus; non vidit eum Irenæus; nunquam disserentem de apostolis aut discipulis Domini audivit, aut in epistolis legit. Rationes igitur satis multas habuit Irenæus, cur Polycarpum suo more potius quam Ignatium adversus Florini blasphemiam testem adduceret.

Quocirca cum notissimam S. Ignatii sententiam Irenæus citaverit, quam in epistola ejusdem ad Romanos totidem verbis scriptam reperimus : cum Eusebius Irenæum eam ex eadem epistola hausisse asserat, aliique post eum idem affirment: cum nulla omnino vis in illa distinctione inter *dixit* et *scripsit* appareat : cum nulla Ignatii apophthegmata in antiquissimis scriptoribus, aut Actis reperiantur, in posterioribus autem quæ exstant, ex epistolis certissime desumpta sint : cum denique nulla ratio hactenus excogitata sit, quæ reliquas Ignatii epistolas ignorasse Irenæum nobis persuadeat; rationes autem multæ suppetant, quæ nobis fidem faciant, nullam Irenæo Ignatium citandi occasionem iis locis oblatam fuisse, quibus adversarii justam et necessariam crepant; concludo « frivolum et ineptum esse, Irenæum aliunde quam ex » nostra Ignatii « epistola ad Romanos sententiam sumpsisse hariolari, » adeoque testimonium Irenæi ad confirmandam Ignatianorum auctoritatem a nostris recte et apposite afferri.

CAPUT VII.

Testimonia Origenis ab objectionibus vindicantur. I. Frustranea non sunt, quod errores Dallæi de ætate impostoris sui, et hallucinatione Eusebii refellunt; ac præterea quod argumentum negativum funditus evertunt. II. Falsa non sunt. Opus in Canticum canticorum est ipsius Origenis, non Latini auctoris, sed interpretis, et quidem Ruffini. Homiliæ in S. Lucam sunt ipsius Origenis, non Latini auctoris sed interpretis, et quidem Hieronymi.

Tertium a nobis ex Origene deductum est testimonium. Hoc primo vir doctissimus dicit esse frustraneum, secundo falsum. *Frustra*, inquit, « Origenis homilias annis circiter 140 post ultimum martyris certamen scriptas recitant. Serum enim hoc et inane Ignatianorum præsidium. « Respondeo primo hoc testimonium non esse frustraneum; quia duo immanes Dallæi errores vel hoc uno argumento, si alia deessent, manifestæ falsitatis revincerentur. Primus est, impostorem has epistolas nonnisi duo centis post Ignatium annis in lucem emisisse. Quomodo enim hoc fieri potuit, si 140 annis post ultimum martyris certamen easdem epistolas vidit, legit, duas quæ ex iis sententias exscripsit Origenes? An annis 60, antequam editæ sunt, eas laudare potuit Adamantius? Hoc unum testimonium quidquid in hoc opere proprium Dallæo est refellit et expungit. Salmasius et Albertinus diu ante Origenem natum epistolas sub Ignatii nomine scriptas fatentur; Blondellus antequam Origenes scriberet. Solus Dallæus, nisi forte addendus ei sit Bochartus, diu post Origenis mortem omnes scriptas affirmat; et ex sexaginta sex argumentis plurima ad hanc epocham formavit, quæ hoc solo testimonio firmato concidunt.

Secunda Dallæi falsissima assertio est, « Eusebium esse omnis de Ignatianis erroris fontem; qui hinc primo exortus, latissime postea effusus, insequentium sæculorum pene omnes Christiani nominis eruditos pervasit. » Non frustra igitur Origenem adducimus, hui tam immanem, ac tantis viris ignominiosum errorem funditus evellit. An enim Eusebius primum lapsus est, qui Origenem est secutus? An ille fetum nuper natum et adulterinum excepit, quem Origenes tam diu ante fovit, exosculatus est? An cæteri Patres Eusebium ἀβασανίστως errantem secuti sunt, qui eum primo non errasse certissime sciebant, utpote qui Origenem perpetuo lectitarent? Si scripsisset Origenes homilias illas 140 annis post Ignatii mortem, hæc non frustranee, sed opportune satis ad Dallæanas rationes evertendas observata essent.

Sed respondeo secundo, Origenis homilias non tam sero, non demum 140 annis post ultimum martyris certamen, sed diu ante scriptas fuisse. Mentio epistolæ Ignatianæ disertissima exstat homiliis ejus in S. Lucam. Homilias illas scripsit Origenes juvenis adhuc, et ante ætatem virilem. Testis locupletissimus, S. Hieronymus. Adamantii assiduus lector, et cum ista scriberet, admirator. Ita enim ille in præfatione ad versionem suam : « Fateor itaque in his Origenem tractatibus quasi puerum talis ludere: alia sunt virilia ejus, et senectutis seria. » Neque igitur senex, neque cum virilis esset ætatis, homilias in S. Lucam scripsit Origenes, sed adhuc adolescens. Cum autem decimum octavum annum ageret, catecheticæ scholæ præfectus est Alexandriæ. Hoc diserte tradit Eusebius : Ἔτος δὲ ἦγεν ὀκτωκαιδέκατον, καθ' ὃ τῆς κατηχήσεως προέστη διδασκαλείου, Hist. lib. VI, c. 2, cui suffragatur S. Hieronymus. Erat hic annus Severi undecimus; decimo enim Severi Origenes decimum septimum ætatis annum egit, testibus Eusebio et Hieronymo. Septem fere annos in imperio postea mansit Severus. Sub initio igitur Caracallæ Origenem adhuc puerum, seu adolescentem, scripsisse homilias in S. Lucam par est credere. Jam vero a decimo Trajani, quo epistolas scripsisse Ignatius perhibetur, ad initium Caracallæ, vix anni sunt 105. Intra igitur tot annos Ignatii

epistolis testimonium scripto præbuisse creditur Origenes. Quod ideo observandum fuit, non tantum ut ostenderem falsa esse quæ Dallæus de intervallo asserit, sed etiam ut ei argumentum, quo tantopere delectatur, negativum eriperem. Launoyum doctissimum Sorbonæ theologum de vi argumenti negantis fuse disputantem advocat. Sed Launoyus ipse ita sententiam suam protulit : «Cum nullus omnino scriptor æqualis vel suppar præstat testimonium, tunc ex generali silentio, quod ducentorum plus minus annorum æstimari potest, efficax depromitur argumentum. » Hic autem *scriptor* nobillissimus Origenes, Ignatio *suppar*, eodem quo ille scripsit sæculo natus, luculentissimum epistolis ejus « præstat testimonium ; » et si nemo ante eum Ignatii meminisset, ne sic quidem « generale ducentorum annorum» circiter *silentium* præcessisset, ut inde « efficax depromeretur argumentum. » Quare si tacuissent S. Polycarpus, et S. Irenæus, testimonium Origenis secundum rationes Launoyanas satis vim et efficaciam negantis argumenti retunderet. Unus igitur Origenes, si tanquam testis legitimus admittatur, sententiam Dallæi penitus convellit, et argumenta quamplurima ab ipso excogitata enervat ; non ita frustra a nobis advocatur.

Appello veteres etiam inter Christianos criticos. Cum enim de scriptis Dionysii, Ignatio senioris, celebris controversia in Ecclesia esset, et de testimoniis ageretur ; qui eorum auctorem Areopagitam verum non esse contendebant, non objiciebant secundi sæculi silentium ; sed hoc tantummodo, quod Origenes Et Eusebius ejus minime meminerint. Ita Maximus, contra quem ita disputabant : Ναὶ, φασὶν, ἀλλ' οὐκ ἔγραψεν αὐτοῦ τὰς συντάξεις Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου, καὶ μὴν οὐδ' Ὠριγένης. « Imo vero, inquiunt, opera ejus non descripsit Eusebius Pamphili, neque etiam Origenes. » Si frustra eorum testimonia afferrentur, si scripta hæc essent et inania Dionysianorum præsidia : cur veteres inter Christianos critici ea postularunt ? Si huic quæstioni respondere pro Dionysio suo potuisset Maximus, quemadmodum respondemus pro Ignatio, ea procul dubio responsio, Origenem scilicet et Eusebium ejus diserte meminisse, pro frustranea nunquam habita fuisset. Pro iisdem Areopagiticis Hypatius Ephesinus episcopus B. Cyrilli et B. Athanasii requirebat testimonia addiditque : « Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio. » Habemus Cyrillo synchronum Theodoretum ; habemus Chrysostomum, Hieronymum, ipsum Athanasium ; habemus ex antiquioribus Eusebium et Origenem, qui ut ab illis non frustra postulabantur, ita a nobis non frustra afferuntur.

Sed pergit vir doctissimus, et *ad utrumque locum* ex Origene adductum « simul semelque respondet : Levis esse ad rem quæ agitur momenti, quod opusculorum, ex quibus allati sunt, dubia sit et incerta auctoritas. » Ita quidem primo paulo lenius : mox, uti solet, confidentius : « Dos libros, unde sunt allata testimonia, non modo Origenis non esse, sed ne Græci quidem, verum Latini potius scriptoris esse apparet. » Primo igitur opus Origenis in Canticum canticorum, ex cujus prologo testimonium adduximus, negat Origenis esse, negat esse Græci cujuspiam scriptoris, Latini esse contendit. Et in hac quidem re habet, auctores quos sequatur. Primo loco Erasmum nominat, cujus censuram *gravem* ac *veram* appellat, cum sit levissima falsissimaque. Huic adjungit Amerbachium et Cocum ; potuit et alios, qui Erasmum ἀθασανίστως secuti sunt.

His oppono Jacobum Merlinum in Origenis operibus maxime versatum, cujus verba de his homiliis sunt : « Si pensiculate ipsam materiam quæ in iis traditur attenderis, ipsi Origeni attribues. » Huic adjungo Genebrardum, qui Origenem postea edidit, et libris aliquot non ante editis locupletavit. Huic editorem ultimum addo, qui summa cum diligentia, doctrina atque judicio in eruendis, edendis, adornandisque ejusdem operibus Græcis versatur, Danielem Huetium : *Castigandus*, inquit ille, « Erasmus, qui et ipse sentit, et idem ut sentirent Magdeburgenses perfecit, hoc opus esse hominis Latini pulchre docti et bene diserti. » Imo ut sententiam Hueti de Erasmo suo intelligant Dallæani, hæc ejus verba sunt : « Effrenis profecto, iterum dico, et projecta Erasmi temeritas veterum Patrum scripta inanibus suis conjecturis ita permiscentis, ut nisi contraivissent posteriorum theologorum studia, vix certum aliquid de adolescentis Ecclesiæ doctrina statuere possemus. » Maxime igitur idoneus auctor Erasmus Dallæo, qui de usu SS. Patrum in eum modum disputat.

Tribus his Origenis editoribus, addo viros doctissimos et Ignatianorum hostes juratissimos, primo Blondellum, qui in apologia ut probet Origenem « binos tantum sacerdotum et diaconorum, magistri Clementis exemplo, gradus agnovisse, » sectiond 2, § 13, testimonium ex secunda hujus operis homilia producit. Non igitur Latinum aliquem, sed ipsum Origenem, Clementis Alexandrini discipulum, hujus operis auctorem agnoscit Blondellus. Secundo Albertinum, qui tam præclare contra Halloixium disputavit, *De Eucharistia* lib. II, c. 1. Ubi hoc ipsum opus in Canticum canticorum, et hunc ipsum locum, quem inter testimonia adduximus, Origeni tribuit, et verisimillime colligit, larvatum Dionysium ex ipso Origene sua traduxisse. Origenem autem verum intelligit, illum nempe, qui « nunquam plagii a quoquam fuit insimulatus, cum esset adeo feracis ingenii, ut aliis potius auctor, quam cujusquam imitator aut transcriptor foret. Albertinum sequitur Dallæus de libris suppositis Dionysio Areopagitæ lib. I, c. 17. *Merito Albertinus noster*, inquit adversus eumdem Halloixium disputans, « judicavit Dionysium tuum totum hunc locum a tuo Origene vel esse furatum, vel certe mutuo sumpsisse. » Quomodo enim *merito* id judicaret Albertinus, si scriptor ille nec Origenes esset, nec Græcorum aliquis, sed Latinus nescio quis ? Cum Halloixius, ut Diony-

sium suum defenderet, corrupisset, locumque hunc ex ejus libro exterminandum judicasset; facessere eum cum morosissima et ineptissima critica sua jubet Dallæus, et « quod in Origene (quem pace tua Dionysio tuo multo doctiorem fuisse virum puto) totus hactenus orbis æquo animo tulit, id in Dionysio legi, noli, *inquit*, ferre iniquius.» Auctor igitur expositionum in Canticum canticorum, cum contra Dionysium scribit Dallæus, Origenes est, et locum, quem adduximus, in eodem Origene totus hactenus orbis æquo animo tulit : quare idem non est, quare contra totum orbem militat Dallæus, cum adversus Ignatium arma sumit ?

Auctores cum auctoribus contulimus ; nunc rationes cum rationibus conferamus. *Græcus non fuisse vel hinc colligas licebit*, inquit Erasmus, *quod in Prologo citat Græcos velut alienos.* Cum apud Græcos, inquit, qui eruditi et sapientes videntur. Imperite ororsus et inepte. Citat enim *Græcos velut alienos* non a lingua, aut gente sua, sed religione. Hic enim *Græcos* non opponi Latinis, sed Christianis, certum est. Ita enim sequitur : « Non ergo mirum esset, si et apud nos, ubi quanto plures simpliciores, tanto plures et imperitiores videntur. » Quæ verba certe non ad Latinos tantum, sed Christianorum omnium cœtus pertinent ; et præterea Origenem nobis referunt, qui de simplicitate et imperitia ubique fere loquitur. Neque vero quisquam Græcos frequentius opponit Christianis, quam Origenes ; cujus unum locum memerandum esse duxi, ut pariter emendem. Dum evolvo commentarios in S. Joannem, in nupera editione, pag. 211, lego : Ὡς Πέτρου διδάσκοντος μὴ καθελεῖν ἃς προσκυνεῖν, sensu plane nullo. Sed recte Ferrarius verterat, « perinde quasi Petrus docuerit, non oportere nos gentilium more adorare ; » ideo Huetius editor ad marginem monet, legendum κατ' ἐθνικοὺς pro καθελεῖν ἃς, sensum potius, quam verba respiciens, et Ferrarium magis quam Origenem præ oculis habens. Ipse enim litteræ pro καθελεῖν ἃς reponendum omnino docent καθ' Ἕλληνας, et ita legi moneo in ms. nostro, Huetiano codice longe præstantiore. Interim certissimum est, *Græcos* non Latinis, sed Christianis oppositos eo loco quem indicat Erasmus ; et multo probabilius ex eodem colligit Huetius, auctorem hujus operis esse Origenem, quod hic non obscuris verbis laudetur Platonis Symposium, ubi περὶ Ἔρωτος agit, quem ipsum librum laudat idem Origenes, et locum de Amore, *adversus Celsum* libro IV. Adeo infeliciter in hoc argumento versatus est Erasmus.

Melius aliquanto hanc objectionem urget Raynaudus Jesuita. « Latinum se auctor ipse bis profitetur agens de logica in philosophiæ divisione. *Illic enim diserte Latini Græcis opponuntur.* Generales disciplinæ, quibus ad rerum scientiam pervenitur, tres sunt quas (Græci) ethicam, physicam et theoricen appellaverunt ; (nos has dicere possumus moralem, naturalem et inspectivam). Nonnulli sane (apud Græcos) etiam logicen (quam nos rationalem possumus dicere) quarto in numero posuerunt. » Nec tamen auctor hic se Latinum profitetur. Nam illa quæ unculis inclusimus, interpretis sunt, non auctoris. Cum enim Græca, litteris quidem Latinis, verbis autem Græcis primo reddidisset, ne forte a Latinis non intelligerentur, aut ne ipse non intellexisse videretur, eadem Latine rursus interpretari voluit, quod est veteribus interpretibus perquam familiare. Locum autem ipsum ab Origene scriptum fuisse vel illud arguit, quod eum Hieronymus ad Ecclesiasten sequatur, ut, tunc potissimum cum nondum Origenica adeo displicuerant, solebat. De tribus enim Salomonis libris agens, et eorum ordinem, et argumenta cum Origene observans, ait : « haud procul ab hoc ordine doctrinarum et philosophi sectatores suos erudiunt ; ut primum ethicam doceant, deinde physicam interpretentur, et quem in his profecisse perspexerint, ad theologiam usque perducant. » Quem locum si in animo habuisset Henricus Valesius, nunquam illam observationem in adnotationibus ad Eusebium protulisset : « Certe in libris Hieronymi nunquam theologiam dici reperies, sed Græce » Θεολογίαν. Neque si cogitasset Hieronymum in epistola 135, Origenis hunc locum exrimere voluisse, lectionem codicis Memmiani vulgatæ statim prætulisset, aut hanc *sine sensu theoricen* exhibere dixisset Verba Hieronymi sunt « Philosophi solent disputationes suas in physicam, ethicam logicamque partiri ; ita et eloquia divina aut de natura disputare, ut in Genesi et Ecclesiaste ; aut de moribus, ut in Proverbiis, et in omnibus sparsim libris ; aut de logica, pro qua nostri theoricen sibi vindicant, ut in Cantico canticorum et in Evangeliis. » Quæ cum ex Origene petita quivis intelligat, theoricen eo loci pati quis non poterit, qui eam ita definiri ab Origene novit : « Inspectiva dicitur, qua supergressi visibilia de divinis aliquid et cœlestibus contemplamur, eaque sola mente intuemur ? » Hæc igitur omnino Origenis sunt, et ex eo hausit Hieronymus.

Sed *idem*, inquit Erasmus, « liquet ex interpretatione amoris, charitatis, dilectionis et cupidinis. » Minime vero. Non enim harum quatuor vocum interpretationem tradit auctor, sed ea tantum adhibet interpres ad exprimenta duo vocabula, quæ auctor inter se confert, ἔρωτα scilicet et ἀγάπην, ἔρωτα autem aut *amorem*, aut *cupidinem*, ἀγάπην aut *dilectionem*, aut *charitatem* transfert. Origenes quidem Scripturæ loca pro more suo congesserat, ut ἀγάπην idem ostenderet scriptoribus sacris significare, quod apud alios ἔρως. Ad hæc autem loca explicanda necesse habuit interpres *charitati dilectionem* addere, quia sæpe verbum ἀγαπᾷν usurpavit auctor, quales in Latinis *charitati* non respondet. Hæc ex ipso loco satis luculenter apparent. « Videtur autem mihi quod divina Scriptura volens cavere ne lapsus aliquis legentibus sub amoris nomine nasceretur, pro infirmioribus quibusque, eum qui apud sapientes sæculi cupido, seu amor dicitur, ho-

nestiori vocabulo charitatem vel dilectionem nominasse. Verbi gratia ut cum dixit de Isaac : » Et accepit Rebeccam, et facta est ei uxor, et dilexit eam [5], » ἀγαπᾷν *diligere* recte vertitur, et ἀγάπη antiquitus non minus *dilectio* quam *charitas* reddebatur. Glossaria vetera : *dilectio*, ἀγάπη· ἀγάπη, *dilectio*. Tertullianus de agapis veterum Christianorum : « Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit : id vocatur quod *dilectio* apud Græcos. *Ut autem* charitati dilectionem, *ita et* amori cupidinem » adjunxit. Glossarium vetus : Ἔρως, *amor cupido*. Quod ante eum fecere Hieronymus, homilia prima, « spirituali cupidine vel amore accendatur. » Hæc autem ut auctorem Latinum minime produnt, ita Origenem ipsum potius auctorem fuisse ostendunt, qui in scriptis illis quæ habemus, ἔρωτα in rebus divinis tam frequenter usurpat : et quem in hac ipsa re, uti solet, imitatur S. Gregorius Nyssenus, in Cantica homilia prima : Ἐπειδὰν τοίνυν σοφία ἐστὶν ἡ λαλοῦσα, ἀγάπησον ὅσον δύνασαι ἐξ ὅλης καρδίας τε καὶ δυνάμεως, ἐπιθύμησον ὅσον χωρεῖς· προστίθημι δὲ θαῤῥῶν τοῖς ῥήμασι τούτοις καὶ τὸ, ἐράσθητι. « Cum ergo sit quæ loquitur sapientia, dilige quantum potes, ex toto corde et totis viribus; concupisce quantum potes capere : addo autem audacter his quoque verbis : Ama. » Plane ut in versione Hieronymiana homiliæ primæ Origenis, « et ut aliquid audentius dicam, spiritali cupidine et amore accendatur. »

Quod autem in nonnullis libris hoc opus in Canticum Hieronymo tribuatur, et a Lombardo et Thoma, harum rerum imperitissimis, sub nomine Ambrosii citetur, non inde efficitur, vel hunc vel illum hujus operis auctorem fuisse, cum neutri illud competere posse omnes sciant Sed inde justior suspicio est, esse illud potius ipsius Origenis, quia Ambrosius et Hieronymus Origenis multa in Latinum sermonem converterunt.

Nihil igitur valent rationes contra Origenem allatæ ; at illæ quas pro eo afferemus, sunt validissimæ. Quæcunque enim de opere aliquo Origeni ascribendo dici possunt, huic in primis competunt. Neque mirum, cum, ut olim observavit Hieronymus, « Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico canticorum ipse se vicit. » Nam primo, character Origenianorum vetus est, pluribus mss. in collegio S. Petri apud Cantabrigienses præfixus, « cognoscitur Origenis sermo per auctoritatum abundantiam. » Nullibi autem manifestior hic character quam in hoc opere : in quo auctor semper excurrit, et loca S. Scripturæ undecunque adducit, et ad propositum suum trahit. Secundo, tropologica ubique sectatur Origenes, notantibus omnibus Christianis, ipso etiam Porphyrio. Tres autem perpetuo sensus in toto hoc opere persequitur historicum, tropologicum, anagogicum ; neque aliter exponit reliqua Scripturæ loca quæ adducit obiter : ut hic plane se superet Origenes. Tertio nemo unquam toties opera sua prius scripta laudavit, ac Origenes. Quoties enim Scripturæ locum obiter citat, ad expositiones suas lectorem ablegare solet. Idem in hoc opere frequenter præstitit ; citat enim homilias suas in *Exodum*, et *Judices* semel, in *Numeros* quater ; explicationes in *Leviticum*. et commentarios in *Novum Testamentum*. Quarto, Origeni moris est propria nomina Hebraica interpretari, et ex eorum interpretationibus sensus tropologicos expiscari. Nullibi frequentius quam in his tomis hoc facit. In prologo inquit, « Israel ob divinorum contemplationem nominatus est. Zareth, aliena descensio ; Deborah, apis (*ut homil.* 5 *in* Judices) ; Barach, coruscatio (*ut eadem hom.*), Salomon, pacificus. *Homilia prima*, Eden, deliciæ ; *secunda*, Cedar, nigredo, vel obscuritas. Hierusalem, visio pacis (*ut homilia* 21 *in* Josuam, de Jerusalem frequenter diximus. quod *visio pacis* interpretatur). Abdimelech, servus regum ; Mambre, visio ; cherubim, plenitudo scientiæ Dei » (ut in Dzechielem homilia 2). *Engaddi*, *oculus tentationis meæ* (ut in homilia 2 in *Cantic.* ab Hieronymo versa) : tertia, *Bethel*, *domus Dei*. Quisquis autem mira illa theoremata, quæ ex iis interpretationibus deducit auctor, perpenderit, nemini certe præterquam Origeni hosce commentarios tribuet. Quinto, peculiares quædam opiniones Origeni attributæ sunt, præsertim de anima et angelis, a quibus præcipue Latini abhorrebant. Hæ autem ubique in hoc opusculo proponuntur. Denique Origenes in tomis suis, ubi ad mysticum sensum explicandum se applicat, sæpe precibus ad Deum se convertit, ut gratia Dei illustratus illa magna, ut appellat, mysteria perspiciat. Quod hic sæpius fit. Si igitur libri materiam, modumque tractandi spectemus, omnia Origenem solum sapiunt.

Præterea sunt et alia quæ hosce commentarios non alterius esse quam Origenis omnino convincunt. Homiliæ duæ Adamantii in Canticum canticorum sunt ab Hieronymo fideliter versæ, et papæ Damaso dedicatæ, atque a Ruffino agnitæ. Earum autem sententiæ consimiles et germanæ harum sunt quæ in hoc opere continentur, ut in eadem incude formatum esse utrumque appareat ; uti observavit doctissimus Huetius, qui non pauca loca congessit, et multo plura congerere potuisset. Sed omnem scrupulum tollit luculentum Origenis fragmentum, quod Græce etiamnum ad finem *Philocaliæ* exstat, ἐκ τοῦ β' τόμου τῶν εἰς τὸ Ἆσμα τῶν ᾀσμάτων, « ex secundo tomo commentariorum in Canticum canticorum » decerptum. Huic enim Græco fragmento plane respondent Latina quæ habemus in hujus operis homilia secunda. Licet enim prior fragmenti pars liberius illic exponatur, posterior tamen pressius redditur : et in ipsa priori parte illa fragmenti verba, οὕτω δὲ καὶ μήποτε σκληρύνει Κύριος τὴν καρδίαν Φαραώ, ab illo vetere melius

[5] Gen. xxiv, 67.

exponuntur quam a Tarino nupero interprete. Tarinus ita vertit : *Ita nunquam Dominus cor indurat Pharaonis*, quod a mente Adamantii alienum est. Vetus interpres, *secundum hæc ergo fortasse et indurasse dicitur Deus cor Pharaonis*. Recte : μήποτε enim, vox Origeni sæpissime usurpata, non significat *nunqnam*, sed *fortasse* : sub ea enim loquendi formula expositiones suas dubitanter proponere ubique fere solet Adamantius.

Certissimum igitur est illud opus in Canticum, ex quo septentiam transcripsimus, et testimonium pro Ignatio nostro adhibuimus, esse ipsius Origenis, non Latini alicujus auctoris. Quod ut adhuc manifestius appareat, dabo etiam interpretem ; quem Ruffinum esse assero, non tantum conjecturis, quas Huetius amplexus est, permotus, sed etiam idoneo testimonio suffultus, quod præbet Cassiodorus, qui centum post Ruffini mortem annis vixit. Is enim, lib. *De divin. lect.*, cap. quinto, hhc habet :« In Cantico canticorum duabus homiliis expositionem Origenis idem S. Hieronymus, Latinæ linguæ multiplicator egregius, sua nobis, ut consuerit, probabili translatione prospexit. Quas item Ruffinus, interpres eloquentissimus, adjectis quibusdam locis, usque ad illud præceptum quod ait : « Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas [6], » *tribus libris latius explicavit*. Quamvis enim hæc obscere dicta sint a Cassiodoro, satis tamen hoc ipsum opus indicat, quod in illo versiculo : « Capite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, *desinit*. Non est igitur quod quis suspicionibus indulgeat, Erasmi judicio fretus » (ut in re consimili de Innocentii epistolis dixit Blondellus), multo minus Amerbachii, hic fluctuantis, nihilque aliud affirmate asserentis, nisi quod et ipsi asserimus. Ita enim ille prælatione ad tomum septimum Hieronymi : « Cæterum de homiliis quatuor in Cantica canticorum an sint Origenis, necne, nolo in præsentia disputare ; certe multa sunt quæ ea Latini hominis esse, non Græci comprobent. Illud ausim affirmare, etiamsi Græci hominis sint, Hieronymum non vertisse ». Quod et nos affirmamus.

Ad primum Origenis testimonium refellendum usus est auctoritate Erasmi vir doctissimus, ad secundum elevandum suo quidem Marte, nec minus infeliciter progreditur. Primo homiliarum triginta novem in Lucam auctorem vult esso Latinum : quod et per se mirum, et ante hunc diem, opinor, inauditum est. *Latinorum natalium indicia* quæ deprehendit hæc sunt. Primo, *observat*, inquit, *gratia plenam, Græce* κεχαριτωμένην *dici*. Sed quis, quæso observat ? auctor, an interpres ? Neutrum dicit, satis caute : sed *homilia observat*, quod mire dictum, atque inde concludit, *auctorem non Græcum, sed Latinum fuisse*. Ego aperte dico S. Hieronymum homiliæ interpretem hoc obiter observasse, et necessitate quadam ad talem observationem inserendam fuisse coactum. Transcripserat hunc ipsum locum ex Origene anle eum S. Ambrosius, sola versione contentus. Sed cum observasset Origenes, vocem in salutatione prorsus inusitatam esse, eamque Hieronymus reddidisset, *gratia plenam*, duobus, scilicet, vocabulis, quorum neutrum rarum est, necesse habuit addere, *quod Græce dicitur* κεχαριτωμένη. Secundo ista objicit ex homilia quinta : *Ego autem sum* ἄλογος, *quod licet Latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest*, absque sermone vel ratione. Sed et hic tum auctorem Origenem, tum interpretem Hieronymum habemus. Mutum probat auctor populum Israeliticum, quod sermonem, id est Christum, rejecissent ; idque pluribus Scripturæ locis explicat : quod plane Origenicum est. Citat illa de Moyse, Exod. v, 12 : Ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι. Interpres quia nihil tale in Latinis codicibus scriptum inveniret, sed potius forte, id quod nunc legimus, *cum incircumcisus labiis sim*, ut et Hebræa sonant, et Theodotionis versio, vel *tardi sermonis*, ut antiquitis legebatur, necesse putavit ad Origenem recte capiendum admonere, quod *licet Latinus aliter expresserit* illam vocem ἄλογος, tamen *proprie transferri potest* absque sermone, sive ratione. Et hoc plane Hieronymianum est, ut omnes norunt. Ipse certe Hieronymus, ad caput XLIV Ezech. : *Et in Exodo locutus est Moyses in conspectu Domini, dicens* : « Ecce filii Israel non audierunt me, quomodo audiet me Pharao ? ego autem sum tardi sermonis : » *pro quo LXX dixere* Ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι, *quod melius habetur in Hebræo*, ego incircumcisus sum labiis. Tertio, *ejusdem*, inquit, *est eommatis, quod* cadaver a casu nomen accepisse *observat*, homil. 16. Imo hæc nullam cum præcedentibus similitudinem, habent, sed sunt pura translatio, sive nuda Græcorum verborum redditio. Explicat eo loco versiculum 34 cap. II Evang. secundum S. Lucam, ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν : *Ecce hic positus est in rainam*. Origenes more suo ; et tandem huic applicat locum S Matthæi : *Et de hac ruina dicitur* : Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί, *ubicunque fuerit cadaver, ibi congregabuntnr aquilæ* [7]. Quod ne coactum nimis videatur, addidit, πτῶμα γὰρ ἀπὸ πτώσεως λέγεται, *cadaver quippe a casu nomen accepit*. Quale aliquid apud Hippolytum legas libello de Antichristo. Quarto, *ejusdem commatis* esse vult illud ex hom. 22. quod *Græcus sermo hoc, quod est converti in lapides, significantius sonat* ἀπολιθοῦσθαι. Sed totus ille tractatus de suscitandis filiis Abrahæ ex lapidibus plane Origenicus est ; et hæc verba, quæ parenthesi includi debent, manifeste ab interprete Hieronymo sunt inserta Quinto, *notat* judicem apud Græcos cum articulo positum, qui singularitatis significator est, *et mox discrimen nominis vel cum articulo vel absque articulo positi dicit* apud Græcos magis intelligi homil. 35. Sed facilis

[6] Cant. II, 15. [7] Matth. XXIV, 28.

responsio : auctor homiliæ notat *judicem cum articulo positum ;* interpres addit, *apud Græcos*, quia apud Latinos non ponitur articulus. Exponit hic Origenes versiculum 58,cap. XII Evangelii secundum Lucam. Observat ἐπ' ἄρχοντα dici sine articulo, πρὸς τὸν Κριτήν cum articulo : inde colligit *principem* esse unum angelorum, qui multi sunt, *judicem* esse illum unicum, Jesum Christum. Hoc plane Origenicum est. Nemo enim toties vim articuli urget ac Adamantius. Hieronymus cum videret hominem Latinæ tantum linguæ peritum hæc capere non potuisse, notavit *hoc apud Græcos magis intelligi*. Postremo, inquit, *in eadem homilia monet* quadrantem, sive minutum Græce *tenue* dici posse. Recte. Habemus autem et hic auctorem Origenem, interpretem Hieronymum. Origenes dum explicat ea verba, ἕως οὗ καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς, ludit, ut solet, in voce λεπτὸν, et ostendit peccatum esse vel pingue et crassum, vel tenue et subtile. Vidit Hieronymus hæc a Latinis intelligi non potuisse vel per *quadrantem*, vel *minutum*, monuitque id quod *minutum* dicitnr, Græce *tenue* dici posse, unde quæ sequuntur tandem intelligi possunt.

« Hæc, *inquit*, auctorem Græce scripsisse negant, qua lingua notum est Origenem omnia sua composuisse. *Imo vero* auctorem Græce scripsisse *non* negant », sed tantummodo interpretem ex Græcis in Latina transtulisse, et, ubi opus esset, versionis suæ rationem reddidisse, quo nihil apud antiquos interpretes familiarius fuit,ostendunt. Bellarminus tractatum quintum, adeoque reliquos in Matthæum putavit esse Latini auctoris : sed *non firma* mihi videtur ejus ratio, inquit Labbeus. Et erat certe infirmissima, ut nunc apparet ex commentario ab Huetio Græce edito. Et digna sunt Huetii verba quæ a talibus hypercriticis observentur : « Quamvis hoc Bellarmini judicium palam refellat codicis Græci lectio, ea tamen si careremus, non plus valeret illud adversus hunc Adamantii librum, quam adversus reliquos, quos veterum interpretum studio Latine redditos legimus : in iis siquidem frequenter ejusmodi occurrunt additamenta interpretum suæ linguæ hominibus gratificantium ». Neque hæc de Origenianis tantum vera sunt. Apud Latinum Irenæum legimus : « Ennææ, id est cogitationi. Hermes sicut Græco sermone exprimitur, Αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος ἐπ' αὐτοὺς κάτθετο, ut hoc ipso Latino sermone dicamus », fraudulentiæ *sive* seductionis verba,et subinvolantes mores indidit « eorum sensibus ad seducendum stultos hominum, ut credant figmentis. Mater enim, hoc est Leto, occulto commovit eos ; unde et Leto nuncupata est, secundum Græci sermonis significantiam. » Rursus : « Homerus poeta dixit : Οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ. Quod Latine interpretabimur », dii autem apud Jovem considentes tractabant in aureo loco. Atque iterum : « Similiter et Sabaoth per Ω quidem Græcam in syllaba novissima scribitur ; per O autem Græcam ut puta Sabaoth primum cœlum manifesiat. Eodem modo et Jacob..... sicut secundum Latinitatem Dominus virtutum et pater omnium ». Hæc sane Latini hominis, non auctoris. sed interpretis. Irenæus enim Latine non scripsit ; ejus tamen hæc omnia sunt præterea quæ interpres addidit.

Sed sive Græcus, sive Latinus fuerit hic homiliarum auctor, Origenes, Dallæo judice, esse non potuit. Nam *ab ipso Origenis genio, more ac sensu quædam sunt in eodem opere aliena.* Quæ hactenus vidimus sunt plane Origeniana, quænam igitur sunt quæ Adamantio competere non possunt ? Primo, homilia 25 : *Spiritus S. dicitur* tertia persona a Patre et Filio. *Qui sic distinctus personæ in divinis usus ab Origene alienus est.* At hoc ipso loco auctor ita loquitur et alium quam Origenem eum fuisse non credas. Dicit aliquos per inordinatam charitatem dicere Paulum sedere a dextris, Marcionem a sinistris Salvatoris, et per advocatum, Spiritum veritatis. intelligere apostolum Paulum : « Quod quidem,*inquit*,in Ecclesia patimur. Plerique enim dum plus nos diligunt quam meremur, hæc jactant et loquuntur,sermones nostros doctrinamque laudantes, quæ conscientia nostra non recipit. Alii vero tractatus nostros calumniantes ea sentire nos criminantur,quæ nunquam sensisse nos novimus ». Quæ de seipso Origenem scripsisse quis non videt ? Sed obiter appellat Spiritum S. *tertiam personam a Patre et Filio ;* an autem Origenes ita loqui non potuit ? Latini Patres ὑπόστασιν *personam* transtulerunt. Tres autem in divinis ὑπόστάσεις semper agnovit Origenes. Ipse secundo tomo *in Joannem* : Ἡμεῖς μέντοι γε τρεῖς ὑποστάσεις πειθόμενοι τυγχάνειν, τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα (ita legi in ms. nostro ; et agnoscit Huetius illa verba καὶ τὸν Υἱόν in editione sua per typographi incuriam esse prætermissa); Ferrarius interpres : *Nos autem qui tres personas, Patrem et Filium atque Spiritum S. esse credimus.* Plurima sunt in Latinis Origenis de Trinitate personarum; sed suspecta ea Huetio facit fluxa Ruffini interpretis fides. Et quidem ubi de unitate Trinitatis, aut æqualitate personarum agitur, merito diffidendum est interpreti ; de Trinitate autem tantummodo loquenti, ratio nulla est cur diffidamus. In sexto tomo *in Joannem* etiamnum legimus προσκυνητὴν Τριάδα, *adorandam Trinitatem :* idque ante observaverat S. Basilius l. I *De Spiritu S.* cap. 29. Nihil enim certius est quam Origenem tres personas in divinis agnovisse, et contra eos disputasse qui unam ὑπόστασιν asserebant ; quod si eas substantia distinctas et inæquales docuit, eo ipso magis certum est. Ut autem distinctionem ita etiam et ordinem tradidit, qui l. V *adversus Celsum* non veritus est dicere Christum δεύτερον Θεόν, *secundum Deum* ; et quem tradit Hieronymus ad Avitum, in l. I Περὶ ἀρχῶν docuisse, « Filium quoque minorem Patre,eo quod secundus ab illo sit, et Spiritum S. inferiorem Filio in sanctis quibusque versari ». Imo eadem

epistola Hieronymus,de Adamantio : « Tertium dignitate et honore,post Patrem et Filium,asserit Spiritum S. » Satis igitur principiis Origenis consentaneum est Spiritum S. asserere « tertiam personam a Patre et Filio.»Secundo,objicit « personas longos sermones inter se serentes,»contra morem Origenis, *qualis*,inquit,« illa est Christi cum tentatore collocutio: » Respondeo tibi, o versipellis et nequam, qui me tentare non metuis,*et cætera*.Cætera autem hæc tantummodo sunt,« alius est panis sermo Dei, qui vivificat hominem. » Proh longos sermones ! proh prolixam collocutionem ! Sed prolixior « angeli custodis ad principem angelum oratio ; » imo infelix Dallæus qui *adversarium*, a principe hujus sæculi missum, quærentem occasionem insidiarum, si quo modo nos subvertere queat, *angelum custodem* facit. Totus iste locus tam pure est Origenicus, ut his me immorari pudeat.Tertio,cum Origenes ipse solos libros legis admisisse Sadducæos doceat, homilia 39,loca ex Isaia et Psalmis citans,addit : « Quæ omnia corporaliter intelligentibus Sadducæis qui erant portio Judæorum, dicit Salvator : » « Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei [8]. » Sed non dicit hic Origenes id quod contrarium est cuipiam quod alibi docuit ; non enim affirmat Sadducæos prophetas in canonem Scripturarum recepisse. Hoc tantum dicit,Sadducæos male intellexisse prophetas ; potuerunt autem et intelligere, et etiam male, ea quæ pro sacris Scripturis non habuere. Sadducæi quidem Samaritas secuti sunt, ὅμοια Σαμαρείταις φρονοῦντες, et τὰ πάντα ἴσα Σαμαρείταις φυλάττουσιν, ut loquitur Epiphanius. Et rejecisse quidem eos Pharisæorum δευτερώσεις ex Josepho patet. Sed נביאים et כתובים *prophetas* et *hagiographa* in traditiones quis ferat numerari ? Interpres quidem Origenis, quem affert Dallæus, dicit eos sacras Scripturas extra libros Mosaicos non *legere*, sed Græca negant tantum προσίεσθαι vel παραδέχεσθαι, scilicet, in controversiis fidei determinandis *admittere*. Hoc enim fundamento usi sunt, nullum articulum fidei admittendum esse, qui non ex libris Mosaicis probari posset.Reliquos autem Scripturæ libros ipsi legebant, et ita interpretabantur, ut fundamento suo contradicere non viderentur. Multæ eorum interpretationes a Rabbinis afferuntur. Ut Abenezra ad caput Danielis XII, 31, צדקים חכמי *sapientes e Sadducæis* cæcos vocat, quod המקדש acciperent de Mecca. Eosdem pariter deridet, quod locum *Levitici* male exponerent, עזרת מכפי ex libro *Ezræ*. Idem reprehendit Japhethum Ben Eli Sadducæum. ut videtur, quod ultima Danielis verba היכים לגורלך לקץ ותעמד, « et resurges in sorte tua in fine dierum [9], » absurda interpretatione illudere conaretur, nempe, si forte tunc in vivis fueris. Et Talmudistæ disputationes sæpe referunt, in quibus Sadducæi et Samaritæ respondent ad loca ex prophetis et hagiographis adducta, ut nuper adnotavit vir rerum Talmudicarum cal-

[8] Matth. XXII, 29. [9] Dan. XII, 13. [10] Matth. XII, 25.

lentissimus , Joannes Lightfoot , in canonicatu Eliensi collega noster, ad Evangelium S. Joannis cap. IV, vers. 15, ubi mulier Samaritana Messiam nominat. Prætercа et juvenis, et ad populum hæc scripsit Origenes ; non igitur tunc fortasse noverat, aut certe non necesse habuit sententiam Sadducæorum peculiarem notare : observat enim Sadducæos tantum *portionem Judæorum* fuisse. Utcunque totus hic tractatus ipsum Origenem sapit ; ac præcipue prima illa sententia : « Qui erunt sicut angeli, utique angeli erunt. » Imo hæc ipsa quæstio, quam *molestam* vocat homiliæ auctor (scilicet, *ubi scriptum est, quia* « neque nubent neque nubentur[10] ? »),non est alterius quam Origenis. Eamdem enim ipse proponit in commentariis ad Matthæum, eamque operose solvit, ostendens hanc sententiam in Scripturis non quidem αὐτολεξεὶ, *ipsis verbis*, sed ἐν τροπολογίᾳ, *tropologice* contineri, atque hinc mire contendens tropologicam Scripturæ expositionem esse prorsus necessariam, quod ei, qui hanc non admittit, vel locum corruptum pronuntiare, vel Christo, quasi verum non dixerit, haud credere, vel ad libros apocryphos confugere, necesse sit. Ostendit hanc quæstionem ex verbis Christi apud Matthæum atque Marcum, non autem ex illis apud Lucam oriri. Et quidem in homilia in Lucam,omittit verba Lucæ, eorumque loco substituit verba Matthæi,ut hanc quæstionem introducat.

Firmiora nobis pro Origene argumenta et pro interprete Hieronymo adversus Latinum auctorem suppetunt. S. Hieronymus in Catalogo inter opera a se edita,*in Lucam homilias triginta novem* recitat; homilias autem ipse nunquam scripsit. In prologo ad Paulam et Eustochium ostendit se eas ex Origene transtulisse his verbis : « Quamobrem petistis, ut, contemptis istiusmodi nugis, saltem triginta et novem Adamantii nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur, interpreter. Molestam rem et tormento similem,alieno,ut ait Tullius,stomacho,et non suo scribere : quam tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis. » Hunc autem ipsius Hieronymi prologum fuisse certum est,quia totum in suam invectivam transcripsit Ruffinus, et satis severe exagitavit. Imo, quod huic liti finem imponere debet,nec ulla ingenii vi evitari potest, idem Ruffinus,vivente adhuc Hieronymo ac responsa meditante, quid in hoc ipso opere infide transtulerit ostendit aut innuit. Verba ejus sunt : « Secutus sum quod te videram in homiliis secundum Lucæ Evangelium fecisse,ubi de Filio Dei in Græco non recte inveneras præterieris,in illo loco ubi dicit : » « Magnificat anima mea Dominum, exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo [11],» « nosti quia de anima, sicubi illa quæ solent dici non præterieris ; sed ea adhuc etiam ex te additis etiam assertionibus lucidius scripseris,ut in illo loco : » « Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans in utero meo [12], » *ubi dicis quod* non erat

[11] Luc. I, 46. [12] Luc. I, 44.

hoc principium substantiæ ejus, *de tuo addidis*, atque naturæ. « Hæc et mille alia his similia in interpretationibus tuis, sive in his ipsis homiliis, sive in Jeremia, vel in Isaia, maxime autem in Ezechiele subtraxisti.

Queritur igitur Ruffinus in his ipsis homiliis quædam quæ in Græcis erant Origenis, ab Hieronymo fuisse subtracta, quædam mutata, quædam quæ in Græcis non erant addita : loca ipsa notavit ut, cum Græca exstarent, facile perspicerentur : unum etiam recitavit ex ipsa versione, qui etiamnum homilia quarta exstat, ubi adhuc legimus : Ecce *enim*, *ait Elisabeth*, « ut facta est salutatio tua in aures meas, exsultavit in gaudio infans in utero meo. » « Adhuc in matris utero erat, et jam Spiritum S. acceperat. Non enim illud principium erat substantiæ ejus atque naturæ. » Hæc verba ex Hieronymiana Origenis versione recitat σύγχρονος Ruffinus, quæ ex Origene transtulit, quæ a seipso addidit interpres, notat, scilicet, illa verba, *atque naturæ* Nos et quæ Origenis sunt, et quæ interpretis etiamnum habemus. Certissimum igitur est has homilias esse Origenis, et ab Hieronymo versas ; nec potest esse quidquam in rebus hujusmodi hoc argumento efficacius.

Ad majorem tamen confirmationem hæc ulterius addi possunt, Hieronymum « ultra 70 libellos Origenis, quos homiliticos appellavit, transtulisse in Latinum, » ut refert Ruffinus in præfatione ad libros Περὶ ἀρχῶν. Fatetur hoc Hieronymus ipse apologia prima. « Septuaginta libros ejus, ut meus necessarius criminatur, in Latinum verteram, et multa de tomis. Nunquam de opere meo fuit quæstio ; nunquam Roma commota est. » Notat Ruffinus in invectiva homilias in Lucam, in Isaiam, Jeremiam atque Ezechielem. Hieronymus ipse testatur 14 tantum in Jeremiam et totidem in Ezechielem se transtulisse. Verba ejus sunt in prologo ad Ezechielem : « Itaque post quatuordecim homilias in Jeremiam, quas jampridem confuso ordine interpretatus sum, et has quatuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi ; » et in Catalogo : « In Jeremiam et in Ezechielem homilias Origenis viginti octo, quas de Græco in Latinum verti. » Homiliæ autem in Isaiam tantummodo novem sunt; quibus si addas duas in Canticum, adhuc tantum sunt triginta novem. *Ultra* igitur *libellos* 70 ab Hieronymo versos invenire nunquam poteris, nisi illis triginta novem homilias in Lucam Ruffino memoratas adnumeres, ut et ille numeravit. Quare Erasmum suum male hic deserit Dallæus, qui in indice Operum Hieronymi has ipsas homilias inter γνήσια, id est ea, quæ vere sunt Hieronymi, *seu*, de quibus nulla dubitatio sit, quin ab Hieronymo sint edita, » numerat, his verbis : « Homiliæ in Lucam triginta novem ab Hieronymo translatæ. In præfatione numerus est omissus. Sic autem refertur hic locus a Ruffino invectivæ suæ libro secundo, » saltem triginta novem Adamantii nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur, interpretor.

Cum hæc tum de auctore, tum de interprete adeo perspicua sint, Blondellus tamen non veritus est, harum in Lucam homiliarum interpretem Ruffinum dicere ; et in levissimis notis suis ad epistolam clarissimi Vossii asserit « ejus esse probare, homiliam sextam, » ex qua nostrum petitur testimonium, « non Ruffini somnia sua Origeni affingentis, sed Origenis ipsius esse. » At nos hoc ipsum cumulatissime probavimus ut appareat hæc esse non Ruffini somnia, sed Blondelli. Quid enim ? An Ruffini interpretatio esse potest, quam S. Hieronymus a semetipso factam non semel testatur, et quam diu edidit, antequam Ruffinus vel unum verbulum ex Origene in sermonem Latinum transtulerat ? An Ruffini esse potest, quam Ruffinus ipse Hieronymo tribuit, et in *Invectiva* sua adeo exagitat ? Fateor equidem Ruffinum ad finem pene vitæ suæ interpretationes suas sub Hieronymi nomine edidisse. Sed hoc de homiliis in Lucam dici non potest, quia et ipse Hieronymus eos agnoscit, et sub numero septuaginta homiliarum a se versarum ponit, et prologus Hieronymi *Invectivæ* Ruffini insertus legitur, quam Ruffinus tum scripsit, cum nullam Origenis homiliam attigisset, cum librum Περὶ ἀρχῶν tantummodo transtulisset, ipso fatente Hieronymo. Ita enim ille apologia prima : « Ego per tot annos tam multa convertens nunquam scandalo fui : tu ad primum et solum opus, ignotus prius, temeritate factus es nobilis. *Et rursus secunda* : Vis Origenem in Latinum vertere ? habes multas homilias ejus et tomos in quibus moralis tractatur locus, et Scripturarum panduntur obscura : hæc interpretare, hæc rogantibus tribue. Quid primus labor tuus incipit ab infamia ? » Antequam igitur quidquam scripsisset Ruffinus, editæ sunt homiliæ Origenis in Lucam interprete Hieronymo ; eædem in *Invectiva* Ruffini sugillatæ sunt, antequam Ruffinus quidquam Origenis præter librum Περὶ ἀρχῶν in Latinum transtulisset.

Et tamen Dallæus ad hoc Blondelli somnium confugere tandem coactus est. Nam cum *liquere* dixisset « harum homiliarum alium fuisse auctorem quam Origenem, » id tamen viris eruditis persuaderi minime potuisse putaret, statim addidit, « ne hunc illud afferam, quod satis constat Origenis quæ Latine tantum exstant, a Ruffino et aliis interpretibus ita fuisse interpolata, ut ex iis vix certo possit intelligi quid vere sit Origenicum. » Cum certum sit non Ruffinum, sed Hieronymum harum homiliarum esse interpretem ; si vero Hieronymum inter *alios interpretes* ponat, qui Origenem tam fœde interpolarunt, manifesta est calumnia. Habemus novemdecim homilias Origenis in Jeremiam Græce ; habemus earum duodecim ex interpretatione Hieronymi Latine ; hæc autem interpretatio tam bene Græcis respondet, ut aliam addere Huetius necessarium non putarit, adeoque eas ediderit, interprete Hieronymo. Quænam autem ex iis ita interpolatæ sunt, « utquid sit Origenicum intelligi non possit ? » Idem omnino de homiliis in Lucam sentiendum, in quibus nihil addi-

tum observavit Ruffinus præter ista *atque naturæ*. Sartum igitur tectum est illud ex homilia sexta testimonium pro Ignatio.

Commentariorum in Canticum canticorum fatemur interpretem fuisse Ruffinum ; neque tamen in illis concedimus *quid sit Origenicum intelligi non posse*. Ipsius enim Dallæi regula est ultimo capite explicata, « illa in Origenicis a Ruffino interpretatis suspecta esse debere, quæ a notis vel auctoris ipsius, vel ejus quo vixit sæculi placitis atque moribus abludunt ; et si quæ iis congruere aliunde constet, ea vero fas esse pro auctoris genuinis agnoscere. Et ex hac ipsa regula ea quæ Origenes affert pro *amore*, in commentariis in Cantica pro ipsius genuinis agnoscimus, quia ab ipsius placitis non abludunt : et testimonium Ignatii pariter genuinum pronuntiamus, quia ex homilia in Lucam eum ejusdem martyris testimonium adhuibuisse novimus.

Et fuit quidem olim cum Dallæus ipse hæc Origenis testimonium pro Ignatio reciperet atque amplecteretur, cum suis Catonibus contentus esset, nec adhuc in illud somnium, quod nuper evulgavit, incidisset Nam *De jejuniis et Quadragesima*, lib. III, cap. 4 : « Ex Ignatii epistolis, inquit, nonnulla citant veteres tertii quartique sæculi scriptores. Origenes, Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Theodoretus, Gelasius Romanus. » Si Origenes tertii sæculi, et quidem nondum adulti scriptor, nonnulla ex Ignatii epistolis citavit, fatente Dallæo, quam iniquum, imo quam ridiculum est, impostorem quærere, qui ad finem tertii aut initium quarti eas primum finxerit aut publicaverit.

CAPUT VIII.

Eusebii auctoritas defenditur. Impostori Dallæano non obstetricatus est. Recte Polycarpi et Irenæi testimonia applicavit. Origenis testimonia non ignoravit. S. Athanasius ab Eusebio non est delusus. Neque Ignatium eo modo, quo Salmasius et Blondellus, citavit. Hammondus frustra et immerito suggillatur.

Hactenus a nobis allata testimonia vel spuria, vel minus recte intellecta, et ad epistolas confirmandas detorta queritur vir doctissimus : quod sequitur Eusebii, has responsiones non patitur. Sunt ab eo dicta adeo clara atque perspicua, adeo ab omnibus rscepta ; epistolæ quas nos habemus, tam certis indiciis apparent eædem omnino esse quas habuit Eusebius, ut ejus testimonium (quod ad priora duo Polycarpi atque Irenæi etiam extenditur) nec pro spurio, nec pro male applicato haberi possit. Quo igitur nunc se vertit Dallæus ? ad id, quod unum restabat, confugit : scilicet, Eusebium deceptum fuisse ; bono viro ab impostore illusum esse ; errasse hominem cætera diligentissimum, quod humanum est, et in eumdem errorem auctoritate sua, quam habuit in litteris maximam, primo Athanasium, dein totum orbem induxisse.

Miror equidem ei in mentem non venisse, etiam in hoc negotio eo argumento uti, cui sæpe alibi inhæret : nempe librum Eusebii, unde testimonium desumitur, esse apocryphum ; apocryphus autem cum sic, non est ab Eusebio conscriptus, sed, uti disputare solet, spurius, et ab aliquo impostore confictus Sic enim Gelasius episcopus Romanus, in concilio, scilicet, « Historia Eusebii Phamphili apocrypha. » Sed quam ridiculum hoc argumentum hic fuisset, vidit ipse, et abstinuit. Videamus igitur, an hoc quod urget de Eusebii hallucinatione, eo quod omisit de suppositione, aut felicius aut verisimilius sit.

« Quid in historiographis inveniri Eusebio laudabilius potest ? » aiebat olim Pelagius secundus papa. Ille Gelasio Cyziceno φιλαληθέστατος, *veritatis amantissimus*, et ἀξιοπιστότατος, *fide dignissimus*, audit. Ille magno Basilio dicitur ἀξιόπιστος διὰ πολυπειρίαν, ideo maxime *fide dignus*, quia diuturna *experientia* in negotiis Ecclesiæ vetustissimisque monumentis versatissimus fuit.

Inter alia quæ in *Historia ecclesiastica* complexus est, propositum ei fuit, qui libri ab antiquis scripti fuerant enarrare, ὅσοι, ut ipse loquitur, κατὰ γενεὰν ἑκάστην διὰ συγγραμμάτων τὸν θεῖον ἐπρέσβευσαν λόγον, « quotcunque quoque sæculo scriptis suis theologiam excoluerant. » Antequam hoc opus aggrederetur erat ad illum perficiendum maxime idoneus paratissimusque. Plurima jam ante volumina perscripserat, quibus ostendit variam lectionem, et in omni Græca litteratura maximam peritiam, ut qui jam esset, teste Sozomeno, πολυμαθέστατος ἱστωρ, tanta rerum omnium scientia instructus ad historiam conscribendam animum appulit. Diu antehac cum Pamphilo familiarissime vixerat, qui præclaram ecclesiasticorum scriptorum bibliothecam instruxerat : huic quotidie interfuit, hanc assidue versavit, hujus librorum omnium indiculum confecit. Usus est etiam bibliotheca Hierosolymitana, quam illius urbis episcopus Alexander exstrui curaverat ; in qua præter reliqua, etiam epistolæ, quas viri ecclesiastici in tractandis Ecclesiæ negotiis ad se invicem dederant, conservabantur. Ita denique libris scriptis deditus erat, adeoque feliciter in iis versatus, ut imperator Constantinus Constantinopoli Cæsaream scriberet, eique potissimum in mandatis daret, ut quinquaginta S. Scripturæ codices in membranis artificiosissime scribi curaret, et ad Urbem regiam inde mitteret.

Jam vero an verisimile est veteranum librorum helluonem, inter membranas chartasque veteres vitam terentem, tot antiquorum volumina quotidie aut describentem, aut deflorantem, tam facile impostoris arti expositum fuisse, et adulterino fetui obstetricatum esse ? An tantum virum putare possumus ἕρμαιον τῶν τὰ τοιαῦτα ἐπιψευδομένων τοῖς βιβλίοις, καὶ θησαυρὸν ἕτοιμον τοῖς καπήλοις αὐτῶν, « lucrum eorum qui falsos titulos libris imponere, et thesaurum illis præparatum qui eosdem venundare solerent, » ut de indocto suo loquitur Lucianus ? Nihilne in membranis, nihil in scriptione, quod novitatem operis detegeret, reperire potuit vir in rebus

hujusmodi exercitatissimus sagacissimusque? Quidni aliquam antiquitatem epistolarum ex ipso libro deprehenderit; vel eo modo quo imperitissimi solent, τῷ διαβεβρῶσθαι καὶ διακεκόφθαι αὐτὰ τεκμαιρόμενος, καὶ συμβούλους τοὺς σέας περὶ τὴν ἐξέτασιν παραλαμβάνων, «indicium sumens quod comesæ et contritæ essent, et tineas ad eam rem explorandam in consilium adhibens.» Ducentis post Ignatium annis epistolas prodiisse, imo cum jam de Constantini vel patris ejus Christianismo fama sparsa esset, scriptas primum fuisse vult Dallæus. Erat autem tunc temporis plures quam 40 annos natus Eusebius. Nonne credimus eum, cum forte in talem epistolarum codicem incideret, ad primum earum intuitum; cohorruisse, quas nec in Pamphili Cæsareæ, nec Alexandri Hierosolymis bibliotheca vidisset, et de quibus ne fando quidem ante hoc tempus fuisse eas in aliorum manibus audivisset? Optime certe ille jam quadragenarius novit, quam libri scripti ætatem ferrent; quot modis novitas prodoretur, non ignoravit. Nullo igitur modo verisimile est, Eusebio vigilanti tam facile simul et tam fœde impositum fuisse. Quod si prima facie impostura ei non suboluisset, tamen cum tam diligenter epistolas evolverit, cum singula episcoporum nomina numeraverit, cum notaverit omnia itineris momenta, cum traditionem apostolicæ doctrinæ observaverit, cum hæreses refutatas animadverterit, cum tot ex illis sententias exscripserit, cum in nullo unquam auctore examinando parem diligentiam adhibuerit; an fieri posse putamus, ut, si tot sint in iis scripta quæ fidem temporum manifeste convellunt, quæ a sermone apostolico et virorum apostolicorum plane dissentiunt, quæ a modestia, doctrina, veracitate, prudentia martyris longe abhorrent, quæ per se absurda, affectata, inepta et putida sint, hæc omnia Eusebius statim concoqueret, pro vere Ignatianis arriperet, et æternitati consecraret?

.....Credat Judæus Apella.
(Horat., *Sat.* I, v, 105.)

Sed vir doctissimus observat *alia* apud Eusebium *sphalmata esse, hoc nequaquam leviora*, quorum tamen meminisse nolit; ut hinc, scilicet, credamus bonum illum virum tam facile ac tam turpiter decipi ac labi potuisse. Verum prudens, opinor, hæc *sphalmata* silentio suppressit, quod ad rem omnino non facerent. Si auctorem ullum veterem nominare posset, quem Eusebius agnovit, et cujus auctoritatem testimoniis aliorum confirmatum ivit, qui postea fictor detectus est, aut vel in dubium vocatus: aliquid quidem diceret, quod eum *a temeritatis et inverecundiæ crimine*, ut ipse loquitur, *liberaret*. Ego vero Eusebium tanta diligentia tantoque judicio in examinandis Christianorum primævæ antiquitatis scriptis, in quibus traditionem apostolicam contineri arbitratus est, usum fuisse contendo, ut nemo unquam de ejus fide aut de scriptis, quæ ille pro indubitatis habuit, postea dubitaverit. Libri qui nunc in dubium vocantur, aut olim vocati sunt, testimonium ejus non habent. Ostende mihi lapsum Eusebii in aliquo alio opere, ut de hoc credam!

Diligentiam autem et *attentionem* Eusebii requirunt adversarii in testimonio Irenæi afferendo; ego vero eam laudandam puto, quod auream sententiam, in Ignatii epistola exstantem, apud Irenæum invenerit, observaverit, notaverit, applicaverit. Sed « vana et inani specie delusus epistolas Irenæum quoque vidisse, et quidem etiam (quod sane crassius est et inexcusabilius) memorasse imaginatus est.» Unde autem hoc apparet cætera diligentissimum oculatissimumque ita fuisse delusum? Vidit Eusebius multa Irenæi scripta, quæ jam perierunt, quæ et ipse commemorat lib. v, cap. 26, et καὶ τὰ μὲν εἰς ἡμετέραν ἐλθόντα γνῶσιν τοῦ Εἰρηναίου τοσαῦτα, « atque hæc sunt quæ ex Irenæi scriptis ad nostram notitiam pervenerunt,» inquit. Ex his vidisse eum Ignatii epistolas certior fieri potuit; imo ex illa ipsa sententia, quam adduxit, vidisse novit, quia eam ex ejus epistola transcripserat Irenæus. Nam quod apud eum *dixisse* tantum martyrem, non autem *scripsisse* legamus, plane nihili est: nos enim ante ostendimus nunquam aliter Irenæum de sententiis scriptis locutum esse. At habuit *ex Actis Ignatiani martyris*. Ita certe Parkerus: «Collegerat quis forte dicta Ignatii ante tempus Eusebii, eaque in formam epistolarum redegit.» Sed antiquissima Acta quæ tunc exstiterunt, nec eam neque similem aliquam sententiam martyris exhibent. Posteriora omnia diu post Irenæum, diu post Eusebium conscripta sunt: et eorum interpolatores sententias quas habent, ex epistolis transcripserunt, ut nos ante ostendimus. Hæc igitur sæpius iterata nihil proficiunt.

Secundo objicitur similis ejus in Polycarpo oscitantia, quod « non attenderit duo illa, quæ ex ejus epistola recitavit, loca aperte inter se pugnare.» Profecto si hæc vera essent, si Eusebius recitaret duo loca aperte inter se pugnantia, eamque repugnantiam quæ tam aperta esset, minime animadverteret, quomodo excusari posset non video. Et tamen venia digniorem hanc in Polycarpo oscitantiam illa quæ in Irenæo fuit, fatetur Dallæus. Quare, amabo? nempe quia novit ea quæ objecit esse falsissima: neque Eusebium, sed nos oscitare putavit, cum ista scriberet. Quisquis illa loca, quæ ex epistola Polycarpi recitavit Eusebius, perlegerit, nullam inter ea pugnam, nullam vel contradictionis umbram esse confitebitur. Sed *ad calcem loci posterioris*, inquit, aliquid tale reperetur. Verum ea quæ sunt *ad calcem* non recitavit Eusebius: falso igitur asseritur, loca quæ recitavit inter se pugnare: et si ulla pugna esset, pugnaret locus quem recitavit cum eo quem non recitavit, et cujus solus Photius meminit pluribus quam quingentis post Eusebium annis: neque tamen ulla inter Eusebiana et Photiana pugna est, ut nos fuse probavimus. Certe si hic oscitaverit Eusebius, oscitavit et tota Ecclesia

Asiatica, quæ totam epistolam quam citavit Eusebius, per tot sæcula publice legebat.

Optime igitur novit Eusebius, loca hæc Polycarpi et Irenæi indubitatum Ignatianis epistolis testimonium præbere : neque alia adhibere voluit, licet sine omni dubio plura potuisset. Post enim animo conceptam hanc opinionem, quorsum alios posteriores nominaret? cur præter solitum morem in re minime controversa testes congereret atque condensaret? Infirmum igitur argumentum est quod hic adversus Origenis testimonia nectit Dallæus. *De Origene nullum verbum fecit.* Quorsum enim de Origene verba faceret, cum antiquissimos illos Polycarpum et Irenæum nominasset? « Sed si quid ille ad hoc quod agit utile dixisset, hic non erat omissurus, quo nemo unquam studiosius Origenis libros legit. » Legit quidem et perquam studiose; sex etiam libros apologeticos edidit, magnam etiam partem libri sexti *Historiæ ecclesiasticæ* in illius rebus enarrandis consumpsit : ejus libros sæpe ad historiam ipsius illustrandam advocat, et quid de libris S. Scripturæ senserit, quam de apostolis traditionem acceperat enarrat, eum tamen nunquam testem adhibuit ad ullum apostolicorum virorum scriptum confirmandum. Quare autem non in Ignatio eum omitteret, quem in omnibus aliis omisit. Leges quas ipse ad discernendos dijudicandosque veterum libros fixerat, hic plane penitusque observavit; ἀρχαίους, scilicet, κεχρημένους, Polycarpum et Irenæum nominavit. Sarta itaque tecta est Eusebii diligentia, salva prudentia atque judicium : nullus hic error, nulla oscitatio, nulla hallucinatio, quas Dallæus sine ullo fundamento tam liberaliter *Historiæ ecclesiasticæ* Patri tribuit. Nullo denique modo testimoniis ex Origene productis præjudicat Eusebii silentium. Aliunde enim satis certo novimus utrumque hoc opus esse vere Origenicum. Commentarios in Canticum canticorum scripsisse testatur S. Gregorius Nyssenus in *præmio* : Εἰ δὲ, τοῦ Ὠριγένους φιλοπόνως περὶ τὸ βιβλίον τοῦτο σπουδάσαντος, καὶ ἡμεῖς γραφῇ παραδοῦναι τὸν πόνον ἡμῶν προεθυμήθημεν, ἐγκαλείτω μηδείς « Quod si cum Origenes plurimum laboris et studii in hunc libellum contulerit, nos quoque quod a nobis est elaboratum litteris mandare lubenter statuerimus, nemo nos accuset. » Hoc opus quod habemus, eorum partem esse extra omnem controversiam ponunt, et Nysseni expositio consona, et res ipsa, et fragmentum Græce in *Philocalia* conservatum, et Cassiodori de Ruffino interprete testimonium. Pariter homilias in S. Lucam scripsisse Origenem certum est, quod et eas ipse laudet tomis *in Matthæum et Joannem*, et testetur Hieronymus ad Paulum et Eustochium. « Quamobrem petistis, ut, contemptis istiusmodi nugis, saltem triginta et novem Adamantii nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur, interpreter. » Ipse autem hoc se fecisse asserit; habemus Origenis homilias ex interpretatione Hieronymi, sicut in Græco habebantur.

Levia hæc sunt præ iis quæ sequuntur. Hic enim error unius Eusebii totam Ecclesiam Christi occupavit, infecit! Primo Athanasius eum hausit, qui « egregium quemdam locum, et suæ causæ utilissimum in epistolis nactus Ignatii, eum nomine laudavit, *sed ille* deceptus est; nihil *quidem* peccavit (*hoc largitur vir doctissimus*), *sed* ab Eusebio ostentata auctoritate delusus est. *Tum vero* hinc ab Athanasio illinc ab Eusebio *factum est ut* pauci deinceps fuerint qui ea falsa esse existimarent. » Tota hæc conjecturarum, suspicionumque congeries nullo negotio difflatur. Qua enim fiducia Athanasius ab Eusebio delusus fuisse dicitur, qui Polycarpum et Irenæum non minus quam Eusebius legerat? Cur Athanasio non minus quam Eusebio, imponere potuerunt Polycarpus et Irenæus, si illud revera testati non sint quod nostri eos testatos esse dicunt? An ille Eusebio diligentior aut in rebus hujusmodi perspicacior fuit? Imo quomodo Eusebius Ignatiana ex tenebris in lucem Athanasio induxerat, qui eadem in Origene ante legerat? Asseritur ab Albertino atque etiam Dallæo, pseudo-Dionysium Ignatiana sua ab Origene hausisse; cur non ab eodem epistolas has ab Ignatio scriptas fuisse didicerat Athanasius? cur non ab illo vetere scriptore, a quo sua Ignatiana sumpserat Basilius, Athanasio synchronus? Hæc omnia legisse Athanasium nemo dubitat : Eusebii autem *Historiam ecclesiasticam* aut diligenter evolvisse, aut omnino, eum ista scriberet, vidisse non constat. Scriptam eam fuisse postremis Eusebii temporibus, circa annum 330 vult Dallæus. Ante eum annum a Meletianis et Eusebianis apud Constantinum vexatus, et ab Alexandria Constantinopolin evocatus est. Post eum annum statim de calice fracto et Arsenio occiso accusatur : proximo, Dalmatio, qui ei Antiochiæ judex datus est, causam suam probare coactus, in exquirendo Arsenio occupatus est. Tum vero concilium Cæsareæ indictum, pro pervenire ideo recusavit, quia idem Eusebius, qui non diu ante *Historiam* ediderat, ejus loci episcopus esset : mox Tyri in concilio adesse coactus, sub judice inter alios etiam Eusebio nostro, ibidemque condemnatus, inde elapsus, confugit Constantinopolim, ubi statim sententiam relegationis accepit, et in Gallias exsul missus est. Restitutus quidem Alexandriam pergit, ubi tamen diu securus non fuit; sed hæreticorum domi æstu agitatus pontificem Romanum appellat, et novis criminationibus onustus Romam proficiscitur. Mox in synodo Antiochena depositus est, eique suffectus Gregorius. In Occidente igitur per complures annos subsistit, ubi Eusebianorum aut fama aut cura nulla Serdicensi synodo interfuit, a qua suæ sedi restitutus, Alexandriam tamen reverti vix diu postea ausus est : primo Naissum, dein Aquileiam, rursum Gallias postea Antiochiam petivit. Postquam illuc pervenerat, omniaque in Ecclesia præclare disposuerat, edictum pro dammatione ejus a Constantio exiit : et mox Syriani exercitu Ale-

xandriæ oppressus fuga elapsus est, et introducto Georgio, in eremum secessit: ubi diu versatus et ab hostium oculis penitus ereptus, multa conscripsit, illa præsertim, in quibus S. Ignatium laudavit. Quis jam dubitabit Athanasium aut in *Historia* Eusebii multum fuisse versatum, antequam ista scriberet, aut ex illius auctoritate dilectis suis fratribus Ignatium commendare voluisse? Ego quidem *non dubito quin*, cum S. Ignatium citavit, non ex auctoritate Eusebii, quæ sentio quam fuerit apud eum exigua, sed « pro sua singulari sapientia, id pronuntiaverit, quod ipsa tunc apertissima res reique ratio illi persuasit »

Tandem vero persentisco, quare *non peccasse* Athanasium largiatur Dallæus: autumat enim eum tantummodo « nomen quod epistolæ præferebant et apud adversarios receptum » erat, retinuisse: eo scilicet modo, quo Salmasius et Blondellus Ignatii nomine usi sunt, et epistolas citarunt; quas tamen fictas, spurias, suppositicias et ineptas putabant: proinde Ignatio nostro clypeum non obtendisse, nullam epistolis ejus auctoritatem tribuisse. Mira quidem hæc sunt, et quæ a nemine, ut opinor, Ignatianis vel infensissimo, ferri possunt. Quidquid ille de SS. Patribus senserit, non certe in hac re S. Athanasius ad eum modum, quo Salmasius et Blondellus, loquitur. Verba ex epistola ejus producturus, ita præfatur: Ἰγνάτιος οὖν ὁ κατὰ τοὺς ἀποστόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ καταστατθεὶς ἐπίσκοπος, καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ γενόμενος, γράφων περὶ τοῦ Κυρίου εἴρηκεν. « Ignatius igitur post apostolos Antiochiæ constitutus episcopus, et martyr Christi factus, scribens de Domino dixit.

Asserit igitur eum cujus sententiam fratribus communicaturus esset, non impostorem, non vulgarem aliquem, aut e trivio scriptorem, sed virum apostolicum, et quod majus aliquid est, Antiochenæ, hoc est, amplissimæ Ecclesiæ episcopum, et quod maximum est, martyrem Christi fuisse. In illa quam ex Ignatio adducit sententia, Christus dicitur ἀγέννητος sed alios post Ignatium aliter locutos esse ostendit, ἕν τὸ ἀγέννητον ὁ Πατήρ. Tum vero quantæ auctoritatis Ignatius apud se fuerit, quantæ apud fratres suos et dilectos esse debuerit apertissime demonstrat Εἰ μὲν οὖν, inquit, καὶ πρὸς τούτους ἐναντίως διακείμεθα, ἔστω καὶ πρὸς συνόδους ἡμῖν ἡ μάχη. « Si igitur et his adversemur, sit nobis etiam adversus synodos pugna. Si horum sententias non recipiamus, si de earum auctoritate aut veritate dubitemus, si tantis Patribus refragemur, adversus etiam synodos arma sumamus, vel illam quæ Paulum Samosatenum, vel hanc etiam, quæ Arium condemnavit, respuamus, conculcemus. Haud enim renuo: neque major mihi est, aut vobis esse debet, harum synodorum quam eorum Patrum auctoritas. Εἰ δὲ τὴν ἐν Χριστῷ πίστιν αὐτῶν γινώσκοντες πεπείσμεθα ὅτι καὶ ὁ μακάριος Ἰγνάτιος ὀρθῶς ἔγραψε. « Si autem eorum in Christo fide cognoscentes, persuasum habemus tum beatum Ignatium recte scripsisse, » tum etiam et alios, qu contraria statuisse verbotenus videantur, qui Nicænam synodum, et illam quæ Paulum c mnavit, admittamus? Ut illi aliter ἀγέννη hæ aliter ὁμοούσιον acceperunt. Nihil unquai potuit aut de vero et indubitato auctore ep confidentius, aut de ipso Ignatio honorifice nihil quod *suspectam ac defensam* a nostris *tianorum contra dissentientes auctoritatem* t stabilire possit; *quod illa doctissimi Hammon* Dallæo videtur, *sane magnifica*, ut mihi, et modesta, *plane significant. Post Eusebium*, i *Athanasius Magnus suum etiam Ignatio nostr peum obtendit.* Ego nihil in his verbis *magn* reperio, nisi forte quod Athanasium testem eum *Magnum* vocat, qui titulus illi semper ptus nunc nimis honorificus videtur; aut Ignatium *nostrum* appellat, quem tamen illi esse nolunt. Nam quod Athanasius, si revei gnus sit, Ignatio nostro, si noster dici possit nos defendimus, testimonium suum offerat e *clypeum obtendat* adversus hodiernos Ignatii l negari non potest. *Clypeum suum* obtendis etiam vir doctissimus, sed *veritati*, non Ig sed contra *Arianorum tela*, non contra hostes tii. At quomodo veritati tunc obtendere pot nunc Ignatianis, quando in dubium vocantu obtendat? Veritas Christi impostorum ope n diget: neque apistolicus Ignatius et pro esse potuit, nisi et ille verus esset, apostolic licet, et episcopus, et martyr. ut eum Atha describit. Quod autem clypeo hoc usum vult *Arianorum tela*, plane falsum est. Sæpius ad Arianos disputat de voce ἀγέννητος, nunqua tem in ea re testimonio Ignatii utitur. Et or contra Arianos secunda, docet eos eam voc ethnicis hausisse, et opponit illis Asterium Arianæ hæreseos defensorem (non autem Ign qui σοφίαν τοῦ Θεοῦ ἀγέννητον dixerat, qu idem etiam ἕν εἶναι τὸ ἀγέννητον asseruisset epistola de synodi Nicænæ decreto, contra al dogmata Origenem, utrumque Dionysium et gnostum citat; Ignatium neque adversus ist que in disputatione de voce ἀγέννητος, de qu agit, omnino nominat. Ad fratres tantum et di et eidem cum ipso doctrinæ de natura Christ sentientes, auctoritate Ignatii utitur: nequ quam *scriptoris alioqui dubii*, sed et apud e quos scripserat, recepti, et ab ipso modis on ornati, neque cum ista scriberet, a quop dubium vocati. Quorsum igitur hic Salmas Blondellum advocat, quasi pari modo Ign epistolicum citassent, quem spurium et sup tium crediderunt? Imo quare etiam simul mondum tanquam « tristem et severum, et jo animadversione, *imo* joco tam diluto atque lo tito » utentem suggillat? Quid vero est quod Ha dum, virum sane optimum doctissimumqu *tristem et severum* fuisse arguit? quis ille, a

cus tam dilutus tamque *longe petitus?* Nempe itavit Salmasium, qui tam varie de Ignatio locus est, mentem mutasse; quod *qui Salmasium vit non facile credet.* Quid igitur? annon Claudius rravius senator Parisiensis, novit Salmasium? nue ejus omnia admiratus est, et præcipue illud us de primatu papæ, cui hoc elogium inscripsit: *pergas istis machinis Urbem concutere, brevi* ET ALTO A CULMINE ROMA? Et tamen summus hic ılmasii amicus atque fautor non veritus est « istius eneris carpere sandalium. Non placet, *inquit*, quod a in apparatu culpes, quæ in ipso opere laudas. De ıatianis epistolis intelligo, quas in apparatu, qui rior legitur, merito τῆς νοθείας revincis, et tamen arum auctoritate sæpiuscule uteris quasi essent leitimæ, nec titulus auctorem mentiretur. Saltem de sta tua sententiæ mutatione aliquid significasses ». udicent jam eruditi an Hammondus, an Sarravius nollius carpserit istius Veneris sandalium: interim Hammondum absolvunt Athanasius et Sarravius. Nullus impostor Eusebium delusit, nullus Eusebius Athanasium.

CAPUT IX.

Testimonia S. Chrysostomi ab objectionibus vindicantur. Primum in panegyrico ex epistola ad Romanos. Chrysostomus epistolas Ignatii nec ignoravit, nec contempsit. Sententiam non ex Actis, sed ex epistola excerpsit. Cyprianus a Chrysostomo laudatus. Secundum ex epistola ad Polycarpum. Oratio, quod unus sit V. et N. Testamenti auctor, Chrysostomo ascribitur. Conjecturis Savilii et Usserii respondetur.

Duo testimonia e S. Chrysostomo eduximus, licet allæus Hammondum laudet, quod hunc testem miserit; et in eo maxime triumphet, quod in præara oratione, quam de martyrio S. Ignatii habuit, pistolarum ejus nullam mentionem fecerit; indeue colligat, aut eum illas ignorasse, quod verisile non est; aut contempsisse, quod potius ampletitur, adeoque Ignatii vere esse non putasse. Nos tem dissertissimam sententiam adduximus, quam rysostomus in illa ipsa oratione ex epistola ad manos transcripsit; neque igitur eam ignoravit, que contempsit; imo pro vere Ignatiana habuit, ter nunquam in panegyri verba ejus recitas. Negat vir doctissimus transcripsisse ex epila. ex Actis putat habuisse. Cogor itaque sæpius onere. Acta quæ exstabant ætate Chrysostomi, m sententiam minime memorasse: posteriora tem, post ejus mortem composita. Ignatii dicta epistolis hausisse. Aliunde igitur quam ex epila quam tunc exstitisse tum alibi, tum præcipue tiochiæ omnes fatentur, hæc verba hausisse Chrystomum, *hariolari. frivolum et ineptum est.* Non it quidem orator ille summus eum scripsisse: tum ἐφθέγξατο, *locutus est*, ait: plane ut alias et. Ita homilia undecima in epistolam ad Ephes: Ἀνὴρ δέ τις ἅγιος εἰπέτι δοκοῦν εἶναι τολμηρὸν, ἦν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο· τί δὴ τοῦτό ἐστιν; οὐδὲ στυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλεῖψαι τὴν ἁμαρτίαν ἔφησε· « Vir quidam sanctus id dixit, quod videtur audax esse; tamen locutus est: quid jam hoc est? ne martyrii quidem sanguinem peccatum hoc *schismatis* eluere posse dixit ». Quamvis autem neminem nominet, quamvis ter *dixisse* eum, nunquam autem *scripsisse* ista asserat, non tamen dubitandum esse sentio, quin S. Cyprianum intellexerit, et libellum de unitate Ecclesiæ respexerit, in quo ista de schismaticis legimus: « Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine eluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiæ nec passione purgatur ». Hoc est quod Chrysostomus τολμηρὸν appellat, quod Cyprianus pluribus tamen probat, et ad ejus exemplum etiam ibidem Chrysostomus ipse fusius persequitur.

« Sed ex Chrysostomo certi sumus, *inquit Dallæus*, hæc Romæ Ignatium ad Romanos præsentes dixisse. Parum ergo est probabile eadem jam ante eumdem Smyrnæ consistentem ad Romanos scripsisse ». Unde autem ex Chrysostomo *certi simus* Ignatium ea verba *Romæ*, aut *ad Romanos præsentes* protulisse, ego non intelligo. Non enim cicit eum *Romæ* tum fuisse, non innuit Romanos *præsentes* esse, cum ista proferret sanctissimus martyr. Id tantum asserit eum *generose et cum volnptate* mortem oppetiisse, et ἁσμένως, cum lubentia quadam vidisse bestias. Sed πόθεν τοῦτο δῆλον; *unde hoc*, inquit, *apparet?* Ac si diceret, unde hoc cognovimus? ex Actis ejus nihil tale colligere possumus: illi qui eum comitati sunt qualiter se gesserit in theatro non enarraverun,,a quorum consortio « subductus est cum festinatione in amphiteatrum, deinde confestim profectus bestiis. Unde *igitur* hoc apparet? ἀπὸ τῶν ῥημάτων ὧν ἀποθνήσκειν μέλλων ἐφθέγξατο, ab illis verbis quæ cum futurum esset ut moreretur, locutus est ». Quando autem illud erat? diu enim erat ἀποθνήσκειν μέλλων. Audiamus porro Chrysostomum: Ἀκούσας γὰρ ὅτι οὗτος αὐτὸν τῆς τιμωρίας ὁ τρόπος μένει, « Ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὀναίμην, » ἔλεγε. « Cum audivisset, quod hic supplicii modus eum maneret »: « Utinam ego illis bestiis fruar, » *inquiebat*. An primum *Romæ* audivit se bestiis objectum iri? an *Romanis præsentibus* hæc necessario locutus est? Certe a Trajano Antiochiæ ad bestias condemnatus est; ab illo tempore novit quod mortis genus ipsi subeundum esset: post illud tempus dixit: « Utinam ego illis bestiis, ad quas condemnatus sum, fruar; » id nos eum Smyrnæ dixisse et scripsisse credimus ad Romanos quidem, sed absentes; Romæ autem eadem verba pronuntiasse (quamvis id quoque fieri potuisse nemo diffitebitur) nec Chrysostomus, nec ante eum quisquam dixit. Et si cuiquam tunc ea verba recitavit, certe fidelibus Romæ ex epistola quam ad eos scripserat, eadem iterum in memoriam revocavit; ita enim antiquissima ejus Acta: « Quibusdam autem et annuntiavit silere, ferventibus et dicentibus quietare plebem ac non expetere perdere justum. Quas confestim spiritu cognoscens, et omnes salutans, petensque ab ipsis veram charitatem, plu-

raque iis quæ in epistola disputans, et suadens non invidere festinanti ad Dominum ». Forte igitur inter reliqua quæ Romam Smyrna scripserat etiam hanc sententiam iteravit ; ita nihil Dallæo vel ex Chrysostomo certum, vel aliunde probabile est.

Nos autem multo certiores sumus sententiam illam Ignatii ex ejus epistola a Chrysostomo desumptam esse. Id enim ex verbis sequentibus satis liquido apparet : Ἐγὼ τῶν θηρίων, inquit, ἐκείνων ὀναίμην, ἔλεγε. Τοιοῦτοι γὰρ οἱ ἐρῶντες ὅπερ ἂν πάσχωσιν ὑπὲρ τῶν ἐρωμένων μεθ' ἡδονῆς δέχονται.« Utinam ego illis bestiis fruar, ait. Tales enim amatores quidquid patiuntur pro amatis cum voluptate suscipiunt ». Alludit enim manifeste ad præclara illa verba in eadem epist. ab omnibus decantata, ζῶν γὰρ ὑμῖν γράφω ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Imo vero per totam eam orationem ubi de Ignatio loquitur, ad hanc præcipue, sed et ad alias collineavit. Cum animam ejus adeo laudat tanquam τῶν παρόντων ὑπερορῶσαν ἁπάντων, καὶ τῷ θείῳ ζέουσαν ἔρωτι, καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα τῶν ὁρωμένων προτιμήσασαν, « præsentia omnia contemnentem, et divino amore flagrantem et ea quæ videntur, iis quæ non videntur præferentem », diserte respicit epistolam ad Romanos, in qua hæc tria capita præcipue, et ardenter, et fuse tractantur. Cum eum soli comparat (καθάπερ ἥλιός τις ἐξ ἀνατολῆς ἀνίσχων καὶ πρὸς τὴν δύσιν τρέχων, « tanquam sol aliquis ab oriente surgens et ad occidentem decurrens) », sine dubio hæc epistolæ verba in animo habuit, τὸν ἐπίσκοπον Συρίας κατηξίωσεν ὁ Θεὸς εὑρεθῆναι (vel πορευθῆναι) εἰς δύσιν, ἀπὸ ἀνατολῆς μεταπεμψάμενος, « episcopum Syriæ dignatus est Deus, ut in occidentem pergeret, ab oriente eum accersens; et cum illa paulo post addidit : Οὗτος δὲ εἰς τὰ τῆς δύσεως ἀπελθὼν μέρη, φαιδρότερον ἐκεῖθεν ἀνέτειλε, multo adhuc apertius ad illa quæ apud Ignatium sequuntur, allusit, καλὸν τὸ δῦναι ἀπὸ κόσμου πρὸς Θεὸν, ἵνα εἰς αὐτὸν ἀνατείλω. Cum eum cum apostolis versatum esse asserit, καὶ ῥητῶν καὶ ἀποῤῥήτων αὐτοῖς κοινωνήσαντα, *non tantum effabilium sed et arcanorum participem*, non potest non respicere ea quæ ad Trallenses scribit Ignatius de cœlestibus, de angelis et principatibus, quæ nunc tantopere displicent. Cum denique iter ejus quod confecit enarrat, μακροτέρους διαύλους τοῦ δρόμου, et, τῶν ἐκκλησιῶν συγκρότησιν, civitatesque κατὰ τὴν ὁδὸν συντρεχούσας memorans, illud ex epistolis plane persequitur, quod Magdeburgensibus adeo displicebat. Vel ex ipsa igitur Ignatii panegyrico certum est S. Chrysostomum epistolas ejus optime novisse, magnique æstimasse, et ex earum una celebrem sententiam excerpsisse.

Sed epistolas non nominavit, cum *propriarum martyris laudum inopia laboraret*. Imo vero orator ille consummatissimus optime novit quæ panegyricam orationem maxime ornarent, itaque epistolas omisit, cætera prosecutus est. Orationem instituit περὶ τῶν κατορθωμάτων, *de rebus præclare* ab Ignatio *gestis*, ut non semel profitetur ; de iis quæ maxime ad auditores facerent. Itaque apostolorum consortium, et episcopatum commemorat, ut amplitudinem urbis, et antiquitatem Ecclesiæ Antiochenæ extolleret ; martyrium autem eleganter describit, ut vehementius populum ad reliquiarum venerationem accenderet. Epistolas, ut rem omnibus cognitam, nec panegyrico dicendi generi conveuientem omittit Gregorius Thaumaturgus panegyricum coram Origene habuit ; scripta ejus non laudat, ne nominat quidem ; imo ne scripsisse eum quidquam indicat. Epistolæ S. Cypriani semper fuere celeberrimæ ; eas aliquoties laudat S. Augustinus : at cum in Natali ejus sermones aliquot institueret, nunquam eas commemoravit ; laudat ubi disputat, ne meminit quidem ubi panegyristen agit, ubi tanquam *episcopum misericordissimum et martyrem fidelissimum*, non tanquam scriptorem elegantissimum repræsentat. Hæc satis putavit « ad memoriam præsentis *loci*, festivitatem solemnissimi diei, propositionem saluberrimi exempli ». Pariter S. Chrysostomus in panegyrico epistolas non commemorat, quamvis iis utatur, ad easque frequenter respiciat ; in alia tamen oratione, epistolam ad sacerdotem quemdam, Polycarpum scilicet, citat Exstat autem ea oratio in tomo VI cujus titulus est : « Quod unus Veteris et Novi Testamenti legislator sit », ex qua testimonium Chrysostomi secundum produximus.

Quid de illa oratione senserit vir doctissimus haud satis certo scio ; non dubito tamen quin illa nobis repositurus esset, si viveret, quæ scripsit venerandus senex Usserins ; cum Usserianis sæpissime usus sit Ille autem orationem eam. S. Chrysostomo abjudicat, ut epistolam Ignatii ad Polycarpum inter fictitias numerare posset. Sed illius opinioni in hac re non accedo. Potior mihi auctoritas Photii, de veterum scriptis optimi judicis, qui Bibliothecæ suæ codice 277, cum ex aliis tum ex hac oratione plurima excerpsit. Ἐκ τοῦ λόγου, ὅτι παλαιᾶς καὶ νέας Διαθήκης εἷς ὁ νομοθέτης. Καὶ εἰς τὸ ἔνδυμα τοῦ ἱερέως καὶ περὶ μετανοίας. Qui titulus hujus orationis totidem verbis nunc exstat. Et verba quæ quidem plurima inde collegit, etiamnum in hac oratione, quamvis haud satis sana, apparent. Certissimum igitur est eam Photium vidisse et pro vere Chrysostomiana habuisse. Sed D. Savillus Etonensis collegii (cui ego litterarum primitias debeo), et patriæ nostræ decus, paulo aliter sensit. « Neque vero tanti est apud me auctoritas Photii, *inquit*, qui alia quædam non optimæ notæ recipit, ut inter γνησίας ἀναμφιβόλως adnumerandam » hanc orationem *censeam*. Satis hæc quidem caute ; auctoritas Photii eum permovit ut orationem ne quidem inter ἀμφιβαλλόμενα locaret, non tamen ei persuasit ut inter genuinas sine controversia adnumeraret. Quod si habuisset testimonia illo Photii antiquiora, forte etiam inter genuinas numerasset. Ante centum autem fere annos Adrianus papa I hanc ipsam orationem in epistola ad Carolum regem sub nomine S. Joannis Chrysostomi citavit ; et ante eum Epi-

phanius diaconus adversus Gregorium episcopum Neocæsareæ. Ante hunc, ut in secunda synodo Nicæna legimus, «Theodosius venerabilis præses S. Andreæ apud Nesium, libellum ejusdem B. Patris Joannis Chrysostomi attulit, quem in manibus acceptum Antonius monachus legit. Beatæ recordationis Patris nostri Joannis Chrysostomi oratio: «Quod Veteris et Novi Testamenti unus sit legislator, et in vestimentum pontificis; *cujus initium est*, Evangelium regni Christi prophetæ quidem annuntiant (plane ut nunc Græca sonant : Τῆς Χριστοῦ βασιλείας τὸ Εὐαγγέλιον κηρύττουσι [μὲν] προφῆται), *et paulo post* : Ego et ex cera fusilem picturam pietate plenam amavi. Vidi enim angelum in imagine barbarorum nubes propulsantem; vidi barbarorum cohortes conculcatas, et Davidem vere dicentem : «Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges [13]. » Quæ nos in eadem oratione ita Græce legimus ' Ἐγὼ καὶ τὴν κηρόχυτον γραφὴν ἠγάπησα εὐσεβείας πεπληρωμένην· εἶδον ἐν εἰκόνι ἄγγελον ἐλαύνοντα νέφη, βαρβάρων, εἶδον πατούμενα βαρβάρων φῦλα, καὶ τὸν Δαβὶδ ἀληθεύοντα, Κύριε ἐν τῇ πόλει σου τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐξουδενώσεις. Paucissimæ sane S. Chrysostomi orationes sunt, pro quibus tot ac tam vetusta testimonia afferri possunt.

Quod ad stylum attinet, et dicendi characterem, non facile hic aliquid et simul certo deliniri potest; quoniam oratio ipsa non est satis integra, sed pluribus in locis corrupta, neque enim aliunde venustas Chrysostomiana mihi deesse videtur. De allegoriis cur querantur non habent illis enim tum tantum adeo frequenter utitur, cum id argumentum postulat, scilicet, cum de vestimentis sacerdotum agit. Quod objiciant idem de unico legislatore argumentum in germanis ejus scriptis sæpius egregie γυμνασθὲν, hic autem vix idque frigide attingi ; id potius orationem Chrysostomo vindicat, quam abjudicat : una enim tantum ex tribus partibus huic argumento in hoc libello impenditur, et auctor ipse monet de hac re se prius disseruisse, et ea quæ prius dicta erant tantummodo in memoriam nunc revocare : Οἶδα, inquit, τοῦτον πρώην γυμνάσας τὸν λόγον, ἀλλ' ἐπαναλαμβάνω πρὸς ὑπόμνησιν. Quod denique scriptam velint orationem hanc « imminenti b sexitio orientalis imperii barbaris nationibus, quod in tempora Chrysostomi vix quadrare potest: » id omnino vim nullam habet. Non pauca a Chrysostomo diacono scripta sunt, nonnulla etiam ab Anagnoste. Tunc autem Valens imperator fuit Antiochiæ, unde accersitus Constantinopolim pergit, ubi populum consternatum reperit, οἱ γὰρ βάρβαροι καταδραμόντες τὴν Θρᾴκην ἤδη καὶ τὰ πρυάστεια ἐπόρθουν τῆς Κωνσταντίνου πόλεως : « nam barbari, qui jam Thraciam depopulati fuerant, ipsa quoque Constantinopoleos suburbana vastabant; » cumque iis congressus Valens periit, Socrates lib. IV, c. 38. Post discessum etiam Valentis ab Antiochia statim Saraceni defecerunt, si vera narrent Socrates et Sozomenus : Πάντα οὖν τὰ ὑπὸ τὴν ἀνατολὴν ὑπὸ τῶν Σαρακηνῶν κατὰ τὸν αὐτὸν ἐπορθεῖτο χρόνον. « Cuncta igitur versus orientem loca a Saracenis eodem tempore vastabantur. » Nonne hæc opportuna satis et justa oratori causa fuit, ut populum ad pœnitentiam hortaretur, eaque Deum permoverent, ἵνα πολέμους ἀφανίσῃ, καὶ βαρβάρους σβέσῃ. Sed et cum jam Constantinopoleos episcopus creatus fuisset, Gainæ barbari tyrannis erupit, qui Gothorum universam gentem e sedibus suis accivit, et Romanos omnes multitudine barbarorum terruit, quos etiam in ipsam urbem Constantinopolim induxit, καὶ βεβαρβάρωτο ἡ πόλις ὑπὸ τῶν πολλῶν μυριάδων, ut loquitur Socrates. Tunc fuisse traditur illa angelorum visio, quæ barbarorum conatus repressit : unde fortasse exponi potest γραφὴ κηρόχυτος, quæ hac ipsa oratione proponitur. Non erat igitur, cur hanc unam Savilianarum rationum recitaret Armachanus.

Cum autem reverendus senex Usserius adhuc etiam conjecturis suis indulserit, et dubitaverit an ab auctore orationis, an ab interpolatore ea quæ protulimus dicta sint, hæc a nobis multo severius examinanda sunt. « In Romana, inquit, cardinalis Sirleti et Basiliensi Jo. Jacobi Beureri editione ista non habentur. » Hæc enim non sunt duo exemplaria, sed unum tantum ; Sirleti enim Græca cum Latinis Beureri Basileæ edita sunt sine ope alterius codicis : et Beurerus ipse conqueritur exemplar illud Romanum fuisse mendose et negligenter descriptum et alicubi lacunis hians. Lacunas illas D. Savilius ex Cæsareo codice supplevit. Nulla itaque hic de interpolatore justa suspicio. In Romano codice aliquot pagellas deesse notavit D. Savilius ; idque manifesto ex ipso loco deprehenditur. Ita enim apud Sirletum et Beurerum legebatur : Κελεύει οὖν τὴν κεφαλὴν μὴ εἶναι γυμνὴν, ἀλλὰ κεκαλυμμένην, ἵνα μάθῃς τί καὶ μεταξὺ τούτων οἱ κώδωνες, id est « jubet caput minime esse nudum sed coopertum, ut scias quid etiam inter hæc tintinnabula. « Quis autem non videt posteriora hujus sententiæ a prioribus toto cœlo distare ? Quis non statim persentiscit aliquot pagellas deesse inter ἵνα μάθῃς et τί καὶ ? quod veteribus mss. perquam familiare est. Ubi enim librarius incidit in codicem ex quo una vel plures paginæ forte excisæ sunt, aut non animadvertens, aut nihil curans, omnia eodem tenore solet describere : idque non in eodem opere tantummodo, sed etiam in diversis eodem volumine comprehensis sæpe factum est, ubi finis unius, initium autem alterius ab exemplari describendo prius excisum est. Hoc in epistolis Polycarpi et Barnabæ viri docti jampridem deprehenderunt : hoc ipse in mss. Thomæ magistri, et Theodori pœnitentialis observavi, qui apud nostros Cantabrigienses asservantur. Cum igitur editio D. Savilii tam clare atque perspicue omnia suppleat, ut prior pars sententiæ tam inconditæ iis

[13] Psal. LXXII, 20.

jungatur,quæ proprie sequuntur, κελεύει οὖν τὴν κεφαλὴν μὴ εἶναι γυμνήν, ἀλλὰ κεκαλυμμένην, ἵνα μάθῃ ἡ κεφαλὴ τοῦ λαοῦ, ὅτι κεφαλὴν ἔχει, et posterior pars ejusdem sententiæ iis subjungatur,quæ proprie præcedunt, ἄνθη δέ εἰσιν ἱερέως συντυχία, ὁμιλία, ἦθος ἀγαθὸν, λόγος χρηστὸς, πίστις, δόξα, ἀλήθεια, δικαιοσύνη, καὶ μεταξὺ τούτων οἱ κώδωνες, ἡ συμφωνία τῶν καλῶν ἔργων, quivis perspiciat,non aliquam interpolationem infultam, sed justam atque necessariam suppletionem factam fuisse ex codice Cæsareo. Quæ quidem etiam exstat in codice Barocciano 131,p.178 Oxonii,sub nomine etiam τοῦ Χρυσοστόμου, et a Photio confirmatur, qui in excerptis agnoscit ea quæ nunc reperiuntur in supplemento.Præterea exstat hæc oratio in alio codice Barocciano, nempe 186, fol. 26, ubi multo major est lacuna,quam illa quæ fuit in editione Romana. Ita enim ibi legimus,κελεύει καὶ τὴν κεφαλὴν προσφορὰν καὶ περὶ ἁμαρτίας, adeo ut desiderentur omnia a pagina 645, lin. 14, usque ad paginam 646, lin. 35 editionis Savilianæ. Vana est igitur de interpolatore conjectura; testimonium nostrum, ab ipso hujus orationis auctore prolatum est; epistola ad Polycarpum non ab impostore,sed S. Ignatio scripta est.

A

B

CAPUT X.

Pseudo-Dionysii ætas eruitur. Dallæi sententia proponitur et refutatur. Plurimi catholici verum Areopagitam eum fuisse crediderunt ante a D. 630. Auctor, quisquis est, libros suos edidit diu ante a D. 520. Multis probatur eum quarto sæculo vixisse. Denique probabile est eum scripsisse postremis Eusebii temporibus.

C

Hactenus eorum Patrum testimonia defendimus, quibus litem movit adversarius, quosque vel id quod volumus minime testatos esse, vel, si hoc dici nullo modo posset, deceptos et delusos esse pronuntiavit.Quoniam vero Dionysium etiam tanquam testem citavimus,quem Dallæus ipse sententiam ab Ignatio in epistola ad Romanos scriptam commemorasse non tantum fatetur, sed et vehementer alibi contendit, id unum nunc restat, ut ætatem a nobis illi assignatam tueamur, et inter testes Eusebio coævos, si res ipsa patiatur, numeremus. *Historiam ecclesiasticam* postremis Eusebii temporibus scriptam volunt : iisdem et Dionysiana ego edita existimo, postremis nempe Eusebii temporibus.

D

Quam alte superioribus sæculis inhæserit de Areopagiticis magna existimatio, quantoque consensu atque veneratione scripta Dionysio vulgo attributa, tanquam genuinus antiquissimi illius apostolorum discipuli fetus,recepta sint,nemo nescit. Sed hos libros eam ætatem non ferre,et Dionysio Areopagitæ tribui non posse,sciunt jam tandem,et fatentur,opinor,ex omni parte eruditi.Illa enimvero sententiam, a viris quamplurimis ante explosam, nuper Dallæus penitus prostravit atque contrivit; et ne actum tantum ageret,multa de suo penu addidit,præcipue de ætate fictoris, et origine sententiæ quam refutat.Sed ut verissimam sententiam esse fateor, quam de Dionysio hypobolimæo defendit; negoque ullo pacto fieri potuisse, ut Dionysius Areopagita ea scripserit,quæ sub ejus nomine feruntur : ita quæ de origine opinionis contrariæ et ætate fictoris asserit Dallæus, illa prorsus a veritate abhorrere sentio. Quæ ab aliis accepit argumenta recte et pro suo more non minus fortiter quam fuse explicat : ea vero in quibus Blondellum suum secutus est, aut quæ ipse excogitavit, nihil solidi continere existimo. Tradit enim neminem ex Catholicis ante annum Domini 630, Areopagiticorum auctorem verum esse Dionysium aut affirmasse aut credidisse : hoc primum. Vult etiam auctorem,quisquis sit, vel quinto præcipiti sæculo,vel etiam ineunte sexto vixisse; neque ante annum Domini circiter 520, fetus hos suos Dionysio immani fraude suppositos edidisse : hoc secundum.Neutrum autem horum cum ulla veritatis aut probabilitatis specie asseritur.Ut hæc omnibus appareant,et methodo quadam certa ad veram pseudo-Dionysii ætatem eruendam procedam, ab illis incipiendum puto, quæ sunt novissima, ostendendumque,quinam Catholici ante a.D.630 Dionysium Areopagitam verum auctorem eorum quæ illi tribuebantur, fuisse et credebant et affirmabant.

Primo itaque Leontius, libro *De sectis*, agnoscit Dionysium Areopagitam,eumque inter Patres antiquissimos nominat, alibique eum *ætatis apostolorum* fuisset notat, et librum *De divinis nominibus* citat,ut Dallæus ipse fatetur.Utrobique igitur eumdem Areopagitam tanquam verum et non fictitium agnovit. At *constat*, inquit, *eum de sectis non ante a. D. 591 scripsisse*. Quidni? quia Eulogii meminit, quasi tunc temporis Alexandrini episcopi. Recte. *Eulogius autem mortuus est a D. 608*. Neque hoc nego. *Eulogiani autem episcopatus annos Nicephorus Cp. putat non 27 (quod perperam legitur apud Baronium), sed 17. Ergo ante a D. 591 non fuit episcopus*. Ita quidem Nicephorus Parisiis a Goar editus; sed Baronius Anastasium secutus est, qui Nicephorum transtulit, antequam codex ille scriptus est, quem Goar repræsentat. Consentiunt codici Anastasiano codices duo Græci antiqui,Oxoniensis atque Londinensis, iisque suffragatur Theophanes. Anastasius ex Theophane, *secundo imperii Tiberii anno Alexandriæ antistes habetur Ecclesiæ Eulogius*. Diu itaque ante a D. 591 potuit librum illum *De sectis* scribere Leontius. Et necesse est ut fateantur omnes, ante annum 608, quo mortuus est Eulogius, eum fuisse scriptum,hoc est pluribus quam 20 annis ante annum 630, ut ego autem arbitror, pluribus quam quadraginta.Eadem certe tempestate Joannes patriarcha Constantinopolitanus in homilia de pseudo-prophetis Areopagitam agnoscit, his verbis : Ποῦ Εὐόδιος, ἡ εὐοδία τῆς Ἐκκλησίας καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων διάδοχος; ποῦ Ἰγνάτιος,τὸ τοῦ Θεοῦ οἰκητήριον; ποῦ ὁ Διονύσιος, τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ; Hæc quidem homilia male ab aliquibus

ipse ait, Antiochenæ Ecclesiæ, quo tempore Flavianus ibi erat patriarcha et Anastasius Romæ imperator,» ut refert Photius codice 107. Scripsit itaque Basilius ille adversus Joannem Scythopolitanum ante annum imperii Anastasiani 21, quo anno Flavianus exsilium passus est, teste Theophane. Vel igitur ante sextum sæculum, vel eo jam ineunte scripsit Joannes Scythopolitanus. Qui autem scholia in auctorem scribunt, eum pro veteri aliquo habent, diu itaque ante sextum sæculum libri Dionysii editi sunt.

Maximus etiam indicat plures ante se in Dionysium commentarios scripsisse, ac variis interpretationibus illustrasse ; ut ad caput undecimum libri *De Divinis nominibus :* Ὅλην ἑνότητα οἱ μὲν ἔλαβον τὴν ἁπλῆν καὶ ἀμερῆ τῶν ὄντων αἰτίαν, πρὸς ἣν τὰ πάντα ἀπέστραπται ὡς ἐν αὐτῇ συνιστάμενα· οἱ δὲ, τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν ἐξ ἑτεροφυῶν τῶν στοιχείων συγκεκραμένην. *Per* totam unitatem « alii quidem intellexerunt simplicem et individuam rerum causam, ad quam omnia conversa sunt, utpote in ipsa consistentia ; alii vero harmoniam universi ex elementis diversæ naturæ commistam. » Et in ipsis Maximi commentariis diversæ sæpe expositiones sunt, a diversis sine dubio scholiastis primum profectæ ; inter hos autem varios scholiastas unum præcipue honoris causa nominat, sine controversia vetustum, ad caput quintum *Cælestis hierarchiæ :* Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος, ὁ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς σχολίοις οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν συνώνυμον, οὕτω λέγει. « Magnus igitur Dionysius, Alexandriæ episcopus, e rhetoribus, in scholiis quæ in beatum Dionysium sibi cognominem fecit, ita dicit. » Et Joannes Cyparissiotus, decade 1, cap. 1, cum sententiam Dionysianam ex epistola ad Titum adduxisset, addit : « Hoc dictum S. Maximus, et Dionysius Alexandrinus adnotarunt. » Et cum aliam sententiam ex eadem epistola, decade 2, cap. 2, citasset : *Alter vero*, inquit, « Dionysius hæc edisserens ait, eos qui apertam theologiam et velis nudam audierunt ; typos cogitatione sua formare, qui ad intelligentiam auditores adjuvent. » Unde satis certum est, Dionysium Alexandrinum in Areopagitam scholia scripsisse, non in Corinthiorum episcopum, quod tam inficete commentatus est Halloixius. Hunc quidem Dionysium, quem ἐκ ῥητόρων indigitat Maximus, haud credo fuisse Alexandrinum episcopum, quia in illius sedis episcoporum indiculo neminem ante Maximum reperio isto nomine insignitum, præter unum illum tertii sæculi, quem optimum oratorem quidem fuisse agnosco, sed in Areopagitica, quæ tunc temporis exstare non potuerunt, scholia scripsisse non puto. Nec tamen Dallæi solita libertas hic placet, qui Maximum *volentem deceptum* esse dicit, *cæco animi sui studio obsequentem* ; qui *versutiam* ejus notat ; qui *vetustiorum mentem pervertere* eum asserit ; qui *quo somnium suum aliis persuaderet, non simpliciter Dionysium Alexandrinum rhetorum, ut Anastasius et Choniates, sed*, magnum Dionysium illum Alexandriæ ex rhetoribus episcopum *dixisse* eum vult. His probris atque convitiis, ut solet, sanctissimum doctissimumque Maximum lacerat, Maximum illum, quem « in magna fuisse apud catholicos eruditionis et sanctitatis opinione » ipse confessus est : Ἐχρῆν οὖν εὐλαβῶς τοῖς τῶν πατέρων πόνοις προσέχειν· ἀλλὰ μὴ πρὸς διαβολὴν ἀντὶ τοῦ εὐγνωμονεῖν ἑτοίμους εἶναι. « Oportet autem Patrum laboribus reverenter attendere, neque ad calumniandum potius, quam ad bene de illis sentiendum promptos esse, » ut sapienter dixit Eulogius patriarcha Alexandrinus. At certe Choniatem pervertere Maximus non potuit, qui tot sæculis post ipsum vixit, et vetustiorum verba mutavit. Anastasium vetustiorem ipso non pervertit, sed ejus verba fideliter recitavit. Ipse enim Anastasius Dionysium illum non *simpliciter Dionysium rhetorem Alexandrinum*, ut falso docet Dallæus, sed *magnum Dionysium Alexandrinum ex rhetoribus episcopum* appellavit. Verba ejus sunt in opere quod inscribitur Ὁδηγός· Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος, ὁ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς σχολίοις οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον συνώνυμον αὐτοῦ Διονύσιον, οὕτω λέγει. Hæc fidelissime transcripsit Maximus, ne verbulo quidem addito, aut detracto, aut immutato ; ut ex utroque loco a nobis fideliter ex ipsis auctoribus descripto, liquido apparet. Unde simul et Maximus a calumniis Dallæi liberatur, et Dionysius scholiastes Areopagiticorum adversus Halloixii conjecturas ostenditur. Si enim, inquit ille, « Areopagitam intellexisset, potius, ut fert scriptorum consuetudo, sic locutus fuisset, » in notis quas scripsit in hunc ipsum Dionysium ; « agebat enim tum de Dionysio Areopagita. » At Maximus non suis verbis loquitur, sed alienis et ex Anastasio transcriptis (Anastasius autem de Dionysio Areopagita non agebat), ideoque Joannes Cyparissiotus, dec. 8, cap. 10, Areopagitæ locum citans, ubi vocem ἀγέννητος usurpat, Maximi, ut solet, expositionem transcribit, illa vero Dionysii Alexandrini non ex Maximo, sed ex beato Anastasio affert. Et Anastasius igitur et Maximus testantur, Dionysium quemdam rhetorem scholia in Dionysium, vulgo Areopagitam dictum, scripsisse : verba ejusdem nonnulla ex eo citant ipsi, plura Joannes Cyparissiotus ; illi etiam ambo eum episcopum Alexandrinum vocant : qui, quamvis nobilis ille tertii sæculi episcopus esse non potuit, fuit tamen satis vetustus auctor, et antiquitatem Dionysii hujus, in quem scholia tanquam in veterem auctorem scripsit, satis demonstrat.

Præterea Suidas in collectaneis ex veteri aliquo scriptore hæc tradit : Ἰστέον δὲ ὡς τινες τῶν ἔξω σοφῶν, καὶ μάλιστα Πρόκλος, θεωρήμασι πολλάκις τοῦ μακαρίου Διονυσίου κέχρηται, καὶ αὐταῖς δὲ ξηραῖς ταῖς λέξεσι : « Sciendum autem aliquos ex gentilium sapientibus, ac præsertim Proclum B. Dionysii theorematibus usum, atque adeo etiam meri-

ipsis dictionibus ». Quæ verba etiam in *Proœmiis* Maximi et Georgii Pachymeræ inveniuntur. Scripsit autem Proclus sub Leone Thrace, circa medium quinti sæculi. Eo igitur antiquior fuit Pseudo-Dionysius. Et Joannes Morinus « De sacris ordinationibus : Saltem igitur, *inquit*, librorum istorum scriptio initio quinti sæculi, et ante concilii Chalcedonensis celebrationem assignanda est; nec ulla rationi probabili ad inferius ævum devolvi potest. *Ut et Joannes Launoius :* Ut ego dicam breviter quod sentio, a tempore Ephesinæ synodi primæ vixisse mihi videtur. »Nec ab his dissentit Vossius *Hist. Pelagianæ*, l. VII, thesi 4 : « Dionysius cognomento Areopagita, quem ut credam Theodosii Junioris temporibus vixisse, verisimilibus adducor conjecturis ». Huc usque veterum testimoniis, et doctissimorum virorum suffragiis ad initium quinti sæculi provecti sumus, quo ad quartum jam facilius via sternitur.

Michael Glycas in *Historia* commemorat ea quæ facta sunt ab apostolis in obdormitione S. virginis Mariæ, ex Dionysio hoc præcipue atque Juvenale Hieroselymitano patriarcha. Nicephorus autem Callistus illud de Juvenale latius persequitur l. XV, c. 14. Docet Pulcheriam Augustam illum, cum ad celebrandam synodum Chalcedonem venisset, percontatam esse, an S. Virginis corpus apud Palæstinos inveniretur? Respondit ille tum ex traditione, tum ex Dionysio, quid de sepultura Virginis noverit. Erat igitur Dionysii liber *De divinis nominibus* satis notus, unde sua hausit Juvenalis. Respondet Dallæus primo : « Verba ex nostris Dionysianis descripta Nicephorus videtur ipse potius de suo adjecisse ad Juvenalis narrationem confirmandum, quam ea Juvenali tribuisse. Imo vero Nicephorus aperte testatur, Juvepalem ipsum hoc Dionysii testimonio usum esse, eumque hæc citantem inducit. Post enim verborum Dionysii recitationem statim addit : Ταῦτα διεξελθόντος Ἰουβεναλίου, οἱ κρατοῦντες τὴν ἁγίαν ἐκείνην ἐδέοντο πέμπειν σορὸν μετὰ τῶν ἱερῶν ἐκείνων ἀμφίων. « Hæc cum Juvenalis perorasset principes eum rogarunt, ut sanctum eum loculum una cum sacris vestibus mitteret ». Quæ quidem verba paulo accuratius observanda sunt, quod hic figmentum notaverit Albertinus, quod etiam Baronius confessus est ; qui observat « sepulcrum Dei Genitricis in petra excisum esse, et instar sepulcri Dominici nativi lapidis cohærentia loco immobiliter inhærere. *Unde miratur*, quomodo illud Constantinopolin dicitur fuisse translatum ». Indeque Albertinus mire triumphans ait : « Æque sane verum, narrationem supra memoratam Juvenalis esse, ac verum est, sepulcrum Virginis ab illo Constantinopolim missum ». Cum potius animadvertendum esset, Baronium sua ex Latino Nicephoro sumpsisse, et de *sepulcro* Constantinopolim misso inde somniasse ; Nicephorum autem tantummodo τὴν σορὸν, et τὰ ἄμφια illuc transmissa memorasse ; ἄμφια autem etiam ἐντάφια σπάργανα *sepulcrales fascias* appellat. Solo autem nomine τῆς σοροῦ in hac re utitur Nicephorus. Est autem σορός nihil aliud quam *loculus* vel *theca*, et σοροπηγός non est λατόμος, qui sepulcra Judæorum ritu ex petris excidit, sed qui tales arculas compingit et conficit. Vetus Glossarium Σορός, *arca funebris* Julius Pollux lib. VII, cap. 33 : Σοροποιός, σοροπηγός, σοροπήγιον, σορός· καλοῖτο δ' ἂν αὕτη καὶ πύελός, καὶ κιβωτὸς, καὶ λῆνός. Arcam igitur funebrem, et fascias aut vestes sepulcrales Constantinopolim Hierosolymis misit patriarcha Juvenalis, postquam Pulcheriæ tum ex traditione, tum ex testimonio Dionysii eas ad S. Virginem pertinuisse persuasisset. Hæc igitur cum nihil valitura perspiceret Dallæus, respondit secundo : « Historicos solere homines ea dicentes inducere, non quæ vere ac certo dixerunt, sed quæ illos ipsi dicere potuisse putant ». Quæ quidem responsio si in rebus hujusmodi admittatur, tollitur omnis fere ratio veterum testimonia admittendi. Quoties enim auctor aliquis scriptorem alium inducit alterius scripta citantem, nulla ei satis certa fides adhiberi poterit ; quia non id eum vere dixisse aut citasse, sed tantummodo id ex sententia referentis eum dicere potuisse colligi possit. Interim notissimum est, Nicephoro solemne esse non sua aliis affingere, sed aliena sua facere, et ex veteribus historicis suam *Historiam* compilare, illorum etiam verbis res gestas tradere, ut ex iis qui adhuc exstant, clare perspicitur ; unde sæpe fit ut veteres ecclesiastici historici ex eo vel illustrentur, vel etiam emendentur ; idemque iltum in aliis qui perierunt, fecisse prorsus credibile est et hanc ipsam historiam ex Theodoro lectore excripsisse. Hæc autem si vera sint, quis non concedet Dionysii scripta quarto sæculo exstitisse?

Certe Erasmus, tomo V. « De compendio perveniendi ad veram theologiam », putat Dionysium hunc fuisse S. Augustino seniorem. « Tametsi, *inquit*, D. Aurelius Augustinus accurate simul et copiose quatuor libris, quibus titulum fecit » De doctrina Christiana, « super hoc propemodum argumento disserit. Et ante hunc, opinor, Dionysius quidam in opere quod inscripsit « De divinis nominibus ; « rursus in libello cui titulum fecit » De mystica theologia. An Dallæus noverit hanc fuisse Erasmi sententiam, nescio : eam certe levissima conjectura ductus oppugnat, capite 22. Cum enim et Dionysius et S. Augustinus de susceptoribus pariter egissent, et ad objectionem de verbis pro infante in baptismo prolatis respondissent : « Non immerito, *inquit Dallæus*, hunc suspicor Augustino, quocum unus ista tractat, haud quaquam vetustiorem fuisse ». Imo vero plane *immerito* exorta est hæc suspicio. Qualis enim hæc ratiocinatio est? Dionysius et Augustinus vetustior esse non potest. Certe si hæc ratio valeat contra Erasmum, valebit etiam contra Dallæum : ergo Augustinus Dionysio vetustior esse non potest. Eum enim Dallæus statuit toto sæculo Dionysio vetustiorem. Valeret quidem aliquid, si praxis. Ecclesiæ, de qua ab utroque disputatum est, S. Augustino antiquior non fuisset ; sed morem eum diu

ante viguisse certum est, idque Bonifacius in ipsa illa Augustini epistola 23, his verbis clare significat : « Ad istas ergo quæstiones peto breviter respondere digneris, ita ut non mihi de consuetudine præscribas, sed rationem reddas ». Cum igitur ætate Augustini vetus fuerit hac consuetudo, potuit vel Dionysius, vel quivis alius, Augustino multo antiquior, de eadem re disserere. Hactenus igitur sarta tecta est Erasmi sententia.

Ego vero non tantum ante Augustinum, sed et ante Hieronymum scripsisse Dionysium puto : et eodem fundamento utor pro antiquitate ejus, quo Dallæus pro novitate demonstranda utitur, nempe verbis Petavii : « Primus Dionysius novem angelorum ordines et gradus distincte ac definite posuit ; *et* : Non temere apud antiquiorem aliquem (*de sæculis quærendum est*) novenarium hunc ordinum numerum invenias, cum nondum exstarent scripta Dionysii, a quo primum ille proditus est ». Hæc ille, et quidem *verissime*, judice Dallæo. Ille autem Dionysius a quo novenarius ordinum invisibilium numerus primum proditus est, certe ante Hieronymum vixit, illum enim scimus eumdem numerum prodidisse. Exstant sub ejus nomine in Psalmos commentarii, in quibus ad psalmum CXII, hæc legimus : « Collocavit Deus Pater Filium in cœlestibus in dextera sua ; et dominatur super principes, id est, super novem ordines angelorum, secundum illud » : Princeps militiæ, *vel* princeps virtutum ego sum. « Et insuper sanctos et in sua membra collocavit cum ipsis novem ordinibus angelorum ». Sed non est hoc opus Hieronymi, inquiunt : et quidem totum ejus esse non videtur : quamplurima tamen in eo contenta vere Hieronymiana esse, negare nemo potest : et quare hæc ipsa ei denegentur, rationem nullam video. Nam quod memorabilem Hieronymi locum ex commentariis in epistolam ad Ephesios adducit Petavius, illud plane nihili est : sunt enim illi ipsi commentarii nihil aliud ferme, quam ex veterum scriptis excerpta, ut fatetur ipse Hieronymus : et locus ipse qui adducitur, videtur esse plane Origenicus. Neque illud me movet, quod septem ordines enumeret lib. II, contra Jovinianum, quem juvenis scripsit ; tametsi inde colligat Petavius, satis inconsequenter, *Nondum Hieronymo constitisse de ordinum numero et appellatione*. Satis enim Hieronymo constabat do novenario ordinum numero et appellatione, cum scripsit apologiam adversus Rufflnum secundum, in qua Origenis hæretica rhetorice depingit : « In restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, cherubim et seraphim, thronos, principatus, dominationes, virtutes, potestates, archangelos, angelos, diabolum, dæmones, animas omnium hominum, tam Christianorum quam Judæorum et gentilium unius conditionis et mensuræ fore ». Novenarium igitur ordinum numerum distincte expressit Hieronymus, quem Dionysius primum prodidit : erat itaque Dionysius Hieronymo antiquior. Neque hoc mirum videri debet, cum Basilius Seleuciensis, Hieronymo synchronus, oratione 39, eosdem novem ordines, tanquam suo tempore notissimos, enumeret : Τάς τε τῶν ἀγγέλων χοροστασίας παραδραμεῖν, καὶ τοὺς αὐτῶν ταξιάρχας μετ' αὐτῶν καταγιπεῖν, ὑπεραναβῆναι δὲ καὶ θρόνων τὴν φαιδρότητα, καὶ τὴν ἔντιμον τῶν κυριοτήτων ὑπεροχήν, τήν τε τῶν ἀρχῶν ἡγεμονίαν, καὶ τὴν τῶν ἐξουσιῶν περιφάνειαν· ἔτι δὲ καὶ τὸ κραταιὸν τῶν θείων δυνάμεων, τό τε διορατικὸν τῆς τῶν πολυομμάτων χερουβὶμ καθαρότητος, καὶ τῶν ἐξαπτερύγων σεραφὶμ τὴν κατὰ πᾶν μέρος ἀκώλυτον κίνησιν. « Choros angelorum percurram, et eorum ordinum principes (*archangelos nempe*) relinquam ; evehar supra thronorum splendorem, honoratam dominationum celsitudinem, principatuum ducatum, potestatumque claritatem ; præterea supra potentiam divinarum virtutum, supra perspicaciam cherubinorum puritatis, et seraphinorum sex alarum motionem quaquauersus expeditam. »

Præterea non tantum Laurentius Valla indicat fuisse suæ ætatis viros doctissimos, qui judicaverint hos libros esse Apollinaris, sed etiam ex veteribus nonnulli, qui Areopagitæ fuisse pernegabant, aut Apollinari aut Didymo ascribebant ; et reverendus Usserius eosdem non dubitabat tribuere aut Apollinari, aut certe synchrono Dionysio cuidam, illi, nempe, ad quem Apollinaris scripsit, de quo legimus in collatione coram Hypatio sub Justiniano habita : *Nam et beati Julii famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse scriptam ad Dionysium*. Ab Apollinare quidem scripta Areopagitica non puto, cujus libelli nunc Athanasio, nunc Julio papæ, nunc Gregorio Thaumaturgo ab hæreticis ascribebantur, teste Leontio Neapolitano episcopo ; tum quod fragmentis ejus quæ supersunt, similia non sint ; tum quod dogmatibus ejus minime consentanea sint, quod sæpe observat Maximus. Neque vero Didymo ascribenda arbitror, qui cum Origenista esset, ea scripsisse minime putandus. Tantum inde colligo verisimillimum esse, ea ætate auctorem vixisse, qua Apollinaris et Didymus florebant, hoc est quarto sæculo.

Quid quod ab aliis etiam observatum est, Gregorium Nazianzenum, qui ante finem quarti sæculi mortuus est, hujus Dionysii quamplurima usurpasse? Haud pauca sane loca Billius in observationibus ex Nazianzeno congessit, et cum Dionysianis contulit. Unum etiam Dallæus ipse satis apposite observavit ; et ego quamplurima apud me in eamdem rem observata habeo. *Sed quæritur*, inquit, *uter ab utro sit mutuatus*. Et ego quidem Dionysium a Gregorio ea minime mutuatum esse credo ; quia scriptor ille ab aliis omnibus ecclesiasticis scriptoribus plane diversus est, et sui tantum similis. Omnia ferme ad Neotericam Platonistarum scholam conformavit, et a verbis et a notionibus sanctorum Patrum maxime abhorruit. Quisquis totam operis ejus compagem, admirandam sententiarum ex philosophia petitarum rotunditatem, et verborum in

eadem incude formatorum perpetuam scaturiginem observat, nunquam ex Gregorio, aut alio quocunque Christiano eum sua hausisse autumabit. Qui autem Nazianzeni orationes omnibus nativæ rhetoricæ coloribus depictas, et optimo dicendi genere præcipue triumphantes legerit, quoties ad obscuriora quædem et mahis philosophica deflectit, facile cum aliunde notiones eas derivasse, et quam potuit lucidissime tradidisse fatebitur. Et has quidem nonnunquam ex antiquis philosophis, sæpius autem ex Dionysio mutatum esse credimus. Contra Dallæus duobus argumentis, Dionysium ex Nazianzeno sua mutuatum esse contendit: quorum primum manifesta principii petitione laborat, et levissimam conjecturam ab ipso excogitatam pro fundamento habet. «At vero, inquit, cum claris certisque argumentis supra sit a nobis demonstratum, Areopagitica nonnisi post quintum sæculum fuisse edita ac cognita, stultum et absurdum est, Gregorium a. D. 389 mortuum hos libros pervolutasse, qui centum et amplius post ejus mortem annis erant nascituri.» Certe si Dallæo credimus, 130 anni post obitum *Gregorii* elapsi sunt, priusquam Areopagitica ederentur; sed hoc ab eo tantum dictum, nusquam demonstratum est. Qui enim variarum lectionum in codice Dionysiano numerum ætate Maximi observaverit; qui varios seholiastas, quos ante Maximum in eumdem notas conscripsisse apparet; qui Joannis Scythopolitani ætatem certam, et Dionysii Alexandrini incertam, ideoque, ut credibile est, multo longius ab illa Maximi remotam; qui sanctorum Patrum sexti sæculi de vero Areopagita, et aliorum de Magno et beato Dionysio sententiam; qui reliqua quæ de quinto sæculo adduximus; qui denique mss. codicum, quos alii memorant, et quem mihi vir carum rerum, dum viveret, callentissimus mihique charissimus non minoris antiquitatis, quam sit Septuaginta Interpretum in bibliotheca regis nostri codex, esse asseruit, vetustatem noverit; nunquam hæc de sexti sæculi editione dicta pro demonstratis, sed tantummodo pro mera ex conjectura atque præconcepta opinione prolatis habebit. Nulla itaque hic «ineluctabilis temporum ratio» nobis officit. Secundo inquit: «Cur Gregorius, si ista a Dionysio esset mutuatus, auctorem ingrato silentio dissimularet? Cur non ejus nomen ederet apud omnes venerabile?» Respondeo primo, nomen ejus ætate Gregorii non adeo venerabile fuisse; Nazianzenum eum pro vero Areopagita non agnovisse; auctorem eo quo scripsit sæculo pro viro quidem magno, sed sua sub alieno nomine edente acceptum fuisse. Respondeo secundo, Nazianzenum scriptores ecclesiasticos nominare non solere, si forte eorum sententias adducat. Saltem ego, dum illius opera pervolutavi, neminem ab eo ex catholicis ita nominatum animadvertit. Orphea quidem, Homerum et Hesiodum, Pythagoram, Herodotum, Pindarum et Platonem, Aquilam etiam atque Symmachum nominat; Christianorum scriptorum nomina, quoties eorum aliqua refert, semper, opinor, silentio supprimit. *Ingratum* hoc *silentium* ego non appello: utatur, per me licet, eo dicendi genere quod ipsi maximopere placebat, summus orator. Certe non magis erga Dionysium quam erga reliquos ingratus fuit. Eum enim pro more suo non semel tacito nomine, ut mihi videtur, significavit. Tum enim oratione 38 in *Theophania*, tum etiam 42 in *Pascha* hæc verba habet: Οὕτω μὲν οὖν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς Σεραφὶμ συγκαλύπτεται καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα καὶ θεότητα, δ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. «Sic nimirum Sancta sanctorum quæ etiam a seraphinis obteguntur ac tribus sanctificationibus celebrantur, in unam dominationem et Deitatem coeuntibus, quemadmodum et alius quidam ante nos pulcherrime et sublissime philosophatus est.» Hunc *alium quemdam* Dionysium significare, vir in lingua Græca summus Guillelmus Budæus observavit: quamvis S. Athanasium hic subintelligi notaverit Elias Cretensis. Sed quominus hæc de Athanasio intelligam, duo potissimum vetant, tum temporis ratio, tum genus scriptionis. Hunc enim primo Gregorius vocat τινὰ τῶν πρὸ ἡμῶν, hoc est *quemdam qui ante ipsum* vixit; quo loquendi genere uti solent Græci scriptores, cum hominem intelligunt antequam ipsi nati sint, aut saltem memoria pollerent, mortuum. Nazianzenus autem maximam vitæ partem cum Athanasio simul consumpsit: has ipsas orationes Constantinopoli dixisse videtur ante septennium post Athanasii mortem; scripsit autem, cum de statis solemnibus agant, forte etiam antequam Athanasius decessit. Qui autem eadem ætate vixit, licet ante eum qui scribit, et antequam scribat, jam defunctus sit, dici solet Græce τὶς καθ' ἡμᾶς, *quidam qui nostra ætate vixit*, ut ipse loquitur oratione 36: Ὡς τῶν καθ' ἡμᾶς φιλολόγων τις, Græce enim τὸ καθ' ἡμᾶς, et ἐπὶ τῶν ἡμετέρων χρόνων idem sonant, τὸ πρὸ ἡμῶν igitur proprie idem quod πρὸ ἡμετέρων χρόνων, *ante ætatem nostram*. Ita Gregorius ipse orat. 44: Καθὼς ἤδη τινὲς τῶν πρὸ ἡμῶν τὸ Σολομώντειον ἐξειλήφασιν. Orat. 28: Τὸ ἕτοιμον εἰς ἐκουσίαν ἀργὸν εἰς ἐπιθυμίας, ὥς τις ἔφη τῶν πρὸ ἡλῶν· et orat. 36: Τούτων οὐδέν φαμεν, εἰ καὶ τισι τῶν πρὸ ἡμῶν ὡς ἰσχυρὰ τέθειται. Aliquem igitur Nazianzenus indicat, quem ipse præ ætate non novit: quod de Athanasio dici non potest. Secunda, illa verba ὑψηγότατα πεφιλοσόφηται, indicare videntur aliquem, qui locutione quadam grandi atque sublimi eam rem prosecutus sit: id vero Athanasio nunquam tribuere voluit Nazianzenus, cujus styli simplicitatem ipse optime novit, cujus orationis sublimitatem in panegyrico nunquam laudavit, quem tantum σοφὸν τὸν λόγον, σοφώτερον τὴν διάνοιαν dixit. Neutrum igitur Athanasio, ambp Dionysio conveniunt; quem postremis Eusebii temporibus scripsisse nostra fert sententia. Certe quod mihi maxime verisimile videbatur dixi: et rem totam doctiorum judicio submitto.

CAPUT XI.

Argumentum negativum refutatur. Non rejicitur quod negativum sit, sed quod in hac re vim nullam habeat. Argumentum a testimoniis affirmativum negativum destruit. Intra annos circiter 200 quot auctores Ignatianis testimonium præbent. Ignatiana non fuerunt Alexandrinis incognita. Eutychii narratio excutitur. Plures episcopos in Ægypto fuisse ante Demetrium probatur. De Æthiopicæ Ecclesiæ origine et episcopis fuse disputatur. Ad argumentum de Jonensibus et Boiariis respondetur; et de Hieronymo atque Epiphanio. Ignota fuisse Tertulliano Ignatiana demonstrari non potest; ut neque Caio, neque Clementi Alexandrino, neque Origeni, neque Julio Africano, neque Lactantio, neque Dionysio Alexandrino. Argumenti collectio responsionum collectione expungitur.

Cum in priori *Vindiciarum* parte de omnibus quæ ad externum argumentum a testimoniis petitum pertinent, disputare mihi constitutum sit, jamque singulos testes ad Ignatiana confirmanda adductos ab adversarii objectionibus liberaverim ; necesse est ut eadem opera argumentum illud, quod omnium simul testimoniorum vim enervatum it, examinem, et formidandam alti ac diuturni silentii nubem dispergam. Ecce enim Dallæus argumentum fabricatus est et exposuit, quod unum sibi satis esse confitetur ; adeo ut reliqua omnia ideo tantum afferat, ut iis satisfaciat, qui huic non argumento, sed argumentandi generi diffidunt. Hoc igitur fuse quinque integris capitibus, a quinto incipiens, prosequitur. « Primum, inquit, et quidem adversus universas istas epistolas commune argumentum a scriptorum ecclesiasticorum silentio ducitur, qui ante Eusebium apud nos floruerunt. »

Non nunc de vi argumenti a testimonio negativi, sive a silentio scriptorum petiti disputo ; non nego aliquod hujusmodi aliquando etiam de suppositione ulicujus scripti valere : imo libenter non tantum concedo, sed et contendo tali argumento nixum nonnunquam Eusebium ipsum, quem sequimur, aliquorum librorum auctoritatem respuisse ; ut Andreæ et Joannis et aliorum apostolorum Actus repudiabat, ὧν οὐδὲν οὐδαμῶς ἐν συγγράμματι τῶν κατὰ διαδοχὰς Ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ εἰς μνήμην ἀγαγεῖν ἠξίωσε. « Quos nullus unquam qui continuata ab apostolis successione in Ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est. Hist. eccl. l. III. c. 25. Clementis etiam epistolam secundam rejecit, hanc unicam rationem reddens : Οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γνώριμον ἐπιστάμεθα, ὅτι μηδὲ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν. « Verum hanc non perinde receptam atque approbatam fuisse pro certo habemus, quandoquidem vetustiores ejus testimonio nequaquam usos esse comperimus, » l. III, c. 38. Ubi diligenter observandum est, discrimen in his ipsis libris dijudicandis ab Eusebio adhibitum ; priores prorsus et penitus condemnat, non tantum ob testimoniorum defectum, sed et ob materiam apostolicis scriptis minime consentaneam, et plane hæreticam ; posteriorem autem, quod vetustiorum testimoniis destitutus esset, pro non adeo recepto atque explorato tantummodo habet, unde ab aliis postea receptus est. Certum autem est Eusebium nec ullum librum inter canonicos, nec inter ecclesiasticos pro indubitare vero recepisse, quem scriptorum ecclesiasticorum ante se silentio præteritum et veterum testimoniis penitus destitutum animadvertit ; neque pro indubitate falso rejecisse atque condemnasse, nisi præter testimoniorum defectum aliquid in libri materia vitiosum deprehenderit, ut in Petri et Apionis dialogis sub nomine Clementis publicatis : Ὧν οὐδ' ὅλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς φέρεται· οὐδὲ γὰρ καθαρόν τῆς Ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας ἀποσώζει τὸν χαρακτῆρα. « Quorum apud antiquos nulla omnino exstat mentio : neque enim sincera rectæ fidei ab apostolis traditæ nota in illis expressa reperitur. » Argumentum igitur a testimonio negativum non absolute subterfugimus ; sed ubi vim aliquom habet, libenter admittimus, imo et urgemus. In epistolis Ignatio ascriptis, sed nec ab Eusebio, nec ab Hieronymo memoratis admittimus ; et cum nemo per quatuor sæcula post Ignatii mortem earum meminerit, omnino rejicimus. In epistolis prorsus ante hoc sæculum inauditis, ac ne nunc quidem exstantibus, sed solummodo ad eludendum S. Polycarpi testimonium excogitatis etiam urgemus ; et cum multi unquam sæculo cognitæ fuerint, pro figmento habemus. Idem denique negans argumentum, si forte offeratur, primo discutimus ; discussum, si nullam in se vim habere nobis videatur, negamus ; et negationis rationem reddimus.

Ego vero, inquit vir doctissimus, « non negaverint quædam esse hujusmodi, in quibus perperam hoc argumenti genus adhibeas. » Et ego affirmare non dubitaverim, causam nostram ejusmodi esse, ut in ea rite adhiberi minime possit. Si enim unquam argumentum a testimonio negativum nihil valeat, id tum præcipue fit, cum datur argumentum a testimonio affirmativum, quod illi plane contrarium asserit et evincit. Contra enim affirmationem testium omni fide dignorum, nullaque falsitatis aut imbecillitatis suspicione laborantium, nihil valet aliorum negatio, multo minus silentium. Hoc quidem casu argumentum negans seipsum negat ; fundatur enim in generali silentio : at cum vel plures vel etiam unus loquitur, generale silentium non est. Qui vim ejus maxime defendunt, tunc tantum efficax esse fatentur, cum *nullus omnino scriptor æqualis vel suppar præstat teitimonium ;* ubi autem vel plures vel etiam unus testatur, dici non potest *nullum omnino testimonium præstare.* Causa igitur nostra hoc argumentum minime admittit. Non enim tantum Eusebium, qui intra ducentos post obitum Ignatii annos vixit, floruit, et presbyter fuit, locupletissimum testem habemus, sed et ante eum etiam ab ipsa sanctissimi martyris passione complures. S. Polycarpus has ipsas epistolas, non alias aut diversas, eodem quo scriptæ sunt anno collegit, edidit, posteritati commendavit, ut fuse probatum est.

Philo et Agathopus, B. Ignatii ex Syria comites, in Actis proximo anno editis, ut videtur, epistolam ad Romanos commemorant. S. Irenæus non aliunde quam ex eadem epistola insignem sententiam transcripsit. S. Theophilus, Antiochiæ episcopus, aut certe vetus auctor S. Basilio dictus, ejusdem sæculi, aliam etiam sententiam ex epistola ad Ephesios mutuatus est. Tertio sæculo Origenes eamdem commemoravit juvenis adhuc, et aliam ex epistola ad Romanos idem senex excerpsit, ac utrobique Ignatium nominavit. Non igitur altum in Ecclesia, non diuturnum silentium fuit. Epistolæ S. Ignatii ab ipso earum ortu et notæ et illustres fuerunt, postquam genuino martyris fetui, non Eusebius, sed S. Polycarpus obstetricatus est. Ex quo ejus epistola ad Philippenses data in publico Asiæ conventu personabat, Ignatiana tantopere commendata latere nullo modo potuerunt. Nullum igitur hic silentium; nullum negantis argumenti fundamentum.

Summa argumenti a viro doctissimo producti hæc est. Si veræ essent hæ Ignatii epistolæ, eæ fuissent viris eruditis, Justino in primis, et Irenæo, et Clementi Alexandrino, et Tertulliano, et aliis ejusdem census atque ævi scriptoribus cognitissimæ. Sed viris illis eruditissimis cognitæ non fuerunt. Ergo Ignatii epistolæ veræ non sunt. Tum vero pro concesso sumit, nos illud unum negaturos, ignotas scilicet fuisse viris illis has epistolas. At nos duo hic negamus, primum, si Justinus forte, aut Clemens, aut Tertullianus, aut hi omnes Ignatii epistolas ignorassent, Polycarpus autem, Philo, Agathopus, Theophilus, Irenæus, Origenes, illis antiquiores aut eorum synchroni novissent; nullo modo sequitur, has epistolas Ignatii veras non fuisse: consequentia igitur tantum est probabilis, non necessaria. Secundo loco negamus ignotas fuisse illis viris has epistolas, idque ob duas rationes, tum quod probari nunquam posse putamus, eos revera ignorasse, tum quod meliori jure nos colligimus, eos potius optime novisse. Illæ enim epistolæ, quæ Polycarpo, Philoni, Agathopi, Theophilo, Irenæo et Origeni notæ fuerunt, Justino, Clementi, Tertulliano aliisque ejusdem census atque ævi scriptoribus non videntur incognitæ fuisse. Sed Ignatii epistolæ illis, ut fuse ostendimus, notæ fuerunt. Ergo et his. Et si in horum operibus quæ nunc exstant, mentio harum epistolarum nulla facta est, fieri tamen potest ut in illis quæ perierunt, qualia fuisse quamplurima scimus, Ignatiana commemorata sint, quemadmodum ab iis quos nominavimus commemorantur. Quod si neque in editis, neque in deperditis illi Ignatiana memorassent, ne sic quidem ullo modo sequitur, eos penitus illa ignoravisse quæ alii noverunt. Neque enim eorum cuipiam in animo fuit, omnes scriptores ecclesiasticos aut etiam maxime præcellentes nominare. Si denique hi eas forte, aut horum aliquis ignoravit, aut non vidit, aut in sua bibliotheca non habuit, illius tamen vel etiam plurium ignoratio efficere non potest, ut quod ab aliis visum, lectum et usurpatum fuit, id omnino non esset. Cum autem jam liquido appareat, nullum in præsenti negotio argumento neganti locum esse; illud *unum*, ut voluit Dallæus, nunc restat, ut negemus Ignatiana viris et Ecclesiis celeberrimis fuisse ignota, et conjecturis ejus respondeamus, quibus fretus ea asseruit, quæ ipse certissime ignoravit. Et ab Irenæo quidem orditur, de quo copiose disputat; sed ea omnia suo loco refutavimus. Ab Irenæo autem transit ad Ecclesiam Alexandrinam.

« Sed neque Alexandrinis, *inquit capite* 7, notiorem quam Irenæo et Asianis fuisse epistolicum Ignatium satis ex quadam singulari illius Ecclesiæ traditione constat. » Et sane constet Ignatium nostrum Alexandrinis non fuisse notiorem quam Irenæo et Asianis; notior enim Alexandrinis aut aliis quibuscunque esse non potuit, cum illis fuerit notissimus. Pro Athanasio loquitur sententia quam excerpsit; pro Asianis epistola Polycarpi per tot sæcula apud ipsos lecta. Sed « est hæc doctrina, *inquit*, ab Ignatio inculcata, non aliter quam ab uno episcopo presbyteris præsidente regi posse ac debere singulas Christi Ecclesias. » De *singulis* nihil dixit Ignatius, et potest in ea voce aliquid latere; sed si recte intelligatur, ea certe Ignatii doctrina fuit, et, ut opinor, apostolorum discipulo et episcopo dignissima. An autem hæc doctrina Alexandrinis erat incognita, ut inde etiam Ignatium iis penitus ignotum fuisse colligamus? Nihil minus. In nulla unquam Ecclesia magis recepta et obtervata est hæc doctrina quam in Alexandrina. Nulla sunt certiora, aut magis apud omnes in confesso monumenta, quam quæ de Ecclesia Alexandrina prodita sunt. Unde vir maximus, Hugo Grotius, qui putavit, ab initio Ecclesias communi presbyterorum, qui iidem omnes et episcopii, ut ait, Paulo Clementique dicuntur, consilio fuisse gubernatas, in ea sententia fuit, quod exsors episcoporum auctoritas Ecclesiæ consuetudine, post Marci mortem Alexandriæ, atque eo exemplo alibi introduci cœperit, ut ipse testatur epistola 182. Certe S. Marcum Alexandriæ constituisse Ecclesiam omnes scribunt, episcopatum ibi habuisse Hieronymus præfatione in Matthæum; ordinasse episcopum nomine Anianum vel Ananiam, eodem consensu tradunt: adjunxisse Aniano ut episcopo certum presbyterorum et diaconorum numerum pariter referunt. Ipse Eutychius patriarcha Alexandrinus, cujus originibus adversus Ignatium utuntur, non aliter narrat; « Credidit ab eo tempore Ananias in Christum, unde baptizavit eum Marcus, et Alexandriæ patriarcham constituit. Fuitque is patriarcharum qui Alexandriæ præfecti sunt primus. Constituit autem evangelista Marcus una cum Anania patriarcha duodecim presbyteros, qui nempe cum patriarcha manerent. *Vetus Marci* Historiæ *auctor*, beatus Marcus Anizanum ibidem ordinavit episcopum, et tres presbyteros, et septem diaconos. » Ecce ipsissimam faciem Ecclesiæ Ignatianæ! Ananias enim idem

Alexandriæ fuit quod Ignatius Antiochiæ, quod Polycarpus Smyrnæ. Potestatem in presbyteros habuisse negari non potest, cum vel ipsum, vel successores ejus etiam ii qui eos volunt a presbyteris ordinatos, cum ea auctoritate describant. Etiam S. Hieronymus epistola ad Evagrium : « Nam et Alexandriæ. *inquit*, a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat. » Ananiæ itaque successores, singulares Alexandriæ episcopi, usque ad Heraclam vel Demetrium in excelsiori gradu, quam presbyteri sui, fuerunt : et quidem cum auctoritate et potestate in presbyteros, ut imperator in milites. Ita agnovit in Theophilo Alexandrino episcopo τὴν αὐθεντίαν τῆς εὐαγγελικῆς διαδοχῆς Synesius ipse episcopus, id est *summam auctoritatem et exsortem*, non ea ætate acquisitam, sed ab ipsa *successione Marci evangelistæ* derivatam, epist. 66 ; ideoque eum ita alloquitur : Ἐγὼ δὲ βούλομαι, καὶ ἀνάγκη μοι θεία, νόμον ἡγεῖσθαι πᾶν ὅτι ἂν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίσῃ. « Ego autem volo, et necessitas mihi divina incumbit, legem existimare mihi præscriptam quidquid ab illa cathedra tanquam divinitus indicatum fuerit, » epist. 67. Quando igitur Ignatius epistolas scripsit, eadem forma regiminis ecclesiastici Alexandriæ fuit, quæ erat Antiochiæ, et quam in aliis civitatibus fuisse testantur epistolæ.

Imo vero ante Heraclam, eadem doctrina quæ ab Ignatio prodita est in Ecclesia Alexandrina tanquam ab initio tradita conservabatur. Hoc est illius martyris effatum, unde reliqua pendent : Οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν. « Episcopi per terrarum oras constituti ex Christi sunt sententia, » id est ex voluntate Christi apostolis cognita et ab iis tradita ordinati. Quibus nihil aliud intelligi potest quam episcopatum fuisse ab apostolis ex voluntate Christi institutum. Id autem Clemens Alexandrinus, a Pantæno sine controversia edoctus, populares suos diu ante Heraclæ episcopatum docuit : Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, μιμήματα, οἶμαι, ἀγγελικῆς δόξης, κακείνης τῆς οἰκονομίας τυγχάνουσι. « Quoniam et hic in Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum et diaconorum, imitationes, ut arbitror, sunt gloriæ angelicæ et illius dispensationis, » Stromat. I. VI. *Ex usu*, inquit Blondellus *natam distributionem* admittebat. Accipiamus quod dat : ex usu erant hi tres gradus sive progressiones sacrorum ordinum in Ecclesia illa, scilicet in qua Clemens scripsit et presbyter fuit. Fuerunt igitur in Ægypto ex usu episcopi, presbyteri, diaconi, cum Clemens scripsit, quod Dallæi argumentum prorsus elidit, ut postea ostendemus. *Sed eamdem tamen*, inquit Blondellus, divinitus per *apostolum institutam pleno ore negabat*. Hoc ego effatum tam falsum esse affirmo quam quod falsissimum est. Nam ipse alibi diserte scribit, diversa præcepta episcopis, presbyteris et diaconis in sacra Scriptura data esse : Μυρίαι δὲ δσαι ὑποθῆκαι εἰς πρόσωπα ἐκλεκτὰ διατείνουσαι ἐγγεγράφαται ταῖς βίβλοις ταῖς ἁγίαις· αἱ μὲν πρεσβυτέροις, αἱ δὲ ἐπισκόποις, αἱ δὲ διακόνοις, ἄλλαι χήραις. « Quamplurima autem præcepta quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt : hæc quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis, alia autem viduis, » Pædagog. I. III, c. 12. Agnoscit igitur Clemens, « Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Pantæni auditor, *qui* post ejus mortem Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit, » et κατηχήσεων *magister fuit*, teste Hieronymo, non tantum tres gradus, sive προκοπὰς episcoporum, presbyterorum et diaconorum in Ecclesia ex usu receptos, sed et usum illum ex apostolica institutione derivatum. Quatuor enim genera personarum in Scripturis electa agnoscit ; non minus distinguit præcepta quæ dantur episcopis, ab iis quæ injunguntur presbyteris, quam ea quæ diaconis, ab iis quæ viduis præcipiuntur. At distinctæ sunt personæ, aut officia, quibus diversa præcepta demandantur. Agnovit igitur Clemens Alexandrinus eam sacrorum ordinum distributionem, cujus usum agnoscit Blondellus, divinitus per apostolos fuisse institutam. Hæc Clemens ex Pantæni schola, ex Clementis eadem Origenes. Sic enim ille juvenis adhuc homil. 13 in S. Lucam : « Si audacter expedit loqui Scripturarum sensum sequenti, per singulas Ecclesias bini sunt episcopi, alius visibilis, alius invisibilis, ille visui carnis, hic sensui patens. *Et rursus* : Ego puto inveniri simul posse et angelum et hominem bonos Ecclesiæ episcopos, et quodammodo unius operis esse participes. Quod cum ita sit, petamus omnipotentem Deum, ut angeli et homines Ecclesiarum episcopi adjumento sint nobis, et sciamus quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur.

Quæ certe pura puta sunt Origenica, ut de auctore harum homiliarum dubitari non possit. Hæc autem *ex sensu Scripturarum* habuit Origenes, ut ipse profitetur : ex illarum igitur doctrina agnoscit in singulis ecclesiis unum hominem visibilem episcopum. Idem homilia 17 : « Sicut enim ab ecclesiasticis dignitatibus non solum fornicatio, sed et nuptiæ repellunt ; neque enim episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua possunt esse digami ; sic forsitan et de cœtu primitivorum immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur digamus ; non quo in æternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei. » Quis autem non statim videt hæc etiam esse vere Origenica ? His autem Origenes, quod ad ecclesiasticas dignitates attinet, Clementem præceptorem suum sequitur, et tanquam quatuor diversas enumerat uni quidem in hac re præcepto apostolico, sed separatim tradito, subjectas. Ita ipse in commentariis ad Matthæum difficultum quæsiti κατὰ τὴν τοῦ Ἀποστόλου περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων νομοθεσίαν solvere conatur. Quam hoc modo proponit : Οὐδένα γὰρ τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ὑπερ-

ολήν τινα παρὰ τοὺς πολλοὺς ὡς ἐν συμβόλοις ἀνειλη- A
φότα βούλεται ὁ Παῦλος δευτέρου πεπειρᾶσθαι γάμου. « Ex iis enim qui Ecclesiæ nomen dederunt, neminem qui dignitatem aliquam præ multis quasi in symbolis fuerit consecutus, Paulus secundas nuptias expertum fuisse vult. » Tum vero ut ostendat omnem Ecclesiæ dignitatem huic legi subjectam esse, de singulis distincte agit, probatque primo de episcopis, secundo de diaconis, tertio de viduis, quarto de presbyteris, singulis e S. Paulo locis productis. Dein in ipsa solutione : Μήποτε ἐπεὶ σύμβολόν ἐστι καὶ ὁ ἐπίσκοπος καὶ ὁ πρεσβύτερος, καὶ ὁ διάκονος ἀληθινῶν κατὰ τὰ ὀνόματα ταῦτα πραγμάτων, ἐβουλήθη αὐτοὺς συμβολικῶς μονογάμους καταστῆσαι. « Annon quandoquidem symbolum est et episcopus, et presbyter, et diaconus verarum secundum hæc nomina rerum, voluerit illos symbolice monogamos constituere ? » Hos igitur tres distinctos gradus, sive ὑπεροχὰς et dignitates ecclesiasticas Origenes ex ipso sacro codice derivat, et cum Clemente tot distincta officia distinctis etiam apostolicis præceptis regulata agnoscit. Ut in optimo de oratione libro nondum edito, sed ab Huetio propediem edendo, Περὶ τῶν ὀφειλῶν, seu *De debitis* in Oratione Dominica agens, postquam de generalibus omnium Christianorum officiis, ut Clementinus ille pædagogus disseruisset, hæc addit : Χωρὶς δὲ τούτων καθολικωτέρων ὄντων, ἔστι τις χήρας προνοουμένης ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ὀφειλή, καὶ ἑτέρα διακόνου, καὶ ἄλλη πρεσβυτέρου, καὶ ἐπισκόπου δὲ ὀφειλὴ βαρυτάτη ἐστὶν ἀπαιτουμένη ὑπὸ τοῦ τῆς ὅλης Ἐκκλησίας Σωτῆρος, καὶ ἐκδικουμένη εἰ μὴ ἀποδιδῷτο. « Præter autem hæc universaliora est quoddam viduæ, cujus curam gerit Ecclesia, debitum, et aliud diaconi, et aliud presbyteri, episcopi autem præterea debitum est a totius Ecclesiæ Salvatore exactum, et si non reddatur, vindicatum. » Ut ipse etiam homilia quinta in Ezechielem : « Pro modo graduum unusquisque torquebitur. Majorem pœnam habet qui Ecclesiæ præsidet et delinquit » (id est episcopus). « Annon magis misericordiam promeretur ad comparationem fidelis catechumenus ? Non magis venia dignus est laicus, si ad diaconum conferatur ? Et rursus comparatione presbyteri diaconus veniam plus meretur ? » Plane ut idem, homilia 11 in Jeremiam : Πλεῖον ἐγὼ ἀπαιτοῦμαι παρὰ τὸν διάκονον, πλεῖον ὁ διάκονος παρὰ τὸν λαϊκὸν, ὁ δὲ τὴν πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν Ἐκκλησιαστικὴν ἐπὶ πλεῖον (vel ἔτι πλεῖον) ἀπαιτεῖται. Hoc est, interpretante Hieronymo, « plus a me exigitur quam a diacono ; plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. » Origenes presbyter fuit, ideoque ait : *Plus a me exigitur quam a diacono*, quod presbyteratus gradus esset diaconatu superior ; *plus a diacono quam a laico*, quia laicus, secundum illius sententiam, nullam in Ecclesia dignitatem obtinet ; *at*, inquit, *ille qui ad principatum supra nos omnes*, tum laicos, tum diaconos, tum etiam presbyteros *ordinatus est*, hoc est episcopus, *majori adhuc debito obstrictus est*. Quæ verba pessimo consilio dissimulavit Blondellus in apologia, cum ipse noverit omnia sua consectaria e prioribus verbis male deducta, his ipsis apertissime refutari. Idem lib. III contra Celsum episcopi χαρακτηριστικὸν tradit, illudque non ex humana institutione, aut ex Ecclesiæ consuetudine, sed ex apostolicis præceptis describit, et argumento e Scriptura deducto opponit : Καὶ δῆλον ὅτι ἐν τῷ χαρακτηριστικῷ τῶν καλουμένων ἐπισκόπων διαγράφων ὁ Παῦλος ὁποῖον εἶναι χρὴ τὸν ἐπίσκοπον, ἔταξε καὶ τὸν διδάσκαλον, λέγων δεῖν αὐτὸν εἶναι δυνατὸν καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ἵνα τοὺς ματαιολόγους καὶ φρενάπατας ἐπιστομίζῃ διὰ τῆς ἐν αὐτῷ σοφίας· καὶ ὥσπερ μονόγαμον μᾶλλον διγάμου αἱρεῖται εἰς ἐπισκοπήν· καὶ ἀνεπίληπτον ἐπιλήπτου, καὶ νηφάλιον τοῦ μὴ τοιούτου, καὶ σώφρονα τοῦ μὴ σώφρονος, καὶ κόσμιον παρὰ τὸν κἂν ἐπ' ὀλίγον ἀκόσμιον· οὕτω θέλει τὸν προηγουμένως εἰς ἐπισκοπὴν κατασταθησόμενον εἶναι διδακτικὸν καὶ δυνατὸν πρὸς τὸ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐπιστομίζειν. « Et manifestum est quod in ipso characteristico eorum qui episcopi (*apud nos*) vocantur, Paulus describens qualem virum oporteat esse episcopum, posuit et doctorem, inquiens eum oportere esse potentem contradicentes redarguere, ut vaniloquis et seductoribus obturet os per propriam sapientiam. Et quemadmodum unius uxoris virum iteranti matrimonium præfert in electione ad episcopatum, irreprehensibilem reprehensibili, sobrium longe dissimili, temperantem intemperanti, compositis moribus ornatum vel parum incomposito ; ita vult eum qui antecedenter ad episcopatum promovendus est, habere docendi facultatem, et potentem esse ad obstruendum os contradictoribus. » Et quidem episcopi characteristicum alibi notat Origenes, ut in commentariis ad Matthæum : Γενναίων δ', οἶμαι, καὶ ἐχόντων τὰ χαρακτηρίζοντα τὸν ἐπίσκοπον πάντα ἔργον ἦν προτρέψασθαι τοὺς καὶ δυναμένους καὶ πειθομένους τῇ προτροπῇ, καὶ διὰ τοῦ παρέχειν ἐκ τοῦ κοινοῦ αὐτοῖς καὶ ἄλλους ἐπὶ τοῦτο παρακαλεῖν. « Nobilium autem, opinor, et eorum qui omnia episcopum intime constituentia atque describentia possident opus esset, eos adhortari quibus facultas suppetit, quique adhortationi obtemperant, ipsisque res vitæ necessarias e communi subministrando alios ad idem quoque impellere. » Et in iisdem commentariis : *Propter quod et definiens quales debeant esse episcopi, sic dicit :* non litigiosi, non percussores, *sed* mansueti, ornati [14] *et quæcunque inter fideles et sapientes servos inveniuntur et* dispensatores quos constituit Dominus super familiam suam, *sicut dicit Lucas* [15]. Erant igitur τὰ Χαρακτηρίζοντα τὸν ἐπίσκοπον secundum Origenem, plane quemadmodum τὰ Χαρακτηρίζοντα τὴν ἁγίαν Χήραν, ut ipse loquitur in S. Joannem, omnia ex præceptis Dominicis vel apostolicis delineata. Et memorabilis omnino locus est eodem libro, quo Ecclesias Christianorum ex adverso cum Ecclesiis seu concioni-

[14] I Tim. III, 2. [15] Luc. XII, 42.

bus gentilium componit: Ἐκκλησία μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ φέρ' εἰπεῖν ἡ Ἀθήνησι, πραεῖά τις καὶ εὐσταθὴς (ut de Polycarpo S. Ignatius) ἀτὲ Θεῷ ἀρέσκειν τῷ ἐπὶ πᾶσι βουλομένῃ· ἡ δ' Ἀθηναίων Ἐκκλησία στασιώδης καὶ οὐδαμῶς παραβαλλομένη τῇ ἐκεῖ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ· τὸ δ' αὐτὸ ἐρεῖς περὶ ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν Κορίνθῳ, καὶ τῆς ἐκκλησίας τοῦ δήμου Κορινθίων· καὶ φέρ' εἰπεῖν περὶ Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐκκλησίας τοῦ Ἀλεξανδρέων δήμου. « Nam Ecclesia Dei, verbi gratia, quæ Athenis est, mansueta est et probe composita, quippe quæ Deo, qui est super omnia, se approbare cupiat; Atheniensium autem concio seditiosa, nec ullo modo cum Ecclesia Dei quæ ibidem est, conferenda. Idem etiam dicas de Ecclesia Dei quæ est Corinthi, et ecclesia, *sive* concione, populi Corinthiorum; et, verbi gratia, de Ecclesia Dei quæ est Alexandriæ, et concione populi Alexandrini. » Memorat itaque Origenes exempli gratia tres Ecclesias Græcis notissimas, Atheniensem, Corinthiacam, Alexandrinam. Ostendit in his civitatibus populum gentilium nullo modo cum populo Christiano esse conferendum. Inde progreditur ad dignitates ecclesiasticas, easque componit cum magistratu senatuque gentilium, βουλὴν Ἐκκλησίας Θεοῦ βουλῇ τῇ καθ' ἑκάστην πόλιν συνεξετάζων, « senatum Ecclesiæ Dei senatui in qualibet civitate constituto comparans, » et βουλευτὰς Christianos βουλευταῖς gentilium opponens. Hi autem βουλευταὶ Christiani sane fuerunt presbyteri. Post hos igitur ascendit ad principem seu summum in unaquaque civitate magistratum: Οὕτω δὲ καὶ ἄρχοντα Ἐκκλησίας ἑκάστης πόλεως ἄρχοντι τῶν ἐν τῇ πόλει συγκριτέον. « Eodem modo princeps Ecclesiæ uniuscujusque civitatis cum summo eorum qui in civitate sunt magistratu conferendus est. » Ut autem presbyteri βουλευταὶ sunt, ita ἄρχων Ἐκκλησίας episcopus est, ut ipse in commentariis ad Matthæum: Οὐ μιμητέον τῷ ἄρχοντι τῆς Ἐκκλησίας τὸν ἄρχοντα τῶν ἐθνῶν. Idque cum Athenis, Corinthi et Alexandriæ, tum in unaquaque civitate, teste Origene, obtinuit. Idem etiam homilia 20 in Lucam: « Si Jesus Filius Dei subjicitur Joseph et Mariæ, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater? non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? » Ita ille adhuc juvenis, nondum presbyter factus. Agnoscit autem in Ecclesia Alexandrina episcopum a Deo ipso tanquam patrem ordinatum, non minus quam presbyterum Domini dignatione præpositum. Unde in commentariis ad Matthæum ait: Οὕτω δὲ καὶ γονεῖς πάντας τοὺς ἀνεπιλήπτους ἐπισκόπους καὶ τοὺς ἀνεγκλήτους πρεσβυτέρους λαμβάνει τις ἀνθ' ὧν καταλέλοιπε δύο. « Ita irreprehensibiles episcopos omnes et presbyteros inculpatos in parentes assumit quispiam pro duobus illis quos deseruit. » Quin etiam vetustatem dignitatemque episcopalis ordinis paulo post depingit: Ἀγὼν δέ ἐστι καὶ καθελεῖν οἴημα διὰ τὸ ἐκ πατέρων διατετράφθαι ἐν Χριστιανισμῷ μέγα φρονοῦντας· καὶ πάλιστα ἐπὰν τύχῃ πατράσιν ἐπαυχεῖν, καὶ προγόνοις προεδρίας ἠξιωμένοις ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἐπισκοπικοῦ θρόνου, ἢ πρεσβυτερίου τιμῆς, ἢ διακονίας εἰς τὸν λαὸν τοῦ Θεοῦ. « Contentione autem opus est ad deprimendam eorum arrogantiam, qui quod a parentibus in Christianismo educati sunt, de se magnifice sentiunt, et præsertim si parentibus et proavis efferantur, qui episcopalis in Ecclesia sedis prærogativum jus, vel presbyterii dignitatem tenuerint, vel diaconi officio erga populum Dei functi sint. » His enim sua ætate plurimos fuisse innuit, quorum proavi ab episcopis educati sunt; episcopi autem illi sane fuerant S. Ignatio coævi, si non et apostolis. Quare in iisdem commentariis illud S. Lucæ exponens: Καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν, tanquam præceptum Christi ipsius de officio episcopi interpretatur: Ὁ δὲ ἡγούμενος, οὕτω δὲ οἶμαι ὀνομάζειν τὸν καλούμενον ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ἐπίσκοπον, ὡς ὁ τοῖς ὑπηρετουμένοις διακονούμενος. « Princeps vero (sic autem appellare existimo qui in Ecclesiis episcopus vocatur) tanquam qui ministrantibus ministrat, καὶ ταῦτα μὲν ὁ τοῦ Θεοῦ διδάσκει ἡμᾶς λόγος, atque hæc quidem docet nos Dei verbum. » Nam ut postea observat: « Peccat in Deum quicunque episcopus qui non quasi conservis servus ministrat, sed quasi dominus. » Idem in Ezechielem homilia 16: « Qui vero religionem penitus aversantur, in tantum ut non curent de episcopo, de presbyteris, de diaconibus, de fratribus, sed cum omni procacitate delinquunt, similes fiunt meretrici cum fiducia prostitutæ. » Et in Isaiam homilia 6: « Ergo hoc dicit, ut episcopus mittens aquam in pelvim et exutus vestibus suis, et præcinctus linteo me extendente lavet pedes meos? Siquidem » vos, *inquit*, debetis invicem lavare pedes vestros [16]. « Si hoc est quod dicitur, nemo vestrum mandatum servabit. Nemo enim quibuscunque venientibus assumens linteum diaconus vel presbyter, sive episcopus lavat pedes. Sed si intelligas ea quæ scripta sunt, qui vere beati sunt episcopi servientes Ecclesiæ mittunt aquam de Scripturis in pelvim animæ, et tentant pedum discipulorum sordes lavare, et eluere, et projicere. Et sic custodiunt episcopi mandatum sequentes Jesum. Sic et presbyteri. » Quibus consentiunt ea quæ in commentariis in Joannem legimus, in ms. nostro fidelius quam in editis repræsentata p. 390: Καὶ μὴ θαυμάσῃς εἰ ἀνάγειν σε δεῖ τὸ, εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν, ὅπου κελεύονται αἱ ἀνάλογοι τοῖς πρεσβυτέροις πρεσβύτιδες εἶναι καὶ καλοδιδάσκαλοι. Ὅρα δὲ εἰ μὴ καὶ ἐργῶδές ἐστι τὸ πανθ' ὁντινοῦν μαθητευόμενον τῷ Χριστῷ θέλοντα τὴν λέγουσαν ἐντολήν, καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας, ὡς ὀφειλόμενον ἔργον ἐθέλειν ποιεῖν τὸ νίψαι τοὺς σωματικοὺς καὶ αἰσθητοὺς πόδας τῶν ἀδελφῶν, ὥστε τοὺς ἐν ὁποιαποτοῦν ὑποθέσει βίου τυγχάνοντας πιστοὺς τοῦτο ποιεῖν, εἴτε ἐν ἐκκλησιαστικῇ δοκοῦντας εἶναι ὑπεροχῇ ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους, εἴτε καὶ ἐν ἄλλοις κοσμικοῖς τισιν ἀξιώμασιν· ὥστε μετὰ τοῦτο καὶ τὸν Δεσπότην ἥκειν

[16] Joan. XIII, 14.

ἐπὶ τὸ νίπτειν τοὺς πόδας τοῦ πιστεύοντος δούλου, καὶ τοὺς γονεῖς τοῦ υἱοῦ. Ὅπερ ἔθος ἦν, οὐ γίνεται δὲ νῦν, ἢ εἰς ὑπερβολὴν σπανιώτατα, καὶ παρὰ τοῖς πένυ ἁπλουστέροις καὶ ἀγροικοτέροις γίνεται.« Nec mireris si tibi exponendum sil anagogico sensu hoc dictum,» Si sanctorum pedes lavit,« ubi jubentur illæ quæ presbyteris analogæ sunt presbytides honesta docere. Vide vero annon etiam laboriosum fit cuilibet discipulo Christi, volenti implere mandatum dicens :» Et vos debetis alii aliorum lavare pedes,« si velit corporales ae sensibiles fratrum pedes lavare, ut fideles in quovis vitæ genere existentes hoc faciant, sive qui videntur esse in sublimitate ecclesiastica episcopi et presbyteri, sive in quibusdam aliis mundanis dignitatigus; adeo ut hanc ob causam Dominus quoque veniat ad lavandos pedes servi credentis, et parentes filii : quod in more positum erat ; sed nunc non fit vel supra modum rarissime et apud admodum simplices ac rusticiores fit.» Et ea etiam quæ tomo XI in Matthæum scripta sunt : Τὸ δ' ὅμοιον ἐρεῖς καὶ ἐπὶ τοῦ ὀρεγομένου ἐπισκοπῆς διὰ τὴν παρὰ ἀνθρώποις δόξαν, ἢ τὴν ἀπὸ ἀνθρώπων κολακείαν, ἢ τὸν ἀπὸ τῶν προσιόντων λόγῳ πορισμὸν διδόντων προφάσει τῆς εὐσεβείας. Ὁ γοῦν τοιοῦτος ἐπίσκοπος οὐ καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ οὐδὲ δύναται εἶναι ἀνεπίληπτος, οὐδὲ νηφάλιος, οὐδὲ σώφρων, μεθύων ὑπὸ δόξης, καὶ ἀκαλάστως αὐτῆς ἐμφορούμενος· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ περὶ πρασβυτέρων καὶ διακόνων ἐρεῖς.«Similiter autem dices de eo qui episcopatum desiderat, ut gloriam apud homines consequatur, vel hominum assentationem captet, vel quæstum ab eis accipiat, qui sermonem fidei amplectentes pietatis causa dant. Talis igitur episcopus » bonum opus *non* desiderat, *neque potest esse* irreprehensibilis, *neque* sobrius, *neque* prudens [17], « utpote qui gloria ebrius sit, et intemperanter ea fuerit ingurgitatus. Idem quoque de presbyteris et diaconis dices » Hæc vel ex Græcis, vel ab Hieronymo satis fideliter versis producta : quibus et illa quæ Ruffinus interpretatus est etiam consentanea sunt. Ut ex homilia in Numeros secunda, quam tandem a Ruffino versam esse constat, ex prologo in Emerici Bigotii codice reperto et ab Henrico Valesio ad Eusebium edito, qui etiam in Bibliotheca collegii nostri SS. Trinitatis exstat ms. Et titulus quidem ita se habet : *Incipit prologus. . . . . Numerorum ad Ursacium.*

Reliqua enim manifeste sunt erasa, ob Ruffini nomen, ut videtur. Prima epistolæ sententia, « utar verbis tibi, frater, beati martyris, bene admones, Donate charissime,» S. Cyprianum certe intelligit; cujus illa verba sunt in initio secundæ epistolæ : *Bene admones, Donate charissime.* Reliqua in ms. nostro cum Bigotianis prorsus conveniunt, nisi quod pro *breve saltim* legatur *brevi saltu*, et pro *hæc perurgente*, multo rectius, *hæc perurgente te* ; Ursacium enim alloquitur, ut bene observavit Huetius. Ex versione igitur Ruffini hhc Origenis habentur : «Putasne qui sacerdotio fungatur, et in sacerdotali ordine gloriantur, secundum ordinem suum incedunt et agunt omnia quæ illo ordine digna sunt?» (sed ut in ms. nostro,« quæ in illo ordinem dignum est ?) Similiter autem et diaconi putas secundum ordinem ministerii sui incedunt ? Et unde est quod sæpe audimus blasphemare homines et dicere.»Ecce qualis episcopus, aut qualis presbyter, vel qualis diaconus !«Nonne hæc dicuntur, ubi vel sacerdos vel minister Dei visus fuerit in aliquo contra ordinem suum venire, et aliquid contra sacerdotalem vel Leviticum ordinem gerere?» Verum enim vero Origenes, si Blondello credendum sit, *utut tria in clero capitum genera, consuetudini ecclesiarum favens, admittere passim viceatur ;* hic tamen, *binos tantum* sacerdotum et diaconorum, *magistri Clementis exemplo, gradus agnoscit.* Ego vero, et apud Clementem magistrum, sic etiam apud Origenem discipulum tres gradus invenio, unum diaconum in ordine ministerii, duos, episcopi scilicet, et presbyteri, in ordine sacerdotii, ut et ipse se explicat, et plenius B. Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ patriarcha lib. XIII *De adoratione in spiritu et veritate :* Εἰ δὲ τις ἕλοιτο καὶ τῆς Ἐκκλησίας τὴν τάξιν πολυκραγμονεῖν, τὴν ἐν νόμῳ προανατύπωσιν καταθαυμάσειεν ἂν εἰκότως Ἐπισκόποις μὲν γὰρ, ἅτε δὴ τότε καθηγεῖσθαι λαχοῦσιν, καὶ μέν τοῖς ἐπὶ τὴν μείω διέπουσι τάξιν, πρεσβυτέροις δὲ φημι, πεπίστευται τὸ θυσιαστήριον καὶ τὰ ἔσω τοῦ καταπετάσματος, οἷς ἂν πρέποι καὶ λέγεσθαι, Καὶ φυλάξουσι τὴν ἱερατείαν αὐτῶν· διακόνοις γε μὲν τὸ, Φυλάξουσι τὰς φυλακὰς νῆς σκηνῆς. « Quod si quis velit etiam Ecclesiæ ordinem perquirere, illam quæ in lege est præfigurationem jure admirabitur. Episcopis enim, ac si tunc principatum sortiti essent, atque etiam iis qui inferiorem gradum gerunt, presbyteris inquam, concreditum est altare et quæ sunt intra velum, quibus etiam dici convenit:» Et custodient sacerdotium suum ; *diaconis vero illud :* Custodient custodias tabernaculi. Ex Ruffini etiam versione Origenis Commentarii in Cantica canticorum habentur. In homilia autem, ut nunc vocatur, secunda ista legimus : *Vidit et sedem puerorum ejus*, (de regina Saba et Salomone loquitur) « ecclesiasticum, puto, ordinem dicit, qui in episcopatus vel presbyterii sedibus habetur. Vidit et ordinationes vel stationes ministrorum ejus, diaconorum, ut mihi videtur, ordinem memorat astantium divino ministerio. » Et paulo post : « Hæc ergo omnia ubi vidit in domo regis pacifici, imo Christi. » Ita tres ordines in Ecclesia Christi sub Veteri Testamento præfiguratos docet. Duos tantum Blondellus vidit, quod sedes tum presbyteris tum episcopis tribuantur. De qua re alibi. Interim Origenis sententia de diverso gradu eorum, qui in cathedris populo præsidebant, satis aperta est ex iis quæ homilia VI *in Jeremiam* protuli, ubi seipsum numerat inter καθεζομένους ἐν πρεσβυτερείῳ, et tamen agnoscit τὸν τὴν πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένον ἀρχήν· alibique distinguit inter ἐπισκοπικὸν θρόνον et πρεσβυτερείου τιμήν

[17] I Tim. III, 2.

Sed Salmasus id in Origene vidit,quod videre non potuit Blondellus, quo probet unum tantum episcopi et presbyteri gradum ab illo, ut et a Clemente, proditum : *Unum* enim, inquit, σύστημα « agnoscit,hoc est,collegium hominum vita spectatorum et doctrina,a quo singulæ ecclesiæ gubernabantur.»Ut sententiam Origenis de hoc uno systemate gubernatorio ostendat, locum hunc ex lib, VIII *Contra Celsum* infelicissime adducit : Ἡμεῖς δὲ ἐν ἑκάστῃ πόλει ἄλλο σύστημα πατρίδος, κτισθὲν λόγῳ Θεοῦ ἐπιστάμενοι, τοὺς δυνατοὺς λόγῳ καὶ βίῳ ὑγιεῖ χρωμένους ἄρχειν ἐπὶ τὸ ἄρχειν ἐκκλησιῶν παρακαλοῦμεν. Quem ita ad suum propositum primo interpretatur : « Nos vero in singulis civitatibus aliud corpus,sive collegium patriæ verbo Dei instituruni novimus doctrina et vita sana utentium atque ad rehendum idoneorum,quos invitamus ad præfecturam ecclesiarum capessendam.»Dein observat,per illud σύστημα ἐν ἑκάστῳ πόλει κτισθὲν λόγῳ Θεοῦ palam esse eum intelligere presbyterium cujusque civitatis a Deo per spostolos institutum. Imo vero palam est hæc omnia esse contorta,et misere coacta : non enim simpliciter σύστημα dixit Origenes,non « collegium hominum vita spectatorum et doctrina a quo singulæ ecclesiæ gubernabantur,»ut inde presbyterium eruatur ; sed σύστημα πατρίδος, et quidem ἄλλο, id est συστήματι πατρίδος apud gentiles in eadem civitate oppositum. Προτρέπει δ' ἡμᾶς Κέλσος καὶ ἐπὶ τὸ ἄρχειν τῆς πατρίδις.« Quin ad magistratus in patria gerendos hortatur nos Celsus :» respondet Origenes, Christianos *aliud systema patriæ* agnoscere, et in illo systemate magistratus creare ; plane ut alibi loquitur de Ecclesiis Dei, et ecclesiis populi in eadem civitate, de qua re supra. Salmasius nullam mentionem facit patriæ, sed convertit in systema virorum vita spectatorum et doctrina, plane contra mentem Origenis,et verborum constructionem. Tu ita vertas : « Nos vero in unaquaque civitate aliud systema sive cœtum patriæ verbo Dei institutum cognoscentes, potentes sermone et vita sana utentes ad præfecturam ecclesiarum adhortamur. » Prius quidem ἄρχειν cum manifeste παρέλκοι, in interpretatione omisi. Sic autem omnia clara sunt,et per illud ἄλλο σύστημα πατρίδος nihil aliud intelligi potest, quam cœtus Ecclesiæ gentilium cœtibus oppositus. Quod et verba quæ mox sequuntur manifeste probant : Καὶ εἰ ἄρχουσιν οἱ καλῶς ἄρχοντες ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὑπὸ τῆς κατὰ Θεὸν πατρίδος, λέγω δὲ, τῆς Ἐκκλησίας ἐκλεγόμενοι· ἄρχουσι κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προτεταγμένα. « Ac si, qui bene præsunt Ecclesiæ, a patria secundum Deum, hoc est Ecclesia, electi præsint,juxta præscripta Dei regunt. » Idemque maxime confirmant quæ ex eodem Opere *Contra Celsum* de Ecclesia Dei, et ecclesia populi in eadem civitate ante adduximus.

Ex his perspicuum est Clementem Alexandrinum ex Schola Pantæni, ante Demetrium episcopum, episcopatus gradum presbyteratu superiorem ab ipso apostolo derivasse ; Origenem Demetrii synchronum, eumdem ordinem ex typis legalibus, ex dictis Salvatoris, ex præceptis apostolicis deduxisse, nec unquam cum presbyteratu confudisse, sed episcopos, presbyteros, diaconos semper cum Ignatio numerasse. Ut postea Isidorus Pelusiota, presbyter Ægyptius, episcopum τύπον τοῦ Χριστοῦ appellat lib. I, epist. 136, episcopatum τὴν τοῦ τοσούτου ὕψους ἀνάβασιν, lib. I, epist. 104 ; et τὸ τῆς ἐπισκοπῆς καὶ ὄνομα καὶ πρᾶγμα θεῖον ὂν καὶ κρεῖττον πάσης πολιτείας τε καὶ ἀξίας, lib. II, epist. 125, et nomen et rem ipsam divinam agnoscit, prout a presbyteratu distinguitur : agit enim de episcopatu, quem Hierax presbyter recusavit. Hæc igitur doctrina de institutione apostolica episcoporum ex mente Christi,de gradu a presbyteratu distincto, illoque eminentiore, deque obedientia ipsis tanquam Patribus a Christo constitutis ab omnibus præstanda, a S. Ignatio *ad* quorumdam hominum *fastidium usque repetita et inculcata*, in Alexandrina Ecclesia fuit receptissima, in schola catechetica eximia quidem illa et maxime memorabili ab initio proposita, a Clemente parcius, ab Origene ad eorumdem hominum fortasse fastidium repetita et inculcata ; forma etiam regiminis ab Ignatio in Asiaticis ecclesiis toties dtcantata fuit omnibus numeris Alexandriæ repræsentata. Imo non tantum Ignatiana Ecclesiæ forma ab Origene, celeberrimo Alexandrinorum magistro, ubique tanquam vetustissima et a proavis deducta celebratur ; sed et Ignatii epistolæ ab ipso expresse sunt citatæ, ut late ostendimus.Fieri itaque non potest, ut argumentum aliquod formetur, quod Ignatium epistolicum Alexandrinis incognitum fuisse usque ad Eusebii tempora demonstret.

Sed *id satis constat*, inquit vir doctissimus, « ex quadam singulari illius Ecclesiæ traditione plane penilusque adversante;»eamque traditionem postea usum vocat. Mirum quidem si aliquis usus, isque peculiaris, demonstraret omnia quæ ab Ignatio scripta perhibentur, fuisse illis omnibus prorsus incognita, apud quos usus ille forte obtinuit. *Quid mihi profers unius urbis consuetudinem* ?aiebat olim Hieronymus : præsertim si cogitemus consuetudinem, sive usum illum ex eorum sententia qui eum tradiderunt, diu ante Ignatium, ab ipsa Alexandrinæ Ecclesiæ fundatione usurpatum, quam ad evangelistam celeberrimum, et S. Petri comitem referebant. Poterant sane Alexandrini et Ignatii scripta recipere,et peculiarem aliquem usum apud ipsos ab initio obtinentem, licet illis forte adversantem,retinere.Idque facere eos voluisse vel inde credibile est, quod usus ille peculiaris dicitur, adeoque aliarum omnium ecclesiarum consuetudini adversans. Quare enim ex sola Ignatii sententia sibi patefacta, eum relinquerent, quem adversus traditionem omnium ecclesiarum hactenus retinuerant? Aut si vis tanta auctoritati Ignatianæ tribuenda esse videatur, multo rectius ex usu tali, si

quis unquam fuit, concludi poterit. Ignatium illum epistolicum Alexandrinis fuisse cognitum, quia non diu postquam epistolæ iis videntur evulgatæ, usus ille evaluit, imo evanuit; nam, teste Hieronymo, duravit tantummodo ad Heraclam, qui, vivo Origene et scribente, primo apud Alexandrinos Ignatianorum teste, factus est episcopus, et Dionysium, qui Origeni maxime favebat.

Sed videamus tandem qualis ille usus fuerit, quomodo Ignatio adversans; quali consequentia Ignatianorum ignoratio inde sequatur, et quid illa ad generale silentium ante Eusebium faciat, cui innititur negans argumentum. Usus ille peculiaris secundum Hieronymum epist. 85, ubi contra eos disputat, qui diaconos presbyteris anteferebant, hic est: «Nam et Alexandriæ a Marco evangelista, usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant; quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. *Secundum autem Eutychium hujusmodi est:* Constituit evangelista Marcus una cum Anania patriarcha duodecim presbyteros, qui nempe cum patriarcha manerent, adeo ut cum vocaret patriarchatus, unum e 12 presbyteris eligerent, cujus capiti reliqui undecim manus imponentes ipsi benedicerent, et patriarcham crearent, deinde virum aliquem insignem eligerent, quem secum presbyterum constituerent, loco ejus qui factus est patriarcha, ut ita semper exstarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de presbyteris, ut scilicet patriarchas crearent ex presbyteris 12, usque ad tempora Alexandri patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo» cccxviii. Hos vul Dallæus in summa rei consentire, de tempore leviter discrepare. *Quod enim institutum*, inquit, *Hieronymus ad Dionysium*, i. e. ad a. D. 264, *durasse dicit, id Eutychius ad Alexandrum*, i. e. ad a. D. circiter 308, *perseverasse vult.*

Verum mihi non adeo levis discrepantia videtur: cum enim Hieronymus morem eum usque ad Heraclam et Dionysium durasse dicit, aut durationem tanquam incertam tradit, aut certe indicat Heraclam fuisse ultimum qui priori, Dionysium autem primum qui alio more factus est episcopus. Heraclas, secundum Eusebium, undecimo Alexandri anno creatus est episcous Alexandrinus, hoc est, A. D. 232. At Eutychius Alexandrum patriarcham retuisse tradit, ne deinceps patriarcham presbyteri crearent; primus igitur qui alio more factus est Alexandriæ episcopus, secundum Eutychium, fuit Alexandri successor Athanasius, qui A. D. 326, post concilium Nicænum creatus est. Inter igitur creationem Heraclæ, qui ultimus a presbyteris factus est, auctore Hieronymo, et consecrationem Athanasii qui primus ab episcopis consecratus est, auctore Eutychio, anni ferme centum sunt. Imo majorem discrepantiam hic agnoscit Seldenus, primus hujus argumenti architectus: *Nec enim Heraclam nec Dionysium in more illo comprehendi voluit Hieronymus*, inquit ille; ultimus igitur secundum eum morem factus est episcopus Demetrius, anno Commodi 10, Domini 190. Quocirca Hieronymus et Eutychius non levitor de tempore discrepare dicendi sunt. Itaque ut hanc duorum testium dissonantiam tolleret, miram distinctionem excogitavit Seldenus, et cum uterque de facto, sive de usu tantummodo loquatur, et historice rem nude narrat, «Aliter de facto, *inquit*, loquitur simul ac jure loci simplici, antequam ulla omnino usus aut facti mutatio ibi introduceretur; alter de jure simplici et instituti mutatione». O præclaram atque subtilem distinctionem, et qualem fortasse diversis Justinianei juris periochis adaptare poteris: his autem historicis narratiunculis nunquam quadrare ostenderis! Priorem partem Hieronymo assignat; eum vult tum de facto, tum de jure loci simplici disserere, cum ille, nulla omnino de jure facta mentione, de facto tantummodo loquatur, illudque tam breviter tamque obscure tradat, ut vix quid voluerit intelligas. *Presbyteri unum ex electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant;* quo jure, quave injuria hoc factum sit. Hieronymus non dicit; imo quid aliud fecerint, quam quod episcopum nominarint, non docet. Vult quidem Seldenus ex verbis Hieronymi colligi debere patriarcham a presbyteris electum et ordinatum fuisse cum Hieronymus neutrum doceat. Dicit quidem episcopum ex presbyteris electum, a presbyteris, non docet; potuit autem ex presbyteris ab aliis eligi, vel a populo, vel ab episcopis aliis; et sane videntur ab antiquissimis temporibus a populo eligi Alexandriæ episcopi. Idque ex antiqua consuetudine ab Epiphanio observata colligi meliore jure potest; cujus hæc verba sunt hæresi 69: Ἔθος δὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μὴ χρονίζειν μετὰ τελευτὴν ἐπισκόπου τοὺς καθισταμένους, ἀλλ' ἅμα γίνεσθαι εἰρήνης ἕνεκα, τοῦ μὴ παραταριβὰς γίνεσθαι ἐν τοῖς λαοῖς, τῶν μὲν τόνδε θελόντων, τῶν δὲ τόνδε.« Alexandriæ autem consuetudo est, ut post episcopi mortem successor non diutius differatur, sed subinde, pacis tuendæ gratia, subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum postulantibus, in populo jurgia et contentiones exsisterent».

Hæc autem consuetudo supponit populum Alexandriæ, ut in aliis ecclesiis, suas in eligendo episcopo antiquitus partes habuisse. Certe Eusebiani, qui creationem S. Athanasii abrogare voluerunt, defectum popularis electionis objiciebant, et episcopi Ægypti, in synodo congregati, epistola ad omnes Ecclesiæ catholicæ episcopos scripta contrarium magna animi contentione asseruerunt et testati sunt, ὅτι δὲ πᾶν τὸ πλῆθος καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς καὶ σώματος συνελθόντες ἀνεβόων, ἔκραζον, αἰτοῦντες Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον τῇ Ἐκκλησίᾳ. «Quod omnis multitudo, omnisque populus catholicæ Ecclesiæ, tanquam ex una anima et corpore congregati clamoribus vociferationibusque postularunt Athana-

sium Ecclesiæ episcopum dari »; quod neque hi neque illi fecissent, si populi suffragia in eligendo episcopo antiquitus locum nullum habuissent. Imo Gregorius Nazianzenus orat. 21 hanc electionem non prioribus, sed posterioribus opponit, eamque apostolicam appellat. Οὕτω μὲν οὖν καὶ διὰ ταῦτα, ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, οὐ κατὰ τὸν ὕστερον νικήσαντα πονηρὸν*, οὐδὲ φονικῶς τε καὶ τυραννικῶς, ἀλλ' ἀποστολικῶς τε καὶ πνευματικῶς ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται. « Sic igitur, atque ob eas causas, totius populi suffragiis, non autem secundum pravum exemplum quod postea inolevit, neque per vim ac cædem, sed apostolico et spirituali modo ad Marci thronum evehitur ». Cum igitur totus populus electioni episcopi se insereret, et civitas amplissima esset, et maximo Christianorum numero abundaret, et præterea presbyteri suos ibi distinctos cœtus sive Ecclesias haberent (observante Epiphanio, hær. 69 : Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶν πρεσβύτεροι, διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων. « Etenim quotquot Alexandriæ catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est presbyter, propter ecclesiasticas habitantium necessitates » ; notante etiam Sozomeno, lib. 1, cap. 15 : Εἶναι γὰρ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἔθος, καθάπερ καὶ νῦν, ἑνὸς ὄντος τοῦ κατὰ πάντων ἐπισκόπου, πρεσβυτέρους ἰδίᾳ τὰς ἐκκλησίας κατέχειν, καὶ τὸν ἐν αὐταῖς λαὸν συνάγειν. Hunc enim morem esse Alexandriæ, qui etiamnum manet, ut, cum unus episcopus omnibus præsit, presbyteri separatim ecclesias obtineant, et populum ad illas convenire solitum colligant) »; ideoque apud populum suum magnam quisque auctoritatem obtineret, electiones subito factas esse putandum est, ne mora tumultibus factionibusque occasionem præberet. Indeque natum morem illum Alexandrinis certe peculiarem par est credere, quem memorat Liberatus in Breviario : « Consuetudo quidem est Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, et sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci pallium, et tunc legitime sedere ». Erat igitur Alexandriæ magna in eligendo episcopo, pacis gratia, festinatio, et insolita præ honore S. Marci, in creando cæremonia. Sed Hieronymus neque modum in electione, quod ad suffragia attinet, neque cæremonias in creatione adhibitas, neque jus ullum præ cæteris presbyterio datum aut concessum commemorat, nisi quod ex ipsis de facto usque ad Heraclam episcopus eligeretur, et ab ipsis promulgaretur.

Nam quod Seldenus comminiscitur Hieronymum *securum de tempore Heraclam antevertente*, quoniam cognovit nullum in Ægypto ante tempora Demetrii episcopum fuisse, « ad citeriora descendere noluisse tempora : quia vix forsun credi potuisset ordinationem patriarchalem, postquam episcopi, saltem Heracleani, tot numero instituti sunt, sine episcopis factam esse », conjectura plane est omni verisimilitudine destituta. Nam, etiamsi ordinationem patriarchalem, cum in Ægypto plures episcopi essent, sine episcopis factam esse credet nemo, quis tamen præstabit, Hieronymo notum fuisse, ante Demetrii tempora nullum in Ægypto præter unicum Alexandrinum exstitisse episcopum ? Eutychius omnium primus hoc prodidisse deprehenditur, a quo Hieronymus idem discere non potuit. Imo quis credet Hieronymum, si hoc novisset, vel si fando aliquando audivisset, id ab Evagrio celare voluisse in hoc argumento, quod magis ad exornandam presbyterii dignitatem multo fecisset ? Nsque igitur Hieronymus de rei jure quidquam scripsit, neque de facto tempus tam scrupulose limitavit, sed tantummodo veterem quamdam traditionem, quam a nescio quo acceperat, satis obscure descripsit, et ad retundendam diaconorum quorumdam Romanæ Ecclesiæ insolentiam usurpavit.

Neque magis Eutychianæ narrationi alterum distinctionis membrum respondet ; Eutychius enim non de jure disputat, sed de facto, de more scilicet, atque duratione et expiratione ejus, quam attribuit edicto Alexandri patriarchæ. « Neque desiit, *inquit* mos ille presbyterorum Alexandriæ constituendi patriarcham ex iis duodecim presbyteris usque ad tempus Alexandri ». Male autem docet Seldenus Eutychium decretum Alexandro tribuere, quod a Nicæno concilio factum est, canone quarto ; Eutychius enim tradit Alexandrum, non tantum instituisse creationem patriarchæ per episcopos, sed etiam electionem ex aliis quam Alexandrinis presbyteris, de qua re nihil habet canon ille Nicænus ; neque recte conjicit, canonem illum ex voto Alexandri, aut more illo Alexandrino ortum habuisse ; minime enim dubitandum est quin primus canon, qui dicitur apostolicus, diu ante illum canonem Nicænum conditus sit : Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν. Nemo enim, postquam Nicæni Patres tres episcopos ad ordinationem postulassent, duos sufficere dixisset. Quid quod pars decreti ab Alexandro facti, nec ad canonem Nicænum ullo modo pertinens, maxime notanda sit, quod videatur restringere morem antiquum de eligendo patriarcha non ad electionem a presbyteris, sed ex presbyteris factam, de qua ad verba Hieronymi diximus. Antiquum enim morem desiisse tradit, eo quod Alexander « decrevit ut, vacante patriarchatu, eligerent ex quacunque tandem regione, sive ex duodecim illis presbyteris, sive aliis virum aliquem eximium, perspectæ probitatis, eumque patriarcham crearent ». Electio igitur viri cujuspiam eximii, perspectæ probitatis antiquum morem evacuavit ; quo spectasse videntur illa pseudo-Ambrosii in cap. 4 ad Ephesios : *Denique apud Ægyptum presbyteri consignont, si præsens non sit episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenen-*

dos,immutata est ratio,prospiciente concilio,ut non ordo,sed meritum crearet episcopum multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, et esset multis scandalum. »

Sed quæcunque sit inter Hieronymum et Eutychium discrepantia, ex summa rei ita disputat vir doctissimus : « Ignatius negat sine episcopo quidquam faciendum. Apud Alexandriam presbyteri, sine episcopo, non tantum presbyterum, sed etiam, quod maximum, patriarcham faciunt. Nescivit ergo Alexandria contrarium usum esse vere apostolicum. Ignatium ergo epistolicum notum non habuit. »

Respondeo primo, Hammondum nostrum disser. 3. cap. 10, huic ipsi argumento a Blondello ex Eutychii Annalibus desumpto non paucis respondisse, ad quæ nihil hîc reponit Dallæus. Quam silentii causam habuerit, nescio ; diligentiam saltem ejus solitam hic desideramus. Respondeo secundo, usum hunc Alexandrinum, qualis qualis fuit, non esse disciplinæ Ignatianæ adeo contrarium, et ex diametro oppositum, ut inde ignoratio Ignatii epistolici colligi possit. Obtinuit enim in vacatione sedis, et ad *electionem* aut promotionem tantum spectat: at de vacatione sedis, de electione, aut promotione episcopi nihil scripsit Ignatius. Alloquitur populum Christianum, eumque ad obedientiam episcopis suis sibi præpositis præstandam hortatur, et nihil in ecclesiasticis negotiis sine illis agendum monet ; quid, episcopo defuncto, faciendum sit, minime docet. Alloquitur eos ad quos scribit de episcopis viventibus, non de mortuis, de suis, non de alienis. Se ipsum satis explicat Epistola ad Smyrnenses : « Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quæ conveniunt ad Ecclesiam, *verbi gratia*, illa firma demum eucharistia reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit. Non licitum est sine episcopo neque baptizare, neque agapen facere; hoc est, officia divina non sunt in Ecclesia peragenda sine episcopo, aut ejus concessione. Ita Polycarpum episcopum monet, ut nihil sine sententia ejus fiat. Ut autem hæc admonitio Polycarpo data spectare non potuit ad ea, quæ ipso mortuo in successore constituendo peragenda essent, ita nec reliquæ. Si extendantur verba Ignatii ultra suum propositum etiam ad episcopos alienos, quos ille tamen nunquam respexit, illud, *nihil sine episcopo faciendum*, non potest applicari ad electionem futuri episcopi ; id enim in vetustissimis ecclesiis nunquam factum est, ut non sine episcopo episcopum eligere tenerentur. An id dixisse Ignatius epistolicus putandus est : Sine episcopo neminem episcopum eligite ? Quod ad electionem igitur attinet, certissimum est, eam per presbyteros vel ex presbyteris factam sine episcopo, non fuisse consilio Ignatiano contrariam. Ubicunque facta est sive per presbyteros, vel plebem, sive ex presbyteris, sive ex aliis, sine episcopo omnino fieri potuit. Usus igitur hic Ecclesiæ Alexandrinæ in eligendo episcopo dici non potest disciplinæ ab Ignatio traditæ contrarius.

Quid præter electionem presbyteri Alexandriæ episcopo contulerint, incertum est : *In excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant*, inquit Hieronymus. Ex tam generalibus verbis quid præter electionem determinate factum sit intelligi non potest. Eutychius addit, eosdem capiti ejus manus imposuisse, benedixisse, et patriarcham creasse. Sed Eutychium ex more sui sæculi locutum fuisse, dubitari non potest. Patriarchæ enim primævis Ecclesiæ Alexandrinæ temporibus nulli inter Christianos fuere. Idem tum de impositione manuum, tum de benedictione sentit Salmasius in « Apparatu : Puto, *inquit*, Eutychium ad suam ætatem respexisse, qua jam ab Alexandri usque patriarchæ et Nicæni concilii temporibus episcopi impositione manuum consecrabantur, et similiter existimasse quando presbyteri eligebant episcopum hoc eodem ritu usos esse. Diserte tamen Hieronymus sine consecratione, hoc est sine manuum impositione, episcopum de se elegisse narrat. » Quidquid igitur dixerit Hieronymus de electione, quidquid Eutychius ex eadem traditione, ut volunt, de impositione manuum addita, quam ex sui sæculi more tantummodo excogitavit, et presbyteris perperam affixit: fieri potest ut alia traditio etiam vera sit, quæ etiam tum, cum ex presbyteris electos fuisse volunt Hieronymus et Eutychius, episcopos Alexandrinos ab aliis ordinatos fuisse perhibet. Libro enim *Constitutionum apostolicarum* VII. cap. 48, legimus : Τῆς δὲ Ἀλεξανδρέων Ἀννιανὸς πρῶτος ἀπὸ (vel ὑπὸ) Μάρκου εὐαγγελιστοῦ κεχειροτόνηται· δεύτερος δὲ Ἀβίλλιος ὑπὸ Λουκᾶ καὶ αὐτοῦ εὐαγγελιστοῦ. « Alexandrinæ Ecclesiæ primus Anianus a Marco evangelista ordinatus est; secundus autem Abilius a Luca itidem evangelista. » Quarto Domitiani anno, in Chronico Hieronymi, Abilius, ut ipse vult, ex presbyteris electus, secundum Græcorum traditionem a S. Luca ordinatus est. Abilio (quem Melium appellare videtur auctor *Vitæ S. Marci* anonymus, non tantum quia *in manu exaratis codicibus* β et μ eadem fere figura *pingere mos fuit*, ut notat Blondellus, sed etiam quod η et ι ex affinitate pronuntiationis sæpe in mss. promiscue usurpentur : neque *Latinus Legendarius* ex Abilio Melium fecit, sed, opinor, ab antiquioribus ita scriptum invenit ; certe Severus ex antiquiorum monumentis eum Melianum vocat, quem alii Abilium, Eutychius Philetium) successit Cerdon, ad cujus ordinationem ut et aliorum post oum, et ante Demetrium, episcopi ex ea regione accesserunt, ut tradit Severus, qui Arabice Vitas patriarcharum Alexandrinorum scripsit, apud Ecchellensem. Nondum igitur patet, presbyteros Alexandriæ patriarcham fecisse, *quod maximum est*, ut inquit Dallæus: multo minus patet, presbyteros presbyterum fecisse, quod sine Hieronymi, sine Eutychii, sine cujuspiam auctoritate tradit. Seldenus quidem ex eo Hieronymi loco palam esse vult, legitimam olim presbyteris Alexandrinis ordinandi tum episcopum Alexandrinum, tum presbyteros saltem

in Ecclesia Alexandrina facultatem habitam esse ; sed quomodo inde colligi possit, non docet. Certe Hieronymus de ordinatione presbyteri non omnino loquitur, hoc est, de presbytero per ordinationem facto, imo neque de ordinatione cujuspiam per presbyterum facta eo loci intelligi potest, quia verba quæ proxime sequuntur, et periocham claudunt, hæc sunt : *Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non facit?* Ad quodcunque enim tempus hæc verba referantur, si de ordinatione per presbyterum facta locutus fuisset, hic locum habere non possent.

Cum igitur usus ille de electione et promotione episcopi Alexandrini, qualis qualis fuerit, (neque enim ordinationem Salmasius, neque electionem admittit Blondellus) nulli effato Ignatiano directe opponatur, et supponat etiam eadem regiminis formam Alexandriæ ab initio semper floruisse, quam requirit et laudat Ignatius; cumque durante hoc usu, sub tempora Demetrii, Origenes, Alexandriæ scholæ celeberrimus catechista, Ignatii epistolas noverit citaveritque; ex hoc ritu colligi nullo modo potest, Ignatium epistolicum toti Alexandrinæ Ecclesiæ penitus ignotum fuisse.

Sed et *aliud quiddam*, inquit Dallæus, *non minus mirabile docet* Eutychius, nempe « annis a Marco ad Demetrium præterpropter 120, nullum totam Ægyptiam Ecclesiam episcopum præter unum Alexandrinum habuisse. *Unde sic disputat* : Ignatius necessarium esse definit nihil absque episcopo operari. At omne ministerium ecclesiasticum absque episcopo in omnibus Ægypti, excepta Alexandria, civitatibus ad A. D. 190 peractum est. Ægyptiaca igitur Ecclesia Ignatium epistolicum non novit.

Respondeo primo, mirabile quidem est quod docet Eutychius, sed si verum etiam esset, non inde sequeretur, totam Ægyptiacam Ecclesiam Ignatii epistolas ignorasse. Omnes enim Ecclesiæ Ægyptiacæ, sive aliquem episcopum habuerint, sive nullum, subjectæ erant episcopo Alexandrino ; neque hoc negat Eutychius. Ignatius quidem asserit, illud demum ministerium ecclesiasticum recte peragi, quod vel sub ipso episcopo fit, vel quod ipse concesserit. At hoc fieri potuit in Ægyptiacis ecclesiis episcopo Alexandrino subjectis, quæ nullo alio episcopo gauderent. Hinc igitur ignoratio Ignatianorum non sequitur. Scytharum episcopus interfuit concilio Niiæno, Euseb. *De vita Constantini* lib. III, c. 7, cum Ignatiana essent notissima. Unus autem in tota Scythia episcopus fuit. Sozomenus lib. VIII, c. 19 : Ἀμέλει Σκύθαι πολλαὶ πόλεις ὄντες ἕνα πάντες ἐπίσκοπον ἔχουσι. « Certe in provincia Scythiæ, quamvis multæ urbes sint, unus est omnium episcopus ». Et lib. VI, cap. 21 : Τοῦτο τὸ ἔθνος πολλὰς μὲν ἔχει καὶ πόλεις καὶ κώμας καὶ φρούρια· μητρόπολις δέ ἐστι Τόμις, πόλις μεγάλη καὶ εὐδαίμων.... Εἰσέτι δὲ καὶ νῦν ἔθος παλαιὸν ἐνθάδε κρατεῖ τοῦ παντὸς ἔθνους ἕνα τὰς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν. « Hæc provincia Scytharum multas urbes et vicos continet et castella; metropoliam autem habet Tomes, urbem magnam et opulentam.... Vetus autem illic consuetudo etiamnum manet, ut totius gentis ecclesias unus tantum regat episcopus ». Hæc Sozomenus refert ad ea tempora, quibus Vetranio Tomorum episcopus fuit, qui Nicænæ synodi doctrinam amplectebatur. Plures autem ecclesiæ in Scythia tunc fuisse videntur, quam fuerunt in Ægypto ante Demetrium. Nam quicunque cogitaverit, quam superstitionibus gentilibus ea gens dedita fuerit, quot Judæorum millia Christianæ religioni infensa illic habitaverint, quantam seditionem illi sub Trajano in Libya, Ægypto et Alexandria, Cyrene et Thebaide, teste Eusebio, excitaverint, quamque « tota Libya tunc, interfectis cultoribus, desolata sit, ut nisi postea Adrianus imperator collectas illuc aliunde colonias deduxisset, vacua penitus terra, abraso habitatore mansisset », ut refert Orosius, facile consentiet, plures in provincia Scythiæ Christianos fuisse sub Valente, quam fuerant ante tempora Demetrii in Ægyptiaca diœcesi. Cum enim Valens Vetranionem episcopum in exsilium abduci jussisset, ab instituto destitit, ne tota illa provincia episcopo subjecta defectionem moliretur. Huic Vetranioni opinor, successit Theotimus, «Scythiæ Tomorum episcopus, *qui* in morem dialogorum et veteris eloquentiæ breves commaticosque tractatus edidit, aliaque scripsit », ut loquitur Hieronymus in Catalogo. Hic autem S. Chrysostomo maxime favit, et Epiphanio adversatus est, quod Origenis scripta condemnaret, cujus libros ipse studiose defendit; unde colligimus eum, illa præsertim ætate, Ignatium nescire non potuisse, licet tantæ provinciæ unicus episcopus præesset.

Respondeo secundo, historiolam illam de tribus episcopis a Demetrio primum in Ægypto factis minime fide dignam esse, sive auctorem, sive rem ipsam spectes. Primus mirabilis hujus narrationis auctor est Eutychius, patriarcha quidem Alexandrinus, sed nimis ab originibus illius Ecclesiæ remotus, utpote decimi sæculi scriptor : Melchitarum quidem episcopus, sed quo multo major fuit Alexandriæ eodem tempore Jacobitarum episcopus Macarius, et cui etiam cum populo suo. Melchitis, inquam, quibus præfuit, maxima simultas fuit. Ita enim de hoc Eutychio loquitur Elmacinus. *Hujus tempore multa fuerunt dissidia, et continuum odium inter ipsum et populum ejus.* Quod etiam testatur Ebn Abi Osaibeæ in Vita Eutychii. Ut autem majorem huic Arabico scriptori fidem conciliet Seldenus, « Mihi sane, *inquit*, Eutychius in hisce est veluti Beda plane Ægyptivus, *et rursus* : Annales ejus ipsis Ecclesiæ Alexandrinæ archivis plurima debere nullus dubito». Satis quidem magnifice de Eutychio et Annalibus ejus hæc dicta sunt ; sed sine ulla veritatis specie. Arabs enim ille non tantum Beda nostro longe junior fuit, et ab originibus Ecclesiæ remotior (utpote qui natus sit A. D 876, cum natalis Bedæ dies ad A. D. 673 referatur, ut annis pluribus quam 200 noster superior appareat) : sed

etiam ad antiquitates Ecclesiæ suæ eruendas atque explicandas multo imparatior et ineptior erat. De archivis autem Alexandriæ, quibus Annales tot debere putat, prorsus incredibile est. Libri omnes bibliothecæ Alexandrinæ, capta a Meslemiis urbe, statim perierunt. *Jussit Amrus Ebno'l As dispergi ecs per balnea Alexandriæ atque illis calefaciendis, comburi: ita spatio semestri consumpti sunt*, ut tradit Gregorius Abulfaraius. *Audi quid factum fuerit*, inquit ille, *et mirare.* Imo magis mirari oporteret, si post annos ferme 200 paucorum Melchitarum episcopus origines Ecclesiæ Alexandrinæ ibi inveniret. Certe tam negligenter Alexandrinæ Ecclesiæ historiam pertexuit, ut non magis hujus quam alterius cujuspiam monumenta ipsi cognita fuisse appareat. Marcum evangelistam tradit nono Claudii anno Alexandriam venisse, primo Neronis ibidem martyrio coronatum esse; et tamen idem refert, tempore Neronis Petrum scripsisse Evangelium Marci, dictante Marco, in urbe Roma. Hæc non ex Alexandriæ archivis, sed diversis scriptoribus, qui contraria tradiderunt, sine judicio hausit. Conciliare hæc quidem voluit Seldenus, sed frustra. *Non solum autem* tempore Neronis, *sed anno ejusdem primo, necesse est ut vellet noster Evangelium hoc scriptum, quod palam est ex iis quæ infra habet de exitu tum Petri tum Marci eodem in anno.* Si enim supponatur Evangelium Marci scriptum fuisse primo Neronis anno, reliqua tamen consistere non possunt. Eo enim anno quo mortuus est Marcus Alexandriæ non potuit Romæ dictare Evangelium; neque enim Eutychius, neque quisquam alius docet Marcum Ægypto ad Petrum commigrasse Romam: neque id factum docere potuit Eutychius primo Neronis anno, cum ipse tradat Petrum occisum esse anno 22, post passionem Domini, hoc est, ante imperium Neronis. Hæc autem omnia sunt ἀσύστατα. Patriarcharum nomina, et mira quidem sæpe, prodit Eutychius: annos etiam enumerat, res gestas minime commemorat. Cum ad Demetrium pervenit, quod ante dixerat, repetit: *Primus ille patriarcharum episcopos in Ægypti ditione ordinavit;* ut et de Heracla: *Ejus tempore appellatus est patriarcha Alexandrinus Baba, id est avus.* Quid autem in Ecclesia tunc temporis factum est, quomodo Origenes illic agitatus, non omnino docet: ut videatur Adamantium illum plane ignorasse. Neque hæc conjectura mera est; ipse enim de quinto concilio agens, hæc scribit: *Fuit etiam tempore Justiniani Origenes episcopus Manbagensis, qui metempsychosin asseruit, resurrectionem negans.* At hic ipse, quem episcopum Manbagensem vocat alius non erat quam Origenes Adamantius, notissimus ille scholæ Alexandrinæ præfectus et Demetrii synchronus. Eum tamen, si Eutychio huic credimus, Justinianus imperator Constantinopolim accersivit, et Eutychius patriarcha Constantinopolitanus excommunicavit. Addidit autem illi tres in itinere et excommunicatione comites, Ibam episcopum Rohensem, Thaddæum episcopum Massinensem et Theodoretum episcopum Ancyrensem, quos coram imperatore atque patriarcha comparuisse docet; per Thaddæum Massinensem Theodorum Mopsuestenum intelligens, et Theodoretum pro Cyrensi Ancyrensem appellans. Solum enim Ibam recte nominat Rohensem, hoc est Edessenum. Roha enim et Ἔδεσσα eadem civitas. Unde Abulpharaio *Abgar rex Rohæ*, qui apud Eusebium dicitur Ἄβγαρος τοπάρχης Ἐδέσσης. Erat autem *Abgarus*, sive *Abgarus* commune nomen Osdroenæ regulorum, quorum regia Edessæ fuit, ut testatur Procopius. Idem tradit Antonium inter Roham et Haranum occisum esse, ut in Eusebii Chronico legimus: *Antonius interficitur inter Edessam et Carras.* Ita Rohæ, hoc est Edessæ Constantium Helenam invenisse refert Eutychius. Quod si observasset Seldenus, nunquam in Eutychianis suis dixisset: *Ubinam hæc* Rhoa, *ego me nescire fateor*, nunquam ad Ῥαφίαν Phœniciæ urbem confugisset, nunquam inde Drepanum in Bithynia deduxisset, nunquam verba Cedreni περὶ τὴν τῆς Δαχίας πόλιν in περὶ τὴν τῆς Ῥαφίας πόλιν commutasset, totamque Helenæ historiam per se satis incertam tot conjecturis emendationibusque incertiorem reddidisset. Quatuor itaque viros in historia ecclesiastica notissimos coram Justiniano comparuisse tradit Eutychius, qui omnes diu ante mortui fuerant: quorum omnium antiquissimus erat Origenes, non episcopus Manbagensis, sed presbyter et catechista Alexandrinus, ipse Adamantius, quem Demetrius Ægypto fugavit, idque ope trium Eutychianorum episcoporum, ut Seldenus hariolatur. Sed qualis illi de Demetrio fides adhibenda est, qui Origenem nescivit? Hic autem Demetrius ut tres episcopos in Ægypti ditione ordinavit, ita ad tres episcopos extra Ægyptum scripsit. *Eo tempore*, inquit, *scripsit Demetrius patriarcha Alexandrinus ad Gabium episcopum Hierosolymitanum, Maximum patriarcham Antiochenum et Victorem patriarcham Romanum, de ratione computi Paschalis et jejunii Christianorum, et quomodo a Paschate Judæorum deducatur.* At Gabium ipse tradit 17 Aurelii anno Hierosolymis episcopum creatum tres tantum annos sedisse: aut igitur sub fine imperii Aurelii, aut sub initio statim Commodi scripta est hæc epistola. Quo tempore, nec Demetrius Alexandriæ præfuit, sed Julianus, nec Victor Romæ, sed Eleutherus. Certe cum epistolæ ex oriente ad Victorem de celebrando Paschate missæ sunt, Narcissus Hierosolymorum episcopus fuit; inter Gaianum autem, quem Gabium appellat Eutychius, et Narcissum, novem patriarchæ Hierosolymis sederunt. Neque vero ulla exstat memoria scriptæ ad Victorem a Demetrio epistolæ; episcopi tantum Palestinæ indicant Alexandrinos secum in die Paschatis observando consentire, idque patere ex litteris ad se invicem missis, nulla Demetrii mentione facta. Quæ dixit igitur de Demetrio Eutychius, ex archivis Ecclesiæ

Alexandrinæ non habuit; videamus an certiora de Alexandro, sub quo veterem consuetudinem desiisse ait, tradat: *Alexander*, inquit, *Achillam socium suum, qui ante ipsum patriarcha fuerat, de gradu patriarchali dejecit, quia, Ario recepto, contra Petri Alexandrini mandatum fecerat.* Cum ipse antea narrasset, Achillam, postquam sex annos sederat, mortuum fuisse. Quomodo igitur ad finem concilii Nicæni, Alexander eum de gradu patriarchali dejicere potuit? Decepit eum, ut opinor, nominis similitudo. Erat enim Achillas quidam presbyter, Ario consentiens, quem simul cum Ario excommunicavit Alexander. Non est igitur adeo fide dignus Eutychius, ut ei aut soli, aut primo hujus historiæ conditori credamus.

Respondeo tertio, plane incredibile esse, ut nullus fuerit in tota Ægypto episcopus præter solum Alexandrinum, ante Demetrii patriarchatum; et assertionem contrariam ex optimis historiæ monumentis demonstrari posse. Scripta est epistola ab Adriano imperatore ad Servianum consulem circa a D. 132 sexaginta ferme annis antequam factus est patriarcha Demetrius: non enim ille episcopus factus est a D. 175, ut immani prochronismo docet Salmasius in *Apparatu*; sed anno Commodi decimo, ut refert Eusebius in *Chronico*, circa a. D. 190. Hanc Latine scriptam Phlegon libertus ejus conservavit, et Flavius Vopiscus ex eo transcripsit, ut ipse refert in *Vita Saturnini*. Hujus epistolæ verba sunt: *Ægyptum, quam mihi laudabas, Serviane charissime, totam didici levem, pendulam, et ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: et devoti sunt Serapi qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Judæorum, nemo Samaritis. nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha cum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Habemus hic patriarcham, Christi episcopos, et Christianorum presbyteros. Et patriarcham quidem non tantum Casaubonus, sed et Salmasius pro episcopo Alexandrino habet. *En episcopum*, inquit ille, *Alexandrinum Adriani temporibus* patriarcham *dictum? Non igitur tam recens est patriarchæ nomen in Ecclesia Christiana, quam quidam videri volunt, quibus placet nec Nicæni primi concilii ætas, tanto post Adrianum intervallo, usitatum illud inter Christianos fuisse pro eo qui toti diœcesi præerat, et diœceseos exarchus dicebatur. Quas alibi refellam; et satis hic locus confutat.* Quomodo præstiterit postea id quod hoc loco promittit, aliis disquirendum relinquo. Certe libro *De primatu papæ*, cap. 4, nomen patriarchæ adhuc retinet, de exarcho diœceseos aliter, opinor, sentit. *Si quis* patriarcha *tum vocatus est, ut de episcopo Alexandrino constat, quem Adriani imperatoris ævo sic appellatum epistola ejus ostendit in Saturnini Vita a Flavio Vopisco posita, non eam per illud tempus habuisse significationem certum est, quam habuit postea.* Mihi vero, *ipse ille patriarcha* Adriano dictus de episcopo Alexandrino intelligi debere nullo modo videtur. Non tantum quia titulus ille nulli episcopo ea ætate, aut sequenti sæculo tributus esse appareat; sed et quod ea quæ de patriarcha narrat Adrianus, episcopo Alexandrino minime conveniant. *Cum*, inquit *Ægyptum venerit;* loquitur igitur de eo qui Alexandriæ habitare non solebat, sed aliquando tantum Ægyptum adire, utpote qui in alia aliqua regione viveret. Cum forte Ægyptum peteret, coactus est non tantum Serapidem, sed et Christum colere; ab utrisque igitur cultu erat alienus. Miror itaque cuiquam in mentem venire potuisse, hæc de episcopo Alexandrino dicta fuisse; quasi ille Ægyptum aliquando tantum peteret, et cum ibi esset, Christum colere cogeretur; præsertim cum utrumque Judæorum patriarchæ ea ætate notissimo tam probe conveniat. Judæorum patriarcham intelligo, qui in Palæstina vivebat, non qui Alexandriæ constitutus fuit, ut putabant Petitus et Petrus a Marca. De quo loquitur Origenes Περὶ ἀρχῶν, l. IV, c. I: *Dicunt permanere adhuc principem ex genere Judæ, istum, videlicet, qui est gentis eorum princeps, quem nominant patriarcham.* Loquitur de re ipsi, cum Alexandrinus esset, non incomperta; et patriarcham non huic aut illi regioni præpositum, sed totius gentis principem describit. Hic igitur si forte Ægyptum veniret, et Serapidem et Christum colere cogebatur, Patriarcha igitur Adriani cum archisynagogis Judæorum procul dubio numerandus est. *Christi* autem episcopi, et Christianorum presbyteri ad Ecclesiam Ægyptiacam pertinebant. Et recte inter sparsos ad jus Justinianeum flores observat Hugo Grotius: *Episcopos Christianos a presbyteris distinguit Adrianus imperator, in epistola quæ est apud Vopiscum Saturnino.* An enim de illis ita loqueretur Adrianus, si presbyteri soli in Ægypto tunc temporis fuissent, episcopi nulli? Mirum subterfugium est quo utitur Seldenus: *Non tam de episcopis, quam de eis qui se episcopos ibi dixere, loquitur Adrianus;* quasi qui se episcopos dixere, episcopi non essent. Non eos accusat, quod nomen simularent, aut fictum sibi sumerent; sed quod religionem proderent, quod Serapin colerent, qui se non simpliciter episcopos, sed Christi episcopos dicerent, adeoque Christianæ religionis curam sibi primo loco vindicarent; quod cum aliarum Ecclesiarum episcopi ad sacrificandum diis gentilium cogi nullo modo possent, illi ob insitam genti levitatem Serapim adorarent. De episcopis igitur loquitur Adrianus: *Neque autem hinc sequitur, episcopum ibi fuisse tunc aliquem præter patriarcham alium, qua episcopi nomen aut dignitas presbyteri nomine superius habitum, aut ab eo diversum*, inquit ille. Quasi vero Adrianus cognoverit illud arcanum, quod isti tantopere venditant, aliquando eisdem vocari episcopos et presbyteros: quasi ille apostolorum consuetudinem sequeretur, et aliter eas voces acceperit ac vulgo homines tum

locuti sunt. Certe Adrianus episcopos a presbyteris aperte distinguit, eosdemque superiores facit. Primo loco Christi episcopos nominat, et cum Christianos, tum etiam illos, quasi scilicet, Christianorum principes, Serapi devotos esse dicit: postea presbyteros nominat, eosque quasi inferiores, aut inter aruspices et aliptas numerat, aut aruspices et aliptas facit; quæ omnia distinctionem manifestam et imparitatem sonant, episcopique nomen non tantum a nomine presbyteri distinctum, sed et superius habitum ostendunt.

Ut omittam ea quæ de episcopatu Ægyptiaco, quo ante epistolam Adriani excidit Valentinus, et parœciis, quibus præfectus Eusebio dicitur Demetrius, tradiderunt Hammondus et Thorndicius, certum est neque Græcis neque Latinis notam fuisse traditionem illam de episcopis in Ægypto a Demetrio primum factis. Exstat Evaristi nomine epistola ad omnes per Ægyptum fratres, hoc est episcopos; largimur quidem, hanc epistolam Evaristi non esse; sed ut et adversarii largiantur necesse est, auctorem epistolæ plures episcopos Evaristi ætate in Ægypto fuisse opinatum esse. Leonidem, Origenis Patrem sub initio Demetrii fuisse crediderunt nonnulli. Ita certe Suidas ex veterum aliquo: Ὠριγένης Λεωνίδην εἶχε πατέρα ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα. Idem etiam testatur Chronographus Joel, de Severo imperatore agens: Ἐφ' οὗ Λεωνίδης ὁ ἐπίσκοπος καὶ πατὴρ Ὠριγένους ἐμαρτύρησε. Licet enim Leonidem nunquam episcopum fuisse crediderim, is tamen certe, quisquis fuit, qui primum illum episcopum tradidit, credidit episcopos fuisse in Ægypto ante triumviratum Dionysianum. Notat enim Seldenus Demetrium, summum Origenis adversarium, tres sibi, procul dubio velut auxiliarios episcopos instituisse; hæc igitur institutio ad postrema Demetrii pertinet; diu enim Origeni amicissimus fuit, teste Eusebio lib. VI c. 8. Tres itaque instituit Demetrius episcopos auxiliarios, ut eorum scilicet ope adjutus, majore auctoritatis pondere Origenem in synodo opprimeret: neque enim quisquam synodum nationalem unquam audivit coactam sine episcopis. At si Demetrius tribus tantum auxiliariis episcopis, iisque contra antiquissimam Alexandrinæ Ecclesiæ, imo totius Ægyptiacæ consuetudinem ordinatis, stipatus atque communitus adversus Origenem synodicam sententiam protulisset: an id Origenes ipse, an Eusebius, acerrimus ejus hyperaspista, tacuisset? Demetrius synodo coacta decreto sancivit, Origenem Alexandria pellendum esse, ut in Apologia Eusebii proditum est. Ex illa his verbis rem narrat Photius cod. 118: Σύνοδος ἀθροίζεται ἐπισκόπων καὶ τινων πρεσβυτέρων κατὰ Ὠριγένους, quæ minus recte ab Huetio exhibentur: *Synodus prior episcopis aliquot et presbyteris conflata*; non enim hoc Græca volunt, sed: *Synodum episcoporum, et aliquot* etiam *presbyterorum* indicat, quod aliud est; episcopos, scilicet, fuisse plures, aliquos autem et presbyteros. Blondellus vero, ut solet, hæc mire ad rem suam accommodavit. Nam in Addendis ad pag. 199, l. VIII Apologiæ suæ: *Ascribe*, inquit, *Origenem presbyterorum decreto pulsum refert Photius cod.* 297. Tot quidem codices Photius non habet; sed hæc, sine controversia, verba respexit quæ pag. 297 habentur: Ἡ δὲ [Σύνοδος] ψηφίζεται, *synodus decretum facit*, inquit Eusebius apud Photium, synodus episcoporum, cui interfuerunt aliquot presbyteri. Hoc autem decretum synodi, cui præsidebat Demetrius, et in qua tot sedebant episcopi, simpliciter decretum presbyterorum dici quis ferat? Si tres episcopi tantum cum Demetrio convenissent, aut Eusebius, aut Pamphilus synodum appellasset episcoporum? nonne aliquid ex ea paucitate episcoporum ad defensionem Origenis traxisset Eusebius? Cum posteriorem quemdam conventum describit, qui sacerdotio Origenem privavit, quod prius in synodo factum non est: Ἀλλ' ὅγε Δημήτριος ἅμα τισὶν ἐπισκόποις Αἰγυπτίοις καὶ τῆς ἱερωσύνης ἀπεκήρυξεν, inquit; nonne minorem numerum episcoporum in depositionem ejus consensisse innuit? et an pauciorum quam trium episcoporum subscriptiones accepisset Demetrius? Si tam pauci in Origenem consensissent, iique a Demetrio tanquam auxiliarii noviter instituti, sine dubio Origenes ipse de abrogata veteri consuetudine, de auctoritate paucorum novitiorumque episcoporum disputasset: ille autem de novis non episcopis, sed litteris, de multitudine, non de paucitate eorum, qui cum Demetrio in se conspiraverant, conquestus est: Τοῦ ἐχθροῦ πικρότατα ἡμῶν καταστρατευσαμένου διὰ τῶν καινῶν αὐτοῦ γραμμάτων, καὶ ἀληθῶς ἐχθρῶν τῷ Εὐαγγελίῳ, καὶ πάντας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ ἀνέμους παθ' ἡμῶν ἐγείραντος. *Inimico adversus nos acerbissime pugnante, per suas novas litteras revera Evangelio inimicas, omnesque Ægypti ventos adversus nos concitante*, ut ipse de Demetrio loquitur, in præfatione tomi sexti *in Joannem*. Si denique tres tantum episcopi in Ægypto Demetrio auxiliati essent, an synodorum illarum decretis consensisset universus orbis, excepta Palæstina, Arabia, Phœnicia et Achaia, quod testatur S. Hieronymus? Non est igitur dubium, quin episcopos ex Ægypto plurimos in Origenem concitaverit Demetrius; quem idcirco falso tres tantum constituisse tradit, nullo auctore, Eutychius; eosque in hunc ipsum finem constitutos ut Origenem pellerent, nulla cum ratione statuit Seldenus.

Præterea constat ex epistola Alexandri Alexandriæ episcopi, ante concilium Nicænum pene centum episcopos Ægypti consensisse in condemnationem Arii et aliquorum etiam episcoporum. Constat etiam, nunquam fieri mentionem pauciorum in illa diœcesi episcoporum prioribus temporibus. Verisimillimum igitur est, non multo pauciores olim fuisse. Ut ad ea tempora propius accedamus, quæ Eutychius indigitat: Dionysius qui Heraclæ successit quinto imperatoris Philippi, sex annis ante Ori-

genis mortem, cui et maxime favit, nihil de Demetrii aut Heraclæ auxiliariis dixit ; de variis episcopis loquitur, non tanquam novis, sed ut alii de suis solent in propriis diœcesibus. Scripsit ad Cononem Hermopolitanum episcopum, ad Hieracem episcopum Ægyptiacum,ad Ammonem Berenices episcopum, ad Basilidem Pentapolitanum episcopum, et alios. Sub illius pontificatu ἐν Πενταπόλει τῆς ἄνω Λιβύης τηνικαῦτά τινες τῶν ἐπισκόπων ἐφρόνησαν τὰ Σαβελλίου, quidam episcoporum in Pentapoli Sabellii sententiam amplectebantur, quidam autem orthodoxi eum coram Dionysio Romano accusabant : erant igitur tunc temporis in Pentapoli episcopi complures, neque pauciores, opinor, quam ibidem circa Alexandri tempori exstiterunt. Nam cum postea Palæbisca et Hydrax, vici Pentapolis, sibi proprios episcopos fieri curassent, ab omnibus Synesio renuntiatum est πάτριον εἶναι καὶ ἀποστολικὸν Ἐρυθρίτιδας εἶναι καὶ ταύτας τὰς ἐκκλησίας, *ex patria et apostolica ordinatione Erythro contributas esse has Ecclesias*, Erythræi igitur episcopi jurisdictionem secundum morem Ecclesiæ Ægyptiacæ ad apostolica tempora referebant. Et Siderius Palæbiscæ episcopus, nemini succedens, sine successore mortuus est ; nam decreto Theophili episcopi Alexandrini: Παλαίβισκα καὶ Ὕδραξ εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν ἐτάχθησαν, καὶ πρὸς τὸ Ἐρυθρὸν ἀνελήφθησαν, *Palæbisca et Hydrax in antiquum ordinem redactæ, et Erythro contributæ*. Idem etiam Dionysius narrat, Chæremonem episcopum Nili, ὑπεργήρων *extrema senectute*, mota persecutione in Arabiam cum conjuge sua secessisse : quem credibile est sedem eam tenuisse antequam Demetrius auxiliarios adversus Origenem sibi adjunxit. Imo duos libros *De promissionibus* scripsit commotus libro Nepotis Ægyptii episcopi, qui Chiliastarum doctrinam promulgaverat, et jampridem mortuus fuerat. Nepos hic reliquit Psalmodiam, ἣ μέχρι νῦν, inquit Dionysius apud Euseb. l. VII, c. 25, πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν εὐθυμοῦνται. Illud autem μέχρι νῦν, *usque ad hoc tempus*, non modici temporis intervallum notat. Idem rursus : *Cum in Arsinoitica præfectura essem*, ἔνθα πρὸ πολλοῦ τοῦτο ἐπεπόλαζε τὸ δόγμα, *in qua jampridem increbuit hæc opinio* : ubi illud πρὸ πολλοῦ, sive *jampridem*, non potest intelligi de sententia nuper orta, sed vetusta et inveterata, quæ tamen relicto a Nepote libro nitebatur. Diu itaque mortuus est Nepos episcopus τῆς Αἰγύπτου ante pontificatum Dionysii, episcopus autem factus diu ante Demetrii auxiliarios.

Denique traditio illa, de tribus episcopis a Demetrio primo in Ægypto factis, omnibus Græcis atque Latinis ignota fuit : traditio autem illi contraria, de episcopis a S. Marco in Ægyptiaca diœcesi institutis et Græcis et Latinis, atque Arabibus nota fuit.Simeon Metaphrastes de S. Marco : *Constituit et confirmavit ecclesias per Libyam, Marmaricam, Ammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, locaque quæ Bucolicæ dicebantur..... Ordinaverat autempro se episcopum Alexandriæ Anianum : aliis quoque Ecclesiis longe lateque episcopos, presbyteros, diaconos dederat.* In Synaxario Græco S. Marcus describitur παντα χοῦ θαυματουργῶν, καὶ τὰς Χριστοῦ ἐκκλησίας κατακοσμῶν χειροτονίαις ἐπισκόπων καὶ τῶν λοιπῶν κληρικῶν. Nicephorus Callistus lib. II, c. 43 : Ἐν Κυρήνῃ τε καὶ Πενταπόλει πολλὰ καὶ ἄπειρα ἐργασάμενος, καὶ ἐκκλησίας ἀνοικοδομήσας, κλήρους τε καὶ ἐπισκόπους καὶ τἄλλα προσηκόντως διενεργήσας εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν πάλιν ἐπάνεισιν. Hæc Græci. Vita S. Marci ex antiquissimo codice ante 100 annos descripta : *Beatus autem Marcus Anizanum Alexandriæ ordinavit episcopum, et tres presbyteros, id est Melium, Sabinum et Cerdonem, et septem diaconos,et alios undecim ad Ecclesiasticum ministerium pertinentes. Et Pentapolim pergit . . . . . et ordinans episcopos per regiones illas et clericos, iterum Alexandriam venit.* Rabanus Maurus eadem cum Metaphraste tradit, ut et Notkerus, et Alfricus Cantuariensis episcopus, et Ordericus Vitalis. Inter Arabas Martyrologium Melchitarum : *Aliquandiu moratus est Marcus in urbe Cyrene Cyrenæorum, indeque Alexandriam quæ apud Pharum est, perrexit* : *dein in Barcam profectus est, multaque edidit miracula, et Christi ecclesias exornavit, constituens eis episcopos, atque his inferiores sacerdotes.* Et Severus *De Vitis patriarcharum Alexandrinorum* : *Ipse vero discedens Pentapolin perrexit, mansitque ibi annos duos, annuntians et ordinans episcopos, presbyteros, et diaconos in omnibus ejus provinciis.* Ut videre est apud Ecchellensem. Nullum igitur Eutychianæ traditionis fundamentum est.

Respondeo quarto, ne Eutychium quidem ipsum hanc historiolam tanquam traditionem a majoribus acceptam referre, sed velut quæstionis Criticæ aut Philologicæ, apud Arabas sui temporis agitatæ, solutionem in honorem Ecclesiæ suæ factam. Arabes enim putabant, aut putari voluerunt, nomen papæ, sua ætate pontifici Romano peculiariter attributum, primo fuisse Alexandrinis episcopis datum, et a populo Ægyptiaco usurpatum, et ab illis ad Romanos pontifices devolutum, ut tradunt Georgius Homaidius et Abubacrus Habbasides apud Ecchellensem. Cum igitur a Græcis eruditi intelligerent, eum titulum primo patriarcharum Alexandrinorum Heraclæ attributum fuisse, a Dionysio, scilicet (quem scriptorem vocat Eutychius ; nullius enim Alexandrini episcopi ante eum scripta exstabant), qui in epistola ad Philemonem hæc tradiderat : Τοῦτον ἐγὼ τὸν κανόνα καὶ τὸν τύπον παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα ἡμῶν Ἀρακᾶ παρέλαβον. *Hanc ego regulam ac formam a beato papa nostro Heracla accepi;* cum hæc, inquam, a Græcis accepissent, rationem excogitarunt, quare hic Heraclæ potissimum titulus attribueretur ; et cum vocem πάπαν ad πάππον inclinare viderent, neque enim deerant Græculi qui etiam illuc traherent, miram hanc historiam excogitarunt,qua non sub Demetrii tempore, sed Heraclæ,populum illud discrimen inter episcopos Ægypti

nuper institutos, et Alexandrinum patriarcham animadvertisse ostendant, ut postea vulgarem episcopum *abba*, patriarcham *papam*, id est *avum* appellarent, quoniam ipsi episcopi patriarchm *abbam* vocarent. Hæc vera esse vel inde primo perspicitur, quod Eutychius non perpetuam narrationem texat, aut historiam de institutione episcoporum electioni presbytererum immediate subjungat, sed quæstionem obiter inserat, quare patriaecha Alexandrinus dictus sit papa? Quam quidem quæstionem dissimulat Seldenus, ut tanquam partem prioris historiæ posteriorem inducat. Ita enim Eutychium loquentem repræsentat: *Is etiam* (nempe Alexander) *petiit ab eis, ne patriarcha Alexandrinus papa vocitaretur, quod significat avum.* Ita vertit *petiit ab eis*, et ex alio codice *dixit* vel *mandatum dedit eis*, ac *si* decreverit Alexander, ne posthac patriarcha Alexandrinus papa diceretur. Cum ipse Alexander eo ipso nomine a suis vulgo indigitaretur. Inscriptio epistolæ apud Athanasium libro *De synodis*: Μακαρίῳ πάπᾳ ἐπισκόπῳ ἡμῶν Ἀλεξάνδρῳ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἐν Κυρίῳ χαίρειν. Prima epistolæ sententia: Ἡ πίστις ἡμῶν ἡ ἐκ προγόνων, ἣν καὶ ἀπὸ σοῦ μεμαθήκαμεν, μακάριε πάπα, ἐστὶν, αὕτη· Et in corpore epistolæ, ὡς καὶ σὺ αὐτὸς, μακάριε πάπα. Athanasius Alexandri successor Alexandrum papam vocavit, et ipse ab Ischyra, Arsenio, Constantio πάπας vocatus est. Sed hanc versionem satis exagitavit Ecchellensis. Doctissimus Pocockius noster ita reddit: *Buod autem quærunt* [*nonnulli*], *quare patriarcha Alexandrinus vocetur papa? (cujus nominis significatus est avus)* [*sciendum est*]. Ut igitur illi quæstioni responderet Eutychius, illa de tribus a Demetrio, viginti ab Heracla factis episcopis inaudita tradit, ut solent illi, qui de vocabulorum originibus disputant. Omnia autem quæ tradit et futilia, et falsa et absurda sunt. Statuit enim *abba* sive πάπαν significare *avum*, titulum illum patriarchæ datum, cum alius reliquis episcopis competeret; idque primo Alexandriæ, ut postea, scilicet, Romano pontifici attribueretur. Ut igitur hæc fabula penitus explodatur, ostendam primo vocem πάπαν, quæ Heraclæ tributa est, nunquam significasse *avum*. Vocem hanc Syracusanam esse volunt Grammatici nonnulli. Suidas: Οὕτω δὲ λέγεται παρὰ Συρακουσίοις ὁ πατὴρ πάπας. Eustathius: Ἄλλοι δὲ, ὅτι παρὰ Συρακουσίοις πάπας ὁ πατήρ. Aliter Etymologus: Οὕτω λέγεται παρὰ Συρακουσίοις ὁ πατὴρ, πᾶς. Quod quidem verum esse potest, alterum non item. Nam vox πάπας ipsis Syracusis longe antiquior est. Syracusæ enim ab Archia conditæ sunt vel sub Clidico, ut Euscbius, vel potius sub Æschylo Athenensium rege, ut Marmor Arundellianum; hæc autem vox sub Dioneto ab Homero usurpata est, de Nausicaa, *Odyss.*, Z,

Ἣ δὲ μάλ' ἄγχι στᾶσα φίλον πατέρα προσέειπε·
Πάππα φίλ'.

Ubi vocis interpretatio certissima est, *Pater* A *chare*; alloquitur enim φίλον πατέρα. Hesych. Πάππα, προσφώνησις παιδὸς πρὸς πατέρα. Primæva igitur significatio τοῦ πάπας, vel poetice πάππας, est *pater* Idem etiam verbum παππάζειν inde deductum usurpat *Iliad.*, E:

Οὐδὲ τί μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν.

Ubi vetus Scholiastes: Παππάζουσι, πάππα φωνοῦσι, πατέρα καλοῦσι. Hesychius post V. Παζοίνης, habet παππάζοιεν, παρακαλοῖεν. Sed utrumque locum obiter emaculandum censui, qui post nuperos editores adhuc in mendo jacet. Primo igitur Παζοίνης, οἱ κατ' Ἰταλίαν, manifeste corrupta sunt, et series litterarum pro ζ postulat ξ. Sic igitur legas: Παξοὶ, νῆσοι κατ' Ἰταλίαν, *Paxæ, insulæ prope Italiam.* De quibus Plinius l. IV, c. 12: *Circa eam aliquot, sed ad Italiam vergens Thorones, ad Leucadiam Paxæ duæ, quinque, M. discretæ a Corcyra.* De quibus etiam Polybius intelligendus l. II: Συνέβαλον τοῖς τῶν Ἀχαιῶν σκάφεσι περὶ τοὺς καλουμένους Παξούς, vel forte, τὰς καλουμένας Παξούς. Secundo pro παππάζοιεν, παρακαλοῖεν, legendum quivis statim videt, παπάζοιεν, πατέρα καλοῖεν. Ita apud Aristophanem, optimum linguæ Atticæ interpretem, Trygæus filias alloquitur, in *Pace:*

Ἡνίκ' ἄν αἰτίζητ' ἄρτον πάππαν με καλοῦσαι.

Cum panem petitis papam *me vocantes.*

Quem locum respiciens Hesychius: Πάπας, πατρὸς ὑποκόρισμα. Et ita filiæ Trygæum alloquuntur: Ὦ παπία. Ita rursus et in *Vespis*, ubi Scholiastes: Παπία δὲ, πάτερ. Erat igitur hæc liberorum ab ipsa linguæ Græcæ origine blanda appellatio patri data. Posteriores Græci eamdem appellationem etiam illis tribuerunt, quos quasi patrum loco habemus. Scholiastes Homeri: Πάππα, προσφώνησις φιλοφρονητικὴ νεωτέρου πρὸς πρεσβύτερον. Juniores senioribus tanquam filii parentibus titulum hunc tribuebant; et ubi ætati dignitas aliqua accessit, titulus venerationis habebatur. Τὸ πάππα καὶ τὸ ἄππα οὐ ψιλῶς ὁ πατὴρ, ἀλλὰ πρὸς πατέρα σεπτικὴ φωνή, Suidas. Sub hac venerationis nota πάπας a Græcis, *papa* a Latinis, primævis Ecclesiæ temporibus tribuebatur episcopis, quos loco spiritualium patrum habuerunt. Nulla hic *avi*, nulla *patris patrum* notio. Hoc autem secundo apparet, quod titulus ille eodem ævo quo de Heracla usurpatus est, aliis episcopis quam patriarchis communis erat. Clerus Romanus ad clerum Carthaginensem: *Didicimus secessisse benedictum papam Cyprianum a Clementio subdiacono.* Iidem in titulo epistolæ ad ipsum scriptæ: *Cypriano papæ presbyteri et diaconi Romæ consistentes S.* Ita Romæ ita in Africa locuti sunt: *Universi confessores Cypriano papæ S.* Hieronymus aliquando Theophilum episcopum, Alexandrinum *papam* appellat, ut in Apologia adversus Ruffinum, *Ergo etpistolæ papæ Theophili et Epiphanii et aliorum episcoporum te petunt, te lacerant*; et paulo post: *Lectis nuper papæ Theophili epistolis,*

iterumque : *Nunc primum a papa Theophilo didicisse impietates ejus.* Et in epistola ad ipsum data : *Admitere ergo, papa amantissime atque beatissime.* Non quod hunc titulum Alexandrino episcopo peculiarem crederet ; Anastasium enim simul cum Theophilo nominans, illum, non hunc, *papam* vocat : *Quid faciunt epistolæ Theophili episcopi, quid papæ Anastasii, in tota orbe hæreticum persequentes* ? Imo in epistola ad Theophilum data Anastasium *papam* appellat, *Ex dispensatione Dei factum puto, ut eo in tempore tu quoque ad Anastasium papam scriberes.* Alios etiam eodem nomine indigitat : *Ne me mittas ad sex millia librorum ejus, quos legisse beatum papam Epiphanium criminaris* ; et rursus : *Erupit aliquando contra papam Epiphanium*, Apologia secunda. In proœmio Commentariorum in Jonam, *Cæterum non ignoramus, Chromati papa venerabilis.* In epistola ad Augustinum : *Incolumem et mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, domine venerande et beatissime papa.* Ita reliqui ejusdem ævi nomen *papæ* cuilibet episcopo tribuebant. Tertio, usitatum hunc titulum etiam ante Dionysium et Heraclam docet nos Tertullianus lib. *De pudicitia* cap 13, qui de episcopo Romano hæc habet : *In eum hominis exitum, quantum potes, misericordiæ illectibris bonus pastor, et benedictus papa concionaris.* Cum igitur vox *papæ* nunquam significet *aruna*, sed omnes episcopis semper tributa sit, et prius quidem episcopo Romano quam Alexandrino, inania sunt omnia ob quæ hanc historiam excogitarunt Arabes ; falsa etiam et historia ad horum tantum confirmationem tradita.

Excussimus traditionem Ægyptiacam, quam nos nunquam natam fuisse contendimus, et ab Arabibus tantummodo fictam ; ecce autem etiam redivivam et ad hunc usque diem superstitem ! *Eutychianam traditionem firmat idem institutum*, inquit Dallæus, *in antiquissima et nobilissima Ecclesiæ Ægyptiacæ traduce, Æthiopica Christianitate, ad hæc usque tempora servatum. In omni enim Æthiopica Ecclesia unus est jam ab antiquis temporibus episcopus, abuna, ut vocant*, id est *patriarcha, qui etiam hodie ab Alexandrino patriarcha consecratur et mittitur.* Antiqua autem tempora quæ sint, postea ostendit ; ait in Æthiopiæ pariter ac Ægypti amplissimis et Christianissimis civitatibus nullos ad a D. 190 episcopos, abunam tantum fuisse Æthiopicum ut et patriarcham Alexandrinum.

Quæro autem unde hæc omnia pro compertis habeat vir doctissimus. Testes quatuor adducit, Alphonsum Mindesium, Nicolaum Godignum, Joannem a Sanctis, Franciscum Alvarem, nuperos scriptores omnes, Jesuitas aut Dominicanos. Quid autem illi testantur ? an Christianitatem Æthiopicam ab initio fuisse Ecclesiæ Ægyptiacæ traducem ? an ab antiquo usque ad a D. 190, fuisse in Æthiopia patriarcham aut abunam cum presbyteris quamplurimis, episcopo autem nullo ? an hanc regiminis formam ab Ægyptiis fuisse derivatam, et apud Æthiopas intemeratam ad sua usque tempora permansisse ? nihil horum. Id unum asserunt, superiori sæculo nullos fuisse in Ecclesia Æthiopica episcopos, abunam unum ab Alexandrino patriarcha electum et creatum. Demus igitur id verum esse, quod eorum testimonio confirmatur, etiamsi illis longe plures contrarium plane doceant, atque inter eos ipse Salmasius. An inde sequitur traditionem Eutychianam in Ægypto revera ab initio obtinuisse, et omnem Ignatianis epistolis fidem abrogandam esse ? Nulli fuerunt in Æthiopia episcopi præter unum abunam sæculo XVI. Ergo nulli erant in tota Ægyptiaca diœcesi primo vel secundo sæculo usque ad a. D. 190 episcopi præter Alexandrinum patriarcham ; ideoque epistolæ Ignatii confictæ sunt. Non probat aut admittit, opinor, hanc consequentiam vir doctissimus. Reliqua enim omnia quæ enumeravimus, ad Eutychianam traditionem firmandam, plura autem ad Ignatium epistolicum rejiciendum necessaria sunt : quæ adhuc nullo testimonio confirmantur, imo quæ nullo confirmari possunt.

Primo enim Christianitas Æthiopica ab initio non videtur fuisse Ecclesiæ Ægyptiacæ tradux. Nam, teste Irenæo, l. III, c. 12, *Spado reginæ Æthiopum missus est in regiones Æthiopiæ prædicaturus hoc quod ipse crediderat.* Idem testatur Euseb. l. II, c. 1, et S. Hieron. *in* III *Isaiæ*, et S. Cyril. catech. 17. Unde et Æthiopes ipsi a Philippo apostolo se ad fidem conversos profitentur. Volunt etiam nonnulli S. Thomam Æthiopibus Evangelium prædicasse, alii S. Matthæum, ut Socr. l. I, c. 19, Ruffinus l. X. c. 9, Utcunque sit, sunt enim primæ evangelicæ promulgationis vestigia ut apud alias gentes a Græcis longe dissitas, ita et apud Æthiopas valde obscura, nemo tamen veterum dixit Æthiopas primo vel secundo sæculo religionem Christianam ab Ægyptiis didicisse ; quod erat ad Eutychianam traditionem firmandam imprimis probatu necessarium. Et mirum est, quot et qualia hæc de Ignatio conjectura Dallæum docuit, quæ antea prorsus ignoravit. Ita enim ipse de Pseudep. apost. l. I, c. 2 : *Sed Æthiopas quidem mittamus, quorum non nisi recentissima novimus, antiqua plane ignoramus.*

Fatemur quidem, quidquid ab Eunucho, aut Thoma, aut Matthæo factum est in illis regionibus, Æthiopas aliquando Christianam religionem ab Ægyptiis hausisse, quod multa demonstrant. Quæritur tantum de tempore, cujus cognitio erat ad hoc argumentum plane necessaria. Nam nisi probetur Æthiopas abunam habuisse ab episcopo Alexandrino creatum, qui eam Ecclesiam cum presbyteris sine alio episcopo rexerit, ante Demetrii tempora, Eutychiana traditio nullo modo confirmabitur. Quæ autem Dallæus affert, ut Æthiopicum Christianismum ab Ægypto propagatum esse demonstret, hæc tantummodo sunt : *Abuna*, scilicet, *ab Alexandrino patriarcha peti ordinarique solitus, et vetus Dioscori schisma cui gens tota ad hodiernum diem adhæret, synodi Chalcedonensis et Leonis Romani*

episcopi memoriam abominans. Hæc autem nec ad a. D. 190, nec ad Eusebii tempora pertingunt ; ideoque ad rem præsentem nihil omnino faciunt. Arabes quidem Æthiopicæ Ecclesiæ primordia ad Constantinum ferme referunt. Abulfaraius notat a tempore Constantini religionem Christianam se exeruisse, donec eam amplecterentur pleræque earum quæ Romanis vicinæ sunt gentes, nec non quotquot incolebant Coptæ aliis et Nigritæ omnigeni ex Æthiopibus, Nubiis cæterisque. Geographo Nubiensi memorantur *Nigri, qui vocantur Albanin et dicuntur esse Græci, religionemque Christianam profiteri a diebus Coptitarum ante exortam Mustemannorum sectam ; verum deficiunt a fide Christianorum, sunt enim Jacobitæ.* At Constantini ætate plures quam centum fuerunt in Ægypto episcopi ; et eodem tempore Eusebius Ignatii epistolas omnibus ecclesiis perhonorifice commendavit. Imo vero videtur etiam ætate ipsius Athanasii, qui epistolas Ignatii et novit et recepit, et primum incognita vel nulla fuisse, et dein vel ortum habuisse, vel se recuperasse Ecclesia Ægyptiaca. Idque patet ex historia quam narrat Ruffinus de Frumentio, quem in Indiam cum Meropio profectum esse tradit. Etsi enim Ruffinus ita historiam pertexat, quasi in Indiam ulteriorem et orientalem Frumentius perrexisset ; constat tamen Indiam eam fuisse Ægypto proximiorem, et Æthiopiæ partem. Indi enim Æthiopes antiquitus appellabantur, ut apud Virgilium de Nilo [18] :

Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

Ad hanc autem Indiam Frumentium primo perveniisse constat : ex illa Alexandriam rediit, in eamdem rursus etiam missus est, et ab Athanasio ordinatus episcopus Axumeos. Erat autem Axumis Æthiopum metropolis. Stephanus *De urbibus* : Ἀξουμίτης, ἀρσενικῶς, μητρόπολις Αἰθιόπων. Apud Arrianum in Periplo maris Erythræi (quod Procopio Gazensi θάλασσα Ἰνδικὴ vocatur) : Ἀπὸ δὲ ταύτης εἰς αὐτὴν τὴν μητρόπολιν τὸν Ἀξωμίτην λεγόμενον ἄλλων ἡμερῶν πέντε. Nonnosus apud Photium : Ἡ δὲ Ἄξουμα πόλις ἐστὶ μεγίστη, καὶ οἷον μητρόπολις τῆς ὅλης Αἰθιοπίας. Et clarius adhuc Procopius *Persicorum* lib I : Ὁμηριτῶν δὲ καταντικρὺ μάλιστα ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ Αἰθίοπες οἰκοῦσιν οἱ Αὐξωμεῖται ἐπικαλοῦνται, ὅτι δὴ αὐτοῖς τὰ βασίλεια ἔστιν ἐν Αὐξώμιδι πόλει. Erat igitur Axumis metropolis Æthiopiæ, et in ea Æthiopum regia posita fuit. Ad hanc igitur Axumin, et hanc Indiam, quæ pars est Æthiopiæ Ægypto proxima ; non ad Indiam intra Gangem, aut ad Axumin illam, quam ad latus orientale Indi fluvii constituit Ptolemæus, Frumentium missum fuisse a S. Athanasio credendum est : tum quod epistolam Constantius ad Aizanan et Sazanan ejus loci tyrannos scripsit, ὥστε Φρουμέντιον τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ἀξούμεως ἐκεῖθεν ἀχθῆναι, *ut Frumentius episcopus Axumeos inde abduceretur* (inquit Athanasius in Apologia), in qua tyrannos eos fratres vocat, iisque paria cum Romanis jura impertit ; cum nulli imperatorum Romanorum fœderati ultra Gangem essent : tum etiam quod idem Constantius legem fecerit in hæc verba quæ rem ipsam mire illustrat : *Nullus ad gentem Auxumitarum et Homeritas ire præceptus, ultra annui temporis spatia debet Alexandriæ de cætero demorari.* Erant igitur hi Αὐξουμῖται καλούμενοι Αἰθίοπες, ut loquitur Philostorgius, Homeritis adjuncti, imperio Romano contermini, Romanorum fœderati, tempore Constantii. Ad illos igitur sæpe missi sunt legati qui Alexandriam primo petebant, inde in Æthiopiam profecti, ex Æthiopia Alexandriam reversi sunt, ad quos spectat illa constitutio. Hæc occasio eos ad fidem Christianam sub primis imperatoribus Christianis convertendi.

Jam vero ante hunc Frumentium in hac India sive inter Æthiopas Axumitas nulla Christianæ religionis vestigia apparebant. Ita omnino intelligendus Socrates in præfatione ad hanc historiam : Τὴν μέντοι ἐνδοτέρω Ἰνδίαν ἣν προσοικεῖ βαρβάρων ἔθνη πολλὰ διαφόροις χρώμενα γλώσσαις οὐδέπω πρὸ τῶν Κωνσταντίνου χρόνων ὁ τοῦ Χριστιανισμοῦ λόγος ἐφώτιζεν. *Interior autem India, quam gentes accolunt plurimæ, diversis utentes linguis, ante Constantini tempora nondum Christi fide fuerat illustrata.* Idem etiam ex ipsa historia innotescit. Frumentius enim ipse cum primum ad Indiam illam, sive Æthiopiam pervenerat, et mira Dei providentia maximæ apud reges auctoritatis esset, neminemque inter Æthiopas Christianum invenerit, *requirere sollicitus cœpit si qui inter negotiatores Romanos Christiani essent, iisque potestatem dedit, ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causa confluerent.* Quo peracto, reversus et Alexandriam veniens, quid a se factum sit docet ; et a S. Athanasio in concilio sacerdotum primo designatus, dein ordinatus est episcopus Axumeos. Qui cum episcopali auctoritate ornatus perrexisset ad hanc Indiam, *tanta ei data esse a Deo virtutum gratia dicitur, ut signa per eum apostolica fierent, et infinitus numerus barbarorum converteretur ad fidem. Ex quo in Indiæ partibus, et populi Christianorum, et ecclesiæ factæ sunt, et sacerdotium cœpit,* ut testatur Ruffinus *Hist. eccl.* l. x, cap. 9. Cui suffragantur Socrates, Sozomenus, Theodoretus et Nicephorus.

Ubi nunc ille abunas Æthiopicus, ille patriarcha sine episcopis, in amplissimis et Christianissimis civitatibus, usque ad a. D. 190 ? Ubi illi ab aliarum gentium commercio remoti, adeo antiqui ritus tenaces, ut cum Ægyptii, gens levis et pendula, sub Demetrio et Heracla episcopos, scilicet, admitterent, traditum ab Alexandrinis morem optima fide servaverint, et uno abuna contenti plures episcopos admittere nunquam voluerint ? Ex quibus hæc historiæ monumentis erula : ex quibus Ecclesiæ an-

[18] *Georg.* IV, 293.

nalibus desumpta sunt, Græcis, Latinis, Arabibus pariter ignota? Prima facies Ecclesiæ, primum sacerdotium, primus episcopus in metropoli Æthiopiæ, cum jam Athanasius in Ægypto non sine centum episcopis præsideret, et ipse Ignatii epistolas diserte agnosceret atque prædicaret.

Philostorgius, aut ignorans, aut potius dissimulans hanc historiam, Theophilum sub Constantino ad Axumitas Æthiopas missum tradit: Nicephorus hoc ad Constantii et Georgii episcopi Alexandrini tempora refert. Et omnino episcopus ille Arianus, post Frumentium aut revocatum aut mortuum, Æthiopiam perrexisse putandus est. Post quos quin plures in Æthiopia episcopi floruerint, dubitari non potest. Legimus enim apud Palladium, quem ex bibliotheca Regia nuper edidit cl. Edoardus Bissæus eques auratus: Ἐγὼ δὲ εἰς τὰ ἀκρωτήρια μόνον ἔφθασα τῆς Ἰνδικῆς πρὸ ἐτῶν ὀλίγων μετὰ τοῦ μακαρίου Μωϋσέως τοῦ ἐπισκόπου τῶν Ἀδουλητῶν. *Ego ad primas tantum Indiæ oras paucos ante annos cum beato Mose Adulenorum episcopo penetravi.* Erat autem Adule, vel Adulis, urbs Æthiopiæ. Steph.: Ἄδουλις, πόλις Αἰθιόπων, et Procopius *Persicorum* lib. I: Ἐν πόλει Αἰθιόπων Ἀδούλιδι. In *Vita S. Chrysostomi* a Palladio scripta mentio fit Palladii Blemmyorum episcopi. Blemmyes autem sunt Æthiopes. Strabo lib. XVII: Βλέμμυες δὲ Αἰθιόπων ὑπακούοντες, Αἰγυπτίοις δὲ ὅμοροι, de quibus Plinius lib. V, cap. 8. Neque vero adhuc multum crevit in Æthiopia religio Christiana. Sed Justinianei imperii anno 16, Adadus Auxumitarum rex, factus est Christianus, et ab imperatore accepit ἐπίσκοπον καὶ κληρικούς, ut refert Theophanes, ἐπισκόπους καὶ κληρικούς, ut narrat Cedrenus, et tota ea gens Christo nomen dedit. Ab eo tempore, ut arbitror, Christianismus radices apud Æthiopas egit, quo liberius adhuc de Chalcedonensi concilio loquebantur homines, præsertim in Ægypto. Sub imperio autem Theophili, *in Æthiopia episcopus fuit nomine Jacobus, quem cum rex forte in bellum profectus esset, uxor regis in exsilium misit, et substituerunt in locum ejus episcopum alium. Sed et pluvia iis data non fuit, et percussi sunt pestilentia, ita ut regnum magnum sentiret damnum. Episcopus autem in Ægyptum venit. Atque ut rex e bello reversus fuit, uxorem suam objurgavit, et misit ad patriarcham veniam ab eo petens, eumque rogans uti remitteret episcopum. Id quod fecit; et receperunt eum cum gaudio magno, ut refert Elmacinus.* Post hæc tempora, ut opinor, conditi sunt canones Arabici concilii Nicæni; quos edidit Turrianus, quique ad posteriorem Ecclesiæ statum, et consuetudines diu post concilium Nicænum natas temperati sunt. Eorum autem capite 36 statutum est: *Ut non possint Æthiopes creare nec eligere patriarcham; sed potius eorum prælatus sub potestate ejus sit, qui tenet sedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco patriarchæ, et appelletur catholicus: non tamen jus habeat constituendi archiepiscopos, ut habet patriarcha; siquidem non habet patriarchæ honorem et potestatem.* Plures sine controversia in Æthiopica Ecclesia episcopi fuere, cum hic canon primo conditus est. Jus patriarchæ denegabatur creandi archiepiscopos sive metropolitanos, tales, nimirum, qui sua auctoritate episcopos crearent; unde ipsi jus creandi episcopos concessum esse supponitur. Et quoniam ea ætate plures sub se episcopatus haberet, catholici nomen obtinuit, qui vulgo *abuna* vocatur. Salmasium hic appello, qui *De primatu papæ* cap. 14, hæc habet: *Succrescente, ut probabile est, Christianorum in Æthiopia numero, ubi plures habere cœpit ea provincia episcopos, unus omnibus metropolitanus impositus, qui propter multitudinem episcoporum sibi subjectorum et ditionis amplitudinem catholici et patriarchæ nomen habuit, quamvis alteri patriarchæ subesset.*

Si deficiat historia, ipsius Ecclesiæ monumenta, cujuscunque ætatis sint, satis manifesto ostendunt complures in ea provincia episcopos fuisse. Liturgia Æthiopum Romæ impressa: *Memor esto omnium archiepiscoporum nostrorum, episcoporum, presbyterorum atque diaconorum, qui viam* nobis *indigitant verbi orthodoxi.* In aliis liturgiis et missalibus, quæ habet vir doctissimus Castellus noster quamplurimæ preces sunt, quibus populus in hæc verba orat: *Pro patribus nostris episcopis, pro fratribus nostris sacerdotibus, pro adjutoribus nostris presbyteris.*

Cum igitur ex tenui illa quam de Æthiopica Ecclesia habemus notitia aliquorum episcoporum nomina supersint; cum constet ex Arabico canone jus creandi metropolitanos tantum proprie dictos Æthiopibus concessum non esse; cum liturgiæ Ægyptiacæ antiquis retro temporibus populum pro episcopis suis orare quotidie docuerint; non diu est ex quo Æthiopes abuna uno sine episcopis fuerint contenti, si modo illud verum sit, quod Jesuitæ et Dominicani, contra aliorum testimonia, referunt. Cum ante Justiniani tempora tam pauci fuerint in Æthiopia Christiani, ante Constantinum vel nulli, vel certe Ægyptiis plane incogniti; cum qui primus erat eorum, saltem ab Ægypto, apostolus Frumentius, ab Athanasio, plurimis quam centum in Ægypto episcopatum tenentibus, et missus et ordinatus sit; palam est, Æthiopicæ Ecclesiæ hodiernum statum, qualis qualis sit, ad antiquissimam Ægyptiacæ Ecclesiæ traditionem, si quæ talis unquam fuerit, confirmandam nihil omnino valere. Cum denique argumentum negans fundetur in silentio omnium ante Eusebium, ante quem Æthiopum Christianorum nulla fama est, aut perquam incerta; cum Athanasius, qui post Eusebium Ignatiana memoravit, primum ex Ægypto episcopum in Æthiopiam miserit; cum Dallæus ipse fateatur Æthiopas recipere Constitutiones Clementinas, tanquam ab ipsis apostolis dictatas, in quibus plura de episcopis quam in Ignatianis continentur, nihil hinc ad auctoritatem epistolarum S. Ignatii imminuendam formari ullo modo potest.

Hactenus de traditione Alexandrina ab Æthiopibus confirmata, ut volunt, quæ aliquam argumenti speciem habuisset, si ea omnia vera fuissent, quæ attulerunt. Illud autem quod sequitur, si verum esse concedatur, nescio quam vim habere possit ad Ignatium epistolicum rejiciendum, aut quid conferat ad silentium scriptorum ante Eusebium. Quomodo enim illud quod octavo sæculo factum est, probabit scriptum istud II et III sæculo non exstitisse, quod IV, V, VI et VII, receptum et approbatum est? *Scilicet, circa a* D. 736, *in Germanica Boioariorum gente Christi fides viguit, et presbyteri fuerunt, cum tamen nulli apud eos essent episcopi. Unde liquet, ne iis quidem temporibus Ignatii epistolici auctoritatem Christianis per Germaniam notam fuisse.* Primo, quænam hæc consequentia est? Boioarii in Germania nescierunt: ergo Christiani per Germaniam. An nulli erant Christiani per Germaniam præter Boioarios? An alii omnes ignorabant quidquid Boioariis ignotum fuit? An ideo auctoritatem Ignatii ignorasse dicendi sunt qui episcopos habuerunt, quod *alii* non habuisse dicantur? Secundo, unde liquet Christi fidem inter Boioarios viguisse cum episcopos non haberent? Scilicet, ex Gregorii III epistola ad Bonifacium hoc apparet, inquit, nec hoc tantum, *Sed Vivilonem nescio quem ipse Gregorius a se in eum ordinem consecratum ad eos misit.* At Gregorius non dicit Vivilonem fuisse primum eorum episcopum, nec se eum misisse ait, sed ordinasse tantum. Missus est enim Vivilo ad Gregorium, idque a Boioariis, ut ordinaretur episcopus; illi igitur tum noverunt se sine episcopo vivere non debere. Quod an ab Ignatio acceperint, illi viderint qui neminem alium eam necessitatem docuisse putant. Vivilo etiam ipse ideo missus esse traditur, quia prior episcopus esset defunctus. Et epistola Gregorii exstat cum titulo: *Dilectissimis nobis episcopis in provincia Boioariæ et Allemanniæ constitutis Wigoni, Luidoni, Rodulfo, Vivilo seu Addæ, Gregorius papa.* Ut nec primus, nec solus tunc temporis Vivilo Boioariorum episcopus fuisse videatur; et cum Bonifacius Germanorum apostolus dicatur, tempus illud ostendi non potest, quo apud Boioarios fides Christi sub presbyteris sine episcopo viguerit.

Alterius plane generis est quod e Scotia petit argumentum. Ubi enim episcopos singulares in ecclesiis fuisse negari non potest ad formam regiminis Ignatiani. Nam, ut Beda testatur: *Abbas quidam presbyter fuit, cujus juri et omnis provincia et ipsi etiam episcopi subjecti erant.* Ita quidem Beda, sed omissa sunt verba notatu digna, *ordine inusitato.* Agnovit Seldenus ordinem inusitatum a Beda observatum: *Sed qui*, inquit, *ex more ibi vetustissimo sæculorumque illic anteriorum disciplina receptus sit.* Sed quis apud Jonenses presbyteros mos fuit Bedæ ævo antiquissimus, aut quot fuerunt illa anteriora sæcula? Certe ab obitu Columbæ, qui monasterium condidit, ad ortum Bedæ, qui hæc scripsit, anni tantum numerantur 76. Quid autem hinc sequitur? *Ignatii auctoritatem* VII *sæculo Scotis Christianis fuisse ignotam*, inquit Dallæus. Certe non sequitur reliquis Scotis qui episcopis parebant, Ignatium notum, neque monachis Jonensibus, quod abbatico juri episcopi subjecti essent, ignotum fuisse. Potuit hoc fieri utraque parte Ignatium sciente, potuit utraque ignorante. Si ideo Ignatium ignorasse censendi sunt, certe et Chalcedonense concilium ignorabant, cujus canon octavus omnes monasteriorum clericos episcopo vult esse subjectos. Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων καὶ μοναστηρίων καὶ μαρτυρίων ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπισκόπων, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων Πατέρων παράδοσιν διαμενέτωσαν, καὶ μὴ κατ' αὐθάδειαν ἀφηνιάτωσαν τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου. *Clerici ptochiorum, monasteriorum et martyriorum sub potestate episcoporum qui sunt in unaquaque civitate, secundum SS. Patrum traditionem, permaneant, nec per præsumptionem a suo episcopo recedant.*

Si demus Jonenses Ignatium epistolicum ignorasse, prius ostendere oportuit, quid illi noverint, quam illud objiceret, quod ignorabant. Antea quidem in hunc modum disputabat: Si scripsisset Ignatius epistolas, eæ fuissent Justino, Irenæo, Clementi Alexandrino et Tertulliano cognitæ. Nam hi viri erant, *totius antiquitatis litterariæ maxime vero Christianæ studiosissimi, iidem atque acutissimi indagatores.* An idem de Scotis Christianis septimi sæculi judicandum est? Num Jonenses monachi antiquitatis studiosissimi atque acutissimi et doctissimi indagatores fuisse perhibentur? Imo vero an adhuc amplius, Jonenses illi in discutiendis veterum Græcorum monumentis adeo emunctæ naris critici fuere, ut Eusebii, uti volunt, error qui Athanasium, Hieronymum, Theodoretum et Gelasium fefellit, iis potissimum suboleret? Hoc enim necessario dicendum est de testimonio septimi sæculi, ut vim aliquam habere videatur: tunc enim auctoritas epistolarum Ignatii inter Catholicos atque etiam hæreticos erat receptissima.

Postquam Boioariorum et Jonensium meminisset vir doctissimus, et ab argumento suo, quod a silentio scriptorum ante Eusebium petebatur, longius aberrasset, adjunxit Hieronymi et Epiphanii testimonia: illum ideo adduxit, quia presbyteratus cum episcopatu, ut ait, ἰσοτομίαν probabat; hunc, quia eam sententiam ut hæresin in Aerio damnabat: testes duos in Ignatium jam diu receptum egregie conspirantes. S. Hieronymus sæpe S. Ignatii meminit, quid scripserit vir apostolicus et martyr observat, Eusebiana transcribit et approbat: quid igitur ille adversus Ignatii epistolas? *Sollicitor putare*, inquit, *vel nondum in iis ista tam multa fuisse, quæ hodie de episcopatus necessitate et præ presbyteratu excellentia isthic legimus, vel certe existimasse Hieronymum, quantalibet fuerit martyris auctoritas, non tamen satis eam valere, ut rem diseriis Scripturæ vocibus confirmatam convellere posset aut deberet.* Quid autem si vir doctissimus revera putaret id quod putare

sollicitatur ; quid si verum esset quod putet ? an inde sequitur epistolas illas omnes esse tertio sæculo fictas atque suppositas ? Si parem cum Scripturis auctoritatem non habeant, aut una vel altera sententia de necessitate et excellentia episcopatus in exemplari Hieronymiano non haberetur, quæ in nostris apparet,an statim sequitur, omnes fuisse commentitias ? præsertim cum S. Hieronymus eas quas ipse habuit veras et genuinas putavit. Fatetur vir doctissimus, eas epistolas quas nunc habemus, easdem omnino esse quas habuit Eusebius, et post eum Athanasius atque Theodoretus. Qua ergo ratione ductus dubitare potest de exemplari solius Hieronymi,qui post Eusebium et Athanasium, ante Theodoretum vixit? *Non tam multa*, scilicet, *de ea re in Ignatio vidit Hieronymus :* quasi, si pauciora de eadem re dixisset Ignatius, fidem Dei omnem abrogasset Hieronymus.Anne auctoritas illa tantum valida est,quæ sententiis idem plane sonantibus sæpe repetitis constat ? Quot sententiæ in Ignatio obliterandæ sunt, ut episcopatus et presbyteratus ἰσοστιμία ab illo condemnari non putetur, et doctrina, quam tanquam Hieronymianam repræsentant adversarii, Ignatianæ minime contraria videatur ! Sed revera Hieronymi sententia, si una atque simplex sit,et recte explicetur.Ignatii sententiæ minime contraria est ; contrarietas enim quæ obtenditur, originem tantum spectat, de qua nihil Ignatius. Cætera vero quæ habet Hieronymus sane quamplurima de episcopatus a presbyteratu distinctione et præexcellentia, ac necessitate antiquitateque utriusque in Ecclesia Dei, et Aerii dogma jugulant, et Ignatianis plane conformia sunt ; quæ toties imitatur et sequitur, ut quin omnia viderit, quæ nos in genuinis epistolis videmus, dubitari, certe ut pauciora, affirmari non possit. Nam in epistola ad Nepotianum : *Esto*, inquit, *subjectus pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe*, vel *suspice*. Exhortatio hæc non Aeriana, sed Ignatiana est. Nepotianus enim presbyter erat. Ita de illo Hieronymus epist. 3 . *Fit clericus, et per solitos gradus presbyter ordinatur.* Presbyterum igitur subjectum episcopo suo esse debere monet Hieronymus, et quidem tanquam filium parenti. Semper enim episcopum presbyteri patrem agnoscit. Epistola 62 ad Theophilum : *Non sumus tam inflati cordis, ut ignoremus quid debeatur sacerdotibus Christi. Qui enim eos recipit, non tam eos recipit, quam illum cujus episcopi sunt. Sed contenti sint honore suo : Patres se sciant esse, non dominos.* De Heliodoro Nepotiani episcopo ita loquitur : *Quanto magis tu et avunculus et episcopus, hoc est et in carne, et in spiritu pater, doles abesse viscera tua, et quasi a te divulsa suspiras.* Ad Nepotianum epist. 3 : *Gloria patris est filius sapiens* [19] ; *Gaudeat episcopus judicio suo, cum tales Christo elegerit sacerdotes.* Ita ipse S. Augustinum compellat : *Vale mihi amice charissime, ætate fili, dignitate parens.* Et : *Virum honorabilem, fratrem meum, filium dignationis tuæ, Orosium presbyterum et sui merito et te jubente suscepi.* Quæ cum ita sint, illa in suspecto opere *in psalmum* XLIV Hieronymo vix abjudicari possunt : *Fuerunt, o Ecclesia, apostoli patres tui, quia ipsi te genuerunt. Nunc autem quia illi recesserunt a mundo, habes pro his episcopos filios, qui a te creati sunt : sunt enim et hi patres tui, quia ab ipsis regeris.* Hæc autem subjectio Hieronymiana nihil aliud est quam ὑπακοὴ vel ὑποταγὴ Ignatiana. Secundo, Hieronymus sæpissime tres gradus sive ordines in Ecclesia, episcopatum, presbyteratum et diaconatum agnoscit, non minus quam Ignatius. Dialogo adversus Luciferianos : *A triginta cubitis incipiens et usque ad unum cubitum paulatim decrescens arca construitur : similiter et Ecclesia multis gradibus consistens ad extremum diaconis, presbyteris episcopisque finitur.* Ita ille : *Arcæ sacramenta cum Ecclesia componens.* Commentario in Micheæ cap. VII : *Nolite credere in ducibus, non in episcopo, non in presbytero, non in diacono, non in qualibet hominum dignitate. Non hoc dico, quod istiusmodi gradibus in Ecclesia non debeatis esse subjecti.* « *Quicunque enim maledixerit patri aut matri, morte morietur* [20] ; » *et Apostolus docet præpositis in Ecclesia obediendum* [21]. *Sed quod aliud sit honorare duces,aliud spem habere in ducibus. Honoremus episcopum, presbytero deferamus assurgamus diacono,et tamen non speremus in eis.* Apologia prima adversus Ruffinum : *Sciat multum interesse de angelis et Seraphin et Cherubim dicere dæmones et homines fieri, quod affirmat Origenes, et ipsos inter se angelos diversa officiorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat. Quomodo et inter homines ordo dignitatum ex laboris varietate diversus est : cum episcopus, et presbyter, et omnis ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum, et tamen omnes homines sunt.* Epistola 27 quæ est ad Eustochium:*Aderant Hierosolymarum et aliarum urbium episcopi, et sacerdotum inferioris gradus, ac levitarum innumerabilis multitudo.* Dicent Hieronymum de diversis gradibus aut ordinibus loqui secundum usum sæculi sui : idem et ego de Ignatio affirmo. Et quidem Hieronymus eosdem gradus refert ad tempora apostolica : ut mirum non sit Ignatium, post omnium apostolorum mortem,ita locutum esse. Epistola prima ad Heliodorum : « *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* [22]. » *Scimus ista : sed junge quod sequitur :* « *Oportet autem hujusmodi irreprehensibilem esse* [23], »etc. *Et cæteris quæ de eo sequuntur explicitis, non minorem in tertio gradu adhibuit diligentiam, dicens :* « *Diaconos similiter pudicos* [24]. » Lib.1 adversus Jovinianum : *Cernis igitur quod episcopus, presbyter et diaconus non ideo sint beati, quia episcopi, vel presbyteri sint, aut diaconi ; sed si virtutes habuerint nominum suorum et officiorum. Alioqui si diaconus sanctior episcopo suo fuerit, non ex eo quod*

[19] Prov. x, 1. [20] Lev. xx, 9. [21] Hebr. XIII, 17. [22] I Tim. III, 1. [23] Ibid., 2. [24] Ibid., 8.

inferior gradu est, apud Christum deterior erit; *aut Stephanus diaconus, qui primus martyrio coronatus est, minor futurus est in regno cœlorum multis episcopis, et Timotheo ac Tito, quos ut subjicere non audeo, ita nec anteponere.* Idem episcopatum tanquam summum in Ecclesia ordinem maximi facit, episcopo commissam esse Ecclesiam docet, eique principatum attribuit. Epistola tertia ad Nepotianum : *Sciat episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curæque præficiat.* Epistola ad Theophilum, de Joanne episcopo Hierosolymitano : *Aut, quasi pontifex, cunctis æqualiter imperet ; aut, quasi imitator Apostoli, universorum saluti ex æquo serviat.* Commentario in Isaiam, cap. LX : « *Ponam*, inquit, *principes tuos in pacem, et episcopos tuos in justitiam*[25] ; » *in quo Scripturæ sanctæ admiranda majestas, quod principes futuros Ecclesiæ episcopos nominavit.* In Catalogo scriptorum ecclesiasticorum : *Polycarpus, Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit.* Commentario in Isaiam cap. III : *Sed et ad nostros principes referri potest, si atterant subjectam sibi plebem, et pauperes delinquentes publice arguant atque confundant, divitibus autem majora peccantibus ne nutum quidem facere audeant*, etc. Et cap : V : *Abutamur hoc testimonio adversum principes Ecclesiæ, qui de mane consurgunt ad sectandam siceram, et bibendum usque ad vesperam*, etc. Commentario in Titum cap. I : *Non enim Apostolus Ecclesiæ principem formans vetat esse pugilem et pancratiasten* ; quæ postea explicat lib. I adversus Jovinianum, *Neque enim pugilem describit sermo apostolicus, sed pontificem instituit.* Epist. 3 : *Prudenterque Ennius* : « *Plebs, inquit, in hoc regi antestat loco ; licet lacrymare plebi, regi honeste non licet.* » *Ut regi, sic episcopo ; imo minus episcopo, quam regi.* Quæ cum Hieronymo adeo sint familiaria, etiam illa quæ in psalmum XLIV sub ejus nomine legimus prætereunda non videntur : *Constituit Christus sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum est Evangelium in omnibus finibus mundi, in quibus principes Ecclesiæ, id est episcopi constituti sunt.* Præterea Hieronymus necessitatem horum graduum in Ecclesia, et quidem episcopatus, non minus quam Ignatius tuetur. Ita enim ille in Dialogo adversus Luciferianos : *Ecclesia non est, quæ non habet sacerdotes.* Quos autem voluerit sacerdotes, ipse satis indicat, de Hilario loquens : *Episcopos et presbyteros non habente ;* idemque ex verbis sequentibus apparet. *Sed, omissis paucis hominibus, qui ipsi sibi et laici sunt et episcopi, auculta quid de omni Ecclesia sentiendum sit.* Quod ex eodem libro imprimis comprobatur : *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet ; cui si non excors quædam, et ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes.* Quæ pura puta sunt Ignatiana, et ab Aerii dogmate maxime abhorrentia. Deniqne hanc ipsam ordinum distinctionem a temporibus apostolicis, imo ab ipsis apostolis arcessit Hieronymus. In ipsa enim ad Evagrium epistola, quam adversarii tantopere sollicitant, hæc habet : *Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.* Ubi primo aperta distinctio ordinum ; alius enim ordo Aaronis, sive summi sacerdotis, qui per excellentiam הכהן ὁ ἱερεύς, vel etiam הכהן הראש הכהן הגדול, vel כהנא רבא, ὃν ἀναραβάχην προσαγορεύουσι· σημαίνει δὲ ἀρχιερέα, ut loquitur Josephus ; alius filiorum Aaronis, seu secundariorum sacerdotum, οὓς χαναίας καλοῦσι, simpliciter כהנים, vel cum diminutione הדיוטים כהנים *sacerdotes idiotæ*, vel κατὰ μέρος ; alius denique levitarum : quorum diversa officia et dignitates in Scriptura referuntur, Aaroni autem, seu summo sacerdoti episcopum, sacerdotibus secundariis presbyteros, levitis diaconos in Ecclesia respondere asserit Hieronymus. Secundo, hujus ordinum distinctionis antiquitatem auctoritatemque depingit, ex apostolica enim traditione natam ad sua tempora derivatam docet. Blondellus in Apologia ad hæc nullam observationem adhibet, elucidationem in sexta illius operis sectione promittit, cum tres tantum sectiones ediderit. Sed quid ad hæc respondere potuerit, satis perspicitur ex iis, quæ in Prolegomenis ad Pseudo-Isidorum scripsit, misera et infelicia et homine vel docto vel probo prorsus indigna. Sic enim Turrianum disputantem inducit. *Si fuit differentia inter Aaronis filios et levitas, sunt autem tales episcopi et presbyteri, fuit semper distinctio eorum. Atqui verum prius, teste Hieron. epist. ad Evagrium.* Tum vero responsionem quam subjungit : *Atqui non sunt tales episcopi et presbyteri ; sed episcopi (in quibus Hieronymo, imo apostolo auctore presbyteri continentur) et diaconi. Ergo fallitur Turrianus.* Duabus partibus hæc responsio constat, negativa una, affirmativa altera. Episcopi et presbyteri non sunt Aaronis filii et levitæ : hæc prima. Episcopi et diaconi sunt Aaronis filii et levitæ, hæc secunda. Sed quid hæc, amabo, ad verba Hieronymi ? An Turrianus adeo insanivit, ut diceret episcopos et presbyteros tales esse, quales fuerunt Aaronis filii et levitæ ? minime vero. Ille nobiscum sic disputavit, pro Epistolis decretalibus lib. V : *Hieronymus in Epistola ad Evagrium ita scribit* : « *Quod Aaron et filii ejus, atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, presbyteri et diaconi in Ecclesia vindicent.* « *Quis autem dicat non fuisse in templo differentiam inter summum sacerdotem Aaron, et filios ejus minores sacerdotes ? Quod si fuit semper, fuit igitur semper, auctore Hieronymo, differentia in Ecclesia inter episcopos et presbyteros.* Hæc sunt Turriani verba, quæ misere detorsit Blondellus, ut illis

[25] Isa. LX, 17.

responsionem saltem aliquam reponere videretur. Disputat Turrianus de Aarone seu summo sacerdote, et filiis ejus seu minoribus sacerdotibus ; eorum loco substituit Blondellus, in argumento Turriani, Aaronis filios et levitas ; ac tunc respondet, non esse tales episcopos et presbyteros ; quod nemo unquam dixit. At nos dicimus, secundum Hieronymum, episcopum respondere Aaroni, presbyteros Aaronis filiis diaconos levitis. Et cum episcopus vindicare debeat in Ecclesia id quod Aaron fuit in templo, distinctionem ordinis asserere, præeminentiam dignitatis assumere, subjectionem a presbyteris postulare ex apostolica traditione tenetur. Alibi eamdem comparationem instituit Hieronymus, nulla levitarum aut diaconorum facta mentione, Epist. ad Nepotianum, *Quod Aaron et filios ejus, hoc episcopum, et presbyteros esse noverimus.* Ubi clare episcopus singularis summo sacerdoti, presbyteri minoribus sacerdotibus conferuntur. Hoc Hieronymo solemne est. Ita ipse de seipso jam presbytero epist. 99 : *Omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar*, hoc est episcopatu. Epist. 61, adversus Joannem Hierosolymitanum : *Nisi me honor sacerdotii, et veneratio nominis refrenaret, et scirem illud Apostoli* : « *Nesciebam, fratres, quia pontifex est ; scriptum est enim* : *Principi populi tui non maledices* [18a], » *qua vociferatione et indignatione verborum de tua narratione conquererer ! licet ipse nominis tui extenues dignitatem, cum patrem pene omnium episcoporum et opere et sermone despicias.* Quo præcipue spectant ea quæ ante adduximus, *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet.* Cum igitur Hieronymus de distinctione episcopatus a presbyteratu, de ejusdem etiam præeminentia atque potestate, de necessitate porro et antiquitate tam copiose disseruerit ; nulla rationis specie aut Aeriano dogmati consensisse, aut confertas Ignatii sententias minime vidisse putari potest.

Hieronymo Epiphanium mire conjungit, ex quo duo potissimum observat, primo, eum Ignatianorum non meminisse ; secundo, quædam posuisse cum Ignatianis apertissime pugnantia. Propter hæc duo unum ex tribus sequi ait, vel Epiphanium sententias de episcopatu non vidisse, utpote ab interpolatore postea insertas ; vel epistolas nescivisse ; vel tanquam fictas contempsisse ; quod verisimilius putat. Et primo quidem fatcor, Epiphanium Ignatii in libris *De hæresibus* nunquam meminisse ; at eum nec ignorasse inde sequitur, nec contempsisse ; neque si ignoraverit, tot illo ævo et optime scientibus et summe prædicantibus, sententiam nostram ullo modo lædit, aut negantis argumenti speciem ullam habet. Ignorasse non sequitur, quia quamplurimos auctores laudatissimos et ad rem suam accommodatissimos non laudavit, quos tamen cum ignorasse verisimile non est. Quales fuere Papias, Hegesippus, Theophilus, Athenagoras, Pantænus, Agrippa, Melito, Caius, Dionysius Corinthius, Dionysius Alexandrinus, Philippus episcopus Cretensis, Musanus, Molestus, Rhodon, Miltiades, Apollonius, Serapion, Theophilus Cæsariensis, etc. Hi altique sane quamplurimi multa ad argumentum Epiphanii opportunissima scripsere, quorum nullius ille meminit ; nemo tamen eum hos omnes, aliosque quos præteriit, aut ignoraese, aut contempsisse dicet. Meminit quidem epistolarum Clementis Romani, sed obiter tantum, non ut ullam ex iis sententiam ad hæresim aliquam refellendam transcriberet, sed ut adulteratum ab hæreticis fuisse librum illum ostenderet, qui sub Clementis nomine *Periodus Petri* vocabatur. Verba etiam quædam ex epistola ad Corinthios citat, non contra hæreticos, sed tantum ut probet Clementem episcopatum primo repudiasse. Contra omnes hæreticos sui temporis scripserat Justinus : eum tamen semel tantum nominat Epiphanius, nec in alium finem, quam ut Tatianum hæreticum illi synchronum fuisse ostendat. Irenæum aliquoties citat, ut labori suo parceret, et hæreticorum historiam ex illo transcriberet : at sententias aliquas ex eodem ad hæreticorum dogmata confutanda nunquam adducit. Imo, ut ipse observat, Irenæus primo libro hæreticos recenset, reliquis refutat : ἀκρότατα δὲ αὐτοὺς ἐν τῷ ἐξῆς δευτέρῳ αὐτοῦ λόγῳ καὶ τοῖς ἄλλοις διήλεγξε περιττοτέρως, quæ negligentius a Pelavio versa sic refinge : *Ego autem in proximo seu secundo libro accuratissime, et in reliquis ex superabundanti refutavit.* E primo tamen libro, utpote historico tantum, excerpta protulit Epiphanius, ad secundum semel respexit, reliquos nunquam attigit ; ne unum quidem ex iis testimonium adversus hæreticos adduxit, Clementem Alexandrinum et Eusebium nominat, sed tantummodo tanquam fide dignos testes historiæ quæ de S. Jacobo narratur.

Quidni autem et in Ignatianis æque ei ἀξιόπιστος erat Eusebius ? Clementem hunc etiam adversus gentilium deos, nec aliter citat. Prolixam porro S. Methodii disputationem adducit adversus Origenem *De resurrectione*, aut ut labori suo parceret, aut ut invidiam declinaret. *Eo enim tempore Origenis nomen florebat in mundo*, ut loquitur Hieronymus. S. Athanasii quidem integram epistolam ad Epictetum transcripsit ; sed ut Dimœritarum hæresin luculentius describeret, simulque caveret, ne illis dogmata affingere ipse videretur. Paulini etiam professionem fidei adjunxit, ut eorum Historiam melius illustraret. Eusebium Vercellensem se Scythopoli vidisse forte commemorat. Quid ipse de iis qui ante eum contra hæreses scripserant, senserit, cui usui essent sibi in opere suo condendo, duobus potissimum locis ostendit. Ut hæresi Valentini : Ὁρῶντες ὅτι ἄλλοι πεπονήκασι, φημὶ δὲ Κλήμης, καὶ Εἰρηναῖος, καὶ Ἱππόλυτος, καὶ ἄλλοι πλείους, οἳ καὶ θαυμαστῶς τὴν κατ' αὐτῶν πεποίηνται ἀνατρο-

[18a] Act. xxiii, 5.

πὴν, οὐ πάνυ τι τῷ καμάτῳ προσθεῖναι, ὡς προεῖπον, ἠθελήσαμτν, ἱκανωθέντες τοῖς προειρημένοις ἀνδράσι. *Cum alios quoque videamus hunc laborem suscepisse, Clementem dico, et Irenæum, et Hippolytum et alios complures, qui præclare eorum dogmata refutarunt, multum laboris, ut ante dixi, superaddere noluimus, prædictis viris contenti.* Et hæresi Manichæorum: Ἤδη δὲ ἀνδράσι μεγάλοις θαυμαστῶς κατ' αὐτοῦ ἀντιῤῥήσεις τοῦ ἐλέγχου πεποίηνται· Ἀρχελάῳ μὲν τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς προείρηται, Ὠριγένει δὲ, ὡς ἀκήκοα, Εὐσεβίῳ δὲ τῷ Καισαρείας, καὶ Εὐσεβίῳ τῷ Ἐμέσης, Σεραπίωνι τῷ Θμούεως, Ἀθανασίῳ τῷ Ἀλεξανδρείας. Γεωργίῳ τῷ Λαοδικείας, Ἀπολλιναρίῳ τῷ Λαοδικείας, Τίτῳ, καὶ πολλοῖς τῶν κατ' αὐτοῦ. Οὐδὲν δὲ λυπήσει καὶ ἀπὸ τῆς ἡμῶν πτωχείας ὀλίγα εἰς αἰσχύνην τοῦ ἐλεεινοῦ ἀνθρώπου εἰπεῖν. *Jampridem vero admirabiles ad illius refutandos errores lucubrationes editæ sunt : velut ab Archelao episcopo, ut antea dictum est, Origene, ut accepimus, Eusebio Cæsareensi et altero Emeseno, Serapione Thmuensi, Athanasio Alexandrino, Georgio Laodiceno, Apollinario Laodiceno, tito, multisque qui adversus illum scripserunt. Non erit tamen molestum, si pauca pro inopia nostra, ad augendam infelicis homuncionis infamiam, dicamus.* Plures his scriptores catholicos, opinor, non nominavit Epiphanius in libris *De hæresibus*, prolixis sane et elaboratis; infinitos igitur pene omisit, et ex illis quos nominavit, ne unam quidem sententiam adduxit, qua argumenta sua confirmaret, aut hæretici cujuspiam dogma refelleret.

A non tantum Aerii argumenta *leviter ac molli brachio solvit*, sed et imprudenter causam suam prodidit. Verum aliter plane se res habet. Distinguenda sunt tempora, et Ecclesiæ status, quod accurate observat Epiphanius, et omnia statim plane convenient; nulla inter Ignatium et Epiphanium dissidii vola vel vestigium apparebit. De ætate S. Pauli agit Epiphanius, de sua Ignatius. Ille de ecclesiis particularibus nondum omnibus numeris absolutis, et πληρώματα οἰκονομίας adhuc recepturis, hic de jam plene constitutis, et ultima apostolorum manu efformatis atque stabilitis. Ita ille de Aerio loquitur : Οὐκ οἶδεν ὁ τὴν ἀκολουθίαν τῆς ἀληθείας ἀγνοήσας, καὶ ἱστορίαις βαθυτάταις μὴ ἐντυχὼν, ὅτι νέου ὄντος τοῦ κηρύγματος πρὸς τὰ ὑποπίπτοντα ἔγραφεν ὁ ἅγιος Ἀπόστολος. *Veritatis ille seriem ignorans, nec in reconditioribus historiis versatus non intelligit sanctum Apostolum, cum recens esset Evangelii prædicatio, pro re nata scripsisse.* Scilicet, ut occasio ex circumstantiis illius temporis se obtulit, sua scripta temperavit Apostolus. In aliquibus locis tunc temporis erat episcopus cum diaconis, nondum ibidem constitutis presbyteris, ob paucitatem fidelium ; in aliis erant presbyteri cum diaconis, nondum ibidem constituto episcopo, quod quisquam ea functione dignus adhuc haud reperiretur. Hæc ex reconditioribus historiis hauserat Epiphanius, quas non conspexisse ipsi videbatur Aerius. Οὕτω, inquit, κατ' ἐκεῖνε καιροῦ ἦσαν οἱ τόποι, καὶ γὰρ ἕκαστον πρᾶγμα οὐκ ἀπ' ἀρχῆς τὰ πάντα ἔσχεν· ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν κατηρτίζετο. *Ita per illud tempus istiusmodi locorum status exstitit ; etenim unaquæque res non ab initio omnibus numeris absoluta fuit ; sed procedente demum tempore, ea quæ ad perfectionem omnium necessitatum pertinent, constituta sunt.* Quod late ex Veteri Testamento probat, et sic intelligenda Apostoli verba asserit, et hoc uno fundamento posito, ruere omnes Aerii objectiones concludit, et nos pariter omnem contrarietatem, et cum Ignatianis ἐναντιοφάνειαν eodem tolli putamus.

Audiamus igitur quid de Epiphanio observet vir doctissimus, quid ex observatione colligat. *Epiphanius*, inquit, *nullus Ignatianorum meminit, quibus nihil in tota antiquitate adversus Aerii opinionem disertius.* Ergo *vel epistolæ suut postea interpolatæ, vel eas nescivit, vel contempsit.* Nihil horum. Nihil enim ex tota antiquitate unquam attulit Epiphanius ad ullam hæresim refellendam ; nunquam auctoritate veterum usus est ad ullum hæreticum opprimendum. Licet igitur hæ ipsæ epistolæ, ut eas nunc habemus, Epiphanii ævo exstiterint (quod certissime cognoscitur, et id negare non potest Dallæus, qui cum Salmasio, Blondello et Albertino easdem esse quas Eusebius et Athanasius habuerunt, fatetur) si eas optime noverit et maximi fecerit, et ad manum etiam cum scriberet habuerit ; incredibile tamen est eum voluisse vel unam sententiam ex iis adversus Aerium adducere, qui aliud in toto illo opere institutum habuit, et in nulla unquam disputatione adversus ullum hæreticum, ad illius argumenta retundenda, vel unam sententiam ex veterum aliquo adduxit. Quorsum igitur qui reliquos omnes præteriit, Ignatium solum laudaret ?

Secunda observatio ex Epiphanio petita multo minus valet. *Quædam*, inquit in disputatione adversus Aerii dogma, *ponit cum Ignatianis apertissime pugnantia, imo totidem monstra ex Ignatii epistolici hierarchicis legibus : quibus epistolarum* κυρίας δόξας *liquido evertit Epiphanius.* Si hæc vera sint,

Examinato septimo capite, sequitur octavum cum hoc titulo : *Ignota Tertulliano fuisse Ignatiana demonstratur quinque argumentis.* Sed quintum telum fatetur Usserianum Ignatium non ferire ; quatuor itaque tantummodo nobis restant repellenda. Primo, docet id Tertullianus quod Ignatianæ doctrinæ est contrarium. Ergo eum nescivit. Adversus enim apostolicum virum et martyrem sibi notum nunquam quidquam docuisset. Mira hæc consequentia de quolibet scriptore, de Tertulliano maxime miranda. Nunquamne ut quisquam aliquid docuerit, quod esset viris apostolicis aut martyribus notis adversans ? An viri apostolici et martyres majoris unquam auctoritatis fuere, quam ipsi apostoli et evangelistæ ? Illorum certe doctrinæ nonnulli aliquando contradixere ; non Scripturarum inscii, aut earum auctoritatis contemptores, sed vel inadvertentia ducti, vel præjudicio aliquo abrepti. An Ter-

tullianus adeo subacti judicii, adeo sedati ingenii fuit ut nulli unquam viro in Ecclesia celebri contradiceret, cum ipse ab Ecclesia recesserit, et adversus eam quamplurima acerbe et petulanter scripserit? Præterea, vel ipsis judicibus adversariis, hæc consequentia non est necessaria. De aliis enim, Tertulliano junioribus, quos Ignatio contraria docuisse vult, ita disputat Dallæus, ut illi vel ignoraverint, vel ista quibus contraria docuerint in Ignatio non viderint, vel epistolas tanquam fictas contempserint. Si autem hæc de aliis dici possint, cur non et de Tertulliano? Certe Salmasius, Blondellus, et Albertinus hanc consequentiam potius admitterent, qui epistolas diu ante ævum Tertulliani fictas putarunt; et si Dallæus non admittat, in disputatione sua principium petit, dum ex Tertulliano sic probet epistolas non exstitisse, cum argumentum nihil valeat, nisi quis concedat easdem post Tertulliani tempora fuisse suppositas. Si enim ante Tertullianum fuerunt fictæ, et potuit ille cognoscere, et debuit contemnere.

Sed interim videamus quidnam illud Tertulliani decretum sit, quod Ignatianum adeo aperte refigit et proculcat. Nempe: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Hæc Tertullianus. At Ignatius, χωρὶς τούτων, id est sine episcopis, presbyteris et diaconis ἐκκλησία οὐ καλεῖται. Quæro primo, ubi hæc a Tertulliano scribuntur? Respondetur, libro *De exhortatione castitatis.* At S. Augustinus Tertullianum factum hæreticum docet secundas nuptias, contra doctrinam apostolicam, tanquam stupra damnare, quod in eo opere facit. Qui autem contra doctrinam apostolicam scripsit, licet S. Pauli epistolas nosset, nonne et contra Ignatianam scribere potuit, licet ejus epistolas haud ignoraverit? Hunc ipsum librum Nicephorus memorat tanquam adversus Ecclesiam scriptum, καὶ ἰδικῶς κατὰ τῆς καθόλου Ἐκκλησίας βίβλον συντάττει· οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ περὶ Σωφροσύνης ἕτερον σύγγραμμα καταλείπει, καὶ περὶ Μονογαμίας ἕτερον. Cum igitur contra Ecclesiam catholicam scriberet, hæc habuit: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Pariter et de fuga in persecutione, jam adultior Montanista in hunc modum loquitur: *Non potes discurrere per singulos? sit tibi et in tribus Ecclesia.* Hæc ille ex Montanistarum disciplina; contra quam ipse catholicus scripsit: *Hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia injungunt.* Aliter de hac ipsa re locutus est dum catholicus fuit: *Ubi tres, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, ibi Ecclesia quæ trium corpus est.* Quidquid autem de illo loco senserit: *Ubi duo vel tre in nomine meo congregantur, ego in medio eorum sum* [37], de præsentia Christi id accepit, quæ aliquo sensu Ecclesiam facere videtur, etsi Christus id non dixerit. Ita ipse alibi, *In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus.* Quod adeo non repugnat Ignatio, ut ipse etiam dixerit: *Ubi est Christus Jesus, illic catholica Ecclesia.* Nihil itaque adhuc dixit Tertullianus, nisi quod et Ignatius. Cum autem Ignatius addat, χωρὶς τούτων, *sine episcopis, presbyteris et diaconis Ecclesia non vocatur*, eadem notione sine dubio locutus est Tertullianus, saltem adhuc in Ecclesia catholica manens. Nam cum de ecclesiis apostolicis loquitur, hæc habet: *Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsin Marcion respuat, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem.* Et De præscriptione hæreticorum, cap. 32: *Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ad initia decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique et cætera exhibent, quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant.* Cum igitur proprie et catholice de Ecclesia loquitur, ostendit se idem omnino sentire quod sentiebat Ignatius, eam sine episcopo integram esse non posse. De vocabulo quidem *Ecclesiæ* ita sæpe loquitur, ut et hæreticis tribuat; quos in Ecclesia proprie dicta esse nec ipse, nec quisquam alius agnovit. *Faciunt*, inquit, *favos et vespæ; faciunt ecclesias et Marcionistæ;* sed quam inique illud nomen iis attribuatur docet: *Habet quidem illa ecclesias, sed suas tam posterns quam adulteras; quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias quam apostolicum.* De Ecclesia etiam mystice loquitur lib. *De pudicitia*, cap. 21: *Nam et Ecclesia proprie et principaliter ipse est spiritus, in quo est trinitas unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis qui in hanc fidem conspiraverit, Ecclesia ab auctore et consecratore censetur. Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit, sed Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus episcoporum.* Cum igitur Tertullianus nunc Ecclesiæ vocabulum proprie sumat, pro tali, scilicet, qualem apostoli constituerunt, nunc improprie, et in alia notione, ut cum spiritum esse dicit, cum idem nomen hæreticorum conventibus tribuit, aut tribus laicis, quos ipse sacerdotes vocat sensu aliquo, (tam enim verum est ex Tertulliani sententia, quod tres laici sunt tres sacerdotes, quam quod ubi tres laici Ecclesia est) cum, inquam, tam improprie de Ecclesia loquatur, illud decretum Ignatiano minime contrarium est, cum Ignatius de Ecclesia proprie et integre accepta loquatur, eodem modo quo alibi Tertullianus, quo S. Cyprianus, qui Tertullianum magistrum vocavit: *Illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens. Unde scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in*

[37] Matth. xviii, 20.

episcopo, et si qui cum episcopo non sunt, in Ecclesia non esse, epist. 69; eodem quo Optatus pariter Africanus : *Ecclesia certa quædam membra habet, episcopos, presbyteros, diaconos et turbam fidelium;* eodem quo Victor Vitensis etiam Africanus : *Quibus autem persequar fluminibus lacrymarum, quando episcopos, presbyteros, diaconos, et alia Ecclesiæ membra ad exsilium eremi destinavit.*

Secundo, colligit Ignatium nostrum Tertulliano fuisse ignotum, quia cum *non solum antecessores suos, sed ipsorum etiam hæresiarcharum contemporales nominatim recenseat, Ignatium ne nominavit quidem;* videamus quam recte. Tertullianus scribens adversus Valentinianos, observat primo eorum originem in Valentino, ejus sequaces notat, Colarbasum, Ptolemæum, Heracleonem, Secundum, Marcum et Theotimum, qui quamvis Valentiniani dicerentur, multum tamen a Valentino discrepabant. Statuit igitur primo cum principalibus agere, non *cum ducibus*, ut loquitur, *passivorum discipulorum*; secundo, lectoribus persuadere conatur se non finxisse materias, hoc est, dogmata illis attribuisse quæ *ipsi non* propalabant; quod ea non solum *antecessores sui*, sed ipsorum *hæresiarcharum contemporales instructissimis voluminibus et protulerunt et retulerunt*. Deinde eos nominat, qui illa instructissima volumina scripsere, quibus omnes illas hæreticas opiniones exposuerunt atque refutarunt, quos ipse ut in hoc scribendi genere assequatur optat. Horum primus *Justinus philosophus et martyr*, qui non tantum *contra Marcionem insignia volumina*, sed et *alium librum contra omnes hæreses scripsit*, ut testatur Hieronymus in Catalogo. Secundus est *Miltiades ecclesiarum sophista*, quem, eodem Hieronymo teste, scimus scripsisse adversus Montanum *volumen præcipuum*. Tertius est Irenæus, cujus instructissimum volumen adversus Valentinianos exstat. Quartus, quem Proculum nominat, quis sit ambigitur, quæ scripserit, opinor, ignoratur. Jam vero an æquum postulat vir doctissimus, cum requirit, ut Ignatius hoc loco inter hos quatuor viros memoretur, aut penitus Tertulliano ignotus judicetur? An Ignatius instructissimum aliquod adversus hæreticos volumen scripsit? an ille eorum nomina, ætates et opinionum portenta exploravit, et in apertum produxit? an perversorum dogmatum insaniam aut rationibus, aut Scripturæ testimoniis refudit? an ea ætate vixit, qua Justinus, aut Miltiades, aut Irenæus, qui hic *hæresiarcharum contemporanei* nominantur? an ea vel copia vel elegantia scripsit, ut eum in opere isto Tertullianus optaret assequi? Nihil horum in Ignatio reperimus, quæ omnia in illis spectabantur, quos nominavit Tertullianus, et propter quæ eos omnino nominavit. Absonum est igitur Ignatium inter illos quærere, iniquum flagitare; Tertullianum affirmare ideo eum penitus ignorasse, quod eo loci non nominaverit, ab omni ratione alienum est.

Tertio *Tertullianus fuisse præcoquos et abortivos Marcionitas notat, qui Christum phantasma dicerent; idque probat ex Joanne apostolo. At Ignatius eorum doctrinam perstringit : eum igitur Joanni testem addidisset Tertullianus, si hominem nosset.* Quasi vero Ignatii testimonio opus esset ad eam rem, cujus testem apostolum habuit. Imo vero non tantum opus non erat ut eum adhiberet; sed et absurde fecisset, si adhibuisset. Primos enim auctores ejus sententiæ notat, et eorum antiquitatem probat; ostendit eos adeo præcoquos, ut ætate apostolorum exstiterint; id vero ut confirmet, apostolum ipsum testem adducit, qui eos Antichristos pronuntiavit negantes Christum in carne venisse. Jam vero quam absurdum fuisset Ignatii testimonium adjicere, qui a. D. 107 scripsisse perhibetur, et phantasticos damnasse. An ex illius epistolis liquere potuit, tam præcoquos Marcionitas fuisse, ut antequam S. Joannes epistolam scripsit, eos exstitisse compertum sit? An quod Ignatius morti victimus moneret Christianos, ut sibi caverent ab iis, qui falsam doctrinam in Ecclesia spargere tunc temporis conabantur, inde concludere potuit Tertullianus, eos eadem tot annis ante docuisse? *Sed neque hic*, inquit, *neque uspiam in toto contra Marcionem opere Ignatii meminit, cujus tam multæ leguntur adversus Marcionica figmenta sententiæ.* Non meminit quidem Ignatii, qui nullius meminit; in toto contra Marcionem opere nec unum quidem ecclesiasticum scriptorem citat; Scripturis, traditione, rationibus pugnat et quidem Ignatianis, nec ex Ignatio nominatim sententiam aliquam, nec ex alio quopiam describit. Si Ignatius epistolas ideo non scripsisse dicendus est; omnes etiam libri qui aliquid præclare contra Marcionicam hæresim continere reperiuntur, spurii et commentitii censendi sunt. Tertullianus non tantum in hoc, sed in toto quod exstat opere, nullam unquam sententiam ex ullo scriptore ecclesiastico totidem verbis nomine citato excerpsit. Barnabam nominat, sed ut auctorem epistolæ ad Hebræos, quæ nunc S. Pauli creditur. Hermam citat, quem nunc ut authenticum admittit, nunc ut apocryphum despuit. Clementem audat ut Romæ episcopum, non ut epistolæ scriptorem. Christianos aliquot *ad gentes*, πρὸς Ἕλληνας, Opuscula condidisse, dicit, neminem nominat. Cujusdam hæc verba recitare videtur : *Quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco et ab angelo, et ab apostolo mulierem pronuntiatam : desponsata enim quodammodo nupta*; sed an scripta fuerint, non docet, et ipsa affert tantum ut refutet. Justinum, Irenæum, Miltiadem, Proculum semel nominat, quos et se sequi professus est. Præter hos ille, qui quamplurimos hæreticos, ducentos pene ethnicos laudat, neminem ex scriptoribus ecclesiasticis nominare dignatus est; et ex eorum quos nominat scriptis ne una quidem sententia ad refutandos hæreticos, aut doctrinam aliquam Christianam confirmandam, tanquam testimonio, aut sub specie auctoritatis utitur. Silentium igitur Tertulliani nihil

ad Ignatii epistolici auctoritatem imminuendam valet.

Quarto, Ignatium nostrum non tantum Tertulliano, sed et catholicis ejusdem ævi ignotum fuisse aliunde deprehendit. Scilicet, *catholici lapsos, etiam mœchos, per pœnitentiam in Ecclesiam admittebant. Tertullianus, Montani sectator, lib.* De pudicitia, *catholicos oppugnat. Ignatius docet pœnitentes esse suscipiendos. Ergo nec Tertulliano, nec catholicis notus fuit.* Ain vero, ergo nec Tertulliano, nec catholicis notus fuit, vel quod idem est, et Tertulliano et catholicis ignotus fuit ? idque hinc deprehendi putas ? Utrumque certe non sequitur. Pro alterutro quidem species aliqua argumenti est, pro utroque nulla. Liber quidem *De pudicitia* ita scriptus est, ut plerumque primo Psychicorum, id est catholicorum objecta, dein Tertulliani Montanistæ responsiones continent. Objecta autem illa vel omnia et sola fuerunt, quæ catholici hæreticis opponebant, et ad quæ a Tertulliano responsionem exspectabant atque postulabant ; quod si factum putemus, tum Tertullianus censeri non potest Ignatium ideo ignorasse, quia eum non nominabat ; neque enim pro se nominare potuit, neque adversus se nominare debuit, nisi eos tantum, quorum auctoritas ei objiciebatur. Vel objecta hæc Tertullianus sibi ipsi fecit, cum delectu et pro arbitrio, et non ex præscripto catholicorum, quod verisimillimum est ; et tum inde colligi nullo modo potest, omnibus illius ævi catholicis ignotum fuisse Ignatium nostrum, quod Tertullianus eum non nominaverit, qui objecta non ab illis accepit, neque omnia quæ illi objicere aut possent aut solerent tractavit, sed ipse sibi prout ipsi visum est objecit, quo facilius solveret. Male igitur vir doctissimus et Tertulliano et catholicis hoc argumento Ignatium nostrum ignotum fuisse colligit. At quædam de ecclesiasticis scriptoribus adduxerunt vel catholici, vel Tertullianus pro catholica sententia ; hoc saltem negari videtur non posse. Cur non igitur Ignatium inter ecclesiasticos scriptores nominarunt, nisi quod eum non noverunt ? Respondeo, si ullus omnino ut ecclesiasticus scriptor in illo opere fuerit testis productus, unus tantum fuit, scilicet, Hermas : qui tamen non ut ecclesiasticus, sed ut canonicus scriptor produci videtur, ad cujus auctoritatem imminuendam Tertullianus respondet, quod *ejus scriptura divino instrumento non meruisset incidi* ; quod nemo unquam respondisset de auctore, qui a nemine pro canonico haberetur, aut qui simpliciter ut ecclesiasticus tantummodo proponeretur. Præterea Tertullianus diserte cavet in hoc ipso opere, ne quisquam, præter scriptores canonicos, eam litem disceptet. Nam non tantum ad Hermæ *Pastorem*, cum picto pastore in calice collatum respondet : *At ego ejus Pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi*, sed et cum pro sua sententia Barnabam laudat, et Hermæ præfert, id non sine præfatione facit : *Volo tamen ex redundantia alicujus etiam comitis apostolorum testimonium superducere, idoneum confirmandi de proximo jure disciplinam magistrorum.* Ita auctoritatem ejus diminuit, quem ipse producit : et hoc etiam fecit cum non Barnabæ ipsius epistolam citaret, sed eam quæ scripta est ad Hebræos, quæ nunc in canone est, et S. Pauli Epistola creditur. Imo vero quorsum catholici Tertulliano, vel ipse sibi objiceret testimonium scriptoris ab Ecclesia tantum probati, qui totam ipsam Ecclesiam sprevit ac despuit ? Sed revera Ignatiana talia non erant, ut a catholicis in hac causa recte et apposite adhiberentur ; neque enim quæstionem spectabant, quæ tunc agitabatur, neque ad catholicorum sententiam confirmandam nisi obtorto collo adduci potuerunt, aut cum scriptura Hermæ conjungi, *quæ sola mœchos amat*, ut loquitur Tertullianus. Quæstio enim erat, an Christiani, ob crimen mœchiæ ejecti per pœnitentiam recipi in Ecclesiam deberent. Ignatius autem nihil de mœchis habet, nihil de iis, qui dum intra ecclesiam sunt, aut illud, aut aliud quodvis grave crimen perpetrant. Ille ad unitatem ecclesiasticam hortatur Philadelphenses, et ad consensum cum episcopo suo : *Quotquot enim Dei sunt et Jesu Christi*, inquit, *isti cum eo sunt : et quotquot utique pœnitentes veniunt in unitatem Ecclesiæ, isti Dei erunt.* Ac rursus post pauca : *Ubi divisio est et ira, Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus, si pœniteant in unitatem Dei, et concilium episcopi.* Hæc Ignatius noster de hæreticis et schismaticis loquitur ad unitatem Ecclesiæ et concilium episcopi redeuntibus. Omnia quæ utramque sententiam antecedunt aut sequuntur, hoc verissimum esse evincunt. Nihil ille de mœchis, nihil de sicariis, de idololatris nihil. Φεύγετε μερισμὸν καὶ κακοδιδασκαλίας, inquit, et hoc argumentum late persequitur. Schismaticis et hæreticis persistentibus æternum supplicium minatur, resipiscentibus receptionem suadet et salutem spondet, quibus receptio in Ecclesiam negata nunquam fuit. Imo gravissima peccata extra Ecclesiam a schismaticis aut hæreticis perpetrata, etiam Montanistis judicibus, receptionem in Ecclesiam pœnitentibus non præcludebant. *Cui enim dubium est*, ait Tertullianus hoc ipso *De pudicitia* libro, *hæreticum institutione deceptum, cognito postmodum casu, et pœnitentia expiato, et veniam consequi, et in Ecclesiam redigi* ? Hæc igitur Ignatiana ad eam quæstionem non spectabant, nec a catholicis usurpari in ea re poterant ; quod igitur Ignatius noster in eo libro non nominetur, nec cum catholicis, nec Tertulliano ignotum fuisse ostendit. Ita conjecturis ex Tertulliani silentio male natis, totique capiti octavo, quod ad nos spectat, responsum est.

Proximus, cui ignotus fuisse dicitur Ignatius noster, est Caius quidam, ut videtur, cujus scripta omnia perierunt. Si libri ejus exstarent, forte ex iis aliquid certi haberemus, quo hæc conjectura liquido refelli posset. Nunc cum fragmentum quoddam tantummodo apud Eusebium exstet, idque sine nomine, cui argumentum innititur : multo nobis dif-

ficilior hæc provincia redditur, sed et conjectura simul multo debilior. Si sæpiuscule Caius ille in libris suis Ignatium nostrum nominasset, quod ab illo fieri potuisse nemo certe, præter Dallæum, negare potest (vixit enim tertio sæculo, postquam fictæ dicuntur Ignatii epistolæ Salmasio, et Albertino) ; nihil tamen id nos juvat, ad quos illi non pervenerunt. Ex instituto auctoris, et modo scribendi nihil reponere licebit, quod de Irenæo, Tertulliano, Epiphanio fecimus. Ad argumentum igitur e fragmento productum ex solo fragmento respondere possumus. Illud autem sic se habet : *Artemon docebat Christum esse purum et nudum hominem, Ignatius contrarium docuit.* Recte. *Qui Artemonem sequebantur, asserebant doctrinam suam esse antiquam, usque ad Victorem durasse, a Zephyrino esse mutatam. Caius producit econtra eos qui ante Zephyrinum scripsere, qui Christum et Deum et hominem prædicarunt. Inter eos Ignatium non nominat ; ergo eum ignorabat.* Ut Caium ideo ignorasse Ignatium constet, quia eum non nominavit, necesse est ut etiam constet eum omnes, quos idem scripsisse norit, nominasse. Id vero constare non potest; erant enim quamplurimi qui ante Zephyrinum scripsere, et Christum Deum et hominem dixere, quos neque Caius nominat, neque ignorasse censendus est. Imo certum est Caium aliquorum testimonia omisisse quæ cognovit, et, quod rem nostram propius spectat, ideo nonnulla præteriisse, quod ea omnibus nota putaret, in quorum numero merito sane Ignatius ponendus est omnium notissimus ; fatente etiam viro doctissimo, si epistolas illas scripsit, eas non potuisse non omnibus esse cognitissimas, sine qua assertione argumentum negans nullius esset ponderis. Præterea, certi generis scriptores incertus ille auctor statuit producere, non autem alios, in quo genere S. Ignatius minime recensebatur, eos, scilicet, qui adversus gentes scripserunt, et ex professo adversus hæreticos. Videmus igitur illius institutum atque propositum fuisse tales auctores producere, qualis Ignatius non fuit ; tales omittere, qualis Ignatius omnino fuit. Ex silentio igitur Caii non potest inferri ignoratio Ignatii. Hæc omnia in verbis ab Eusebio laudatis reperiuntur. Cum enim dicerent Artemonici antiquiores omnes, etiam apostolos, eorum doctrinam tradidisse, eamque in Ecclesia custoditam fuisse usque ad Victoris episcopatum, et sub Zephyrino pontifice demum esse adulteratam ; contra hæc sic Caius ille, qui sub Zephyrino, vel non multo post scripsisse putatur : Ἦν δ' ἂν τυχὸν πιθανὸν τὸ λεγόμενον, εἰ μὴ πρῶτον μὲν ἀντέπιπτον αὐτοῖς αἱ θεῖαι Γραφαί· καὶ ἀδελφῶν δέ τινων ἐστὶ γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων, ἃ ἐκεῖνοι πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, καὶ πρὸς τὰς τότε αἱρέσεις ἔγραψαν· λέγω δὲ Ἰουστίνου καὶ Μιλτιάδου, καὶ Τατιανοῦ, καὶ Κλήμεντος, καὶ ἑτέρων πλειόνων, ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός. Τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τὶς ἀγνοεῖ βιβλία, θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χρ'στόν ; *Ac fortasse id quod dicitur credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinæ Scripturæ, deinde fratrum quorumdam scripta Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus gentes pro veritate, et contra su temporis hæreticos scripserunt. Justinum intelligo, eti Miltiadem, et Tatianum, ac Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum omnibus libris Christus ut Deus repræsentatur. Nam Irenæi quidem, et Melitonis, et reliquorum scripta quis est qui ignoret, quæ Christum Deum simul atque hominem prædicant ?* Quibus verbis videtis eum proferre velle quorumdam fratrum scripta, tempus assignare ante Victoris ætatem, auctores certi generis indigitare, eos, nempe, qui adversus gentes et hæreticos sui temporis ex professo scripsere. Observare potestis aliorum complurium nomina de industtia ab ipso fuisse omissa, eorum præcipue, qui maxime erant noti. Causam igitur Caius non assignavit, ob quam Ignatium nominaret ; cur autem eum omitteret, optimam et opportunissimam prodidit. Nullum igitur ex silentio hujus fragmenti Ignatio nostro periculum.

Idem judicandum de Clemente Alexandrino, inquit. Imo vero de Clementis Alexandrini silentio nihil liquando affirmari, nihil inde certo concludi potest. Quamplurima enim ejus scripta perierunt, ut Ὑποτυπώσεων libri VIII, *De paschate* lib. I, *De jejunio* disputatio, *De obtrectatione* lib. I, *De canonibus ecclesiasticis* et *adversus Judaizantes* lib. I. Utrum Ignatii in illis vel eorum aliquo meminerit, necne, nemo certo affirmare potest. In *Admonitione ad gentes*, in tribus *Pædagogi* libris, in tractatibus duobus, quorum nunc unus, nunc alter locum octavi libri *Stromateon* occupabat, qui jam tandem ambo exstant, nullum omnino scriptorem Christianum nominat Clemens. *At in libris* Stromateon *plurimos gentiles et Christianos nominat Ignatium nunquam.* Plurimos quidem gentiles nominat, sed quid hoc ad Ignatium ? non paucos etiam hæreticos citat, sed nec inter eos Ignatius requirendus est. *Christianos*, hoc est catholicos non *plurimos*, sed paucissimos nominat, tres certe tantum, si modo et illi catholici omnes sint, Barnabam, Clementem, Hermam, omnes certe tanquam S. Paulo coævos, et tanquam sacros potius quam ecclesiasticos scriptores. Κλήμης, inquit, ὁ ἀπόστολος, ὁ ἀπόστολος Βαρνάβας, θεῖος ἡ δύναμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατ' ἀποκάλυψιν λαλοῦσα. Scriptorem catholicum secundi ævi ne unum quidem nominat : si Ignatium prætereat, præterit et Polycarpum, et Papiam, et Quadratum, et Aristidem, et Justinum, et Melitonem, et Athenagoram, et Dionysium, et Hippolytum, et Hegesippum, et Irenæum ; quos omnes eum ignoravisse non puto, magis quam magistrum suum Pantænum. Sed *mirum est*, inquit, *qui vel ex una Clementis ad Corinthios epistola tria quatuorve loca in* Stromateon *opere descripsit ; nihil in tam multis Ignatii, ne sententiam quidem unam reperisse quam notaret.* Cur non et Barnabam etiam producit, qui sæpius

in eo opere laudatur ? cur non et Hermam, qui adhuc frequentius adducitur ?Quicunque Clementis *Stromateas* probe novit, nunquam mirabitur ab eo Ignatium esse præteritum, tres reliquos toties citatos. Instituit illic gnosticum suum, non vulgaribus theologiæ principiis imbutum, sed ultra aliorum Christianorum sortem elevatum,et ut magister Origenis mystica quæque et anagogica ubique sectatur ; qualia in Barnabæ epistola,et Hermæ *Pastore* plurima occurrunt, in simplicissimis et monitorum tantummodo salubrium plenis Ignatii epistolis non reperiuntur.Sed dices,etiam Clementis epistola simplicitatem apostolicam spirat: ex illa vero tria quatuorve loco affert. Ita sane. Sed Clemens Alexandrinus etiam in illa aliquid non simplex et vulgare animadvertit, sed γνῶσιν τελειοτέραν præ se ferens, quod ex illa non semel excerpit. Observat Clementem Romanum differentias eorum qui sunt probati in Ecclesia, describere, et inter eos ponere τὸν δυνατὸν γνῶσιν ἐξειπεῖν, eum igitur locum bis citat, tum in primo libro, tum in sexto. Observat eum τύπον τινὰ τοῦ Γνωστικοῦ ὑπογράφειν, *formam quamdam Gnostici describere*,ad quam omnes pene epistolæ partes miro modo refert libro quarto. Notat et *mundos* ejus *post oceanum*, quos cum Platonicis confert. Talia apud Ignatium nostrum invenire non erat. Silentium igitur Alexandrini non indicat Ignatiana non fuisse, sed ad informandum Gnosticum, ad mysticam, et anagogicam, tropologicamque doctrinam illustrandam, aut philosophiam excolendam minime idonea.

Sed certum et definitum nobis locum indicat *Stromateon* opere l. VII, p. 764, quo sine dubio Ignatii nomen posuisset Clemens,si epistolas ejus unquam vidisset. Mira quidem hæc perpicacia, et scribendi moris apud veteres accurata observatio, quæ quo quisque loco quemlibet se antiquiorem nominare debuerit, indicare potuit. *Ubi tradit hæreticorum sectas Adriani demum Augusti temporibus coalescere cœpisse, opportunus erat locus Ignatiana nostra commemorandi.*Quid vero,an aliquid in suam sententiam ex Ignatianis trahere potuit ? An Ignatius illi idoneus testis fuit, ex quo probaret hæreticos non nisi sub Adriani imperio cœpisse, cum ipse ante Adrianum sub medio Trajani imperio passus sit? Non hoc vult vir doctissimus ; ad sententiam suam confirmandam non potuit Clemens Ignatium nominare, debuit ad refellendam. Duram profecto legem scriptoribus antiquis figit, qui necessitatem iis imponit citandi clarissimos Ecclesiæ antistites contra suam sententiam.Neque hoc vult vir doctissimis ; quid igitur ? *Ignatianas epistolas traditioni suæ apertissime repugnantes si scivisset,* aliquid certe fecisset,quod non fecit ; quid autem hoc est ? *vel eas refutasset* ; imo vero hoc nunquam fecisset. Quisquamne veterum Christianorum eam de antiquioribus Patribus et episcopis de apostolorum discipulis et martyribus opinionem, de seipso eam præsumptionem habuit, ut eos ideo produceret, quo refelleret et refutaret, quo aperti mendacii et falsi testimonii reos teneret ?Verum si hoc non fecisset, *suam ipse traditionem ad harum normam correxissst.* Ante dixerat *opportunum hunc locum esse Ignatiana nostra commemorandi*, nunc, si commemorasset, sententiam suam *correxisset* ; at eam aliter corrigere non potuit,nisi totam oblitterasset atque expunxisset. Hoccine autem huic loco opportunum esse potuit,quod totum everteret et expungeret ? Hæc omnia meræ sunt conjecturæ, et quidem infelicissimæ, nec Ignatii epistolis, nec proposito Clementis ullo modo convenientes. Clemens non omnes hæreses respexit,sed aliquas tantum,sua ætate maxime conspicuas et scriptis etiam ubique tunc temporis celebres,quibus maxime catholici vexabantur,cum antiquiores aliæ jam pene evanuissent. Harum initia aliquo modo indicat, Ecclesia posteriores ostendit,nec tam quidem antiquas quam ipsi jactitabant. Quod enim Basilides Glauciam magistrum suum assereret, quem discipuli ejus Petri interpretem fuisse affirmabant;quod Valentiniani ad Theodadi, tanquam S. Pauli discipulum hæreseos suæ originem referrent; hæc omnia quasi non satis certa rejecit, et quæ harum hæreseon antiquitatem minime probarent. Aliter satis novit omnium eruditissimus Clemens,non tantum sub Trajano ante Adrianum,non tantum sub tempore martyrii Ignatiani,ut ipse Ignatius indicat sed etiam ævo apostolorum hæreticos aliquos exstitisse, ut et historia ecclesiastica, et ipsæ etiam S. Scripturæ testantur. Iniquissimum igitur est hoc loco postulare, ut Clemens Ignatium nostrum, si scivisset, citaret ; ab omni ratione alienissimum, ignoravisse eum, quod non citaverit, concludere.

Verumenimvero *eadem est*, inquit, *et alterius cujusdam Clementis sententiæ ratio. Ille enim statuit Christum unum tantum annum in terris prædicasse ; at Ignatius noster diserte scribit Dominum* tribus post baptismum annis prædicavisse evangelium. Imo vero noster Ignatius hæc nunquam scripsit. Quæ enim recitat Dallæus ex epistola ad Trallianos pagina 76, eodem quidem loco apud Usserium inveniuntur ; sed tota pagina miniata est, et ea verba non ad auctorem,sed interpolatorem epistolæ referenda sunt, et ad nos non spectant, qui epistolam ad Trallianos quidem, sed ab omnibus assumentis liberam,defendimus.Et tamen hoc unicum argumentum affert,quo probet Ignatium et Origeni, et Julio Africano, et Lactantio ignotum fuisse. Ejusdem farinæ sunt quæ de Paulo conjugato,et de resurrectione Christi habet : quæ ad adversus Ignatium Baronii,non autem nostrum sunt allata. Nihil tamen aliud affert,ut probet Ignatium etiam Dionysio Alexandrino fuisse ignotum. Quod ad eos igitur spectat,expungenda plane ex titulo capitis magna illa nomina Origenis,Julii Africani, Lactantii, Dionysii Alexandrini,et ipsius etiam Hieronymi. Nihil certe hactenus adductum est,quo probetur aut verisimile reddatur, Ignatium nostrum Clementi

Alexandrino fuisse ignotum : et nos meliori jure ei notum fuisse contendimus. Nullo enim modo verisimile est eum quem Origenes discipulus etiam juvenis tam bene novit (ut ostendimus)Clementem magistrum ignorasse.

Hæc cum e Clemente adduxisset, tandem argumentum a testimonio negativum,a silentio,scilicet scriptorum ante Eusebii tempora ductum, varium quidem illud, et miscellaneum, et prolixum concludit ; quo Ignatianas epistolas omnibus ante Eusebium ignotas se probasse putat, ideoque nullas fuisse. Id autem eum de nemine probasse ostendit ; non de Irenæo, non de Alexandrinis, aut Æthiopibus, non de Tertulliano, aut Caio, aut Clemente Alexandrino : multo minus de Origene, Julio Africano, Dionysio Alexandrino, aut Lactantio, pro quorum ignorantia nihil ex nostris epistolis adduxit ; non de Epiphanio aut Hieronymo, non de Boloariis aut Ionensibus, quorum ignoratio etiam probata si esset, nullam neganti argumento vim adderet. Quare nos multo meliori jure sic disputamus.Cum Polycarpus Ignatii discipulus, cum Philo et Agathopus ejusdem comites, cum Irenæus Polycarpi discipulus, eum Theophilus Ignatii in sede Antiochena aliquando successor, aut ejusdem ævi aliquis,cum denique Origenes, discipulus Clementis, Ignatii epistolarum diserte meminerit, aut ad eas aperte respexerint ; cum ii omnes,qui ignorasse perhibetur, nullam nobis eam ipsis ignorantiam tribuendi satis justam causam præbuerint ; argumentum a silentio negative ductum nihil omnino valere pronuntiamus, et ab iis qui noverunt, reliquos non ignorasse, aut si aliqui ex iis forte ignoraverint, argumentum inde fieri non posse concludimus.

PARS SECUNDA.

Qua argumenta pro Ignatii epistolis ex ipsis educta afferuntur, et Dallæi objectiones refelluntur.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta pro Ignatianis ex ipsis epistolis ducta afferuntur. S. Ignatius circa a D. 107 scripsit. Illi ætati materia epistolarum in genere spectata apprime convenit. Impostorum, scripta solent sui sæculi mores redolere. Nihil in his epistolis posteriora spectat tempora. Episcopos in Asia fuisse certum est, cum S. Ignatius ad martyrium duceretur. Epistolarum auctor ita episcopos et presbyteros describit, ut quæ de iis dicit, illi ætati, non autem posteriori conveniat. Duæ hæreses Ignatii tempore maxime valebant, una quæ Christum putative hominem, alia quæ nudum hominem asserebat. Has duas et solas perstringit Ignatius, et Christum simpliciter θεολογεῖ. Apostolicæ doctrinæ traditio in epistolis, traditiones non scriptæ, posterioribus sæculis memoratæ minime continentur. Multa præterea in iisdem traduntur quæ non aliam quam Ignatii ætatem sapiunt. Nihil certius scriptum aliquod suppositionis convincit, quam violatio temporum. Varia hujus rei exempla. Ficta plerumque opera ex temporum ratione se prodere. Epistolæ Socraticorum ab Allatio editæ inde falsitatis convincuntur. Dallæi confusa rerum tractatio reprehenditur.

Quoniam argumenta nostra pro scriptis vere Ignatianis in externa et interna divisimus ; externa autem a testimoniis petita priori dissertatione late prosecuti sumus, ab objectionibus vindicavimus, testesque in contrarium allatos plane expunximus; interna nunc proponimus, ex epistolis ipsis ducta, quæ easdem clare ostendant auctori suo a SS. Patribus constanter assignato apprime congruere, præscripti temporis antiquitatem optime ferre,tanti viri,et apostolici,et episcopi,et martyris tum pietati,tum zelo,tum prudentiæ, tum itineri,tum vinculis,tum concussionibus, tum refrigerationibus plene respondere ; adeo ut ipsarum epistolarum materia atque textura, auctoritati testium pari suffragio conjuncta,plenissimam fidem extorquet,et omnem dubitandi ansam præcidat. Ubi enim non tantum testes omni exceptione majores, quos nec fallere voluisse, nec facile falli potuisse putandum est, adhibentur ; sed et res ipsa, cui testimonium perhibent,talis esse apparet, ut eos falsos fuisse nihil suadeat ; ne cum prudentia quisquam dubitare, nec sine pervicacia refragari potest.

Ut autem opus epistolicum apostolico viro recte competere ostendatur, supponendum in primis Ignatium quemdam, ab apostolis ordinatum Antiochensis Ecclesiæ episcopum,per triginta minimum annos eam sedem tenuisse, ut Georgius Syncellus, et *Chronographia* Nicephoro attributa in veteribus mss. quibus consonus est Anastasius, testantur ; tandem ab imperatore Trajano,in expeditione Parthica, ad bestias condematum, et ab Antiochia Romam tractum, si quid scripserit in itinere satis molesto partim Smyrnæ,partim Troade,et quidem decimo imperii Trajani, vulgaris æræ Christianæ septimo post centesimum anno, anno Christi vero, ut ego quidem existimo, 113 epistolas scripsisse. Dicimus itaque has epistolas, quas habuit Eusebius, et nos nunc habemus, si penitissime inspiciantur, si acumine vel maxime critico discutiantur, si materia et modus scriptionis exactissime trutinentur, et auctori, et tempori,et occasioni optime respondere ; nec homini veritatis studioso vel minimam de fictore aliquo cogitandi ansam præbere, et Dallæano impostori post ducentos annos in scenam producto prorsus repugnare.

Joannes Launoyus Parisiensis theologus,veterum

scriptorum censor acerrimus, in judicio de libris Dionysii Areopagitæ, de antiquissimorum Patrum genio apposite observavit. « Qui hoc tempore scribunt, in tribus potissimum scriptorum generibus elaborandis insudant. Alii pro Christianis apologias componunt, quibus religionis novæ sinceritatem interpretentur, vel professionum innocentiam probent, vel principum animos a vexationibus abducant. Alii scribunt epistolas, quibus Christianos in accepta fide corroborent, vel ecclesiarum præpositos salutaribus documentis instruant, vel Christianæ doctrinæ utilitatem et terrenarum rerum contemptum doceant, vel ad subeunda pro Christo tormenta inducant, vel quæ jam ipsi pertulerint sine fuco exponant. Alii denique commentarios edunt, quibus Christianam fidem propugnent, et ei contrarias, quæ tunc oriebantur, hæreses refellant. Hæc est conditio, hic genius sæculi in quo vixit Dionsius Areopagita : hæc occupatio scriptorum, qui suis operibus nascentis Ecclesiæ pondera sustentaruut. » Hæc a Launoyo recte observata ut Pseudo-Dionysium aperte refellunt, ita S. Ignatium haud parum juvant, ostendunt enim epistolas sub illius nomine posteris traditas secundum illius sæculi genium fuisse conscriptas. Nemo enim non videt in illis Christianos in accepta fide corroborari, adversus schismata et hæreses tunc exortas muniri ; ecclesiarum præpositos salutaribus documentis instrui, aut ob constantiam in tuenda veritate laudari, et tanquam pietatis exempla populo proponi ; rerum denique præsentium contemptum doceri, futurarum prospectum et exspectationem urgeri et martyrii coronam modis omnibus amplificari. Hæc conditio, hic genius sæculi, quo vixit S. Ignatius, in his epistolis maxime relucet ; earum igitur materia in genere spectata auctori a veteribus assignato apprime respondet.

Ut autem ad magis particularia descendam, et ostendam ea quæ in his epistolis continentur, talia esse, qualia ab impostore, præsertim Dallæano, minime conficta esse appareat : non alio utar disputationis fundamento, quam quo non semel utitur Dallæus. « Hujus, inquit, impostoris in his adornandis Ignatioque subdendis epistolis consilium idem, quod aliorum plerorumque ejusdem farinæ artificum fuisse videtur. » Ita ille de suo cap. 38 ; de aliis cap. 4 : « Plerique eo potissimum consilio sua figmenta sub aliorum nomine edunt, ut res sui sæculi novas falso antiquitatis nomine constituant ac confirment. » Imo hoc toti horum homuncionum generi adeo competere arbitratus est, ut non veritus sit dicere : « Miros nobis narras impostores, qui imposturam quidem faciunt, cæterum ob quem eam faciunt, fructum nullum ex ea percipere satagunt » (*De pseudo-apostolicis* l. II, c. 15.) Et revera incredibile plane est, ut impostor, qui sub finem tertii aut initium quarti sæculi vixerit, epistolas scriberet, et S. Ignatio subderet, quæ ævum illud impostoris nullo modo redolerent, quæ imposturam nullis indiciis proderent, quæ ritum nullum Ecclesiæ post martyris mortem exortum respicerent, quæ hæresim nullam earum quæ postea pullularunt perstringerent, quæ doctrinam nullam a mente apostolicorum virorum alienam docerent, quæ nihil ex Platonica schola, quam alii statim amplexi sunt adducerent, quæ simplicitatem primitivam in rebus omnibus conservarent, quæ tanto viro et martyri ubique responderent, tantorumque S. Spiritus donorum specimina vivis coloribus depingerent. Recte Dallæus cap. 10 : « Difficile est etiam peritissimum ac callidissimum impostorem ita sibi undequaque cavere, ut non ei aliquid imprudenti excidat, quod dolum prodat » Jam vero clare et aperte assero, nihil in his epistolis Eusebio cognitis apparere, quod eam ætatem quam Dallæus innuit, vel eam etiam quam Blondellus, aut quam Salmasius indicat, sapiat, aut quoquo modo redoleat. Nihil hic de hæresibus tunc temporis subortis, nihil de moribus aut institutis Christianorum tum valde mutatis, nihil de novis ritibus post Ignatii mortem primum usurpatis, nihil de usu Ecclesiæ qui post Ignatii mortem primulum obtinebat, quibus se prodidit fictus Dionysius : omnia potius ab his plane diversa, proximis ætati apostolicæ temporibus maxime conformia, et ab impostoris sæculo haud parum abhorrentia repræsentantur.

De episcopis quidem Asiæ multa loquitur Ignatius, quos ibi tunc fuisse constat : nam S. Joannes, « novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ episcopis, » ut ex veteri traditione loquitur Hieronymus. De eorum uno idem in Catalogo : « Polycarpus Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit, » quod diu ante eum testati sunt secundi sæculi scriptores duo præclarissimi, Irenæus et Polycrates. De alio legimus in Chalcedonensis synodi actione undecima : Ἀπὸ τοῦ ἁγίου Τιμοθέου μέχρι νῦν εἰκοσιεπτὰ ἐπίσκοποι ἐγένοντο· πάντες ἐν Ἐφέσῳ ἐχειροτονήθησαν. « A sancto Timotheo usque nunc viginti septem episcopi facti ; omnes in Epheso sunt ordinati. » In quo numero fuisse Onesimum, cujus meminit Ignatius, non est cur dubitetur. Ignatius ipse se episcopum Syriæ appellat ; sed et ab Hieronymo « Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum apostolum episcopus » agnoscitur, ut et ab aliis. De episcopis diu ante Ignatii martyrium a S. Joanne institutis ex veteri traditione loquitur Clemens Alexandrinus apud Eusebium l. III, c. 23 : Ἐπειδὴ γὰρ τοῦ τυράννου τελευτήσαντος ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ἀπῄει παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ κλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας Ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέτινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ Πνεύματος σημαινομένων. Ita recte hunc locum ex tribus mss. codicibus restituit doctissimus Valesius : « Cum enim ex insula Pathmo Ephesum rediisset, Joannem, ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut episcopos

constitueret, partim ut Ecclesias integras formaret, partim ut homines sibi a Spiritu indicatos in clerum seponeret. » Unde coacta illa Walonis Messalini interpretatio concidit, qui episcopis hic plures, presbyteros in urbe, κλῆρον ἕνα, unum presbyterum, sive chorepiscopum in pago, mire interpretatur. Ex horum episcoporum successione disputat adversus hæreticos Tertullianus, *contra Marcionem* l. IV, c. 5 : « Habemus et Joannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. » Ut reliqua omittam, nullus unquam scriptor Christianus et catholicus dixit pauciores ordines sive gradus, quam tres in Ecclesia fuisse secundo sæculo, aut ulla ejus parte ; quo quidem sæculo Ignatius scripsit. Nullo modo igitur verisimile est pauciores tunc exstitisse. Si quisquam id dixisse putandus esset, inter illos certe reperiretur, qui episcopi et presbyteri nomina in apostolorum scriptis confusa esse existimabant. At hi ipsi omnes tunc cum nomina confusa esse crediderunt, aut saltem ante secundum sæculum, dixerunt ordines sive gradus fuisse distinctos, ut suo loco demonstrabo. Sine controversia igitur pono episcopos in Asia tunc fuisse, cum Ignatius ad martyrium festinaret. Jam vero ita episcopos sui temporis describit epistolarum auctor ita semper de iis loquitur, ut dubitari non possit, quin omnia ab eo dicta illa ipsa tempora respiciant. Nam nudum nomen officii seu ordinis ponit, nullum illis insolentiorem titulum attribuit; non ἀρχιερέας, aut ἱερέας, non ἄρχοντας, ut posteri solebant, appellat. Nulla apud eum de cathedris mentio, nulla de ordinatione, aut electione, aut successione. Nulla hic episcopalis alicujus sedis prærogativa depingitur ; nulla ad ecclesiam aliquam præ aliis appellatio memoratur ; nulla obedientia, nisi ea quæ necessaria est ad vitanda schismata et Ecclesiæ unitatem conservandam, præcipitur. Presbyteros interim non deprimit, quos semper episcopis adjungit ; eorum dignitatem et auctoritatem prædicat, ac studiosissime tuetur : θεοπρεπέστατον et ἀξιονόμαστον, et τοῦ Θεοῦ ἄξιον πρεσβυτέριον vocat, εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων collocat, νόμον Ἰησοῦ Χριστοῦ indigitat, ἀξιόπλοκον πνευματικὸν στέφανον πρεσβυτερίου celebrat, ut eis obediant Christiani ἀπερισπάστῳ διανοίᾳ suadet. Unde Walo Messalinus : « Quo primum tempore cœptus est episcopatus superstrui ac superponi presbyteratui scriptum illud prodiisse, id argumento est, quod ita episcopatum extollit, ut presbyteros non deprimat. Suam enim illis dignitatem conservat, quam in prima Ecclesia obtinuerunt, dum illis tanquam apostolis ipsis honorem esse habendum pronuntiat, et locum apostolorum tenere affirmat. » At labente tertio sæculo, aut ineunte quarto, presbyteratus auctoritas, etiam fatentibus adversariis, valde erat imminuta. Nullus erat tunc in orbe Christiano presbyterorum consesA sus, cui hæc elegia a quopiam tribuebantur. Si omnia illius ætatis scripta percurramus, nihil tam honorifice de eo ordine dictum reperiemus. Non igitur eam ætatem hæc sapiunt ; et deliraret plane, imo insaniret impostor, qui ad tyrannidem episcoporum confirmandam (ut voluit post Socinum Dallæus), hæc excogitaret, et simul presbyterorum auctoritatem, jam diu diminutam atque collapsam, restituere et redintegrare conaretur, Ignatius officia ecclesiastica unde et simpliciter suis fonctionibus et nominibus distinguit, tres tantum sacros ordines agnoscit, unicuique suum honorem atque dignitatem tribuit, nulli derogat et alteri inserviat, omnibus obedientiam præstandam esse a populo monet, idque in eum tantum finem, ut schisma
B evitetur et unitas conservetur.

Secundo observat Eusebius Ignatium munire potissimum ecclesias adversus sua ætate pollulantes et late grassantes hæreses ; quod cum sit per se verisimile (quid enim ea admonitione opportunius, aut viro apostolico dignius fuit ?), ex his epistolis verissimum esse comperimus. Duæ potissimum hæreses de natura Christi ea tempestate obtinebant, ut veritati catholicæ ita et sibi ipsis prorsus contrariæ : quarum altera Docetarum fuit, a Simonianis ortorum, humanæ naturæ veritatem in Christo destruentium ; altera Ebionitarum, divinam prorsus naturam et æternam generationem denegantium, legisque cæremonias urgentium. Has primi sæculi hæreses antiqui scriptores agnoscunt ; Ignatiano ævo nimium viguisse omnes fatentur. Unde Theo-
C doretus ita *Hæreticarum fabularum* libros partitus est, ut primus eos qui alterum creatorem confinxerunt δοκήσει δὲ φανῆναι τὸν Κύριον εἰς ἀνθρώπους ἔφασαν, secundus autem illos qui ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Κύριον προσηγόρευσαν, complecteretur. De prioribus Hieronymus *adversus Luciferianos :* « Apostolis adhuc in sæculo superstitibus, apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur. » De secundis idem in Catalogo : « Joannes apostolus novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ episcopis adversus Cerinthum aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. » Quas etiam in Asia maxime viguisse observat Epiphanius hæresi 51 :
D Ἔνθα γὰρ τὸν Χριστὸν ἐκ παρατριβῆς ψιλὸν ἄνθρωπον ἐκήρυττεν ὁ Ἐβίων καὶ ὁ Κήρινθος, καὶ οἱ ἀμφ' αὐτούς, φημὶ δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ. Ignatius cum a schismaticis et hæreticis semper cavendum esse doceat, has præcipue hæreses petit, illas frequenter, sedulo et aperte ferit : priorem Docetarum, a discipulis Menandri tunc temporis disseminatam, atque, ut credibile est, a Saturnilo apud Antiochiam jam tum defensam, epistola ad Smyrnæos atque Trallesios jugulat : alteram ab Ebione profectam lateque per Orientem sparsam epistola ad Polycarpum, ad Ephesios, Magnesianos et Philadelphenos refellit. Præter has duas hæreses nullam omnino attingit:

quidquid in his epistolis de particulari aliqua hæretica doctrina scriptum est, ad earum unam referri et potest et debet. Hæc igitur omnia et fidei, et doctrinæ, et tempori S. Ignatii optime conveniunt. Erat certe Ignatius inter eos qui Christum θεολόγουν, ut catholici illius ætatis faciebant. Nam qui religionem nostram deseruerant, referente Plinio, « affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo, dicere secum invicem. » Ut recte observavit vetus ille auctor apud Eusebium l. v, c. 28 : Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. « Psalmi et cantica fratrum, quæcunque ab initio a fidelibus conscripta sunt, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. » Ita quidem Ignatius simpliciter Christum Deum appellat, ut Epist. ad Smyrnæos : Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν θεόν, et : Ὑποδεξάμενοι ὡς διακόνους Χριστοῦ Θεοῦ, ad Polycarpum : Ἐν θεῷ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, ad Ephesios : Ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας, ad Romanos : Κατὰ πίστιν καὶ ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Post autem receptam in Ecclesia doctrinam Platonicam, tum secundi tum tertii sæculi scriptores non soliti sunt adeo simpliciter Christum τὸν Θεὸν ubique prædicare, ut hæc plane Ignatianam ætatem sapiant. Objiciebat aliquando Photius Clementi Romano : Ὅτι ἀρχιερέα καὶ προστάτην τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξονομάζων, οὐδὲ τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἀφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς ; « Quod summum sacerdotem præsidemque Dominum nostrum Jesum Christum appellans, ne illas quidem Deo convenientes et sublimiores de eo voces pronuntiaverit. » Et secundæ ejus epistolæ minus receptæ hoc adminiculum adhibet, quod ἐν ἀρχῇ Χριστὸν τὸν Θεὸν κηρύσσῃ, « in ipso initio Christum Deum prædicet. » Prima enim illius Epistolæ verba sunt : Ἀδελφοί, οὕτως δεῖ ἡμᾶς φρονεῖν περὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς περὶ Θεοῦ, « Fratres, ita oportet nos de Christo sentire, ut de Deo. » Primis itaque Ecclesiæ temporibus hanc appellationem maxime convenientem putavit optimus censor Photius ; ea autem toties ab Ignatio repetita, nec cum ullis posteriorum limitationibus prolata, sed nude et simpliciter ubique prædicata maximam venerandæ illius antiquitatis et simplicitatis speciem exhibet.

Tertio Eusebius Ignatii epistolas tanta cum diligentia descripsit, quod ipsi visæ sint traditionem apostolicam conservare, προύτρεπεν, inquit, ἁπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως. Hoc autem intelligendum monemus, ut ipsi veteres voluerunt, non ut nuperi scriptores intelligunt ; quasi Ignatius scriptis mandare in animo habuerit traditiones ab apostolis acceptas, quas illi scripta minime consignassent ; quod cardinalem Baronium, et alius adeo fefellit. Nihil aliud voluit Eusebius, quam Ignatium virum apostolicum doctrinam evangelicam, quam ab apostolis quoquo modo acceperat, epistolis suis repræsentasse, et Ecclesias ut illi adhærerent, impense rogasse : se ipsum enim satis explicat Eusebius, dum profitetur se eos tantummodo commemoraturum, in quorum monumentis Ἀποστολικῆς διδασκαλίας παράδοσις φέρεται, « ut, verbi gratia, Ignatii et Clementis ; » prorsus uti loquitur Irenæus de Clementis epistola, quam misit Ecclesia Romana ad Corinthios, ἀνανεοῦσα τὴν πίστιν αὐτῶν, καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων παράδοσιν εἰλήφει, « reparans fidem eorum, et quam in recenti ab apostolis receperant traditionem. » Ut igitur Clementis epistola promptuarium non est traditionum non scriptarum, ita nec Ignatii. Nullas ille traditiones non scriptas, quas sive vere, sive falso apostolicas uocant, nobis in genuinis epistolis commendavit. Nihil de festis, nihil de statis jejuniorum temporibus, nihil de more Paschatis celebrandi, nihil de Pentecostes aut Sabbati observatione, nihil denique de quocunque ritu, cujus antiquitas in controversiam venire potest, tradit. Talia quidem quamplurima tum in interpolationibus, tum in fictis epistolis reperiuntur : neque quisquam jure affirmare potest aut credere, impostorem tertii sæculi ab omnibus hujusmodi ritibus sua ætate usurpatis abstinere voluisse. Nulli igitur ævo nisi Ignatiano hæc convenire videantur.

Quarto charismatum meminit tunc in Ecclesia maxime florentium, et Spiritus sancti ad se nonnunquam loquentis, quod posteriores facere non solent. Parcissime utitur testimoniis S. Scripturæ. Paulinas quidem epistolas ubique imitatur, quæ a principio in ecclesiis omnibus fuere receptissimæ ; Evangelia parcius citat, quæ serius recipiebantar et a spuriis distinguebantur ; quæque secundi sæculi jam adulti et tertii scriptores frequentissime usurpabant. Ipsum scriptionis genus non minimum est ejusdem ævi indicium. Nihil in his epistolis extraneum, nihil ex eruditione gentilium profectum ; omnia doctrinam pure evangelicam, et simplicitatem viri apostolici redolent. Qui postea scripsere, doctorum apud gentes sententias usurpare, et eorum nonnunquam etiam dogmata Christianæ religioni immiscere solebant : id autem ex ea rerum scientia, qua, antequam Christiani fierent, præditi fuerant, præstiterunt, ut Tertullianus observat. Ignatius diu jam episcopus fuerat, et Christianam religionem tum primum susceperat, cum perpauci ex gentibus docti Christiani facti sunt ; in eo igitur perspicimus animam pure Christianam, « non scholis formatam, non bibliothecis exercitatam non academiis et porticibus Atticis pastam. » Si gentem et ecclesiam spectes cui præfuit, viro apud Syros tot annos morato, si non et apud eosdem nato educatoque, maxime convenit plurium epithetorum congestio, ut et longissimarum S. Pauli præfationum imitatio. Martyrem ab ipso imperatore Romano condemnatum,

a metropoli Syriæ Antiochia ad orbis dominam in vinculis circumductum, factum angelis et hominibus spectaculum, maxime decuerunt ardor ille, atque desiderium pro Christiana religione patiendi, morasque omnes atque obstacula removendi fortis et constans cupido ; quæ cum in aliis, tum in illa præsertim ad Romanos epistola verbis pio fervore plenissimis expressit.

Concedendum quidem est nihil certius aut solidius scriptum aliquod, aut narrationem spuriam probare, quam fidem temporum violatam. Tradit Laertius Anaxagoram philosophum viso Mausoli sepulcro hanc sententiam protulisse : Τάφος πολυτελὴς λελιθωμένης ἐστὶν οὐσίας εἴδωλον. Non credo. Anaxagoras enim ille olymp. LXXXVIII mortuus est; Mausoli autem sepulcrum ante olymp. CVII conditum non est. Aut igitur hæc verba philosophus ille nunquam dixit,aut alia certe occasione dixit; Mausoleum enim nunquam vidit: quod ab illustratoribus Laertii nondum, opinor, observatum est. Ita quidem Stesimbrotum sugillat Plutarchus *in* Vita Themistoclis, quod eum tradiderit Anaxagoræ discipulum fuisse, οὐκ εὖ τῶν χρόνων ἁπτόμενος. Ita de morte Eupolidis historicorum consensum diligentia Eratosthenis refutatum esse observat Cicero ad Atticum, lib. VI, epist. 1 : « Quis enim non dixit Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας ab Alcibiade navigante in Siciliam dejectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes, affert enim quas ille post *id* tempus fabulas docuerit. » Narrat Holstenius Porphyrium, eum prima litterarum ac sapientiæ fundamenta percepisset, puerum ferme adhuc Origenis fama excitum Alexandriam ad doctrinam ejus percipiendam profectum fuisse. Non credo ; licet hoc ex Eusebio et Vincentio Lirinense Porphyrii auctoritate se ostendisse putet. Vincentius quidem idem tradit, sed ex male acceptis Porphyrii apud Eusebium verbis, quæ eum Alexandriam ad videndum Origenem profectum esse minime docent; tantum enim ait: Ὧ κἀγὼ κομιδῇ νέος ὢν ἔτι ἐντετύχηκα, « quem ego juvenis adhuc conveni.» Certe Alexandriæ Origenis nostri discipulus esse non potuit Porphyrius, qui in finibus Tyri anno Alexandri Severi decimo natus est; eodem autem anno Origenes Alexandria pulsus est. Scribunt præterea veteres Origenem quemdam fuisse Plotini condiscipulum, et simul cum maximo illo philosopho audivisse Ammonium per undecim ferme annos Alexandriæ. Hunc Origenem nostrum fuisse volunt eruditi, et præcipue Holstenius. Non credo; tempora enim non minus quam alia repugnant. Plotinus non vidit Alexandriam ante annum undecimum Alexandri Mammææ,ut testatur in ejus Vita Porphyrius, et paulo post Ammonio præceptori se tradidit, cum jam Origenes noster Alexandriam relinquere coactus esset, quo nunquam postea reversus est. Non igitur ille Alexandriæ fuit, cum Plotinus Ammonium audivit, multo minus cum Plotinus simul et Ammonio et Origeni suo valedixit. Origenes igitur Plotini condiscipulus Adamantius noster esse non potuit. Susarionem et Sannyrionem eumdem poetam fuisse volunt nonnulli, et præcipue Seldenus ad Marmora Arundelliana. Ego autem ut credam animum inducere non possum, cum ratio temporum repugnet. Nam Susario Icariensis primus comœdiæ inventor apud Athenienses fuit, testibus Clemente Alexandrino, Diomede scholastico, et veteri auctore in proœmiis Aristophani præfixis. Ante autem Pisistrati tyrannidem Susarionem hunc comœdiam invenisse ex ipso marmore Arundelliano constat. At Sannyrio, teste Suida V. Διοκλῆς, tum Diocli tum Philyllio synchronus fuit : et revera vixit ætate Aristophanis. Certe post editam Euripidis tragœdiam *Orestem* scripsit : exstant enim ejus versus ex ipsius *Danae* tum apud Euripidis, tum Aristophanis Scholiasten, quibus exagitat Hegelochum, Euripidis ὑποκριτήν, qui Orestem agens versiculum illum.

Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ,

male pronuntiaverat. Plures igitur quam 140 anni inter Susarionem, primum comœdiæ apud Athenienses inventorem, et Sannyrionem, veteris comœdiæ scriptorem, intercesserunt. Susario igitur et Sannyrio idem poeta esse non potuit. Et miror Isaacum Casaubonum ita decipi potuisse, ut ista scriberet ad Athenæi lib. VII, cap. 9 : « Non memini laudari alibi in his libris vetustissimum poetam Sannyrionem nisi hic ubi scribitur: Σαννυρίων δ' ἐν Γέλωτι Θ βατίδες, ὦ γλαύκων κάρα. Antiquæ comœdiæ poeta hic fuit antiquissimus, de quo, et ista ejus comœdia, legitur in Aristophanis Scholiis : Καὶ αὐτὴ δὲ ἡ παλαιὰ ἑαυτῆς διαφέρει, καὶ γὰρ οἱ ἐν Ἀττικῇ πρῶτον συστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας (ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σαννυρίωνα) καὶ τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως, καὶ μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον. » Nam primo alibi Athenæus Sannyrio meminit, et ejusdem etiam fabulæ, l. XII, c. 13 : Περὶ δὲ Μελήτου αὐτὸς ὁ Σαννυρίων ἐν Γέλωτι λέγει οὕτως, Μέλητον τὸν ἀπὸ Ληναίου νεκρόν. Dein in verbis Scholiastæ putat vocem γέλως Sannyrionis fabulam denotare, cum nihil aliud hic significet quam risum simpliciter, quem tantummodo spectabant primi comœdiarum editores, quos vocat τοὺς πρῶτον συστησαμένους τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας Denique non vidit mendum latere in nomine ; nam pro Σαννυρίωνα legendum esse Σουσαρίωνα certum est : ut paulo post in alio argumento legimus, τὴν κωμῳδίαν ηὑρῆσθαί φασιν ὑπὸ Σουσαρίωνος. Diomedes Grammaticus : « Poetæ primi comici fuerunt Susarion, Mullus et Magnes.» Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. I : Κωμῳδίαν ἐπενόησεν Σισαρίων [l. Σουσαρίων] ὁ Ἰκαριεύς. Diomedes Scholasticus in bibliothecæ Regiæ ms. in *Expositione Grammaticæ*. Dionysii Thracis : Πρῶτον οὖν Σουσαρίων τις τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο, οὗ τὰ μὲν δράματα λήθῃ κατενεμήθησαν. In vetustissimo marmore Arundelliano : Ἀφ' οὗ

ἐν Ἀθήναις κωμῳδία πρῶτον ἐτέθη ἐπὶ σανίσι τῶν Ἰκαρίεων εὑρόντος Σουσαρίωνος. In Icario enim Atticæ populo inventam fuisse tradunt tum comœdiam tum tragœdiam veteres. Athenæus lib. II, cap. 3 : Ἀπὸ μέθης καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη. Unde apud Suidam : Θέσπις, Ἰκαρίου, πόλεως Ἀττικῆς, τραγικός. Apud Icarienses igitur Susarion comœdiam invenit, unde eum Clemens Icariensem vocat ; non quod in eo pago natus esset, aut ex Attica oriendus ; natus enim est in agro proximo Megarensi, ut ipse de se testatur in iambis qui etiamnum apud Diomedem Scholasticum supersunt, et in hunc modum corrupte in ms. leguntur :

Ἀκούετε λέξεως· Σουσαρίων τάδε λέγει,
Υἱὸς Φιλίνου γεγαρόθου Τριποδίσκος.

Scd pro γεγαρόθου Τριποδίσκος legendum procul dubio Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος, ut metri ratio postulat. Est autem Τριποδίσκιος vox gentilis. Stephanus, τὸ ἐθνικὸν βορμίσκιος, ὡς τριποδίσκιος, δωρίσκιος, lege δορίσκιος. Ut ipse alibi, τὸ ἐθνικὸν δωρίσκιος, ὡς δορμίσκιος, lege vicissim, βορμίσκιος. Unde autem Τριποδίσκιος clare docet idem Stephonus : Τριποδίσκος, καὶ Τριποδίσκοι κώμη τῆς Μεγαρίδος, ὁ πολίτης Τριποδίσκιος. Tripodiscus igitur in agro Megarensi pagus est : in quo qui natus est Τριποδίσκιος dicebatur. Sic igitur Susarionis iambos interpretor :

Audite dictum : Susarion hæc ait,
Filius Philini, e Megaride Tripodiscius

Ut autem Origenem Plotini condiscipulum Adamantium nostrum, et Sannyrionem comicum Susarionem comœdiæ inventorem fuisse temporum ratio non admittit ; ita si quid in epistolis fidem temporum revera pulsaret, Ignatium epistolicum non fuisse apostolicum illum libenter concederem.

Verum ut nihil certius scriptum aliquod spurium esse probat, quam fides temporum violata ; ita opera auctori alicui ascripta, sed posteriori aliquo sæculo a fictore conscripta, fere semper hac ipsa vatione se produnt, et ex violatione temporum suppositionis convincuntur. Edidit Leo Allatus Socraticorum epistolas, quas ab illis ipsis viris, quorum nomina præferunt, conscriptas fuisse dialogo satis prolixo vehementer contendit, sed frustra ; temporum enim ratio minime patitur. Ad unicum argumentum inde ductum de oratione Polycratis in judicio Socratis habita, cujus epistola 14 mentionem facit, ita respondet ut de anno quo Socrates mortuus est, veteribus omnibus litem moveat, nec tamen hilum proficiat. Omnia enim in ea epistola et sequenti ita concepta sunt, ut nulla temporis ratio habeatur, adeoque cuncta ficta esse dilucide appareat. Euclides et Terpsion queruntur Xenophontem, cum Socrates moreretur, non Athenis, sed Lacedæmone fuisse ; cum ille Lacedæmone tunc non fuerit, qui Athenis recta in Asiam ante mortem Socratis profectus est, nec nisi post sexennium in eam urbem venit. Et dum huic epistolæ Xenophon respondet, Platonis scripta sæpius suggillat, quod poetas non admiserit eum perstringit, cum ipse se talem in libris præstiterit ; imo sententiam ex epistola Platonis ad Dionysium Siciliæ tyrannum carpit ; quæ omnia diu post Socratis mortem evulgata sunt. Ita Xenophontis simius, cum vidisset in genuina illius epistola, cujus fragmentum apud Eusebium exstat, perstringi Platonem ob Σικελιῶτιν τράπεζαν, ipse etiam ea suggillavit quæ ad Siciliam spectabant ; sed dum epistolam statim post mortem Socratis scriptam fingit, et temporum rationem violat, et seipsum prodit. Præterea, Aristippus ad filiam suam epistolam 27 mittit, cum jam Siciliæ tyrannum ipse reliquisset, et jam in Lipara insula morti vicinus esset, filiamque monet ut Athenas proficiscatur, et cum Myrto et Xantippe sanctam vitam colat ; quasi tot annis post necem Socratis illæ duæ uxores in eadem domo viverent, et feminas philosophice instituerent ; cum Myrto, si unquam Socratis uxor fuerit, ante ipsum mortua sit. Allatius quidem 16 ad minus annos post Lachetis magistratum vixisse Socratem vult, sed contra omnium veterum sententiam. Demetrius Phalereus satis idoneus auctor apud Laertium, Diodorus Siculus, Aristides, quibus consentit antiquus ille in Marmore Arundelliano chronographus, Ἀφ' οὗ [μετανῆλθον οἱ μετ] ἀ Κύρου ἀναβάντες, καὶ Σωκράτης φιλόσοφ [ος ἐτ] ελεύτ [ησε βι] ο [ὺς] ἔτη ἑβδομήκοντα, ἔτει ρλζ', ἄρχον [τος] Ἀθήνῃσι Λάχητος. Optime certe ille sub eodem archonte ponit reditum eorum qui cum Cyro ascenderunt, et mortem Socratis. Xenophon enim, quo duce illi redierunt, ἀναβέβηκε σὺν Κύρῳ ἐπὶ ἄρχοντος Εὐαινέτου, ἐνὶ προτέρῳ ἔτει τῆς Σωκράτους τελευτῆς, « ascendit cum Cyro sub archonte Xenæneto, anno uno ante Socratis mortem, » ut ex veterum aliquo refert Laertius. Nihil igitur in historia videtur esse certius, quam illa omnium in re notissima sententia, Socratem sub archonte Lachete mortuum esse. Et fundamentum quo nititur Allatius, quod apud Platonem Socrates in *Dialogis* aliquoties de iis rebus loquatur, quæ diu post Lachetis magistratum contigerunt, infirmissimum est. Veritas enim chronologica ex Platonis *Dialogis* sumenda non est. Scitum est illud Macrobii *Saturnal.* lib. I, cap. 1 : « Annos coeuntium mitti in digitos, exemplo Platonis nobis suffragante, non convenit. » Eos certe Plato quasi colloquia habentes introducit, qui nunquam collocuti ; et ea nonnullos sæpe loquentes repræsentat, de quibus illi nunquam cogitarunt, et quæ scire minime potuerunt. Ἀναγνοὺς ὁ Γοργίας τὸν Πλάτωνος διάλογον πρὸς τοὺς παρόντας εἶπεν, ὅτι οὐδὲν τούτων οὔτε εἶπεν, οὔτε ἤκουσε παρὰ Πλάτωνος. « Gorgias eum Platonis dialogum legisset, iis qui aderant dixit, quod nihil horum aut ipse dixerit, aut a Platone audiverit. » Idem de *Phædone* tradit Athenæus ; etiam de Socrate Laertius ;

Φασὶ δὲ καὶ Σωκράτην ἀκούσαντα τὸν Λύσιν ἀναγι- A νώσκοντος Πλάτωνος, Ἡράκλεις, εἰπεῖν, ὡς πολλά μου κατεψεύδεθ' ὁ νεανίσκος, οὐκ ὀλίγα γὰρ ὧν οὐκ εἶπε Σωκράτης γέγραφεν ἀνήρ. « Ferunt etiam Socratem cum Platonem *Lysim* recitantem audisset, proh Hercules! exclamavisse, quam multa de me adolescentulus mentitus est? Non pauca enim ex his quæ Socrates nunquam dixit, vir ille litteris mandavit. » Cum igitur Socrates aliquando in dialogo Platonis introducitur de iis rebus disserens, quæ post magistratum Lachetis contigerunt, non potest inde colligi Socratem ea ætate in vivis fuisse, sed Platonem post mortem Socratis dialogum scripsisse, illique quos ipse voluit sermones tribuisse. Omnes igitur Socraticorum epistolas ab Allatio editas, cum aliunde, tum ex temporum ratione, B non ab iis quibus tribuuntur scriptas, sed ab aliquo philologo conflctas fuisse constat.

Quare cum scripta sub alienis nominibus edita, ac præsertim epistolæ, hoc modo prodere se soleant, non minimo argumento est, Ignatii nostri epistolas genuinas esse, quod nihil in illis reperiri possit, quod aliam seu posteriorem ætatem sapiat, quod post 10 Trajani annum scriptas fuisse evincat. Dallæus epistolas ipsas « accuratissime inspiciens, et diligentissime rimans, » nihil adhuc hujus generis, ut mox ostendemus, offendit. Quod si hic circumspectator cum emissitiis oculis tale nihil invenire potuit, metuendum non erit ne ab alio postea id fiat. Quibus ad sententiam nostram confirmandam prælibatis, ad ea aliquid reponendum C est, quibus probare nititur vir doctissimus, epistolas Ignatii Eusebio cognitas, et tot sæculis approbatas, nec ætati qua scriptæ, nec viri a quo editæ esse dicuntur, ingenio et moribus congruere.

Sed priusquam ad argumenta adversariorum ventilanda me accingam, non possum non observare Dallæum, qui Ignatium epistolicum in ipso operis sui limine quasi Geryonem depinxit, in disputando bicorporeum plane, vel tricorporeum apparere, et argumenta sua tum contra Eusebianas veteres epistolas, tum contra commentitias, et ipsas etiam interpolationes fabricari atque dirigere; adeoque non tantum adversus Usserium et Hammondum, sed et contra Baronium, Halloixium aliosque ex Latinis militare, nunc his, nunc illis alapam impingere. Hoc autem tam perplexe facit, ut et D lectorum oculis nebulam obtendat, et sententiæ nostræ sæpe insidias struat; dum Eusebianas, quas nostri genuinas esse contendunt, non aliis armis dejicere conatur, quam iis quibus interpolationes rejiciunt, et novas et commentitias epistolas respuunt. Profitetur ipse se « hoc Ignatianarum epistolarum negotium simul semelque totum tractare » velle, quod nos et ægre ferimus, et minime fieri debuisse contendimus. Hæc enim rerum confusa tractatio non tantum mihi negotium facessit cui perpetua distinguendi et genuina a spuriis discriminandi, hac præsertim posteriori *Vindiciarum* parte, necessitas incumbit, sed et lectori, qui sibi fucum fieri nolit, nimiam sollicitudinem creat, qui minus attente singula consideret, et rerum differentias semper observare aut non velit, aut non possit, manifestam præjudicii occasionem ministrat. Fatemur nos libentissime multa in spuriis epistolis, multa in interpolationibus et temporum fidem pulsare, et sancti Ignatii moribus repugnare et dictionem ejus minime referre. Neque aliter fieri potuisse putamus : imo inde argumentum ducimus satis apertum et efficax, quod, cum fictor aliarum epistolarum, et interpolator verarum uterque veri Ignatii simius, et pro suo modulo archetypum caute repræsentans, tam facile atque manifeste imposturæ teneatur, tam sæpe tempora confundat, tam aliena a martyris moribus tradat, auctor Eusebianarum vel eo ipso verus Ignatius appareat, quod tempora nunquam confundat, quod nihil ab Ignatio alienum doceat.

CAPUT II.

Argumentum Dallæi a tempore ductum refellitur. Ignatius nullum hæreticum nominavit. Cleobius, sive Cleobulus, primi sæculi hæreticus. Insignis S. Hieronymi locus fuse explicatur, et ab importunis Dallæi conjecturis defenditur. Ignatius non scripsit contra Theodotum, sed hæresim ejus in Ebione domnavit.

Ut ea quæ vir doctissimus adversus epistolas Eusebio cognitas ex ipsis observavit, nullam omnino ad earum auctoritatem imminuendam vim habere ostendam, eodem ordine quo ille perscripsit singulatim omnia persequar. Incipit autem ab argumento a tempore ducto, et capite 10 affirmat « non pauca passim occurrere quæ statam atque immotam temporum fidem, certissimum veritatis κριτήριον, graviter pulsant ac convellunt. » Ego vero e contrario assero, in fictis et interpolatis quamplurima, sed neque passim neque non pauca istiusmodi, imo plane ac prorsus nulla in epistolis quas nostri defendunt, reperiri. Sed « earum auctor de multis hæreticis atque hæresibus post martyris demum mortem exortis, passim loquitur. » Ita ille. Nos autem cum Eusebio antiquitatum ecclesiasticarum peritissimo fatemur, Ignatium aliquas hæreses perstrinxisse, sed eas tantummodo, quæ tunc temporis, cum ille scripsit, et antequam martyrium passus est, exortæ fuerant; idque verissimum esse contendimus. Rursum, « quosdam, inquit, ejus commatis nominat diserte, et quos non nominat, eorum tamen dogmata ita plane ac perspicue interdum exponit, ut quos intelligat dubitari non possit. » Nos utrumque libere et aperte falsum esse dicimus : et hucusque assertionum nuda contentio est ; ait ille, nos negamus.

Priorem ordinem unico hoc argumento probare nititur : Epistolarum auctor « Basilidis, Theodoti et Cleobuli edit nomina in epistola ad Trallianos. At hos tres post Ignatii martyrium erupisse certo constat. » De hæreticorum horum ætate nunc non disputo, de Basilide postea acturus ; illud tantum

inpræsentiarum moneo, quod huic argumento refellendo abunde sufficiat, auctorem epistolarum hæreticorum neminem nominare voluisse,ab eorum omnium nomenclatura de industria abstinuisse. Ita enim ipse loquitur de hæreticis ad Smyrnæos scribens : Τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι· ἀλλὰ μηδὲ γένοιτό μοι αὐτῶν μνημονεύειν μέχρις οὗ μετανοήσωσιν. Vetus interpres : « Nomina autem ipsorum exsistentia infidelia non visum est mihi inscribere : sed neque fiat mihi ipsorum recordari usque quo pœniteant. » Quod animi propositum religiose in reliquis etiam epistolis conservavit, adeo ut nullius unquam hæretici hominis nomen ediderit. Auctor certe epistolæ ad Trallianos, ὁ δημιουργὸς τῆς θεσπεσίας ἐπιστολῆς, ut loquitur Synesius, Basilidem, Theodotum aut Cleobulum nunquam nominavit, sed interpolator ; « omnis autem interpolatio posterior credenda est, » ut loquitur Tertullianus. Eorum nomina in laciniis illius epistolæ inter miniata reperiuntur ; in codice Florentino,et Latino interprete sincero non apparent ; ad Baronium fortasse et Halloixium, ad nos non omnino pertinent.

Atque hæc ad 10 caput responsio sufficere posset, nisi cum illa verba ex « suo Ignatii simio » ad Trallianos adducit : « Fugite etiam ipsius nequissimi nepotes, Theodotum et Cleobulum, » occasionem arriperet Usserium etiam et Hammondum suggillandi. « Ceobulum, inquit,istum sua obscuritas ita tegit, ut argui non possit. » Imo vero adeo perspicuum est Cleobulum illum inter vetustissimos hæreticos a SS. Patribus esse recensitum, ut si eum nominasset ipse auctor epistolæ ad Trallianos, nulla inde ei de antiquitate lis moveri posset. Cleobulus enim, sive Cleobius, Simonis discipulus fuit ; unde Cleobiani cum Dositheanis et Gorthenis aliisque antiquissimis hæreticis numerati sunt. B. Theodoretus *Hæret. fab.* lib. I, cap. 1, de Simonianis : Ἐκτῆσδε τῆς πικρότατης ἀνεφύησαν ῥίζης Κλεοβανοὶ [lege Κλεοβιανοὶ] Δοσιθεανοὶ, Γορθηνοὶ, Μασβόθεοι, Ἀδριανισταὶ, Εὐτυχηταὶ, Κανισταί. Et lib. II, c. 1, ubi testatur Deum zizaniorum magnam partem in triticum convertisse, hæc habet : Καὶ μαρτυροῦσι καὶ πόλεις καὶ κῶμαι καὶ τῶν Σίμωνος καὶ τῶν Μενάνδρου, καὶ Κλεοβίου, καὶ Δοσιθέου, καὶ Γορθέου, καὶ Ἀδριανοῦ, καὶ Σατορνίλου, καὶ Βασιλίδου, καὶ Ἰσιδώρου, καὶ Καρποκράτους, καὶ Ἐπιφάνους, καὶ τῶν ἄλλων ἁπαξαπλῶς τῶν τοιούτων ζιζανίων ἀπηλλαγμέναι. Auctor *Imperfecti operis in Matthæum*, homil. 48 : « Venerunt enim Dositheus et Simon et Cleonis [*lege* Cleobius]. Hæc illi ex antiquissimo rerum ecclesiasticarum scriptore Hegesippo, apud Eusebium lib. IV, c 22, qui Cleobium hunc in prima hæreticorum classe collocat : Ἀφ' ὧν Σίμων, ὅθεν Σιμωνιανοὶ, καὶ Κλεόβιος, ὅθεν Κλεοβιανοὶ, καὶ Δοσίθεος, ὅθεν Δοσιθεανοί. Cleobius igitur Simoni synchronus ipso Ignatio martyre antiquior fuit. Sed « ut hunc Cleobulum eumdem, inquit, cum Cleobio illo fuisse putemus, cujus fit aliquoties apud scriptores mentio, nihil, ut opinor, cogit. » Imo vero cogit illustris locus Epiphanii hæresi 51 : Ἔνθεν καὶ οἱ περὶ Κήρινθον καὶ Ἐβίωνα ψιλὸν τὸν ἄνθρωπον κατέσχον, καὶ Μήρινθον, καὶ Κλεόβιον εἴτουν Κλεόβουλον, id est, « et Cleobium sive Cleobulum. » Hæc enim satis aperte ostendunt eumdem hæreticum ab aliis Cleobium,ab aliis Cleobulum nominari solitum,ut eumdem hæreticum alii Saturnilum,alii Saturninum vocabant. Hunc autem Cleobium,sive Cleobulum cum Ebione et Cerintho Christum nudum hominem prædicasse docet Epiphanius : et eamdem hæresim Theodotum docuisse noscitur, cui Cleobulum adjungit interpolator. Sua igitur Cleobulum obscuritas non tegit.

De Theodoto autem miniato, qui ad nos nihil, miras nobis difficultates creat et turbas concitat. Nam quod eum ad a. D. 194 refert, quid ad nos, qui interpolatorem aliquot post sæculis natum putamus ? Quod clamat Usserium « eo ducere, ut Theodadem pro Theodoto,præter omnium codicum Græcorum Latinorumque fidem,reponamus, » magnam viro integerrimo injuriam facit. Usserius certe interpolatoris defensionem non suscepit,quem ipse primus detexit et confixit ; neque quidquam contra codicum fidem fecit,sed pro singulari qua uti solebat diligentia, codicem Baliolensem, non Theodotum, sed Theododum habere indicavit, quod commune aliquid cum Θεδαδι habere tantummodo monuit. Iniquissimæ igitur sunt vociferationes et calumniæ, quibus virum accuratissimum onerat.

Sed «movet» virum doctissimum «Hieronymi locus contra Helvidium disputantis, diserte Ignatium inter apostolicos scriptores primum recensentis qui adversus Ebionem, et Theodotum Byzantium, et Valentinum scripserunt. » Caute hæc primum, et indefinite : movet hominem, sed quo,non ostendit ; ut quid putet non addit ; quid inde colligat,nos latere voluit. An movet ut Ignatium inter apostolicos scriptores non numeres,cum Hieronymus ipse eum diserte inter eosdem numeret ? An movet ut existimes interpolatorem nomen prodidisse Theodoti Ignatio junioris, quod nemo nostrum negat ? An movet Hieronymus ut hoc putes, qui interpolatorem, utpote se multo juniorem nunquam vidit ? Utcunque sit,undecunque aut quocunque moveatur Dallæus, et Usserius et Hammondus vapulat. Prior, quod « videatur Hieronymum capere non de epistolis,sed de alio aliquo Ignatii opere quod illius ævo exstiterit, nostro desideretur. » At Usserius de tali opere nihil tantummodo ait, id quod verissimum esse omnes concedent : « Si Theodoti Coriarii in aliquo opere nomen Ignatii præferente facta fuerit mentio, manifesta ψευδογραφίας ex ipsa temporum convincatur ratione. » Non asseruit tale opus Hieronymi ætate exstitisse, non alios Ignatio libros affinxit Usserius, ut frustranea plane sit tota hæc adversus eum instituta disputatio. Et cum errores Theodoti in his epistolis apertissime refutari ait, ne id quidem quisquam negat. Nulli autem alii errores Theodoti in illis refutantur, nisi qui ad Ebionæos perti-

nebant, et Ebionem simul cum Theodoto nominat Hieronymus : nec in hoc capite de hæresi quæritur, sed de hæretico, quem ab Ignatio nominatum aut refutatum negamus. Hæresis Theodoti in Ebione et Cerintho refutata est, Theodotus ipse in genuinis epistolis intactus est.

« Hammondus vero confitetur non necesse esse ut Ignatius adversus Valentinum aut Theodotum volumina nova scripsisse dicatur. » Recte hæc ille quidem, non ut Usserio contradiceret, qui illud necesse esse nunquam dixit, sed ut Hieronymum interpretaretur, cujus verba non conjuncte, sed divisim intelligenda esse censuit : idque rectissime observatum esse liquet, si de scriptis non tantum adversus hæreses, sed et ipsos hæreticos intelligatur. Neque enim Polycarpus contra Valentinum, neque Justinus, vel Irenæus, quantum scimus, contra Theodotum, expresse scripsit ; certe quatuor illos omnes apostolicos viros adversus tres illos hæreticos diserte non scripsisse constat ; et inde recte colligitur ad Hieronymi mentem satis esse ea quæ Ignatius in epistolis contra Ebionem et Gnosticos scripsit, etiamsi nihil adversus Valentinum et Theodotum scripserint. Ita quidem sensit Hammondus ; « ille vero fallitur, inquit Dallæus, et rationem statim reddit, nam nisi Ignatius contra Theodotum scripsisse intelligatur, liquido falsum erit quod ait Hieronymus. » Mira hæc assertio ; sed et ratione sua quali quali non caret. « Nemo enim apostolicus contra eum scripsit, non Polycarpus, ac ne Irenæus quidem aut Justinus, aut quisquam ejusdem census alius, ut plane necesse sit ad Ignatium referri quæ de Theodoto dicit Hieronymus. » Sed et mihi pariter disputare licet. Nemo apostolicus contra Theodotum scripsit, non Ignatius martyr, non Justinus, aut Irenæus, ut necesse sit ad Polycarpum referri quæ dicit Hieronymus. Ita de Justino, ita de Irenæo. Ut hæc omnia recte intelligantur, et disputationis Dallæanæ imbecillitas appareat, locus Hieronymi omnino recitandus est, quem ille caute prætermisit. Verba ejus adversus Helvidium hæc sunt : « Nunquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum martyrem, multosque alios apostolicos et eloquentes viros qui adversus Ebionem et Theodotum Byzantinum [et Valentinum] hæc eadem sentientes plena sapientiæ volumina conscripserunt? quæ si legisses aliquando, plus saperes. » Non tantum quatuor enumerat Hieronymus, sed et « multos alios apostolicos et eloquentes viros » adjicit, imo « totam veterum scriptorum seriem » advocat, quorum si unus aliquis adversus Theodotum expresse scripserit, non necesse est, ut id Ignatium fecisse putaverit Hieronymus, magis quam Polycarpum, aut Justinum, aut Irenæum, quorum neminem id fecisse fatetur vir doctissimus. Sed et huic etiam objectioni aliquatenus occurrit. « Quomodo, inquit, vel Polycarpus, vel Justinus, vel apostolicorum quisquam contra Theodotum scribere poterant qui diu post eorum mortem exortus est, sub Victore episcopo Romano, id est circa a. D. 200, quo tempore incredibile est quemquam eorum vixisse, qui apostolos viderant, omnes ante a. D. 100 mortuos. » Ubi primo apostolicos viros habet pro iis tantum qui apostolos viderant, quod est a mente Hieronymi prorsus alienum. Cum enim Justinum et Irenæum aliosque apostolicos advocat, eos ipsos sine dubio pro apostolicis habuit : at neque Irenæus, neque Justinus apostolum ullum vidit. Ita etiam et alii loquuntur, ut Theodoretus *Hæret. fab.* lib. I, c. 2 : Καὶ Εἰρηναῖος, οὗ καὶ πρόσθεν ἐμνήσθημεν, ἀποστολικὸς δὲ καὶ οὗτος ἀνήρ, « et Irenæus, cujus supra meminimus, vir idem quoque apostolicus : » et rursus cap. 5 : Εἰρηναίου τοῦ τὴν Ἑσπέραν φωτίσαντος ἀνδρὸς ἀποστολικοῦ παραθήσομαι μαρτυρίαν, « Irenæi viri apostolici, qui Occidentem illustravit, proferam testimonium. » At Irenæus aliquot annis post a. D. 200, mortuus est, ut nec S. Joannem viderit ante a. D. 100 defunctum. Non igitur ideo Theodoretus Irenæum virum apostolicum appellavit, quod apostolum aliquem in terris viderit, sed quod esset, ut ipse alibi cum Epiphanio loquitur, τῶν ἀποστόλων διαδοχος, ut S. Basilius de Spiritu sancto cap. 29, ἐγγὺς ἀποστόλων γενόμενος, ut S. Augustinus, non longe a temporibus apostolorum. Vocat eum quidem Hieronymus, ut hic, virum apostolicum, ita alibi, virum apostolicorum temporum, non quod ipsos apostolos viderit, sed apostolorum discipulos. Ita enim loquitur epistola 19 : « Irenæus vir apostolicorum temporum, et Papiæ, auditoris evangelistæ Joannis, discipulus. » Ita Hegesippus Photio dicitur ἀρχαῖος ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός, cod. 232, qui Eusebio perhibetur ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν ἀποστόλων γενόμενος διαδοχῆς, et sub Eleutherio scripsisse noscitur. Revera antiquis apostolici dicebantur duplici ratione, tum ætatis respectu, tum doctrinæ ; respectu ætatis etiam ii dicebantur apostolici, qui cum apostolis vixerint, licet ab eorum doctrina dissentirent, ut Tertullianus loquitur adversus Hermogenem c. 1 : « Nec ipse apostolicus Hermogenes in regula perseveravit ; » illi autem præcipue, qui doctrinam ab apostolis receperunt, et in ea perstiterunt, ut idem *De præscript. hæret.* cap. 32 : « Ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem ; » et paulo post : « Ipsa doctrina eorum cum apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua neque apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici : quia sicut apostolici non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria apostolis docuissent. » Respectu doctrinæ, illi etiam apostolici dicebantur, qui apostolorum fide maxime fleruerunt, licet apostolos ipsos non audiverint, quales erant, forte Papias, Hegesippus certe et Irenæus : unde apud S. Athanasium hæretico simpliciter opponitur ὁ πιστὸς καὶ ἀποστολικὸς ανήρ, quacunque ætate vixerit, tom. I, pag. 275, ut eadem

fuerit inter viros apostolicos distinctio quæ inter ecclesias apostolicas fuit. Aliæ enim ecclesiæ apostolicæ dicebantur, quod ab apostolis ipsis, aut apostolicis viris fundatæ sint, aliæ quod eum postea exortæ sint, cum illis apostolicis in doctrina convenirent. Tertullianus *De præscript. hæret.* cap. 20 : « Apostoli ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant; ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. » Idem cap. 32 : « Hoc modo ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem; perinde utique et cæteræ exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habent. » Et paulo post : « Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, tamen in eadem fide conspirantes non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. » Ut igitur ecclesias apostolicas, quæ post apostolorum tempora exortæ sunt, ita et viros apostolicos nominabant, qui apostolos nunquam viderunt : et quod ad Hieronymum spectat, mirum non est, eum ita locutum esse, si verba Ruffini in secunda *Invectiva* perpendamus : « Si tu Origenem, quem alterum post apostolos dicis, recte facis imitari, quid concidis eum, qui secutus est, Didymum; quem nihilominus et prophetam nominas, et apostolicum virum designas? » et paulo post : « Quem apostolicum virum sensuum nomine designas. » Quamvis igitur neque Ignatius aut Polycarpus, qui apostolos viderant, neque Justinus aut Irenæus, qui alia ratione dicti sunt apostolici, id non fecerint; tamen inter alios multos apostolicos et eloquentes viros poterat aliquis Theodotum expresse refutare, quod ad mentem Hieronymi satis est, si de hæretico ipso refutato loquatur; unde quod de Theodoto dicit, nec erit apertissime falsum, nec de Ignatio sumendum.

Jam vero sibi ipsi Hieronymum tam mire interpretandi objicit, hoc Ignatio non competere (ut scilicet contra Theodotum scriberet) annis fere 100 ante mortuo quam Theodoti hæresis nosci cœpisset, sibique hæc objicienti respondet, hoc martyri quidem Ignatio non convenire, de nostro epistolico verum esse, eumque hoc loco ab Hieronymo intellectum esse. At si Hieronymus hoc loco intellexit Ignatium epistolicum, certe intellexit martyrem neminem enim alium novit ille epistolicum, quam apostolicum et martyrem. Hoc ipso loco non tantum inter apostolicos numerat, sed et dum veterum seriem recitat, primo loco Ignatium, non tantum ante Irenæum et Justinum, sed et ante Polycarpum ponit. Idem igitur Hieronymo, ut et nobis, et epistolicus, et apostolicus, et martyr Ignatius. Neque hæc negare potuit vir doctissimus qui hanc distinctiunculam excogitavit, atque ideo falsum fuisse Hieronymum confitetur; ut enim habeamus falsum Ignatium, necesse est ut falsum habeamus Hieronymum. Ne verus sit Ignatius, falsus est Dallæo Polycarpus, falsus Origenes, falsus Eusebius, falsus denique et Hieronymus. Sed quare falsum esse confitetur? « Quod hunc suum Ignatium, diu post apostolos et apostolicos viros natum, apostolicis hominibus connumeravit. » unde tam crassus error doctissimo et in Ecclesiæ monumentis versatissimo Patri insedit! *ex præcepto de Ignatianis errore ab Eusebii lectione hausto.* At neque Eusebium errasse constat, neque Hieronymus solum Eusebium secutus est. Legit Polycarpum atque Irenæum, quos Eusebius sequebatur, quosque ipse apostolicos appellat; legit Theophilum, cujus sententiam ex Ignatio decerptam auctori suo reddidit; legit Origenem, qui non semel Ignatium epistolicum ut apostolicum laudat, imo opus Origenis ipse interpretatus est, in quo idem diserte Ignatius citatur; legit Athanasium, Basilium, alios qui Eusebii errores sequi non solebant; neminem legit aut novit, cui epistolæ Ignatii essent vel levissime suspectæ. Si falsus fuerit Hieronymus, error ejus toti orbi communis iniquissime Eusebio tribuitur; præsertim cum constet Hieronymum hæc adversus Helvidium scripsisse, diu antequam sua de Ignatio in Catalogo ex Eusebio transcripsit.

Sed sive vere, sive falso hoc loco Hieronymum epistolas Ignatio ascripsisse velit, an in aliis Theodotum ita refutari vidit, ut inde commentitium fuisse Ignatium facile colligere potuisset? Ita quidem sentit vir doctissimus, sed levissima conjectura percitus, ratione nulla ductus. Non enim Theodoti nomen ita legisse, ubi nos legimus, putat Hieronymum; insertum illud epistolæ ad Trallianos ab interpolatore, diu post ætatem Hieronymi, non diffitetur, aut saltem diu post librum illum *adversus Helvidium*, qui sub Damaso scriptus est : nihil in illa epistola, cui nomen postea Theodoti insertum est, illius hæretici errores perstringit. Sed et alia, et illa adversus Theodotum disertissima legerat, quæ ex epistolis ad Ephesios et Magnesios descripsit Dallæus, inde igitur colligere debuit Hieronymus verum Ignatium non fuisse, qui post Theodotum scripserit. Imo vero hoc argumento tam infirmo, tam nullo, iniquissime sanctus Pater falsitatis postulatur, cum ea quæ ante ex epistolis ad Ephesios et Magnesianos descripsit Dallæus capite 9, Artemonis blasphemiam splendide confutare ipse dixerit. Et revera tam contra Artemonem quam contra Theodotum scripsit Ignatius noster, id est, si personas hæreticorum spectes, contra neutrum; si hæresim ipsam utrique communem contra sententiam utriusque, et ideo aliquo vero sensu contra utrumque. Hæresis enim eadem Ignatii ævo exstitit ab Ebione profecta, et ab ipsius discipulis, et Nazaræis, atque Cerintho defensa, a Theodoto et Artemone postea resuscitata. Ταύτης δὲ τῆς φάλαγγος ἦρξεν Ἔβίων, « Hujus autem catervæ princeps fuit Ebion, » ut loquitur Theodoretus.

Si igitur Hieronymus in Ignatio nostro non pauca contra Theodoti hæresim disertissima notasset,non potuisset nisi ineptissime inde colligere, auctorem epistolarum post Theodotum vixisse ; quia ipse optime novit quæcunque contra Theodoti hæresim ex illis epistolis observare potuit, ea omnia adversus Ebionem dici potuisse: at scribere aliquis potuit adversus Ebionem, licet post Theodotum non vixerit. Ut alibi igitur Ebionem et Photinum conjungit,tanquam eadem sententia apostolica perculsos, ita hic Ebionem et Theodotum, tanquam ab iisdem Patribus refutatos.

Frustra igitur in hoc argumento nec sine summa injuria notat acerbissimus Patrum censor, « interdum Hieronymum naturali quadam ingenii vehementia abripi, et quædam non satis accurate expensa effundere, cum nihil in hac re appareat quod cum videatur abripere, aut quoquo modo commovere; nihil ab eo dictum sit, quod non sit veritati consentaneum ; nihil quod ejusdem sententiæ aliis locis patefactæ contrarium sit. Quod si hæc observatio de vehementia ingenii Hieronymiani admitti aliquando debeat,tunc potiore jure usurpari potest, cum adversus diaconos Ecclesiæ Romanæ lacessitus scribit,cum ut eorum dignitatem imminuat tam multa de presbyteratus auctoritate congerit,cum,ut eam stabiliat, æqualem pene ipsi episcopali potestati statuere censetur : quæ interpretatio sententiæ Hieronymianæ eum maxime inconstantem, et suis scriptis contraria effundentem repræsentat. Si unquam *igitur*, in hac ipsa controversia de distinctione sacrorum ordinum, liceret dicere Hieronymum naturali quadam ingenii vehementia abripi, et quædam non satis accurate expensa effundere : quæ responsio si et satis congrua et valida reputetur ; non erit opus quidquam addere ad convellendum sententiæ Blondellianæ fundamentum. Cum autem hanc acerbissimam censuram de abreptione Hieronymi veram esse contendit,quod hic scribat, multos apostolicos viros adversus Theodotum Byzantinum scripsisse, cum temporum ratio evincat nulli apostolico notum esse potuisse Theodotum, fugit eum omnino ratio. Non enim multos tantum apostolicos viros, sed et eloquentes dixit Hieronymus,ut lib. 1 *adversus Jovinianum :* « Ad hos et Clemens successor apostoli, cujus Paulus apostolus meminit, scribit epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit ; et deinceps multi apostolici et martyres et illustres tam sanctitate quam eloquentia viri, quos ex propriis scriptis nosse perfacile est ; » neque contra Theodotum solummodo scripsisse ait, sed contra Ebionem (nam de Valentino silent mss. quamplurimi atque inter eos Cantabrigienses duo) non minus quam Theodotum ; neque tam eorum personas quam sententiam respexisse censendus est, qui in eadem consentiebant ; neque denique verum est, nulli apostolico notum esse potuisse Theodotum. Quam diu enim ante Victorem hæresin suam prodidit Theodotus,compertum non est : postquam autem a Victore excommunicatus est, viris apostolicis notus esse potuit ; apostolici enim dicebantur, qui apostolica doctrina imbuti sunt, etiam qui proxima post apostolos ætate nati sunt. Certe Irenæo notus esse potuit, imo ignotus ei esse non potuit,qui sub Victore maxime floruit, et post Victorem mortuus est, et tamen a SS. Patribus vir apostolicus dictus est, et quidem ab ipso Hieronymo. Ita enim ille, ad Isaiæ cap. 64 : « De quibus diligentissime vir apostolicus scribit Irenæus,episcopus Lugdunensis, et martyr. »

Capite 11 ad secundum ordinem hæreticorum progreditur, asseritque Ignatium nostrum alios etiam post veri Ignatii mortem exortos hæreticos tetigisse, licet non nominatos. Respondeo primo generatim scripsisse Ignatium (quod observat verissime Eusebius) adversus hæreses suo tempore grassantes, et ut ab iis caverent, ecclesias omnes, ad quas martyrio proximus epistolas exaravit,opportune admodum admonuisse atque præmunivisse. Eædem autem hæreses, quæ illius ætate in Syria vel ecclesiis finitimis exortæ sunt, sub aliorum nominibus in iisdem vel aliis terrarum oris, sæculis sequentibus, repullularunt. Ea igitur quæ ab Ignatio contra sui temporis Heterodidascalos scripta sunt, ad sententiam alicujus hæretici qui diu post martyris passionem natus sit, refutandam opportunissima esse potuerunt ; non quod auctor epistolarum ipsum hæreticum posteriorem noverit, sed quod eumdem errorem,quem posterior secutus est, in priori condemnaverit. Qua unica observatione præmissa, facile particularia objecta refelluntur.

Duo Saturnini dogmata respexisse Ignatium epistolicum vult, unum de matrimonio, alterum de Jesu putativo, ideoque post ea a Saturnino publicata viaisse, et Ignatium martyrem esse non posse. Sed Saturnini dogma de matrimonio in genuinis epistolis non habetur ; ex assumentis,quæ repudiamus, depromitur. Alterum Jesu putavivo, a Saturnino primo proditum non est. Etiamsi igitur auctor epistolarum contra hanc hæresim,quam tuebatur Saturninus, scripserit, non inde tamen sequitur eum vel Saturninum novisse, vel contra, vel post eum scripsisse ; quia eadem fuit hæresis Menandrianorum, quorum quamplurimi Saturnino seniores erant. Imo ipse Saturninus a Menandro hausit. Irenæus lib. 1, c. 22 : « Saturninus quidem similiter ut Menander, etc. » Epiphanius diserte : Μετὰ τοῦτον Σατορνῖλός τις ἀνέστη, καὶ αὐτὸς ἐκεῖθεν τὰς ἀφορμὰς, ἀπὸ Μενάνδρου φημὶ, καὶ τῶν πρώτην λαβών. Menandriani autem et Simoniani omnes Christum putative hominem fuisse, et putative tantum passum docebant ; a Simone, scilicet, edocti, qui Judæis, seipsum Filium esse dixit, παθόντα δὲ μὴ πεπονθέναι, ἀλλὰ δοκήσει μόνον, ut idem refert Epiphanius. Menander autem multos, teste Justino martyre, Antiochiæ seduxit, quos ignorare Ignatius noster non potuit. Imo ex Antiochia fuit ipse

Saturninus, teste Irenæo, de cujus ætate, ubi opus fuerit, latius disseremus.

Mox duos ex epistola ad Philippenses locos adducit, manifeste, ut ait, pulsantes Praxeam, præter eos quos antea adduxerat : erant autem etiam ii ex eadem epistola, aut illa ad Tarsenses. Nos autem neutram defendimus, utramque manifestissime commentitiam profitemur.

Denique Theodotum Coriarium iterum adducit, ac si epistolarum auctor eum etiam novisset, quod etiam in Usserianis illius blasphemia refutata sit. Et quidem blasphemiam, quam Theodotus defendit Ignatium Usserianum refutasse concedo ; Theodotum novisse rursus pernego. Dallæus ipse dubitanter hæc proponit : « Si vera sunt, inquit, quæ Caius, sive alius apud Eusebium scriptor vetustissimus dicit, » Theodotum, scilicet, primum asseruisse Christum fuisse nudum hominem ; ipse enim optime novit hæc, si stricte sumantur, vera non esse ; novit alios quamplurimos diu ante Theodotum, non paucos etiam ante Ignatium, eamdem hæresim promulgasse, quorum catalogus apud Epiphanium legitur. Sed scriptorem illum antiquissimum vocat ; dabimus igitur illi σύγχρονον Tertullianum, « Cerinthus Christum hominem tantummodo sine deitate contendit. » Et rursus : « Poterit hæc opinio Ebioni convenire, qui nudum hominem constituit Jesum. » Hæc ille libro *De carne Christi*. Dabimus Caio antiquiorem Irenæum, qui lib. I, c. 25, de Cerintho hæc habet : « Jesum autem subjecit non ex Virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est), fuisse autem eum Joseph et Mariæ filium, similiter ut reliqui omnes homines. » Idem capite sequenti : « Qui autem dicuntur Ebionæi, consentiunt quidem mundum a Deo factum ; ea autem quæ sunt erga Dominum, non similiter [*lego* consimiliter] ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. » Ne autem emendationi nostræ inniti nimium videamur, idem lib. IV, c. 58 : Ἀνακρινεῖ δὲ καὶ τοὺς Ἐβιωναίους, Πῶς δύνανται σωθῆναι, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἦν ὁ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν ἐπὶ γῆς ἐργασάμενος· ἢ πῶς ἄνθρωπος χωρήσει εἰς Θεὸν, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἔχωρήθη εἰς ἄνθρωπον. Vetus interpres : « Judicabit autem et Ebionitas, quomodo possunt salvari, nisi Deus est, qui salutem eorum super terram operatus est ? Et quemadmodum homo transiet in Deum, si non Deus in hominem ? Non autem Ebion tantum diu ante Ignatii martyrium vixit, sed et Cerinthus, qui S. Joanni notus fuit. Quod si interpolator illustrare et amplificare studens ea quæ adversus Ebionitas et Cerinthi discipulos scripta sunt, ad Theodotum eamdem hæresim resuscitantem referenda censuit ; an igitur putavit Theodotum primo epistolarum scriptori notum fuisse ? Illud omnino non sequitur : multa enim ipse inseruit, quæ ad ætatem primi scriptoris referre nullo modo potuit. Quod si ita existimasset planus ille, ad nos nihil ; satis enim est ad tuendam primi scriptoris antiquitatem et ab impostoris illius jam tandem ficta opinione vindicandam, quod quæ primo scripserat, directe hæresim ferirent Ebionis et Cerinthi, aliorumque seipso antiquiorum, aut sua ætate, post omnium apostolorum mortem, eamdem liberius disseminantium.

CAPUT III.

Argumentum a Valentini Sige ductum proponitur. Introductoriæ Dallæi conjecturæ refelluntur. De varia lectione frustra ambigitur. Interpolatoris prudentia perperam advocatur. Mala fides Petavio immerito ascribitur. Irenæi silentium Eusebii silentio expungitur.

Leviora hæc quidem sunt, et omnibus, opinor, videntur ; sed major nobis capite 12 difficultas oritur ex loco, quem ad Valentinum spectare, et fidem temporum violare manifeste volunt ; in quo Salmasius et Bloudellus, ante Dallæum, desudarunt. Exstat ille quidem in epistola ad Magnesianos, et in codice Mediceo in hunc modum concipitur : Εἷς Θεός ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Interpres Usserianus : « Unus Deus est, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum, non a silentio progrediens. » Interpolatoris autem paraphrasis ita se habet : Εἷς Θεός ἐστιν ὁ παντοκράτωρ, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος οὐ ῥητός, ἀλλ' οὐσιώδης· οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή. Interpres vulgatus : « Unus est Deus omnipotens, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius, non prolativum, scilicet, sed substantiale ; non locutio articulatæ vocis, sed operatio Deitatis, substantia, scilicet, genita. »

De his verbis quid judicet dicere voluit vir doctissimus antequam argumentum ipsum explicare ac tueri aggrederetur ; sed pro judicio suo inanissimam conjecturam protulit. « Nemo, inquit, tantam inter Ignatianos codices diversitatem casu accidisse censebit : » sine dubio nemo. Quisquamne tam fungus est, ut putet, ab « antiquariorum, alias pro aliis litteras aut voces scribentium, negligentia vel errore simplici, » ex tribus vocabulis duas integras lineas et verbis et syllabis et litteris, maxime diversas natas esse ? Quisquamne tam fatuus, ut in his præsertim epistolis, quibus interpolator, non tantum sententias aliquot, sed et integras aliquando paginas inseruit, eum insignem aliquam diversitatem animadverterit, de antiquariorum negligentia aut errore cogitet ? Quorsum, quæso, hæc cautio ? Nempe, si hoc casu non accidit, « nemo negabit consulto, et ob aliquam rationem ab interpolatore mutatum fuisse hunc scriptoris sermonem. » Imo vero licet casu non acciderit, ita tamen consulto factum esse, ut ratio aliqua peculiaris interpolatorem ad ea potissimum verba mutanda impulerit, non sequitur : ipsa generalis interpolandi paraphrasticeque omnia pene exponendi ratio, ut alibi, etiam

et hic sufficit. Ex omnibus interpolationibus nulla casu facta est : sed qui singularum rationem aliquam peculiarem reddiderit magnus certe Apollo erit. Mutat impostor ille pro libitu omnia : nunc phrases obscuriores plane omittit, nunc aliis planioribus exprimit, nunc planissimas aliter refert, nunc Scripturæ loca interserit, nunc sui temporis consuetudines infercit, nunc suas sententias aliquando longiores ῥήσεις Ignatio supponit ; ita Ignatiana omnia illustrare et amplificare studens sua fecit. In hac ipsa epistola ad Magnesianos libidini suæ tantopere indulsit, ut vix tres aut quatuor versus invenias, in quibus nihil immutavit : ut mirum non sit, si omnino frustra causæ aliquæ præsertim subtiles harum immutationum quærantur. Pro θεοπρεπεστάτου scribit θείου καὶ ποθεινοῦ, cum tamen eam vocem alibi retinuerit ; pro διαφυγόντες Θεοῦ τευξόμεθα, habet tantum διαφεύξεσθε ; pro συγχρᾶσθαι, καταφρονεῖν ; pro κατὰ δύναμιν, μετὰ γνώμην ; pro οὐ προς σάρκα ὁ Λόγος, ἀλλὰ πρὸς Θεόν, scribit οὐ πρὸς ἄνθρωπον, ἀλλὰ πρὸς Θεὸν ἔχει τὴν ἀναφοράν ; pro κατὰ μηδεμίαν ὑπόκρισιν, κατὰ μηδὲν αὐτῷ ἀντιλέγειν ; pro ἕκαστος εἰς τὸν ἴδιον τόπον, ἕκαστος τῶν ἡρημένων εἰς τὸν τόπον τοῦ εὑρεθέντος ; totum denique locum de duobus nummis ita interpolavit, ut ne duo quidem Ignatii vocabula apud eum simul reperiantur. Quænam autem horum aliorumque ejusdem farinæ quamplurimorum ratio reddi potest, nisi quod melius se scribere potuisse putavit planus ille, quam scripserat Ignatius.

Sed cur hæc potissimum mutanda existimaverit interpolator, in promptu est viro doctissimo ratio non obscura. « Is enim veritus est ne ista si legerentur, epistolas non Ignatii, sed alterius recentioris esse proderent. » O præclarum interpolatoris ingenium ! o emunctam narem ! o subactum judicium ! Quod Origenes, quod Eusebius, quod Dionysius et ipse planus, quod Athanasius, Hieronymus, Theodoretus, Gelasius videre non potuerunt, ille statim odoratus est, has scilicet epistolas Ignatii martyris esse non posse, a recentiore aliquo impostore fictas esse, sua ope indigere, ut pro vere Ignatianis habeantur. Quomodo autem hæc deprehendisse putatur ? « Vidit istam Verbi, scilicet, a Sige emanationem Valentinum Ignatio recentiorem olere ; eo delendam putavit, ne personati Ignatii drama proderet. » Callidum sane et importune prudentem virum hæc arguunt ; sed videndum omnino an eo interpolatori competant. Quid enim ? an ille cavit ne aliquid in illa epistola reperiretur, quod ætatem Valentini sapere videretur, qui omnes fere epistolas ita transmutavit, ut sui temporis more modoque loquerentur, et tria post Valentinum sæcula saperent ? An ille metuit ne ætatem Ignatii epistolici proderet, qui ista eum ad Philadelphenos scribentem repræsentat : « Presbyteri, diaconi et reliquus clerus, una cum populo universo, militibus, magistratibus et Cæsare, ipsi episcopo obediant, » quæ scripta non fuisse antequam Romani Cæsares Christiani facti sunt, viderunt Turrianus et Leibius Vedelius, Usserius et Dallæus ? An ille veritus est ne obliqua aliqua verba, ad Valentinum forte ex ejus sententia spectantia, Ignatii omnes epistolas suspectas redderent ; qui Theodoti nomen in epistola ad Trallianos exprimendum putavit, quem tam diu post Valentinum vixisse omnes norunt ? Recolantur verba quæ Dallæus ipse paulo ante, ad finem pene prioris capitis, ex sua sententia scripsit. » Hæc et alia velut in Theodotvm dicta ipse epistolarum interpolator accepisse eo noscitur, quod locum ad Trallesios hunc : « Fugite malas propagines generantes fructum mortiferum, » illustrare et amplificare de more studens, eoque hic addens ipsorum hæreticorum nomina quos in epistolis quas interpolabat notatos et refutatos esse putabat. Theodotum inter hos diserte ediderit. Interpolator igitur, si hæc ad Valentinum spectasse cogitasset, non ea delivisset ne auctorem proderent, sed pro more suo, vel ipso judice Dallæo, Valentini nomen edidisset Qui enim hæreticorum nomine, quos in epistolis quas interpolabat notatos fuisse putabat, addere voluerat ; quare Theodotum insereret, Valentinum omitteret, cum Theodotus Valentino multo junior esset, multoque manifestius ætatem scriptoris proderet ? Sed nihil ille tale cogitasse censendus est ; neque rationes excogitandæ, aut providentia Dei, nescio quapropter, huc advocanda ; pro more suo interpolator, omnia illustrare et amplificare studens, hæc immutavit ; plane ut in hac ipsa epistola paulo ante pro his verbis : Ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ Πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη, « qui ante sæcula apud Patrem erat, et in fine apparuit, » hæc paraphrastice substituit : Ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ τῷ Πατρὶ γεννηθείς, ἦν Λόγος Θεὸς, μονογενὴς Υἱός· καὶ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ὁ αὐτὸς διαμένει. Τῆς γὰρ βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔστι τέλος, φησὶ Δανιὴλ ὁ προφήτης. « Qui ante sæcula genitus est a Patre, Deus Verbum, unigenitus Filius : et in consummatione sæculorum ipse permanet : *regni* enim *ejus non erit finis*, inquit Daniel prophetas. » Ut igitur in his, ita in illis nulla lectionis diversitas, neque tamen ulla immutationis manifesta causa : sed priora auctoris verba sunt, posteriora paraphrastæ, qui pro more suo breviter a martyre dicti longiori ῥήσει explicatius et ornatius tradere se potuisse judicavit. Ignatium non admittimus, interpolatorem sive Arianus fuerit, sive non, omnino repudiamus, pariterque inanissimam esse hanc conjecturam pronuntiamus.

Aliis etiam utitur conjecturis ad hoc argumentum introductoriis, iisque nihilo melioribus. Vult enim Petavium « novi aliquid esse in Usseriana editione secum sensisse, quod auctorem Ignatio recentiorem arguat ; idque patere ex ejus effugio quo illa de *Sige* verba a Valentini sensu abducere conatus est. » Talesne vero sibi testes adjungit ? ex tali argumento secum consentientes, et ex nostris suos facit ! Si idem cum Dallæo revera sensit Peta-

vius, ut ille suspicatur, et Sigen Valentinianam animo probavit, verbis negavit ; is certe quem sibi adjungit, quem alibi « vere et generose de *Ignatianis locutum asserit, quem* postquam Vossianam et Usserianam Ignatii editionem vidit, pro sua singulari doctrina proque solemni quadam sua generositate veram statim et animadvertisse et professum esse dicit, » et mendax et subdolus, et minime generosus aut verax ut fuerit necesse est. Si ulla homini fides est, in hac causa noster est Petavius ; si nulla, illorum est. Sed ego de fide Petavii dubitandum esse minime censeo. Si ille Medicei codicis epistolas non minus fictas putavit quam vulgares, cur has postea semper repudiavit, illas admisit, earumque auctoritate sæpe usus est? cur se in his rejiciendis ingenuum, in illis recipiendis mendacem præstitit? Certe illud, quod mirificum effugium appellat Dallæus, virum præstantissimum tam fœdæ tergiversationis non convincit. Nam et ego Petavii sensum de simplici silentio verum esse puto ; et tametsi ad Sigen hæreticorum verba auctoris referantur, ut alii volunt, nihil inde novi in epistolis esse, nihil quod auctorem Ignatio juniorem arguat, cum nostris sentio, idque me firmissime demonstraturum confido.

Nec tamen adhuc ad argumentum ipsum accedit priusquam illud annotet, quod ipsius argumentum supervacaneum esse et nullius usus ostendit. Observat enim « hæc epistolæ verba ad Valentini dogma adeo apta atque apposita esse, ut, etiamsi mens auctoris alio, dum ea scriberet, respexisset, fieri tamen non potuerit quin ea Irenæus, si nosset, arriperet, et contra Valentini expositum a se somnium alicubi usurparet. At constat Irenæum eorum nunquam meminisse. » Non ita disputavit Salmasius, non Albertinus, qui scriptas fuisse has epistolas ante Irenæi libros ultro fatebantur, neque eas Irenæo incognitas fuisse vel somniabant. Satis illi norunt, et nos abunde probavimus, nullo modo sentiendum esse Irenæum hæc verba, si optime novisset, si ad manum, cum scriberet, habuisset, contra Valentinum usurpare voluisse. Cum igitur vir doctissimus inde concludit: « Ergo undecunque hæc verba sumpta sint, et quicunque sit eorum de cætero sensus, illa tamen evidens nobis argumentum ministrant ad demonstrandam harum epistolarum novi'atem ac suppositionem : » id quod est iniquissimum postulat. Itane vero, quicunque sit horum verborum sensus, sive auctor respexerit Valentinum sive non, æque evidens erit argumentum pro novitate epistolarum, idque sensu Dallæano? Nostro fortasse sensu æque evidens esse potest, id est nullo modo evidens. Nos forte recte asserere possumus, sive respexerit auctor Valentini hæresim, sive non, perinde esse ; neutrum enim ad convellendam epistolarum antiquitatem, quod scimus, quidquam valet. At ut ille, qui verba hæc adversus Valentinum scripta fuisse contendit, qui ideo ab Ignatio scribi non potuisse asserit, quia Valentinus Ignatio junior fuit, qui argumentum ipsum producit ut probet contra immotam temporum fidem auctorem dogma hæreticum post mortem Ignatii ortum exposuisse : ut ille, inquam, perinde esse scriberet sive auctor Valentinum respexerit, sive non, mihi quidem mirum videtur. Nemo unquam hoc dixisset, qui putaverit se valide probare potuisse et respexisse auctorem ad Valentinum et Ignatium martyrem præ ætate non potuisse scribere contra Valentinum. Unde ego colligo virum doctissimum huic argumento sive Salmasiano, sive Blondelliano maxime diffidere, suoque negativo potissimum niti. Hæc autem fluctuatio utrumque simul destruit. Nam si auctor Valentinum non respexit, sed aliud plane in animo habuit, et nihil aliud quam simplex silentium voluit, perit argumentum internum, ex ipsa epistola ductum : et si auctor hoc tantum voluit, certe cum Irenæus recte intelligere potuit; quod si ita intellexit, nunquam verba Ignatii contra ipsius mentem adversus Valentinum urgere voluisset, adeoque cadit argumentum externum a defectu testimonii depromptum. Neque vero magis probatur epistolam hanc Irenæi ætate non exstitisse, ex eo quod Irenæus verba hæc minime citavit adversus Valentinum, quam nec quarto sæculo eamdem in hominum manibus fuisse, quod ea verba non laudaverint Eusebius, Athanasius, Basilius adversus Marcellum, ad cujus hæresim refutandam verba illa ὃς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, erant opportunissima. Marcellus enim docuit Christum fuisse ψιλὸν Λόγον, minimeque æternum, ut orientales episcopi asserebant : aliquando, scilicet, Verbum non fuisse, et ne nunc quidem esse asseruit. Ita sententiam ejus exponit S. Basilius epistola 52 : Ὃς Λόγον μὲν εἰρῆσθαι τὸν μονογενῆ δίδωσι, κατὰ χρείαν καὶ ἐπὶ καιροῦ προελθόντα, πάλιν δὲ εἰς τὸν ὅθεν ἐξῆλθεν ἐπαναστρέψαντα, οὔτε πρὸ τῆς ἐξόδου εἶναι, οὔτε μετὰ τὴν ἐπάνοδον ὑφεστάναι. « Qui unigenitum quidem Verbum dici concedit, secundum usum et in tempore progrediens, rursum autem ad illud a quo exivit revertens, neque ante exitum esse, neque post reditum subsistere. » Imo vero Marcellus ipse ita se exprimit apud Eusebium, quasi fuerit ante omnem rerum productionem, ἡσυχία τις, ἐν τῷ Θεῷ τοῦ Λόγου ὄντος, « silentium quoddam. Verbo in Deo exsistente, » cum autem mundus creandus esset, τότε ὁ Λόγος προελθὼν ἐγίνετο τοῦ κόσμου ποιητής, « tunc Verbum progrediens fiebat mundi conditor. » Ubi obiter moneo verba quæ apud Eusebium sequuntur, ὅ καὶ πρότερον ἔνδον νοητῶς ὀνομάζων αὐτόν ; et ita redduntur, « quod prius intus intellectualiter residens* ipse fuit, » duplici emendatione opus habere, et sic primo legi, ὁ καὶ πρότερον ἔνδον νοητῶς ἑτοιμάζων αὐτόν (ut in lib. II *De eccl. theolog.* c. 8, et lib. III, c. 3, leguntur), et in hunc modum verti debere, « qui etiam ante intus intellectualiter præparavit eum. » Quid ad hæc Marcelli refellenda aptius, quam Ignatii illud, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν ; quod tamen veteres illi Eusebius, Athanasius, Basilius, quibus Ignatius noster

tam probe cognitus est, minime usurparunt. Et quidem Eusebius hauc Marcelli sententiam cum illa veteri Gnosticorum comparat,nec tamen Ignatiana illa,quæ ipse optime noverat, Marcello objicit. Ita enim loquitur lib.II,c. 19 : Ἃ δὲ Μάρκελλος ἐτόλμα ὑποτίθεσθαι, πάλαι μὲν λέγων εἶναι τὸν Θεὸν, καὶ τινὰ ἡσυχίαν ἅμα τῷ Θεῷ ὑπογράφων ἑαυτῷ, κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον σὸν τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγὸν, ὃς τὰ ἄθεα δογματίζων ἀπεφαίνετο λέγων, « Ἦν Θεὸς καὶ σιγή· » μετὰ δὲ τὴν σιγὴν καὶ ἡσυχίαν προελθεῖν τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἐν ἀρχῇ τῆς κοσμοποιίας δραστικῇ ἐνεργείᾳ. « Quæ autem supponere ausus est Marcellus, dicens olim quidem fuisse Deum, et quietem quamdam simul cum Deo describens (secundum ipsum illum impiorum hæreticorum ducem, qui impia dogmatizans definivit inquiens. *(Erat Deus et silentium)*, post silentium autem et quietem processisse Verbum Dei in principio creationis mundi efficaci operatione. » Cum igitur Eusebius Marcellum perstrinxerit, quod Verbum post silentium prodiisse dixerit,et simul etiam observaverit hæc a Gnosticis hausta esse,apud quos primo erant Deus et silentium ; cum idem certissime etiam noverit hæc quæ nunc apud Ignatium legimus, nec tamen adversus Marcelli hæresim usurparit loco satis opportuno, quis non videt sine ullo fundamento asseri Ignatiana Irenæi sæculo non exstitisse, quod ea illa adversus Valentini somnia non usurparit ?

Quocirca levi antecedentium conjecturarum veli*tatione* difflata, ad argumentum ipsum a Valentino ductum accedo ; utque illud nullam vim ad elevandam Ignatii auctoritatem, imo ne speciem quidem ullam aut verisimilitudinem continere ostendam, quatuor propositionibus rem omnem complectar, quibus et veritatem luculenter exponam,et omnibus adversariorum objectionibus manitestissime occurram.Assero igitur primo clarissime patere auctorem epistolæ ad Magnesios nullam aliam hæresim verbis ex ea prolatis respexisse,quam eam quæ fuit Ignatii ævo cognitissima, Ebionitarum scilicet et Nazaræorum. Cum autem adversarii adeo asseveranter contendant,hæc epistolæ verba ad Valentini commentum respicere, ejusque peculiare delirium reapse ferire : assero secundo verba ipsa, ut sunt ab auctore epistolæ prolata,ad Valentinum omnino non spectare,nec sine violenta detorsioue ad ejus hæresim exponendam refutandamque applicari posse.Si quis tamen adhuc sine ratione Valentini dogma respicere hæc verba potuisse velit, ne quidquam contra antiquitatem epistolæ hæc iniqua conjectura valere videatur : assero tertio illam ipsam hæresim, quatenus his verbis feriri putatur,Nalentino fuisse antiquiorem,et a vetustioribus gnosticis ipsi Ignatio coævis certissime derivatam.Quod si quis etiam adhuc præfractius tueri velit,auctorem epistolæ his verbis Valentinum ipsum respexisse, nec Sigen prioribus hæreticis cognitam fuisse post tot veterum aperta testimonia concedat: nec sic quidem res ex adversariorum sententia confecta erit : assero enim quarto,nullo argumento satis firmo probari posse ipsos Valentini peculiares errores fuisse Ignatio martyri prorsus incognitos.

CAPUT IV.

Prima assertio, verba illa οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών *hæresin Ebionitarum ferire, probatur ex antecedentibus et consequentibus. Explicatio tantum sunt* Λόγου ἀϊδίου. *Oppositio inter* λόγον *et* σιγὴν *frequentissima. Petavii expositio defenditur. Objectio de frigida locutione rejicitur. Similes veterum Patrum explicationes afferuntur. Geminus S. Augustini locus vindicatur, et altero Fulgentii firmatur. Locutionem inanem non esse. Vox* προελθεῖν *Petaviano sensui non repugnat,* Ἐκ σιγῆς *vel* ἀπὸ σιγῆς *non male reddi* post silentium.

Illud autem quod primo loco asserendum putavi, auctorem epistolæ ad Magnesios verbis ex ea prolatis hæresin Ebionitarum, neque ullam aliam respexisse,luculentissime probatur. Duæ enim conjunctivæ particulæ, una initio hujnsce sententiæ, altera principio sequentis inserta, satis manifeste ostendunt quo tota sententia referenda sit, et ad quid auctor epistolæ, cum ea scriberet,collinearit. Particula γάρ ostendit hanc ipsam sententiam prioris rationem continere ; et sequentis particula οὖν ostendit eam ex hac sequi debere.At et antecedens sententia et sequentes Ebionem diserte feriunt ; erho et hæc quæ prioris rationem explicat, et posterioribus occasionem præbet.Antecedens hæc est: « Si enim usque nunc secundum Judaismum vivimus,confitemur gratiam non recepisse.» De Ebionæis Irenæus lib.I,c. 26 : « Circumciduntur et perseverant in his consuetudinibus, quæ sunt secundum legem, et Judaico charactere uti. » Idem testantur post Irenæum omnes : antecedens igitur sententia Ebionem diserte ferit.Quæ autem sequuntur : Εἰ οὖν οἱ ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες, εἰς καινότητα ἐλπίδος ἦλυθον. « Si igitur in veteribus rebus conversati in novitatem spei venerunt, » et cætera eodem plane tendunt, ut a Judaismo, nempe,recedant qui Christianismum amplectuntur : quæ omnia directe adversus Ebionem et sequaces militant. Hæc ipsa sententia ab argumento incipit, quo uti veteres adversus Ebionitas similesque hæreticos solebant : Οἱ γὰρ θειότατοι προφῆται κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ἔζησαν. « Divinissimi enim prophetæ secundum Christum Jesum vixerunt ; » et ut demonstret eos gratia Christi inspiratos hoc fecisse, eumdem Deum, quem illi colebant, manifestasse se per Filium suum dicit,« qui est æternum ejus Verbum, » contra eumdem Ebionem, qui eum nudum hominem esse asserebat, æternum negabat. Non tantum enim illi qui ex viro et femina Christum prædicabant,sed et ii etiam qui eum ex Virgine natum agnoscebant, οὐ μὴν οὐδ' ὁμοίως καὶ οὗτοι προϋπάρχειν αὐτὸν Θεὸν Λόγον ὄντα καὶ σοφίαν ὁμολογοῦσιν, « præextitisse eum ut Deum Verbum et Sapientiam minime confitebantur, » ut testatur Eusebius lib, III, c. 27. Ita omnia convellendæ Ebionis hæresi apprime conveniunt,

neque alie possunt spectare, nisi vim verbis manifestam inferamus.

Cum autem Christum dixerat Verbum æternum, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, id breviter explicat iis verbis, οὐκ ἀπὸ σιλῆς προελθών, « Verbum,inquam, æternum, non a silentio proveniens, » ut verbum seu sermo omnis qui æternus non est. Hæc enim adjectio nihil aliud est quam exegesis sive explicatio æternitatis Verbi, eaque plane naturalis et obvia,et sine ullo respectu ad aliam aliquam peculiarem hæresin maxime propria,reddens veram notionem æterni Verbi,et ab alio verbo non æterno recte distinguens. Hic est omnium hominum vulgaris de verbo conceptus, ut quod silentium respiciat. Ita apud Virgilium Juno [28] :

. . .*Quid me alta silentia cogis*
Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem ?

Ubi Servius,Silentia autem rumpere,« loqui proprie dictum. » Ex silentio ergo exit, seu prorumpit verbum.Huic autem τῷ rumpere silentium contrarium apud Græcos est τὸ ἐχεμυθεῖν. Hesychius : Ἐχέμυθος, ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἤτοι κρατῶν τὸν λόγον σιωπῇ. Et rursus : Ἐχεμυθεῖν, σιωπᾷν, λόγους στέγειν. Unde Ammonio dicitur σιγὴ στέρξις λόγου, ubi sentio potius legendum στέξις, στέγειν enim λόγον eo sensu dicunt Græci, non στέργειν, ut opinor. Inde σιγῆς et λόγου antithesis omnibus familiaris, ut Nazienzenus carmine 12 ad episcopos :

Θύσω καὶ σιγὴν, ὡς τοπάροιθε γόγον.

Et ora 14 : Οἱ τοῦ λόγου τοσαύτης ἐσμὲν σιλῆς μεστοί. Cum igitur verbum sive sermonem communiter sumptum ita concipere soleamus, ut eum silentium semper præcedat ; auctor autem epistolæ jam dixisset Verbum quod Christus est,esset æternum ; æternum autem esse non potest quod ab aliquo alio præceditur : vere et opportune cum Christum Verbum appellat,non tale intelligi debere admonet, quale « ex silentio proveniat, » Silentium autem sive σιγή, sive σιωπή dicatur, perinde est. Ut Clemens Alexandrinus, *Admonitione ad Gentes* : Τοῦτο ἦν ὃ ἠνίττετο ἡ Ζαχαρίου σιωπὴ ἀναμένουσα τὸν πρόδρομον τοῦ Χριστοῦ καρπὸν, ἵνα τῆς ἀληθείας τὸ φῶς ὁ Λόγος τῶν προφητικῶν αἰνιγμάτων τὴν μυστικὴν ἀπολύσηται σιωπὴν Εὐαγγέλιον γενόμενος. « Hoc erat quod subindicabat Zachariæ silentium, fructum Christi præcursorem præstolans,ut lux veritatis Verbum propheticorum ænigmatum mysticum solveret silentium Evangelium factum. » Spectatur igitur λόγος communiter tanquam σιγῆς,sive σιωπῆς ἀπόλυσις, præcedentis,scilicet, silentii solutio. Recte igitur admonet Ignatius noster, Christum, cum,Λόγος dicitur,æternum tamen esse,adeoque talem non esse, qualis ex præcedente silentio prorumpit. Hæc est assertionis nostræ ratio breviter explicata.

Quid de iis quæ de hæresi Ebionis diximus,sentiant viri docti, nescio; nondum enim, ut opinor, hæc a quopiam dicta sunt ; mihi tamen satis

[28] *Æncid.* x, 63.

A est ea esse ex tota Ignatiana perioche certissima: et Dallæue ipse illa verba, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, affert tanquam adversus Artemonem et Theodotum disertissima,qui Ebionis hæresin amplectebantur : de interpretatione simplici eorum verborum, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών,quid senserit Dallæus, probe scio ex iis quæ contra Petavium disputavit. Ille enim prespicacissimi ingenii Jesuita hunc uti haud paulo commodiorem et faciliorem sensum secutus est. « Verbum, inquit, sive sermonem Ignatius asserit esse Jesum Christum Dei Filium, non qualis est creatus et humanus sermo, qui in tempore incipit et in tempore desinit ; non enim est æternus. Hoc unum, nec aliud quidquam voluit Ignatius. » Hauc autem Petavii explicationem Dal-
B læus frigidam et inanem argutiam vocat.Ego in ea nihil frigidum, nihil inane, ne quidquam quidem argutum video ; omnia potius plana,perspicua,apposita, et communi Græcorum sermoni maxime conformia videntur. Sed primo,inquit,«quam frigidum est,Magnesianos monere, Filium Dei verbum esse ipsius,non tamen ejusmodi ut post silentium prodierit. » Jam criticum agit Dallæus, sed infeliciter.Quid enim, si hoc frigidum sit, ergo Ignatianum esse non potest ? An necesse est ut sanctissimus martyr melius scripserit, quam clari inter Græcos oratores,in quorum orationibus multa frigide dicta notarunt critici veteres ? De Isocrate summo viro Dionysius Halycarnasseus : Σχηματίζει δὲ φορτικῶς, καὶ τὰ πολλὰ γίνεται ψυχρός. Imo Isocratis imitato-
C res frigidos esse observat, ex quibus nominat Timæum,Platonem et Sosigenem.Longinus Timæum pariter et Platonem nominat, quibus etiam Xenophontem adjungit. Non igitur martyris auctoritatem imminuit, si forte aliquid frigide dixerit;diu ante eum summi in Græcia viri frigide multa scripsisse notati sunt. Sed nondum video, quare hæc locutio adeo frigida existimetur ! Imo vero, inquit, « quasi sit quisquam adeo fatuus, ut quem audit esse Jesum Christum Dei Filium, eumdem putare possit a silentio esse ortum ? » Astute hæc quidem ; omittit enim id quod in hac re est præcipuum Verbum scilicet, sive sermonem. Quamvis Dei Filius dicatur, dum tamen verbum idem, sive sermo dicitur,facile talis conceptus in animo audientium formatur,vel objectio potius.Verum qui-
D dem est Ignatium, dum vult Christum Verbum æternum ostendere,recte eum Filium etiam nominare : hoc enim frigidum non est, sed necessarium Ita judicavit magnus Athanasius, Ignatii sui optimus interpres, lib. *De synodis* : Ἵνα μὴ πάλιν τις ἀκούων μόνον λόγον νομίσῃ τοιοῦτον εἶναι οἷός ἐστιν ὁ τῶν ἀνθρώπρν ἀνυπόστατος, ἀλλ' ἀκουων ὅτι Υἱός ἐστι γινώσκῃ τοῦτον εἶναι ζῶντα Λόγον καὶ ἐνούσιον σοφίαν. « Ac ne quis audiens sermonen tantum existimet talem esse, qualis est hominum, subsistentia carens, sed audiens quod Filius sit, sciat hunc esse vivnm sermonem et substantialem sapien-

tiam, » etc. Maximus Taurinensis : « Ne Verbum ipsum non substantiam veritatis, sed prolativum loquentis Dei putares esse sermonem, dicitur Filius. » Et tamen multi fuerunt, neque isti fatui, qui Christum et Filium Dei credebant, et Verbum nec tamen verbum æternum, adeoque ex silentio profectum ; unde Tertullianus negavit Deum esse sermonalem a principio, et primo tacite cogitasse, et disposuisse secum quæ per sermonem mox erat dicturus, et Origenes in Joannem multos sua ætate exstitisse docet, qui tanquam perspicuum illud admittebant, Filium Dei esse Verbum nuncupatum, οἰόμενοι προφορὰν πατρικὴν οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένην εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, *existimantes prolationem paternam quasi in syllabis jacentem esse Filium Dei*, neque ullam ei substantiam aut subsistentiam tribuentes. Si quoties ita Verbi notio traditur et explicatur, ut simul a talibus conceptibus liberetur, frigida sit locutio ; frigent certe omnia SS. Patrum scripta, frigent omnes theologorum expositiones. Universi enim sollicite curant ne, cum Christus Verbum dicitur, tale verbum mente concipiamus, quale ex ore humano provenire soleat, aut quovis modo æternum non sit. Clemens Alexandrinus, *Stromat.* v : Ὁ γὰρ τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων Λόγος οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ προφορικός, σοφία δὲ καὶ χρηστότης φανερωτάτη τοῦ Θεοῦ. Eusebius, *De eccles. theolog.*, lib. I, c. 20, notat Joannem dixisse Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, non autem θεῖος, ὡς ἂν μή τις αὐτὸν τῷ παρὰ ἀνθρώποις ὅμοιον εἶναι φήσειε, alibique notat Deum μὴ Λόγον αἰσθητὸν ἔχειν ὑπὸ γλώττης ἐξηχούμενον, καὶ διὰ προφορᾶς θνητοῖς ὡσὶν ἐξακουόμενον. S. Cyrillus Hierosolymitanus quasi Ignatii Paraphrasten, ut alibi, ageret, catech. 4 : Πίστευε ὅτι ἑνὸς Θεοῦ μονογενὴς εἷς ἐστιν Υἱός, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων Θεὸς Λόγος· Λόγος οὐ προφορητικὸς εἰς ἀέρα διαχεόμενος, οὔτε λόγοις ἀνυποστάτοις ἐξομοιούμενος. Gravissimus scriptor Gregorius Nyssenus : Ποίῳ λόγῳ καὶ ποίῳ πνεύματι ; οὔτε γὰρ ῥῆμα ὁ Λόγος, οὔτε ἄσθμα τὸ Πνεῦμα. Novatianus, lib. *De Trinitate* : « Sermo Filius natus est qui non in sono percussi aeris, aut tono coactæ de visceribus vocis accipitur ; sed in substantia prolatæ a Deo virtutis agnoscitur. » S. Hilarius, *De Trin.*, l. VII : « Unigenitus Deus et Verbum est ; sed innascibilis Pater nunquam omnino sine Verbo est. Non quod prolatio vocis natura sit Filii, sed ex Deo Deus cum veritate nativitatis subsistens. » Vigilius Tapsensis cum ad ista Psalmi « Verbo Domini cœli firmati sunt, » asseruisset Verbum eo loco esse Filium Patris, statim addidit : « Ubi ait : Verbo Domini, non sonum vocis inconsubstantivum esse accipias, quam si validus quis emisit de montibus, solet reboare echo. »

Hoc discrimen inter Verbum divinum et humanum prosecutus est S. Augustinus, cujus locum ex sermone *De nativitate Domini* adduxit Petavius ad hanc rem maxime accommodatum, et cum explicatione loci Ignatiani prorsus conspirantem.

[29] Joan. I, 1.

A « Quænam est illa generatio, qua *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum* [29] ? » vel qnod est hoc Verbum, quod dicturus antea non silebat ; quo dicto, non siluit qui dicebat? quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora ? Verbum, quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum ? » Cui geminum adjungo B. Fulgentii locum, ad Trasimundum lib. III, c. 18 : « Fuit infans Verbum secundum carnem, et fandi non habuit facultatem : sed idem Verbum nullo unquam potuit coerceri silentio, quia ipse est Patris sempiterna locutio. » Uterque autem æternitatem Verbi Dei clare explicat, et a verbo humano, quod ex neutra parte æternum est, distinguit, utpote quod a silentio incipiat, et in silentium desinat. B Quid ad hæc vir doctissimus ? Primo in S. Augustinum, qui solus a Petavio laudatus est, involat, eumque acerbissime objurgat, quod « argutias captet et in iis pene totus sit, » nec miratur quod « aliquid hujusmodi luserit. » Æquius hoc in S. Augustino ferendum, quod haud mitius cæteros Patres tractare soleat. Sed qualis qualis scriptor illi videatur Augustinus, id certe fecit, quod ante eum Ignatius epistolicus : Verbum divinum ab humano distinxit, quod non perinde a silentio incipiat ; nec in ea notione, ut ab Ignatio exprimitur, quidquam est argutum. Respondet secundo : « In non dicit Augustinus, quod noster. » Mirum hoc quidem : plane enim idem dicit. Noster : « Verbum quod non prodit a silentio ; » ille : « Quod est hoc Verbum, quod dicturus antea non silebat? » Quod dici potuit similius ? C De eodem Verbo loquitur, et idem de eodem asserit. At S. Augustinus « Verbum solum et seorsum. a notione personæ præcisum, considerat ; » ergo id non dicit quod Ignatius. Mirum hoc effugium et aperte falsum. Loquitur Augustinus non minus de Verbo personaliter sumpto, quam Ignatius. Ita enim incipit : « Quænam est illa generatio, qua *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum?* » loquitur de æterna generatione Filii, qui sane est Persona ; loquitur de Verbo, quod *erat in principio*, quod *erat apud Deum*, quod *erat Deus* ; quod sane est Persona : loquitur de Verbo sine tempore, id est æterno, per quod facta sunt tempora ; quod sine dubio est Persona ; loquitur omnino de eo Verbo quod S. Joannes in initio D Evangelii sui descripsit, quod personam esse nemo catholicus negat. Et Augustinus igitur et Fulgentius eodem prorsus modo locuti sunt, quo nos Ignatium locutum esse contendimus.

De frigido et arguto diximus ; de inani nunc dicendum. « Supervacaneus enim, inquit, est sensus, quem Petavius his verbis affingit. Hominis enim verbum esse eo satis negarat, quod Dei Verbum esse dixerat. » At cum Dei Verbum esse dixerat, non illud satis negarat, quod postea eum negare asserit Petavius, ejusmodi, scilicet, sermonem illud Dei esse, « qualis est creatus et humanus sermo. » Aliud

enim est Verbum Dei esse, et non hominis, aliud verbum illud Dei humano simile omnino esse, quod de Verbo Dei plurimi hæretici asserebant. Dixit Ignatius Dei verbum esse æternum, quod ut explicaret, et contra hæreticos qui æternitatem Verbi Dei pernegabant defenderet, monuit Verbum illud Dei « non ex silentio ortum » esse, ut solent hominum verba, hoc est, non esse verbo hominis simile, neque ex verbo humano de ejus exsistentia recte judicari posse. Nihil igitur his verbis dixit, quod ante dixerat. « At satis perspicue id ante dixerat, cum verbum Dei æternum dixisset. » Certe si quis his legibus veterum scripta examinare velit, Battos omnes faciet. Nonne omnes aliquando seipsos explicant, et idem sæpe aliis verbis dicunt? nonne objectionibus, quæ oriri possunt aut solent, sæpe occurrunt, et, ut hoc faciant, eamdem sententiam verbis aliis proferunt? Plurimi in Vetere et Novo Testamento pleonasmi per synonyma opposita et negantia a viris eruditis observati sunt : qui tamen non frigidi aut supervacanei putantur ; sed emphatici.

Sed tandem « ipsa epistolæ elocutio ad Petavianum sensum inepta atque absona est et inusitata. » Mira hæc objectio a Dallæo, qui omnes hujus auctoris epistolas tales elocutiones, ineptas, absonas et inusitatas continere alibi ait. « At si nostrum Valentianam Sigen significasse admiseris, tota oratio et perspicua, et gravis, et necessaria, et clara etiam et legitima erit ; » hoc est, Dallæo fatente, Ignatianis dissimillima. Ut igitur auctor sui similis sit, ut hæc oratio reliquis congruat, ut hæc elocutio cæteris non repugnet, eam de Valentini hæresi exponere non possumus. Illud potius Dallæum dicere oportuit, Expositio Petavii reddit omnia clara et perspicua, Salmasii omnia turbata atque absona et magis ad auctoris hujus morem geniumque accommodata : et vel ob eam rationem Salmasiana expositio Petavianæ præferenda est. Nec hæc ludens dico, sed serio et ex animo ; non dubito enim quin mox ostensurus sim expositionem illam, quæ Valentinianam Sigen huc advocat, esse plane absonam ; et orationem eam, λόγος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, eo sensu acceptam, nec esse claram, nec legitimam, nec Gnosticis, nec nostris familiarem.

Jam vero ut ex ipsis verbis sensum quem vult exsculpat, observat cum Gnosticos ad suorum Æonum emissiones, tum nostros ad Filii et Spiritus sancti emanationes significandas uti voce προελθεῖν. Fortasse. Sed hinc nullo modo sequitur, aut aliter eam vocem usurpari non posse, aut hoc loco in eum modum accipi debere. Vox qua maxime usi sunt in hac re Valentiniani alia plane erat, nempe προβάλλεσθαι, unde toties a SS. Patribus exagitantur. Ita Irenæus sententiam Valentinianorum accurate referens lib. I, cap. 1, tradit προβάλλεσθαι τὸν Βυθὸν ἀρχὴν τῶν πάντων, Nun, scilicet ; συμπροβεβλῆσθαι δὲ αὐτῷ Ἀλήθειαν. Et rursus : Αἰσθόμενον δὲ τὸν μονογενῆ τοῦτον, nempe Nun, ἐφ' οἷς προεβλήθη, προβαλεῖν καὶ αὐτὸν Λόγον καὶ Ζωήν, et mox : Ἐκ δὴ τοῦ Λόγου καὶ τῆς Ζωῆς προσβεβλῆσθαι κατὰ συζυγίαν Ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν. Ea voce semper de Æonibus utitur. Eamdem et Origenes de Valentinianis agens usurpat tom. III *in Joannem* : Πρὸς δὲ τοὺς τὴν περὶ αἰώνων ἀναπλάσαντας ἐν συζυγίαις μυθολογίαν καὶ οἰομένους ὑπὸ Νοῦ καὶ Ἀληθείας προβεβλῆσθαι Λόγον καὶ Ζωήν, οὐκ ἀπίθανον καὶ ταῦτα ἀπορῆσαι. Atque hæc est Æonum genealogia κατὰ τὴν προβολήν, ut loquitur Irenæus. Neque aliter Valentinianus ille, cujus ipsissima verba transcribit Irenæus, loquitur Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου βουλόμενος εἰπεῖν τὴν τῶν ὅλων γένεσιν καθ' ἣν τὰ πάντα προέβαλλεν ὁ Πατήρ, ἀρχήν τινα ὑποτίθεται τὸ πρῶτον γεννηθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἐν ᾧ πάντα ὁ Πατὴρ προέβαλε σπερματικῶς· ὑπὸ δὲ τούτου φησὶ τὸν Λόγον προβεβλῆσθαι. Valentinianus quidem alter, cujus verba recitat Epiphanius, pro προβαλέσθαι semper usurpat ἀναδεῖξαι, προελθεῖν nunquam. Licet igitur Irenæus ipse, de productione rerum materialium agens, voce προελθεῖν utatur, et Marci sententiam referens tetradem ex tetrade, decadem ex ogdoade, et Æones ex tetrade, et Ptolemæi discrepantem opinionem depingens, Nun et Alethiam tanquam imagines affectuum Patris Thelematis et Ennææ ita prodiisse dicat, et ea vox etiam in Clementis Alexandrini *Anatolicis* reperiatur ; tamen cum Valentiniani ipsi aliter locuti sint, cum Irenæus accurate referens Valentinianorum errores, dum singulorum Æonum generationes enumerat, προβεβλῆσθαι tam constanter usurpet, cum SS. Patres tam sæpe προβολὰς Valentinianis objiciant ; si auctor epistolæ Valentinianos directe ferire et eorum more loqui voluisset, non ἀπὸ σιγῆς προελθών, sed potius ἐκ σιγῆς προβεβλημένος dixisset.

Quod autem nostros ad emanationem Filii a Patre significandam usos esse voce προελθεῖν observet, ad rem omnino non facit ; imo quod ex Ignatio nostro adducit, multo minus, cum dicat Christum Jesum ἀφ' ἑνὸς Πατρὸς προελθεῖν. « Unum idemque, inquit, utroque loco verbum est, quod interpres Usserianus vetustissimus in priori *exire*, in posteriori *progredi* reddidit. » Hactenus vere. Ergo noster Filium exire tam a silentio negat, quam a Patre ait. Quænam, amabo, hæc est consequentia? An qui dicit Filium a Patre exire, non autem dicit progredi, et Verbum non a silentio progredi, non autem non exire, is Filium exire tam a silentio negat quam a Patre ait? Nullo modo. Argumentum itaque ab interpretatione ductum prorsus est frustraneum, imo plane nullum. Sed potuit interpres tam exire in posteriore loco reddere, quam priore. Potuit quidem ; sed et tam progredi potuit in priore loco reddere, quam posteriore, si contra animi sui sensum redderet. Verum fidissimus interpres latæ significationis vocem ita reddidit, quemadmodum loco quem interpretatus est, optime quadrare sentiebat. Dicit igitur Filium

exire a Patre, negat a silentio progredi : neque secundum catholicos emanationem æternam intellexit, neque de probole Valentiniana vel somniavit. Aliquando Græci προελθεῖν ita usurpant, ut vim τοῦ ἐξελθεῖν ex appositis habere sentiatur. Cum igitur Christus dixisset, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον Joan. VIII, 42, idem significare voluisse putandus est Ignatius, cum scribit ἀφ' ἑνὸς Πατρὸς προελθόντα, quod interpres vertit, « ab uno Patre exeuntem. » Certe ut emanationem a Patre iis verbis denotet Ignatius, nulla ratio cogit. Novimus quid Theodorus Beza ad illum Joannis locum scripserit : « Loquitur Christus, meo quidem judicio, de adventu in carnem, non de æterna generatione, cui improprie quoque tribueretur τὸ ἐξελθεῖν. » Et ratio manifesta eruitur ex verbis proxime sequentibus : Οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλε. Si autem apostolus eo loco de æterna Filii generatione locutus non est, multo minus Ignatius, qui ita de adventu ejus loquitur, ut etiam de reditu : Τὸν ἀφ' ἑνὸς Πατρὸς προελθόντα, καὶ εἰς ἕνα ὄντα καὶ χωρήσοντα. « Ab uno Patre exeuntem, et in unum exsistentem et reversurum : ut illud exprimat Joan. XVI, 28 : Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον καὶ πορεύομαι πρὸς Πατέρα. *Exivi a Patre et veni in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Neque igitur, cum Filium a Patre exire dicit auctor epistolæ, de æterna generatione cogitavit ; neque cum Verbum a silentio prodire negavit, de emissione Valentini somniavit. Certe ex unica voce προελθεῖν nihil tale expiscari licet ; quæ cum latissimæ significationis sit, ex aliis verbis quibus adjungitur, ejus propria vis eruenda est : nec ullo modo contendere possumus eodem plane sensu eam accipi debere, cum ad Deum Patrem de Filio, et cum ad silentium de Verbo refertur. Præsertim cum sciamus illud ipsum vocabulum προελθεῖν a Græcis attribui solere verbo etiam prolativo, quod substantialis seu personalis generationis capax non est, ut legimus apud Joannem Philoponum *De mundi creatione* lib. VI, cap. 4 : Οὐ γὰρ προφορικὸν λόγον τὸν ἅμα τῷ προελθεῖν λυόμενον τῷ Θεῷ περιάπτειν θέμις. Et Marcellus apud Eusebium, Christum οἷα λόγον σημαντικόν τινος ἢ προστακτικὸν προελθεῖν τοῦ Θεοῦ φάσκει.

Meræ hæ sunt logomachiæ ; quare tandem fortius argumentum stringere videtur. « Signant enim, inquit, hæc verba id, ex quo quid exivit, ejus quod ex eo exivit, vel locum, vel causam, vel principium (ut scholæ loquuntur) constitutivum fuisse. » Subtilis hæc quidem, sed mira disputatio. Non quæro quodnam illud sit principium constitutivum, quod causa non sit, ut hic tertii membri locum occupet. Certe scholæ ita non loquuntur. Illud quæro, an vox προελθεῖν usurpari non possit, nisi de aliquo, quod ex loco vel causa exit ? Ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον εἰς τὴν αἰσθητικὴν καὶ μεταβατικὴν φύσιν προῆλθεν, inquit Nemesius. At τὸ κατ' ὀλίγον neque locus est, neque causa, neque principium constitutivum. In generatione ipsa, de qua loqui nostrum volunt, ex principio privativo potius aliquid fieri dicitur, quam ex constitutivo. Ita Aristoteles, *Physic.* lib. I, cap. 7 : Τὸ δ' ἔκ τινος γίνεσθαί τι, καὶ μὴ τόδε γίνεσθαί τι, μᾶλλον μὲν λέγεται ἐπὶ τῶν μὴ ὑπομενόντων, οἷον ἐξ ἀμούσου μουσικὸν γίνεσθαι, ἐξ ἀνθρώπου δ' οὔ. Et cap. 8 : Ἐκ γὰρ στερήσεως, ὃ ἐστι, καθ' αὐτὸ μὴ ὄν, οὐκ ἐνυπάρχοντος γίνεταί τι. Ex privativo igitur principio satis proprie aliud fieri aut prodire dicitur ; et de rerum ortu ita sæpe loquimur. Quis enim non dicit lucem ex tenebris oriri vel prodire? Neque si Petavius eam phrasin ita explicandam putavit, Verbum non esse ejusmodi, ut ex silentio, vel post silentium prodierit, adeo exagitandus fuit, quasi μετὰ σιγήν, et ἐκ σιγῆς tam late differrent, cum Eusebius in hac ipsa re hæc duo idem valere clarissime ostendat. Accusat enim Marcellum quod docuerit μετὰ τὴν σιγὴν προελθεῖν τὸν λόγον, et ob eam sententiam gnosticæ hæresi eum addictum pronuntiat. Notant Grammatici *ex* aliquando pro *post* usurpari, ut apud Virgilium, *ex* illo tempore pro *post* illud tempus, et apud Ciceronem, *ex* eo die et *ex* consulatu, et *ex* hoc tempore. Quod et Græcis familiare est. Ut ad illa Homeri Ἰλ. Ε :

Καύματος ἐξ ἀνέμοιο δυσαέος ὀρνυμένοιο.

Notat Scholiastes vetus : Ἡ ἐξ ἀντὶ τῆς μετά. Et Eustathius : Ἡ δὲ ἐξ πρόθεσις οὐ μόνον ἐνταῦθα εἴληπται ἀντὶ τῆς μετὰ προθέσεως, ἀλλὰ καὶ ἀλλαχοῦ, οἷον· πιόμεν' ἐκ βοτάνης, ἤτοι, μετὰ τὴν βοσκήν, καὶ, ἐκ νυκτῶν δ' ἄνεμοι χαλεποί, ἤτοι, μετὰ τὰς νύκτας. Sic ad illa Ἰλ. Ν : Πιόμεν' ἐκ βοτάνης, Schol. V. : Ἐκ βοτάνης, ἀντὶ τοῦ, μετὰ τὴν βοτάνην καὶ νομήν. Et Eustathius : Ἀντὶ τοῦ, μετὰ βόσκησιν, καί ἐστι, φασίν, ὅμοιον τῷ, ἐξ ἀρίστου παρέσομαι, ἀντὶ τοῦ, μεθ' ὃ ἀριστήσω. Ita alibi, αἰθέρος ἐκ δίης, μετὰ τὴν αἰθρίαν κατάστασιν interpretatur idem Scholiastes. Neque tamen auctor epistolæ dixit ἐκ σιγῆς, sed ἀπὸ σιγῆς, quod, secundum loquendi modum Græcis familiarem, Latine « post silentium » reddi potest. Ut apud Homerum legimus : Ἀπὸ δ' αὐτοῦ θωρήσσοντο. Ubi Scholiastes vetus, ἀπὸ δ' αὐτοῦ, ἀπὸ δὲ τούτου χρόνου, μετέπειτα. Et Eustathius : Ὅτι καθάπερ ἀλλαχοῦ ἡ ἐκ πρόθεσις ἀντὶ τῆς μετὰ λαμβάνεται, οὕτως ἐνταῦθα ἡ ἀπό. Inde Hesychius Ἀπόδρομον interpretatur μετ' ἐπάνοδον. Nihil igitur tritius est apud Græcos, quam ut ἀπό et ἐκ pro μετά· apud Latinos, quam ut *ab* et *ex* pro *post* accipiantur. Et qui e silentio vel post silentium prodire verbum negat, mihi omnium hominum sermonem negare videtur.

Nos igitur et auctoris mentem, et veteris interpretis versionem defendendam omnino putamus ; quam planam, simplicem, propriam et perspicuam, non frigidam, aut argutam, aut inanem esse sentimus : eamque solam ad auctoris mentem recte exprimendam, et ad Ebionitarum errorem, quem tunc temporis in animo cum scriberet auctor habuit, ca-

stigandum,et ad Magnesios,ne istam hæresin reciperent, præmuniendos plurimum valere contendimus. Manet itaque inconcussa hactenus assertio prima, auctorem epistolæ ad Magnesios nullam aliam hæresin verbis ex ea prolatis quam veterem illam Ebionitarum tot modis in eadem epistola descriptam respexisse : quæ cum ætate Ignatii martyris nimium viguerit,quod adversus eam scriptum est, fidem temporum pulsare non potest.

CAPUT V.

Assertio secunda, verba illa ad Valentinum omnino non spectare. Valentiniani nunquam diuerunt Sigen peperisse Logum. In schola Valentini solus Nus ex Bytho et Sige, ideo Monogenes appellatus. Logus autem, quod a Bytho et Sige non esset, in deminorationem natus, et Æon cæcus fuit. Genealogia Æonum a Blondello perperam repræsentata. Fragmentum Valentiniani apud Epiphanium explicatur. Locus Cyrilli Hierosolymitani discutitur. Dallæi distinctio de mediata et immediata eductione exploditur. Verba Ignatii cum placitis Valentini male componuntur. Argumentis Dallæi omnibus particulatim respondetur. Genuina Ignatianorum explicatio redditur. Adversariorum expositio detorta ostenditur.

Stabilita prima assertione, sequitur assertio secunda, scilicet verba ipsa οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, ut sunt ab auctore epistolæ ad Magnesios prolata, ad Valentinum omnino non spectare,nec sine violenta detorsione ad ejus hæresin exponendam et oppugnandam applicari posse. Si enim Valentini delirium de emissione Logi, auctor epistolæ ferire voluisset,et tribus tantum verbis id facere cogitasset, iisque negative positis,et obiter adductis,dum contra alios et maxime oppositos hæreticos disputaret, contra quos eadem verba non minus quam adversus Valentinum facerent ; fieri omnino non potuit, nisi illud ipsum diserte negaret, quod Valentinus clare ac totidem verbis asseruerat Sententia enim negativa nihil aliud ferire potest,nisi oppositam affirmationem ; ut, si quis neget id quod ille nunquam affirmavit, ejus negatio Valentinum directe non feriat. Hæc adeo certa sunt, ut hic ipsum Dallæum habeamus confitentem. « Ego vero, inquit,respondeo plane necesse esse ut is,ad quem scriptor respexerit, quisquis ille de cætero sit, hoc certe docuerit: τὸν Λόγον ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν. » Quid neget Ignatius perspicuum est ex eo quod affirmat ; affirmat Λόγον esse ἀΐδιον, contra Ebionitas, negat ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν. Si Valentini delirium in animo habuit notare et refellere, oportet certe a Valentino dictum et assertum esse, Λόγον ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν. Hoc autem unquam diserte docuisse Valentinum nego. Si fragmenta omnia Valentinianorum excutias, si expositiones omnes eorum sententiæ evolvas, si objecta a SS. Patribus, Valentini hæresin ex professo et fuse exponentibus, singula percurras, nunquam hoc vel ab ipsis hæreticis scriptum, vel apud illos Patres expositum aut objectum reperies.

Nam primo non reperitur talis genealogia in iis fragmentis Valentinianorum, quæ etiamnum exstant, et in quibus quis Æon a Sige emissus sit, et ex quo Æone emissus sit Logus, diserte docetur. Unum ex his apud Irenæum, alterum apud Epiphanium exstat : in priore Logus est ex Arche, id est Nu, seu Monogene, et Aletheia ; in posteriore,aut ex iisdem, mediantibus Anthropo et Ecclesia, aut ex Anthropo et Ecclesia : in neutro ex Bytho et Sige emissus esse dicitur. Secundo, sententia Valentinianorum prolixe exponitur ab Irenæo lib. I, cap. 1, et Valentini ipsius præcipue cap. 5, sed nullibi Irenæus meminit Logi a Sige prolati ; non post eum Tertullianus, non Epiphanius, aut Philastrius, Augustinus, Theodoretus, non eorum quisquam qui de industria Valentini delirium exposuerunt. Præterea hoc dictum nunquam a Valentinianis vel inde patet,quia dici in schola Valentini non potuit. Ex ejus enim doctrina Æon a Sige emissus intra primam quadrigam, quam primordialem tetractyn et autenthicam nominabant, continebatur, a qua Logus exclusus est. Æon autem ille ex Bytho et Sige prognatus, virtute suæ generationis communicavit cum Patre supremo : illi Bythus cognitus fuit, reliquis non item. Ita Irenæus : Τὸν μὲν οὖν προπάτορα γινώσκεσθαι μόνῳ λέγουσι τῷ ἐξ αὐτοῦ γεγονότι μονογενεῖ, τουτέστι τῷ Νῷ, τοῖς δὲ λοιποῖς πᾶσιν ἀόρατον καὶ ἀκατάληπτον ὑπάρχειν. « Et propatorem quidem eorum cognitum soli dicunt ei, qui ex eo natus est Monogeni, hoc est No : reliquis vero omnibus invisibilem et incomprehensibilem esse. » Nus igitur Monogenes, sive unigenitus dictus est, quod ille solus ex Bytho et Sige natus est. Unde Tertullianus Νοῦν vocat illum Valentini Monogenem ex patre Bytho et matre Sige : et quamvis excipiat contra nomen Monogenis,illud tamen facit non respectu Logi, aut alterius post Logum Æonis,sed Aletheiæ tantum,quæ ex iisdem parentibus orta est. « Ita et ipse, inquit,Pater dicitur et initium omnium,et proprie Monogenes.Atqui non proprie,quia non solus agnoscitur ; nam cum illo processit et femina veritas. Monogenes, quia prior genitus, quanto congruentius Protogenes vocaretur?» Respectu Aletheiæ,scilicet quæ post eum, sed ex iisdem Bytho et Sige processit ; ratione autem ad reliquos Æones habita proprie Monogenes dicebatur,quod solus ille,reliquorum autem nemo, ex Bytho et Sige natus esset. Quin etiam hoc illi Monogeni adeo proprium et peculiare fuit, ut illi præ omnibus aliis Æonibus exinde maxima privilegia accesserint. Bythus illi soli, quod ab ipso natus esset, notus fuit. Logus, utpote qui ab ipso non emissus est, ut nec a Sige, Propatora non cognovit,ideo quia ab ipso natus non est : quapropter cæcus Æon dictus est, qualis a Sige emitti Bythi συζύγῳ non potuit. Irenæus, lib. II, cap. 48 : « Similiter autem rursus et de Logo tertiam prolationem ei a Patre donans, unde et ignorat magnitudinem ejus.» Tertullianus, cap. 9 : « Sed et hoc exceptio personarum est, quod solus ille Nus ex omnibus immensi Patris fruitur notione, gaudens et exsul-

tans, illis utique mœrentibus. » Qui a Bytho et Sige emissus est, ipsi Bytho similis et æqualis fuit: Logus autem minime, qui fuit in deminorationem emissus. Tertullianus, cap. 7 : « Suscipit illa statim et prægnans efficitur et parit utique silentio Sige ; et quem parit, Nus est, simillimum Patri et parem per omnia. » Irenæus, lib. II, cap. 24 : « Eum qui est a Nu Propatoris (ita lego) ipsorum emissus Sermo in deminorationem emissum dicunt. Nun enim perfectum a perfecto Bytho progeneratum jam non potuisse eam quæ ex eo est emissionem facere perfectam, sed obcæcatam circa agnitionem et magnitudinem Patris, et Salvatorem symbolum mysterii hujus ostendisse in eo qui a nativitate cæcus fuit. » Hæc igitur sunt in Valentini schola certissima dogmata. Nun, quia a Bytho et Sige emissus est, Bythum plenissime cognovisse, illique æqualem et parem esse : Bythum autem et Sigen alios Æonas progenerare noluisse, ideoque Nun Monogenem dictum fuisse. Ut autem alii Æones emitterentur, Nun etiam Archen et Patrem factum. Logum autem, qui ab eo progeneratus est, in deminorationem generari, eo quod ex Bytho et Sige emissus non esset, ideoque Bythum prorsus ignorare, et Æonem cæcum dici. Patet itaque in scholia Valentini Logum a Bytho vel Sige emissum dici non potuisse.

Blondellus, ut hæc evitaret, miram nobis Æonum genealogiam pertexit, et Valentinianorum sententiam hoc modo effictam exprimit : « Supremum illi Æonem somniantes Βυθὸν a se et προπάτορα dictum, qui ex Σιγῆς complexu geminam prolem Νοῦν seu Πατέρα et Ἀλήθειαν suscepisset ; rursus Νοῦν seu Πατέρα Σιγῇ matri commistum Λόγον καὶ Ζωὴν genuisse fingebant. » Hæc igitur corum genealogia, ex Blondelli sententia :

Bythus — Sige.
|
Nus Y Veritas
Nus — Sige
Sermo, Vita.

Aliam fatetur exposuisse Patres ; hanc autem accepisse se ait ex fragmento libri Valentinianorum, quod ab Epiphanio *Panario* suo insertum est. Hæc ille in præfatione ad Apologiam. In notis autem ad epistolam Isaaci Vossii asserit librum eum esse ipsius Valentini, et secundum eum Λόγον a Nu et Sige immediate processisse. Sed primo liber ille Valentino ipsi sine ullo fundamento ascribitur. Nam Epiphanius contra Valentinianos disputans et fragmentum hujus libri recitans, eum vocat τὴν αὐτῶν βίβλον· non *ejus*, sed *eorum* librum, alicujus scilicet Valentiniani, non ipsius Valentini ; et ad finem fragmenti addit : Καὶ ταῦτα μὲν ἀπὸ μέρους τῶν βίβλων αὐτῶν παρατεθέντα ἕως ὧδέ μοι εἰρήσθω, « et hæc quidem ex parte librorum eorum inserta huc usque mihi dicta sunto. » Imo falsissimo ipsi Valentino assignari certum est. Ejus enim propria sententia ab Irenæo refertur, quæ ab hujus libri delirio multum discrepat ; et Valentini discipulos tum a magistro, tum a seipsis sæpe dissensisse omnes norunt. Secundo, Æonum genealogia, quam Blondellus repræsentat, in eo fragmento minime continetur, sed plane alia, nempe :

Bythus — Sige
|
Pater
Pater — Sige
|
Veritas
Pater — Veritas
|
Homo, Ecclesia
Sermo, Vita.

Blondellus quidem verba quædam ex eo fragmento ad suam genealogiam firmandam recitat, sed admodum dolose : ea enim omittit, quæ ad rem maxime faciunt ; nostra autem ex ipsis fragmenti verbis sic dilucide colligitur. Valentinianus ille primo Bythum et Sigen describens, inquit : Καὶ αὐτὴ αὐτῷ μιγεῖσα ἀναδείκνυσι Πατέρα τῆς Ἀληθείας. » Prima igitur emissio est qua Pater veritatis ex Bytho et Sige generatur, quem et ἄνθρωπον vocabant. Μετὰ τοῦτο δὲ ἡ Σιγὴ φυσικὴν ἑνότητα φωτὸς προενεγκαμένη σὺν τῷ ἀνθρώπῳ (ἦν δ' αὐταῖς ἡ συνέλευσις τὸ θέλειν) καὶ ἀναδείκνυσι τὴν Ἀλήθειαν. « Postea autem Sige naturalem unitatem lucis proferens cum homine (erat autem illis velle congressus), parit etiam Veritatem. » Secunda igitur omissio est qua Veritas ex Patre, seu homine, et Sige generatur. Μετὰ τοῦτο ἡ Ἀλήθεια μητρικὴν προενεγκαμένη προυνεικίαν ἐθήλυνε τὸν Πατέρα ἑαυτῆς εἰς ἑαυτήν, καὶ συνῆσαν ἑαυτοῖς ἀφθάρτῳ μίξει καὶ ἀγηράτῳ [lego ἀκηράτῳ] συγκράσει, καὶ ἀναδείκνυσι τετράδα πνευματικὴν ἀρρενόθηλυν, ἀντίτυπον τῆς προούσης τετράδος. « Postea Veritas maternam proferens lasciviam, effeminavit Patrem suum ad seipsam, et congressi sunt invicem incorrupta mistione, et immortali coitu, et parit tetradem spiritualem prioris tetradis repræsentativam. » Tertia igitur emissio est, qua secunda tetras (Homo et Ecclesia, Sermo et Vita), ex Patre et Veritate generata est. Hæc est genealogia Æonum primæ ogdoadis in fragmento libri Valentinianorum apud Epiphanium descripta ; ex quo novam plane et hactenus inauditam Blondellus fecit, quam nec in eo fragmento, nec alibi reperias. Hanc autem ipse commentus est, ut Λόγον suum ex Sige immediate produceret ; quod omnibus Valentinianorum genealogiis repugnat. Et sententiam suam firmare videtur ex verbis quæ sequuntur, ἥτις ἦν Βυθὸς, Σιγὴ, Πατὴρ, Ἀλήθεια· αὕτη δὲ ἡ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τῆς Σιγῆς τετρὰς, Ἄνθρωπος, Ἐκκλησία. Λόγον, Ζωή. Sed si hæc verba aliquid probarent, Λόγον a Sige non immediate productam docerent ; sunt enim tantummodo priorum explicatio ; in prioribus autem secunda tetras non immediate a Sige, sed a Veritate producitur : hæc igitur ad sententiam Blondelli nihil omnino faciunt. Sed ut in illo fragmento multa corrupta sunt, ita hic

etiam locus mihi sanus non videtur; nam vel αὕτη δὲ ἡ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τῆς Σιγῆς Ἀλήθειαν immediate præcedentem spectat, quæ secundum hunc Valentinianum ex Patre et Sige prognata est, et tunc aliquid ante sequentem vocem τετράς deest; vel pro Σιγῆς omnino legendum est Ἀληθείας, ut hæc præcedentibus conveniant. Frustra etiam huc advocat Blondellus corrupta illa verba Cyrilli in catechesi 6 : Ἐγέννησε Σιγὴν, καὶ ἀπὸ Σιγῆς ἐτεκνοποίει Λόγου. Locus ille adhuc in mendo cubat, nec ab interprete intellectus est. Ὅτι ὁ Βυθὸς ἐγέννησε Σιγὴν, καὶ ἀπὸ τῆς Σιγῆς ἐτεννοποίει Λόγου, τοῦ παρ' Ἕλλησιν Διός· οὗτος χείρων τοῦ τῇ ἀδελφῇ μιγνυμένου· τέκνον γὰρ εἶναι τοῦ Βυθοῦ ἐλέγετο ἡ Σιωπή. Ita Græca verba edita et distincta sunt, quæ Joannes Grodecius sic interpretatus est : « Quod Bythos, id est profundum, genuerit Sigen, id est Silentium, et de Sige procrearit Logon, qui Jupiter sit gentilibus, et deterior ac inferior eo qui cum sorore sit mistus. Sige enim Bythi filia dicebatur. » Mira hic tradit interpres de Logo Valentiniano qui sit Jupiter gentilibus Legit enimvero in ms. suo vocem Λόγου, sed corrupte exaratam, quare et a prioribus et a sequentibus in Græcis distinxit, in Latinis autem utrique sententiæ conjunxit, cum ἐκτεκνοποίει composuit, ac si scriptum esset Λόγον (quemadmodum in ms. Oxoniensi legitur) cum τοῦ Διός conjungit, ac si eodem casu legeretur, atque ita omnia confundit. Si Λόγον quidem legamus, sensus verborum hic perspicuus est : « Bythus genuit Sigen, et e Sige generavit Logum. Joxe gentilium hic pejor est, qui cum sorore mistus est. Filia enim Bythi dicebatur Siope. » Sed illa vox Λόγου quæ hunc locum adeo turbavit omnino necessaria non est, sive priora, sive posteriora verba respicias. Posterioribus non competit, quod Grodecius voluit. Cyrillus enim non Logon, sed Bythum Jovi comparat. Prioribus neque Λόγου competit, neque Λόγον necessarium est; nam τεκνοποιεῖν *leberos procreare*, quicunque tandem illi sint, saiis ad hujus loci sensum exprimendum valet. Docet enim Cyrillus Jovem sorori mistum fuisse, Bythum ex filia sua procreasse liberos : quod turpius est, Quamvis mihi etiamnum maxime arrideat, quod olim mihi ipsi in mentem venit, legendum scilicet esse non Λόγου vel Λόγον, sed λόγῳ τοῦ Διός, ad modum, vel similitudinem Jovis, ea ratione qua Jupiter procreavit liberos, ut λόγῳ adverbialiter sumatur, neque ad Æonem Valentinianum omnino spectet. Certe si λόγον admittamus, Cyrillum dogmata Valentini mirifice confundere dicendum est; neque excusatio Blondelli quidquam valet, quasi Bythum seu Propatorem cum Nu seu Patre Valentinianos confudisse statuat. Nam si supponas hic Patrem, seu Nun, pro Bytho et Propatore sumi debere, omnia adhuc erunt a schola Valentini prorsus uliena. Bythus hic dicitur genuisse Sigen, at Sigen a Nu generatam fuisse, nemo unquam Valentinianorum somniavit. Bythus dicitur ex Sige genuisse Logon. Valentiniani licet Nun velint Logon henuisse : nunquam tamen eum Logon ex Sige emissum admittebant. Bythus hic ex Sige tanquam ex filia sua generat liberos : at si Valentinianus quispiam dicat Nun seu Patrem ex Sige Æonem aliquem procreasse, id factum non ex filia, sed ex matre docebant. Logo igitur Cyrilli infelicissime usus est Blondellus; et satis adhuc manifestum est a Valentino nunquam dictum fuisse Λόγον ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν.

Exposita sententia, rationibusque nostris adversus Blondelli astutias defensis, videamus quid Dallæum moveritut aliter sentiret : « Ipsa hæc verba in Valentinum ferri, ejusque delirium ferire, non est, inquit, ut opinor, obscurius. » Primum quam timide, ut « opinor, » et, « non obscurius ! » Imo vero certissime obscurius, et, ut opinor, absurdius; quod ex viri doctissimi probatione patebit luculentius. Ex Irenæo quidem fabulosam Valentini divinitatem exponit, eademque Tertullianum, Epiphanium et alios tradere asserit. Hæc nunc non excutio; sed num Irenæus, vel alius quisquam in enarranda Valentini divinitate tradit Sigen peperisse Logon, aut Logon non dicit ab alia quam Sige fuisse emissum? Hoc non dicit, quod omnino dicere debuit, si aliquid quod ad suam sententiam confirmandam valeret, afferre vellet. Sed ejus loco hoc tantum dixit : « Quorum nemo est qui non a Sige eductum a Valentino Logon, vel immediate ut a matre filium, vel certe mediate ut ab avia nepotem commemoret. » Imo vero hæc in hac re distinctio de mediata et immediata eductione est vel ab ipso, vel a Blondello excogitata; neque talis eductio ab ullo istorum Patrum est exposita; nemo eorum vel mediate vel immediate Logon vel ex Sige vel ex alio Æone eductum fuisse dixit. Hæc distinguendi subtilitas et Valentini et Patrum ævo longe inferior esse cognoscitur; nec ibi adhiberi debuit, ubi de nuda eorum sententia quæritur. Præterea quorsum hæc distinctio in duo membra, ut sit Logus vel filius Siges, vel nepos? An quispiam eorum quos commemorat, Logon Siges filium nominat, aut ex Sige immediate educit, ut Dallæus eum recte Siges filium vocare possit? Dixit quidem Irenæus Λόγον Υἱὸν μονογενοῦς, « Verbum Unigeniti Filium, » Siges filium non dixit. Ipse Irenæum adducit ut ostendat ex Sige prodiisse Nun, Nun autem et suam Aletheiam emisisse Logon, et eadem Tertullianum et Epiphanium docuisse asserit. Si autem hæc vera sint, tum eorum nemo Logon a Sige immediate ut a matre filium eductum commemorat. Et tamen cum ista tam infeliciter dixisset, ac si res jam confecta esset, inquit : « Hæc nobis delibasse satis est, ut quivis intelligat de hac Valentini matæologia cogitasse epistolæ ad Magnesianos scriptorem. » Cogitavit, scilicet, ille antiquus scriptor prius de mediata et immediata eductione Æonum; vidit secundum Valentini sententiam a viris eadem scribentibus Logon e Sige vel ut matre, vel ut avia eductum, ideoque simpliciter negat Verbum ex silentio prodiisse. Hæc

rationis Dallæanæ summa, quam absona, quam detorta quis non videt?

Hactenus Valentini sententiam exposuit, nunc auctoris verba cum ejus placitis componit,ut eum de Valentino,cum scriberet,cogitasse probet.Primo hoc exinde colligit,quod ait«Deum esse unum.»Mira hæc probatio. Nonne causam satis justam habuit auctor epistolarum, ut Deum unum diceret, qui sæpe Christum Deum esse dixit? Nonne omnes catholici ante Valentinum Deum esse unum sæpe affirmarunt? Si quisquis dixit unum esse Deum de Valentino cogitavit,nemo ante Valentinum catholice scripsit.Sed nondum etiam liquet Valentinum Dei unitatem negasse. Nam cum Irenæus ejus et sequacium omnium deliria exposuisset,llæc habet, lib. I, cap. 19: « Omnes enim fere quotquot sunt hæreses Deum quidem unum dicnnt, sed per sententiam mala immutant.»Et rursus lib. IV, cap. 38: « Judicabit autem et eos qui sunt a Valentino omnes, quia lingua quidem confitentur unum Deum Patrem,et ex hoc omnia; ipsum autem qui fecerit omnia, defectionis sive labis fructum esse dicit. » Aperte igitur professus est Valentinus unum esse Deum, et licet Tertullianus eum tot deos quot Æonas fecisse rhetorice pronuntiet, ipse tamen Æonas Valentini nihil aliud fuisse quam sensus et motus; et in personales substantias a Ptolemæo mutatos esse asserit. Præterea epistolæ auctor hoc ipso loco unitate Dei expresse adversus Ebionæos utitur, contra quos ex professo disputans docet prophetas secundum Christum vixisse, et ideo persecutionem passos esse, dum ejus gratia imbuti essent, ut omnes agnoscerent « quod unus Deus est qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ipsius. » Secundo, « addit unum Deum, » inquit, seipsum manifestasse per Jesum. An hoc dicere non potuit nisi de Valentino cogitasset? Quænam ratio cogit hic nos ad illius deliria confugere? Nonne hæc satis perspicua sunt et ad Ebionæos confutandos idonea, si Valentinus numquam exstitisset? Nonne per se satis recte dicta sunt, licet nullum omnino hæreticum perstringerent? Quemadmodum Clemens Alexandrinus *Admonitione ad gentes* locutus est de Christo Logo: Ἀΐδιος οὗτος Ἰησοῦς εἷς ὁ μέγας ἀρχιερεὺς θεοῦ τε ἑνὸς τοῦ αὐτοῦ καὶ Πατρός, quibus verbis ipsam Ignatii epistolam in animo habens usus esse videatur?Non puto virum doctissimum id velle,ut aliter hæc intelligi non possint, nisi ut Valentinum feriant hoc tantum, opinor, vult, hæc verba « omnes ejus nugas disjicere. » Sed quis ei vel hoc concedet? An qui dicit Deum unum se per Christum manifestasse satis omnia Valentini dogmata confutavit? Nonne idem potius dicit quod dixit Valentinus, qui ideo emissum Christum docuit,ut innominabilem et incomprehensibilem Patrem, quem unum Deum professus est,declararet?Tertio,docet auctor Jesum Christum esse Dei illius qui se manifestavit Filium. Ergone Valentinum necessario respexit? Nemone id asserere potuit qui ejus deliria non audiverat? At hoc cum Valentini fabulis non consentit. Recte: atque hinc fortasse colligere possumus,auctorem epistolæ non fuisse Valentinianum: nec aliud quidquam inde sequitur.Quarto, « addit Christum Dei Filium esse ejus Λόγον. » Hinc recte fortasse colligatur auctorem nostrum post S. Joannem evangelistam scripsisse,post Valentinum neutiquam. « Jesum quidem et Christum a Verbo Valentinus divisit. » Sed an hæc omnia simul dicere, est Valentinum refutare? An eumdem Jesum et Christum et Λόγον nominare est illius impium delirium disjicere? Non puto.Nam et ipsi Valentiniani eumdem et Jesum et Christum et Λόγον nominabant. Hoc diserte tradit Theodoretus, lib. I, cap. 7: Προβάλλονται διὰ τούτων τὸν Ἰησοῦν, ὃν καὶ Σωτῆρα προσαγορεύουσι καὶ Χριστὸν Λόγον. « Jesum inde produxerunt, quem et Servatorem appellant, et Christum Verbum. » Ipse etiam Irenæus tradit nobis perfectum fructum Ἰησοῦν, ὃν καὶ Σωτῆρα προσαγορευθῆναι καὶ Χριστὸν καὶ Λόγον πατρωνυμικῶς, καὶ πάντα, « Jesum, quem et Salvatorem vocari et Christum et Logon patronymice,et omnia.» Quinto, « Λόγον sermonem æternum dixit.»Nempe catholice: secutus est Apostolum, Ecclesiæ vocem edidit, et adversus Ebionem usurpavit.Si Valentinus æternum esse non credidit, ante eum Ebion æternum esse negavit Quorsum igitur Valentinus huc advocatur, cum ad manum sit Ebion, contra quem auctor epistolæ ex professo disputat?Sexto, « de vero Dei Λόγῳ postremo subjicit οὐκ ἀπὸ Σιγῆς προελθεῖν. » Recte, sic enim exegetice dicit, quod ante dixerat, cum eum Λόγον ἀΐδιον pronuntiasset. Ita Apostolum explicat, Ebionem refutat, Magnesianos præmunit; ac si diceret: Verbum hoc quod de Christo dicitur, æternum est, non temporale, quale ex silentio oriri solet,nec nisi post silentium prodire;quod adversus Ebionem ejnsque sequaces semper urgendum est; non ac si diceret: « Λόγον hunc nihil habere cum Valentiniano Λόγῳ commune,quem impostor a Sige exire fingebat.»Neque enim hic de Valentino agitur, sed de Ebione; importune igitur ille hoc loco advocatur: neque impostor illa unquam dixit Λόγον a Sige emissum esse, sed ex Monogene, Bythi et Siges filio unigenito, Dallæus ipse sententiam ejus ex Irenæo delineavit reliquosque eum sequi ait: nulla ibi Logi e Sige progeneratio;nulla itaque hic ad Valentinum allusio. Et sex argumenta ex una sententia mire conflata ne unius quidem vim habent.

Quare hoc loco satis jam vexato atque detorto, ea tandem recolit,quæ proxima paulo ante periocha de Christo auctor epistolæ dixerat, ut eo loco hæresim Valentini refutatam inveniat,in quo Ignatius de nulla hæresi disputat, sed tantum Magnesianos monet, ut a schismate caveant, et Christianam veritatem arcte amplexentur, quam particulatim explicat, dein argumento ab unitate Dei et Christi ducto exornat: quod et per se satis proprium est,

et vetustissimis scriptoribus familiare. Ita Clementis Alexandrini *Admonitione ad gentes* repræsentat Christum Logon innumerabiles populos ad unitatem Ecclesiæ in hunc modum convocantem, Ἴκετε ὡς ἐμέ, ὑφ' ἕνα ταχθησόμενοι Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα Λόγον τοῦ Θεοῦ. Ita *Pœdagog.* lib. I, unitatem Ecclesiæ mirifice depingit : Ὦ θαύματος μυστικοῦ ! εἷς μὲν ὁ τῶν ὅλων Πατήρ· εἷς δὲ καὶ τῶν ὅλων Λόγος· καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πανταχοῦ. Μία δὲ μόνη γίνεται μήτηρ Παρθένος· Ἐκκλησίαν ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν. « O miraculum mysticum ! Unus quidem universorum Pater : unum autem et universorum Verbum ; et Spiritus sanctus unus ac idem ubique. Una autem sola est mater virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. » Et gentes etiam invitat ad hanc unitatem, tanquam unitati divinæ conformem et ad illam tandem perducentem : Σπεύσωμεν εἰς μίαν ἀγάπην συναχθῆναι οἱ πολλοὶ κατὰ τὴν τῆς μοναδικῆς οὐσίας ἕνωσιν· ἀναλόγως ἑνότητα διώκωμεν τὴν ἀγαθὴν ἐκζητοῦντες μονάδα. Ἡ δὲ ἐκ πολλῶν ἕνωσις ἐκ πολυφωνίας καὶ διασπορᾶς ἁρμονίαν λαβοῦσα θεϊκὴν μία γίνεται συμφωνία, ἑνὶ χορευτῇ καὶ διδασκάλῳ τῷ Λόγῳ ἑπομένη, ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν ἀναπαυομένη, Ἀββᾶ λέγουσα, ὁ Πατήρ. « Festinemus ut in unam dilectionem multi cogamur, secundum monadicæ essentiæ unionem ; analogice unionem persequamur bonam exquirentes unitatem. Quæ est autem ex multis unio ex vocum multitudine et dispersione divinam capiens harmoniam unus fit concentus, unum chori ducem sequens et magistrum Verbum, in ipsa acquiescens veritate, dicens : Abba Pater. » Hæc igitur de uno Deo Patre, et uno Christo Logo doctrina, semper habita est per se satis ad unitatem ecclesiasticam premendam idonea. Non aliter hic Ignatius : « Omnes, inquit, in unum templum concurrite, ut in unum altare, in unum Jesum Christum, ab uno Patre exeuntem, et in unum exsistentem et revertentem. » Hic Logon Valentini respexisse auctorem vult Dallæus, cum tamen de Verbo nihil dicat ; conjungere itaque cum reliquis satis ab hoc loco disjunctis et in alio argumento occupatis coactus est, ut aliquid ex utroque exculpat. « Negat exire a Sige, dicit exire a Patre : » ergo Valentinum ferit. Quo nihil dici potuit infelicius. Si enim sic auctor Valentinum respicit, non eum impugnat, sed sequitur ; non ejus deliria refutasse, sed potius amplexus esse videatur. Negat enim quod negavit, dicit quod dixit Valentinus. Negat auctor epistolæ Λόγον exire a Sige Bythi conjuge ? Negat et Valentinus, qui eum cæcum Æona depinxit, qualis ex Sige Bythi conjuge exire non potuit ; et cum in deminorationem emissus esset, eum ex aliis Æonibus, Monogene et Aletheia necessario eduxit. Dicit auctor Λόγον exire a Patre ? Dixit et Valentinus ; ex Monogene enim emissum tradit, Monogenes autem Valentino proprie Pater est. Ita Irenæus, τὸν δὲ Νοῦν τοῦτον καὶ Μονογενῆ καλοῦσι καὶ Πατέρα. Tertullianus de Nu : « Ita et ipse Pater dicitur, et initium omnium, et proprie Monogenes. » Prima tetras ex ipsis Valentinianorum libris desumpta apud Epiphanium hæc est, Βυθὸς, Σιγή, Πατὴρ, Ἀλήθεια, ubi ex Patre et Veritate generatur Logos. Exivit igitur Logos secundum Valentinianos non a Sige, sed a Patre. Quare si autor epistolæ illos hæreticos in animo habuisset, nunquam negasset quod illi non affirmarunt ; nunquam dixisset quod illi dixerunt.

Sed si Valentinum non feriat, cum exire a Patre scribit, ad eum certe collineat, quod ex uno Patre exire dicat. Minime vero ; non enim docuit Valentinus Logon ex pluribus patribus exiisse. « At, inquit, non dixit ab uno patre Nu, sed et a matre Aletheia. » Præclarum enimvero argumentum ! An eo minus erat ex uno Patre, quod esset etiam ex matre ? De posteritate Abrahami Apostolus Hebr. XI, 12 : Διὸ ἀφ' ἑνὸς ἐγενήθησαν, *Propter quod et ab uno orti sunt.* Non igitur habuerunt matrem qui ab Abrahamo descenderant ? aut quia *ab uno orti sunt* avum aut aviam habere non potuerunt ? Nazianzenus orat. I *De Adamo* ; Παντα ὑπὲρ πάντων εἰς ἕν, καὶ ὑπὲρ ἑνὸς τοῦ προπάτορος. Erat, scilicet Adamus, unus ille propator humani generis, quamvis Eva etiam fuerit mater omnium viventium. Tam malis avibus hoc loco usus vir doctissimus progreditur tamen, et postrema etiam verba [Jesum Christum in unum, Patrem scilicet, exsistere et reversum esse] « non alio quam in fictitium Valentini Christum destinata statuit. » At postrema sententiæ verba eumdem sine dubio spectant, quem ejusdem sententiæ priora ; eumdem auctor intelligit a Patre exeuntem et ad Patrem revertentem. Prioribus vult Dallæus Valentini Logon feriri, posterioribus ejusdem Christum ; cum in Schola Valentini Logos et Christus sint prorsus et plane distincti. Non igitur utrumque, imo neutrum ferit. Utcunque sit, ferri non potest, ut nos ad Valentini Logon et Christum rejiciat, et simul hæc ab auctore epistolæ juxta S. Joannem scripta pronuntiet. Quid enim opus est ut Valentinum respiceret, qui de S. Joannis mente exprimenda cogitavit ? Imo quid hoc ad generationem Logi, quod agit de Incarnatione sive adventu in mundum ? nt superius eum locum exponendum esse docui.

Atque hæc quidem omnia sunt quæ vir doctissimus attulit ut ostenderet auctorem nostrum, dum hæc scriberet, Valentinum ejusque fabulas in animo habuisse ; quorum nihil est quod assensum cogat, vel ipso, opinior, judice ; ut ego autem sentio, nihil quod quemquam vel leviter moveat, qui non eodem modo Ignatii epistolas legerit, quo Scripturas olim legebat Valentinus, ut omnia, scilicet, ad suum sensum trahat, et in proprium characterem convertat. Quod si cui liberet facere, quam proclive esset catholicum quemvis Patrem in Valentinianum convertere ! Exempli gratia sumo suavissimos Synesii hymnos : in quibus hæc lego et quidem de Logo : Λόγος, ὃν μεγάλῳ Πατρὶ συνομνῶ Νόος

ἀῤῥήτου Τίκτει σε Πατρός. « Verbum, quod magno Cum Patre cano, Mens ineffabilis Gignit te Patris. » Vides hæc omnia esse ex Valentini schola. Habemus Patrem ἄῤῥητον, Νοῦν et Λόγον tres primos Æonas masculos. Valentinus ipse ita definivit δυάδα ἀνονόμαστον, ἧς τὸ μέν τι καλεῖσθαι ἄῤῥητον, τὸ δὲ σιγήν. Ἄῤῥητος itaque idem qui Bythus, ex Bytho Nus, ex Nu Logus. Purus potus itaque Valentinianus erit Synesius. Nam et quæ sequuntur ex eadem officina esse videntur: Πρῶτος πρώτας Προβορὼν ῥίζας. Ῥίζα δὲ πάντων Τῶν μετὰ κλεινὰν Τὰν σὰν γένναν. « Primus ex prima Prognatus radice ; Radix autem omnium, Quæ condita sunt post inclytum Tuum ortum. » Primam enim tetrada ῥίζαν τῶν πάντων appellabant, et Logum ex illa eductum Πατέρα πάντων τῶν μετ' αὐτὸν ἐσομένων. Apud eumdem lego: Μάκαρ, ὅστις μετὰ μοίρας Ἐπιβὰς Νόου κελεύθων· Βυθὸν εἶδεν θεολαμπῆ. « Beatus, qui post fata Ingressus Mentis vias, Bythum vidit divina refulgentem luce. » Vides ut statuat summam beatitudinem in visione Bythi, eaque patefacta per Nun. Quod et iterum exprimere in hunc modum videtur: Ἐπιβαλλόμενος Προσιδεῖν αἴγλαν Ἀκάμαντι Βυθῷ Ἀμαρυσσομέναν. « Dum tegtat Intueri splendorem Indefesso Bytho Fulgentem. » Deum certe Patrem vocat προπάτορα, et αἰωνοτόκον, et θῆλυ καὶ ἄῤῥεν. An ipsi Valentiniani aliter loquerentur ? Eodem argumento probari posset Lucianum in Philopatri Valentinum perstrinxisse, ubi deridet doctrinam Trinitatis. Ita enim Critias : Οὐκ οἶδα γὰρ ὃ λέγεις, ἓν τρία, τρία ἕν· μὴ τὴν τετρακτὸν φῇς τὴν Πυθαγόρου, ἢ τὴν ὀγδοάδα, καὶ τριακάδα. Cui respondet Triephon : Σίγα τὰ νέρθεν, καὶ τὰ σιγῆς ἄξια. Quis enim nescit Tetradem et Octonationem, triginta Æones Valentinianorum, qui etiam, teste Irenæo, Tetradem πρώτην καὶ ἀρχέγονον Πυθαγορικὴν τετρακτύν nominabant ? Quid quod Triephon statim respondens dicat hæc silentio esse digna, ut sæpe etiam in hac re Patres loquuntur ? Scilicet, si verba, a Valentino secundum proprium characterem usurpata, quoties apud alios scriptores leguntur, eodem sensu apud eos accipiantur ; quemcunque volumus aut hostem, aut amicum Valentini faciamus. Ut illi Ignatium, ita ego Lucianum hostem, amicum autem Synesium feci. Pari jure utrumque factum est, hoc est, nullo.

Ut autem liquido appareat has omnes viri doctissimi explicationes et ad Valentini deliria allusiones non esse omnino vel necessarias vel opportunas, sed potius a mente et scopo auctoris prorsus alienas, imo commenta esse, quæ totam Ignatianæ orationis seriem alio violenter detorquent ; locum ipsum integrum proponemus, et explicatione simplicissima et ad rem quam volumus maxime accommodata ab importunis glossis vindicabimus. Prior perioche nihil aliud est quam vehemens exhortatio ad unitatem ecclesiasticam, toties ab ipso, toties ab Apostolo inculcatam, tot encomiis a SS. Patribus ornatam ; οὐδὲν γὰρ εἰρήνης ἴσον καὶ συμφωνίας, ut ut loquitur Chrysostomus. Sic igitur affatur Magnesios Ignatius, ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, « in concordia Dei studete omnia operari, » μηδὲν ἔστω ἐν ὑμῖν ὃ δυνήσεται ὑμᾶς μερίσαι, « nihil sit in vobis quod possit vos partiri. Uniamini episcopo et præsidentibus, Ut Dominus sine Patre nihil fecit, » ἡνωμένος ὤν, « unitus exsistens, neque per seipsum. neque per apostolos ; sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operamini. » Sit, inquit, ἐπὶ τὸ αὐτὸ « una ratio, una deprecatio, mens una, una spes. » Rationem statim reddit et eam quidem apostolicam : Εἷς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός, « Unus Jesus Christas est, » quo melius nihil est. Ut S. Paulus Ephesios [29] cohortans ut servent « unitatem spiritus in vinculo pacis, Vocati estis in una spe ; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium, » παντα χοῦ τὸ ἓν καὶ εἷς τέθεικεν, inquit Theodoretus, εἰς συμφωνίαν συνάπτων τὴν Ἐκκλησίαν : tta etiam et Ignatius idem argumentum prosequitur. « Omues igitur ut in unum templum conveuite (quibus verbis primitivam Ecclesiæ unitatem in *Actibus apostolorum* descriptam repræsentare videtur), in unum altare, in unum Jesum Christum, » quem, quoniam iterum proponit, latius describit, ab uno Patre exeuntem et in unum exsistentem, et revertentem. » S. Paulo S. Joannem adjungens, apud quem Christus ipse ait : *Exivi a Patre, et veni in hunc mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* [30]. Ab unitate igitur Christi et Dei Patris cum Apostolo argumentum ducit Ignatius ad commendandam unitatem ecclesiasticam. Nam, ut optime observavit S. Chrysostomus, Ὅταν ἐπί τι μεῖζον παρακαλῇ ὁ μακάριος Παῦλος, συνετὸς ὢν σφόδρα καὶ πνευματικὸς, ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ποιεῖται τὴν παράκλησιν. « Beatus Paulus, admodum prudens ac spiritualis, cum ad aliquid præstantius hortatur, ab iis quæ in cœlis sunt exhortationem promit. » Quare, cum tota hæc perioche nihil aliud sit quam exhortatio ad unitatem, eaque verbis et sensibus evangelicis et apostolicis expressa ; cum ob unitate Christi et Dei Patris in hac ipsa re argumentum ducere solemne sit ; importuna plane est de longe petita hæreticorum dogmatum expositione aut refutatione cogitatio ; et animi auctoris ad suam hypothesim maxime attenti violenta distractio.

Altera vero quæ sequitur perioche, et quidem satis prolixa, tota quanta est ad hæresim evitandam comparata est. Μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, ut epistola ad Smyrnæos, καταμάθετε καὶ τοὺς ἑτεροδοξοῦντας· unde Origeni ἑτερόδοξοι vox adeo familiaris, quam male transtulit Hieronymus. Quales autem hi heterodoxi sive hæretici fuerint, contra quorum dogmata Magnesianos præmunit, statim his verbis docet, μηδὲ μυθεύμασι παλαιοῖς ἀνωφε-

[29] Cap. IV, 3 6. [30] Joan. XVI, 28.

λίσιν οὖσιν· non quod auctor, quia post Clementem Alexandrinum scripsit, ut Blondellus voluit, commenta Valentinianorum antiqua sive vetusta vocaret; pugnat hoc enim cum omnibus istius ævi scriptis quæ hæreticorum dogmata semper tanquam nova exagitant; sed instituta Judaica cum fabulis commista, quæ tanquam παλαιὰ et ἀνωφελῆ sæpe ab apostolo traducuntur. Ita ipse paulo post veteres Judæos ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντας, *in veteribus rebus conversatos esse* dicit; ita Epiphanius contra Ebionem disputat, ὅτι οὐ χρὴ βαπτισμοῖς χρῆσθαι καὶ ἔθεσιν ἀνωφελέσιν, « quod non oporteat lavacris uti et consuetudinibus inutilibus. » Quis autem unquam Valentinianorum fabulas tantum diceret « inutiles. » de quibus Irenæus: « Super omnes est blasphema regula ipsorum. » Licet enim philosophorum doctrinam, ex qua suam aliquatenus derivarunt, alicubi veterem et inutilem vocet, eorum tamen matæologiam et tanquam novam, et tanquam blasphemam condemnat. Ideoque interpolator, sive paraphrastes, sensum secutus, auctoris mentem his verbis expressit: Μηδὲ μύθοις ἐνέχετε καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, καὶ Ἰουδαϊκοῖς τύφοις, « neque intendatis fabulis, et genealogiis interminatis, et Judaicis inflationibus, » locum S. Pauli respiciens ad Timotheum [31], cui etiam addidit illa ad Corinthios: *Vetera enim transierunt, et ecce facta sunt omnia nova* [32]. Nullam certe aliam hujus loci expositionem patitur ratio ipsa exhortationis quæ immediate subjungitur: « Si enim usque nunc secundum Judaismum vivimus, confitemur gratiam non recepisse. » Nisi enim priora de Judaismo intelligantur, hæc plane erunt ridicula. Quorsum, quæso, hæc, nisi illis fabulis vetustis et inutilibus ad Judaicum vitæ characterem Christianos revocarent hæretici illi, conrra quos disputat? At nihil tale docuit Valentini schola; qui tam abjecte de Demiurgo scripsit, ad legem Mosaicam discipulos nunquam revocavit. Ebionæi hoc urgebant, qui Christum ipsum Judaicis ritibus obedientem fuisse observabant, et illius exemplo Christianos omnes ad eosdem ritus observandos obligare voluerunt. Hi enim docuerunt δεῖν πάντως αὐτοῖς τῆς νομικῆς θρησκείας, ὡς μὴ ἄν διὰ μόνης τῆς εἰς τὸν Χριστὸν πίστεως καὶ τοῦ κατ' αὐτὴν βίου σωθησομένοις. « Legis observationem sibi omnino necessariam ducebant, quasi per solam in Christvm fidem vitamque ex ea fide traductam salutem consequi non valerent. » Euseb., lib. III, cap. 27. Ut ab his igitur caveant, Magnesianos monet Ignatius; quippe Ebion in Asia suum dogma disseminaverat, tradente Epiphanio, οὗτος μὲν οὖν ὁ Ἐβίων καὶ αὐτὸς ἐν τῇ Ἀσίᾳ εἶχε τὸ κήρυγμα. Contra hos igitur judaizantes et proprie et fuse disputat. « Dividissimi enim prophetæ, inquit, secundum Christum Jesum vixerunt; propter hoc et persecutionem passi sunt inspirati a gratia ipsius. »

Unde firmissime colligitur, adeo ut ne quidem ab incredulis ipsis hæreticis negari possit, ὅτι εἷς Θεός, ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod Deus quem illi coluerunt, unus et idem sit, qui se per Jesum Christum revelavit, cujus illi gratia repleti erant: Jesum, inquam, Christum Filium suum, non talem, qualem illi docent (λιτόν, vel κοινόν vel ψιλὸν ἄνθρωπον, hominem nudum, simplicem, aut vulgarem, κατὰ ἐκλογὴν Υἱὸν Θεοῦ κληθέντα, secundum electionem Filium Dei vocatum, ὃν φάσκουσιν οὐκ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς γεγενῆσθαι, quem dicunt non a Deo Patre genitum), sed ὃς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, qui ipsius Dei Verbum est æternum, secundum illud S. Joannis [33]: *In principio erat Verbum*, Verbum, inquam, tamen æternum, Λόγος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Neque enim vulgare aliquod verbum est, quale est hominis scilicet, aut cujuslibet creaturæ, quod ex silentio prodire solet, adeoque aliquid præcedens agnoscere, sed Verbum Dei Deoque coæternum. Hæc autem directe Ebionæos feriebant, quorum etiam iili qui cæteris meliores esse videbantur, qui Christum ex Virgine et Spiritu sancto genitum esse non negabant, οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως καὶ οὗτοι προϋπάρχειν αὐτὸν Θεὸν Λόγον ὄντα καὶ σοφίαν ὁμολογοῦντες τῇ τῶν προτέρων περιετρέποντο δυσσεβείᾳ, « nihilominus eum Christum, utpote Deum Verbum et sapientiam, ante omnia substitisse minime fateantur, » adeoque sanctissimos prophetas illius gratia inspiratos fuisse negent, « in eamdem cum prioribus impietatem delapsi sunt; » μάλιστα ὅτε καὶ τὴν σωματικὴν περὶ τὸν νόμον λατρείαν ὁμοίως ἐκείνοις περιέπειν ἐσπούδαζον, « præsertim cum corporales legis Mosaicæ cæremonias perinde ac illi accurate custodiant, » ut docet Eusebius. Quare ab Epiphanio etiam observatam est, quod S. Joannes, ἐλέγχει αὐτοὺς κατὰ πάντα τρόπον, λέγων, ὅτι ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν Λόγος, « refutat Ebionæos omnibus modis, dicens, quod *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum.* » Certe si Joannes illis, etiam Ignatius his verbis Ebionæos refutat; neque id clarius patere potest quam ex iis, quæ immediate et eosdem aperte feriunt. « Si igitur, inquit, illi divinissimi prophetæ in veteribus rebus conversati in novitatem spei venerunt, non sabbatizantes, sed secundum Dominicam vitam viventes, etc., quomodo nos poterimus vivere sine illo, cujus et prophetæ discipuli exsistentes spiritu ipsum ut doctorem exspectabant? » Cum igitur hæc omnia quæ in hac perioche continentur tam directe Ebionem feriant, cum ne minima quidem sententiola otiosa sit aut alio spectans, sed cuncta confertim et conglobatim hæreticum eum petant et jugulent; nullus omnino deliriis Valentinianis locus esse potest. Unde haud injuria nobis posita videtur assertio secunda, Nec verba ipsa οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, nec alio ulla

[31] I Tim. I, 4. [32] II Cor. V, 17. [33] Cap. I, v. I.

his duabus periochis contenta, ad Valentinum omnino spectare, adeoque ea sine violenta verborum detorsione ad illius hæresin exponendam aut refutandam applicari non posse.

CAPUT VI.

Assertio tertia, hæresin hano Valentino fuisse antiquiorem, et a veteribus Gnosticis acceptam. Idem asseritur ab Irenæo, Tertulliano, Epiphanio et Theodoreto. Ostenditur Bythum et Sigen inter Gnosticorum veterum combinationes fuisse, contra Blondellum. Probatur eosdem et Nun et Aletheian ex Bytho et Sige eduxisse, ex Nu vero vel Anthropo Logon, contra Dallæum. Tria Dallæi argumenta in contrarium adducta refelluntur,

Quamvis exposita comprobataque assertione secunda adversariorum argumento satisfecisse mihi videar, tertiam tamen adjungendam putavi. Licet enim mihi persuasissimum sit auctorem epistolarum aut Valentinum ipsum,aut hæresin ejus nunquam diserte respexisse, idque putem a me esse satis aperte demonstratum, tamen ne quis in animis eorum,qui Salmasii, Blondelli et Dallæi rationibus hactenus assueti sunt, scrupulus hæreat, et ne nostros etiam Usserium, Vossium et Hammondum deserere videar, quorum responsiones firmissimas esse credo, eas resumere atque confirmare statui : adeo ut, si quis adhuc sit qui existimat auctorem ad hæresim quam amplexus est Valentinus, collineasse, ne hoc quidem quidquam valeat ad violationem temporum ostendendam, vel auctoritatem epistolarum ullo modo elevandam. Assero enim lertio hanc ipsam hæresin Valentino fuisse antiquiorem, et a vetustioribus Gnosticis derivatam ; eamque præ ætate respicere potuisse S. Ignatium martyrem, quatenus fuit ab antiquioribus Gnosticis prolata,et antequam in Valentini characterem fuit transformata, ut necesse non sit ad Valentinum hic recurrere. Nam et ipse Dallæus : « Si quis, inquit, sit Valentino vetustior, qui hoc ita posuerit, fatebor ad hoc, ut horum quæ attulimus epistolæ verborum rectus aliquis et legitimus constituatur sensus, nulla nos necessitate cogi ad Valentini hæresin recurrere. »

Hanc igitur assertionem luculentissimis veterum qui de hac hæresi disseruerunt testimoniis probatam dabo ; nemo enim eorum est qui Valentinum veterem opinionem resuscitassenon diserte tradat. Irenæus lib. I, cap. 5 : « Qui enim est primus, ab ea quæ dicitur gnostica hæresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens, Valentinus,sic diffinivit.» Antiquæ igitur doctrinæ fuerunt, quas in characterem suum Valentinus transtulit. Idem lib. II, cap. 18 : « Hæc autem quæ diximus de Sensus (id est τοῦ Νοῦ) emissione, similiter et adversus eos qui a Basilide sunt, aptata sunt : et adversus reliquos Gnosticos, a quibus et hi initia emissionum accipientes convicti sunt in primo libro. » Generationem igitur τοῦ Νοῦ,et emissionum aliarum inita a Basilide et reliquis Gnosticis accipit Valentinus. Idem eodem capite : « De ea autem quæ est ex his secunda emissione hominis et Ecclesiæ ipsi patres eorum, falso cognominati Gnostici, impugnant adversus invicem, sua propria indicantes,et malos fures semetipsos convincentes. » Querebantur igitur Gnostici Valentinianos tanquam fures sua subripuisse, et quidem fures eo pejores, quod male in proprium characterem ea transtulissent. Post Irenæum statim Tertullianus de Valentino : « Cujusdam veteris opinionis semen nactus Colarbaso viam delineavit. » Ad quem sensum intelligenda videntur illa quæ lib. *De anima*, cap. 18, habet : « Relucentne jam hæretica semina Gnosticorum et Valentinianorum ? » Epiphanius etiam, cum quatuor sibi de Valentino dicenda proposuisset, unde venit, quando vixit, quæ ejus doctrina,καὶ ἀπὸ ποίων τὰς προφάσεις εἴληφε, « et a quibus argumenta sumpsit, » eorum ultimum his verbis expressit : Καὶ αὐτὸς τὴν ἐθνόμυθον ποίησιν εἰς τὸν ἑαυτοῦ νοῦν λαβὼν, καὶ ἀπὸ τῶν σὺν αὐτῷ καὶ πρὸ αὐτοῦ τῆς ἀληθείας ἐκπεπτωκότων τὴν ὑπόνοιαν κτησάμενος. « Ipse etiam ethnicam poesin animo suo concipiens, et ab iis qui cum ipso et ante ipsum a veritate lapsi sunt, sententiam mutuatus, » etc. Qui autem illi hæretici fuerint, a quibus deliria sua Valentinus hausit, idem ostendit : Φημὶ δὲ Οὐαλεντῖνον καὶ τὴν αὐτοῦ διδασκαλίαν, τὴν ἀπὸ τῆς μεγάλης ταύτης γνωστικῆς ἐπαγγελίας ὑπάρχουσαν. « Valentinum intelligo et illius doctrinam,quæ a speciosa illa Gnosticorum professione prodiit. » Licet enim Epiphanius αἱρεσιάρχην Valentinum appellet, doctrinam tamen suam eum a Gnosticis hausisse tradit, ideoque eorum nomen sibi et suis imposuisse sæpius observat. Ἐπὶ τὴν τῶν Οὐαλεντίνων αἵρεσιν διέξειμι, τῶν δὴ καὶ Γνωστικῶν ἑαυτοῖς ἐπιθέντων ὄνομα. « Ad hæresin Valentinianorum transeo, qui Gnosticorum nomen sibi imposuerunt. » Et paulo post : Καὶ πάντες Γνωστικοὺς ἑαυτοὺς ἐκάλουν, Οὐαλεντῖνός τε, φημὶ, καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ Γνωστικοί. « Et omnes Gnosticos semet appellabant, et Valentinus,inquam, et qui illum præcesserunt Gnostici,» Et rursus de eodem : Εἰς πολλοὺς γὰρ οὗτος τὴν ἑαυτοῦ ὀνειροπολίαν ἐπισπείρας, Γνωστικὸν ἑαυτὸν καλέσας. « Hic enim ad multos sua somnia spargens, Gnosticum seipsum appellans, » etc. Post Epiphanium Theodoretus cum hæreses Simonis, Menandri, Saturnili, Basilidis, Carpocratis, Prodicique explicatas dedisset, ἐκ τούτων, inquit, πασῶν τῶν αἱρέσεων ὁ Βαλεντῖνος λαβὼν ἀφορμὰς τοὺς ἀπεράντους σύνέθηκε μύθους, « ex his omnibus hæresibus Valentinus accipiens materiam interminabiles fabulas composuit. »

Cum aliqua ex his testimonia in Appendice Ignatiana citasset Usserius noster, epistola ad eum scripta ab Hammondo edita hæc reposuit Blondellus : « Irenæi nostri, quo præipue niteris, locus, quod nunquam negavi, docet Valentinum aliorum exemplo συζυγίας suas effinxisse. » Blondellum sequitur Dallæus : « Illud ego quidem ex hoc Irenæi loco et aliis Theodoreti et Epiphanii similibus locis legitime confici et colligi concedo, ipsam rerum silvam

atque materiam, ex qua Valentinus sua composuit jam apud vetustiores partim Gnosticos hæreticos, partim etiam poetas aut philosophos ethnicos fuisse. » Habemus igitur hoc ab illis concessum, Valentinum aliorum exemplo syzygias effinxisse. ipsamque rerum silvam atque materiam a vetustioribus Gnosticis hausisse. Potuit itaque Ignatius verus ad eam hæresin alludere, quam postea amplexus esse dicitur Valentinus, si silvam et materiam ejus spectes ; ea enim hæreseos materia ætate Ignatii a vetustioribus Gnosticis promulgata fuerat. Atque hactenus consentimus. In illa autem silva, inter velustiorum syzygias reperiri potuerunt Æones illi, quos respexisse volunt epistolæ auctorem, Sige scilicet et Logos,

Sed excipit Blondellus : « Alios Valentino priores Profundi et Silentii combinationem induxisse non modo tecum (ita Usserium alloquitur), non affirmat Irenæus, sed mecum, si quid capio, ex professo negat, cum proprium Valentini characterem combinationem illam protulisse refert. » Dallæus paulo aliter hanc rem tractat, et in eo argumenti vim collocat, quod nemo ante Valentinum Verbum e Sige eduxerit. Sed quocunque modo responsiones suas efformant, elabi non possunt. Cum asserit Blondellus Irenæum « ex professo negare, » Gnosticos veteres Profundi et Silentii combinationem induxisse, cum proprium Valentini characterem combinationem illam protulisse refert ; id omnino affirmat, quod ex eo Irenæi loco, quem adducit, exsculpi non potest. An qui dicit : « Qui enim est primus, ab ea quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus sic diffinivit, dualitatem quamdam innominabilem, cujus quidem aliquid vocari inenarrabile, aliud autem Sigen, » negat Gnosticos veteres Profundi et Silentii combinationem induxisse? aut illud affirmat, unde ea negatio sequatur, scilicet proprium Valentini characterem combinationem illam Profundi et Silentii protulisse ? Ego nec priorem negationem, nec posteriorem affirmationem in verbis Irenæi reperio ; imo ne nomen Profundi, sive Bythi inter Æonum nomina eo loci invenio, nisi postquam triginta Æones jam enumerati essent ; quod nunquam certe fecisset Irenæus, si nomen Bythi a Valentino primitus inventum et illius characteri peculiare fuisset. Miror equidem talem virum, qualem fuisse Blondellum volunt, tam secure tamque supine adversus Armachanum disputasse. Asserit Irenæus Valentinum antiquas Gnosticorum doctrinas in suum characterem transtulisse ; non autem eam solam, sed et reliquas breviter percurrit, totamque Valentini matæologiam summatim perstringit. Si igitur eo loci Irenæus negat veteres Gnosticos primam combinationem induxisse idem pariter de omnibus dicendum erit. At si nulla ex illis combinationibus a veteribus accepta sit, ubi erunt illæ antiquæ doctrinæ, quas in suum characterem transtulisse Valentinum tradit Irenæus ? ubi illæ syzygiæ, quas aliorum exemplo eum effinxisse fatetur Blondellus ? ubi illa silva et materia, ex qua sua ille composuit, docente Dallæo ? aut quid a Gnosticis hausit, si ipsius character combinationes omnes totamque matæologiam protulit ?

Sed relicta concertatione sententiam nostram confirmabo, ostendamque primo, adversus Blondellum, primam Valentini combinationem, Bythi scilicet et Siges, fuisse a vetustioribus Gnosticis haustam ; secundo, adversus Dallæum, Logon etiam fuisse a Nu productum, qui a Sige emissus est, secundum Gnosticos vetustiores : Irenæus in præfatione libri secundi argumentum libri primi repetens profitetur se Valentinianorum eorumque qui a Simone sunt Gnosticorum doctrinas exposuisse ; in hoc autem promittit se eversurum omnem eorum regulam. Quod ut fiat, « oportet, inquit, absconditas ipsorum conjugationes per manifestarum conjugationum indicium et eversionem Bythum dissolvere. » Bythus igitur tam ad veterum Gnosticorum quam ad Valentinianorum regulam pertinebat. Titulus 32 capitis lib. I hic est : « Quæ sint Gnosticorum genera, et quæ secundum eos sententiæ ; » certe de Simonianis ibi agere Irenæum satis ex priore capite patet. « Alii autem, inquit, rursus portentosa loquuntur : esse quoddam primum lumen in virtute Bythi beatum, et incorruptibile et interminatum. » Hos autem Simonianos Valentino vetustiores fuisse satis indicant verba capitis sequentis : « A talibus matribus, et patribus et proavis eos qui a Valentino sunt, sicut ipsæ sententiæ et regulæ ostendunt eos, necesse fuit manifeste arguere. » Hoc autem et alio Irenæi loco lib. I, c. 19, clare comprobatur : « Cum sit igitur adversus omnes hæreses detectio atque conviction varia et multifaria, et nobis propositum est, omnibus iis secundum ipsorum characterem contradicere, necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, ut sublimissimum eorum Bythum cognoscens intelligas arborem de qua defluxerunt tales fructus. » Fuit igitur in fonte et radice doctrinæ Gnosticæ Bythus. Fuit autem Sige aut Bytho coæva, aut fortasse nomen ejus illo Bythi antiquius ; ipsi certe Simoni aderat Ennœa, quæ et Sige, et quidem ab initio Sige appellata, ut ostendit Eusebius *De eccl. theologia*. l. II, c. 9 : Κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγόν, ὃς τὰ ἄθεα δογματίζων ἀπεφαίνετο λέγων, Ἦν Θεὸς καὶ Σιγή. « Secundum illum impiorum hæreticorum principem, qui impia dogmatizans pronuntiavit dicens : Erat Deus et Sige. » Et de prima syzygia Bythi et Siges, tanquam ab omnibus veteribus Gnosticis, non Valentinianis tantum, agnita loquitur Irenæus lib. I, cap. 3. Nam cum novam quamdam archegonon octonationem ab aliquibus Valentini discipulis excogitatam notasset, « has volunt, inquit, virtutes fuisse ante Bythum et Sigen, » ἵνα τελείων τελειότεροι φανῶσιν ὄντες, καὶ γνωστικῶν γνωστικώτεροι, vetus interpres pro sua in Græc imperitia, « ut perfectorum perfectiores appareant

et Gnosticorum magis Gnostici viri. » Et statim exclamat : Ὦ ληρολόγοι σοφισταί, vel, ut in Latinis legimus : « O pepones, sophistæ vituperabiles, et non viri. » Respondet ad hunc locum ab Hammondo olim adductum Dallæus, et Gnosticos hic restringit ad « Valentinum et similes Axionico discipulos, si regulas magistri integras nullis auctariis interpolatas custodiebant : » quare autem ad hos restringat, rationem nullam affert.

Fateor equidem Valentinum et similes Axionico discipulos seipsos appellasse Gnoticos ; sed quare hi soli hoc loco sub nomine generali perfectorum et Gnosticorum intelligi debeant,aut quomodo recte possint, non video. Valentinus unicus fuit, et hujusmodi discipuli qui eum per omnia sequerentur, nec aliquid inventis ejus adderent,Irenæi ætate, admodum pauci fuerunt : Tertulliani certe ævo solus ex iis Axionicus remansit.Quam ignava igitur esset hæc exprobratio, quod paucis quibusdam et particularibus Gnosticis videri vellent perfectiores et magis Gnostici ! Præsertim cum objectio in Secundianos,et Ptolemaicos,et Marcosios ac reliquos omnes, quotquot aliquid Valentini doctrinæ addidere, quadraret ; illi enim omnes magistro suo et talibus discipuls sapientiores et γνωστικώτεροι videri voluerunt.Quare igitur Irenæus his qui aliam octonationem excogitarunt, illud exprobrat?Quare statim in exclamationem illam erumpit, si paucis tantum quibusdam sapientiores se venditarent?Imo vero hæc archegonos octonatio non tantum a Valentino et Axionico similibus discipulis, sed et a combinationibus reliquorum, qui ex Schola Valentini prodeuntes ab eo in multis recesserunt, et a doctrinis omnium vetustiorum Gnosticorum discrepabat, et eo genere fictionis universas longe superabat. Voluerunt igitur illi qui hæc excogitarunt, omnibus omnino ante se Gnosticis sapientiores videri : idque cum indignatione quadam et irrisione exprimere voluit Irenæus. In eamdem sententiam interpretor quæ Epiphanius de Ptolemæo tradit, qui τῆς μὲν αὐτῶν καλουμένων Γνωστικῶν, καὶ τῶν κατ' Οὐαλεντῖνον ὑπάρχων αἱρέσεως, cum et Gnosticorum et Valentinianorum hæresin amplecteretur, ἕτερα παρὰ τοὺς αὐτοῦ διδασκάλους ὑποτιθέμενος, alia præter ea quæ a magistris,sive Gnosticis, sive Valentinianis, acceperat fingens, δύο συζύγους τῷ Θεῷ τῷ παρ' αὐτοῖς Βυθῷ καλουμένῳ ἐπενόησε καὶ ἐχαρίσατο, « duas conjuges Deo, quem illi, tum Gnostici tum Valentiniani,Bythum vocabant,attribuebat. » Hoc quippe doctrinæ Gnosticorum veterum et Valentinianorum adjecit Ptolemæus ; quod cum isti unam tantum conjugem Bytho suo, Ennœam scilicet aut Sigen, affinxissent, ille etiam Thelema seu Voluntatem eidem connubio junxit. Neque vero ego dubito quin Basilides Gnosticus ante Valentinum in prima sua combinatione Sigen habuerit, et Ἔννοιαν suam Σιγήν vocaverit. Ille enim docuit, teste Irenæo lib, I, c. 23, « non oportere omnino ipsorum mysteria effari,sed in abscondito continere per silentium. » Certe illud « per silentium » transtulit fideiis sed imperitus interpres, ac si scriptum fuisset Græce διὰ Σιγῆς,cum verisimillimum sit scrtptum fuisse ab Irenæo διὰ τὴν Σιγήν, id est *propter Sigen* ; ut loquitur Tertullianus; « Sed intercessit mater Sige, illa scilicet, quæ et ipsis hæreticis suis tacere præscribit. »

Luculentissimum denique testimonium est quod nobis præbet Gregorius Nazianzenus oratione 23 : Ἦνίκα Σίμωνες μὲν καὶ Μαρκίωνες, Οὐαλεντῖνοί τέ τινες καὶ Βασιλεῖδαι καὶ Κέρδωνες, Κήρινθοί τε καὶ Καρποκράτεις καὶ πᾶσα ἡ περὶ ἐκείνους φλυαρία τε καὶ τερατεία ἐπὶ πλεῖστον τὸν τῶν ὅλων Θεὸν τεμόντες, καὶ ὑπὲρ τοῦ Ἀγαθοῦ τῷ δημιουργῷ πολεμήσαντες ἔπειτα κατεπόθησαν τῷ ἑαυτῶν Βυθῷ καὶ τῇ Σιγῇ παραδοθέντες ὥσπερ ἦν ἄξιον. « Cum Simones et Marciones, et Valentini et Basilidæ et Cerdones,Cerinthi etiam et Carpocrates,et omnes eorum nugæ et præstigiæ,posteaquam rerum omnium Deum perdiuturno tempore secuissent, bellumque pro Bono adversus Creatorem gessissent suomet, ut æquum erat, Profundo absorptæ ac Silentio traditæ fuerunt. » Ad quem locum Elias Cretensis hæc adnotat : « Ac Simoniani quidem octonarium numerum, ob Æones eos quos colebant,honore prosequebantur. Nugabantur enim Bythum cum sua Sige congressum Mentem et Veritatem genuisse, etc. » Et Nicetas ad orationem44 : « Simoniani quidem octonarium, propter octo illos magistri sui Æones, honori habebant.Etenim ex Bythi cum Sige congressu Mentem ac Veritatem procreatas esse fabulatus est, atque ita primos parentes, ut jam dictum est, Bythum et Sigen eonfinxit. » Bythum igitur et Sigen inter Æones suos habuisse veteres illos ante Valentinum Gnosticos, dixere quamplurimi ; non habuisse, ante Blondellum, opinor, nemo dixit. Et quidem non tantum primas syzygias a vetustioribus hæreticis accepisse Valentinum, sed et earum etiam nomina continuasse vel illud suadet, quod cum novas illis nomenclaturas addidisset Epiphanes, Monoteta et Henoteta, Monada et Hen, statim exclamet Irenæus, Ἰοὺ ἰού, φεῦ φεῦ, rationem reddens, « quoniam ipse nomina posuit figmento, quæ a nemine altere posita sunt. Hoc enim tanta admiratione dignum non fuisset,si Valentinus paulo ante Epiphanem eidem Tetradi nova prorsus nomina et ante inaudita imposuisset.

Secundo, Logon etiam fuisse inter fictitia veterum Gnosticorum numina, et per syzygias aliquas a Sige ad eum perventum esse,ut in schola Valentini,pariter probabimus:quod satis est ad sententiam nostram adversus Dallæi objectiones confirmandam. Neque enim Gnostici illi,neque Valentinus ipse diserte unquam dixit Lohon e Sige emissum esse. Basilides inter Gnosticos fuit Valentino vetustior, at ille de Logo pariter ac Valentinus sensit. Theodoretus *Hæret fab.* lib. v, c. 11, cum Valentini de Verbo sententiam recitasset, hæc ad-

dit : Βασιλείδης δὲ ὡσαύτως ἄλλον τὸν Μονογενῆ, καὶ ἄλλον τὸν Λόγον, καὶ ἑτέραν εἴρηκε τὴν Σοφίαν. « Basilides quoque similiter alium Unigenitum, aliud Verbum, et aliam dixit esse Sapientiam. » Ideo autem Monogenem et Verbum similiter distinxit, quia Verbum ex Monogene similiter eduxit. Ita Irenæus de Basilide lib. I, c. 23 : « Ostendit Nun primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon. » In schola igitur Gnosticorum veterum Logus ex Nu, Nus a Bytho, plane ut in schola Valentini. At Basilides et illi Gnostici inter quos ipse fuit, neque Bython neque Nun sine συζύγοις suis Æonem ullum procreasse docuerunt. Basilides enim Menandri discipulus fuit, qui syzygiam Patris incogniti et Ennææ tradidit ; ejusque sententiam Basilides non concidit, sed in immensum extendit. Quare cum Irenæus adversus Valentinianorum « primum ordinem emissionis, quo emissum aiunt de Bytho et hujus Ennœa Nun et Alethian, » lib. II, c. 16, disputare aggressus esset, capite 18 ita concludit : « Hæc autem quæ dicta sunt de Sensus (id est, τοῦ Νοῦ) emissione, similiter et adversus eos qui a Basilide sunt, aptata sunt, et adversus reliquos Gnosticos, a quibus et hi initia emissionum accipientes convicti sunt in primo libro. » Illa autem « initia emissionum, » quæ a prioribus Gnosticis derivarunt Valentiniani, quæ fuerint porro quærendum est. Elias Cretensis primam Valentini octonationem ab iis deductam asserit ; de Simonianis enim agens, inquit ; « Ac generis principes Æones, Bythum et Sigen fingebant, ab his autem secundos Mentem et Veritatem, ab his tertios Sermonem et Vitam, ab his denique quartos Hominem et Ecclesiam. » Eadem tradit et Nicetas ; uterque sane asserit Valentinum primam Ogdoada a Simonianis accepisse, decada autem et duodecada de suo addidisse ; quod etiam ex Irenæo confirmatur. Ille enim cum emissionem τοῦ Λόγου ordine refutasset, et ad emissionem Hominis et Ecclesiæ, qui primæ Ogdoadis postremi Æones fuere, pervenisset, lib. II, c. 18, notat Valentinianorum parentes, vetustiores Gnosticos furti male facti eos accusasse. « De ea autem quæ est ex his secunda emissione Hominis et Ecclesiæ ipsi patres eorum, falso cognominati Gnostici, impugnant adversus invicem sua propria indicantes, et malos fures semetipsos convincentes : aptabiles esse magis emissiones dicentes uti verisimile ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem emissum, et esse Hominem Verbo anteriorem, et hunc esse qui est super omnia Deus. » Gnostici igitur fuerunt Valentinianorum parentes ; ab illis hi primas tres syzygias aperte sumpserunt, sive furati sunt ; neque hæc male ferebant Gnostici ; sed mali furti eos accusabant, quod syzygiam Hominis et Ecclesiæ post illam Verbi et Vitæ posuerint ; unde post Valentinum multi ejus discipuli a Gnosticis admoniti magistri sui ordinem immutarunt, et Hominem et Ecclesiam ante Verbum et Vitam posuerunt, atque ita Logon a Sige longius semoverunt.

A Hæc cum a nobis adeo firme probata sint, nihil aliud restat, nisi ut argumentis viri doctissimi, quibus contrarium probare nititur, respondeamus. Primum autem in hanc formam satis commodam compegit : Nemo ante Valentinum docuit alium esse Deum præter Creatorem ; omnes qui Bythum et Sigen induxerunt, docueruntalium esse Deum præter Creatorem : ergo, qui Bython et Sigen inducerent ante Valentinum nulli fuerunt. Hujus syllogismi minorem admitto ; concedo omnes qui hos Æones prædicabant, Demiurgum sive Creatorem alium præter summum et æternum Deum agnovisse, adeoque alium Deum præter Creatorem docuisse. Majorem autem nego et aperte falsam esse pronuntio. Ante enim Valentinum multi negabant Deum summum creasse mundum, adeoque præter Creatorem alium B Deum esse docuerunt. Ante Valentinum Basilides, de quo ita Tertullianus : « In ultimis quidem angelis et qui hunc fecerunt mundum novissimum ponit Judæorum Deum, id est eum legis et prophetarum, quem Deum negat, sed angelum. » Ante Basilidem Saturninus, angelos fecisse mundum et Judæorum Deum unum ex angelis esse dixit. Hi igitur duo discipuli Menandri alium docuerunt Deum præter Creatorem. Ante Saturninum Cerinthus non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea principalitate quæ est super universa, et ignorante eum qui est super omnia Deum. Hæc autem fuit ipsissima opinio Valentinianorum, qui idem de Demiurgo suo prodiderunt. Sed quid singulos hæreC ticos nomino ? Omnes Gnostici idem docuerunt, non minus quam Valentinus. Irenæus lib. V, c. 26 : « Qui ergo blasphemant Demiurgum, vel ipsis verbis et manifeste, quemadmodum qui a Marcione sunt, vel secundum eversionem sententiæ, quemadmodum qui a Valentino sunt et omnes qui falso dicuntur esse Gnostici. » Idem lib. II, c, 56 : « Et nullum alium omnium esse Deum, sed solam esse omnipotentis appellationem, et adversus eos qui sunt a Marcione, et Simone et Menandro, et quicunque alii qui similiter dividant eam quæ secundum nos est conditionem a Patre, similiter erit ad eos adaptatum. » Idem lib. IV, c. 14 : « Hic autem est fabricator cœli et terræ, quemadmodum ex sermonibus ejus ostenditur, et non is qui a Marcione, vel a Va—
D lentino, aut a Basilide, aut a Carpocrate, aut Si—
mone, aut reliquis falso cognomine Gnosticis adin—
ventus est falsus Pater. » Qui locus Irenæi Gnosti— i
cos cum Simone conjungens (quos alibi nunc Simo— c
nis nunc Menandri discipulos vocat) non tantum i
quod volumus probat, sed et ostendit eos qui gn
stica peste apostolica tempora maculata fuisse d
cuerunt, non suis conjecturis, sed veterum aucto
ritate niti. Et utrumque confirmatur ab eodem Ir
næo lib. III, c. 11 : « Hanc fidem annuntians Joa
nes Domini discipulus, volens per Evangelii annu
tiationem auferre eum qui a Cerintho insemina
erat hominibus errorem, et multo prius ab his

dicuntur Nicolaitæ,qui sunt vulsio ejus quæ falso cognominatur scientia ; ut confunderet eos et suaderet eos,quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum,et non quemadmodum illi dicunt,alterum quidem,fabricatorem, alium autem Patrem Domini. » Si enim Cerinthus antequam S. Joannes Evangelium scripserit, Fabricatorem, id est, Demiurgum alium a Patre Domini ; si multo prius idem docuerint Nicolaitæ ;si Nicolaitæ Gnosticorum vulsio fuerint (hoc est Ἀπόσπασμα, ut puto ; Glos. V. Ἀποσπασθὲν, avulsum, Ἀπόσπασις, avulsus ; ut sæpe loquitur Epiphanius, Ἀνέστη πάλιν Θεόδοτός τις ἀπόσπασμα ὑπάρχων ἐκ τῆς προειρημένης ἀλόγου αἱρέσεως, et : Ἐκ τούτου οἱ Νοητιανοὶ ἀπόσπασμα ὄντες αὐτοῦ), utrumque sequitur, et ante Valentinum aliquos docuisse alium esse Deum præter Creatorem,et Gnosticos apostolica tempora contaminasse.Quales erant Simon et Cerinthus Nazianzeno, τὸν τῶν ὅλων Θεὸν τεμόντες, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ τῷ δημιουργῷ πολεμήσαντες, ut ostendimus ; quales Hymenæus et Philetus Epiphanio, ἄλλον Θεὸν καταγγέλλοντες, « alium Deum annuntiantes, » καὶ λέγοντες μὴ ἐκ Θεοῦ γεγενῆσθαι τὸν κόσμον, ἀλλὰ ὑπὸ ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν, « et dicentes mundum non a Deo esse factum,sed a principatibus ac postestatibus. » Posthæc adeo aperta testimonia quis credet neminem ante Valentinum docuisse alium esse Deum præter Creatorem ? præsertim cum ad eam propositionem confirmandam nihil aliud attulerit vir doctissimus,nisi illa verba,« Si Tertullianum audimus. » At Tertulliani verba contra veterum consensum premenda non sunt ; neque dicendum,Valentinum et Marcionem solos et primos hæc docuisse, ex solius Tertulliani auctoritate, qui alibi primum Marcionem hæc asseruisse ait,cum tamen ipse Cerdonem Marcionis magistrum agnoscat. « Habuit, inquit, et Cerdonem quemdam informatorem scandali hujus. » Cum enim Valentiniani et Marcionitæ Tertulliani ævo maxime celebres hæretici fuerint, quoties de hæresibus disputat, ad eos fere collineat, et Valentinum ac Marcionem quasi principes ferit ; quamvis et ipse præcoquos et abortivos Marcionitas sub apostolis agnoscat, Docetas scilicet ; poterat autem et alios cum veteribus agnoscere Demiurgum a Deo dividentes, qui non minus erant Marcionitæ præcoqui.

Secundum Dallæi argumentum est : « Hæretici Valentino vetustiores omnes se ipsi negabunt Logon Siges vel filium vel nepotem induxisse. » Fortasse nos quidem fatemur, imo probamus neque Gnosticorum veterum,neque Valentinianorum quemquam Logon Siges filium induxisse, idque observatu dignum ostendimus ad sententiam Dallæi refellendam. Sed neque de nepotibus Siges aut Gnostici illi aut Valentiniani quidquam philosophati sunt.Cum autem addit, eam lauream Valentini esse, » qui ex omnibus hæresiarchis illam Æonum ogdoadem princeps instituerit,in qua ex Bytho et Sige per Nun et Alethian Logos cum Zoe prodit ; » id omnino dicit quod nemo ante eum affirmavit, cujusque contrarium multi asseruerunt. Attulimus eorum testimonia,qui diserte docuerunt primam ogdoada a veteribus Gnosticis proditam fuisse, decada et duodecada a Valentino additas.Ostendimus ex Irenæo Nun et Alethian ex Bytho et Sige prodiisse secundum veteres Gnosticos ; Valentinianos fuisse fures, et quidem ideo malos, non quod hanc tetrada ab illis acceperint, sed quod secundam tetrada male tradiderint,quod ex Logo et Zoe Homi. nem et Ecclesiam eduxerint. Ad sua confirmanda nihil aliud adducit vir doctissimus, quam quod in omnibus ab Irenæo recitatis hæreticorum Valentino vetustiorum Theogoniis non appareat Logi e Sige emissio ; ita ad id quod affirmat stabiliendum nihil omnino adducit,ad id quod negat nihil aliud affert quam Irenæi in contexendis genealogiis silentium. Et quidem si Irenæus nullibi id indicasset, quod nos affirmamus, si genealogias omnium hæreticorum integre cum omnibus Æonibus eorumque omnibus nominibus repræsentasset, aliquid roboris huic argumento inesset, ad fidem aliorum Irenæo posteriorum in hac re elevandam. Cum autem non tantum Irenæus ipse multa dicat, quæ ad eorum sententiam, qui primam Octonationem Valentini a Gnosticis sumptam tradidere, confirmandam spectant, ut ostendimus ; cum integras omnium genealogias Irenæus non repræsentaverit, ut jam ostendemus, nullum prorsus huic argumento vim inesse quilibet fatebitur.Si enim integræ non fuerint genealogiæ singularium hæreticorum ab Irenæo propositæ, si alibi ipse hæreticis attribuat quæ in genealogiis eorum non inveniuntur, si similiter in iis etiam qui Valentinum secuti sunt sententiis describendis multa omittantur,quæ illis tribuenda esse nemo diffitebitur,si hæc omnia necessario ex ipsa ratione scribendi, quam ille amplexus est,sequantur ; nulla cum ratione ea omnia nomina cuipiam deneganda erunt,quæ in ejus genealogiis apud Irenæum non apparent. Ut autem ratio scribendi ab Irenæo observata,a Dallæo minime perpensa patefiat ; observo viri doctissimi verba : « Primum caput ad Valentinum pertinere ostendit et præfixus ei titulus,et ipsa operis præfatio. »

Imo vero et præfatio et titulus et capitis ipsius tota series ostendit,ad ipsius discipulos illud pertinere, quos ab illo in quamplurimis descivisse omnes notarunt.In ipsa Præfatione aperte profitetur, « cum legisset Commentarios ipsorum,quemadmodum ipsi dicunt, Valentini discipulorum, quibusdam autem ipsorum et congressus » fuisset,eorum velle se sententiam exponere,præsertim Ptolemaicorum, quod primo capite facit.Neque enim cum Valentino congressus unquam est; neque ejus Commentarios,sed Ptolemæi eo capite explicat. Titulus capitis ita se habet : « Narratio omnis argumenti Valentini discipulorum. » Caput ipsum ita incipit, Λέγουσι γὰρ, « dicunt enim, » ad postrema Præfationis verba respiciens, ὑπὸ τῆς ἐκείνων πιθανολογίας οὔσης

τοιαύτης,« ab illorum suadela quæ est talis.»Primo igitur capite Irenæus in animo habuit Valentinianorum scholam fuse depingere, et summam eorum doctrinæ cum omnibus ipsorum Æonibus et Æonum nominibus,reliquisque quæ ad eorum hæresin pertinebant, simul et sub uno quasi aspectu ponere ; postea vero et Gnosticorum, a quibus sua hauserunt,et Valentini ipsius,et illius discipulorum singulares sententias breviter exponere,quod opus non esset singula attingere,et quæ antea dixerat repetere.Neque igitur omnes eorum genealogias singulatim enumerat, neque omnia Æonum nomina recitat.Quare capite demum quinto de Valentino ipso agit,ut postea de reliquis separatim,ut eorum differentias notet, et origines observet ; non autem, ut vult Dallæus, « duobus locis omnem Valentini matæologiam exponit. » His recte observatis, quis non statim intelligit in singularibus et Gnosticorum, et Valentini, et discipulorum ejus genealogiis requiri aut exspectari non debere omnes eorum Æonas, aut eorum nomina ? Inter Æonas Basilidis Valentino senioris numeratur Ennœa ; eam autem Sigen non nominasse Basilidem quis indo colligat, quod Irenæus hoc non affirmat, cum Ptolemaici, Valentini discipuli,in ipsorum sententiæ descriptione solam Ennœam etiam habuisse deprehendantur, quos tamen Valentini Sigen respuisse nemo affirmabit ? Certe quam Ennœam solam ibi Ptolemaici vocant, eamdem etiam Charin appellasse Ptolemæum certum aliunde est ; ipse enim in fragmento quod etiamnum apud Irenæum exstat, de S. Joanne loquens, Ἀκριβῶς, inquit, καὶ τὴν πρώτην ἐμήνυσε τετράδα, Πατέρα εἰπὼν καὶ Χάριν, καὶ τὸν Μονογενῆ καὶ Ἀλήθειαν. « Diligenter igitur ostendit primam quaternationem, Patrem dicens et Charin, et Monogenem, et Veritatem.»In ipsa Genealogia Valentini,capite quinto,primo loco ponitur Æon primus sub solo nomine Ἀῤῥήτου, quem postea quidem, sed obiter, Βυθόν,non Ἄῤῥητον nominat. Basilidis genealogiam integram non nominat Irenæus : nam teste Cl. Alexandrino *Stromat.* lib. IV, Βασιλείδης ὑποστατὰς Δικαιοσύνην τε καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς τὴν Εἰρήνην ὑπολαμβάνει ἐν Ὀγδοάδι μένειν διατεταγμένας. « Basilides autem tum Justitiam, tum filiam ejus Pacem quasi subsistentes putat in ogdoade manere dispositas ; » quas apud Irenæum frustra quæras. Ex imperfectis igitur et decurtatis apud Irenæum veterum Gnosticorum genealogiis negativum argumentum recte formari non potest. Præsertim cum in illa Basilidis et Ennœam,sive Sigen, Logon etiam diserte habeamus descriptos. In syzygiis Simonis fuit φωνή, quam discipuli ejus post editum S.Joannis Evangelium verterunt in Λόγον, et eos secutus est Basilides. Nam quod Basilidem velit Dallæus ante mortem Ignatii hæresin suam non divulgasse, eam sententiam proximo capite refutabimus.

Tertium illi argumentum ex verbis Irenæi (lib. I, c. 5) prius a Blondello vexatis ; et ad illius mentem jam ulterius detortis : Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος ἀπὸ τῆς λεγομένης Γνωστικῆς αἱρέσεως τὰς ἀρχαίας εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλίας μεθαρμόσας οὕτως ἐξηροφόρησεν. Duo hinc ad sententiam suam confirmandam affert,unum a dispositione vocis πρῶτος, alterum ab expositione vocabuli μεθαρμόσας, infirmum utrumque et coactum. Priora sententiæ verba ita interpretatur, ut « Irenæi mens sit, Valentinum ex illa Gnosticorum hæresi primum fuisse, qui ex veteribus doctrinis, ad suam formam translatis et aptatis,quod subjicit dogma tradiderit.» Hoc autem ut faciat quasi Irenæi verba hæc adducit. Valentinum « ex Gnostica hæresi primum sic definivisse,» perperam et dolose. Tum vero Petavium,interpretem satis eruditum, et tunc temporis certe, cum Usseriana nondum prodiissent, effugia minime cogitantem, sugillat. Petavii interpretatio hæc est : « Etenim qui a Gnosticorum hæresi deprompta quædam initia primus peculiaris ad sectæ formam transtulit Valentinus ita definit. » Quid in hac interpretatione vir doctissimus reprehendit ? « Frustra, inquit, Petavius verba illa ἀπὸ τῆς λεγομένης Γνωστικῆς αἱρέσεως cum verbo μεθαρμόσας conjungens, sic interpretatur,ut velit Valentinum intelligi illas doctrinas ex Gnosticorum hæresi deprompsisse ?» Quid vero ? an aliter Irenæum interpretari potuit, quam ut illæ doctrinæ antiquæ,quas in suum characterem, sive peculiaris sectæ formam transtulit Valentinus,a schola veterum Gnosticorum depromptæ sint ?An veteres illæ doctrinæ alibi quam apud Gnosticos exstabant ? Dallæus ipse ipsam rerum silvam atque materiam,ex qua Valentinus sua composuit, apud vetustiores Gnosticos fuisse concedit. Illa autem rerum silva atque materia an aliquid aliud fuerunt,quam antiquæ doctrinæ ? aut aliunde illas transtulit Valentinus, quam ex illa hæresi in qua exstabant ? Nihil hic innovavit Petavius, sed idem omnino voluit, quod omnes ante eum interpretes, Billius, Cornarius, Vetus, voluerunt,quod Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus docuerant. Certe cum Dallæus, ut ea verba ἀπὸ τῆς λεγομένης Γνωστικῆς αἱρέσεως a voce μεθαρμόσας separet atque disjungal, eadem cum voce πρῶτος conjungit, et « primum » immediate post ea verba, « ex Gnostica hæresi, » ponit, ut suæ hypothesi inserviat, omnia plane confundit. Nam illa vox πρῶτος, ex mente Irenæi, non ad hæresin Gnosticam, sed alio refertur : ad priorem scilicet sententiam,non sequentem. Ἴδωμεν νῦν καὶ τὴν τούτων ἀστατον γνώμην δύο που καὶ τριῶν ὄντων, ὡς περὶ τοῦ αὐτοῦ οὐ τὰ αὐτὰ λέγουσιν, ἀλλὰ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἐναντία ἀποφαίνουσι. « Videamus nunc et horum,(quorum doctrinam primo capite dederat explicatam), inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres,quemadmodum de eisdem non eadem dicunt ; sed et nominibus et rebus contraria respondent. » Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος, « Qui enim primus, » (ut satis fideliter reddidit vetus interpres) ex paucis illis,scilicet duobus vel tribus,quorum sententiam

primo capite complexus est, Valentinus, nimirum, (nam de Valentinianis et præcipue Ptolemaicis eo capite agere instituerat, quorum sententiam ἀπάνθισμα τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς appellat) « a Gnostica hæresi antiquas in proprium characterem doctrinas transferens, οὕτως ἐξηρροφόρησε. » Corrupta vox, inquit Petavius, in qua divinationem experiri non vacat. Pro ea igitur legit Hammondus ἐξεφόρησεν, Isaacus Vossius leviori mutatione ἐληροφόρησε. Sed Billius putat veterem interpretem legisse ἔφη. Ego potius existimo veterem interpretem eam quam ipse legit vocem minime intellexisse, ideoque omisisse, quod id salvo sensu fieri potuisse putavit. Vetustissimam igitur lectionem sentio fuisse ἐξηροφόρησεν, et fortasse ab ipso Irenæo profectam ; nam ξηροφορεῖν idem significare potest quod aliquid enarrare ξηραῖς λέξεσιν, ut Græci loquuntur. Utcunque sit, Valentinus hic nominatur ut eorum primus, quorum sententiam Irenæus tradiderat : asseritur eum antiquas doctrinas ex hæresi Gnostica in suum characterem transtulisse; ejusque character statim breviter explicatur, in quo aliqua ex Gnosticis hausta reperiuntur. Tandem clare perspicitur quam infirmum sit Dallæi argumentum ex voce πρῶτος deductum. « Si hæc, inquit, Valentinus ex Gnosticis primus definivit, certe nullus ante eum Gnosticus sic definiverat. Logon adeo ex Sige fructificatum (quod unum est ex illis sic a Valentino definitis) nemo ante eum Gnosticus deliraverat. » Nititur enim interpretatione, quæ sententiam Irenæi mire confundit, et ab ejus mente prorsus aliena est : et statuit « Logon ex *Sige fructificatum* » esse unum ex illis a Valentino definitis, cum Valentinus non dicat Logon ex Sige, sed « ex prima tetrade fructificatum, » ἐκ τῆς τετράδος ταύτης καρποφορεῖσθαι, idque non quod a Sige, sed quod ab Alethia emissus esset, quæ in eadem tetrade post Sigen fuit. Non autem hæc ita intelligimus, ut nulla alia doctrina in Valentini charactere contineretur, præter antiquas illas a Gnosticis haustas, aut illius hæresis nihil Gnosticæ hæresi addiderit. Fabula triginta Æonum illi propria fuit, decada et duodecada, opinor, adjecit. Primam ogdoada ipse non excogitavit, sed a veteribus accepit, ordinem tantum secundæ tetradis mutavit ; in quo aliqui ipsius discipuli eum secuti non sunt. In illa ogdoade erant et Sige, et Logus, et utrobique ex illa tetrade in qua fuit Sige, eductus est Logus, non autem a Sige, sed ab Alethia, quæ in eadem tetrade, sed secunda duade fuit. Nulla alia hic immutatio apparet ; neque ea vis vocis μεθαρμόσας est, ut omnia Æonum veterum nomina a Valentino mutarentur, et syzygiæ omnes in meliorem formam redigerentur. Nam μεθαρμόζειν sæpe simpliciter « transferre, » aut « adaptare » significat, non semper, « mutare, » multo minus in melius « corrigere, » scilicet, aut « emendare. » Basilidiani mathematicorum « theoremata accipientes in suum characterem *doctrinæ* transtulerunt, » ut refert Irenæus *lib. I, c. 23,* non ut ea emendarent, opinor, sed ut iis sententiam suam illustrarent. De discipulis Marci idem hæc tradit, lib. I, c. 17 : Ἔνια δὲ καὶ τῶν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ κειμένων εἰς τοῦτον τὸν χαρακτῆρα μεθαρμόζουσιν. « Quædam autem eorum quæ in Evangelio posita sunt, in hunc characterem transfigurant ; « non ut Evangelium emendarent, aut verba ejus mutarent, sed ut suæ doctrinæ verba evangelica insererent. Idem de Valentinianis etiam aliis verbis docet, cap. 1 : Καὶ ἕν ἕκαστον τῶν εἰρημένων ἅραντες ἀπὸ τῆς ἀληθείας καὶ καταχρησάμενοι τοῖς ὀνόμασιν εἰς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν μετήνεγναν. « Et unumquodque eorum quæ dicta sunt (in principio Evangelii S. Joannis) auferentes a veritate, et abutentes nominibus in suam argumentationem transtulerunt. » Enimvero assertio tertia argumentis nostris satis confirmata, et ab objectionibus Blondellianis atque Dallæanis liberata, manet hactenus inconcussa, hanc ipsam hæresin, quam volunt auctorem epistolæ ad Magnesianos respexisse, Valentino antiquiorem fuisse, et a vetustioribus Gnosticis derivatam ; saltem quatenus in eorum Gnosticorum syzygia prima fuerit Sige, in inferiori autem syzygia Logos ; quod tam valet ad ea verba οὐκ ἀπὸ Σιγῆς προελθών, ex eorum mente interpretanda, quam propria Valentini hæresis.

CAPUT VII.

Quarta assertio proponitur, probari certo non posse ipsos Valentini errores Ignatio fuisse penitus incognitos. Fieri potuisse ut Ignatius cognosceret, probatur ex ætate Valentini cum illa S. Polycarpi comparata. Valentinum post Anicetum vixisse negatur. Locus Tertulliani excutitur. Blondelli argumento respondetur. Antiquitas Valentinianæ hæreseos ex veterum monumentis eruitur. De ætate Basilidis cum Dallæo disputatur Eum hæresin suam docuisse ante Adriani *imperium ostenditur. Testimoniis a Dallæo adductis fuse respondetur.*

Si quis tamen nec his acquiescat, et Valentinum ipsum ab auctore epistolæ petitum velit, ne sic quidem res secundum sententiam adversariorum erit confecta ; adhuc enim restat quarta assertio, scilicet : Probari certo non posse, ipsius Valentini errores Ignatio martyri fuisse penitus incognitos. Hæresis Valentini a veteribus satis exposita est ; vita ejus et historia magis incerta. Ex iis profecto veterum monumentis quæ supersunt, certo colligi non potest, tam sero Valentinum vixisse, aut in eam hæresin prolapsum esse, ut ejus doctrina S. Ignatio innotescere nullo modo potuerit. Quod si Valentini ipsius delirium a S. martyre ante mortem nullo modo cognosci potuisse probare non possit, perit argumentum a violatione temporis ductum, cujus vim in eo tantum collocant, quod putent se firmiter demonstrare posse Valentinum diu post S. martyris mortem suæ hæreseos fundamenta jecisse.

Ego autem Ignatium Valentini sententiam cognoscere potuisse sic colligo. Si Polycarpi doctrina et Ignatio, et S. Joanni, et aliis etiam apostolis cognita fuerit, Valentini etiam doctrina saltem ab Ignatio cognosci potuit. At Polycarpi doctrina et Ignatio, et S. Joanni, et aliis apostolis qui ante Joannem

mortui sunt, cognita fuit : a Joanne enim et aliis apostolis episcopus ordinatus est, ut diserte tradit Ireneæus Polycarpi discipulus, lib. III, c. 3 : Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ ἀποστόλων μαθητευθεὶς καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ Ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος, ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ· ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος, ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας ἐξῆλθε τοῦ βίου. Vetus Irenæi interpres : « Et Polycarpus autem non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate ; multum enim perseveravit, et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita. » Erat itaque Polycarpus a S. Joanne et aliis apostolis episcopus ordinatus ; quibus certe illius doctrina cognita tunc temporis fuit, aliter eum episcopum nunquam ordinassent. Jam vero si demus Polycarpum a. D. 82 episcopum factum fuisse, ut Blondellus ipse docet ; 25 annis cognita fuit Polycarpi doctrina, antequam ad martyrium festinaret Ignatius. Ab Ignatio itaque cognosci potuisse doctrinam Valentini nemo negabit, si modo Valentinus vivente adhuc Polycarpo mortuus sit. At ante Polycarpum mortuus esse Valentinum, extra omnem controversiam pono Ita enim de illo Irenæus, lib. III, c. 4 : Οὐαλεντῖνος μὲν γὰρ ἦλθεν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Ὑγίνου, ἤκμασε δ' ἐπὶ Πίου, καὶ παρέμεινεν ἕως Ἀνικήτου. Vetus interpres : « Valentinus enim venit Romam sub Hygino, increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. » Illud autem παρέμεινε, quod hic interpres vertit « prorogavit tempus, » in verbis autem nuper allatis de Polycarpo « perseveravit, » omnino indicat quandiu vixerit. Ad tempora igitur Aniceti pervenit Valentinus, neque diutius vixit ; sed sub Aniceto Romam venit Polycarpus, eodem Irenæo teste, et aliquot postquam Roma reversus esset annos in Asia peregit, priusquam martyrium passus est. Cum igitur per 25 annos, antequam scriberet Ignatius, omnibus cognita sit doctrina Polycarpi, si temporum rationem in genere tantum spectemus ; potuit et doctrina Valentini, qui ante Polycarpum mortuus est, Ignatio tunc cum scriberet esse perspecta. Et si quis id quod contrarium est asserat, et in eo argumenti fundamentum ponat ; huic sane incumbit illa proferre, quæ Valentini ætatem adeo Ignatii ævo inferiorem fuisse demonstrent, ut quid hæreticus ille doceret sanctissimus martyr ad vitæ exitum jam festinans scire nullo modo potuerit.

Quare vir doctissimus ut suæ hypothesi inserviat, vitam Valentini post Anicetum et Soterem usque ad Eleutherii episcopatum prorogat, sine ulla omnino verisimilitudine. Irenæus enim sub Eleutherio tertium librum scripsit, in quo de Valentini ætate et recentiori origine hæresiarcharum agit. Si Valentinus sub eodem episcopo vixisset, sub quo ille scripsit, id non monuisset diligentissimus scriptor ? aut dicere potuisset, « ad Anicetum tantum perdurasse, » si post Anicetum et Soterem sub Eleutherio vixisset ? Fieri hæc certe non possunt. Sed Dallæus Tertulliani testimonio fretus hoc docuit. Ego vero Tertullianum, qui omnia pene ad hanc rem pertinentia ab Irenæo mutuatus est, id voluisse haud credo ; aut si id voluerit, plane deceptum fuisse scio. Ita enim ille *De præscr. hæret.* cap. 30 : « Ubi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus ? Ubi Valentinus, Platonicæ sectator ? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub episcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel et iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis quæ Ecclesiæ intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati venena doctrinarum suarum disseminaverunt. » Si ita Tertullianum intelligamus, ut tum Valentinus, tum Marcion simul Romæ sub eodem episcopo, et quidem Eleutherio, in catholicæ doctrinam crediderint et sæpius ejecti fuerint, illud certe eum dicere volumus, quod ferri omnino non potest. Quod ad Valentinum attinet, ἐν Ῥώμῃ ἀνελθὼν κεκήρυχε, ubi etiam putabatur partem aliquam pietatis et veræ fidei habuisse, ut tradit Epiphanius ; sed quod semel atque iterum ex Ecclesia Romana ejectus fuerit, veterum nemo docuit. Quæ hic de iterata ejectione et perpetuo discidio a Tertulliano commemorantur, non Valentino, sed Cerdoni ab Irenæo tribuuntur, lib. III, cap. 4. Postquam enim de Valentino brevissime egisset verbis jam citatis, de Cerdone hæc adjunxit : Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ὑγίνου, ὃς ἦν ἔννατος ἐπίσκοπος, εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἐλθὼν καὶ ἐξομολογούμενος, οὕτως διετέλεσε· ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ' οἷς ἐδίδασκε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας. Vetus interpres : « Cerdon autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino, qui fuit octavus episcopus, sæpe in ecclesiam veniens, et exomologesin faciens sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesin faciens, modo vero ab aliquibus traductus in his quæ docebat male et abstentus est a religiosorum hominum conventu. » Hæc Irenæi verba Tertullianus manifeste respexit, quibus ea quæ de illo, quem Marcioni adjunxit, scribit, diserte Cerdoni, non Valentino tribuuntur. Res igitur ipsa Valentino haud competit, multo minus tempus illud, quo hæc ab eo facta volunt, episcopatus, scilicet Eleutherii. Quisquamne in Annalibus ecclesiasticis adeo hospes est, ut credat hæc de Valentino vera esse ? An ille sub Eleutherio semel iterumque ejectus est, qui ab Irenæo ætatem ejus sollicite tradente, usque ad Anicetum permansisse dicitur, eoque ipso satis

novitatis convinci putatur ? An ille in catholicæ doctrinam Romæ credidit sub episcopatu Eleutherii ? an ille tum demum in perpetuum discidium relegatus venenum doctrinæ suæ disseminavit, contra cujus libros hæreticos, et tot ejus discipulorum commentarios sub eodem episcopo scripsit Irenæus ? qui etiam diserte distinguit Valentinum ab iis, qui ætate sua hæresin eam docuerunt, ipso statim libri primi initio ? An Valentinus ipse sectæ pater sub Eleutherio in catholicæ doctrinam credidit, cum contra Valentinianos scripserit Justinus martyr, ipso fatente Tertulliano, capite 5 ? Scripsit autem ille ante Eleutherium, ante Soterem, imo ante Anicetum, ut nunc Aniceti tempora a chronologis ex Eusebio disponuntur. Vera igitur hæc esse non possunt neque de Valentino, neque de Cerdone, ne quidem de Marcione, quem tanquam manifestæ hæreseos convictum, et primogenitum Satanæ sub Aniceto aut ante fugiebat S. Polycarpus, cujus discipulum Apellem jam valde senem Rhodon Tatiani discipulus, Irenæo synchronus, allocutus est, aliorumque discipulorum discipulos descripsit. Apage igitur illa ex Tertulliani loco somnia. Sub initio pontificatus Aniceti mortuus est Valentinus: et ex hac parte firmum est argumentum nostrum; de initio vitæ aut hæreseos tantum quæri potest.

Blondellus, qui in temporum supputatione ultra modum, et ubi opus non est, accuratus esse solet, hac ratiocinatione contentus est : « Valentinus non ante annum a martyrio Ignatii vel 40 vel 36 hæreticus agnitus est. Ergo ante eum annum refutari a quoquam non potuit. » Sed unde illi innotuit Valentinum non ante annum a martyrio Ignatii 40 vel 36 hæreticum agnitum fuisse ? Quia, scilicet, Valentinus ante annum 144 hæreticus agnitus non est. Ita enim Eusebius ad eum annum in Chronico: « Valentinus hæreticus agnoscitur, et permanet usque ad Anicetum. » Ita quidem Eusebius, sed non idem dicit quod Blondellus, ante hunc annum eum hæreticum agnitum non fuisse. Imo vero idem Eusebius Blondellum clare refellit. Nam in Græcis ad annum Antonini Pii tertium habet, κανᾶ Ὑγιεινὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον Οὐαλεντῖνος ἰδίας, αἱρέσεως εἰσηγητὴς ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐγνωρίζετο. « Sub Hygino Romæ episcopo Valentinus propriæ hæreseos conditor Romæ agnitus est. » Agnitus est igitur Valentinus tanquam hæresiarcha sub Hygino anno 141 secundum Eusebium. Eo scilicet anno Romæ agnitus est, secundum calculum Eusebianum ; alibi ante, imo ante annum 144 ita agnitus est, ut etiam refutatus sit, quod fieri non potuisse asserit Blondellus. Eusebius in Chronico, ad annum 142 : « Justinus philosophus librum pro nostra religione conscriptum Antonino reddidit. » In eo ipso libro Justinus hæc scribit : Ἔστι δὲ ἡμῖν καὶ σύνταγμα κατὰ πασῶν τῶν γεγενημένων αἱρέσεων συντεταγμένον ; « Est autem nobis liber contra hæreses et sectas omnes compositus. » Eum autem librum scriptum fuisse sub fine imperii Adriani vix dubitandum est, præsertim si Cedreno credamus, qui de eo imperatore scribens ait : Ἐπὶ τούτου Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἠνδρίζετο. « Sub hoc Justinus philosophus contra omnes hæreses viriliter se gessit. » In eo igitur libro scripsit contra Valentinianos Justinus, ut testatur Tertullianus, ergo ante annum 144 non tantum refutari potuit, sed et ipse refutatus est et discipuli ejus. Ergo ante eum annum hæreticus agnitus est, et diu quidem ante. Nam Justinus martyr in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, sub initio Antonini Pii scripto, discipulorum Valentini tanquam hæreticorum meminit, quos vocat ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς, et quibuscum catholicos communionem nullam habuisse testatur. Καὶ εἰσιν αὐτῶν, inquit, οἱ μὲν τινες καλούμενοι Μαρκιανοὶ, οἱ δὲ Οὐαλεντινιανοὶ, οἱ δὲ Βασιλιδιανοὶ, οἱ δὲ Σατορνιλιανοὶ, καὶ ἄλλοι ἄλλῳ ὀνόματι, ἀπὸ τοῦ ἀρχηγέτου νῆς γνώμης ἕκαστος ὀνομαζόμενος. « Et sunt eorum quidam qui vocantur Marcionitæ, quidam vero Valentiniani, Basilidiani, Saturniliani, a principe sententiæ quisque nomen obtinens. » Diu itaque ante agnitus est Valentinus tanquam blasphemæ hæreseos princeps et ab Ecclesia ejectus. Non autem nunc quæritur, quando Valentinus tanquam hæresiarcha Romæ agnitus, sed quando primum in hæresin lapsus est, quando prima sententiæ suæ rudimenta protulit.

Originem Valentini obscuram fuisse observat Epiphanius, quod non minimum vetustatis indicium est. In Ægypto primum hæresin suam efformasse, eamque veneno suo infecisse tradit ; quo tempore hoc factum est, narrare non potuit. Eodem tendit historia, quam narrat Tertullianus ; « Speraverat episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio ; sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ad expugnandam conversus veritatem. » Hoc enim in Ægypto factum par est credere, quando autem factum est nec ille narrat. Admodum autem antiquum fuisse Valentinum primo Valentiniani ipsi asserebant, dein Veterum monumenta recte observata persuadent. Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. VII : Ὡσαύτως δὲ καὶ Οὐαλεντῖνον Θεοδάδι ἀκηκοέναι φέρουσι, γνώριμος δέ οὗτος ἐγεγόνει Παύλου. « Similiter autem Valentinum quoque ferunt audivisse Theodadem ; erat autem hic Pauli discipulus. » Si hæc vera sint, de antiquitate Valentini dubitari amplius non potest. Suspicor quidem eos, qui hæc tradiderunt, fuisse Valentinianos : qui licet in ea re vix falli potuerint, fallere tamen certe potuerunt. Cum tamen a nobis refelli non possint, videamus an quod illi tradidere, cum iis cohæreat, quæ a catholicis prodita sunt. Irenæus Præfatione lib. IV : « Ii, inquit, qui ante nos fuerunt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum. » Loquitur de iis, qui ante ætatem suam vixerunt, eosque ait non satis potuisse Valentinianos confutare, licet

viri essent præstantissimi. Irenæus autem non longe a temporibus apostolorum fuit, ut loquitur Augustinus, ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, ut Basilius ; prope igitur apostolica tempora fuere Valentiniani, et cum apostolicis viris conversatus est ipse Valentinus. Idem multo adhuc firmius et certius colligi potest ex ætate Marcionis, si hæc satis firma non videantur, Marcionem quidem Irenæus tradit sub Aniceto invaluisse, qui sub Antonino Pio Ecclesiæ Romanæ præfuit ; unde eum Antoninianum Marcionem appellat Tertullianus lib. v et lib. I : « De quo tamen constat, Antoninianus hæreticus est, sub Pio impius. » Sed quo primum tempore in hæresin lapsus est, quoniam apud Irenæum non invenerat, inquirere neglexit. « Quoto quidem anno Antonini majoris de Ponto suo exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare. » Quæ cum tam clare fateatur Tertullianus, miror Baronium asserentem, ex ejus verbis certum annum initii Marcionis hæresis consignari posse. Verba quidem apud eum hæc sequuntur : « A Tiberio autem usque ad Antoninum anni fere 120 et dimidium anni cum dimidio mensis. Tantumdem temporis ponunt inter Christum et Marcionem. » Sed cum a Christi exitu Tertullianum numerare velit, id aperte falsum esse ex præcedentibus cognoscitur ; cum annum certum denotari docet, septimum, scilicet, Antonini, contra mentem ipsius Tertullianum explicat, qui ad prima Antonini tempora tantummodo calculum deducit, nec ullius anni ejus imperii rationem habet. Nam et qui ante Tertullianum scripsere Christiani plures etiam quam 115 annos a 15 Tiberii ad initium Antonini numerabant. Videamus igitur an nos aliquid certius de origine illius hæretici ex antiquissimis veterum monumentis eruere possimus ; nam qui posterioribus fidunt, nihil hactenus certi invenire potuerunt. Origenes, *contra Celsum* lib. v : Ἐμνήσθη δὲ ὁ Κέλσος καὶ Μαρκιωνιστῶν προϊσταμένων Μαρκίωνα. « Meminit autem Celsus Marcionitarum Marcionis sectatorum. » Antequam igitur scriberet Celsus, Marcionitæ hæretici erant omnibus non tantum Christianis, sed etiam gentilibus probe noti. Ætas autem Celsi istius ita ab Origene describitur : Δύο δὲ παρειλήφαμεν Κέλσους γεγονέναι Ἐπικουρείους· τὸν μὲν πρότερον κατὰ Νέρωνα, τοῦτον δὲ κατὰ Ἀδριανὸν, καὶ κατωτέρω. « Duos autem fuisse Celsos Epicureos accepimus : priorem quidem sub Nerone, hunc autem sub Adriano, et postea. » Celsus igitur qui Marcionitarum meminit, sub Adriano vixit ; scripsisse quidem sub Adriano non constat, quia post Adriani imperium permansit. Non enim illa probo quæ scripsit Baronius : « Si Origeni credimus, qui tradit Celsum Epicureum sub Adriano scripsisse adversus Christianos Commentarios suos, in quibus mentionem facit hæresis Marcionis : necesse est dicere, jam ante Antonini tempora esse Marcionis hæreses promulgatas. » Non enim dixit Origenes Celsum sub Adriano scripsisse, sed vixisse tantum. Verum non diu post Adrianum sub imperio Antonini Pii scripsisse eum verba Origenis omnino innuere videntur : erant autem tunc Marcionis discipuli satis celebres. Certe Marcionitarum meminit Justinus martyr *Dialogo cum Tryphone Judæo*, scripto ut diximus, statim sub initio Antonini Pii ; si Scaligerum audiamus, sub fine Adriani. Ita enim ille ad Eusebii Chronicon. « Belli Judaici tempore scripsit Tryphona dialogum, hoc est sub Adriano, ut ipse ostendit. » Τρύφων, φησὶ, καλοῦμαι· ἐγὼ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς, φυγὼν νὸν νῦν πόλεμον, ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Κορίνθῳ τὰ πολλὰ διάγων. « Trypho, inquit, vocor : sum autem ex circumcisione Hebræus, ex nupero bello profugus, atque in Græcia et Corinthi plurimum degere solitus. » Erant igitur iis temporibus celebres hæretici Marcionis discipuli. De Marcione ipso idem in Apologia prima, quæ in editionibus male pro secunda habetur, ut viri docti adnotarunt : Μαρκίωνα δὲ τινα Ποντικὸν, ὃς καὶ νῦν ἔτι ἐστὶ διδάσκων τοὺς πειθομένους. « Marcionem autem quemdam Ponticum, qui etiam adhuc exsistit docens discipulos suos. « Quo loco indicat Marcionem diu hæresin suam sparsisse, antequam illa scripserit Justinus. Ea autem scripsit anno quarto Antonini Pii, ut tradit Eusebius in Chronico ; neque posterius eam scripsisse videtur, nam bellum Barchochebæ. sub Adriano finitum, appellat τὸν νῦν γεγενημένον Ἰουδαϊκὸν πόλεμον in eadem Apologia. Quare cum Justinus sub initio fere imperii Antonini majoris, meminerit Marcionis discipulorum, a communione Ecclesiæ ejectorum, et Marcionem jam diu hæretica sua dogmata promulgasse enuntiaverit ; quisquamne induci possit ut credat Marcionem paucis post initium Adriani annis hæreticum non fuisse ? Non equidem puto vera esse quæ de Marcione scripsit Philastrius : « Qui devictus atque fugatus a beato Joanne evangelista et a presbyteris de civitate Ephesi, Romæ hanc hæresin seminavit : » existimo tamen ea esse illius hæreseos antiquitatis aliquod argumentum. Et ex his quæ dicta sunt obiter observo, verisimillimum esse patrem Marcionis ante martyrium Ignatii in Ponto episcopum fuisse, et quidem διαπρέποντα ἐν τῇ ἐπισκοπῇς λειτουργίᾳ, ut loquitur Epiphanius : aut certe diu ante illa tempora quibus primulum caput ertulisse episcopatum decernunt Blondellus et Salmasius. Hæc autem de ætate Marcionis ex antiquissimis veterum monumentis decerpta ad eruendum Valentini ævum quamplurimum valent. Veteres enim omnes docent eum fuisse Marcione antiquiorem ; quanto autem antiquior fuit, hoc modo, ni fallor, discere aliquatenus poterimus. Nemo est qui non tradit Cerdonem Marcionis magistrum fuisse ; Κέρδων δὲ ὁ πρὸ Μαρκίωνος. « Cerdon autem qui ante Marcionem, » et : « Marcion autem illi succedens, » inquit Irenæus lib. III, cap. 4, qui et lib. I docet Cerdonem sua a Simonianis hausisse : Διαδεξάμενος, δὲ αὐτὸν, inquit, ὁ Ποντικὸς

Μαρκίων ηὔξησε τὸ διδασκαλεῖον. « Succedens autem et Marcion Ponticus scholam auxit. » Ita Tertullianus ; ita reliqui. Et quidem Valentinum primo sub Hygino Romam venisse, dein Cerdonem tradit Irenæus. Inde autem nihil certi de tempore colligi potest. Nullos enim pontificibus Romanis annos assignat, neque eos cum Romanis imperatoribus comparat Irenæus. Eusebius quidem in Chronico primum annum Hygini secundo Antonini Pii tribuit, Eutychius autem sexto Adriani. Tribus annis sedisse vult Hyginum Eusebius : « Annis duodecim mensibus tribus, diebus sex, » auctor vetustissimi catalogi apud Bucherium. Et vera quidem initia tum Aniceti, tum Pii, tum Hygini pontificatuum puto esse hactenus incognita. Ex successione igitur hæreticorum de initio Valentini potius judicandum, talis autem a veteribus eorum successio nobis tradita est ; Cerdo successit Heracleoni, ita Epiphanius : Κέρδων τις τούτους καὶ τὸν Ἡρακλέωνα διαδέχεται ἐκ τῆς αὐτῶν σχολῆς ὤν. « Cerdon quidem his et Heracleoni succedit, ex eorum schola existens : » Heracleon Colarbaso, Colarbasus Ptolemæo, Ptolemæus Epiphani, Epiphanes Secundo, Secundus Valentino successit. Valentinus igitur, e cujus schola reliqui prodierunt, non paucis annis Cerdone superior fuit. Si autem Cerdonem statuamus si non ante, ipso tamen statim initio Adriani sua deliria disseminasse, quod maxime probabile reddidimus, nemo negabit etiam Valentinum sua spargere potuisse ante undecimum annum Trajani; eaque nemo non concedet ab Ignatio ante martyrium potuisse cognosci.

Alio etiam argumento utitur Dallæus : « Saturnilus et Basilides annis pluribus quam 20 post Ignatii martyrium sua deliria spargere cœperunt. Valentinus autem post hos duos erupit. » Primo quidem fateor Valentinum post eos duos erupisse, sed non magno intervallo. Secundo etiam agnosco Saturnilum prius suam hæresin docuisse quam Basilidem, quod frivola suspicione ductus Baronius negavit. Sed interim aperte nego ullo modo probari posse, Basilidem tot annis post Ignatii mortem sua deliria spargere cæpisse. Plures quam viginti annos hoc loco nominat, capite autem 10 ad quod nos remittit, epocham hæreseos Basilidianæ figit, annos 27 post Ignatii martyrium numerat, et verba Eusebii in Chronico ad annum Adriani 17 Domini vero 134 quasi fundum sententiæ laudat. Verba Eusebii sunt : « Basilides hæresiarches in Alexandria commoratur, a quo Gnostici. » Sed quam perperam hæc ad initium hæreseos trahuntur ; quæ potius exitum hæretici indicant ? Eo quidem anno Alexandriæ adhuc commorari dicitur, qui post eum annum nusquam comparuit Ita Eusebium interpretatus est, qui ea verba e Græco transtulit, Hieronymus. In Catalogo enim, voce « Agrippa, » hæc habet : « Mortuus est autem Basilides, a quo Gnostici, in Alexandria temporibus Adriani. » Quis autem non videt eum ad Eusebiana alia respicere ?

Verba etiam sequentia idem evincunt : « Qua tempestate et Chochebas dux Judaicæ factionis Christianos variis suppliciis enecavit. » Ad eumdem enim Adriani annum in Chronico Eusebii hæc verba prioribus subjunguntur : « Chochebas dux Judaicæ factionis nolentes sibi Christianos adversum Romanum militem ferre subsidium omnimodis cruciatibus necat. » Eum igitur annum, quem Dallæus pro sua sententia arripuit, pro nostræ fundamento pono ; et Basilidem anno 17 Adriani, post S. Ignatii martyrium circiter 27 mortuum esse statuo. Dum autem schedas Notarum Joannis Cotelerii in Constitutiones apostolicas festinanter lustro, video eum aliter Hieronymum intelligere, et pro « mortuus est » legere « moratus est. » Quod ut faceret, tria virum illum eruditum permoverunt. Primum, quod locus Catalogi illi apud Chronicon tam apte quadret : secundum, quod in quinque codicibus scriptum reperisset, « moratus est ; » tertium Clementis Alexandrini locum spectat. Sed hæc neque cogunt, neque persuadent, ut vulgatam lectionem deseramus, aut Basilidem post eum annum vixisse credamus. Non primum, quia eodem anno et morari potuit Alexandriæ hæreticus ille, et mori ; unum indicare potuit Eusebius, alterum Hieronymus ; et cum de ætate Agrippæ Castoris agat in Catalogo, potius ad mortem Basilidis, contra quem Agrippa sub Adriano scripsit, respicere putandus est, quam ad moram ; et verisimile est eum ita Eusebium intellexisse, ut usque ad annum in Chronico notatum Basilidem vixisse voluerit, si revera in Chronico Hieronymus scripserit « commoratur. » Nam nec hoc certum est ; quoniam eo loci legitur etiam « commemoratur : » et quamvis Pontacus in aliquibus mss. « commoratur » legi doceat, (ut in uno Cantabrigiensi codice scriptum etiam reperi) idem tamen in pluribus « commemoratur » haberi innuit : quæ vox si recipiatur, similitudo locorum perit. Neque secundum quidquam valet ; quia et editiones, et duo apud nostros Cantabrigienses mss. codices, quos, dum scribo, inspicere licuit, præferunt mortuus est, et Græca versio sub Sophronii nomine, quinque illis codicibus sine dubio longe antiquior, hanc vulgatam lectionem repræsentat, et tuetur. Τελευτῶντος Βασιλείδου Γνωστικοὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκλήθησαν ἐν τοῖς χρόνοις Ἀδριανοῦ· « Mortuo Basilide Gnostici in Alexandria vocati sunt temporibus Adriani. » De tertio adversus Dallæum agimus. Sud Dallæus nescit hoc quam verum sit ; « certe non videtur cohærere, inquit, cum iis quæ Clemens tradidit, scilicet, Basilidem pervenisse ad Antonini Pii ævum. » Sed nec hoc diserte dicit Clemens in loco illo obscuro, quem mox considerabimus ; nec si id dixisset, multum causæ adversariorum accederet ; nec enim inde probari posset, ultra quinquennium post eum annum Basilidem vixisse. Inde etiam infero, probari nullo modo posse, post Ignatii mortem hæresin suam in Ægypto eum sparsisse. Quam sententiam ex Veterum mo-

numentis sic confirmo. Sub imperio Adriani Agrippa Castor Basilidis luculentam confutationem scripsit, in qua et mentionem fecit 24 librorum ab eo in Evangelium scriptorum, teste Eusebio, *Hist.* lib. IV, cap. 7, neque tantum adversus Basilidem, sed et filium ejus ac discipulum Isidorum scripsit, teste Theodoreto. Qui sub Adriano tot libros ediderat, filiumque ac discipulum notum etiam scriptorem tunc habuit, eum sub Trajano sua docuisse par est credere. Joelis igitur chronographus de Trajano imperatore agens, hæc habet : Ἐφ' οὗ καὶ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλεωπᾶ καὶ Ἰγνάτιος ὁ Θεοφόρος, καὶ Βασιλείδης, καὶ Νικόλαος, καὶ Ἐβιωναῖος οἱ αἱρεσιάρχαι καὶ ἐχθροὶ τῆς ἀληθείας ἐγνωρίζοντο. « Sub quo et Simeon Cleopæ filius, et Ignatius Deifer, et Basilides, et Nicolaus, et Ebionæus hæresiarchæ et veritatis hostes agniti sunt. » De eodem imperatore agens Abulfaraius : « Hoc tempore prodtit Antiochiæ quidam nomine Soterinus, sive Saturninus. Prodiit etiam Basilides. » Neque mirum hos recentiores hæc prodidisse, cum Veteres paria tradiderint. Epiphanius hæresi 31 : Οὐαλεντῖνος μὲν οὖν οὗτος τῷ χρόνῳ διαδέχεται τοὺς πρὸ αὐτοῦ προτεταγμένους, Βασιλείδην τε καὶ Σατορνῖλον, Ἐβίωνά τε καὶ Κήρινθον καὶ Μήρινθον, καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτούς. Οὗτοι γὰρ πάντες ἐν ἑνὶ καιρῷ τῷ βίῳ κακῶς ἐφύησαν, ὀλίγῳ δὲ πρόσθεν μᾶλλον οἱ περὶ Κήρινθον, καὶ Μήρινθον, καὶ Ἐβίωνα. « Valentinus iste prioribus illis a me antea commemoratis tempore est posterior, Basilide, nimirum, ac Saturnilo, Ebione, Cerintho ac Merintho eorumque sociis. Siquidem omnes non tempore ad humani generis exitium profusi sunt : quanquam Cerinthus, ac Merinthus et Ebion paululum antegressi sunt. » Non multum temporis igitur intercessit inter Cerinthum hæreticum in Asia agnitum, antequam S. Joannes Evangelium scripserat, et Basilidem, teste Epiphanio. Quinetiam ipse Hieronymus Basilidem inter hæreticos apostolicorum temporum numerat, disputans adversus Luciferianos : « Sed quid de posterioribus adhuc loquor ? Apostolis adhuc in sæculo superstitibus, apud Judæam Christi sanguine recenti phantasma Domini corpus asserebatur. Galatas ad observationem legis traductos Apostolus iterum parturit. Corinthios resurrectionem carnis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus et Menander discipulus ejus Dei se asseruere virtutes; tunc Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque Æonibus commentatus est. » Si Basilidianis ipsis credamus, habuit Basilides magistrum Glauciam, fuitque ille Glaucias S. Petri interpres. Clemens Alexandrinus, *Stromat.* lib. VII : Καθάπερ ὁ Βασιλείδης, κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχοῦσιν αὐτοί, τὸν Πέτρου ἑρμηνέα. Nec hoc statim repudiandum, quod a Basilidianis dictum sit, quod ei ætati minime repugnat, quam nostri etiam agnoscunt. Si Glaucias erat interpres S. Petri, synchronus fuit Menandro, quem omnes fatentur discipulum fuisse Simonis Magi ; certe eum μαθητὴν τοῦ Σίμωνος vocat Justinus martyr. Utrumque igitur ; quod ad temporis rationem spectat, audire potuit et Glauciam et Menandrum, nisi præmaturus illius Glauciæ obitus alicui jam notus sit. Mortuus est Simon sub Nerone ; sub Vespasiano igitur floruit Menander, sub Domitiano igitur credibile est eum audivisse Saturnilum et Basilidem, sub Trajano suas hæreses efformasse atque prodidisse, scholas etiam seu ecclesias sub Adriano condidisse. De quibus Eusebius : Ὧν ὁ μὲν μετὰ Συρίαν ὁ δὲ κατ' Αἴγυπτον συνεστήσαντο θεομισῶν αἱρέσεων διδασκαλεῖα. « Quorum ille quidem in Syria, hic vero apud Ægyptum impiarum hæreseon scholas condidit. » Unde probat Clemens Alexandrinus μεταγενεστέρας τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας τὰς ἀνθρωπίνας συνηλύσεις, « conventus hos humanos catholica Ecclesia posteriores. »

Quamvis hæc a nobis tam perspicue probata sint, habet tamen Dallæus auctores, ut putat, qui Basilidem hunc, Menandri discipulum. Isidori patrem et magistrum, sub Adriano primum erupisse, et hæresin suam docere cœpisse tradunt. Ac primo nobis nominat Clementem Alexandrinum, cujus locum mire, ut opinor, corruptum aut male intellectum toties advocant. Eum igitur per partes examinabimus. Ἡ μὲν γὰρ τοῦ Κυρίου κατὰ τὴν παρουσίαν διδασκαλία ἀπὸ Αὐγούστου καὶ Τιβερίου Καίσαρος ἀρξαμένη, μεσούντων τοῦ Αὐγούστου χρόνων τελειοῦται. Ubi vox Αὐγούστου posteriore loco recte poni non potest ; neque enim de Augusto ipso intelligi poterit, post cujus imperii media tempora Christus natus ; neque Tiberio ea vox convenit ubi uterque simul nominatur. Mendum agnoscit Sylburgius et pro Αὐγούστου legit cum interprete Τιβερίου. Et quidem satis Græce dicitur μεσούντων τῶν Τιβερίου χρόνων, « medio Tiberii tempore, » sed dubito an ita loqueretur Clemens, qui 15 quidem Tiberii baptizatum esse Christum agnovit, et post unum annum passum etiam putavit, sed 22 tantum annos Tiberio assignavit. Cum igitur levior mutatio sufficere posse videatur, forte legendum μεσούντων τῶν Αὐγούστων χρόνον, « Augustis illis tempus dimidiantibus, » vel, utroque imperatore dimidium temporis sibi sumente. Ut ipse loquitur, lib. I : Πεντεκαιδεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου, καὶ πεντεκαιδεκάτῳ Αὐγούστου οὕτω πληροῦνται τὰ τριάκοντα ἔτη ἕως οὗ ἔπαθεν. « Quintodecimo ergo anno Tiberii et quintodecimo Augusti sic implentur triginta anni usque ad tempus quo passus est Christus. » Sed optima correctio a meliori codice exspectanda est. Ego tantum locum eum ut nunc editus est, in mendo cubare observo. Ἡ δὲ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ μέχρι γε τῆς Παύλου λειτουργίας ἐπὶ Νέρωνος τελειοῦται. « Apostolorum autem ejus doctrina, usque ad Pauli ministerium, sub Nerone consummatur. » Hæc de antiquitate doctrinæ Christianæ; de novitate hæreseon ita loquitur : Κάτω δὲ, περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσει-

ἐπινοήσαντες γεγόνασι. « Inferius autem, circa tempora Adriani imperatoris, fuerunt illi qui hæreses excogitarunt. » Non negat quemquam hæreticum ante Adriani tempora fuisse ; hoc enim negari non potuit. Non dicit eos, de quibus loquitur, sub Adriano primum sua deliria docuisse, quod adversarii asserunt, nos negamus. Hoc tantum dicit, eos qui hæreses excogitarunt, circa tempora Adriani exstitisse. Ita veteres ipsi Clementem intellexerunt : hæc enim Cedrenus ex illis habet : Ὡς γὰρ φησὶ Κλήμης ὁ Στρωματεὺς ἐπὶ Ἀδριανοῦ ὑπῆρχον Ἑατορνῖλος, Βασιλείδης, καὶ Καρποκράτης. « Ut enim ait Clemens Stromateon auctor, sub Adriano fuerunt Saturnilus, Basilides, et Carpocrates. » Addit autem Clemens : Καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας, καθάπερ ὁ Βασιλείδης. « Et pervenerunt usque ad ætatem Antonini senioris, » Pii, scilicet, qui Adriano successit. E quibus verbis patet, ad postrema horum hæreticorum tempora, non priora respexisse Clementem ; ac si dixisset : Hæresiarchæ illi, quorum discipuli etiamnum exstant, inferiores seu juniores erant iis, qui Christianam fidem primo prædicabant ; apostolorum enim doctrina sub Nerone consummata est, hi autem sub Adriano vixerunt, et usque ad Antoninum Pium duraverunt ; apostolis igitur posteriores fuerunt. Ex his tres nominat, Basilidem, Valentinum, et si forte Marcionem ; si forte, inquam, nam illa verba : Μαρκίων γὰρ, κατὰ αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο. « Marcion enim sub eadem ætate versabatur ut senex cum junioribus, » ut vulgo exponuntur, sana esse non possunt, ut nec quæ sequuntur : Μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσε, « post quem Simon Petrum audit paululum prædicantem, » ut hodie leguntur et exponuntur. Quis enim in historia ecclesiastica ferre potest, aut Marcionem senem fuisse, cum Basilides et Valentinus juvenes essent, aut Simonem qui S. Petrum audivit, post Marcionem exstitisse? De Marcione aliter sensit Epiphanius, ut ostendimus : aliter etiam veteres locuti sunt. Justinus martyr Valentinianorum et Basilidianorum meminit, dictosque eos a nominibus hæresiarcharum docet ; imo vero : Καὶ εἰσιν ὑφ' ἡμῶν, inquit, ἀπὸ προσωνυμίας τῶν ἀνδρῶν ἐξ οὗπερ ἑκάστη διδαχὴ καὶ γνώμη ἤρξατο. « Et sunt apud nos qui a nomine eorum virorum, ex quo doctrina et sententia quælibet incepit, » denominati sunt, solum Marcionem memorat quasi adhuc in vivis cum ipse scriberet, et postquam contra omnes hæreses scripsisset. An eum tantummodo in vivis tunc fuisse monuisset, si eodem tempore Basilides et Valentinus, non tantum vixissent, sed etiam juvenes et in florenti adhuc ætate fuissent ? Observat Irenæus de ætate hæreticorum agens Valentinum sub Hygino Romam venisse, Marcionem sub Aniceto postea invaluisse : an ille putavit Valentinum juniorem fuisse, cum Marcion jam senex esset? Hæc igitur, saltem ut ab iis exposita

A sunt, a Clemente proficisci non potuerunt. Quare Isaacus Vossius huic loco tanquam minime sano medelam adhibuit, et pro illis quæ dedimus, hæc legit : Μαρκίων γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος ὡς πρεσβύταις νεώτερος συνεγένετο, μεθ' ὧν Σίμων. Quæ si recte capio hoc sonant : « Marcion enim sub eadem ætate cum illis tanquam cum senibus junior versatus est, cum quibus Simon, » etc. Ita ille, acute quidem, ut solet. Henricus autem Valesius nihil mutandum putavit, sed μεθ' ὅν, sive « post quem, » idem valere ait, quod « ante quem, » et hoc probare nititur in Adnotationibus ad Eusebium. Quæ expositio an ferri possit, judicent eruditi. Ego non dubito quin Blondellus, qui Clementem hoc loco Valentinum post Marcionem referre

B asserit, sola Latina versione deceptus sit ; quæ tamen ipsa id aperte non dicit quod ille voluit. Ego mentem Clementis ita recte exprimi posse sentio : « Quod ad Marcionem enim attinet, ille quidem sub eodem imperio Adriani vixit, sub quo Basilides et Valentinus, sed cum senex esset, cum illis qui his juniores, recentiores seu posteriores sunt, conversatus est hæreticis. » Vox enim νεωτέροις cum αὐτοῖς conjungi non debet, quasi ipso Marcione illi juniores aut posteriores fuerint ; sensus omnis vocis αὐτοῖς refertur ad αὐτήν et in voce γενόμενος finitur ; νεωτέροις cum συνεγένετο arcte conjungitur eosque denotat, cum quibus Marcion tanquam discipulus conversatus est, a quibus suæ hæreseos principia quædam mutuatus est, qui quidem ipsi

C Basilidis et Valentini discipuli fuerunt. Ita vocem eam alibi usurpat Clemens ut lib. I : Θάλης δὲ Φοῖνιξ ὢν τὸ γένος καὶ τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκέναι εἴρηται· καθάπερ καὶ ὁ Πυθαγόρας αὐτοῖς γε τούτοις, Χαλδαίων τε καὶ μάγων τοῖς ἀρίστοις συνεγένετο. Ubi συμβεβληκέναι et συγγενέσθαι idem. Ita optime Clementi cum veteribus convenit. Nullo modo igitur ex hoc loco colligitur, aut Valentinum post Marcionem vixisse, quod voluit Blondellus aut Basilidem sua nunquam docuisse ante imperium Adriani, quod hinc elicere cupiebat Dallæus.

Neque vero reliqui qui de Adriano loquuntur quidquam aliud statuunt, quam quod nos etiam, Basilidem sub ejus imperio fuisse, vel scholam habuisse. Theodoretus de Saturnilo et Basilide : Ἄμφω δὲ ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐγένοντο.

D « Ambo autem Adriani Cæsaris tempore fuerunt. » Eusebius quidem circa Adriani tempora narrationem de scholis Saturnili et Basilidis instituit : Ὧν ὁ μὲν κατὰ Συρίαν, ὁ δὲ κατ' Αἴγυπτον συνεστήσαντο θεομισῶν αἱρέσεων διδασκαλεῖα. » Quorum ille quidem in Syria, hic vero apud Ægyptum impiæ doctrinæ scholas condidit. » Non tum primum hæresin docuisse ait, sed quod contrarium prorsus evincit, a Menandro Simonis successore hæresin accepisse docet ; sub eodem imperatore aliquos ecclesiasticos viros adversus eos scriptis pugnasse, ac præcipue Agrippam Castorem contra 24 volumina Basilidis scripsisse, et Basilidem ipsum, interprete Hiero-

nymo, sub eodem imperatore obiisse. Fateor Valesium ad eum locum hæc notare: «Recte Eusebius Basilidis hæresin principatu Adriani erupisse dicit.» Sed quam recte ita judicavit, ex ratione quam subjungit, patebit : « Tunc enim primum hæretici ex latebris prodire et caput attollere cœperunt, cum apostolis omnibus jam exstinctis, opportunum sibi adesse tempus ad evulganda errorum suorum dogmata existimarent. » Licet multi hæretici fuerint sub temporibus apostolicis, ut veteres sæpissime memorant, et de iis sæpe disputant ; tantum, sublatis omnibus apostolicis, multo liberius sua dogmata promulgabant. Sed an omnes apostoli ante Adriani imperium sublati non sunt? an eorum quisquam post S. Joannem superfuit, qui sub initio Trajani mortuus est? an nullam temporis opportunitatem arripere potuerunt sub toto Trajani imperio, qua sua dogmata viri fervidi et docti et persecutionis æstum minime metuentes exponerent? Procul dubio per illud ævum doctrinas a Menandro acceptas perpoliebant, scriptis mandabant, discipulos congregabant, ac demum sub Adriano, suas συνηλύσεις, ut loquitur Clemens ; διδασκαλεῖα, ut Eusebius ; ecclesias, ut Tertullianus, publice multis in locis habuere. Tunc igitur viri ecclesiastici quamplurimi iis restiterunt ; tunc primum nonnulli adversus eorum hæresin palam et late grassantem, et libros ubique volitantes justa volumina conscripseruni. Nihil aliud voluerunt veteres qui de ætate Adriani locuti sunt.

Qui vero generalius loquuntur de ætate hæreticorum temporibus apostolorum posteriori, multo minus evincunt Basilidem hæresin suam ante Adriani tempora minime docuisse. Firmiliani quidem verba sunt in Epistola ad Cyprianum : « Sed et Valentini et Basilidis tempus manifestum est, quod et ipsi post apostolos, et post longam ætatem adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint ; » ex quibus primum observo Firmilianum putasse tum Basilidem tum Valentinum Marcione antiquiorem fuisse, adversus Blondelli sententiam, ut cuilibet locum integrum inspicienti patebit. Neque quidquam Firmiliani disputatio contra nostram sententiam de initio hæreseos Basilidianæ facit. De rebellione ejus contra Ecclesiam agit ille, quam istius ævi hæretici quandiu potuerunt semper evitabant, ut sæpe legimus. De apostolis loquitur eodem modo quo Clemens Alexandrinus de re eadem scribens ; ut enim ille doctrinam apostolicam per S. Paulum sub Nerone consummatam esse dicit, ita per apostolos Petrum et Paulum intelligit disputans contra traditionem apostolicam a Stephano pontifice Romano falso, ut ait, productam. Ita se ipsum explicat, dum Stephanus vapulat, « quasi infamans Petrum et Paulum, beatos apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint. » Diu igitur post Petrum et Paulum Basilides adversus Ecclesiam rebellavit ex sententia Firmiliani ; quod et nos fatemur ; neque aliud quidpiam ex ea epistola exsculpi potest. Sed Irenæus Clementis ad Corinthios epistolam affirmat vetustiorem esse hæreticis alterum Deum super Demiurgum comminiscentibus, id est, ut liquet, Gnosticis. Inde, scilicet, apparet, Basilidem sua dogmata ante Adriani tempora minime propalasse. Nam ea epistola «non multis ante Ignatii martyrium annis scripta est. » Ita ille ; sed Blondellus ipse datam eam epistolam inter a. D. 68 et 76 latetur ; pluribus igitur quam 30 annis ante Ignatii martyrium scripta est. De hac Irenæi verba sunt : « Cum sit vetustior his qui nunc falso docent, et alterum Deum super Demiurgum et factorem horum omnium quæ sunt commentiuntur.» Dallæus ea verba, « qui nunc falso docent, » plane omisit, ut argumentum aliquam ponderis speciem haberet ; quod nunc epistolæ Clementinæ antiquitas, et Irenæi ipsius verba nihil omnino esse aperte ostendunt. Sed rursus scribit alibi, omnes istos hæreticos valde posteriores esse quam episcopos, quibus apostoli tradiderunt Ecclesias, «adeoque et Ignatio qui horum episcoporum unus fuit. » Hic etiam omisit verba quæ sequuntur, « et hoc in tertio libro cum omni diligentia manifestavimus. » Nihil igitur hoc loco dicit, quod non antea dixerat. At cum omni diligentia uteretur, nihil de ætate Basilidis dixit, de qua nunc disputatur. Valentini quidem meminit inter hæreticos ; Lini, Anacleti et Clementis inter episcopos : quibus omnibus et Valentinum et Basilidem valde posteriores agnoscimus. Nondum igitur probarunt viri doctissimi, neque probaturum quemquam puto, Valentinum adeo sero vixisse, aut in hæresin delapsum esse, ut ejus errores necessario fuerint S Ignatio ad martyrium festinanti penitus incogniti.

Tandem, uti spero, argumento a Valentini Sige deducto abunde responsum est. Quatuor enim assertiones attuli, omnes, ut mihi videtur, certæ et exploratæ veritatis. Ita tamen comparatæ sunt, ut si vel una earum versa sit, ea unica omnem argumenti adversariorum vim elidat.

CAPUT VIII.

Ad quatuor ultima pro violatione temporis argumenta respondetur. Auctor epistolarum de Constantini Christianismo nihil suspicatus. Leopardi vox antiquitatem epistolæ ad Romanos haud imminuit. Figmenta Dallæi de certi cujusdam ordinis militum appellatione. Leopardi vocem ante Constantini ævum in usu fuisse adversus Bochartum ostenditur. Receptio pœnitentium novitatem epistolarum non probat. De Albaspinæi sententia disputatur. Onesimum, quem Ignatius Epheso præfuisse ait, mortuum fuisse sub tempore martyrii Ignatiani perperam asseritur. Variæ quorumdam de Onesimo sententiæ id non evincunt.

Hactenus de hæreticis et hæresibus observata : sed capite decimo tertio multa alia coacervat, quæ præter temporum fidem ficta esse putat ; quorum plurima vel fictorem vel interpolatorem feriunt ; qualia sunt quæ de Anacleto, de Nicolaitis, de Cæsare, de ordinibus ecclesiasticis, de virginum collegiis, de Quadragesima, de S. Joanne scribit. Quatuor tamen esse video, quæ auctorem ipsum ferire

videantur, de principibus, de leopardis, de pœnitentibus atque de Onesimo.

Primo, scripsit auctor epistolæ ad Smyrnæos: « Et super cœlestia, et gloria angelorum, et principes visibiles et invisibiles si non credant in sanguinem Christi, et illis judicium erit. » Obiter quidem hunc locum tangit vir doctissimus, et verba satis mira esse putat; quod ad principes visibiles attinet, vult hunc scriptorem ideo fortasse ea dixisse, « quod ejus ævo aliqua jam erat de Constantii vel Constantini ejus filii vel Christianismo vel ad Christianismum propensione sparsa fama. » Quam obscura hæc conjectura, quam dubia, quam incerta ! Vel aliquid audivit de Constantii Christianismo, vel Constantini, vel saltem propensione. Constantius non est augustus factus ante annum 304, et quidem in Gallia; Constantinus non est Cæsar creatus ante annum 306, et quidem in Britannia. Græcus itaque hic scriptor, si ad eorum aliquem tanquam principem respexit, ante hæc tempora scribere non potuit. At ipse Dallæus forte scriptas has epistolas ait labente tertio sæculo, Blondellus ineunte, Salmasius et Albertinus secundi medio. Nullo illi de principe Christiano auctorem epistolarum somniasse crediderunt; multo minus nos Dallæo credimus, qui tot testimonia pro his epistolis ante quartum sæculum protulimus. Sed nihil scriptor noster, quisquis est, de imperatoribus Christianis proprie dixit; ἄρχοντας tantum nominavit, qui sunt quilibet magistratus; monuit ne quem locus, sive dignitas inflet (nam et ἄρχοντας vocabant ecclesiasticos præpositos vetustissimi scriptores, « ἄρχοντες dicuntur principes et magistratus, » inquit Tertullianus), cum nec angeli nec homines superiores sine fide in Christum salutem consequi possint. Quæ doctrina cuivis tempori æque convenit, sive principes Christiani sint, sive non; nihil ergo hic temporum fidem pulsat, et suaviter riderent Salmasius, Blondellus et Albertinus, si hæc cuipiam negotium facessere intelligerent.

Secundo, auctor epistolæ ad Romanos cum se dixisset alligatum decem leopardis, diligenter docet quid hoc sit. « Vinctus, inquit, decem leopardis, quod est militaris ordo. » Hoc autem, judice Dallæo, ab Ignatii ævo alienum interpretamentum est. Sed a cujus, quæso, ætate alienum est, se ipsum et verba sua interpretari? nonne quolibet tempore hoc æque liceat? Dicit sanctissimus martyr, exemplo S Pauli, se cum bestiis pugnare, eas ob feritatem leopardos vocat; seipsum dein interpretatur; eos, scilicet, quos bestias, quos leopardos appellat, milites esse ait, quorum custodiæ traditus est. Quidni hic idem faceret, quod sæpe alibi facit? Jubet Trallesios ἀλλοτρίας βοτάνης ἀπέχεσθαι, addit explicationem, ἥ τις ἐστὶν αἵρεσις. De Docetis locutus, εἰ δ' ὥσπερ τινὲς ἄθεοι ὄντες, subjungit, τουτέστιν ἄπιστοι. Quidni quispiam tam sub imperio Trajani, quam quavis alia ætate, ita loqueretur? Nempe, « veritus est scriptor, ne Romani quid essent illi leopardi a quibus ligatum se duci scribit, non intelligerent: quod Ignatius non esset veritus. » Quare autem Ignatius vereri non potuit, si alius quisquam potuerit? Quare non ille cavendum putaret, ne sua verba a Romanis haud recte intelligerentur? Ligatum se decem leopardis dixerat; id autem solebat sæpe fieri cum bestiarii jamjam morituri essent, uti Saturnus in ursum substrictus est, et apro subligatus, ut in S. Perpetuæ Passione legimus. Cum igitur scripsisset S. Ignatius se decem leopardis jam illigatum esse, (pardi autem erant inter θῆρας αἱμοβόρους et ἀνθρωποβόρους, quibus bestiarii objici solebant, ut apud veteres legimus) non incommode monere potuit, eos non esse bestias ipsum statim devoraturas, sed milites ad urbem Romam ducturos. Verum aliud eum suspicatum esse novit Dallæus. Nam « Ignatii ævo omnibus, præsertim civibus Romanis, nota erat et familiaris illa militum certi cujusdam ordinis appellatio vulgaris. » Itane vero? an leopardus est militis certi cujusdam ordinis appellatio? an ea omnibus Ignatii ævo nota et familiaris fuit? Profecto hæc observatio aut ex proclara antiquitatis cognitione proficiscitur, aut egregium commentum est. Unde, quo auctore, hæc nos docet? Neminem laudat; nullius testimonium profert. Ego certe eam leopardi significationem nondum invenio. Sub Trajano scripsere Tacitus, Plinius secundus, Florus; sub Trajano et Adriano vixit Suetonius. Iisdem temporibus Græce scripserunt Plutarchus, Arrianus, Ælianus, omnes rerum Romanarum satis periti, rei militaris maxime An ex illis quisquam prodidit hanc militum certi cujusdam ordinis appellationem fuisse suo ævo familiarem? non credo. Sed « res et rei nomen in usu esse desiit ante ducentesimum post Ignatii mortem annum! « Jam igitur certus ille militum ordo evanuerat, et cum ipso ordine nomen etiam exstinctum fuit? Quis hæc nobis tradidit? quis militiæ Romanæ reformator fuit? quis ordinem exstirpavit, nomen oblitteravit? Quomodo illud in usu desierit, quod in usu nunquam fuit, nondum video. Sed hæc certissima sunt, neque a quopiam neganda: nam « Ignatii simulator Leopardorum quidem nomen ad antiquitatis speciem retinuit, sed ne ob obscuritatem lectores turbaret, etiam interpretandum putavit, ac se ita nimia diligentia ipse prodidit. » Proh stultam simulatoris calliditatem! proh fatuam astutiam! qui suo indicio quasi sorex hodie periit, quod acumen Dallæani ingenii prævidere non potuerit: imo vero Censoris commentum lepidum, et inanem conjecturam, qui ut martyrem faceret impostorem post tot sæcula tot antiquitatis larvas et figmenta excogitavit.

Illud vero admiratione dignum est, edidisse hæc Dallæum triennio postquam Samuelis Bocharti Hierozoicon prodiit, quod ipse in Epistola dedicatoria « doctum, Deus bone, et laboriosum opus » appellat. Ille enim, ut impostorem quarto sæculo scripsisse probaret, et quidem ex hoc ipso loco, alio plane atque contrario usus est argumento, Hierozoici

parte I, lib. III, cap. 8 : « Leopardi vox, inquit, serius usurpari cœpit, nempe Constantini ævo. Proinde Ignatii ad Romanos epistola quam circumferunt, eo demum sæculo fuisse scriptam vel ex hoc argumento colligas, quod leopardorum diserte meminit. » Argumenti consequentia manifesta est. Si enim leopardi vox sub Constantino usurpari cœpit, adeoque ante Constantinum usurpata non est ; quicunque eam vocem usurpavit, vel sub Constantino, vel post eum scripsit. Post Constantinum scribere non potuit auctor epistolæ ad Romanos : excerpta enim ejus epistolæ, in quibus Leopardi vox habetur, in *Ecclesiastica* Eusebii *Historia* exstant, quæ sub Constantino edita est. Vult igitur Bochartus sub Constantino primulum inventam esse vocem Leopardi ; Romanos scriptores eam primo usurpasse ; Græcos eam vocem a Romanis postea mutuatos esse ; simulatorem Ignatii inter Græcos scriptores et primum et solum eamdem arripuisse, et Ignatio supposuisse, atque hanc epistolam emisisse, antequam *Historiæ* librum tertium conderet Eusebius. O miras temporis angustias, quibus miser impostor includitur ! O bardum et stupidum Eusebium, qui cum diu ante Leopardi vocabulum natus esset, fictitiis litterarum mercibus tam facile, tam fœde deceptus est !

Sed videamus quomodo probet cl. Bochartus, eam vocem Constantini ævo cœpisse usurpari. « Cum enim, inquit, tribus sæculis post Christum natum in Romanis scriptoribus nusquam reperiatur, quarto et exinde passim occurrit. » Hæc ex observatione Gesneri. Verum an ante tempora Trajani in usu fuerit ea vox, ad nos non pertinet ; quamvis mihi dubium non sit quin diu ante usurpata sit, non minus quam Camelopardalis, aut Leocrocutta, de quibus agit Plinius. Quod ante quartum sæculum apud scriptores Romanos, quos legerat Bochartus, non reperiatur, minime probat in usu non fuisse ; plures enim scriptores eorum temporum perierunt quam supersunt ; aliqui fortasse exstant, quos ille non legit ; aliqui, quos credidit post Constantinum scripsisse, forte ante eum scripserunt ; aliqui qui sub eo meminerunt vocis Leopardi, significare potuerunt eam vocem ipsorum ætate longe antiquiorem fuisse. Non legit, opinor, Bochartus Passionem SS. Perpetuæ et Felicitatis primo in lucem ab Holstenio productam. In illa autem Passione nos legimus : « Itaque in commissione spectaculi revocatus leopardo expertus, etiam sub pulpito ab urso erat vexatus. Saturus autem nihil magis quam ursum abominabatur, sed uno morsu leopardi confici se jam præsumebat. » Et postea idem Saturus militem alloquitur : « Ecce prodeo illo, et ad unum morsum leopardi consumor. Et statim in fine spectaculi leopardo ejecto, de uno morsu tanto profusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit. » Hæc autem Passio scripta est annis 100 ante imperium Constantini. Ælius Spartianus quidem sub Constantino scripsit, sed ita Leopardi vocem memorat, ut longe suis temporibus antiquiorem eam fuisse agnoscat. Hæc enim habet in Vita Antonini Getæ : « Familiare illi fuit has quæstiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut, agni balant, porcelli gruniunt, palumbes minurriunt ursi sæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easque de veteribus approbare, vel approbarent. » Spartianus itaque 100 ante Constantinum annis Getam a grammaticis quæsivisse ostendit, an leopardis conveniret rictare, et quinam ex veteribus eam vocem leopardis tribuissent. Satis igitur antiqua vox leopardus. Glossarium vetus, sub Benedicti nomine editum, omnino videtur Constantini imperio haud paulo antiquius, in quo legimus : Leopardus, πάρδαλις. Pompeius Festus, « Bigenera dicuntur animalia ex diverso genere nata, ut leopardus ex leone et panthera. » Ipse autem Festus, a Charisio et Macrobio laudatus, si satis antiquus non sit ; certe Verrius Flaccus, cujus librorum Epitomen scripsit, Augusti ætate vixit ; et quis hæc illius verba fuisse assereret, refelli non posset. Caute igitur hunc locum Festi prætermisit diligentissimus Bochartus, ubi ejus afferendi occasionem habuit maxime opportunam. Cum enim attulisset quæ veteres dixerunt « de leænarum cum pardo concubitu, unde novum monstrum editur, huic, inquit, designando conficta videtur leopardi vox ; » sed nullo testimonio eam conjecturam firmat, cum ad manum esset hic Festi locus ad eam rem accommodatissimus. Quinetiam si vox leopardi conficta primum sit illi monstro designando, quod videtur Bocharto, ante Constantini ævum sine dubio conficta est ; tunc enim pro quolibet pardo usurpata est, quod ille multis et quidem recte probat. Trita igitur illa sed catachrestica vocis usurpatio primæva et propria posterior sit necesse est. Si igitur a Romanis conficta ea vox sit, tunc primum imposita fuisse videtur, cum res ipsa illis nota fuit. Ut Tertullianus de pallio, « etsi Græcum magis, sed lingua jam penes Latium est ; cum voce vestis intravit. » Non dubitandum est igitur quin vox ex prima rei ipsius cognitione manaverit. Romani enim vel voces ipsas cum rebus accipiebant, vel rebus acceptis sua nomina indiderunt. « Camelus, inquit Varro, suo nomine in Latium venit, ut Alexandria camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculis ut panthera. » Vel igitur qui primum naturam illius monstri ex leæna et pardo geniti Romanis tradiderunt, sub nomine leopardi illud describebant, ut Alexandrini camelopardalin, vel ex descriptione Romani nomen illud indiderunt, ut vesti, quam introduxerunt Græci, nomen pallii. Res autem ipsa, seu natura illius monstri sub Titi imperio Romanis fuit probe cognita. Plinius enim eam describit *Natural. hist.* lib. VIII, cap. 16. Sive igitur Romani, sive Græci primo illud nomen excogitarunt, dubium non est

quin ante Trajani tempora exstiterit,ut eo S. Ignatius in Syria versatus, unde Vopisco « leopardi centum Syriaci, » etiam de pardis uti potuerit. Neque etiam verum est, quod Bochartus putat, id vocabulum apud Græcum scriptorem nusquam alibi exstare. Apud enim S. Athanasium in Vita S. Antonii hæc lego : Καὶ ἦν ὁ τόπος εὐθὺς πεπληρωμένος φαντασίας λεόντων, ἄρκτων, λεοπαρδάλων*, ταύρων καὶ ὄφεων, ἀσπίδων καὶ σκορπίων καὶ λύκων. « Eratque idem locus subito refertus spectris leonum, ursarum, leopardorum, taurorum et serpentium, aspidum et scorpionum et luporum. » Satis igitur vetus est vox leopardi. Interim si Bocharto credimus, Dallæo credendum non est ; si Dallæo fidem habeamus, Bocharto renuntiabimus ; tam male inter illos in Ignatio expugnando convenit. Nos certe in hac re dum neuter alteri credit, jure optimo neutri credendum putamus.

Tertio, S. Ignatius in epistola ad Philadelphenses eos ad unitatem ecclesiasticam tanquam non sibi tantum sed et aliis utilem atque salutarem hortatur. « Quotquot enim Dei, inquit, sunt et Jesu Christi, isti cum episcopo sunt ; et quotquot utique pœnitentes veniunt in unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt. » Ac rursus post pauca : « Ubi divisio est et ira. Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus, si pœniteant in unitatem Dei et concilium episcopi. » Quid his verius, quid salutarius, quid antiquius ? Sed « hoc de suscipiendis ad pœnitentiam lapsis decretum Montanistas et Novatianos aperte pulsat, diu post Ignatium exortos. » An hoc scribi non potuit ante Novatianos, aut etiam Montanistas ? An nemo illud quod verum est enuntiare potest, antequam ab alio negetur ? Hæretici aut schismatici semper hac ratione convicti sunt, quod eam veritatem negarent, quæ antea in Ecclesia prædicabatur. Hæc non minus Donatistas pulsant quam Montanistas ; ea autem scripta fuisse adversarii fatentur ante Donatum, quidni et ante Montanum ? Ad firmandum argumentum adducit auctoritatem Albaspinei, qui ob eamdem causam canonem quemdam Clementinum negat esse apostolicum, et ante Cyprianum sanciri potuisse. Sed loquitur Albaspineus de pœnitentium, hoc est ipso interprete, adulterorum, sicariorum et idololatrarum receptione, de qua re in veteri Ecclesia diu disputatum est. Auctor vero epistolarum de hæreticis et schismaticis loquitur ad unitatem Ecclesiæ et concilium episcopi redeuntibus, quibus pœnitentibus receptio negata nunquam fuit, ut in priori parte ostensum est. Sed nec illud verum est, quod Albaspineus observat. Ante ætatem S. Cypriani etiam mœchi ad pœnitentiam admittebantur. Ita ipse testatur epistola 52 : « Et quidam apud antecessores nostros quidem de episcopis in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt ; non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur. » Ab episcopis igitur Africanis per pœnitentiam recepti sunt mœchi ante ætatem Cypriani, adeoque ante Novatianos. Idque ab Ecclesia factum narrat Cyprianus ; nullum igitur tunc temporis in Ecclesia Africana decretum exstitit de adulteris penitus a pœnitentia removendis. Neque mirum est aliquos tunc temporis etiam episcopos mœchos penitus excludendos putasse, cum sciamus Montanistarum erroribus plurimos in Africa, qui tamen in Ecclesia perstarent, implicitos fuisse. Sub Zephyrino concedunt decretum fuisse, ut admitterentur ad pœnitentiam mœchi ; illud autem tanquam novum et inauditum, et priori Ecclesiæ sententiæ contrarium pronuntiant. Perperam omnino. Tertullianus ipse agnoscit sententiam illam pontificis Romani paulo antequam librum *De pudicitia*, jam extra Ecclesiam positus, scriberet, evulgatam fuisse. « Audio, inquit, etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium, pontifex, scilicet, maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. » Sed eamdem etiam Ecclesiæ catholicæ sententiam fuisse, antequam Zephyrini decretum prodiit, libere fatetur his verbis : « Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. » Psychici, hoc est catholici, et cum catholicis Tertullianus ipse, ante decretum Zephyrini idem docuerunt. Nihil igitur hic novum aut inauditum in Ecclesiam invectum est, ut putat Albaspineus. Diu ante Zephyrinum Dionysius Corinthiorum episcopus, Soteri Romano synchronus, omnes per pœnitentiam, ne mœchis quidem aut quovis alio gravissimo crimine oneratis exceptis, suscipiendos esse docuit. Nam in epistola ad Amastrianos, teste Euseb. lib. IV, cap. 23 : Πολλὰ περὶ γάμου καὶ ἁγνείας τοῖς αὐτοῖς παραινεῖ· καὶ τοὺς ἐξ οἵας δ' οὖν ἀποπτώσεως ἢ πλημμελείας, εἴτε μὴν αἱρετικῆς πλάνης ἐπιστρέφοντας δεξιοῦσθαι προστάττει. « Multa quoque de nuptiis et de castitate eis præcipit ; et cunctos qui a quovis lapsu sive delicto, sive etiam ab hæretico errore revertuntur, benigne suscipi jubet. » En vetus προσταγμα, seu mandatum episcopale, de recipiendis lapsis, mœchis, hæreticis aliisque per pœnitentiam conversis. Neque vero dubito quin hujus generis peccatum fuerit illud Valentis, de quo S. Polycarpus epistola ad Philippenses : « Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos, quod sic ignoret is locum qui datus est ei. Moneo itaque vos ut abstineatis ab omni avaritia (πλεονεξίας, ut recte Hammondus) et sitis casti et veraces. » De hoc autem Valente ita postea loquitur : « Valde ergo, fratres, contristor pro illo et conjuge ejus : quibus det Deus pœnitentiam veram. Sobrii ergo estote et vos in hoc ; et non sicut inimicos

tales existimetis, sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate, ut omnium vestrum corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis. » Etiam juvenis ille apud Clementem Alexandrinum, in homilia *De divite*, sub Origenis nomine edita, qui sicarius, imo μιαιφόνος fuerat, restitutus est Ecclesiæ per pœnitentiam ab ipso S. Joanne. Et Apostolus ipse nobis describitur quasi διδοὺς μέγα παράδειγμα μετανοίας ἀληθινῆς, « dans magnum sinceræ pœnitentiæ exemplum, » ut legimus apud Eusebium lib. III, cap. 23. Quod exemplum Clemens fusius tractans et tandem perorans ait : Ὁ γὰρ ἐνταῦθα τὸν ἄγγελον τῆς μετανοίας προϊέμενος, οὐ μετανοήσει τότε ἡνίκα ἂν καταλιπῇ τὸ σῶμα, οὐδὲ καταισχυνθήσεται τὸν Σωτῆρα προσιόντα μετὰ τῆς αὐτοῦ δόξης καὶ στρατείας ἰδών, οὐ δείσει τὸ πῦρ « Nam qui modo suscipit angelum pœnitentiæ, eum tunc non pœnitebit cum de corpore decedit, nec Salvatorem videns advenientem cum gloria sua et exercitu feret ignominiam, neque ignem timebit » Ubi ad Hermæ *Pastorem* aperte alludit, et ostendit nihil in Ecclesia tunc temporis definitum fuisse de majorum criminum reis a beneficio pœnitentiæ ecclesiasticæ penitus excludendis. Certe verba Ignatii, si generaliter acciperentur, satis ætati martyris convenirent ; si potius de hæreticis intelligantur, cuivis ætati conveniunt.

Quarto, Ignatius epistola ad Ephesios : « Plurimum enim multitudinem vestram in nomine Dei suscepi in Onesimo, qui in charitate inenarrabili est, vester autem in carne episcopus. Temporum seriem turbat, inquit vir doctissimus, et loquitur de homine velut vivente qui jampridem erat mortuus. » Sed unde constat eum Onesimum fuisse mortuum, de quo auctor epistolæ tanquam vivente, et Ephesi episcopo tunc cum scriberet, loquitur? De Ignatio nostro Eusebius : Μίαν μὲν ἐπιστολὴν τῇ κατὰ Ἔφεσον Ἐκκλησίᾳ γράφει, ποιμένος αὐτῆς μνημονεύων Ὀνησίμου. « Unam quidem epistolam scripsit ad Ecclesiam Ephesiorum, Onesimi ipsorum pastoris mentionem faciens. » Ille igitur qui antiqua Ecclesiæ monumenta tam assidue rimatus est, qui, tot veterum episcoporum catalogos tam diligenter collegit, de morte Onesimi Ephesiorum episcopi ne minimum quidem suspicatur. Unde igitur novit Dallæus Onesimum illum, cujus mentio in hac epistola facta est, cum Smyrnæ esset Ignatius, in vivis non fuisse ? Hoc unico argumento fretus, et epistolæ, quam fatetur ante ætatem Eusebii scriptam, et Eusebii ipsius auctoritatem eludere se posse sperat. Observat ex Usserio, Græcorum Menæa et Symeonem Metaphrastem non agnoscere Onesimum martyrem fuisse Ephesi episcopum, *Constitutionum apostolicarum* scriptorem affirmare eum Berææ episcopum fuisse, Dorotheum et Hippolytum asserere Gaium, Timothei in episcopatu successorem fuisse. Nicephorum denique tradere Onesimum sub Domitiano obiisse. Ex his auctoribus plane ridiculum epistolarum auctorem pronuntiat. Qua ratione, nullus video. An quia Menæa et Metaphrastes Onesimum quemdam martyrem describunt, non tamen dicunt eum fuisse Ephesi episcopum : an quia Constitutionum consarcinator refert Onesimum Berææ episcopum fuisse : an quia Dorotheus et Hippolytus tradunt Gaium Timotheo Ephesi successisse ; an quia Nicephorus docet Onesimum sub Domitiano obiisse ; ideo nullus Onesimus Epheso præesse potuit sub undecimo anno Trajani ? An horum quispiam, aut hi omnes aliquid tradunt quod id evincat ? Demus Onesimum martyrem Ephesi non fuisse, sed Berææ ; demus Gaium successisse Timotheo ; concedamus Onesimum istum, quem nec illi ; nec Nicephorus episcopum Ephesi nominat, sub Domitiano obiisse : an his omnibus concessis, verum esse non potest Onesimum quemdam Gaii successorem Epheso præfuisse cum Ignatius ad martyrium tractus est ? Nonne Nicephorus ipse Onesimum quemdam nominat, qui post sanctum Andream, et Stachyn, episcopus Byzantii fuit, cui successit Polycarpus? Non hæc auctorem epistolæ ridiculum faciunt : quem omnino non tangunt ; sed potius Dallæus Usserium ridiculum reddere conatur, dum modestiam ejus laudat, qui tanta cum diligentia hæc testimonia coacervavit, quæ ipsius causam jugularent. Sed satis adhuc a Græcis scriptoribus tuta illa est, qui Onesimum S. Pauli discipulum Ephesi episcopum fuisse non tradiderunt. Ad Latinos igitur confugit Dallæus, asseritque Bedam, Adonem, Notkerum, aliosque affirmare magno omnes consensu, istum ab Ignatio epistolico memoratum Onesimum Pauli discipulum fuisse. Ego vero talem consensum non reperio. Beda nihil habet de Ignatii Onesimo, nihil Martyrologium Romanum ; apud Usuardum non exstabat ea narratio, sed a Joanne Molano inserta est, alio charactere et præmissa littera A, per quæ lector facillime advertat ea Usuardi non esse, sed Adonis, ut Molanus ipse in præfatione monuit. Jam vero Ado, qui Onesimum S. Pauli Ignatianum facit, non narrat eum sub Domitiano obiisse : Nicephorus nuperus scriptor, Onesimum sub Domitiano martyrem facit, episcopum Ephesi fuisse non narrat. Cumque eum solus ille referat ea tempestate martyrium subiisse, non immerito illi fidem denegat Baronius, præsertim si de episcopo Ephesino intelligatur. Nam si ille episcopus Berææ fuit, non autem Ephesi, ut alii Nicephoro antiquiores voluere, ad nos non pertinet. Quis enim non videt Onesimo S. Pauli, episcopo Berææ, temporibus Domitiani defuncto, Onesimum alium post Timotheum et Gaium Epheso præesse potuisse sub imperio Trajani ? Quoniam autem Dallæus notat, Baronium Nicephoro errorem tribuere, « non alia quam harum epistolarum auctoritate, » quæ adhuc in controversiam veniunt ; et tamen fatetur, « Si Ignatii vere certoque essent (quod mihi quidem et verum et certum videtur) earum potius quam Nicephori esse sequendam fidem ; » videamus si non aliunde absurdum esse videatur Onesimum Ephesi

episcopum sub Domitiano martyrium subiisse? Qui Onesimum Ephesi episcopum fuisse docent, eum vel Gaio, vel Timotheo successisse volunt: Timotheum certe primum Ephesinæ Ecclesiæ episcopum agnoscit Eusebius; idem testantur Acta concilii Chalcedonensis, et vetus martyrium S. Timothei, apud Photium, cod. 254: Ὅτι πρῶτον Τιμόθεον ἡ παροῦσα συγγραφὴ φησιν Ἐφέσου ἐπισκοπῆσαι. « Notandum quod præsens scriptum referat Timotheum primum Ephesi episcopum fuisse.» Jam vero Timotheum ipse Nicephorus tradit sub Vespasiano martyrio coronatum fuisse: idem testatur ejusdem martyrium in Bibliotheca Photii. Persecutio autem secunda sub Domitiano extremis illius imperatoris temporibus excitata est. Eusebius ad annum ejus 14: « Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur. » Quem locum respiciens Hieronymus in Catalogo, de S. Joanne: « Quarto decimo igitur anno, inquit, secundam post Neronem persecutionem, movente Domitiano, in Patmon insulam relegatus scripsit Apocalypsin. » Sub hac persecutione obdormisse Timotheum credendum est: brevis autem ea fuit, teste Tertulliano in Apologetico: « Tentaverat et Domitianus portio Neronis de crudelitate; sed qua et homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat; » quod et apud Eusebium Hegesippus testatur. Jam quis credet Onesimus, qui si forte in Ephesina Ecclesia vel ipsi Timotheo, vel ejus successori Gaio episcopus suffectus est, sub eadem persecutione passum fuisse, et non potius ad undecimum Trajani annum perdurasse? Nam quod Dallæus ex ordine temporum evincere conatur, nihili est. Non enim 100 aut 90 annorum eum fuisse, cum moreretur, inde conficitur. Putat ille Paulum ad Philemonem scripsisse anno Domini 56. Sed S. Paulus Romæ, et cum jam diu in vinculis fuisset, ad Philemonem scripsit, ut ex ipsa Epistola constat, et Hieronymus et Theodoretus demonstrant. At Romam ante annum Domini vulgarem 64 vidisse S. Paulum nemo probabit. Ab anno autem 65 ad annum 107, quo scripsisse Ignatium dicimus, anni tantum sunt 42. Ponamus igitur Onesimum 26 annorum fuisse, cum eum ad fidem Christianam convertit S. Paulus; nondum septuagenarius fuisset, cum S. Ignatius Smyrnæ consisteret. Sive igitur duo fuerint Onesimi ætate S. Ignatii, unus Berææ, alter Ephesi episcopus, sive unus tantum isque Ephesinus, nihil hactenus dictum est quod ullo modo probet, nullum Onesimum Epheso præfuisse, cum Ignatius ad martyrium traheretur.

Cum igitur omnia ad examen vocata sint, quæ temporum fidem pulsare videbantur, nihil novi in his epistolis repertum est; omnia potius Ignatiano ævo apprime consona apparent.

CAPUT IX.

Aliena a virtutibus S. Ignatii dispunguntur. Nulla in epistolis ejus hæresis rederitur. Nulla irreverentia erga SS. Litteras. Apocrypha sæpe a vetustissimis scriptoribus citantur. Cusauboni duplex responsio affertur, et utraque pluribus stabilitur. Epistola S. Ignatii ad Romanos ab objectionibus Dallæi vindicatur. Fortitudo, constantia et magnanimitas martyrum defenduntur; plurimisque patrum sententiis, et heroum Christianorum exemplis explicantur; quorum factis consona Ignatis verba ostenduntur.

Proxima argumentorum congeries ex iis conflata et consarcinata est, quæ personæ cui epistolæ tribuuntur vel moribus, vel dignitate, vel ingenio, vel pietate aliena sunt, aut potius iniquis rerum æstimatoribus videntur. Sed ea plerumque adducit quæ vel ab interpolatore genuinarum, vel a fictore reliquarum epistolarum scripta sunt; quorum mores, dignitatem, ingenium, pietatem nostri non defendunt. In toto capite 14 nihil aliud ex Ignatio nostro attulit, nisi illud recoctum: « Sine episcopo, presbyteris et diaconis Ecclesiam non vocari; » quod neque moribus, neque dignitati, nec ingenio, nec pietati martyris repugnat, et cui antea responsum dedimus Caput 15, quantum quantum est de festis, de sabbato, de jejuniis tractans, ex spuriis totum conflatum est, et Ignatium nostrum non tangit.

Capite 16, multa quasi hæretica producit, sed ex spuriis etiam; e nostro unum tantum locum profert, qui ei « non satis sanus » videtur; scilicet Christum fuisse Υἱὸν Θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν Θεοῦ, « Filium Dei secundum voluntatem et potentiam Dei.» Hæccine autem ut inter hæretica recenseantur, quæ a B. Theodoreto pro catholica Ecclesiæ sententia contra hæreticos proferuntur? Apud illum quidem legimus θεότητα, in nostro autem codice θέλημα, ut et in Usseriano interprete « voluntatem. » Variam hic lectionem esse et quidem valde antiquam quis non videt? Quid in suo codice viderit interpolator, an θεότητα, an θέλημα legerit, scire nos noluit, adeo omnia immutavit. Utcunque sit, si Theodoreti lectionem sequamur, et θεότητα auctorem epistolæ scripsisse putemus, cadit objectio Dallæana quæ in voce θέλημα fundatur; « durum enim et vix ferendum, ait, Filium esse a Patre ab æterno per voluntatem et potentiam Patris; » si legamus θέλημα, etiam sic eadem objectio ruit; non enim nostrum loqui de æterna generatione Filii constat, sed de incarnatione potius, ut et antecedentia et consequentia demonstrant; unde interpolator ad divinam naturam hæc trahens, verborum ordinem mutare coactus est. Sic autem nos legimus: Ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, Υἱὸν Θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν Θεοῦ γεγενημένον ἀληθῶς ἐκ Παρθένου. Usserianus interpres: « Vere exsistentem de genere David secundum carnem, Filium Dei secundum voluntatem et potentiam Dei genitum vere ex Virgine, » omnino quasi respexerit illa verba angeli apud evangelistam: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* [33].

[33] Luc. I, 35.

Incarnationem autem Christi factam per voluntatem et potentiam Dei nemo negat. « Ex Dei voluntate Verbum caro factum est, » inquit Tertullianus, *De carne Christi*, cap. 19. Imo vero si quis de æterna generatione Filii,quod necesse non est, hæc accipere voluerit, quare hoc in Ignatio martyre non ferendum, quod in aliis ferimus? ut in Justino martyre, cum de Deo Verbo loquitur, *Dial. cum Tryphone* : Ἐκ τοῦ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς θελήσει γεγενῆσθαι, « eo quod ex Patris volitione natus est,»qui ad eumdem locum postea respiciens, ait : Καὶ ἐν τοῖς προειρημένοις διὰ βραχέων τὸν Λόγον ἐξήτασα, εἰπὼν τὴν δύναμιν ταύτην γεγενῆσθαι ἀπὸ τοῦ Πατρὸς δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ. Clementem Alexandrinum ferimus qui Verbum vocavit τὸ θέλημα τοῦ Πατρός. In Tertulliano ista ferimus : « Quis Deus in ea natus? Sermo et Spiritus,qui cum Sermone de Patris voluntate natus est. » Ferimus in Synesio : Ὠδῖνα Πατρὸς,γόνιμον βουλήν, et, Ἐπὶ παιδὶ χυθεὶς, Ἰότατι σοφῇ,id est,ut Hesychius interpretatur, βουλήσει, θελήσει. Quidni igitur in Ignatio ferendum Γιὸν κατὰ θελημα? si lectionem Theodoreti recipere nolimus, nec de incarnatione eum loqui sinamus, quorum utrumvis omnem difficultatem tollit.

Capite 17 desiderat vir doctissimus in auctore epistolarum eam reverentiam quæ divinis libris debetur; non quod ullam S. Scripturæ partem irreverenter tractet,sed quod « ex apocryphis quædam furetur, eaque pro veris et indubitatis ponat. » Irreverentiæ exempla duo ex spuriis, unum ex nostro proponit ex epistola ad Smyrnæos : « Et quando ad eos qui circa Petrum venit. ait ipsis : Apprehendite.palpate me, et videte, ὅτι οὐκ εἰμι δαιμόνιον ἀσώματον. » Protulerunt hæc verba Ignatii Eusebius, Hieronymus, Theodoretus ; nullam tamen in ullo erga S. litteras irreverentiam notarunt,nihil in iis verbis sanctissimo martyre indignum suspicati sunt; nos eorum judicium sequimur.Imo locus S.Hieronymi maxime notandus, qui Evangelium hoc et S. Ignatium, simul qnasi testes laudat lib. III, *adversis Pelagianos* : « In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone,sed Hebraicis litteris scriptum est,quo utuntur usque hodie Nazareni, secundum apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum,quod et in Cæsariensi habetur Bibliotheca, narrat historia, » etc. Ignatius, vir apostolicus et martyr,scribit audacter : « Elegit Dominus apostolos qui super omnes homines peccatores erant. » Quibus testimoniis si non uteris ad auctoritatem, utere saltem ad antiquitatem, quid omnes ecclesiastici viri senserint. » Sed illis multo oculatior est Dallæus. Habuit enim hæc verba ex Evangelio Hebræo, quod apocryphum est. Fortasse ; sed hoc ipsum habet Dallæus a S. Hieronymo, et quod Ignatius ista ex Evangelio Hebræo hauserit, et quod illud Evangelium sit apocryphum ; qui tamen cum utrumque verum putaret, simul etiam banc epistolam ipsi Ignatio tribuere non verebatur.

Sed moderni scriptores SS. Patribus, si Dallæo ita videatur, sapientiores sunto ; certe Isaacus Casaubonus, et nostræ professionis, et summi apud omnes eruditos nominis criticus, cum hæc omnia optime novisset, sic tamen Ignatium defendit : « Nec mirum est virum Dei Ignatium citare obiter scriptum apocryphum, rejiculum et reprobum. Nam quot libros ejusdem farinæ laudat Clemens Alexandrinus ? Verissimum nempe est tempore opus fuisse, ut Ecclesiæ auctoritate rejicerentur multi libri, qui primis sæculis auctoritatis saltem anticipitis fuerant. » Observat ipse Blondellus non tunc repertum esse quemquam,qui cavenda omnia apocrypha, et grandis esse prudentiæ meminisset, aurum in luto quærere : quod postea fecit Hieronymus. Sed et diu ante Clementem Alexandrinum alii id fecerunt. Narrat enim Eusebius Papiam,uti ejus testimonia pro diversis S. Scripturæ libris, ut solet, adducit,aliam quoque exposuisse historiam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino accusata est, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγέλιον περιέχει,« quam Evangelium secundum Hebræos continet. » Excipit Dallæus, Papiam virum fuisse mediocri ingenio, Eusebii judicio. Si quid autem Eusebii judicium adversus Papiam valet, quare pro Ignatio nihil valeret ? cum de Papiæ scriptis judicat Eusebius, ejus sententiam amplectitur vir doctissimus; cum de epistolis S.Ignatii sententiam fert, errare, labi, decipi eum libere pronuntiat. Quænam erit auctoritas judicii ejus in Papiam, qui tam turpiter lapsus, tam deceptus esse dicitur in Ignatio ? Utcunque sit, non ideo mediocris ingenii aut Papiam,aut quemvis alium dixit Eusebius, quod testimoniis librorum apocryphorum uteretur: quemadmodum nec S. Ignatium minoris fecit, quod verba hæc quasi a Domino dicta protulerit, cum ipse unde sumpta essent plane ignoraverit. Excipit secundo sciri non posse,an eadem historia auud nostros evangelistas exstet. Præclara vero observatio Eusebii, si dubitari posset, an ea historia, quam tetigit Papias, in nostris evangelistis exstiterit ? Quorsum, quæso, in Evangelio secundum Hebræos inveniri diceret, si in nostris apparuisset ? præsertim eo loco, quo testimonia Papiæ pro nostris libris adducit ? Quis nescit in more positum esse Eusebio, ubi de veteribus scriptoribus agit, quos libros canonicos citant, quos item apocryphos, recitare ? Neque, opinor, unquam illi in mentem venit, ut ea loca memoraret, quæ tum in canonicis,tum in apocryphis legerentur. In nostris quidem nunc habetur mulier accusata adulterii; sed illa de qua scripsit Papias, erat ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθεῖσα « multorum criminum accusata, » et quid præterea de ea muliere aut a Papia, aut in Evangelio secundum Hebræos scriptum est, prorsus ignoratur. Grotius quidem Historiam in S. Joanne repertam in Nazaræorum Hebræo fuisse, satis ex Hieronymo constare asserit, sed ex quo Hieronymi libro ista hauserit, ego

nondum didici. Neque vero quærendum est quo modo usus est Papias, postquam id sciri non potest ; simpliciter observat Eusebius, illum hoc Evangelio semel usum esse, ut Hegesippum sæpius aliqua protulisse ἐκ τοῦ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγελίου, lib. IV, c. 22. Sed si Papias Ignatio junior sit et ingenii imbecillioris, Clemens Romanus et Ignatio antiquior et magni semper habitus, non semel peregrina advocat, quæ unde sumpta sunt nos non minus nescimus, quam Eusebius unde illud Ignatianum manaverit ignoravit. Nam unde, quæso, illa verba Moysis sumpta sunt : Ἐγὼ δὲ εἰμὶ ἀτμὶς ἀπὸ κύθρας (ut ms., non χύτρας). Ex Hebraico codice hæc alicubi erui posse, docte probat Fellus noster ; sed Moysen ea verba usurpasse in S. Scriptura non legitur. Unde etiam illa : Γέγραπται γάρ· Κολλᾶσθε τοῖς ἁγίοις, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασθήσονται. « Scriptum est enim : Adhærete sanctis, quia qui illis adhærent sanctificabuntur? » Nam quæ sequuntur : Καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τόπῳ λέγει : Μετὰ ἀνδρὸς ἀθώου ἀθῶος ἔσῃ (καὶ μετ' ἐκλεκτοῦ ἐκλεκτὸς ἔσῃ, ut habet codex ms.), καὶ μετὰ στρεβλοῦ διαστρέψεις. « Et rursus in alio loco ait : *Cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris,* » totidem verbis in psalmo XVII leguntur. Unde vero et illa : Πορρώ γενέσθω ἀφ' ἡμῶν ἡ Γραφὴ αὕτη ὅπου λέγει· Ταλαίπωροί εἰσιν οἱ δίψυχοι οἱ διστάζοντες τὴν ψυχήν, οἱ λέγοντες, Ταῦτα ἠκούσαμεν ἀπὸ (ms. ἐπὶ) τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ ἰδοὺ γεγηράκαμεν, καὶ οὐδὲν ἡμῖν τούτων συμβέβηκεν. « Longe a nobis absit Scriptura illa, ubi dicit : Miseri sunt qui animo duplici sunt et inconstanti, qui dicunt : Hæc ætate patrum nostrorum audivimus, et ecce consenuimus, et nihil horum nobis accidit? » In secunda Clementis epistola hæc ad προφητικὸν λόγον referuntur, et ex occasione vocis ταλαίπωροι præcedentis adducuntur, ut in priori ex præcedente monito, μὴ διψυχῶμεν. Et si primam epistolam ex secunda interpretari liceat, etiam verba sequentia Clementis non erunt, sed ex eodem auctore desumpta. Ὦ ἀνόητοι. συμβάλλετε ἑαυτοὺς ξύλῳ, λάβετε ἄμπελον· πρῶτον μὲν φυλλορροεῖ, εἶτα βλαστὸς γίνεται, εἶτα φύλλον, εἶτα ἄνθος, καὶ μετὰ ταῦτα ὄμφαξ, εἶτα σταφυλὴ παρεστηκυῖα. « O fatui, comparate vos arbori, vitim sumite ; primum quidem defrondescit, germen postea pullulat folium deinde, tum flos, et post hæc uva acerba, demum uva matura. » Nam in epistola secunda hæc illis subduntur : Οὕτω καὶ ὁ λαός μου ἀκαταστασίας καὶ θλίψεις ἔσχεν, ἔπειτα ἀπολήψεται τὰ ἀγαθα. « Ita etiam populus meus seditiones et afflictiones habuit, postea recipiet ea quæ bona sunt. » Quæ cum tanquam ex propheta adduxisset, suos statim verbis suis alloquitur : Ὥστε, ἀδελφοί μου, μὴ διψυχῶμεν. « Quare, fratres mei, ne animi duplicis simus, » Utcunque se res habeat, non nos primi hæc notavimus ; Photius ipse aliqua hujusmodi observavit codice 126, de secunda enim epistola agens ait : Ἠλήν ὅτι ῥητά τινα ὡς ἀπὸ τῆς θείας Γραφῆς ξενίζοντα παρεισάγει· ὧν οὐδ' ἡ πρετέρα ἐξήλλακτο παντελῶς. « Etsi dicta quædam peregrina, velut e sancta Scriptura subinducit ; quibus ne prima quidem epistola penitus vacat. « Photius itaque observabat nonnulla peregrina, sive apocrypha, sub sacrarum litterarum nomine in ea Clementis epistola, quam ipse alibi ἀξιόλογον appellaverat, et publice lectam agnoverat, contineri. Ac temerarium plane et periculosum esse de antiquitate aut veritate scripti alicujus ex apocryphorum citatione dubitare, ostendunt illa Hieronymi in Catalogo : « Judas, frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur. Tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter sanctas Scripturas computatur. »

Præterea iterum observandum est, quod de hac re scripsit Isaacus Casaubonus : « Quinetiam fortasse verius, non ex Evangelio Hebraico Ignatium illa verba descripsisse, verum traditionem allegasse non ssriptam, quæ postea in litteras fuerit relata, et Hebraico Evangelio, quod Matthæo tribuebant, inserta. » Et hoc quidem multo mihi verisimilius videtur. Nam licet Hieronymus testimonium illud ex eo Evangelio petitum esse dixerit, tamen Eusebius unde illud habuerit nescire se professus est, cum tamen ipse Evangelium secundum Hebræos optime novisset. Et quidem recte. Nam illa verba non in eo tantum Evangelio reperiebantur, sed et in aliis libris, ut in illo, qui *Doctrina Petri* dicebatur. Origenes Περὶ ἀρχῶν lib. I : « Si vero quis velit nobis proferre ex illo libello qui *Petri Doctrina* appellatur, ubi Salvator videtur ad discipulos dicere, quod non sit dæmonium incorporeum, primo respondendum est ei, quoniam ille liber inter libros ecclesiasticos non habetur. » Multa sane Christi dicta in ore vetustissimorum Christianorum fuerunt, quæ in Evangeliis nostris non reperiuntur, neque in aliis ullis fortasse unquam scripta sunt. Quale erut illud : Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, quod a multis veterum tanquam Christi mandatum, et quidem a S. Pauli admonitione distinctum, sæpe recitatur ; ex nullo tamen apocrypho scripto citatur, nec tamen in nostris codicibus reperitur, nec a Patribus ex parabolis Christi collectum est, cum etiam hæretici illud usurparent, et quidem ante catholicos, ut constat ex Apelle apud Epiphanium. Apud Barnabam hæc leguntur : « Nihil enim proderit nobis omne tempus vitæ nostræ et fidei, si non modo [*lege* odio] iniquum et futuras tentationes habeamus. Sicut dicit Filius Dei : « Resistamus omni iniquitati, et odio habeamns eam. » Hæc autem a Christo dicta alibi non legimus. Idem hæc quasi a Domino dicta profert : Οὕτω, φησὶν, οἱ θέλοντές με ἰδεῖν καὶ ἅψασθαι μου τῆς βασιλείας, ὀφείλουσι θλιβέντες καὶ παθόντες λαβεῖν με. « Sic, inquit, qui volunt me videre, et attingere regnum meum, debent compressi et multa passi accipere. » Grotius hanc

ipsam rationem affert pro Clementis epistolæ antiquitate atque veritate, quod dicta quædam usurpat non scripta, sed ut memoria recenti per manus tradita. Bis quidem Corinthios ad ipsius Christi verba revocat, eaque recitat ; sed ita ut ex scripto aliquo codice ea hausisse minime videatur. Οὕτω γὰρ εἶπεν, « Sic enim dixit, » scilicet Dominus Jesus : Ἐλεεῖτε ἵνα ἐλεηθῆτε, ἀφίετε ἵνα ἀφεθῇ ὑμῖν, ὡς ποιεῖτε οὕτω ποιηθήσεται ὑμῖν, ὡς δίδοτε οὕτω δοθήσεται ὑμῖν, ὡς κρίνετε οὕτω κριθήσεται ὑμῖν, ὡς χρηστεύεσθε οὕτω χρηστευθήσεται ὑμῖν, ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε ἐν αὐτῷ μετρηθήσεται ὑμῖν. His aliqua non dissimilia habentur apud S. Lucam capite VI. Sed Clementem Lucæ condiscipulum ex ejus Evaagelio hæc descripsisse, mihi in tanto verborum discrimine verisimile non est ; neque dubito quin Clemens cognoverit unamquamque ex illis sententiis a Christo fuisse prolatam ; unde statim addit : Ταύτῃ τῇ ἐντολῇ καὶ τοῖς παραγγέλμασι τούτοις (ita ms.) στηρίξωμεν ἑαυτούς. « Hoc præcepto et mandatis hisce stabiliamus nos ipsos. » Et rursus : Μνήσθητε τῶν λόγων Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, εἶπε γάρ· « Recordamini verborum Domini nostri Jesu, dixit enim : « Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ· καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη ἤ ἕνα τῶν ἐκλεκτῶν μου σκανδαλίσαι· κρεῖττον ἦν αὐτῷ περιτεθῆναι μύλον καὶ καταποντισθῆναι εἰς τὴν θάλασσαν, ἢ ἕνα τῶν μικρῶν μου σκανδαλίσαι. Hic aliqua Græce ad marginem ponenda et Latinæ interpretationi interserenda censuit Patricius Junius, ut hæc magis Lucæ loco quadrarent. Cum veritati magis mihi consonum videatur, ab apostolis ipsis, aut eorum discipulis hæc accepisse Clementem. Quidni pariter et S. Ignatius, qui cum apostolis et eorum discipulis versatus est, præsertim eo tempore quo scriptis Evangeliis uti forte ei jam vincto non licebat, eamdem historiam, quam narrat S. Lucas, aliis verbis explicaret ?

Capite 18 transit a reverentia divinis libris debita ad pietatem et modestiam, quas in epistola ad Romanos violatas esse putat ; in illa, inquam, epistola, quam tot viri in veteri Ecclesia celeberrimi tot tantisque præconiis extulerunt ; a qua Irenæus unam insignem sententiam mutuatus est, aliam Origenes ; ex qua Eusebius, curiosissimus martyrologiorum indagator, excerpta bene longa descripsit, ut iis Historiam ecclesiasticam adornaret, quæ S. Hieronymus etiam exscribenda, et Catalogo virorum illustrium inserenda, duxit ; ex qua S. Chrysostomus tot flosculos collegit, quos ante reliquias martyris spargeret ; ex qua eadem transcripsit Gildas Badonicus, ut sui temporis sacerdotibus pudorem suffunderet. Hæccine epistola tantopere decantata a pietate et modestia martyris potest esse aliena ? Ut omnibus ejus objectionibus occurram, in quibus triumphare videtur, illud unum observo, Ignatium tunc cum hæc scripsisse dicitur, non sui juris fuisse, sed ad bestias jampridem imperiali sententia condemnatum, in manibus carnificum arctissime custoditum, ad locum destinati certissimique supplicii jamjam deducendum, dignum Deo, et angelis et hominibus spectaculum factum : sanctissimum virum ea conditione positum, tota illa ad Romanos epistola nihil consummatissimo Christi discipulo indignum scripsisse contendo.

« Sed adeo præceps, inquit, fertur ut Romanos vetet suis vel apud Deum precibus, vel apud homines officiis intercedere, quo ea pœna, ad quam erat damnatus, liberetur. » Quid autem, an velis fortisimum Christianum, imo et ducem, jam a gentibus captum condemnatumque et in arenam tractum, reliquos Christianos orare, ut cum Deo vel hominibus intercedant, quo minus supplicio afficiatur ? An virum unum Christiana pietate imbutum in tot veteris Ecclesiæ persecutionibus ita se gessisse, aut si id fecertt, ab Ecclesia celebratum nosti ? « Hoc orat vox martyrum : A timore inimici erue animam meam ; non ut me non occidat inimicus, sed ut non timeam occidentem inimicum » ut observat S. Auguttinus ad psalmum LXIII. Non illud voluit, opinor, vir doctissimus ; non eam pietatem aut modestiam postulat, sed ne vetaret hæc Christianos facere. Verum enimvero quidni ille vetet, quod nemo expetit ? aut quare alii id nunquam expetebant, nisi quod ipsos minime decere putabant ? et quidni alios id petere nolle se significarent, quod ipsi sine religionis suæ opprobrio petere non possent ? A Romanis petit Ignatius, ut sinant eum martyrio jam parato frui, ut Deum orent quo tanquam grata ei hostia offeratur, ut ipsi æternam mercedem non invideant nec impediant eum quo minus immortalitatem statim consequatur. Hoc impedire diaboli opus esse docet, et odii plus habere quam charitatis Christianæ. Hæc summa eorum quæ a suis petit ad bestias damnatus, vinculis illigatus, ad supplicium raptus, merito gloriosissimus martyr. Quæ omnia adeo a juvenili levitate animoque præcipite abhorrent, ut subactæ et bene fundatæ constantiæ, spiritus zelo Dei ferventis, animi ad futura gaudia anhelantis, ac plerophoria fidei de præmio æterno certissimi manifestissima indicia haberi et possint et debeant. Si S. Paulus cum vincula tantum prævideret, et adhuc apud suos esset, discipulos eum ab itinere deterrentes objurgavit, dicens : *Quid facitis flentes et affligentes cor meum ?* si ille rationem hujus objurgationis hanc statim reddidit : *Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu :* si discipuli huic dicto acquieverunt, dicentes : *Domini voluntas fiat*[34], fidentes, scilicet, passiones ad voluntatem Dei pertinere : non enim dehortationis consilio, sed dilectionis retinere tentaverant, ut apostolum desiderantes, non ut martyrium dissuadentes ; quidni S. Ignatius ab ipso imperatore jampridem damnatus, a ferocientium militum manu ad supplicium tractus,

[34] Act. XXI, 13.

omnium Romæ Christianorum miserationem certissime commoturus, et conspectu sordidato tenerrimos eorum affectus excitaturus, in antecessum eos moneret, ne ipsius cor affligérent,ne mortem sibi exoptatissimam propter nomen Domini Jesu quovis modo impedirent, sed potius affectus suos componerent, patienter acquiescerent, dicerentque, *Domini voluntas fiat!* Si Christus ipse ad mortem crucis festinans, Petro dicenti : Ἵλεώς σοι, Κύριε, dixit *Vade post, me Satanas* [35] ; quidni etiam Romanos moneret Ignatius, impedire mortem pro Christi nomine susceptam diaboli potius quam Christiani hominis opus esse ? Ea certe mens erat Origenis,viri toties martyrii candidati,cujus verba in *Numeros* homilia decima hæc sunt : « Ideo diabolus sciens per passionem martyrii remissionem fieri peccatorum,non vult nobis publicas gentilium persecutiones movere. Scit enim quia si ad reges et præsides adducamur propter nomen Christi, ad testimonium Judæis et gentibus, gaudium nobis et exsultatio fit, quia merces nostra multa in cœlis est. Hæc non facit inimicus, vel quia gloriæ nostræ invidet, vel fortassis quia ille qui omnia prævidet, et prænoscit nos non esse idoneos ad martyrium tolerandum. » Aliam etiam rationem lib. VIII *contra Celsum* affert, quare diabolus publicas gentilium persecutiones Christianis aliquando movere nollet,et sententiam suam in hunc modum depromit : Ἐγὼ δ' οἶμαι ὅτι αἰσθόμενοι οἱ δαίμονες, ὅτι οἱ μὲν νικῶντες καὶ δι' εὐσέβειαν ἀποθνήσκοντες καθαιροῦσιν αὐτῶν τὴν δυναστείαν· οἱ δὲ διὰ τοὺς πόνους ἡττώμενοι καὶ τὴν θεοσέβειαν ἀρνούμενοι ὑποχείριοι ἐκείνοις γίνονται, ἔσθ' ὅτε προσφιλονεικοῦσι τοῖς παραδιδομένοις Χριστιανοῖς. « Equidem opinor dæmonas, ut qui sentiunt noxiam esse potentiæ suæ piorum victoriam,succumbentes autem in hoc certamine fidemque abnegantes ipsis fieri obnoxios, interdum favere et adlaborare Christianis in judicio. » Eadem S. Augustini mens fuit, qui hæc de magno martyre Africano scripsit : « Noverat Cyprianus cum a proconsule audiret : « Consule tibi, » quod caro et sanguis dicebat stolide,hoc diabolum dicere subdole:atque intuebatur in uno corpore duos, istum oculis, illum fide. Nolebat eum iste mori,nolebat ille coronari.Proinde circa istum placidus, circa eum cautus : huic aperte respondebat, et illum aperte vincebat. » Nihil igitur Ignatius sanctissimo martyre indignum, nihil indecorum a Romanis exigit, οὐ προσδεξάμενος τὴν ἀπολύτρωσιν, « non acceptata liberatione. »

Sed talium verborum nullum in omni martyrum Christianorum copia exemplum exstare meminit Dallæus. Fortasse. Melius enimvero nobis consultum est, quam ut antiquissimorum martyrum, quorum sanguini tantum semper debuit Ecclesia Christi, monumenta ex unius hominis memoria penderent,aut spiritui subjicerentur.Aliorum martyrum forte epistolas,adeoque verba non habemus; Deus det ut indies plura ejus generis nobis innotescant ; rem ipsam tamen tenemus, quod martyres ipsi fervide Deum orabant ut martyrio fruerentur, petebant obnixe a fidelibus ut etiam illi a Deo idem impetrare conarentur ; si quos viderent contra postulare et cupere ut martyrium potius evitarent, id constantissime recusabant, et omnium vota precesque contemnebant. Celerinus confessor ad Lucianum confessorem inter epistolas S. Cypriani 21 ; « Pete ut sim dignus et ego coronari cum numero vestro. » Et rursus : « O te felicem, suscipe tua vota,quæ semper desiderasti,vel in terra dormiens : optasti pro nomine illius in carcerem mitti, quod nunc tibi contingit, sicut scriptum est : Det tibi Deus secundum cor tuum. » Quod si dixisset S. Ignatius : « Det mihi Deus secundum cor meum, » quantas hic turbas excitasset Dallæus ! Fecit ille Lucianus confessionem floridam, quæ, si nunc exstaret, non dubito quin iisdem exceptionibus obnoxia esset ; magis enim decet martyres,ut volunt, confessionem modestam, quam floridam facere. De S. Felicitate legimus eam prægnantem fuisse apprehensam;quid igitur, an orat ut sibi,ut innocenti embryoni parcatur ? Minime;« cum octo menses suum ventrem haberet, instante spectaculi die in magno erat luctu, ne propter ventrem diflerretur,quia non licet prægnantes pœnæ repræsentari; cupit prius mori, quam per ipsa gentilium judicia liceret ; de passione lætatur,de dilatione queritur.An reliqui fideles luctum hunc tanquam importunuum,et ex temeritate aut arrogantia profectum condemnabant ? Minime : « sed et commartyres graviter contristabantur, ne tam bonam sociam quasi comitem solam in via ejusdem spei relinquerent. Conjuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores invaserunt.»Ecce quales orationes fundebant tunc temporis confessores, quales a Deo exauditæ sunt!tales,scilicet,quales Ignatius,ut nihil martyrium impediat,ut nihil festinanti ad præmium moræ sit.Ita nobiles illi confessores apud Eusebium lib. v,cap.2 : Μετὰ δακρύων παρεκάλουν τοὺς ἀδελφοὺς δεόμενοι ἵνα ἐκτενεῖς εὐχαὶ γίνωνται πρὸς τὸ τελειωθῆναι αὐτούς· « Profusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continuæ ad Deum preces fierent,quo tandem ipsi perficerentur.» De S. Cypriano Pontius ejus diaconus : « Conveniebant interim plures egregii et clarissimi ordinis, sed et sæculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam secessum subinde suaderent; et ne parum esset nuda suadela,etiam loca in quæ secederet, offerebant. » Non curo quid adversarii nostri dixissent, si eo tempore adfuissent : quæro quid fecerit S. Cyprianus. « Ille vero jam mundum suspensa ad cœlum mente neglexerat,nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod a pluribus et fidelibus petebatur;si et

[35] Matth. XVI, 23.

divino imperio juberetur. » Nam ut ipse Pontius docet in priore secessu : « Domino latebram tunc jubenti paruit.»Populus autem fidelis S. Cypriano ad supplicium ducto tantum aberant ab orando Deum ut illi parceretur, aut quovis modo martyrium impediendo, ut simui cum illo potius mori cuperent. » Quamvis enim non potuerit evenire quod optabant vota communia, ut consortio paris gloriæ simul plebs tota pateretur ; quicunque sub Christi spectantis oculis et sub aurihus sacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti sui testem legationis quodammodo litteras ad Deum misit. » S. Hieronymus de Vita Pauli Eremitæ, « Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ,et Cyprianns Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaida Ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat,pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora ; et, ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait: Volentibus mori non permittebatur occidi.»Notum est et illud S. Polycarpi martyris ad proconsulem, nunc bestias, nunc flammas illi minitantem, ἀλλὰ τί βραδύνεις, φέρε ὅ βούλει, « Quid autem moras trahis ? affer quod velis, » ταῦτα καὶ ἄλλα πλείονα λέγων θάρσους καὶ χαρᾶς ἀνεπίμπλητο, « hæc et plura alia cum diceret, fiducia et lætitia impletus est, » ut vetustissima ejus Acta testantur. Plura autem illa quæ fortitudine et exsultatione plenus pronuntiavit, qualia, amabo, fuere, si non Ignatianis similia ? si non illi voci consona, quam e cœlo audivit, Ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου, Πολύκαρπε, non : Modestus esto, sed : « Fortiter et viriliter age, Polycarpe. » Notissima est etiam illa Romani Cæsareensis diaconi vox Antiochiæ audita, ποῦ μοι τὸ πῦρ, « ubinam mihi ignis ? »

Secunda exceptio ab iis petitur,quæ de se spondere dicitur Ignatius;scilicet quod se bestias ad necem suam accelerandam provocaturum scribat, et hoc etiam sine exemplo. Duo verba sunt quæ illi mira videntur, κολακεύσω et προσβιάσομαι, « blandiar feris, imo cogam. » « O diras,inquit,et truculentas voces! imo vere sanctas, et fortes, et omni veneratione accipiendas ! non alia anima dignas quam ea quæ vitæ suæ pertæsa, lucemque, quod poeta ait, perosa in mortem præceps ruit (instar mancipiorum sæculi desperandorum,ut loquitur Blondellus),» imo ea anima dignissimas, quæ præsentis sæculi omnia contemnit,quæ dissolvi et cum Christo esse cupit, quæ ad præmia martyrio promissa aspirat, quæ Christianæ religionis propagationem desiderat,quæ vim et vigorem Spiritus intus habitantis exprimere conatur,quæ gentiles et idololatras omnes pudore suffundere, in admirationem abripere, ad desperationem cogere, ut ad fidem Christianam amplectendam permovere contendit! An exemplum hujus rei quæritur, cum tot pene exstent quot Acta vel memoriæ martyrum ? In Smyrnensis Ecclesiæ vetustissima epistola repræsentatur Germanicus, quasi alter Ignatius, ἐπισήμως θηριομαχῶν, « insignis et nobilis bestiarius.»Quid autem judicio antiquissimæ Ecclesiæ ἐπίσημον,insigne aut nobile in ejus martyrio breviter descripto invenitur? An placida et humilis et modesta ejus anima describitur,quam solam admiratur in suo martyre Dallæus? Nullo modo:sed illud potius,quod ut præceps,quod ut juvenile,quod ut leve in Ignatio ille condemnat. Βουλομένου γὰρ τοῦ ἀνθυπάτου πείθειν αὐτὸν καὶ λέγειν, vel λέγοντος, τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ κατοικτεῖραι, ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο τὸ θηρίων προσβιασάμενος, et, ut habet Eusebius, παροξύνας. « Cum enim proconsul flectere eum vellet,diceretque se ætatis ejus misereri, attraxit sibi bestiam vi eam adigens, et stimulans. » Hoc enim fecisse narratur,ut martyrium acceleraret.Inde autem factum est,ut omnes etiam ethnici etiam persecutores τὴν γενναιότητα τοῦ θεοφιλοῦς καὶ θεοσεβοῦς γένους τῶν Χριστιανῶν admirarentur.Ille igitur Germanicus,quem ut insignem et nobilem in primis martyrem proposuit antiqua et celebris Ecclesia Smyrnensis, cujus ob insigne facinus ethnici ipsi nobilitatem et generositatem Christianæ gentis admirati sunt,nihil aliud fecit, nisi quod Ignatius se facturum dixit ; imo hoc fecisse ideo videtur, quod Ignatius dixerat; eadem enim voce utitur Ecclesia Smyrnensis, unde hanc epistolam ad Romanos dederat Ignatius, ad exprimendum Germanici factum, qua Ignatius ad animi sui ardorem indicandum usus fuerat:ἐγὼ προσβιάσομαι, inquit ille, hic ἀπεσπάσατο προσβιασάμενος. Unde etiam ante monuimus, dubium non esse,quin hunc ipsum locum epistolæ ad Romanos respexerint Smyrnenses,cum ista scriberent.Et observanda sunt verba Martyrologii Romani: « Smyrnæ Natalis B. Germanici martyris, qui cum primævæ ætatis venustate floreret, sub Marco Antonino et Lucio Aurelio per gratiam virtutis Dei metum corporeæ fragilitatis excludens sponte præparatam sibi bestiam damnatus a judice provocavit, cujus dentibus comminutus vero pani Domino Jesu Christo pro ipso moriens meruit incorporari : » ut hinc etiam Ignatio simillimus martyr repræsentetur, Miror itaque Dallæum scribere potuisse, in Smyrnensium martyrum Actis nihil epistolici scriptoris sermoni simile reperiri : quasi Germanici insigne factum aut nihil sit,aut non Ignatiano sermoni simile, cum eodem vocabulo exprimatur. Neque tantum bestiis,sed et ipsi judici vim intulerunt martyres, ut Romanus ille ex Palæstina diaconus, sed Antiochiæ, unde Ignatius tractus est, forte constitutus, « cum multos milites cecidisse Ecclesiæ invenisset, non est passus dare diabolo ut exsultaret, sed exsultantem judicem de his qui fuerant superati aggreditur vim faciens, regno vero rapto, et dicit : Non recedes lætus ; habet enim Deus milites qui superari non possunt, » ut tradit Eusebius, *De resurrectione* lib. II. Atque ita prodit αὐτοκέλευστον ἱερεῖον, « victima spontanea, »

ut loquitur auctor orationis secundæ Chrysostomo ascriptæ. Sed reliqua exempla percenseamus, quibus semper in Ecclesia illa martyrum fortitudo decantata est, qua instrumenta necis ad suam passionem accelerandam urgebant. In antiquissima Perpetuæ passione hæc legimus : « Perpetua autem ut aliquid doloris gustaret, inter ossa compuncta exululavit, et errantem gladium tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum transtulit. » Dionysius Alexandriæ episcopus Apolloniam virginem magnopere laudat, quod cum ipsi verberatis maxillis cuncti dentes excussi, flammæque admotæ essent, συντόνως ἐπεπήδησεν εἰς τὸ πῦρ καὶ κατεπίφλεκται, « celeriter in ignem insiliit et conflagravit. » S. Hilarius enarratione in psalmum LXV : « Alii enim in vinculis carcerum gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii postestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt ; plures in exstructos rogos currunt, et trepidantibus pœnæ ministris ignem saltu devotæ festinationis insiliunt. » Hunc in martyribus patiendi ardorem optime describit S. Chrysostomus oratione in Romanum, diabolum ita loquentem introducens : Ἄνθρακας ὑπεστόρεσα, οἱ δέ ὡς ἐπὶ ῥόδα ἔτρεχον, « prunas substravi, hi autem tanquam ad rosas currebant, » πῦρ ἀνῆψα, οἱ δὲ ὡς εἰς πηγὰς ὑδάτων ψυχρῶν ἑαυτοὺς ἔῤῥιψαν, « ignem accendi, illi autem tanquam in fontes aquarum frigidarum seipsos projiciebant, » καὶ ὥσπερ ἐν ἱερᾷ πομπῇ χορεύοντες καὶ ἐν λειμῶνι παίζοντες χλοιρῷ, οὕτω τὰς τιμωρίας ἕκαστος ἥρπαζον, οὐχ ὡς τιμωρίας ἀλλ' ὡς ἄνθη λαμβάνοντες ἑαρινὰ, καὶ στεφανούμενοι, καὶ τῇ τῆς οἰκείας προθυμίας ὑπερβολῇ τὰς ἐμὰς προέφθανον τιμωρίας, « et tanquam in sacra pompa choreas agentes, et in viridi prato ludentes, ita tormenta quisque arripuit, non tanquam pœnas, sed velut vernos flores accipientes, et coronati, et propriæ alacritatis excessu tormenta mea præripiebant. »

Neque mirum est aliquos bestias jam paratas ad ipsorum necem provocasse, aut crudelitatis instrumenta in procinctu posita ad accelerandum martyrium ultro adhibuisse ; cum certissime constet, id quod multo majus est, quamplurimos mortem pro Christi nomine appetivisse, cum in hostium potestate non essent, seipsos indicasse, hostesque ipsos ad supplicium infligendum provocasse. De Christianis sui temporis Lucianus in *Peregrino* : Πεπείκασι γὰρ αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον· παρ' ὃ καὶ καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὐτούς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοι. « Miseri homines a seipsis persuasi, fore se integre immortales, semperque victuros, mortem contemnunt, multique ultro seipsos dedunt. » Tiberianus Palæstinæ præses sub imperio Trajani de Galilæis sive Christianis ita loquitur : οὐ παύονται ἑαυτούς μηνύοντες εἰς τὸ ἀναιρεῖσθαι, « non cessant ad cædem sese patefacere. » Hæc de antiquissimis martyribus gentiles testantur : Christiani autem hæc non tantum vera esse dicunt, sed tanquam summum religionis Christianæ decus prædicant. Justinus martyr fatetur Christianum se factum esse, quod ei nemo [matus videretur Θάνατον ἀσπάζεσθαι, οὐχ ὅτι ἑαυτὸν κατήγγελλε φονευθησόμενον, « nedum ut quisquam seipsum necandum ultro proderet ac deferret, » quod Christiani tunc temporis fecerunt. Clemens quidem Alexandrinus contra Valentinianos disputans reliquosque Gnosticos, qui omnem pro veritate passionem negabant, Gnosticum suum ita instituit, ut non nisi coactus martyrium subeat, fatetur tamen alios martyres aliter animatos fuisse, Gnosticusque ab illo efformatus dicitur : Ταύτῃ τῶν ἄλλων λεγομένων μαρτύρων χωριζόμενος, ἢ οἱ μὲν ἀφορμὰς παρέχοντές σφισιν αὐτοῖς ἐπιῤῥίπτοῦντες αὐτοῖς τοῖς κινδύνοις, οὐκ οἶδ' ὅπως, εὐστομεῖν γὰρ δίκαιον, « hac ratione separatus ab aliis qui dicuntur martyres, quod alii quidem sibi ipsis præbentes occasionem, se, nescio quomodo, in ipsa pericula injiciant (bene enim loqui par est), » sed non ab illis tantum separatur, qui ultro se obtulerunt, verum etiam ab iis, qui vel ob metum pœnæ, aut ob spem æterni præmii passi sunt, quales opinor omnes de quibus legimus martyres fuere ; certe ita se in judicio explicare solebant. Tertullianus *ad Scapulam* cap. 1 : « Nos quidem nec expavescimus nec pertimescimus ea quæ ab ignorantibus patimur : cum ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctoritati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit consequi optantes, et ea quæ diversæ vitæ comminatur pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus etiam ultro erumpentes magisque damnati quam absoluti gaudemus. » Idem cap. 2 : « Absit ut indigne feramus ea nos pati quæ optamus ! » Et cap. 4 : « Vide tantum ne hoc ipso quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare. Arius Antonius in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt ; cum ille, paucis duci jussis, reliquis ait : Ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Hoc si placuerit et hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum tot viris et feminis, omnis [sexus, dignitatis, offerentibus se tibi ? » S. Cyprianus, cum martyrium impense laudasset, sic præfationem concludit : « Amplectenda res est et optanda, et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus, simus et amici. » Ac rursus ad finem libri : « Quis igitur non omnibus viribus elaborat, ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat, ut post tormenta et supplicia terrena præmia divina percipiat ? » De nona persecutione Sulpicius : « Certatim gloriosa in certamina ruebatur ; multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pronis ambitionibus appetuntur. »

Idem epist. 11 de B. Martino : « Quod si ei Neronianis Decianisque temporibus in illa quæ tunc exstitit dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli atque terræ, sponte equuleum ascendisset, ultro se ignibus intulisset... Si vero gentium Doctoris exemplo gladio deputatus, inter alias, ut sæpe provenit, victimas duceretur, primus omnium, carnifice compulso, palmam sanguinis occupasset. » Valerianus Cemeliensis episcopus, homilia *De bono martyrii* : « Quis non sapiens contempta hujus lucis usura, si ita usus venerit, ad martyrium ambitiose festinet, cum videat ad lucrum vitæ pertinere animæ mortem deputasse ? Quare autem non homo ad tam pretiosum opus devotus occurrat, ac se in impiorum manus audacter objiciat, quem cœlestis gratia remunerationis exspectat ? » S. Chrysostomus observabat sub imperio Juliani πᾶσαν ἡλικίαν ἁπλῶς καὶ φύσει ἑκατέραν, πηδῶσαν ἐπὶ τὰς ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας σφαγάς, « omnem ætatem et utrumque sexum ad mortem pro vera religione subeundam exsilientem. » Hanc rationem reddit, cur Julianus Apostata apertam contra Christianos persecutionem moliri noluerit, ᾔδει γὰρ, ᾔδει σαφῶς ὅτι τοῦτο τολμήσαντος αὐτοῦ, πάντες ἂν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ τὰς ἑαυτῶν προῦδωκαν ψυχάς « Novit enim, aperte novit, quod, si hoc auderet ille, omnes pro Christo animas suas prodidissent. » Πάντες γὰρ, φησίν, ὡς, ἐπὶ κηρίον μέλιτται, ἥξουσιν ὡς ἐπὶ μαρτύριον πετόμενοι, « Omnes enim, inquit, ut ad favum apes, ad martyrium convolabunt. »

Neque vero tantum fortia locuti sunt antiquæ Ecclesiæ Christiani, sed et fecere et passi sunt. Celebre inprimis fuit nomen Phocæ martyris, qui cum lictores forte hospitio accepisset, qui narrabant missos se ad interficiendum Phocam, promisit die crastino se Phocam illis ostensurum, et loco ad sepulturam prius præparato astans eis dixit : « Ego ille Phocas. » Illi cum jam hæsitarent, animos eis ut ipsum interficerent exhortatione addebat, εἶπεν ἔπεισεν, ἔπαθεν, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς ἱερεῖον τῷ Θεῷ κεχαρισμένον προσήχθη, « dixit, persuasit, passus est, ac capite truncatus grata Deo hostia oblatus est ; » ut loquitur Asterius Amasenus, Epiphanio synchronus. Sub Valeriani persecutione Priscus, Malchus, et Alexander, seipsos invicem insimulabant tanquam ignavos et desides, quod occasione oblata adhuc cessassent, μὴ οὐχὶ προαρπάζοντες τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον, nec martyrii coronam præripuissent ; » quare judicem adorti, ad bestias condemnati θείῳ κατεκοσμήθησαν μαρτυρίῳ « divino martyrio coronati sunt, » ut narrat Eusebius lib. VII, c. 12. Unde Martyrologium Romanum quinto Kal. Aprilis : « Cæsareæ in Palæstina natalis SS. martyrum Prisci, Malchi, et Alexandri, qui in persecutione Valeriani, cum in suburbano agello supradictæ urbis habitarent, atque in ea cœlestes martyrii proponerentur coronæ ; divino fidei calore succensi, ultro judicem adeuntes, cur tantum in sanguinem piorum desæviret, objurgant : quos ille continuo pro Christi nomine bestiis tradidit devorandos. » Romanus Cæsareensis diaconus, videns multos sacrificantes, ζήλῳ θεοσεβείρς πρόσεισι, « zelo divini cultus ipsum incitante propius accedit, » et contenta voce inclamans eos objurgavit, judici, ut ante diximus, vim fecit, et ob audaciam comprehensus, γενναιότατος εἰ καὶ τις ἄλλος ἀποδέδεικται μάρτυς τῆς ἀληθείας, « generoso si quis alius martyrio » donatus est. Euseb. l. IX, c. 2. Quinetiam Apphianus fervente persecutione clam omnibus in eadem domo degentibus et militum etiam cohorte, Urbani præsidis dextra apprehensa sacrificium omittere coegit, et gravissimis tormentis sese dedens passus est. Id autem Eusebius, illi familiaris, eum fecisse judicavit, τῆς ἐπὶ τοῦτ' αὐτὸν προαγούσης ἐνθέου δυνάμεως μονονουχὶ βοώσης διὰ τοῦ γιγνομένου, « divina virtute ad hoc ipsum impellente, tantum non per hoc facinus clamante ; » qui et Ædesium, idem quod a fratre factum est, facere conatum, eodem modo passum narrat. Longum esset omnes recensere, quos Eusebius aliique se ultro et de industria martyrio obtulisse commemorant.

Sed « Christi martyres, inquiunt, mortem exspectant, non accersunt. » Eant igitur, et omnes qui se passionibus ultro obtulerunt, ex Christi martyrum numero expungant, et tropæa de gentibus erecta diruant, et unius modestiæ prætextu, omnes heroicas virtutes obliterent ! Aliter antiqui Patres loquuntur, qui cruciatus et tormenta vel ipsi perpessi sunt, vel alios perpeti viderunt. Non illi modestiam martyrum nobis maxime solent proponere sed ἀρετὴν, ἀνδρείαν, γενναιότητα, ζῆλον θεοσεβείας, ἀνδραγαθίαν, παῤῥησίαν, τὸ θάρσος, τὴν τόλμαν, τὴν προθυμότητα, τὴν προαίρεσιν γενναίαν, τὰ ἐγχειρήματα, τὰ ἀνδραγαθήματα, τὰ κατορθώματα aliaque hujusmodi tanquam certissima τοῦ πνεύματος τεκμήρια celebrare, quibus hæc epistola referta est. Hæc autem præcipue in Ignatio laudat Chrysostomus. Τοῦ Χριστοῦ λέγοντος, ὅτι Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων, μετὰ πάσης ἀνδρείας αὐτὴν ἀπέδωκεν ὑπὲρ νῶν προβάτων. « Cum Christus diceret : *Pastor bonus ponit animam suam pro ovibus* [36], « cum omni fortitudine ipsam pro ovibus tradidit. » Monet quidem S. Cyprianus epistola 6, confessores humiles, et modestos, et quietos esse debere, sed intelligit modestiam erga superiores in Ecclesia : in iis, scilicet, « quæ secundum Scripturarum magisterium ecclesiastica disciplina deposcat. » Quamvis nec hic desunt signa modestiæ manifesta, ut ibi ait : « Nunc incipio discipulus esse, » quod perperam et incommode dictum pronuntiat censor accerrimus. An vero qui probe novit Christum ipsum dixisse, *Si quis venit ad me et non odit animam suam, non potest meus esse discipulus* [37] ; cum jam novit etiam seipsum plene persuasum esse ad vitam pro Christo deponendam nec terroribus aut blanditiis ab ea vo-

[36] Joan, x, 11. [37] Luc. XIV, 26.

luntate dimoveri posse,tum non nisi perperam scribere potuit : « Nunc incipio discipulus esse ? »Annon qui ista Christi verba legerat : *Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus* [38], satis commode dicere potuit : « Tunc ero discipulus verus Jesu Christi, quando neque corpus meum mundus videbit, » hoc est, quando maxime Jesu Christo conformis fuero et Agnum sequar.Neque enim inde sequitur neminem Christi discipulum esse,cujus corpus non fueritvel bestiarum vel flammarum vi absumptum, quia et hac insigni et alia ratione dici quis potest Christi discipulus. Ut vetustissimi Viennenses et Lugdunenses Christiani, de Vettio Epagatho, qui tanquam advocatus Christianorum ultro passus est, loquuntur : Ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος Χριστοῦ μαθητὴς ἀκολουθῶν τῷ ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ. « Fuit enim et est germanus Christi discipulus sequens Agnum quocunque ierit.» Eusebius lib. v, cap. 1. Christus eos vocat amicos, qui voluntatem Dei faciunt, hoc est qui servi ejus sunt ; et tamen S. Cyprianus non ad martyrium exhortatur, ut qui servi Dei sumus, simus et amici, et omnibus viribus elaborandum esse docet, ut quis eo modo amicus Dei fiat. Quis tamen inde colligat neminem, nisi post tormenta, amicum Dei esse posse ? Veteres illi in Gallicana Ecclesia martyres nobiles in primis,cum ab omnibus fratribus post multa tormenta atque cruciatus nomine martyrum appellarentur, *illud* recusabant ; imo eos,qui vel sermone vel epistolis ipsos eo titulo honorabant, objurgabant graviter ; asserentes Christum solum esse martyrem, et eos etiam quos ille dignatus est assumi, et quorum exitum ipse obsignavit. Alii tamen non inde colligebant eos qui fidem Christianam coram gentilibus cum vitæ discrimine professi sunt, et quamplurima tormenta perpessi sunt,etiamsi in tormentis non morerentur,martyres appellandos non esse ; aut catholicos qui illos epistolis aut sermone salutabant, minus proprie eos salutasse. Tales enim viros ac tanta pro Christo passos, etiamsi in tormentis non obdormiverint, novimus semper ab antiquis et merito martyres appellatos fuisse.

Jam vero tertia exceptio plane nihili est : neque quidquam Ignatio indignum continet. Quod enim optat, ita vorari atque absumi omnes sui corporis particulas, ut earum nihil ad sepulturam supersit, id a pietate consummatissimi martyris, et quidem ipsius Ignatii minime abhorret. Asserimus ipsum Ignatium scripsisse : « Frumentum sum Dei, et per dentes bestiarum molor,ut mundus panis inveniar Christi ; » fatetur Dallæus hæc Ignatium dixisse ; laudat Irenæus tanquam pulcherrimam martyris sententiam ; nihil igitur in ea sententia viro maximo indignum censeri debet. At quomodo, amabo, tanquam frumentum per dentes bestiarum moleretur ut panis fieret,nisi omnes corporis particulæ a bestiis illis vorarentur?« Audi vero,inquit, gravem et tanto viro dignam rationem. Ne cum obdormiero, molestus cuiquam inveniar. » Hanc certe gravem et tanto viro dignam rationem putabant antiquissimi Christiani,qui Ignatii tempora, et ipsum etiam martyrem optime novisse censentur. Hæc enim legimus in vetustissimis ejus Actis : « Sic bestiis crudelibus ab impiis apponebatur,ut confestim sancti martyris Ignatii compleretur desiderium, secundum quod scriptum est : *Desiderium justi acceptabile*, ut sit nulli fratrum gravis per collectionem reliquiarum, secundum quod præoccupans in epistola propriam concupiscit fieri fruitionem. »

Hæc igitur omnia cum pia, legitima, præclara, martyris cogitatione, consilio et opere satis digna esse videantur, vereor ne odiosum sit asserere, hanc epistolam non alia de causa ad Romanos scriptam esse,quam ut has viri glorias viderent et stuperent. Certe si hæc legitima et pia sint, nec impostorem talia exarasse, nec alio animo ea scripsisse sanctissimum martyrem par est credere, quam ut eadem Romanos pietate imbueret, ad similem terrenarum rerum contemptum permoveret, ad exspectationem futuræ vitæ erigeret,ad mortem denique, si Deo ita visum fuerit, pro fide Christiana cum summa alacritate oppetendam animaret. In quibus nihil putidum,nihil odiosum, nihil inscite, aut imprudenter scriptum est.

CAPUT X.

Veracitas S. Ignatii defenditur. Quid sit πᾶσα ἐπιστολή explicatur. Epistolæ S. Pauli ad Ephesios natura singularis describitur. Vera lectio et auctoris, et interpolatoris asseritur. Auctor epistolarum non dicit se Christum in carne vidisse. Græci codices omnes, et veterum excerpta οἶδα, *non* εἶδον *agnoscunt. Ruffinus et librarii textum corrupisse male dicuntur. Hieronymi auctoritas in vertendis Græcis tanta non est, ut Græcorum omnium codicum fidem in dubium vocet. Hugonis Grotii explicatio defenditur. Quæ habentur in epistola de stella magis visa, temere scripta non sunt. Eadem plurimi in Ecclesia secuti sunt. Christum edisse et bibisse post resurrectionem non male asseritur.*

Capite 19 ad alia procedit a veracitate et rerum divinarum cognitione aliena ; quæ quidem tria sunt, quorum duo ab interpolatore, unum a nostro profert. Quod e nostro affert hoc est : « Scripsisse eum falso ad Ephesios Paulum apostolum in omni epistola memoriam eorum facere in Jesu Christo. »An hæc autem falso scripta sunt ?non credo:quomodo probat vir doctissimus ? ne uno quidem verbulo. Siccine decet Christianum, falsitatis antiquissimum scriptorem insimulare, et accusationis nullam omnino rationem reddere ? Fecit hoc ante eum Blondellus, objectionem nuda quæstione proposuit : « An vere de Ephesiis scriptum, Παῦλος ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ; » quærit an vere, subindicat falso scriptum ; in quo falsitas consistit, non ostendit. Mentionem fecisse Ephesiorum S. Paulum extra dubium est, et quidem in epistola : illa tamen Ignatiana falsa, ut opinor, existimant, quod in omni epistola id non fecerit ; putabant

[38] Ibid. 27.

enim « in omni epistola » idem esse quod « in omnibus epistolis. » Sed mirum nobis scriptorem repræsentant; sive is Ignatius, sive quis alius fuerit. Quis enim vel sub Trajano, vel sub Constantino sic scriberet? An fictorem suum talem virum fingere potuerunt, qui S. Paulum in omnibus quas scripsit epistolis Ephesiorum meminisse putaverit, aut talem sententiam Ignatio tribuere ex industria voluerit? Sive Latina spectes, « in omni epistola, » sive Græca, ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, aliud omnino sonant, idem nempe quod in tota epistola. Certe S. Ignatio πᾶσα ἐπιστολή, est « tota epistola, » ut πᾶσα Ἐκκλησία, « tota Ecclesia. » Ita enim Ephesios ipse alloquitur : Εἰ γὰρ ἑνὸς καὶ δευτέρου προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, πόσῳ μᾶλλον ἥ τε τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης Ἐκκλησίας. « Si enim unius et alterius oratio tantam vim habet, quanto magis illa episcopi et omnis Ecclesiæ! » Ubi πᾶσα Ἐκκλησία est « tota Ecclesia » sub episcopo suo congregata. Sic Latini, sic Græci loquuntur. Ita Cicero : « Sanguis per venas in omne corpus diffunditur, » id est non in omnia corpora, sed « in totum corpus. » Idem : « In hoc singulare judicium causa omnis includeretur, » id est non omnes causæ, sed « tota causa. » Qui etiam « tota mente, » et « omni animo » eadem significatione dixit. Hesychius, Πᾶς, ὅλος, ἕκαστος. Homerum, ut solet, respiciens, apud quem utroque sensu ea vox accipitur; nostro autem, ubi de Hectore agit. Πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ λάμφ', « totus ære splendebat, » ut de eodem Sophocles :

Κεῖνος δὲ λύπῃ κᾆς ἐλήλαται καπῇ.

Ubi Triclinius : Τὸ πᾶς εἶπεν, ἵνα δείξῃ ὡς ὅλος τῆς λύπης γέγονε. « Dixit πᾶς, ut ostenderet eum totum fuisse dolore absorptum. » Hinc illa loquendi formula Græcis familiaris, Suidæ observata : Ὅλος καὶ πᾶς. Ut igitur πᾶσα γραφή, veteri interpreti, « omnis scriptura, » Theodoro Bezæ, « tota scriptura; » ita hic ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, « in omni, » hoc est « in tota epistola. » Ut Clemens Alexandrinus *Stromat.* lib. v, illa S. Pauli Ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ, interpretatur, οὐ πάντα ἁπλῶς ἄνθρωπον, ἐπεὶ οὐδεὶς ἂν ἦν ἄπιστος· οὐδὲ μὴν πάντα τὸν πιστεύοντα τέλειον ἐν Χριστῷ, ἀλλὰ πάντα ἄνθρωπον λέγει, ὡς εἰπεῖν, ὅλον τὸν ἄνθρωπον, οἷον σώματι καὶ ψυχῇ ἡγνισμένον. « Non omnem hominem absolute, quoniam nullus esset infidelis; sed nec omnem qui credit, perfectum in Christo; sed *omnem* dicit *hominem*, perinde ac si diceret, totum hominem, utpote corpore et anima sanctificatum. »

Vidit hæc præstantissimus Isaacus Vossius, eamdemque interpretationem Blondello objecit. Cui ille hæc reposuit : « An vero Ignatium quisquam adeo desipuisse crediderit, ut Ephesios ad se totam quam Paulus scripsit epistolam missam monendos putarit? » Imo vero an ille nos adeo desipere credidit, ut nullum discrimen animadvertere possemus, inter ea quæ ipse dicit, totam quam Paulus scripsit epistolam ad Ephesios missam esse, et illa quæ scripsit S. Ignatius, S. Paulum in tota epistola memoriam eorum facere in Jesu Christo? Hæc a martyre non otiose aut frigide, sed vere, imo signanter et vigilanter dicta sunt. Tota enim epistola ad Ephesios scripta, ipsos Ephesios, eorumque honorem et curam maxime spectat, et summe honorificam eorum memoriam ad posteros transmittit. In aliis epistolis Apostolus eos ad quos scribit, sæpe acriter objurgat, aut certe haud omnino, vel parce laudat; vel de rebus ad fidem pertinentibus, aut de quæstionibus decidendis latius disputat. Hic omnibus modis perpetuo se Ephesiis applicat, illosque tanquam egregios Christianos tractat, Evangelio salutis firmiter credentes, et spiritu promissionis obsignatos, concives sanctorum et domesticos Dei; pro iis sæpe ardenter orat, ipsos hortatur, obtestatur, laudat, omnem ætatem, utrumque sexum sedulo instruit, suum erga eos singularem affectum ubique prodit. Πολλῆς ἔδει τῷ Παύλῳ σπουδῆς πρὸς ἐκείνους γράφοντι, inquit S. Chrysostomus, « magno cum studio ad Ephesios scribit. » Λέγεται δὲ καὶ βαθύτερα τῶν νοημάτων αὐτοῖς ἐμπιστεῦσαι, ἅτε ἤδη κατηχημένοις. « Dicitur autem et profundissimos conceptus iis concredidisse, quod jam fuerint ab ipso instituti, » et cum iis Timotheum reliquisset, unde eos Παύλου συμμύστας vocat Ignatius, quibus, scilicet ille totum consilium Dei patefecisset. Origenes homilia 15, magnum observat inter Corinthios et Ephesios discrimen : « Vide quomodo ad Corinthios Paulus loquitur : Lacte vos potavi, non cibo : *necdum enim poteratis; sed neque nunc potestis* [39]. Et quia lacte adhuc indigebant, ea discunt quæ discere parvuli solent : *Bonum est mulierem non tangere : propter fornicationem autem* [40], etc. Ursumque instituuntur, ne idolothyta comedant. Ista omnis doctrina lac parvulorum est, et adhuc infantium in Christo. Quando vero Ephesiis scribitur, solidum illis præbet cibum. Non auditur quippe in Epheso fornicatio; non auditur in Epheso idololatria, et esus idolothytorum. »

Mira sunt quæ hic de interpolatore comminiscitur Dallæus. Ille enim, inquit, quia Ephesiorum factam in omni epistola a Paulo mentionem reperiebat, pro *vobis*, *nos*; pro *epistola*, *orationes* sic substituit, ὃς πάντοτε ἐν ταῖς δεήσεσιν αὐτοῦ μνημονεύει ἡμῶν, « qui semper in suis orationibus memor est nostri. » Nam primo, pro « vobis, » *nos* non substituit interpolator. Tria habemus Græca interpolatoris exemplaria; in uno quidem, Augustano scilicet, legitur ἡμῶν, sed corrupte; cum in Nydprucciano et Anglicano legatur ὑμῶν, ut Vulgatus interpres legit, qui reddidit « vestri. » Quin et hanc substitutionem vetustioris scriptoris auctoritas refellit, cum in Mediceo codice legatur ὑμῶν, et in veteri interprete « vestri. » Causa igitur nulla fuit, cur unius codicis lectionem contra omnium reliquorum consensum amplecteretur Usserius, aut arriperet Dallæus. Secundo, non constat interpolatorem

[39] I Cor. III, 2. [40] I Cor. VII, 1.

pro *epistola*, *orationes* substituisse ; nam potius videtur ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ reddidisse per πάντοτε, et ἐν ταῖς δεήσεσι addidisse ad explicationem τοῦ μνημονεύει, quod videret S. Paulum in orationibus per totam epistolam sparsis Ephesios Deo commendasse in Jesu Christo ; vel ad illum versiculum respiceret, οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν μνείαν ὑμῶν ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου. » Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis. » Laurentianum codicem defendo, confusionem utriusque codicis ab Hammondo factam non probo.

Capite 20 de solo Pauli conjugio agit, et interpolatorem tantum ferit. Caput 21 quatuor objectiones continet, quarum una de Salomone et Josia interpolatorem, reliquæ auctorem ipsum petunt. De illo hæc habet : « Homo audacissimus scribere non dubitavit Christum Dominum a se in carne visum. Chrysostomus negat Ignatium vidisse Christum. Epistolarum ergo scriptor manifesti mendacii convincitur. » Hæc argumenti summa. Qua certitudine dixerit Chrysostomus Christum ab Ignatio martyre nunquam visum fuisse, ego non quæro. Certe si epistolarum scriptor 200 post Ignatium annis, ut vult Dallæus, dixerit Christum a se in carne visum, et homo audacissimus et mendacissimus fuit ; quemadmodum Pseudo-Abdias non sine summa audacia et aperto mendacio ipsum oculis suis Dominum vidisse narrat Apostolicæ historiæ lib. VI, cum eodem libro non tantum Hegesippum nominaverit, sed et ejus verba ex translatione Ruffini transcripserit. Auctor *Politiæ SS. Patrum Metrophanis et Alexandri* apud Photium codice 256, et homo audacissimus et mendacissimus fuit, si scripserit se vidisse Constantinum inter ephebos merentem in Palæstina sub Diocletiano, Verum hoc scriptor ipse non dixit, sed obscuriorem Photii contractionem ita transtulit Schottus, cujus interpretationem refellunt eadem Acta plenius a Combefisio nuper edita ; ex quibus constat non scriptorem, sed Maximianum tunc vidisse Constantinum. Illud pariter et ego assero, auctorem epistolarum, quas defendimus, nunquam scripsisse, Christum a se in carne visum. Si hæc scripsisset, Salmasius et Blondellus pro sua in his rebus solertia, id præterire, opinor, noluisset ; sed omnino non scripsit. Auctoris epistolæ verba hæc sunt de Christo : Ἐγὼ γὰρ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα. Ita in codice Laurentiano legitur ; eadem lectio apud Eusebium invenitur ; eamdem repræsentat Theodoretus ; eamdem retinuerunt Græci codices vulgati, tum Nydpruccianus, tum Tylinganus, tum Anglicanus, omnes a manu interpolatoris hoc loco liberi. Summus hic igitur et codicum, et exceptorum consensus ; quem tamen miris conjecturis labefactare conatur vir doctissimus, qui alibi exclamare solet, quoties aliqua veterum codicum lectio sollicitatur.

Primo : « Editionem Græcam vulgatam nihil moratur, quod fœdissime interpolata sit. » At nos hæc verba omni interpolatione libera ex ea producimus ; scilicet Μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα. Quæcunque igitur interpolata sint, hæc certe sana et integra supersunt, cum codice Laurentiano, Eusebio, et Theodoreto consentientia. Secundo, in Eusebio hariolatur vel antiquarios, vel Ruffinum pro εἶδον rescripsisse οἶδα· ex Eusebii libris ad Theodoretum, et scriptorum Florentini codicis dimanasse. O lepidum commentum ! Eusebii Historia centum ferme annis priusquam Ruffinus eam in Latinum vertit in manibus omnium fuerat ; exemplaria per totam Ecclesiam Orientalem ubique dispersa et magna omnium cum admiratione accepta. An igitur Ruffinus in Ecclesia Latina vocem unicam in suo codice de industria mutare voluit, aut correctionem suam in reliqua omnia Orientis exemplaria recipiendam fore sperare potuit ? Non adeo demens fuit Ruffinus ; præsertim cum jam acerrimus ejus hostis Hieronymus tot annis ante hanc versionem catalogum suum edidisset. Non est itaque justa suspicio, Ruffinum Eusebii Historiam verba immutando corrupisse. De librariis autem quod conjicit, verba Ignatii ab Eusebio tradita consulto eos animadversa rei absurditate, correxisse, ab omni verisimilitudine abhorret. Quis enim eos librarios unquam existimabit in commune consuluisse, de scriptis Eusebii judicium tulisse, et de mutatione vocis consensisse ? Quis eos Eusebio ipso, auctore sui temporis maximo sapientiores judicabit, quos omni ævo viros fuisse bonarum litterarum ignaros, mercede ad exscribendum tantummodo conductos, viri omnes docti et in his rebus versati et confitentur et queruntur ? Si aliquid in Eusebii codice tantatum fuisset, quis dabit ea correctione Theodoreto impositum fuisse, qui tot alia loca non ex Eusebio, sed ex ipsis Ignatii epistolis transcripsit ? Quis præstabit scriptorem Laurentiani codicis, relicto exemplari suo, aut Eusebii Historiam, aut Theodoreti disputationes in consilium adhibuisse. Nimis dilutæ sunt hæ conjecturæ ; et æquissima postulatio est, ut ea pro verbis epistolarum auctoris habeantur, quæ omnibus Græcis exemplaribus, et veteribus excerptis agnoscuntur. Iis autem verbis non dicitur id quod a solo Dallæo objectum est, S. Ignatium in carne Christum vidisse Aliud enim est οἶδα, aliud εἶδον vel ἴδον· non scriptum est εἶδον, quod est Græcis « vidi, » sed οἶδα, quod iisdem semper est « novi, » vel « scio. » Ita harum epistolarum auctor alibi distinguit. Ad Ephesios : Δι' ὧν πάντας ὑμᾶς κατὰ ἀγάπην εἶδον, « per quos vos omnes secundum charitatem vidi. » Ad Magnesios : Οἶδα ὅτι οὐ φυσιοῦσθε, « novi quoniam non inflamini, » et : Οἶδα ὅτι ἐντρέπεσθε, « novi quoniam verecundamini. » Ad Philadelphicos, οἶδεν γὰρ πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει, « novit enim unde venit, et quo vadit. » Hæc primo pro certis et indubitatis habeo.

Sed disputat Dallæus ex veteri versione, quæ

verba auctoris ita repræsentat, «post resurrectionem in carne eum vidi.» Verum non quæritur, quid interpres fecerit, sed quid auctor epistolæ scripserit, et an ita interpres ille auctoris verba reddere debuerit. Simplicitatem et fidem in eo laudem, in lingua Græca peritiam haud item. Quod errare potuerit in scriptoris Græci mente explicanda, negare nemo potest; quod hoc loco erraverit, affirmo. Sed vetustissimo interpreti plane congruit Hieronymus, fateor: verum post Hieronymum disentit Ruffinus; quæritur quis mentem auctoris potius attigerit, Hieronymus, an Ruffinus, Usserianus, an vulgatus interpres; id est ad vim et significationem vocis οἶδα omnino redeundum est. Ipse non audet cum iis contendere qui negant verbum οἶδα pro *vidi* accipi posse. Sed aut illi cum iis contendendum est, aut manus dandæ. Cum enim vera lectio jam extra dubium posita sit, nihil aliud in controversia poni potest, nisi quæ sit vocabuli vera et genuina significatio. Sed et « Sophronius, inquit, id ipsum perspicue reddidit: » Ἐγὼ δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σώματι αὐτὸν εἶδον. Quid, quæso, est id ipsum quod Sophronius perspicue reddidit? non illud de quo quæritur; id enim est, quid auctor epistolæ scripserit; Sophronius autem non transtulit Ignatium, sed Ignatii interpretem Hieronymum. Si se Ignatio Scholiasten præbuisset ille quisquis est qui Sophronius dicitur, nunquam οἶδα per εἶδον reddidisset. Sed cum Hieronymi librum interpretatus est, qui *vidi* scripserat, illud per εἶδον reddidit, per οἶδα recte reddere non potuit. Ut voce « Quadratus, » ἐν Ἐλευσῖνι γενόμενος dixit, Hieronymi Latina, « invisens Eleusinam, » respiciens, non autem illa quæ Hieronymus præ oculis habuit, Ἐλευσίνια ἐποπτεύων.

Verum, « utcunque se res habeat, præcellens Hieronymi eruditio dubitare non sinit, quin sit is verissimus sensus, quem ipse exhibet. Absit enim ut virum tantum nescivisse putem, quid sit τοῦ οἶδα ab εἶδον vel ἑώρακα discrimen! » Hoc certe unicum argumentum ad hanc rem appositum; quod tamen Hieronymi in Græca lingua perspicaciæ, et in vertendo curæ atque diligentiæ tanquam fundamento innititur. De posteriori audiamus ipsum in præfatione Chronici Eusebiani: « Obsecro, ut quidquid hoc tumultuarii operis est, amicorum, non judicum animo relegas: præsertim eum et notario, ut scitis, velocissime dictaverim. » Mallem aliorum judicium quam meum de utraque accipiant eruditi. « Quot et quanta peccavit maximus vir, nunc per properantiam, nunc per hallucinationem, » observavit Josephus Scaliger. Et quidni ille discrimen inter οἶδα et εἶδον non animadverteret, qui στρατηγίαν eum στρατιᾷ, στρατεύειν cum μάχεσθαι, ἕως τούτου cum περὶ τούτου confudit; qui γνώμην, id est « sententiam, » pro « subsidio » habuit; qui τὸ βασιλειᾶν, id est affectionem regni, pro regia indole accepit; qui μετὰ τῶν ἀποστόλων « post apostolos; » ἐξ ἐκείνου, hoc est « ab illo tempore, » *in hujus æmulationem* reddidit; qui dixit: « Epimenides Athenas subvertit, » pro καθαίρει, «lustrat; » qui ἑτεροδόξους « eos qui aliena a Deo gloriæ cupiditate rapti sunt, » διάλεκτον ἀνθρωπίνην « humanam fragilitatem, » τὰ διαφέροντα, « differentia, » μείζονα τοῦ λαλεῖν « majora loqui, » πεντηκόνταρχον « quinquagenarium, » πυροφόρον « frumentarium, » οἱ ἀθετοῦντες ἀθετήματα « qui spreverunt contemnentes » interpretatus est; qui ex male intellectis Eusebii Græcis Apollonium senatorem fecit, insigne ei volumen attribuit, ipsumque in Catalogum scriptorum ecclesiasticorum retulit? Ex male, inquam, intellectis Eusebii Græcis: conjectura enim Josephi Scaligeri omnino repudianda est, qui Hieronymum, cum illa scriberet, non Græcum Eusebii exemplar, sed Ruffini interpretationem manibus habuisse asserit. Id enim fieri nullo modo potuit, cum tot annis Catalogum scripserit Hieronymus, antequæm Eusebii Historiam verteret Ruffinus. Si in omnibus his locis, aliisque compluribus « is sit verissimus sensus, quem exhibet Hieronymus, » dabimus aut οἶδα significare « vidi, » aut veram lectionem esse εἶδον. Sed cum ille, vel per properantiam, vel per hallucinationem, non minus hunc locum quam alios innumeros minus recte reddere potuerit, vera lectio epistolæ Græcæ neque mutanda contra omnium codicum consensum, neque aliena interpretatione detorquenda est, contra loquendi modum Græcis familiarissimum. Certe Freculphus præcellenti Hieronimi eruditione minime motus, cum ex illo plerumque omnia exscribere soleret, ista tamen in hæc verba mutavit, tom. II, lib. II, cap. 11: « Ego vero et post resurrectionem in carne eum fuisse scio, et credo quia scio. »

Sed sensum ad Hieronymo redditum verissimum contendit vir doctissimus ex « fama de Christo ab Ignatio in carne viso, quæ unde nisi ex hoc epistolæ loco propagata sit, dicere vel suspicari difficillime est, præsertim apud Græcos Latinorum fere librorum incuriosos. » Demus Græcos Latinorum librorum incuriosos fuisse, nonne Græcum librum habuerunt, ex quo eum errorem haurire potuerunt. Quidquid « vidi » apud Hieronymum, idem εἶδον apud Sophronium efficere potuit: erat autem Sophronii versio Græcis sequentium sæculorum probe cognita. Suidas eum sæpisse transcribit: et ante Suidam Photius eumdem cognovisse deprehenditur. Ut igitur Hieronymi Latinis, ita Sophronii versio Græcis fraudi esse potuit. Sed eam famam ex hoc loco ortam esse verisimile non est: hic enim traditur, ut illi volunt, Ignatium post resurrectionem Christum in carne vidisse: at illa fama nihil tale tradidit, sed Ignatium inter parvulos ad Christum adductos fuisse ipsius Christi manibus exceptum. Hæc autem duo sunt plane diversa. Si Ignatius dixisset se vidisse Christum in carne post resurrectionem, an quisquam inde colligeret, eumdem quasi puerulum, manibus Christi gestatum fuisse ante ejus mortem? nemo sane. Aliunde igitur ea fama orta est; neque id suspi-

cari difficile, sed in promptu est. Ex nomine enim Θεοφόρου a posterioribus Græculis conficta est traditio illa, cujus nulla alia vestigia apud antiquiores exstant. Qui illam fabulam excogitarunt, dicunt ideo Ignatium Θεοφόρον dictum ; sed multo verisimilius est ideo eam fabulam excogitatam fuisse, quia eum Θεοφόρον dictum cognoverant, quod nomen ipsa fabula longe antiquius est : de qua re postea erit disserendum latius.

Hæc cum ad fidem Græcorum codicum tuendam et verum scriptoris sensum a pravis versionibus vindicandum sufficere possent ; ulterius observandum est prudentissimum harum rerum judicem Hugonem Grotium de hac ipsa controversia ista ad Matthæi cap. XXVIII adnotasse : « Si quis locum Ignatii cum cura inspiciat, videbit rectam esse lectionem οἶδα, neque de visus sensu ibi agi, sed de fide, quam non suo, sed aliorum testimonio confirmat. » Rectissime. Adhuc tamen Dallæus loco inspecto videre sibi visus est multo esse appositiorem Hieronymianum quam Grotianum sensum ; idque ob duas rationes, quarum prima a particula γάρ petitur, quam ostendere vult scriptorem verbis sequentibus ejus quod præcedentibus dixerat, rationem afferre. Dixerat autem Christum vere mortuum et resuscitatum : cujus rei optimum argumentum,quod ipsum in carne resuscitatum viderit.Imo vero nec particula γάρ rationem superioris assertionis continet, neque visio illa, quam Ignatius poterat obtendere, pro legitimo argumento haberi potuit. Particula γάρ habet aliam particulam καί adjunctam, quæ ostendit scriptorem ad aliam sententiam dilabi ; sive ad ulteriorem adversariorum confutationem progredi. Asseruerat ante Christum vere passum, et vere seipsum resuscitasse, et post nudam assertionem suam hæreticos, qui eam non admittebant, dæmoniacos vocaverat ; addit igitur tam severæ objurgationis rationem assertionem aliam, quam plena fide seipsum amplecti docet, scilicet, Christum post resurrectionem adhuc in carne exsistere, ideoque statim plurimis argumentis, ex aliorum testimonio confirmat. Argumentum autem a conspectu Ignatii aut pro levissimo haberi, aut pro nullo potius debuit. Si enim ille jam 80 ferme annis post passionem Domini superstes asseruisset, se adhuc parvulum vidisse Christum in carne post resurrectionem, quis illud testimonium ad veritatem humanæ naturæ Christi quidquam valere concederet ? An ea ætatula satis certo judicare potuit, utrum vere an phantastice Christus seipsum exhibuerit ? Nullum certe Grotiano sensui periculum ex particula γάρ. Secundo, inquit, « Si id vellet scriptor, quod ait Grotius, supervacaneum erit verbum οἶδα. » Fortasse. Fieri enim potest ut in optimo scriptore aliquando vocabulum redundet. Sed supervacaneum non est, quod fidei certitudinem et πληροφορίαν adjungit. Dixit S. Paulus : Οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, Rom. XIV, 14, ubi neque οἶδα neque πέπεισμαι supervacaneum est, sed per utrumque describitur Apostolus πληροφορηθείς. Quin et alibi conjunctim expressit, καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα, Philipp. I. 25. Quem imitatus est S. Athanasius orat. 1 *contra Arianos :* Οἶδα γὰρ καὶ πέπεισμαι ὅτι τοῖς ὑπομένουσιν ἔσται μισθὸς ἀπὸ τοῦ Σωτῆρος : « Scio enim et certum habeo præmium iis qui sustinent retribuendum esse a Salvatore. » Ut idem sit apud nostrum. Οἶδα καὶ πιστεύω, quod εἰδὼς πιστεύω, aut πιστεύων οἶδα. Nihil enim aliud quam firmitatem et certitudinem fidei hæc loquuntur : « Sed cum duo diversa verba posuerit, ostendit se Christum in carne fuisse aliter nosse quam eum in eadem nunc esse. » Hic certe omnium in hac re errorum,ut mihi videtur, fons est. Non aliunde hallucinatum fuisse primo Hieronymum,dein interpretem,ac tandem Dallæum arbitror. Duo significari Dominicæ carnis tempora voluerunt, post resurrectionem in terris, post ascensionem in cœlis, quæ a mente scriptoris prorsus aliena sunt. Fictum est illud « fuisse, » quod ex Vairlenio proferunt. Ignatius tantum dixit ὄντα quod cum ἐν σαρκί cenjungendum est. Illud unicum est quod hic Ignatius dixit se plena fide amplecti, Christum ἐν σαρκὶ ὄντα, adhuc etiam post resurrectionem « in carne exsistentem. » De ascensione nihil hic dixit, nihil probavit. Ridiculum est scriptorem duo dicere, quorum alterum vidit, alterum credidit ; deinde plura testimonia afferre pro eo quod viderat ; pro eo quod credidit, nullum. Omnia enim quæ sequuntur tantummodo probant Christum,dum in terris esset,in carne fuisse ; neque aliunde hoc novit aut credidit Ignatius, nisi ex illis quæ sequuntur testimoniis. Huc etiam pertinet,quod putant οἶδα præteriti temporis significationem habere πιστεύω præsentis. Hoc autem pariter falsum est,Verbum enim οἶδα licet forma sit præteriti temporis, apud Græcos, tamen significatione præsens est, et cum verbo præsentis temporis eadem significatione ponitur, ut apud Homerum :

Αὐτὰρ ἐγὼ θυμῷ νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα.

Ideoque Latini interpretes verbo præsentis temporis efferunt, ut Matth. VI, 32 : Οἶδε γὰρ ὁ Πατὴρ ὑμῶν, *Scit enim Pater vester ;* XXIV, 36 : Οὐδεὶς οἶδε, *Nemo scit.* Glossarium Vetus : Οἶδα, *scio, noro, nosco* ; et aliud Glossarium : *Scio,* οἶδα. Etymologicon : Οἶσθα, ἀντὶ τοῦ, γινώσκεις. Recte igitur οἶδα et cum πιστεύω conjungitur, et ad ὄντα refertur, ut ad Xenophontem οἶδα ἐμαυτὸν ἧττονα ὄντα, recte unicum hic objectum fidei agnoscitur, quod sequentibus testimoniis confirmatur. Neque vero ea minus Ignatium decent, aut ad sensum scriptoris eruendum magis valent, quod non iisdem prorsus verbis concipiantur, quæ nunc in Evangeliis leguntur. Ad eam rem probandam, quam scriptor asseruerat, maxime accommodata sunt ; at si duplicem assertionem faciamus, neque unam, neque alteram probant. Non probant Ignatium Christum post resurrectionem vidisse ; non ostendunt Christum post

ascensionem in carne esse, undecunque igitur sumpta sunt, secundum sensum Dallæanum nihili sunt. De apocrypho ante latius disputatum est; hic igitur concludo auctorem epistolæ nunquam scripsisse Christum a se in carne visum.

Quæ habet de stella magis prælucente nullo modo fictitium Ignatium probant; neque ipse aliquid objicit, nisi quod sint temere scripta; et quod nemo interpretum ea sit secutus. Verba Ignatii sunt: Ἀστὴρ ἐν οὐρανῷ ἔλαμψεν ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀστέρας, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ ἀνεκλάλητον ἦν· καὶ ξενισμὸν παρεῖχεν ἡ καινότης αὐτοῦ· τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἄστρα ἅμα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ χορὸς ἐγένετο τῷ ἀστέρι· αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβάλλων τὸ φῶς αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα. Ταραχή τ' ἦν, πόθεν ἡ καινότης ἡ ἀνόμοιος αὐτοῖς· ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία. Vetus interores: « Astrum in cœlo resplenduit super omnia astra, et lumen ipsius ineffabile erat, et stuporem tribuit novitas ipsius. Reliqua vero omnia astra simul cum sole et luna chorus facti sunt illi astro: ipsum autem erat superferens lumen suum super omnia. Turbatio autem erat unde novitas quæ dissimilis ipsis; ex qua solvebatur omnis magia. » Hæc temere dicta vult Dallæus, utpote « a Scriptura aliena, et ab ipso hujus stellæ usu abhorrentia, ad domum, scilicet Bethelebem, indicandam, ubi natus erat Christus. » Sed quomodo hæc a Scriptura magis aliena sunt, quam illa, quæ alii de eadem stella tradiderunt, non video. Neque illum unum usum quisquam adhuc agnovit ad domum Bethlehem indicandam. Duæ fuerunt illius stellæ φάσεις, una in Oriente, altera Hierosolymis. Usus primæ apparitionis fuit ad magos ex sua terra ad quærendum Regem Judæorum excitandos; secundæ ad domum indicandam. Multa veteres de priori loquuntur, quam Scriptura tantummodo indicat, pauca Ignatius: neque hic, neque illi ex Scriptura ea quæ dicerent sumpserunt, sed quid ipsi de ea re sentirent libere pronuntiabant. *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*, inquiunt magi, *vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* [41]. Quomodo apparuerit in Oriente stella illa, quomodo magi inde crediderint Regem Judæorum natum esse, quomodo commoti ad eum adorandum venerint, ab omnibus quæsitum est. Suam sententiam prodit Ignatius, stellam illam maxime inter omnes illustrem fuisse, et ex sua claritudine magos Hierosolymas adduxisse. Neque hæc sententia adeo absurda visa est, ut nemo veterum eam sequeretur, quod miror equidem a Dallæo dictum. Nihil enim fere in hac sententia scriptum est, quod non plurimi postea dixerunt. Omnia fere eadem tanguntur illo uno Clementis Alexandrini loco in Excerptis: Διὰ τοῦτο ἀνίτειλε ξένος ἀστὴρ καὶ καινὸς καταλύων τὴν παλαιὰν ἀστροθεσίαν, καινῷ φωτὶ οὐ κοσμικῷ λαμπόμενος. « Propterea orta est peregrina et nova stella, dissolvens veterem astrologiam, novo et non mundano lumine coruscans. » Quæ verba a quocunque dicta videantur, ad hunc ipsum Ignatii locum respicere quis dubitet, sive ξενισμόν, sive καινότητα, sive κατάλυσιν spectet? Nam et ἀστροθεσία quasi magorum disciplina, a diabolo inventa Tatiano dicitur. De mira ejus luce reliquarum stellarum splendorem superante Leo Magnus, homilia 1 *De Nativitate*: « In regione orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorque sideribus facile in se intuentium animos oculosque converteret. » Maximus, homilia 3: « Quis enim dubitat ipsam stellam lætiori luce et fulgentioribus radiis coruscasse, quæ cœli terræque lumen humanis oculis ingerebat? Et necesse erat ut stella hæc a cæteris sideribus orbe clariore distaret, quæ annuntiabat Christum, cujus nativitas ab universis mortalibus differebat. » S. Chrysostomus, homil. 6, *in Matthæum*, de hac stella: Οὐ γὰρ ἐν νυκτὶ φαίνεται ἀλλ' ἐν ἡμέρᾳ μέσῃ λάμποντος ἡλίου, ὅπερ οὐκ ἔστι δυνάμεως ἀστέρος, ἀλλ' οὐδὲ σελήνης· ἡ γὰρ τοσοῦτον πάντων ὑπερέχουσα τῶν ἀστέρων τῆς ἀκτῖνος φανείσης τῆς ἡλιακῆς κρύπτεται καὶ ἀφανίζεται. Οὗτος δὲ τῇ τῆς οἰκείας λαμπρότητος ὑπερβολῇ, καὶ τὰς ἀκτῖνας ἐνίκησε τὰς ἡλιακὰς, φανότερος ἐκείνοις φανεὶς καὶ ἐν τοσούτῳ φωτὶ μεῖζον λάμψας. « Non enim de nocte apparet, sed meridie splendente sole; quam facultatem non modo stella nulla, sed ne luna quidem sortitur. Illa enim omnes stellas tantopere superans ortu solis obscuratur et disparet. Hæc autem nativi splendoris exuberantia etiam solis radios superabat, illustrior illis apparens, et in tanta luce magis coruscans. » Unde illud vocat: ἄστρον μέγα καὶ ἐξηλλαγμένον, ὥστε καὶ τῷ μεγέθει καὶ τῷ κάλλει τῆς ὄψεως αὐτοὺς ἐκπλῆξαι· « stellam magnam et unisitatam, adeo ut amplitudine et aspectus claritate magos percelleret. » Hæc autem dixit Chrysostomus, postquam omnia se ἀπὸ τῶν γεγραμμένων αὐτῶν « ex ipsa Scriptura » dicturum pollicitus esset. Neque mirum est, Ignatium nobis stellam reliquis omnibus atque etiam sole ipso splendidiorem repræsentasse, cum gravis auctor Gregorius Nyssenus in *Vita Moysis*, splendorem rubo solari majorem tribuat: Φωτὸς ἑτέρου ὑπὲρ τὸ ἡλιακὸν φῶς τὰς ὄψεις περιαστράψαντος, « alia luce supra lucem solarem circa oculos Moysis effulgente. » *De solutione magiæ* Gregorius Nazianzenus, oratione prima: Διὰ τοῦτο ἀστὴρ ἡγούμενος, καὶ μάγοι προπίπτοντες καὶ δωροφοροῦντες, ἵν' εἰδωλολατρία καταλυθῇ. « Idcirco stella præiens, et magi sese prosternentes ac munera offerentes, ut scilicet, idololatria dissolveretur. » Idem Arcanorum carmine 5, cum novitatem stellæ notasset:

Τῆμος, ὅτ' ἀστρολόγοισινόμοῦ πέσε μήδεα τεχνης.

Et S. Basilius oratione *in Christi Nativitatem*, de magis: Τάχα δὲ καὶ ἀντικειμένης δυνάμεως τῇ ἐπιφανείᾳ τοῦ Κυρίου ἀτονωτέρας λοιπὸν γενομένης, αἰσθόμενοι καταργουμένας τὰς ἐνεργείας αὐτῆς, με-

[41] Matth. II, 2.

γάλην δύναμιν τῷ τεχθέντι προσεμαρτύρουν. Hæc ille considerans ἀστέρα καινὸν καὶ ἀσυνήθη. Chrysologus sermone 105 : « Si ubi vidit magus humanas periisse curas, suas defecisse artes, » etc. Ac paulo post : « Ergo, fratres, lectione præsenti non est firmatus error magicus, sed solutus. » Nempe, ut observat Origenes lib. I, *contra Celsum* : Magi ἰδόντες θεσημίαν ἐν οὐρανῷ ἐστοχάσαντο τὸν κατὰ τοῦ ἐστρου προφητευόμενον ἄνθρωπον ἐπιδεδημηκέναι τῷ βίῳ, καὶ ὡς πάντων δαιμόνων καὶ τῶν ἐν ἕδει αὐτοῖς φανταζομένων καὶ ἐνεργούντων κρείττονα προλαδόντες προσκυνῆσαι ἠθέλησαν. « Videntes in cœlo prodigium conjectaverunt eum qui cum stella prænuntiatus est hominem in vitam advenisse, potentiorem esse omnibus dæmoniis et spectris familiaribus, decreverunt eum adorare. » Tertullianus, *De idololatria*, cap. 9 : « De Christo, scilicet, est mathesis hodie ; stellam Christi, non Saturni et Martis et cujusque ex eodem ordine mortuorum, observat et prædicat. At enim scientia ista usque ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito, nemo exinde nativitatem alicujus de cœlo interpretetur, » Neque igitur temere neque absurde ea dixit Ignatius, quæ tot viri in Ecclesia clari secuti sunt.

Levia hæc nimis sunt ; et tamen illud quod sequitur, ipso fatente Dallæo, levius est. « Asserit enim, inquit, Christum et edisse et bibisse post resurrectionem. At edisse ex Evangelio constat ; bibisse non constat. » Grave crimen, C. Cæsar. Quasi vero *illud* quod ex Evangelio non constat, si ex Actis apostolorum constet, verum non sit. Μετὰ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς καὶ συνέπιεν, « Post resurrectionem Christus cum discipulis comedit et bibit, » inquit Ignatius. Quid autem S. Petrus Act. x, 41 : Οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ κατὰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ τῶν νεκρῶν. « *Qui comedimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis.* » At, inquit, « Lucas scribit apostolos cum Christo postquam resurrexisset a mortuis, manducavisse et bibisse ; ipsum vero cum eis Christum (quod noster ait) manducavisse et bibisse nusquam dicit. » Imo vero si prius, certe et posterius dixit, συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ, id est Beza interprete, « comedimus et bibimus una cum eo, » non inter nos, sed « una cum eo » In veteri Bezæ codice in Bibliotheca nostra additum est, καὶ συνεστράφημεν, « et conversati sumus. » Erant enim illi testes electi, et familiarius adhibiti, ut Christus a morte excitatus iis fieret conspicuus in humana natura et per eos aliis ; ut hoc fieret, » et comederunt et biberunt una cum eo, » hoc est eo comedente et bibente illi simul comedebant et bibebant, atque ita post mortem, quemadmodum ante mortem, cum eo familiariter conversati sunt. Si autem ideo dicas eos non bibisse cum Christo, quia Lucas in Evangelio non scribit Christum bibisse ; dicas neque eos manducasse cum Christo, quia in Evangelio non scribitur apostolos manducasse ; scribitur enim tantum Christum coram eis edisse. Si id dicere non possis, quia Lucas in Actibus asserit, quod in Evangelio non dixerat ; idem de altero etiam dicendum erit. Eodem certe modo συνέπιον αὐτῷ quo συνέφαγον αὐτῷ, et in eumdem finem ; Christo autem manducante manducabant, eodem igitur bibente bibebant. Neutrum Lucas in Evangelio, utrumque in Actibus affirmat. Ita non tantum Ignatius, sed et Patrum doctissimi, S Lucam in Actibus intellexerunt : Hieronymus libro *Adversus errores Joannis Hierosolymitani* hæc ex Origene, opinor, adducit de Christo : « Comedit post resurrectionem suam, et bibit, et vestitus apparuit, tangendum se præbuit, ut dubitantibus apostolis fidem faceret resurrectionis. » B. Theodoretus dialogo 2 notat S. Petrum hoc clarius docuisse : Ὁ δὲ θειότατος Πέτρος σαφέστερον εἴρηκεν· Οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Ἐπειδὴ γὰρ τῶν κατὰ τὸν παρόντα βίον ἴδιον τὸ ἐσθίειν, ἀναγκαίως ὁ Κύριος τῆς σαρκὸς τὴν ἀνάστασιν διὰ βρώσεως καὶ πόσεως ἔδειξε τοῖς μὴ νομίζουσιν ἀληθῆ. « Et divinissimus Petrus clarius dixit : *Qui comedimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis* [42]. Cum enim eorum qui in præsenti sunt vita, proprium sit comedere, necessario Dominus per cibum et potum carnis resurrectionem de ejus veritate dubitantibus demonstravit, » S. Augustinus epist. 49 : « Sciat sane qui has proposuit quæstiones, Christum post resurrectionem cicatrices, non vulnera, demonstrasse dubitantibus, propter quos etiam cibum ac potum sumere voluit, non semel, sed sæpius, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, et sibi non solide sed imaginaliter apparere.

CAPUT XI.

Docetas nonnullos ab eucharistia abstinuisse par est credere. Simoniani non statim post mortem Simonis evanuerunt. Non apparet Ignatium dixisse Romanos fideles facile ipsum a supplicio eripere potuisse. Neque si dixerit, veracitatem ejus in dubium vocat. Potuit sibi S. Ignatius scribendi secundam epistolam ad Ephesios opportunitatem polliceri. Redemptio a vexatione militum, et facultas liberæ custodiæ, confessoribus ab Ecclesiis procurari solita, fuse describitur. Modestia martyris tum erga Trallianos, tum erga Polycarpum defenditur.

Capite 20 duo argumenta persequitur, et utrumque nostrum Ignatium petit. Primum est, quod tradat hæreticos ab eucharistia abstinuisse. Hoc autem falsum esse putat : nullos quippe ætate Ignatii hoc fecisse. Qua igitur ætate hoc fecerunt ? An ducentis post Ignatium annis, cum impostor Dallæanus has epistolas finxit ? Minime. An ullo alio ante id tempus ævo ? Haudquaquam. Mentitus est igitur scriptor ; quod de Ignatio credi nullo modo, de impostore facile credi potest. Sed quare fictor id fingeret, quod nullam omnino verisimilitudinem

[42] Act. x, 41.

haberet, quod neque ævo Ignatii, nec suo competeret ? Certe si nulli unquam ab eucharistia abstinuissent, ne fictor quidem id dixisset, aut hujus inauditi criminis quemquam accusasset. Nullo modo igitur dubitandum est, quin tales hæretici fuerint. Sed « quinam sunt, » inquit ? Si quærat, quærimus et nos, quinam illi hæretici fuerunt, de quibus loquitur Tertullianus ? » Plures nec ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, sine lare vagantur. » Quando, quæso, illi eucharistiam celebrabant ? quæ illis cura viduarum et orphanorum ? Sed ulterius quærit,quinam illi qui ideo abstinerent ab eucharistia,quod eam negarent Salvatoris esse carnem pro nobis passam ? Respondeo.Docetæ : illi,scilicet quos describit Ignatius,qui veritatem humanæ naturæ in Christo impugnabant, qui passionem ejus,et resurrectionem pernegabant, a quibus cavendum monet Ignatius, et Evangelio adhærendum, « in quo passio nobis ostensa est,et resurrectio perfecta est, » Fatetur Dallæus multos olim fuisse hæreticos, qui hanc fidei Christianæ partem negarent, idque esse compertissimum.Sed quærit rursus : Quis de hæreticis illius temporis scripserit,eos ab eucharistia abstinuisse ? Respondeo, nemo præter Ignatium de istius temporis hæreticis hoc diserte affirmavit.Ejusdem tamen ætatis et anni scriptor, S. Polycarpus, eosdem hæreticos ferit, fundamentum hujus abstinentiæ indicat, et reliqua cum Ignatio perstringit. Hæc enim ille de Docetis : Πᾶς γὰρ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, Ἀντίχριστός ἐστι· καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί. Καὶ ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ Κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. « Quisquis enim non confitetur Jesum Christum in carne venisse,Antichristus est ; et qui non confitetur martyrium crucis,ex diabolo est ; et qui eloquia Domini ad proprios affectus trahit, dicitque neque resurrectionem neque judicium esse, hic primogenitus est Satanæ. » Quibus docet eos qui tunc veritatem humanæ naturæ in Christo negabant, mortem ejus pariter negasse,resurrectionemque et judicium sustulisse. Hos autem docet vanos homines seduxisse ; catholicos monet ut eorum corruptelas vitantes, orationibus invigilent,et jejuniis adhæreant:post quæ notissimum est eucharistiam ea ætate celebrari solitam esse;hortatur etiam ut visitent infirmos,viduas, pupillos, pauperesque nullo modo negligant, qui omnes ex oblationibus et agapis, ubi eucharistia celebrabatur,sustentant solebant.Quare idem subindicat Polycarpus,quod clare locutus est Ignatius.« Sed si verum esset, vel ab Irenæo memoratum,vel ab alio aliquo esset. » Dedimus alium, et quidem maxime idoneum testem S. Polycarpum. Irenæus autem curiosissimus Valentinianæ hæreseos explorator fuit, omniumque quæ ab ea natæ sunt accuratissimus indagator : vetustiorum hæreticorum deliria breviter describit,et disciplinam vix attingit. Antiquiorum distinctæ hæreses jam tum erant superstites. Valentinianorum igitur hæresim Irenæus accurate describens operoseque refutans sæpissime lectores monet,iisdem argumentis vetustiores hæreticos esse refutatos. Mirum igitur non est,si Docetæ aliqui ab eucharistia abstinerent, et tamen illius rei nullam Irenæus fecerit mentionem.

Id tamen docet Irenæus quo hoc ipsum quod volumus indicatur ; ex Menandri schola prodiisse ait, qui asserebant, non esse credendum in eum qui crucifixus est : quorum hoc effatum erat : « Si quis confitetur crucifixum, adhuc hic servus est. » Quomodo igitur illi, qui Christum mortuum non putabant,qui fidem in eum qui crucifixus est repudiabant, ad eucharistiam convenirent, quæ instituta est ad mortis Christi commemorationem ? Περιττὸς γὰρ ὁ τύπος ἀνῃρημένης τῆς ἀληθείας, « supervacaneus enim est typus ablata veritate, » ut loquitur B. Theodorctus. De Simonianis quæ habet adversus Bellarminum nihil valent.Intelliguntur eo nomine non tantum ii,qui Simonem colebant, sed et discipuli, qui ex ejus schola prodeuntes ab eo ceperunt initia, et illius sententiam varie transformabant, et post ejus interitum sub illius nomine pestilentissimum dogma tradiderunt.Quamvis et illi qui Simonem colebant diu post ejus mortem perdurabant. De ætate sua Justinus martyr apologia 2 : Καὶ σχεδὸν πάντες μὲν Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσιν ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες ἐκεῖνου καὶ προσκυνοῦσι. « Ac Samaritani prope omnes, ex aliis etiam nationibus nonnulli, illum quasi primum Deum confitentes adorant quoque. » Et in eadem apologia asserit dæmonas excitasse Σίμωνα καὶ Μένανδρον ἀπὸ Σαμαρείας, οἳ καὶ μαγικὰς δυνάμεις ποιήσαντες πολλοὺς ἐξηπάτησαν καὶ ἔτι ἀπατωμένους ἔχουσι, « qui etiam nunc seductos possident, » non ut interpres, « quos seducant habent. » Unde de seipso ita loquitur in altera apologia : Καὶ τοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ἔθνει ἀσεβοῦς καὶ πλάνου Σιμωνιανοῦ δόγματος κατεφρόνησα. « Ego quoque impium et erroneum in gente mea Simonianum dogma despexi. » Pariter de sui ævi Simonianis Clemens Alexandrinus, *Stromat.* lib. II : Οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Σίμωνα τῷ Ἑστῶτι, ὃν σέβουσιν, ἐξομοιοῦσθαι τρόπον βούλονται. « Simonis autem sectatores Stanti quem colunt volunt assimilari moribus. » Postea Origenes lib. VI, *contra Celsum* : Οὐδαμοῦ τῆς οἰκουμένης οἱ Σιμωνιανοί. « Nullibi gentium Simoniani. » Ipse tamen ejusdem operis lib. I : Νυνὶ δὲ τοὺς πάντας ἐν τῇ οἰκουμένῃ οὐκ ἔστι Σιμωνιανοὺς εὑρεῖν τὸν ἀριθμὸν, οἶμαι, τριάκοντα, καὶ τάχα πλείονας εἶπον τῶν ὄντων. Εἰσὶ δὲ περὶ τὴν Παλαιστίνην σφόδρα ἐλάχιστοι, τῆς τὰ λοιπῆς οἰκουμένης οὐδαμοῦ τὸ ὄνομα αὐτοῦ καθ' ἣν ἠθέλησε δόξαν περὶ ἑαυτοῦ διασκεδάσαι. « Nunc autem in toto orbe opinor vix triginta Simonianos reperiri ; ac fortasse ne tot quidem. Sunt enim in Palæstina pauci admodum, in reliquo vero orbe nusquam nomen ejus est in ea opinione in qua ipse haberi voluit. »

Eusebii ætate exstabant qui ejus hæresim profitebantur ; qui cum Christianos se simulassent, dæmonum tamen cultui se privatim mancipabant, ut ipse testatur lib. II, cap. 13. Fuerunt igitur quamplurimi ætate Ignatii Simoniani, qui nefanda quædam mysteria celebrabant, eucharistiam minime, qui Simonem quidem colebant, sed sub Christi nomine : Πλάνου μὲν ὄντος αὐτοῦ, μορφὴν δὲ ὀνόματος Χριστοῦ ἐνδυσαμένου, « qui tametsi impostor esset, speciem tamen nominis Christi assumpsit, » ut testatur Epiphanius. Quæ cum ita sint, apparet Simonianos sub Claudio minime exstinctos esse, Trajani et Ignatianæ passionis temporibus quamplurimos exstitisse, adeoque de illis posse accipi quæ a scriptore epistolarum de quibusdam sui temporis hæreticis dicta sunt.

De Marcione quæ disserit, qui Christi corpus phantasticum docuit, et tamen eucharistiam celebravit,ad ætatem Ignatii non spectant; neque quid Docetæ eo ævo fecerint, ostendunt. Illi enim de morte Christi multa docuerunt,quæ Marcion nullo modo sustinuit. Et Tertullianus testatur eo ipso loco, qui producitur, Marcionem sacramenta propria habuisse. Ignatius autem de Ecclesiæ sacramento sine dubio intelligendus est, a quo et Marcion abstinuit.Denique cum argumentum ab interpolatore petit (a quo nunquam videtur nisi doctior recedere), qui hæc verba omisisse videatur, quod minus vera putaret ; primo, auctoritatem B. Theodoreti interpolatori opponimus, qui hæc ipsa verba tanquam pura puta Ignatiana et verissima exscripsit,hæreticis sui temporis objecit, neque veritus est ne illa verba auctorem epistolarum alium quam Ignatium episcopum Antiochenum et martyrem proderent. Secundo, interpolator ipse, qui pro sua libidine, quæcunque voluit omittere solitus est, nullo modo ea verba omisisse, quod vera esse non putaret, putandus est, ut ex his quæ eorum loco posita sunt apparet : τὸν σταυρὸν ἐπαισχύνονται, τὸ πάθος χλευάζουσι, τὴν ἀνάστασιν κωμῳδοῦσι. Quis enim eos eucharistiæ sacramento usos fuisse putet, qui « Christi crucem erubescunt, qui passionem ejus derident,qui resurrectionem ludos faciunt,qui infidelem inimicitiam cum invicem habent. » Hæc sane ille posuit,quod idem his verbis doceri putaret quod ab Ignatio dictum de iis est,qui ab agapis, ab eucharistia, ab oblationibus abstinebant, et ab Ecclesia in diaboli castra transvolabant.

Secundum hujus capitis argumentum epistolam ad Romanos spectat, qua scriptum significat in eorum potestate fuisse ipsum supplicio liberare. Fortasse. An igitur inde sequitur Ignatium eam epistolam non scripsisse ? Profecto non capio. « Quod si ita est, inquit, sequitur Romanos gravissime peccasse : eum enim non liberarunt » Imo vero non sequitur. Fieri enim potest ut Romani Christiani illud efficere non potuerint, quod Ignatius putavit eos facere potuisse ; gravissime autem non peccabant, qui illud non fecerunt, quod in ipsorum potestate non videbant.Fieri etiam potest, ut illud potuerint facere, nec tamen faciendum putaverint, rationibus ab ipso Ignatio redditis permoti, aut etiam ablata occasione, et inimicorum furore præventi, cum Ignatius « subductus est cum festinatione in amphitheatrum, » ut in ejus Actis legimus. Fieri denique potest, ut illud efficere non potuerint sine vitæ plurium Christianorum periculo, aut etiam sine peccato.At non peccat qui id boni non facit, quo majus aliquod bonum facere possit, aut quod facere, sine peccato non possit. « Non quæro, inquit, quæ qualisque fuerit illa quæ Romanis a nostro tribuitur potestas. » At omnino quærendum,imo statuendum erat qualis hæc potestas fuerit,priusquam pronuntiaret gravissime eos peccaturos, si illa uti in hac causa nollent ; et utrum talis esset,quæ illis nullo modo subripi posset.

Sed ille hæc toties affirmavit, et tamen falsum est. Quod affirmasse dicitur, falsum esse nondum probatum est, neque probari ullo modo potest ; an toties id dixerit scriptor, jam videndum. Nam primo qui dixit se, « si illi voluerint, et si illi non impedirent, » moriturum, non statim dixit, « mortem ejus, si vellent, nullam futuram. » Diversa hæc plane sunt. Novit S. martyr gentiles omnes Romanos cupidissime imperatoris decretum exsecuturos et ipsius morte delectatos fore. Nisi igitur Romani fideles intercederent, et martyrium ejus aliquo modo impedire conarentur, certissima ei mors ut et exoptatissima pro Christo fuit. Non tamen inde sequitur dixisse eum, nullam fore mortem, si Christiani voluerint, aut impedire conarentur : hoc enim an efficere possent, dubitare etiam ille qui hæc dixerat potuit. Novit infideles et potuisse et voluisse eum interficere ; certo igitur hoc futurum erat, nisi aliquis impediret. Novit se a Deo ad martyrium vocatum esse ; impedire voluisse nemo hominum præter Christianos Romæ constitutos credendus fuit. Si igitur illi idem quod illi vellent,aut non impedirent, certissima martyri mors fuit, sive illi revera impedire potuissent, sive non. Multi enim Christiani confessores a morte liberare conati sunt, qui id efficere non potuerunt. De Peregrino Lucianus : Ἐπεὶ δὲ οὖν ἐδέδετο, οἱ Χριστιανοὶ συμφορὰν ποιούμενοι τὸ πρᾶγμα πάντα ἐκίνουν ἐξαρπάσαι πειρώμενοι αὐτόν· εἴτ' ἐπεὶ τοῦτο ἦν ἀδύνατον, ἥ γε ἄλλη θεραπεία πᾶσα οὐ παρέργως, ἀλλὰ σὺν σπουδῇ ἐγίνετο. « Postquam vinctus est, Christiani suam infelicitatem putantes, omnia movebant illum eripere conati.Mox ubi hoc impossibile fuit, alia omnis cura non perfunctorie, sed sedulo adhibita est. »

Duo igitur loca quæ produxit vir doctissimus,non id efficiunt quod ille voluit ; sed tertius illi videbatur asserere, id ipsis facile fuisse. « Vobis enim, inquit, facile est id quod vultis facere : » facillimum igitur existimavit epistolæ scriptor Romanis fidelibus fuisse,Ignatium a sententia imperatoris et morte liberare. At in illis verbis de morte nihil

dictum est, neque ea recte intelligi sine sequentibus possunt ; quæ, si sana sint, ut apud Metaphrasten exstant (in codice enim Laurentiano ea, quod dolendum est, non habentur) ostendere videntur auctorem epistolæ putasse Romanos fideles potuisse eum a supplicio liberare : et quare id existimare non potuerit Ignatius, nullam satis gravem causam video. Aliquot enim Romæ magnæ auctoritatis viros, et in ipsa etiam aula nonnullos tunc Christianissimum vel aperte professos, vel secreto amplexos fuisse dubitandum non est ; qui, cum ab Urbe imperator abesset, illud certe non ægre obtinere potuisse putandi sunt, ut si non remitteretur, saltem differretur sententiæ ab imperatore jam absente latæ exsecutio. Sed cum in verbis ipsis reperiatur aliqua discrepantia, non erit aut mihi molestum, aut cuiquam, uti spero, ingratum, si sententiam nostram de lectione jampridem dubia interponam. Verba sic se habent. Ὑμῖν γὰρ εὐχερές ἐστιν δ θέλετε ποιῆσαι· ἐμοὶ δὲ δύσκολόν ἐστι τοῦ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν, ἐὰν ὑμεῖς φείσησθέ μου. Ita Metaphrastes. Codex Augustanus, μὴ φείσησθέ μου, et vetus interpres « non parcitis mihi. » Hic particula negativa in Metaphraste, codice Nydprucciano, et Vulgato interprete deest : in codice Augustano, et vetere interprete agnoscitur. Si igitur judicium de lectione ferre liceat, puto particulam negativam admitti debere, sed non eo quo ponitur loco, verum ante verbum ἐπιτυχεῖν, ut legatur, ἐμοὶ δὲ δύσκολόν ἐστι τοῦ Θεοῦ μὴ ἐπιτυχεῖν, vel, quod idem est, ἀποτυχεῖν. Quod si cui placeat, verborum sensus hic erit : « Mihi autem durum et molestum est Deo non potiri. » Ita δύσκολον interpretor, non ut sit arduum et difficile, sed molestum et grave, ἀηδές, sive « minime placens : » unde δυσκολαίνειν, « moleste ferre, non bene concoquere ; » quæ significatio ipsi etymo maxime congruit. Hesychius : Δυσκολαίνει, δυσφορεῖ, quod est « ægre vel gravate fert : » unde eidem Hesychio δύσλοφον, est δύσκολον « difficulter ferendum. » Unde poeta vetus :

Ὡς δύσκολον τὸ γῆρας ἀνθρώποις ἔφυ.

Senectus enim, ut ait, « onus Ætna gravius. » Jam si hoc sensu accipiatur δύσκολον, contraria accipiendum erit εὐχερές, ut apud Hesychium εὐχερής, εὔκολος, et εὐπερίστατον, εὔκολον, ut idem sit quod ἀδρές, « leve et placidum, » ut sit horum verborum sensus, « Vobis quidem id quod cupitis efficere placidum et promptum ; mihi autem Deo non potiri durum, grave et molestum foret. »

Non igitur apparet auctorem epistolæ dixisse Romanos fideles facile potuisse Ignatium a morte liberare, aut eam nullam, si illi vellent, fore. Neque verisimile est scriptorem id voluisse, quod eos ad martyrem liberandum invitare et excitare videatur, cum hoc omnibus quæ in ea epistola adeo premit et persequitur, contrarium sit. Aut si eam potestatem scriptor innuerit, nunquam constabit hanc Christianis Romæ constitutis adeo non competiisse, ut S. Ignatius eam animo concipere et veram esse A suspicari non posset, et ex tali suppositione aut suspicione, ne ea potestate in ipso liberando, et martyrio quod summopere ambiebat, et ad quod Dei voluntas adeo aperte vocabat, impediendo uterentur, libere monere. Quare ut Deo maxime placere studeant eos hortatur ; et a Deo esse ut ipse pro nomine Christi jam martyrium subiret, iis planum facit. « Qui vivit, inquit, et loquitur in me, intus mihi dicit : Vade ad Patrem. » Neque dubitare se ostendit quin Christus iis etiam hanc Dei voluntatem patefacere voluerit ; quos interim certiores facit, hæc se non secundum carnem, sed mentem Dei scripsisse. Nihil igitur in epistola ad Romanos de eorum potestate dictum est, quod a S. Ignatio scribi non potuit.

B Capite 23 interpolationibus, aut spuriis perstrictis, unicum argumentum adversus auctorem ipsum cuditur ; quod ab ea re petitur, quam non a gravitate martyris abhorrere fatetur, sed a judicio et sapientia, neque ab illis quidem multum, sed nonnihil. Hæc autem judicii et sapientiæ defectus ex prudentia interpolatoris detegitur perspiciturque. Ita, scilicet, Dallæo auctor epistolæ ineptus, imprudens sciolus, in quo nihil tale reperire potuerunt antiquissimi Patres ; interpolator autem acutus, prudens, et, quod mirum est, etiam fortis, cujus ineptias omnes vident. Sed quid tandem illud est, quod adeo a judicio et sapientia S. martyris abhorret ? Illud nempe quod polliceatur se secundum libellum ad Ephesios missurum. Hoc prudentiæ, hoc sapientiæ S. Ignatii officit. Nam in assi-
C dua meditatione mortis, et inter leopardorum vexationes hoc polliceri, stultum esset.

Priusquam hæc censura admittatur, videamus quid promittit, et quomodo. Quod promittit est δεύτερον βιβλίδιον, « secundus libellus, » sive epistola, βιβλίδιον, quidem quodvis scriptulum Græcis, ut ex Plutarcho constat, apud quem in *Vita Cimonis* describuntur Chii : Τοξεύοντες ὑπὲρ τὰ τείχη βιβλίδια προσκείμενα τοῖς ὀιστοῖς, « libellulos sagittis annexos super muros mittentes. » Vocat autem hanc epistolam quam tunc scripsit, libellum primum, quod esset cæteris quas scripsit paulo prolixior (ut Hieronymus Augustino, epist. 89 : « Tres simul epistolas, imo libellos, per diaconum Cyprianum tuæ dignationis accepi ; » et epist. 2 : « Libellum
D hunc libello ejus copulato, » de duabus primis epistolis), promittit se secundum etiam missurum. Quomodo autem promittit ? non absolute, sed sub conditione non una. Primo, si Deus voluerit, ἐὰν θέλημα ᾖ, secundo, si intelligat Ephesios ita se habere, ut ad ipsos ea quæ meditatus erat, par esset scribere. Non hæc temeritatem aut insipientiam, sed pietatem et prudentiam sapiunt, si et materiam, et modum pollicitationis consideres. Sed conditio, inquies, et affectio martyris impediunt quo minus etiam sub illis conditionibus promittat : « assidua scilicet meditatio mortis, et leopardorum vexationes. » Imo vero nullo modo. Erat enim in illo

sancto martyre cum zelo Dei et cura ecclesiarum conjuncta mortis meditatio ; neque aliorum minus quam suam salutem spectabat. Eadem itaque causa quæ ut primam epistolam ad Ephesius mitteret, ut secundam insuper, promitteret, si opus esset, sanctum virum permovebat. Sed inter leopardorum vexationes hoc sapienter promittere non potuit. Quidni ? an qui unam jam scripserat epistolam in manibus militum, quos leopardos vocat, alteram scribere non potuit ?

Ut hæc objectio plene et perspicue solvatur, satis erit observare, vexationes militum, quorum custodiæ confessores tradebantur, a Christianis redimi solitas esse. Et quidem in hunc finem, quo laxius custodirentur, et liberiore fruerentur carcere, a fidelibus opes erogabantur, tum ut confessores ipsos alerent, tum ut custodum iniquitatem largitionibus mitigarent. Antiquissimus locupletissimusque harum rerum testis est inter ethnicos Lucianus in epistola de morte Peregrini. Postquam enim ille in carcerem conjectus est, statim viduæ et orphani ad fores carceris convolabant, οἱ δ' ἐν τέλει αὐτῶν καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ' αὐτοῦ διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας· εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο. « Magistratus autem eorum (puta sacris ordinibus initiati, qui ἄρχοντες tum dicebantur) etiam intus cum eo condormiebant custodibus corruptis : dein cœnæ variæ introducebantur, et sacri eorum sermones dicebantur. » Ecce vetutissimum Ecclesiæ morem hic habemus ab ethnico descriptum ; ubi in carcere agapæ celebrabantur, viduæ et orphani alebantur, ritus Christiani a custodibus redempti sunt. Καὶ μὴν καὶ τῶν ἐν Ἀσίᾳ πόλεων ἔστιν ὧν ἦκόν τινες, τῶν Χριστιανῶν στελλόντων ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, βοηθήσοντες καὶ ξυναγορεύσοντες καὶ παραμυθησομενοι τὸν ἄνδρα. « Aliqui etiam ex quibusdam Asiæ civitatibus venerunt, e communi mittentibus Christianis, qui vero opem ferrent ipsumque defenderent et consolarentur. » Et hoc etiam docet factum esse ex more Ecclesiæ Christianæ. Ἀμήχανον δέ τι τὸ τάχος ἐπιδείκνυνται ἐπειδάν τι τοιοῦτον γένηται δημόσιον, ἐν βραχεῖ γὰρ ἀχρειοῦσι πάντων. « Incredibilem autem quamdam celeritatem ostendunt, si quid tale publicum contingat. Illico enim nulli rei parcunt. » Καὶ δὴ καὶ τῷ Περεγρίνῳ πολλὰ τότε ἦκε χρήματα παρ' αὐτῶν ἐπὶ προφάσει τῶν δεσμῶν, καὶ πρόσοδον οὐ μικρὰν ταύτην ἐποιήσατο. « Proinde Peregrino tunc multæ pecuniæ mittebantur, et non exiguum proventum hunc lucrifecit. » Insignis admodum hic locus Luciani est, charitatem, curam studiumque Christianorum veterum erga confessores graphice depingens, in re notissima, quæ sub finem imperii Adriani, in prima hujus philosophi peregrinatione contigit. Sed Christianos ipsos de re eadem disserentes audiamus. Tertullianus jam adultior Montanista factus lib. *De jejuniis catholicorum* charitatem ipso Luciano acerbius et invidiosius sugillat : « Plane vestrum est in carceribus popinas exhibere martyribus incertis, ne consuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur, quam nec ille Pristinus, vester non Christianus martyr, attigerat : quem et facultate custodiæ liberæ aliquandiu fartum, omnibus balneis, quasi baptismate melioribus, et omnibus luxuriæ, secessibus, quasi Ecclesiæ secretioribus, et omnibus vitæ istius illecebris, quasi æternæ dignioribus, hoc puto obligatum ne mori vellet. » Idem tamen Tertullianus *Ad martyres* cap. 1, de eadem Ecclesiæ consuetudine sedatius loquitur : « Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quæ vobis et domina mater Ecctesia, et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis quod faciat ad spiritum quoque educandum. » Et cap. 2 : « Ipsam interim conversationem sæculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit : imo et quæ justa sunt, caro non amittit, per curam Ecclesiæ, agapen fratrum. » Hæ Ecclesiæ et fidelium opes diaconis concredebantur, qui confessores et consilio juvarent, et victu sustentarent, et a custodum iniquitate dato pretio redimerent. Tertulliani ævo S. Perpetua in passione sua : « Ibi tunc Tertius et Pomponius benedicti diaconi, qui nobis ministrabant, constituerunt præmio ut paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremus. » De vetustissima hac consuetudine S. Cyprianus epistola 11 : « Et credideram quidem presbyteros et diaconos qui illic præsentes sunt, monere vos et intruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. » Idem, epistola 5 : « Quantum ad sumptus suggerendos sive illis qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti, sive iis qui pauperes et indigentes laborant et tamen in Domino perseverant : peto nihil desit, cum summa omnis quæ redacta est, illic sit apud clericos distributa propter ejusmodi casus. » S. Dionysius episcopus Alexandrinus, apud Eusebium, lib. VII. cap. 11, de Eusebio diacono : Εὐσέβιος, ὃν ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς ἐνεδυνάμωσε, καὶ παρεσκεύασε τὰς ὑπηρεσίας τῶν ἐν ταῖς φυλακαῖς γενομένων ἐναγωνίως ἀποπληροῦν. « Eusebius, quem Deus jam inde ab initio roboravit, impulitque ut confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet. » Auctor *Constitutionum apostolicarum*, lib. V, caq. 1, de confessore : Μὴ παρίδητε αὐτὸν, ἀλλ' ἐκ τοῦ κόπου καὶ τοῦ ἱδρῶτος ὑμῶν πέμψατε αὐτῷ εἰς διατροφὴν αὐτοῦ καὶ εἰς μισθοδοσίαν τῶν στρατιωτῶν, ἵνα ἐλαφρυνθῇ καὶ ἐπιμελείας τύχῃ, ἵν' ὅσον τὸ ἐφ' ὑμῖν μὴ θλίβηται ὁ μακάριος ἀδελφὸς ὑμῶν.» Ne eum negligatis : quin potius mittite ei ex labore et sudore vestro ad victum, et ad mercedem militibus solvendam, ut allevietur et curetur ; ut quantum in vobis est, beatus frater vester non prematur. » Victor Vitensis de

Carthaginensibus in persecutione Africana : « Sed populus memoratæ urbis in Domino semper fidelis, dato munere carcerariis, die ac nocte Christi martyres frequentabat. »

Hæc cum fuerit vetustissima Ecclesiæ consuetudo, idem etiam in Ignatii vinculis factum constat. Nam S. Chrysostomus in Panegyri hæc observat : Αἱ γὰρ κατὰ τὴν ὁδὸν πόλεις συντρέχουσαι πάντοθεν ἥλειφον τὸν ἀθλητὴν, καὶ κατὰ πολλῶν ἐξέπεμπον τῶν ἐφοδίων, εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις αὐτῷ συναγωνιζόμεναι. « Civitates enim in itinere concurrentes athletam animabant, et cum copioso viatico dimittebant, orationibus et comitatu illi concertantes. » Semper enim agnoscit eam quam habuit ab ecclesiis ἀνάπαυσιν, idque fere per diaconos : ut ad Smyrnæos : Κατὰ πάντα με ἀνεπαύσατε, et de Burrho : Κατὰ πάντα με ἀνέπαυσε· ad Ephesios de Croco : Κατὰ πάντα με ἀνέπαυσεν, ὡς καὶ αὐτὸν ὁ Πατὴρ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀναψύξει. Hæc autem ἀνάπαυσις, sive ἀνάψυξις, fuit illa refrigeratio de qua veteres loquuntur. Omnibus igitur modis diaconi aliique ab ecclesiis missi Ignatio in itinere ministrabant ; adeoque eum a vexationibus militum, quantum in ipsis erat, præmiis redimebant. Hinc autem recte intelligitur quod de militibus, quos leopardos vocat, scribit, οἵ καὶ εὐεργετούμενοι χείρους γίνονται, « qui et beneficiis affecti pejores fiunt ; » scilicet, quo plus pecuniæ a fidelibus acciperent pro relaxatione vexationis, eo acrius ex intervallo S. martyrem vexabant, quo majorem pecuniæ vim extorquerent, et Christianos copiosius emungerent. Quare cum toties Ignatio contingeret refrigeratio, et ab iniquitate militum redemptio, et, ut loquitur Tertullianus, « facultas liberæ custodiæ, » facile potuit illas quas habemus epistolas exarare, quarum aliquæ non multum longiore quam unius horæ spatio scribi potuerunt ; neque ex iis ulla tam prolixa est, ut plures quam tres horas postulet. Certe « quamvis longæ epistolæ una nox sufficit, » inquit Hieronymus ad Chromatium. Cur igitur, qui ad Ephesios hanc epistolam scripsit, non et aliam, si opus esset, ascribendi occasionem opportunitatemque polliceri sibi posset, causam nullam video. Unde tota illa imprudentia et insipientia in alio libello promittendo prorsus evanescit. Hæc eo lubentius hoc loco commemoravi, et fusius prosecutus sum, ut simul Blondelli quæstioni responderem. « Quo palpo belluinam leopardorum rabiem sedare dotum est, ut vinctum suum non modo pii unius aut alterius solatiis frui, sed idem vicinas undique ecclesias, nullo incendii Christianos orbe toto depascentis metu aggregari sinerent ? » Hæc enim eadem opera difflantur. Qui enim nostra legerit, et palpum siatim videbit, et tot Christianorum concursum factum esse non mirabitur.

Capite 24 ea congerit, quæ in epistolis occurrunt non satis cum martyris modestia consentanea : quæ tamen fatetur esse minus elata quam ea quæ superius audivimus. Hæc autem in quatuor argumenta dividit ; quorum duo interpolationes aut spuria spectant, duo in nostrum Ignatianum diriguntur. Prima modestiæ violatio est, quod « supercœlestium scientiam sibi vindicat. » Quasi vero Christiano viro, et quidem episcopo, et ab apostolis edocto nulla supercœlestium scientia competeret. An τὰ ἐπουράνια toties ab Apostolo memorantur, ut de illis nihil scire, nihil scribere possent Christiani ? Mira hæc mihi videntur, et tamen ob hanc unam sententiam « a modestia hic scriptor duplici nomine discedit. » Primo, « sibi ea tribuit quæ nemini homini mortali concessa sunt. » Nego, pernego. Dicit se πολλὰ φρονεῖν ἐν Θεῷ, « multa sapere in Deo. » An hoc nulli mortalium concessum est ? an potius ab omnibus Christianis requisitum non est ? Ad sapientiam in Deo et quidem multam omnes vocantur, ille præsertim, quem S. Chrysostomus ἀντίῤῥοπον Πέτρου διδάσκαλον appellare non veretur. Dicit se ea scribere posse, quæ Trallenses non caperent. An hoc nulli mortalium concessum est ? Nondum tanta nobis tunc temporis Trallensium scientia fuisse apparet. Cum ad Smyrnæos supercœlestium, et visibilium invisibiliumque mentionem fecisset, statim addit : « Qui capit, capiat. » Postremo, hæc ἐπουράνια clarius definit, dum se τὰς τοποθεσίας τὰς ἀγγελικὰς, καὶ τὰς συστάσεις τὰς ἀρχοντικὰς intelligere posse dicit. Nec tamen « patet hæc hujusmodi esse, quæ nulli mortales sciant. » Non forte non recte intelligimus quid epistolæ scriptor per ista verba voluerit, at eum illa non intellexisse quæ his verbis significare voluit, nemo certe mortalium novit. Per τοποθεσίας Dallæus significari putat, « loca in quibus vel singuli angeli, vel angelorum ordines a Deo in hoc universo positi sunt. » Sed de hac interpretatione dubitari non immerito potest. Quamvis enim eam vocem velut elegantem Cicero usurpaverit ; apud Græcos tamen, ut opinor, raro exstat ; et apud Ciceronem ea significatione sumitur, quæ angelis non competit. Τόπος in hoc ipso scriptore pro officio et dignitate sumitur, ut ad Smyrnæos, τόπος μηδένα φυσιούτω. Vetus interpres : « Qualitate nullus inflatur, » ut recte legendum monuit Isaacus Vossius ; nam Usserius non recte « qualiter » ex ms. transcripsit. Interpolator : Τόπος καὶ ἀξίωμα καὶ πλοῦτος μηδένα φυσιούτω. Ad Polycarpum : Ἐκδίκει σου τὸν τόπον, « vindica locum tuum, » hoc est officium et dignitatem quam ut episcopus obtines. Quem locum sine dubio Grigenes in animo habuit, cum in *Commentariis ad Matthæum* scripsit : Ἐπεὶ δὲ τὸν τόπον τῆς ἐπισκοπῆς ἐκδικοῦντες χρῶνται τῷ ῥητῷ. Et τοποθεσία eo sensu sumpta ad angelorum ordinea rectius fortasse applicari potest ; varia autem eorum officia dignitatesque vetustissimi Christiani agnoscebant. Συστάσεις ἀρχοντικάς : reddit rursum Dallæus « principatuum quaseam stationes atque acies, » cum σύστασις neque stationem neque aciem significet. De his fusius aliquando fortasse agemus. Interim fateor, de angelorum natura, of-

ficiis, dignitatibus ordinibusque diversis scire se aliqua scriptorem epistolæ affirmare quæ Trallenses capere non potuisse putavit ; et hoc potius ad locum S. Pauli ab Usserio indicatum spectat quam ad illum a Dallæo, ubi non de scientia, se de religioso cultu angelorum agitur. Quare hoc sentio S. Ignatio probe convenire, et ab eo non immodeste, sed vere dictum esse, et ad ea quæ sequuntur recte accommodari posse. Irenæus charismata in primitiva Ecclesia commemorans meminit τῶν τὰ μυστήρια τοῦ Θεοῦ ἐκδιηγουμένων, « eorum qui arcana Dei mysteria exponebant. » Ut Ignatius ad Polycarpum : Τὰ δὲ ἀόρατα αἴτει ἵνα σοι φανερωθῇ, ὅπως μηδενὸς λείπῃ, καὶ παντὸς χαρίσματος περισσεύῃς. « Invisibilia autem petas ut tibi manifestentur, ut nullo deficias, et omni charismate abundes. » S. Chrysostomus asserit S. Ignatium arcana quædam ab apostolis accepisse : Συνεγένετο τοῖς ἀποστόλοις γνησίως, καὶ πνευματικῶν ναμάτων ἀπέλαυσεν· ὁποῖον οὖν εἶναι εἰκὸς τὸν συντραφέντα, καὶ πανταχοῦ συγγενόμενον, καὶ ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων αὐτοῖς κοινωνήσαντα ; « Cum apostolis genuine conversatus aquis spiritualibus rigatus est. Qualem idcirco eum fuisse par est, qui cum illis nutritus, et ubique conversatus, et de dicendis et de arcanis participavit ? » Ubi de arcanis autem loquitur non dubito quin hunc locum, et huic similes in epistolis respexerit. Præterea in Excerptis Clementis ἐκ τῆς ἀνατολικῆς διδασκαλίας, « ex orientali doctrina, » quæ sane S. Ignatio incognita esse non potuit, nonnulla de angelorum variis officiis et dignitatibus referuntur. Neque vero quod ea dixerit Trallianos strangulatura, adeo hæc sublimia esse indicat. Hoc enim ad eos tanquam infantes dictum est, qui solido cibo facile strangulantur ; quod tralatitium est. Ut Tertullianus epist. 64, de Origenianis loquitur : « Ex quo volunt intelligi, nos qui necdum initiati sumus, debere audire mendacium, ne parvuli atque lactentes solidioris cibi edulio suffocemur, » hoc est στραγγαλωθώμεθα. Et Dallæus ipse capite 29, dum hæc Ignatii verba recitat, observat « in ipsis aperte expressa Paulini sensus vestigia. »

Sed hoc plane, inquit, « intempestivum » erat. Imo vero et huic loco et tempori maxime congruit. Quod ut non videret Dallæus, fœda, ut opinor, sententiæ præcedentis corruptela, cui tam infeliciter medelam adhibere conatus est Salmasius, in causa fuit. Ista duo vocabula ἑαυτὸν πότερον, ab illo toties vexata et pejora facta, facillime in unum ex interpolatore compinguntur, ut minima mutatione συντονώτερον legatur. Qua voce restituta, reliqua minimo negotio sanantur. Sic igitur lego : Ἀγαπῶν ὑμᾶς φείδομαι· συντονώτερον δυνάμενος γράφειν περὶ τούτου εἰς τοῦτο ᾠήθην ἵνα ὢν κατάκριτος ὡς ἀπόστολος ὑμῖν διατάσσωμαι. Significat se in animo habuisse aliquid ad eos pro episcopo suo Polybio scribere, quem majorem etiam apud ethnicos reverentiam obtinere, quam apud ipsos, indicat ; acrius igitur aliquid meditatus erat, ut quoniam jam condemnatus esset, apostolica quadam auctoritate uteretur. Sed ex amore erga ipsos, et ex suæ conditionis sensu eis parcit. Πολλὰ φρονῶ, inquit, ἐν Θεῷ, « multa sapio in Deo, » quamplurima ab apostolis ipsis accepi, quæ vos latent ; possem ex eorum auctoritate vobis præcipere, ἀλλ' ἐμαυτὸν μετρῶ, « sed meipsum mensuro. » Hæc duo paulo fusius persequitur ; dein eos hortatur, non suo nomine, sed per amorem Christi, ut ab hæreticis caveant. Quorum si priora haud vulgarem in mysteriis Christianæ religionis scientiam indicant, posteriora certe singularis modestiæ specimen exhibent. Objectio autem illa, quæ hæc « satis invidiose » dicta pronuntiat, adeo scriptorem non ferit, ut seipsam jugulet. « Cum profitetur, inquit, ista, quorum sibi scientiam arrogat, adeo esse excelsa, adeo supra mortalium etiam fidelium captum sublimia, ut ea Trallianis suis capi posse desperet. Cujus rationem affert non admodum officiosam, hanc scilicet, quod isti sint νήπιοι, » parvuli, pueri, infantes. Non video quomodo magnam sibi scientiam arrogat, qui se supra pueros sapere dicit. Non intelligo quomodo quis illa adeo excelsa esse, et supra omnium mortalium captum sublimia asserat, quæ tantum ab infantibus capi non posse existimat. Non capio quare pueri « Deo digni » dici non possint, aut « mentem inculpatam et inseparabilem in patientia » non habeant.

Sed nec satis modestus censoribus nuperis scriptor videtur, dum Polycarpo, « tanquam tyroni magister » scribit, αἰτοῦ σύνεσιν πλείονα ἧς ἔχεις, « pete prudentiam ampliorem ea quam habes. » O præclarum immodestiæ specimen ! Monet eum ut juniorem senior, ut charum amicus, ut episcopum confessor, et hortatur ad incrementa spiritualium donorum acquirenda, et a Deo omnis boni fonte petenda. Monitum plane hoc non immodestum, sed pium imprimis et fidele ; quodque veteres qui loca communia tractarunt, sibi diligenter exscribendum putabant. Neque vero levis suspicio, hæc fuisse signanter dicta, et aliquid hic innui, quod valde notatu dignum est. Nam et in Inscriptione Polycarpi scribit : Ἐπισκόπῳ Ἐκκλησίας Σμυρναίων, μᾶλλον ἐπεσκοπημένῳ ὑπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. « Episcopo Smyrnæorum, magis autem visitato a Deo Patre et Domino Jesu Christo. » Innuere autem videtur locum Apocalypseos [43], quo scribitur ad angelum Smyrnæorum Ecclesiæ : « Novi opera tua. » Quæ si observatio recta sit, non dubitandum erit, quin illi septem angeli ecclesiarum totidem fuerint proprie dicti episcopi.

CAPUT XII.

Argumenta a dictione petita refelluntur. Vera vocis θεοφόρου *notio apud antiquos. Ea vox S. Ignatio dum in vivis esset, tributa est. Sermones Ignatii cum Trajano habiti explicantur. Martyres a paganis,* κακοδαίμονες, miseri seu infelices *nominati. Fabula de S. Ignatio puero in ulnis Christi acce-*

[43] Cap. II, v. 19.

pto hoc titulo longe posterior. Alia traditio, illi fabulæ coæva, veteribus incognita. Fabulæ ipsius Anastasius et Metaphrastes primi meminerunt. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani ætate fabulæ natæ videntur. Noster Ignatius presbyteros ἱερέας *non appellat.*

Atque hæc quidem hactenus de rebus ipsis,quæ epistolas, quas defendimus, S. Ignatio episcopo et martyri aliena manu minime subditas fuisse persuadent. Quæ sequuntur « orationem, et verba ex quibus oratio contexta est, » spectant.De oratione in genere disputat, sed nihil aliud asserit, quam, epistolas duodecim « non esse unius ejusdem auctoris, » quod ei libentissime concedimus.Cum autem omnium epistolarum ingenium et ideam critice repræsentat, antiquissimas illas, Eusebio visas,maxime exagitat ; earum stylum miris modis infamat a c deturpat,illius sententiæ S.Hieronymi minime memor : « Scio inter Christianos verborum vitia non solere reprehendi. »

Prima dictionis labes quam observat est cognomentum Θεοφόρου Ignatii nomini semper adjectum. At certe si vox Θεοφόρος cognomentum sit, stylum vel dictionem minime lædit ; neque quisquam eo rudius aut incultius scribere dici potest, quod se vel uno vel pluribus nominibus probat. Sed « hoc Ignatii nomen *Theophorus* et apud vetustissimos omnes est inauditum,et plane fabulosum, et ex fabula ortum.Ergo epistolas alterius alicujus diu post Ignatium fuisse necesse est. » Hoc igitur argumentum suo loco dimotum est,et ad ea pertinet, quæ temporum fidem pulsare videantur. Sed salva res est ; et magis certa hujus cognominis antiquitas quam ut recentis fabulæ prætextu rejiciatur,magis explorata vocabuli notio in veterum scriptis,quam ut posteriorum ineptiis eludatur.

Θεοφόρος vox est antiquis Ecclesiæ scriptoribus maxime familiaris ; ut huic ipsi scriptori Ephesii Θεοφόροι, et ναοφόροι dicuntur. Ita Clemens Alexandrinus in Excerptis asserit,Θεοφόρον γίνεσθαι τὸν ἄνθρωπον προσεχῶς ἐνεργούμενον ὑπὸ τοῦ Κυρίου, καὶ καθάπερ σῶμα αὐτοῦ γινόμενον. Et *Stromat.*, lib. VII : Ἢ οὐκ οἴδατε, φησὶν ὁ Ἀπόστολος, ὅτι ναὸς ἐστε τοῦ Θεοῦ ; Θεῖος ἄρα ὁ γνωστικὸς καὶ ἤδη ἅγιος Θεοφορῶν καὶ Θεοφορούμενος. Idem enim est templum Dei esse, et Θεοφόρον esse, vel Θεοφορεῖν. Sanctus Dionysius, *Cœlestis hierarchiæ* cap. 7, docet nomen throni inter ordines angelicos denotare τὸ Θεοφόρον. S.Basilius *De Spiritu S.*, cap. 5 : Ἐκ τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος ἡ Θεοφόρος σὰρξ συνεπάγη, et homilia *in Nativitatem* : Ἔδει τὸ Πνεῦμα καὶ τὴν δύναμιν τοῦ Ὑψίστου τὴν Θεοφόρον ἐκείνην συστήσασθαι σάρκα. Ac rursus homilia in psalmum LIX : Ὑπόδημα δὲ τῆς Θεότητος ἡ Θεοφόρος σὰρξ, δι' ἧς ἐπάβη τοῖς ἀνθρώποις. Gregorius Nazianzenus epistola *ad Cledonium* 2, de Apollinaristis : Τὸ δεῖν προσκυνεῖν μὴ ἄνθρωπον Θεοφόρον, ἀλλὰ Θεὸν σαρκοφόρον· et : Μὴ σάρκα Θεοφόρον, ἀλλὰ Θεὸν ἀνθρωποφόρον. Oratione tertia : Βούλεται γὰρ ἡμῖν ὁ λογος μὴ ἐξεῖναι διαπιστεῖν τοῖς ὑπὸ τῶν Θεοφόρων ἀνδρῶν εἰρημένοις. Oratione 37 : Ὡς τις τῶν μικρῷ πρόσθεν Θεοφόρῳ ἐφιλοσόφησεν. Palladius in Præfatione Lausiacæ historiæ : Παρὰ Θεοφόρων ἀθλητῶν τοῦ Χριστοῦ τὴν οὐράνιον τούτων ζωὴν ἐκμεμάθηκα. Quintus S. Cyrilli anathematismus ab Anastasio versus : « Si quis audet dicere Christum hominem ἄνθρωπον Θεοφόρον, id est hominem Deo utentem se asportantem [*lege* sive portantem], et non Deum esse veraciter dixerit, anathema sit. » Et tamen B. Theodoretus, τὸν Θεοφόρον δὲ ἄνθρωπον ὡς πολλοῖς τῶο ἁγίων Πατέρων εἰρημένον οὐ παραιτούμεθα· « Deiferum hominem,sicut a multis sanctis Patribus dictus est,non rejicimus. » Cyrillus autem : Φαμὲν γὰρ ἡμεῖς τὸ μὴ χρῆναι πρός τινος Θεοφόρον ἄνθρωπον ὀνομάζεσθαι τὸν Χριστὸν, ἵν μὴ καθ' ἕνα τῶν ἁγίων νοοῖτο.« Dicimus enim nos non debere ab aliquo Deiferum hominem nominari Christum, ut ne sicut unus sanctorum intelligatur. » Eulogius apud Photium de S. Cyrillo : Ὁ δ' αὐτὸς Θεοφόρος ἀνὴρ κὰν τῷ δευτέρῳ ἀναθεματισμῷ ξτὰ αὐτα βοᾷ. Photius, epistola prima de quinta synodo : Πέντε δὲ καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν Θεοφόρων πατέρων παρουσίᾳ καὶ συνδρομῇ ἐκρατύνετο. De sexta : Ἑβδομήκοντα δὲ καὶ ἑκατὸν Θεοφόροις ἀνδράσι τὸν ἀγῶνα ὑποδυομένη. De septima : Τῶν μακαρίων ἐκείνων καὶ ἱερῶν ἀνδρῶν ἡ Θεοφόρος καὶ ἁγία πανήγυρις. Frequentissimus igitur hujus vocabuli in veterum scriptis usus reperitur, cujus explicatio in Scholiis Maximi ad locum Dionysii citatum fusius traditur : Σημείωσαι ὅτι καὶ τὸ νῶν ἁγίων θρόνων τάγμα Θεοφόρον εἶπεν, ὡς φέρον ἀναπαυόμενον νοητῶς τὸν Θεόν. Ὅρα οὖν ἐπειδὴ καὶ ὁ μακάριος Βασίλειος ὁ Καππαδόκης τὴν Θεοφόρον εἶπε σάρκα, σκοπητέον πῶς εἴρηται. Ἀλλ' ἡ μὲν σὰρξ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου κατ' οὐσίαν καὶ καθ' ὑπόστασιν ἥνωται αὐτῷ τῷ Θεῷ Λόγῳ' διὸ καὶ σαρκοφορεῖν αὐτὸς λέγεται παρὰ τῶν Πατέρων, καὶ σάρκα ἐνδύσασθαι. Τί ἄτοπον οὖν εἰ καὶ ἡ σὰρξ αὐτοῦ λέγεται Θεοφόρος, ὡς φέρουσα τὸν Θεὸν Λόγον καθ' ἕνωσιν ἀδιάστατον, αὐτοῦ σάρξ καὶ λεγομένη καὶ ὑπάρχουσα κυρίως καὶ κατὰ ἀλήθειαν. Οὗτοι δὲ κατὰ χάριν ἐχοντες ἐν ἑαυτοῖς τὸν Θεὸν ἀρρήτῳ τε λόγῳ καὶ ἀνεννοήτῳ διανοίᾳ Θεοφόροι καὶ αὐτοὶ διὰ τοῦτο λέγονται. « Observa eum sanctorum thronorum ordinem Θεοφόρον nominare, veluti *ferentem* intellectualiter residentem *Deum*. Quare cum etiam B. Basilius Cappadox Θεοφόρον carnem dixil,considerandum quomodo illud dictum sit. Caro autem ipsius Domini secundum substantiam et secundum subsistentiam unita est ipsi Deo Verbo : quapropter et σαρκοφορεῖν, *carnem fere* ipse dicitur a Patribus, et *carnem induere*. Quæ igitur absurditas, si etiam caro ejus dicatur Θεοφόρος, tanquam *ferens Deum* Verbum secundum unionem inseparabilem ; cum ipsius caro et dicatur et sit proprie et secundum veritatem ? Hi autem per gratiam habentes in seipsis Deum,ineffabili ratione et incogitabili intellectu, etiam ipsi Θεοφόροι propterea dicuntur. »

Hanc veram vocabuli notionem cum veteres tan-

to consensu agnoscant, neque an idem S. Ignatio peculiariter attributum sit quisquam dubitet; quæritur tantum quæ sit antiquitas hujus cognominis, an fabula vetustius appareat, et Ignatio vivo impositum fuerit; an potius fabula posterius et ex illa natum. Primo igitur hoc mihi concedi postulo, ut ante scriptam Eusebii historiam nomen τοῦ Θεοφόρου Ignatio attributum sit; si enim postea insertum esset, epistolarum quas defendimus auctoritatem minuere non posset, cum illas easdem esse quas vidit Eusebius, etiam adversarii agnoscant. Imo nomen hoc epistolis coævum fuisse mihi videtur ex ipsis epistolis colligi non inepte posse. Sic enim ad Smyrnæos scriptor loquitur: Τί γὰρ με ὠφελεῖ τις, εἰ ἐμὲ ἐπαινεῖ, τὸν δὲ Κύριόν μου βλασφημεῖ μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον; Ὁ δὲ τοῦτο μὴ λέγων τελείως αὐτὸν ἀπήρνηται ὡς νεκροφόρος· τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα οὐκ ἔδοξέ μοι γράψαι. « Quid enim juvat me quis si me laudat, Dominum autem meum blasphemat, non confitens eum carniferum? Qui autem hoc non dicit ipsum perfecte abnegavit, exsistens mortifer. Nomina autem ipsorum exsistentia infidelia non visum est mihi inscribere.» Quis enim non videt Ignatium ad nomen Θεοφόρου epistolæ præfixum alludere, quod agnovit sibi ne quidem a Docetis negatum fuisse? Illorum autem laudes non acceptabat, dum eum Θεοφόρον vocarent, negarent autem Christum σαρκοφόρον et se probarent νεκροφόρους· neque eorum nomina recitare volebat. Et in epistola ad Magnesios: Καταξιωθεὶς γὰρ ὀνόματος θεοπρεπεστάτου ἐν οἷς περιφέρω δεσμοῖς ᾄδω τὰς Ἐκκλησίας. « Dignificatus enim nomine Deodecentissimo in quibus circumfero vinculis canto Ecclesias. » Ubi viri docti jungunt illud nomen cum ἐν οἷς, et putant esse vel Christianum, quasi Christianus non fuerit, antequam in vincula conjectus est; vel confessorem aut martyrem, cum confessoris nomen adeo antiquum esse minime videatur; martyrem autem nunquam se appellat Ignatius. Et omnino illa verba ἐν οἷς περιφέρω δεσμοῖς potius sequentibus ᾄδω τὰς Ἐκκλησίας ajungenda videntur. Quod et ex sententia ab imperatore lata melius adhuc intelligitur; sub enim hoc nomine Θεοφόρου, et ad ejus expositionem relatione habita, in vincula conjectus est, uti in Actis legimus: « Trajanus sententiavit: Ignatium præcipimus in seipso dicentem circumferre crucifixum, vinctum a militibus duci in magnam Romam. » Adeo non sine sarcasmo imperator Ignatium condemnavit. Sed habemus testes Eusebii temporibus longe antiquiores. Vetustissima enim Acta hæc diserte de S. Ignatio coram Trajano imperatore constituto narrant. « Trajanus dixit: Quis es tu, cacodæmon, qui nostra præcepta festinas transgredi; et aliis persuades ut male pereant? Ignatius dixit: Nemo Theophorum cacodæmonem vocat.» Rursus: « Trajanus dixit: Et quis est Theophorus? Ignatius dixit: Qui Christum habet in pectore. Trajanus dixit: Tu igitur in teipso Christum circumfers? Ignatius dixit: Scriptum est enim: *Inhabitudo in ipsis et inambulabo* [44]. » Qui locus prophetæ a S. Cyrillo ad τοῦ Θεοφόρου explicationem adhibetur. His verbis et vera antiquitas nominis, et vera notio asseritur. Sed Dallæus Actorum auctorem » diu post Ignatii tempora » vixisse putat, « quod et alia confirmant, inquit, et inter cætera sermones, quos cum Trajano a martyre habitos Acta ista præter omnem veri ac decori speciem fingunt.» Miror equidem eum hæc Ignatii Acta nunquam de industria refutasse; præsertim eum ea tam illustre epistolæ ad Romanos testimonium præbeant, quam ille tam fastidiose rejicit. Quænam illa alia sint nescio, sermones certe neque veri neque decori rationes turbant. Una tantum vox a Trajano usurpata reliquis omnibus occasionem præbuit; quam nemo dixerit imperatori minime convenire, qui eam recte intellexerit. Mirum fortasse alieni videbitur, Trajanum sic Ignatium compellasse: « Quis tu es, cacodæmon? » Sed qui novit quid sit κακοδαίμων, et quomodo Christianos in judicio compellare solebant ethnici, facile sentiet et verum hoc et decorum esse. Sic Latinus interpres in Passione Andronici: « Maximus dixit: Quid jam habes facere, male dæmon, » cum præses ille nihil aliud dixisse videatur, quam κακοδαιμον. Est autem κακοδαίμων nihil aliud quam infelix homo. Gloss. Vet. κακοδαίμων « calamitosus. » Ut Dio Chrysostomus qui vixit sub imperio Trajani Alexandrinos alloquitur oratione 32: Τί οὖν τοῦτο λαμπρὸν, ὦ κακοδαίμονες; « Quid igitur hoc præclari est, o infelices? » Eos autem ita compellat, propter illos qui vitam suam præter rationem projecerunt. Φασὶ γοῦν ἤδη τινὰς τῶν ἀπολωλότων διὰ τὴν τοιαύτην πρόφασιν νεανιεύσασθαι, μὴ παραιτουμένους τὸν θάνατον, ἀλλὰ προσλιπαροῦντας, ὅπως ἀκούσωσιν ἐπιπλέον. « Aiunt igitur jam quosdam eorum qui perierunt ex tali causa animose se gessisse, non deprecantes mortem, sed supplicantes, ut diutius audire liceret. » Hos δυστυχεῖς, ταλαιπώρους, κακοδαίμονας appellat; et Christianos ad martyria festinantes tales omnino putabant, et *miseros* ac *infelices* homines tunc temporis plerumque vocabant. Ut Arrius Antoninus apud Tertullianum in Asia martyres allocutus est: Ὦ δειλοί, id est, « o miseri et infelices homines! » Homeri Scholiastes, ὦ ἄθλιοι. Hesychius: Ἄ δειλοί, ὦ δειλοί, καὶ κακοδαίμονες. Unde idem emendandus statim ab initio, καὶ τὸ α ἄρθρον, ὡς παρ' Ὁμήρῳ, ᾱ δηλοῖ. Legendum enim est, καὶ τὸ ω ἄρθρον (nempe δηλοῖ), ὡς παρ' Ὁμήρῳ, Ἄ δειλοί. Nuperi editores monent hic ᾱ non esse ἄρθρον, sed omnino voluit Hesychius ᾱ apud Homerum pro ὦ articulo positum esse; ipse enim suo loco: Ὦ ἄρθρον, κλητικῆς πτώσεως, οἷον Ὦ ἄνθρωπε. Lege igitur καὶ τὸ ὦ, quem admodum apud Suidam legimus, καὶ τὸ ὦ, Ὅμηρος, ἃ δειλήτι κακῶν, ubi etiam legendum, Ἄ δειλοί, τί κακῶν; *Odyss.* K, 431:

[44] II Cor. VI, 16.

Ἆ δειλοί, πόσ' ἴμεν, τι κακῶν ἰμείρετε τούτων ;

Ad quæ Homeri verba, « quare hæc mala adeo desideratis?» allusisse videtur Arrius Antoninus. Sic Maximus præses Probum confessorem affatus est : « Requiesce a vanitate tua : an permanes in duritia miser? » et : « Attende corpus tuum, miser ; » et Andronicum : « Non sentis tormenta, miser? » et Tarachum : « Miserere jam tui, miser ; » atque ita sæpius. Non aliter Ammianus Marcellinus : « Poterantque miserandi homines ad crudele supplicium ducti Christianorum adjumento defendi, ni Georgii odio omnes indiscrete flagrassent. » Cum igitur Trajanus ad Ignatium hac compellatione usus esset, ὦ κακόδαιμον, ille arrepta hac occasione, gentium δαίμονας, ut solebant vetustissimi Christiani, exagitat. Putabant enim ethnici homines κακοδαίμονας malis geniis seu dæmonibus inservire. Dion Chrysostomus, oratione 23 : Ἀνάγκη κακοδαίμονα φάσκειν αὐτὸν κακῷ δαίμονι συνεζευγμένον καὶ λατρεύοντα. « Necesse est eum dicere infelicem, malo genio conjunctum et servientem. » Nam, ut observat Chalcidius, « juxta usurpatam penes Græcos loquendi consuetudinem tam sancti sunt dæmones, quam polluti et infecti. » Ostendit igitur seipsum non malo genio conjunctum, sed Deo potius, vel ab ipsa appellatione Θεοφόρου, quæ ipsi a Christianis attributa est. His observatis reliqui sermones et personis et rei ipsi satis consentanei sunt. Fruantur igitur ea antiquitatis opinione quam iis Usserius antiquitatum optimus judex conciliavit. Neque hæc vox ullum iis novitatis signum imprimit. Epistolæ ipsæ ante Eusebii Historiam ex adversariorum confessione, ex nostra disputatione a Polycarpo editæ huic antiquitati satis suffragantur. Neque dubito quin ad titulum respexerit sanctus Dionysius cum eum vocavit Θεῖον Ἰγνάτιον. Succinunt epistolis tres nobiles Græciæ scriptores, Ephræmius, Jobius et Gobarus. Ephræmius patriarcha Antiochiæ, et Ignatii ex intervallo successor inter Patres meminit Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου, teste Photio codice 227. Jobius monachus apud eumdem, codice 222 : Φησὶ γὰρ ὁ Θεοφόρος Ἰγνάτιος τρία λαθεῖν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου. Stephanus Gobarus cod. 232 : Ἰγνάτιος μέντοι ὁ Θεσόρος, καὶ Κλήμης ὁ Στρωματεύς. Ad finem sext. sæculi Leontius Byzantius sub initio septimi Antiochus, ut in Testimoniis videre est, idem testantur. Eodem sæculo auctor *Chronici Alexandrini*, cujus testimonium omisimus, quoniam epistolam interpolatam spectat : Ὅτι δὲ τρεῖς ἐνιαυτοὺς κηρύξας τὸ Εὐαγγέλιον ὁ Κύριος ἐπὶ τὸν ἑκούσιον καὶ ξωοποιὸν ἦλθε σταυρόν, διδάσκει καὶ Ἰγνάτιος ὁ Θεοφόρος καὶ μάρτυς, ὁ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου γνήσιος μαθητὴς γεγονὼς, τῆς δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καταστα-θείς. « Quod autem Dominus, cum per tres annos Evangelium prædicasset, ad voluntariam et vitalem crucem venerit, docet Ignatius Deifer et martyr, qui Joannis theologi germanus discipulus fuit, sanctissimæque Ecclesiæ Antiochenæ episcopus ab apostolis constitutus. » Unde paulo post ostendit eos qui tradebant Christum per quatuor annos et aliquot dies prædicasse, ἐναντιουμένους τῷ ῥηθέντι Θεοφόρῳ καὶ μάρτυρι· Successit his Maximus proximo sæculo, qui huic rei illustre testimonium præbet : Ὡς καὶ τὸ Θεοφόρος πολλάκις αὐτῷ λεγόμενόν τε καὶ γραφόμενον· « ut illud vocabulum Θεοφόρος sæpe ab eo et dictum et scriptum. » Istud enim scriptum epistolas, dictum autem Acta spectat ; et illud quidem epistolarum titulos, hoc sermones cum Trajano habitos confirmat. Eodem septimo sæculo hæc Acta secutum esse Bedam constat, ut et octavo Adonem. Nec tamen ulla adhuc apparet istius fabulæ, aut alterius Theophori significationis, vel vola vel vestigium.

Omnium antiquissimi, quos pro sua fabula adducit Dallæus, sunt Anastasius Bibliothecarius, et Simeon Metaphrastes ; quorum posterior Vitas sanctorum non nisi post initium decimi sæculi scripsit ; prior autem vergente ad finem nono octavam synodum Latine edidit. Huic autem inter notulas hæc aspersit : « Tradunt Græci, quod parvulus quem Dominus advocatum statuit in medio dicens : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut hic parvulus* [45], etc., iste Ignatius fuit et idcirco hunc Deiferum nuncupent. Unde nec apostoli ausi fuerint ei cum ad Ecclesiæ præsulatum promoveretur amplius manus imponere ; nimirum, quem ore Dei laudatum et ipsius tactu sanctificatum cognoverint » Sed quinam, amabo, hi Græci fuere, qui tales fabulas de S. Ignatio tradiderunt? non veteres certe, non eorum aliquis qui ante Anastasium in Græca Ecclesia scripsere. S. Chrysostomus Ecclesiæ Antiochenæ presbyter fabulam utramque aperte refellit, dum Ignatium Christum nunquam vidisse tradit, et apostolos eum per impositionem manuum ad ordinem episcopatus extulisse narrat. Θαυμάζω τὸν ἄνδρα ἐγὼ ὅτι παρὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων τὴν ἀρχὴν ταύτην ἐνεχειρίσθη, καὶ αἱ τῶν μακαρίων ἀποστόλων χεῖρες τῆς ἱερᾶς ἐκείνης ἥψαντο κεφαλῆς. « Virum ego admiror, quod a sanctis illis principatum hunc obtinuerit, et beatorum apostolorum manus sacrum illud caput tetigerint. » Post S. Chrysostomum B. Theodoretus, in Syria episcopus, qui tot conciones Antiochiæ habuit, dialogo 1 : Ἀκήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο. « Audivisti prorsus Ignatium illum, qui per Petri dextram pontificatus gratiam accepit, » etc. Post Theodoretum Felix episcopus Romanus ad Zenonem de Petro Mongo : « Qui sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ indignissime se ingessit, sanctamque sedem pontificatus Ignatii martyris polluit, qui Petri dextra episcopus ordinatus est. » Neque Græcis neque Latinis ordinatio Ignatii sine manuum impositione aut quarto, aut quinto sæculo innotuit. Non dubito igitur quin Græci illi qui hæc tradiderunt,

[45] Matth. XVIII, 3.

fuerint, quibuscum Anastasius Constantinopoli versatus est, cum octavæ synodo ipse interesset. Lis enim tunc temporis erat de Ignatio Constantinopolitano patriarcha, et Photio Romanis maxime inviso. Magnum erat hujus Ignatii nomen, et propter loci dignitatem quam amiserat, et propter exsilia et ærumnas quas passus erat, unde novus Θοφόρος appellatus est. Michael Syncellus in *Encomio* : Ὁ νέος οὗτος καὶ μέγας Θεοφόρος Ἰγνάτιος· « Novus hic et magnus Deifer Ignatius. » *Chronologia* Nicephoro ascripta in ms. Londinensi : Ἰγνάτιος ὁ νέος Θεοφόρος τὸ πρῶτον ἔτη ια', μῆνας ε', καὶ ἐξωρίσθη· « Ignatius novus Theophoros primo annos undecim, menses quinque, et ejectus est. » Ad hunc restituendum maxime intentus fuit episcopus Romanus : Anastasius in ea re, Constantinopolim missus, plurimum desudavit, et cum Ignatianis versatus, qui Photium dejicere conati sunt, has ab illis fabulas audivit veteribus Græcis penitus incognitas, et Θεοφόρου notioni ab antiquis celebratæ prorsus repugnantes. Ab his eamdem fabulam accepit Simeon Metaphrastes, et inter multas posteris transmisit. Hæc si vera sit fabulæ historia, ut mihi videtur : tot sæculis nomine Θεοφόρου posterior illa fuit, ut non ex illa fabula nomen ortum, sed ex nomine male intellecto a Græculis, summæ factioni et exornando suo patriarchæ deditis efficta fabula merito reputetur. Temporum igitur ratio hoc nomine minime violatur.

Mire hujus quæstionis statum proponit et in ejus solutione triumphat Dallæus : « Quæritur, inquit, an et qua de causa Ignatius vocatus sit Theophorus. » Certe nemo unquam adhuc quæsivit an Ignatius noster dictus sit Theopherus ; causam sive rationem nominis aliam antiqui, aliam neoterici reddiderunt ; et idcirco quæri potest, a quibus vera nominis ratio explicata fuerit : « Qui hoc cum nomine, inquiunt, donant Græci, θεόφορον cum tono in secunda syllaba efferunt, atque ita a se suisque ideo dictum testantur, quod Christus eum adhuc parvulum manu in ulnas susceptum tulisset. » Sed an hi Græci omnes, qui eum hoc nomine donant ? Nonne auctor epistolarum eum Θεοφόρον semper vocat accentu in penultima posito ? Nonne eodem accentu Maximus iradit illud vocabulum sæpe ab Ignatio et dictum et scriptum ? Nonne Ephræmius, Gobarus et Jobius ita loquentes a Photio repræsentantur ? Nonne vetustissima Acta Ignatium ipsum sui nominis sensum ita explicantem introducunt ? Nonne antiquissimi scriptores Græci θεοφόρον eo sensu viris sanctis tribui sæpe observarunt ? Nemo unquam, opinor, θεόφορον tono in secunda syllaba posito scripsit ante decimum sæculum, hoc est nemo ante fabulam natam. Ipse Anastasius Ἰγνάτιον θεοφόρον, « Ignatium Deiferum » interpretatur : et Ignatius Constantinopolitanus νέος Θεοφόρος cognominabatur. Primus Metaphrastes accentum transtulit ut fabulam in scenam speciosius induceret, eumque reliqui secuti sunt. Idque illi facile fuit, cum vocabula communia in propria nomina conversa ascentum soleant mutare. Ὁ Θεοφόρος fuit epitheton quod peculiariter adhæsit nomini Ignatii, non quod ipsius proprium nomen esset aut fieret, sed quod illi hoc epitheton populus constanter tribueret. Ut de Antonio tradit S. Athanasius : Πάντες μὴ οὖν οἱ ἀπὸ τῆς κώμης φιλόκαλοι, πρὸς οὓς εἶχε τὴν συνήθειαν οὕτως αὐτὸν ὁρῶντες ἐκάλουν Θεοφιλῆ. « Omnes itaque illius viciniæ quorum is consuetudine utebatur, pulchri atque honesti amantes eum his præditum moribus appellabant Θεοφιλῆ. » Qui postea Græculi tanquam proprium nomen acceperunt Θεόφορον scripserunt ; quod propria nomina re.rahere accentus soleant. Πολλὰ γὰρ εὑρίσκονται ὀξύτονα ἅτινα γινόμενά κύρια βαρύνονται, οἷον, ξανθὸς, Ξάνθος· πυρρὸς, Πύρρος· γλαυκὸς. Γλαῦκος· λευκὸς, Λεῦκος. Ita Etymologus. Sic ἀγαπητὸς fit Ἀγάπητος, νικητὴς, Νικήτης, ἄνθηρὸς, Ἄνθηρος, Ἀθηναῖοι, Ἀθήναιος, quæ vox quod accentum non haberet in Marmore Arundelliano, tam male a Seldeno accepta est Nam ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ non est Phrontistes Atheniensis, sed Athenæus, quod nomen est viri, ut ex adjunctis constat. Ita vetus Collectio, Ἀθηναῖος, Athenensis, Ἀθήναιος, Athenæus, nomen proprium. Sic ὀνησιφόρος fit Ὀνησίφορος, Χριστοφόρος Χριστόφορος, et eamdem significationem hæc propria nomina etiam sub accentu alieno retinere putantur. Ita fortassis a φαρμακὸς Φαρμᾶκος, ut apud Harpocrationem Didymus sensisse videtur : Δίδυμος δὲ προπερισπᾷν ἀξιοῖ τοὔνομα, ἀλλ' ἡμεῖς οὐχ εὕρομεν οὕτω τὴν χρῆσιν. Græci quidem, postquam accentus inventi sunt, hoc discrimen in vocibus compositis observabant ; diu ante Homerus seipsum explicare coactus esse videtur, Ἰλ. ρ, 5.

Πρωτοτόκος, κούρη, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο.

Ubi vetus Scholiastes : Πρωτοτόκος, πρώτως τετοκυῖα· τῷ οὖν τόνῳ παροξυτόνως, ἵν' ᾖ ἐνεργητικόν προπαροξυτόνιος δὲ δηλοῖ ἡλίξις τὴν πρώτως τεχθεῖσαν. Ammonius de similibus et differentibus vocabulis cum cura Bonaventuræ Vulcanii editus, sed ope manuscriptorum maxime indigens. Ἀγρονόμος, ἐὰν μὲν παροξύνωμεν, ἔστιν ὁ ἐν ἀγροῖς νεμόμενος. Τὰ γὰρ προπαροξυνόμενα χαίρουσιν ἀναλύεσθαι εἰς πάθη. Vidit locum mutilum esse Vulcanius ; quem ex ms. codice in bibliotheca Regis nostri sic supplendum esse monenus : Ἀγρονόμος, ἐὰν μὲν παροξύνωμεν, ἔσται ὁ ἐν ἀγροῖς νέμων· ἐὰν δὲ προπαροξύνωμεν, ἔσται ὁ ἐν ἀγροῖς νεμομένος. Ut Vetus Collectio : Ἀγρονόμος, « in agro pascens, » Ἀγρόνομος, « in agro pastus. » Quemadmodum et ista paulo plenius in eo ms. leguntur, quam in editionibus : Ταυρόκτονος, ὁ ὑπὸ τοῦ ταύρου ἀναιρεθείς· ταυροκτόνος δὲ παροξυτόνως, ὁ ταῦρον ἀποκτείνας. Hæc adeo accurate observabant Græci, ut cum grammaticorum canon esset, voces hyperdissyllabas in ος in penultima accentum habentes tonum rejicere, semper hac exceptione uterentur, χωρὶς εἰ μὴ σύνθετον ὑπάρχει ἕνεκα ἐνεργείας παροξύνεται, ut Etymologus, V. Ἀν-

τίος, et Κορυθαίολος. Hæc de nominibus hujusmodi adjectivis perpetua Græcorum observatio, ubi paroxytona sunt, significari τὸ ἐνεργητικόν, ut loquitur Homeri Scholiastes, ubi proparoxytona, denotari πάθος, ut Ammonius. In propriis nominibus idem haud observatur, quæ accentum mutant, significatione non mutata. Perperam igitur omnino hanc Theophori significationem et ex ea fabulam commenti sunt Græculi posteriores. Sic enim Χριστοφόρος vox veteribus usitata, ut Θεοφόρος. Ab Ignatio nostro Ephesii appellantur Χριστοφόροι. Phileas scriptor antiquus apud Eusebium lib. x, c. 8, Epistola ad Thmuitas : Διὸ ζηλώσαντες τὰ μείζονα χαρίσματα οἱ Χριστοφόροι μάρτυρες. « Proinde meliora charismata consectantes martyres qui Christum gestabant. » Quam significationem proprium nomen Χριστοφόρος, vel etiam Χριστόφορος accentu mutato, retinuit : unde et nova fabula orta est.

Sed quærit Dallæus, quare alii a Theophoro dicti non sunt Theophori, ut a Christophoro tot appellati sunt Christophori, cum nomina martyrum nostri suis libenter donent? Fateor equidem veteres Christianos martyrum nomina libenter suis donasse. Observat B. Theodoretus sermone 8 : Τὰς δὲ τῶν μαρτύρων προσηγορίας μᾶλλον ἴσασιν ἅπαντας ἢ τὰ τῶν φιλτάτων ὀνόματα· καὶ τοῖς παισὶ δὲ τὰς τούτων προσηγορίας ἐπιτιθέναι σπουδάζουσιν, ἀσφάλειαν αὐτοῖς καὶ φυλακὴν ἐντεῦθεν μηχανώμενοι. « Martyrum autem nomina notiora sunt omnibus quam familiarium. Quin et filiis horum nomina imponere student, securitatem inde ipsis tutelamque comparantes. » Ratio tamen hujus diversitatis manifesta. Christophorus enim martyris proprium nomen fuit, Theophorus neutiquam. Ille qui sæpe dicebatur Θεοφόρος, proprium nomen erat Ἰγνάτιος. Hoc autem ejus nomen plurimi sortiti sunt. Non diu post ejus obitum Ignatius quidam dictus est, Celerini, qui ætate Cypriani confessor fuit, avunculus, et ipse martyr. Postea Ignatius patriarcha Constantinopolitanus. Ignatius diaconus, qui Tarasii et Nicephori Vitas scripsit. Ignatius Xanthopolus cum Callisto, qui a Symeone Thessalonicensi Θεηγόροι καὶ Θεοφόροι καὶ Χριστοφόροι καὶ ἔνθεοι dicuntur. Alius Ignatius, cui dedicatur opus Περὶ τῶν τοῦ λογου σχημάτων inter mss. Barocianos in bibliotheca Oxoniensi. Ignatius modernus patriarcha Antiochenus; et ejusdem nominis, nisi fallor, in Chronico Cassinensi Innacius episcopus Monorbinensis. Ut igitur a Christophoro tot Christophori, ita ab Ignatio tanquam proprio martyris nomine multi dicti sunt Ignatii. Ut autem ab uno martyre duo nomina apud Græcos derivarentur, postulare iniquissimum est. Ammonium monachum quemdam ab Oreste præfecto Alexandriæ in tormentis trucidatum S. Cyrillus in ecclesia quamdam deponens, ὄνομα ἕτερον αὐτῷ ἐπιθεὶς, Θαυμάσιον ἐπεκάλεσε, καὶ μάρτυρα χρηματίζειν ἐκέλευσε, « aliud nomen ei imponens, Thaumasium appellavit, et martyrem vocari jussit, » ut refert Socrates, lib. VII, c. 14. Quod si ille pro vero martyre postea habitus fuisset, qui eo nomine dignus a nemine reputabatur ; non Thaumasii, opinor, sed Ammonii nomen liberis suis imposuissent parentes Christiani. Hinc igitur aut epistolarum scriptorem, aut Ignatianorum Actorum auctorem diu post Ignatii tempora vixisse nullo modo conficitur.

Jam ut institutam de λέξει disputationem pertexat, observat, eos quos vetustissimi vel episcopos vel presbyteros vocant, hunc ἱερέας seu « sacerdotes » appellare. Ex spuriis aliquot, ex nostris unum locum affert, nempe hæc ex epistola ad Philadelphenses verba : Καλοὶ καὶ οἱ ἱερεῖς. Nego hoc loco ἱερεις vel episcopos vel presbyteros significare ; negavit ante me Hammondus. Wallo Messalinus eadem objectione usus, sed ante visum codicem Mediceum. Blondellus illo codice inspecto ab hac objectione prorsus abstinuit, ut et Salmasius. Miror itaque Dallæum adhuc eidem inhærere, nihilque afferre pro sententia sua, præter nudam assertionem. « Apparet, inquit, ἱερέας loco laudato dici eos qui sunt presbyteri. » Imo vero apparet ἱερέας eo loco presbyteros non dici : certissimum enim est epistolæ scriptorem eo loci de ministris Evangelii minime loqui. Disputat adversus Ebionitas, qui Christianos ad Mosaicas cæremonias revocabant, et ab Evangelio ad legem provocabant, dicebantque : « Si in veteribus non invenio, in Evangelio non credo. » Argumento hoc adversus eos utitur : « Boni et sacerdotes : melius autem princeps sacerdotum cui credita sunt Sancta sanctorum. » Ita ex lege disputat. Per principem autem sacerdotum intelligendum esse Christum innuit, non tantum hæc addens, « cui soli credita sunt occulta Dei, » sed et illa etiam, « qui ipse est janua Patris, per quam ingrediuntur Abraham, Isaac et Jacob, et prophetæ et apostoli, et Ecclesia. » Summa argumenti hæc est : Non esse redeundum ab Evangelio ad legem, sed a lege perveniendum ad Evangelium. Licet enim præclara fuerit sub lege ministratio sacerdotum, semper tamen iis major erat summus Pontifex, qui solus intravit in Sancta sanctorum : erat autem ille Christi typus, qui vero summus pontifex est, per quem et qui ante legem, et qui sub lege, et qui sub Evangelio, salutem consecuti sunt. Apparet idcirco auctorem epistolæ sub nomine ἱερέων sacerdotes sub lege intellexisse, et in hac disputatione, de presbyteris aut ullis ministris evangelicis ne cogitasse quidem. Vidit hæc omnia, opiner, vera esse Dallæus ; nam cum paulo post loca adducat ex spuriis, quibus probet episcopum dici ἀρχιερέα, hæc verba, κρεῖσσον ὁ ἀρχιερεὺς, prudens mittit ; hac ratione addita, quod « ea tametsi de episcopo dici videantur, alii de Christo Domino non absurde interpretentur. » Imo vero alii de Christo Domino et Pontifice summo rectissime interpretantur ; neque quisquam de episcopo evangelico nisi absurdisse interpretari potest. Quis enim unquam episcopum aliquem inter ministros evangelicos ita efferret, ut eum diceret « esse ja-

nuam Patris, per quam ingrediuntur Abraham, et Isaac, et Jacob, et prophetæ, et apostoli, et Ecclesia ? » Præsertim cum Christus ipse dixerit : Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, et illa vox de Christo apostolicis temporibus maxime usurpata sit ; unde illa Judæorum ad Jacobum justum : Ἀπάγγειλον ἡμῖν τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος· « Doce nos quod sit ostium Jesu crucifixi ; » ut refert Hegesippus apud Eusebium lib. II, c. 23. Quod si ἀρχιερεύς ibi non sit episcopus, neque ἱερεῖς erunt presbyteri : illos igitur ἱερέας non minus quam pontificem prudentius misisset vir doctissimus ; tum quod res ipsa hoc ab eo postulavit, tum ne Hammondum sugillandi, ubi nulla rationis vel speciei se offerebat, occasionem arripere videretur.

CAPUT XIII.

Argumentum palmarium discutitur. Ejus fundamentum in ruinis presbyteranarum partium poni ostenditur. De distinctis nominibus et officiis trium sacrorum ordinum quatuor assertiones statuuntur. Assertio I. Alios quamplurimos secundi sæculi scriptores idem discrimen inter vocabula episcopatus *et* presbyteratus *observasse, quod observat Ignatius noster. Quod probatur testimoniis Actorum Ignatii et Polycarpi, imperatoris Adriani, Dionysii Corinthiorum episcopi, Lugdunensium martyrum (quorum testimonium a Blondelli chronologicis objectionibus vindicatur), Hegesippi, Polycratis, Serapionis, Anonymi apud Eusebium, et Canonum apostolicorum. Assertio II. Nullum secundi sæculi scriptorem simplici presbytero, in secundo ministerii ordine constituto, episcopi nomen tribuisse. Ratio manifesta, quare Ignatius discrimen illud caste observaret. Assertio III. Nullum omnino secundi sæculi scriptorem, cum gradus enumerat, aut cum de singularibus sui temporis ministris loquitur, nomen presbyteri ei qui episcopus esset, tribuisse. Loca Papiæ, Irenæi, Clementis Alexandrini, Polycarpi, Pii et Hermæ examinantur. Assertio IV. Ea ætate, qua S. Ignatius scripsisse dicitur, tres sacres ordines distinctos in Ecclesia exstitisse. Quod cum aliorum, tum etiam eorum omnium, qui communionem nominum in apostolicis scriptis observabant, testimoniis probatur. Dallæi effusa oratio sufflaminatur.*

Præmissa levi armatura ad palmarium argumentum a dictione petitum progreditur : quod longe maximi momenti esse putat, et idcirco toto capite 26 prolixo sane et laborioso late persequitur. Cum itaque in hac objectione quasi triumphare videatur, accuratius nobis perpendenda est ; non quod in ea vis major quam in cæteris sit (mihi enim omnium levissima videtur), sed quod cum tanta pompa, nec minori astutia proferatur. Vis enim argumenti, si qua sit, breviter in hunc modum tota declarari potest. Auctor epistolarum aliter usurpat nomina presbyteri et episcopi, quam apostoli et apostolici viri et eorum discipuli ; imo eodem modo usurpat, quo tertii sæculi et sequentium Christiani. Nam ille caste observat nominum discrimen, neque unquam aliter loquitur. At primo, apostoli hæc duo nomina pro promiscuis et confusis habent ; eosdem nunc episcopos, nunc presbyteros appellantes ; et sermonem apostolicum secuti apostolici omnes, omnesque secundi sæculi scriptores ; tertii sæculi tantum et sequentium Christiani discrimen illud observabant. Auctor igitur epistolarum tertio vel sequente sæculo scripsit. Non potuit igitur esse Ignatius martyr, qui ipso pene secundi sæculi initio passus est.

Illud autem inprimis observandum est, si quæ vis huic argumento inesse videatur, eam omnem in suarum partium ruinis ab eo positam esse. Nam dum auctorem epistolarum secundo sæculo non scripsisse vult, quod eo toto aliter Christiani omnes locuti sint ; Salmasii et Albertini sententiam convellit, qui eum medio secundi sæculi tempore epistolas edidisse docuerunt. Dat etiam Hammondo, tres sub apostolorum tempore, qui nomina episcopi et presbyteri pomiscue usurpasse dicuntur, tres ordines seu gradus in Ecclesia exstitisse ; quod Salmasius, Blondellus, aliique adeo ex industria negant, et suam ex ipsa confusione nominum sententiam maxime defendunt. Novit autem Dallæus, nisi hoc daret, ex imitatione apostolici sermonis adversus Ignatii epistolas nullum argumentum formari potuisse. Si enim duo tantum ordines aut gradus in ministerio ecclesiastico apostolorum tempore exstitissent, quomodo illos imitari potuerunt in confusione nominum, qui tunc temporis scriberent, cum tres jam tandem essent ? Si unus tantum ordo vel gradus supra diaconatum ab apostolis institutus est, quem nunc episcopatum nunc presbyteratum appellabant ipsi qui eum instituebant apostoli ; an illi qui secundo sæculo scripsere, cum jam ille ordo in duos distinctus esse dicitur, cum rem ipsam Ecclesia mutasse putatur, in confusione nominum, quorum utrique tum suus ordo respondebat, apostolos imitari debuerunt ? Confusio nominum apostolica, secundum eorum suppositionem, in eo consistebat, quod unico ordini duo nomina indifferenter et promiscue in Novo Testamento tribuerentur, adeo ut idem homo ob unum et idem officium, ob unum et eumdem ordinem et dignitatem, nunc episcopus, nunc presbyter vocaretur. An licite rem ipsam ab apostolis, ut dicitur, institutam communi decreto Ecclesia mutare posse, non nemo fortasse ambigat ; an re mutata vocabula aliter usurpare liceret, dubitari non potest. Imo cum primum rei mutatio facta est, et nominum etiam mutationem necessario factam fuisse vult Salmasius : « Omnia licet advocet arma et artes sophisticæ suæ Petavius, nunquam efficiet, ut post episcopatum plene ac plane distinctum a presbyteratu, episcopi vocari sustinuerint presbyterorum nomine. »

Sed ut argumento, quale quale est, et solide et perspicue respondeatur, assertionibus quibusdam positis, rem totam explicabimus confirmabimusque. Primo enim, si demus auctorem epistolarum semper discrimen illud quod innuit Dallæus, in vocabulis episcopatus et presbyterii observasse, neque aliter unquam locutum esse ; asserimus tamen

alios quamplurimos secundi sæculi scriptores idem discrimen inter vocabula episcopatus et presbyterii observasse, quod observat Ignatius noster ; adeoque falsum esse quod asserit Dallæus et tanquam argumenti fundamentum ponit, omnes secundi sæculi scriptores promiscue eas voces usurpasse. Secunda assertio sit : Nullum secundi sæculi scriptorem adeo promiscue vocabulis episcopi et presbyteri usum esse, ut simplici presbytero in secundo ministerii gradu constituto unquam episcopi titulum tribueret. Tertia : Nullum omnino secundi sæculi scriptorem, cum gradus enumerat, aut cum de singularibus sui temporis ministris loquitur, nomen presbyteri ei qui episcopus esset tribuisse. Quarta assertio est : Ea ætate, qua S. Ignatius epistolas scripsisse dicitur, tres sacros ordines seu gradus distinctos in Ecclesia fuisse. His autem omnibus positis et comprobatis nemini mirum videbitur, si Ignatius noster tam frequenter, tam caste, nomina et officia episcopi, presbyteri et diaconi distinguat. Si enim alii quamplurimi ejusdem sæculi scriptores idem discrimen observabant, cur non et Ignatius ? Si nullus omnino secundi sæculi scriptor nomen episcopi presbytero tribuerit, merito et Ignatius solos episcopos eo nomine compellabat. Si pauci illi, qui nomen presbyteri episcopo aliquando dabant, aliter semper locuti sint, cum materia scriptionis Ignatianæ congrueret ; epistolarum antiquitas ex ea re in dubium vocari non potest ; ille enim modus loquendi quem secutus est, et tempori et occasioni et ipsius proposito maxime conveniebat.

Prima igitur assertio sit : Alios quamplurimos secundi sæculi scriptores idem discrimen inter vocabula episcopatus et presbyteratus observasse, quod observat Ignatius noster ; quos nunquam aliter locutos esse deprehendi potest. Vetustissima S. Ignatii Acta : « Cum multo gaudio descendens de navi festinabat S. Polycarpum episcopum coauditorem videre. » Et paulo post : « Honorabant enim sanctum per episcopos, presbyteros et diaconos Asiæ civitates et Ecclesiæ. » Ætate Adriani distincta fuisse ut officia, ita et vocabula episcopi et presbyteri, ostendunt verba imperatoris in epistola ad Servianum consulem scripta : « Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt ; et devoti sunt Serapi qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. » Unde postea Romani proconsules et præsides his distinctis titulis secundum Ecclesiæ consuetudinem in proscriptionibus utebantur. Unde S. Cyprianus docet se fuisse proscriptum, applicito et adjuncto episcopatus sui nomine, epistola 55. Proscriptionis verba recitat epistola 69 : « Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani episcopi Christianorum. » Unde illa colligit optimus præsul : « Ut etiam qui non credebant Deo episcopum constituenti, vel diabolo crederent episcopum proscribenti. » Pariter Acta antiquissima S. Polycarpi, sive Smyrnensis Ecclesiæ epistola : Ὁ θαυμασιώτατος μάρτυς Πολύκαρπος ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις διδάσκαλος ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς γινόμενος, ἐπισκοπός τε τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς Ἐκκλησίας. « Admirandus martyr Polycarpus nostra ætate apostolicus et propheticus doctor, et catholicæ Smyrnensis Ecclesiæ episcopus. » Ut igitur Ignatius Polycarpum ἐπίσκοπον Ἐκκλησίας Σμυρναίων appellat, ita et Smyrnenses ; neque unquam eum presbyterum vocant. Sub pontificatu Soteris episcopi Romani Dionysius Corinthiorum episcopus Publium et Quadratum Atheniensium episcopos commemoravit ; ostendit quomodo Dionysius Areopagita πρῶτος τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγχειρίστο, « primus Atheniensis Ecclesiæ episcopatum suscepit. » Scribens ad Gortynensium Ecclesiam Φίλιππον ἐπίσκοπον αὐτῶν ἀποδέχεται, « Philippum episcopum eorum prædicat, » et eam quæ « sub ipso » erat Ecclesiam ; ad Amastrianos, Ἐπίσκοπον αὐτῶν ὀνόματι Πάλμαν ὑποσημαίνει· « Episcopum ipsorum Palmam nominatim appellat ; » ad Gnossios : Πίνυτον τῆς παροικίας ἐπίσκοπον παρακαλεῖ, « Pinytum Ecclesiæ episcopum monet ; » cui rescribit Pinytus exhortans ut solidiore cibo τὸν ὑπ' αὐτῷ λαὸν, « plebem sibi subjectam, » alere velit. Epistola denique ab eodem ad Romanos data est, ἐπισκόπῳ τῷ τότε Σώτηρι προσφωνοῦσα, « Soteri tunc temporis episcopo nuncupata, » cujus hæc verba : Ὃν οὐ μόνον διατετήρηκεν ὁ μακάριος ὑμῶν ἐπίσκοπος Σώτηρ, ἀλλὰ καὶ ἐπηύξησεν. « Quem morem beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit, » ut refert Eusebius, lib. IV, c. 23. Hæc tunc Dionysii dictio fuit : neque unquam aliter locutus esse deprehenditur. Lugdunenses fratres hoc etiam discrimen caste observant, dum Pothinum episcopum suum appellant, Irenæum vero presbyterum, quem omnes Pothino episcopatum Lugduni obtinente ibidem presbyterum fuisse agnoscunt. De priori in epistola ad Asiæ Phrygiæque Ecclesias ita loquuntur : Ὁ δὲ μακάριος Πόθεινος ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος, « Beatus autem Pothinus, cui ministratio episcopatus concredita est. » De posteriori in altera ad Eleutherum Romanæ Ecclesiæ episcopum data : Εἰ γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιεῖσθαι, ὡς πρεσβύτερον Ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα. « Quod si nobis compertum esset locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi imprimis commendassemus. » Diserte igitur distinguunt Pothinum Ecclesiæ Lugdunensis episcopum, et Irenæum tunc temporis ejusdem Ecclesiæ presbyterum ; episcopum etiam Eleutherum patrem vocant, Irenæum tantummodo fratrem, et socium, vel collegam, aut consortem. Et quidem Eusebius, qui utriusque

epistolæ excerpta in Historiam transcripsit, et utramque integram Operi *De martyribus* inseruit, aperte testatur Irenæum cum ista ad Eleutherum scriberentur, presbyterum fuisse, lib. v, c. 4 : Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον, πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας, τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων. « Sed iidem martyres Irenæum, qui tunc temporis adhuc presbyter Lugdunensis erat parœciæ, supradicto Romæ episcopo commendarunt. » Idem testatur Hieronymus in Catalogo : « Irenæus Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato in locum ejus substituitur. » Plane martyres Lugdunenses Irenæum adhuc presbyterum, per quem miserunt epistolam, Eleuthero commendat, quemadmodum paulo post Alexander episcopus in vinculis ad Antiochenos scribens Clementem presbyterum iis commendabat: Ταῦτα δὲ ὑμῖν, κύριοί μου ἀδελφοί, τὰ γράμματα ἀπέστειλα διὰ Χλήμεντος τοῦ μακαρίου πρεσβυτέρου, ἀνδρὸς ἐναρέτου καὶ δοκίμου. « Has litteras, domini fratres, per beatum presbyterum Clementem ad vos misi, virum virtute præditum et probatum. » Eusebius, lib. VI, c. 11.

Contra hæc Eusebii et Hieronymi clarissima testimonia Blondellus statuit, Irenæum sedisse jam in Lugdunensi cathedra Pothini loco a fratribus constitutum et colobio episcoporum vestitum, cum a delegantibus « presbyter » vocaretur. Et ut ad suas partes hæc traherent tum ille tum Salmasius multa de hac re commenti sunt, et plurima in Eusebio et Hieronymo observarunt, quæ, ut aiunt, « castigationem mereantur. » Primo, Eusebius martyres ipsos ad Eleutherum epistolam scripsisse, qua commendant Irenæum presbyterum, narrat. Eusebius autem ipsam epistolam vidit, eamque etiam operi *De passionibus martyrum* a se conscripto integram inseruit, ideoque a quibus et quando conscripta est, Ignorare non potuit. Idem testatur et Hieronymus, qui vidit Eusebii *De martyribus opuscula*. Negant hi a martyribus scriptam esse; Salmasius ab episcopis, Blondellus a fratribus datam hariolatur. Blondellus pro sua sententia Ruffinum advocat Eusebii interpretem non satis accuratum. Hunc vult Eusebiana Græca ita reddidisse ut ab Ecclesiis Galliarum, non a martyribus ea epistola scripta sit. Sed hæc aut ex oscitantia, aut manifesta fraude profecta sunt. Ruffinus refert ecclesias Galliarum scripsisse, epistolas martyrum, qui apud eos consummati fuerant, proferentes, quas illi in vinculis per Asiam et Phrygiam fratribus consistentibus scripserant; et Eleuthero urbis Romæ episcopo, de pace eum Ecclesiæ commonentes; quique etiam Irenæum presbyterum tunc adhuc Ecclesiæ Lugdunensis, supradicto urbis Romæ episcopo commendabant.» Ubi illud « quique » non ad « Ecclesias, » sed ad « martyres, qui apud eos consummati sunt, » aperte referendum est; exprimere enim voluit id quod scripserat Eusebius, οἱ δὲ αὐτοὶ μάρτυρες. Secundo Eusebii et Hieronymi sententiam clare in Historia descriptam, et ex ipsis rerum gestarum monumentis deductam, refellere se posse sperat ex iis quæ ab Eusebio et Hieronymo alibi scripta sunt, nempe in Chronicis. Ut hoc efficiat, profert ex Scaligero verba Eusebii Græca, ubi ad annum Marci Antonini septimum passiones Polycarpi et martyrum Gallicanorum simul referuntur. Sed in Latinis Hieronymi, verba sic se habent :

« Persecutione orta in Asia Polycarpus et Pionius fecere martyrium, quorum scriptæ quoque passiones feruntur.

QUARTA PERSECUTIO.

« Plurimi in Gallia gloriose ob Christi nomen interfecti; quorum usque in præsentem diem condita libris certamina perseverant. »

Liquet ex his verbis, Eusebium celeberrima martyria sub Marco Antonino facta in hunc unum locum conjecisse; neque enim per totum Antonini imperium alterius ullius martyrii meminit. Ubi igitur quartæ persecutionis mentionem facit, eodem loco duo insignia martyria, unum in Asia, alterum in Gallia facta commemorat: non quod eodem anno sed sub eadem persecutione, hoc est sub ejusdem Antonini imperio utrumque contigerit. Hanc Eusebii mentem fuisse palam est; nam in Historia post Chronicum canonem scripta, ubi de rebus ipsis fusius agitur, persecutionem Gallicanam ad decimum septimum ejusdem Antonini annum refert. Blondellus non tantum unicam hanc persecutionem, sed eodem anno in Asia inceptam in Gallia finitam esse statuit, errore gravi atque manifesto. Monet ipse Eusebius Gallicanos martyria subiisse, σφοδρότερον ἀναῤῥιπισθέντος τοῦ καθ' ἡμῶν διωγμοῦ, « cum jam violentius resuscitata et reaccensa esset contra Christianos persecutio, et quidem in quibusdam terræ partibus. » Persecutio sub Marco orta per multos annos duravit, nunc in hac, nunc in illa provincia grassata, pro furore populi, aut præsidum crudelitate. Sub Asiæ proconsule Quadrato passus est Polycarpus episcopus Smyrnæ; sub Servilio proconsule Sagaris episcopus Laodiceæ. Durante hac persecutione, « Antonino imperatori Melito Asianus Sardiensis episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit, » ut Eusebius in Chronico ad annum ejus decimum. « Recte, inquit Valesius ad Euseb. lib. IV, c. 26, id refertur anno 10 Marci Antonini, anno scilicet post mortem L. Veri. » Idem autem ad Proœmium libri quinti notat hoc male ab Eusebio factum; observatque Melitonem Marco Apologiam dedisse sub finem ejus imperii. Certe illa quarta persecutio in Asia duravit usque ad illud tempus quo scripsit Melito, sive ille 10 Marci anno, sive sub finem imperii ejus Apologiam obtulit, sive, quod ego verum esse puto, medio inter hæc inter-

vallo. Mortuo L. Aurelio scripsisse Melitonem liquet, quod in Apologia ejus non meminit, qui cum Marco consors in imperio fuerat, sed filii Marci mentionem facit. Fieri autem hoc potuit cum Commodus jam solus Cæsar esset, mortuo fratre, qui simul cum eo Cæsar factus est, Putente et Pollione coss. Dum igitur Commodus Cæsar esset ante annum Marci decimum quintum saltem finitum, Melito Apologiam Marco Aurelio obtulit. Qua Apologia cum aliis permotus, ut refert *Chronici Alexandrini* auctor, Marcus Aurelius, de sedanda persecutione ad Commune Asiæ scripsit: id autem fecit 15 imperii sui anno, ut ex ipsa inscriptione patet. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος Σεβαστὸς Ἀρμένιος, Ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον. « Imperator Cæsar M. Antoninus Aug. Armenicus, pontifex maximus, tribuniciæ potestatis 15, consul 3. » Miror equidem Valesium dixisse, hanc epistolam a Marco scriptam esse « anno primo ejus imperii, cum ipse esset tertium consul. » Licet enim eo anno tertium consul esset, is tamen 15 tribuniciæ potestatis esse non potuit. At tertium consul dicebatur non tantum eo anno, quo consulatum gessit, sed omnibus sequentibus, nisi alium consulatum iniret. Marcus autem postea consul non fuit, ideoque per omnes imperii annos tertium consul dictus est, ut in inscriptione Gruteriana:

IMP. CÆS M. AVREL. ANTONINVS AVG. GERM. TR. P. XVII. COS. III.

Quæ igitur in Asia 7 Marci anno persecutio cœpta est, 15 ejusdem sedata est. In Gallia tamen statim recruduit, et circa finem anni 17 passus est episcopus Lugduni Pothinus, Rufo et Orphito coss., ut refert *Chronicon Alexandrinum*.

Tertio excipit Blondellus, Eusebium tradere persecutionem Gallicanam efferbuisse, ante victoriam legione fulminatrici Marco partam, quæ 13 imperii ejus anno contigit. Et quidem Eusebius post persecutionis narrationem illam historiam tradit; post autem persecutionem contigisse non dicit, sed ea potius quæ contrarium evincunt. Claudit enim persecutionis historiam his verbis: Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπ' Ἀντωνίνου τοιαῦτα· « Atque talia sunt quæ sub Antonino contigerunt, » lib. v, cap. 4. Hæc enim quæ proxime enarraverat, ad postrema illius imperatoris tempora referebat. Tum vero narrationem quamdam statim interserit de Legione fulminea, quam velut incertam relinquit: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπῃ τις ἐθέλῃ τιθέσθω, « sed de his quisque pro arbitrio suo statuat; » μετίωμεν δὲ ἡμεῖς ἐπὶ τὴν τῶν ἑξῆς ἀκολουθίαν, « nos vero ad historiæ ordinem redeamus. » Narrationem igitur illam de legione fulminea extra τὴν τῶν ἑξῆς ἀκολουθίαν, sive « historiæ ordinem, » secundum rerum gestarum consequentiam interseruisse se fatetur. Redit igitur ad finem persecutionis, ad mortem Pothini, et successionem Irenæi in episcopatu Lugdunensi.

Quarto persecutionem Gallicanam excitatam esse ait Blondellus non sub episcopatu Eleutheri, sed Soteris, qui ad Marci decimum annum sedit, ut ex Ecclesiæ Romanæ tabulis observat, quæ aliter annos pontificum quam Eusebius disponunt. Sed hæc discrepantia nullam in hac re difficultatem creat. Sive enim Marci 10, ut statuit pseudo Damasus, sive 16, ut Eusebius, sedem Romanam primo occupavit Eleutherus, 17 Marci anno Romæ idem episcopus fuit, cum ei Irenæus sub presbyteri nomine a martyribus commendatus est. Hæc igitur objectio nihilum quidem proficit, nisi prius probatum sit, 7 Marci persecutionem Gallicanam et excitatam et finitam esse, et Pothinum eo tempore martyrio coronatum, et Irenæum statim successisse, quæ probari nullo modo posse jam ante ostendimus. Nam Eusebii Chronicon aliter intelligendum, quod Orosius, Paulus Diaconus, Freculphus aliique secuti sunt, certissimis argumentis evicimus. Eaque vera esse vel hinc aperte colligitur. In Chronico Eusebii ad 11 Marci annum hæc notantur: « Pseudo-prophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, auctore Montano, et Priscilla, Maximillaque insanis vatibus. » At ante hujus hæreseos exortum in Galliis martyria, saltem hæc de quibus agimus, visa non sunt. Ipsi enim martyres Gallicani de controversia ex Montani hæresi orta sententiam suam protulerunt, ut ex vetustissimis eorum monumentis tradit Eusebius, *Hist.* l. v, c. 3. Fratres quippe Gallicani hac dissensione orta judicium suum protulerunt: ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολὰς, ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντες τοῖς ἐπ' Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν· « prolatis interfectorum apud se martyrum variis epistolis, quas illi, dum in vinculis adhuc essent, ad fratres in Asia et Phrygia degentes scripserant. » Ex vetustissimis igitur Ecclesiæ Gallicanæ monumentis tradit Eusebius et Pothinum a Lugdunensibus episcopum proprie secundum illum ordinem, quem in Ecclesia tenebat, appellatum esse, et Irenæum etiam presbyterum, cum adhuc tantum presbyter esset, nec in episcopatu Pothino successisset. Vidit, opinor, Dallæus hæc vera esse, ideoque a Blondelliano argumento prorsus abstinuit. Hoc igitur extra controversiam posito reliqua persequamur.

Hegesippus sub eodem Eleuthero eamdem appellationem cum Ignatio caste observavit. Plurimos « episcopos » se adiisse ait, cum Romam proficisceretur, sub Aniceto, cujus tum diaconus erat Eleutherus. Ejus verba sunt: Ἐπέμενεν ἡ Ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ. « Corinthiorum Ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum Corinthi episcopum. » Idem de Hierosolymitanis: Μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν δίκαιον πάλιν ὁ ἐκ θείου αὐτοῦ Συμεών ὁ τοῦ Κλεωπᾶ καθίσταται ἐπίσκοπος. « Post martyrium Jacobi Justi, rursum ex avunculo

ejus Symeon Cleopæ filius episcopus constituitur. » Et statim : Ἄρχεται δὲ ὁ Θέβουθις διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον ὑποφθείρειν. « Primus Thebuthis, quod episcopus factus non sit, Ecclesiam occulte vitiare aggressus est. » Ita semper episcopos suo nomine indigitat, nunquam presbyteros vocat, apostolorum temporibus proximus Hegesippus. Ita Polycrates Ephesinorum episcopus, in epistola ad Victorem papam, de episcopis semper Ignatiano more loquitur : Ἔτι δὲ καὶ Πολύκαρπος ὁ ἐν Σμύρνῃ καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς, καὶ Θρασέας καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς ἀπὸ Εὐμενίας. Τί δὲ δεῖ λέγειν Σάγαριν καὶ ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα ; « Polycarpus quoque qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit, itemque Thraseas Eumeniæ episcopus et martyr. Quid Sagarin episcopum eumdemque martyrem attinet dicere ? » Seipsum etiam episcopum vocat non minus quam Ignatius : Ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς μοι ἐπίσκοποι, ἐγὼ δὲ ὄγδοος· « Septem erant mihi affines episcopi, ego autem octavus. » Ostendit magnum esse numerum eorum qui sibi aderant cum ad Victorem scriberet : omnes episcopos vocat, quod episcopi essent, nec unquam presbyteri nomine utitur. Serapion secundi sæculi scriptor 11 commodi imperatoris anno Antiochiæ episcopus ordinatus, epistola ad Caricum et Ponticum his verbis de Apollinare scripsit : Πέπομφα ὑμῖν καὶ Κλαυδίου Ἀπολλιναρίου τοῦ μακαριωτάτου γενομένου ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας ἐπισκόπου γράμματα. « Beatissimi Claudii Apollinaris, Hierapolitanæ urbis in Asia episcopi, litteras ad vos misi. » In hac autem epistola legebantur variorum episcoporum subscriptiones, qui nomina cum titulis simul non verebantur scribere : ut Αἴλιος Ἰούλιος Ἰούλιος ἀπὸ Δεβέλτου Κολωνείας τοῦ Θρᾴκης ἐπίσκοπος, aliique complures : neque episcoporum ullus presbyteri nomine mulctatus deprehenditur.

Præterea Anonymus apud Eusebium l. v, c. 16 in Exceptis trium librorum quos contra Cataphrygas scripsit, perpetuo nominibus episcopi et presbyteri distincte et caste utitur ; seipsum presbyterum fuisse indicat, Zoticum Otrenum compresbyterum appellat, Ancyranæ Ecclesiæ presbyteros τοὺς κατὰ τόπον πρεσβυτέρους vocat, alios autem ἄνδρας δοκίμους καὶ ἐπισκόπους, « viros probatos vel spectabiles et episcopos, » Zoticum nempe Comanensem, et Julianum Apameum. Mire hæc ad suam causam a Blondello omissa trahit Dallæus. Anonymus ille « se quidem, inquit, presbyterum et Zoticum quemdam Otrenum sympresbyterum suum vocat, cum tamen ex iis quæ a se apud Ancyram Galatiæ gesta narrat, satis appareat eum, adeoque et collegam Zoticum, utrumque in primo sacerdotum ordine fuisse. » Ut quis qui episcopus esset historiam sui temporis et res ab ipso gestas memorans, se presbyterum vocaret, aliumque etiam coepiscopum suo titulo, ea præsertim ætate qua episcopi summum in Ecclesia principatum sine controversia obtinebant, simul spoliaret, mirum mihi vel inspicienti videbatur. Presbyterum quidem se vocat Anonymus, Zoticum etiam Otrenum, et Ancyranorum presbyterorum mentionem facit ; sed hos omnes episcopos sive primi ordinis sacerdotes fuisse, ex ipsa gestorum narratione colligere se posse putavit vir doctissimus, cum tamen ad probandum aut ipsius anonymi aut Zotici compresbyteri episcopatum ex historia nihil afferat. Et quidem pro anonymi ipsius episcopatu quid afferri possit non video, si verba apud Eusebium spectes ; quod si Ruffinum interpretem consulas, aut, qui eum secutus est, Martyrologii Romani auctorem Martii 10, erit Apollinaris Hierapolitanus episcopus. Sed errasse Ruffinum constat ; non enim Eusebius affirmat Apollinarem hæc scripsisse, sed alium quemdam ex eloquentibus viris quos Apollinari adjungit, ut jampridem a viris doctis Halloixio et Valesio et observatum et abunde probatum est. De Zotico quod ait, apertissima fallacia est. Zoticum quidem compresbyterum suum vocat, sibi in disputatione cum Montanistis astantem ; Zoticum etiam episcopum vocat ; sed ille quem compresbyterum appellat, Otrenus fuit ; ille quem episcopum nominat, Comanensis. Otrum in Phrygia Salutari, Comena in Armenia secunda fuit. Otrenus ipsi astare dicitur, cum jam 13 post mortem Maximillæ anni fluxissent ; Comanensis examinavit spiritum Maximillæ dum adhuc viveret et insaniret. Duo igitur apud anonymum Zotici fuerunt, presbyter Otrenus, et episcopus Comanensis. Vidit hæc perspicacissimus II. Valesius et admonuit, « distinguendum hic Zoticum Otrenum a Zotico Comanensi ; nam Comanensis ille antiquior fuit. » Cum autem illos, qui Ecclesiæ Ancyranæ presbyteri vocantur, episcopos faciat, miram rationem affert Dallæus ; nempe quia anonymum « rogarant, ut quæ coram ipsis disputaverat, litteris mandare vellet. Illa enim cura, inquit, proprie ad præpositos primi ordinis pertinet. » Papæ ? Erat Ancyræ anonymus : et οἱ κατὰ τόπον πρεσβύτεροι (ut paulo ante, ἡ κατὰ τόπον Ἐκκλησία), hoc est, « ejus loci, seu Ecclesiæ Ancyranæ presbyteri, » hoc ab eo postulant. An plures tunc temporis Ancyræ erant episcopi ? Minime certe. An rogare aliquem ut scribat, officium est episcopi presbyteris minime competens ? Non puto. Si id verum sit, nemo, opinor, Dallæum rogavit ut disputationem hanc litteris mandaret. Petebant presbyteri ut contra Montanistas scriberet, idem diu ante injunxerat episcopus Avircius Marcellus ; ab illis rogatus, ab hoc ἐπιταχθεὶς tres libros conscripsit sive anonymus, sive Asterius Urbanus : in quibus et seipsum et Zoticum Otrenum, et Ancyranæ Ecclesiæ presbyteros nominat, Zoticum autem Comanensem et Julianum Apameum « episcoporum » titulo cohonestat.

Denique quamvis canones apostolici ab apostolis ipsis scripti non sint, constat tamen, ex ipsis quamplurimos secundo sæculo conditos fuisse. Eos autem distinctionem hanc inter episcopos et presby-

teros caste et perpetuo observasse, non est cur probem, cum Dallæus hoc nobis libentissime largiatur. « Hi canones, inquit, in duos diversos ordines episcoporum et presbyterorum perpetuo dividunt, plurimum inter se et nomine, et jure, et statu, et auctoritate differentes, » *De pseudepigraphis apost.* lib. III, cap. 18. Ex his autem omnibus abunde patefacta est primæ assertionis veritas, alios quamplurimos secundi sæculi scriptores idem discrimen inter vocabula episcopatus et presbyteratus observasse, quod observat Ignatius noster. Quare quod ad modum loquendi in hac re attinet, potuit ejusdem ætatis cum his omnibus esse Ignatius epistolicus, quod nos eum Salmasio et Albertino sentimus.

Secunda assertio est: Nullum secundi sæculi scriptorem adeo promiscue vocabulis episcopi et presbyteri usum esse, ut simplici presbytero in secundo ministerii gradu constituto unquam episcopi nomen tribueret. Hoc adeo aperte verum est, ut illi ipsi, qui confusioni nominum tantopere inhærent, et apostolos id fecisse maxime contendunt, ne unum quidem locum ex omnibus illius sæculi monumentis adhuc afferre potuerint quo quispiam qui presbyter tantum esset, nec presbyteris cum auctoritate præesset, episcopus diceretur. Miror itaque Dallæum hoc Ignatio epistolico objicere, ut eum ex secundo sæculo ejiciat, et ad finem tertii aut quarti initium deprimat; cum omnes ejusdem sæculi scriptores episcopi nomen pari cum discrimine et reverentia supremo ordini semper tribuant, secundo nunquam. « Episcopum apostoli, inquit, interdum dicunt qui secundi ordinis est; epistolarum scriptor nunquam: hoc ubique nomen constantissime pro summi gradus præposito usurpans. » Quæ de apostolis dicit, quantum contra suos faciunt, nunc non discutio; quæ de Ignatio loquitur, eum non magis feriunt quam omnes ejusdem ætatis scriptores ab ipso etiam maxime laudatos; qui quoties episcopum nominant, ubique illud nomen pro summi gradus præposito usurpant. Unicum igitur crimen Ignatii nostri restat, quod eos qui revera episcopi essent, nunquam presbyteros vocaret, cum eo nomine illos indigitarent ejusdem ætatis scriptores, ut illi volunt, omnes; ut nos ostendimus, perpauci. Sed et hic optima ratio reddi potest, quare cum iis potius loqueretur Ignatius, qui presbyteri nomen non minus quam episcopi distincte et proprie usurpabant, quam cum illis, qui nomen presbyteri aliquando episcopo tribuebant; quia rei ipsi quam tractabat convenientior multo fuit horum distincta quam illorum confusa istius vocis usurpatio. Confluebant ad eum in itinere ab ecclesiis Asiæ et episcopi, et presbyteri, et diaconi complures ordine et munere et nomine et dignitate distincti; de suarum ecclesiarum statu eum certiorem faciebant: ad illorum ecclesias epistolas exarabat, sub martyris auctoritate, et summi in Syria episcopi, monita iis dabat. Quod ei maxime necessarium videbatur præcipue inculcab hæreticis et schismaticis caverent, ne illi l huc serperent. Remedium huic malo ma portunum indicabat, ut clero suo omnes adh et Christianam unitatem colerent; omnes ordines sui loci dignitatem obtinerent. Crel ordines sacros distinguit et enumerat, et sin ordinum nonnullos jam suo officio fungent nat; hæc autem recte fieri non potuerun ordinum nomina distincte enuntiaret. Nec tres ordines bene distinguere, aut cuique si et dignitates recte assignare potuit, nis etiam proprium aliquod nomen affigere singulares homines tunc temporis certis o distinctos, et officia diversa in eadem ecc sequentes, commendare potuit, nisi sub c dus nomine atque charactere. Quis enim dus enumerans, presbyteros, et presbyt diaconos diceret? quis presbyteros presbyt jectos esse debere doceret? quis duos n eodem tempore diversa et distincta officia et statu, et dignitate sortitos indiscrimina sbyteros appellaret? Episcopi nomen totie pturis memoratum tunc non evanuisse nemini simplici presbytero ea ætate attribu ex omnium scriptorum silentio apparet; er primo ordini tunc reservatum et appropri absurde locutus esset Ignatius, ipse etiam pus, si nomen primo ordini concessum tribuisset; et cum presbyteros monere quique episcopo parerent, ipsos a quibus tiam postulabat episcopos, aut illum, cui tiam præstandam docebat, presbyterum a set. Æque enim absonum videtur, ut quis pos episcopo, aut presbyteros presbytero s esse debere doceret, et in eo argumentu caret, præsertim cum de schismate trac qua re notissimum est, Ecclesiæ salutem ir sacerdotis, hoc est episcopi, dignitate pend si non exsors quædam et ab hominibus detur potestas, tot in Ecclesia efficientur scl quot sacerdotes, hoc est presbyteri.

Sit igitur tertia assertio: Nullum om cundi sæculi scriptorem, cum gradus en aut cum de singularibus sui temporis n loquitur, nomen presbyteri ei qui episcop tribuisse. Nonnullos quidem adducit Dalla Græcos tum Latinos, a quibus primi gradu dotes « presbyteri » dicerentur; sed si singul tiamus, aut id non dicunt quod ille vult nomen presbyteri usurpant, cum gradus n merant, aut de suæ ætatis episcopis non loq Papias, in Fragmentis quæ supersunt, nunc τέρους plurali numero, nunc πρεσβύτερον s de unico Joanne usurpat. Cum plurali nun hibet, non liquet eum vel de hoc vel illo g ordine speciatim intelligendum esse; potiu generali sensu accipienda est, quo ætate

seu antiquiores simpliciter significare solet. Cum enim Papias putaret ex viva voce hominum superstitum plus utilitatis capi potuisse, quam ex librorum lectione ; quærebat ex iis qui erant ipso seniores, quid illi audiverant ab iis qui illis etiam ipsis seniores erant ; atque ita tandem perveniebat ad testimonia apostolorum viva voce tradita. Quærebat a discipulis apostolorum, ipse enim nullius apostoli discipulus fuit. Presbyteros omnes apostolos,omnesque Christi Domini discipulos vocat, de hoc vel illo ordine ministerii evangelici ab apostolis instituto non omnino agit.Joannem quemdam ab apostolo distinctum sæpe τὸν πρεσβύτερον vocabat ; sed fieri potest ut ille secundi ordinis sacerdos fuerit ; certe primi fuisse veterum nemo dixit ; nimis autem incerta sunt, quæ in Clementis *Constitutionibus*, de Joanne a Joanne episcopo facto referuntur.Marcum qui volunt ab eo etiam πρεσβύτερον dictum, verba apud Eusebium ita interpretantes : « Hoc senior Marcus dixit Petri interpres, » fallunt. Aliud ea verba sonant. Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγεν· Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν. Quæ satis commode a Ruffino versa sunt : « Etiam hoc (inquit) presbyter narrabat, quod Marcus interpres fuerit Petri,et quæcunque meminerat ab eo dicta, conscripserit. » Utcunque sit, Papias nunquam gradus ecclesiasticos enumerat, nunquam officia distinguit ; nusquam episcoporum,aut diaconorum mentionem facit ; nunquam de episcopo aliquo singulari aut presbytero, qui cum ipse scriberet in vivis esset loquitur. Idem etiam de Irenæo dicendum ; presbyteros generaliter vocat episcopos,sed nunquam, gradus enumerans, singulares viros, qui episcopi fuerant, presbyteros appellat ; sed semper antiquos, quales erant οἱ πρὸ Σώτηρος πρεσβύτεροι, οἱ πρὸ σοῦ πρεσβύτεροι, οἱ πρὸ αὐτοῦ πρεσβύτεροι, οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι. Cum autem de præsente episcopo agit, sub quo ipse scripsit, proprie et ad modum Ignatii loquitur, lib. III, c. 3: « Fundantes igitur et instituentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus ; post eum tertio ab apostolis episcopatum sortitur Clemens ; » et reliquis enumeratis : « Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius.»Male igitur Dallæus ex nescio qua apostolici sermonis lege postulat, ut S. Ignatius Damam, Onesimum, et Polybium,non minus quam Irenæus Anicetum, Pium, Hyginum,Telesphorum,«presbyteros » vocat cum hi Irenæo antiquiores fuerint, illi Ignatio coævi, quos necesse ei fuit a presbyteris distinguere.Pejus autem multo Salmasius in Apparatu « nec muneris, nec dignitatis inter episcopum et presbyterum divisionem Victoris tempore exstitisse» vel inde probari putavit, « quia non solum ipsum, sed etiam anteriores episcopos Romanos πρεσβυτέρων nomine appellatos constat ab Irenæo et aliis.»

Neque enim Irenæus unquam Victorem sibi synchronon presbyterum vocavit, neque dum anteriores presbyteros vocat, episcopos Victoris tempore ecclesias gubernantes presbyteros appellari solitos ostendit.Clemens Alexandrinus quid de hac re scripserit videamus.De perfecto suo Christiano, sive Gnostico locus, addit : « Hic est revera presbyter Ecclesiæ, et verus diaconus divinæ voluntatis.» At hæc non ita diceret,« si qua apud nostros dignitas esset presbyteratu superior. » Sed quare non eum diceret presbyterum.licet episcopatus sit presbyteratu superior, quem diaconum dixit, licet diaconatu superior sit presbyteratus ? Profecto ita Clemens eum appellavit,cum ipse sciret ac doceret apud nostros dignitatem fuisse presbyteratu superiorem ; nam statim postquam hæc scripserat,ait : Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων μιμήματα, οἶμαι, ἀγγελικῆς δόξης τυγχάνουσιν. Secundum Clementem igitur, quemadmodum προκοπή seu profectus est a diaconatu ad presbyteratum,ita etiam προκοπή seu profectus est a presbyteratu ad episcopatum : et hos tres ordines non tantum ordinum angelicorum imitamenta quædam esse putat;sed et ab ipsis apostolis in Ecclesia institutos, et diversis distinctisque præceptis munitos credidit, ut ex tertio *Pædagogi* libro ostendimus. Ubi igitur ordines seu gradus enumerat,utrobique cum Ignatio nostro episcopos, presbyteros et diaconos proprie et distincte agnoscit. Sed « in quodam ex ejus Operibus quod apud Eusebium exstat fragmento, quem primo episcopum dixerat, eumdem paulo post presbyterum dicit. » Fecit hoc quidem in homilia jam tandem sub Origenis nomine edita, quod miror et Blondellum et Dallæum latuisse ; sed quomodo id fecerit videamus. Hominem illum, quisquis fuit, καθεστῶτα ἐπίσκοπον sub Joanne apostolo tradit,cum ipse apostolus regiones illas peragraret, ἐπισκόπους καταστήσων· apostolum ipsum ita eum alloquentem introducit: Ἄγε δὲ, ὦ ἐπίσκοπε, hoc est, sui temporis episcopum eo nomine quasi officio apprime congruente compellantem Ipse autem Clemens post annos centum,hunc quem et ipse et apostolus episcopum appellarent, semel πρεσβύτερον, semel πρεσβύτην, ut apostolum ipsum τὸν γέροντα vocat. Nil igitur contra morem Ignatii fecit.Quinetiam Polycarpum secundum præsentem Ecclesiæ statum apud Philippenses scripsisse non dubito. Illis quidem præcipit ut subjecti sint « presbyteris et diaconis sicut Deo et Christo. » Sed quis dabit, episcopum Philippensium tunc in vivis fuisse ? Quis præstabit Philippenses ideo a Polycarpo consilium non efflagitasse, quod tunc temporis episcopo ipsi haud potirentur ? Ita enim ipse eos alloquitur : Ταῦτα, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας γράφω ὑμῖν περὶ τῆς δικαιοσύνης· ἀλλ' ἐπεὶ ὑμεῖς προεκαλέσασθέ με. « Hæc autem, fratres, non meo arbitrio, vobis de justitia scribo,sed quod vos ad me provocastis. » In causa, ut opinor, Valentis presbyteri, quam judicio Polycarpi permittebant.

Hæc igitur cum incerta sint, nihil certi ex sermone Polycarpi afferri potest. Sed, inquit Dallæus, Polycarpus se,et eos, quorum nomine Philippensibus scribit, episcopos presbyteros dicit, « Polycarpus, et qui cum eo sunt presbyteri. » Hæc quidem epistolæ ejus inscriptio est, Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι. Sed an ille qui nomen suum tantum refert, se presbyterum dicit ? An cum nemine nisi cum presbytero presbyteri esse potuerunt ? Annon cum episcopo presbyteri esse solebant ? Ex his exsculpi nullo modo potest,Polycarpum seipsum presbyterum vocasse : ut neque illud, eos quos vocat presbyteros quosque sibi adjungit, episcopos fuisse. Nemo enim dubitat quin in Ecclesia Smyrnensi Polycarpo episcopo adjuncti fuerint presbyteri ; cum igitur ad ipsum provocassent Philippenses, quare alios ex Asia episcopos convocaret, et suo presbyterio contentus non esset, equidem non video. Et hi quidem quatuor Græci sunt secundi sæculi scriptores, quos advocat vir doctissimus ; quintum enim anonymum jam ante expunximus.

Latinorum autem illius memoriæ mirum texit catalogum. Primum Irenæi interpretem refert, quem ita« locutum esse » dicit,«et ex quo quæ fuerunt Irenæana pleraque se descripsisse »fatetur.Quare enim aliter loqueretur Irenæi interpres quam locutus est Irenæus ? Aut quid auctoritas interpretis huic rei confert, nisi quod Irenæum ita scripsisse persuasum habeamus, quod nemo negat ? Sive secundi sæculi fuerit interpres ille, sive sequioris alicujus, perinde est ; nullam ille vim argumento addit. Qui putant eum ejusdem cum Irenæo ævi fuisse,ipsum Irenæum fuisse hariolantur ; ita unus tantum ex auctore et interprete testis conficitur. Qui existimant ejusdem cum Tertulliano ætatis esse, nihil aliud afferunt, nisi quod ante S. Augustinum scripsisse videatur ; contra quæ multa objici possent,si res ipsa tali defensione indigeret .Irenæi interpreti subjungit Pium Romæ episcopum cujus epistolam Justo episcopo Viennensi directam nobis objicit ; quam tamen « non ab omni impostura suspicione liberam » olim Blondellus judicavit.Ille quidem, quisquis est, de presbyteris qui ab apostolis educati fuerunt,loquitur,sed jam, cum scriberet, mortuis : quod ad rem nihil. In eadem autem epistola de sui temporis clericis Ignatiano more loquitur,secundi ordinis clericos diserte presbyteros appellat : « Salutant te Soter et Eleutherius digni presbyteri.»Tunc enim ipse Romæ episcopus fuit ; Soter autem et Eleutherius ibidem proprie dicti, si forte, presbyteri. Si forte, inquam ; nam post Pii decessum Eleutherium Aniceti diaconum fuisse testatur Hegesippus.Idem in altera epistolo ejusdem farinæ,Verum collegam suum nominat, Justum Viennensem ejus loco constitutum et colobio episcoporum vestitum agnoscit : ad quem sic scribit : « Presbyteri et diaconi non ut majorem sed ut ministrum Christi te obserent.» Ac rursus : « Presbyter pastor titulum condidit. » Accurate igitur distinctionem ordinum nominumque observavit Pius ille,cum de clero sui temporis loqueretur. Nec minus infeliciter hunc pro communione nominum attulit Dallæus, quam pro paritate ordinum Blondellus,quem adeo clare refutavit Hammundus noster. Hi sunt præclari duo testes secundi sæculi adversus Ignatium producti ; quibus miror eum, cum tanta inopia premeretur, non addidisse Victoris papæ testimonium a Blondello et Salmasio productum,quod ejusdem plane cum illo Pii farinæ est. Ex illo enim colligit Blondellus, apostolorum successores et convictores Ecclesiarum ad Victoris tempora rectores presbyteros fuisse.Sed vidit, opinor,apertum hoc esse mendacium ; nemo enim qui apostolorum convictor fuerat, Victoris ætate Ecclesiam regebat. Planus ille aliter Pium papam loquentem repræsentat : « Presbyteri illi,qui ab apostolis educati neque ad nos pervenerunt,cum quibus simul verbum fidei partiti sumus, a Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur. » Sub Pio igitur episcopatum tenente omnes presbyteri apostolorum convictores demortui fuerunt, et, ut ille valuit, « æternis cubilibus clausi. » Post Pium sedit Anicetus, post Anicetum Soter, post Soterem Eleutherus,post Eleutherum Victor. An igitur presbyteri illi æternis cubilibus perruptis resurrexerunt,ut ad tempora Victoris et nescio cujus Desiderii Viennensis episcopi, ecclesias gubernarent ?Ipsius Blondelli verba sunt, *Apologiæ* sectione quinta : » Observaverit igitur lector, Pio sedente (inter annum 146 et 150) mortalitatem explevisse quotquot Romæ superfuerant apostolorum discipuli. » Pio autem tanquam fratrem scriptorem adjungit Græcum Hermam *Pastorem*.Sed illum Pii fratrem fuisse qui credet ? Supposititii Tertulliani, aut *Libri pontificalis* auctoritas tanta non est,ut verum illud esse credamus, quod Irenæus qui sub Pio vixit, quod Tertullianus ipse, quod Hieronymus prorsus ignorasse cognoscuntur.« Eo igitur factum non videtur, ut Hermas ministeria Ecclesiæ a Christo data obiter alicubi commemorans non alios recenseat,quam apostolos et episcopos et doctores et ministros,id est diaconos. » An quia Pius episcopos ab apostolos educatos presbyteros vocabat,ideo Hermas presbyteri nomen omisit, presbyteros autem ipsos sub episcopis complexus est ? Quænam hæc ratio est ? Sed neque verum est,multo minus certum, Hermam presbyteros sub episcopis complexum esse ; quos sub doctoribus potius complexus est. Ut in passione S. Perpetuæ legimus: « Et eximus et vidimus ante fores Optatum episcopum ad dextram, et Aspasium presbyterum doctorem ad sinistram. » Ut Tertullianus : « Quid ergo si episcopus, si diaconus, si vidua,si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit. » Ubi doctorem sine dubio pro presbytero posuit. S. Cyprianus, epistola 24 : » Quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaaemus.» Blon-

dellus quidem affirmat constare apud Hermam, doctores ad episcopos præcipue referri, cum episcopatum gessisse dicantur; dolose, ut solet. Verba Hermæ sunt visione 3: « Ii sunt apostoli et episcopi, et doctores, et ministri, qui ingressi sunt in clementia Dei et episcopatum gesserunt, et docuerunt, et ministraverunt sancte et modeste electis Dei. » His autem minime doctores docet episcopatum gessisse, atque ea ratione ad episcopos referri debere, sed tribus distinctis gradibus suorum officiorum actus distincte tribuuntur: nam episcopi episcopatum gesserunt, doctores docuerunt, ministri ministraverunt; ut similitudine 9 loquitur: « Ut quidam doctores qui caste et sincere prædicaverunt ac docuerunt. » Hi igitur cum omnes sint secundi sæculi scriptores quos pro confusione nominum adducit Dallæus, liquet ne unum quidem, cum gradus enumerat, aut cum de singularibus sui temporis ministris Evangelii loquitur, nomen presbyteri ei qui episcopus esset tribuisse. Et tum ex hac, tum ex priori assertione patet quam falsum sit quod Dallæus nos docere voluit: « Hic erat hujus vocis publicus apud nostros usus, hæc Christianorum illius memoriæ hominum institutio ac consuetudo, ut presbyterum vulgo tam qui esset primarius, quam qui secundarius, et dicerent ipsi et ab aliis dictum intelligerent. » Non ita Ignatii Acta loquuntur, non sermonis Christianorum diligens observator Adrianus, non Ecclesia Smyrnensis, non martyres Lugdunenses, non Hegesippus, non Polycrates, non Serapio, non anonymus qui contra Montanistas scripsit, non auctor martyrii S. Perpetuæ, non canones qui dicuntur apostolici, ne Hermas quidem. Nullius illius ævi scriptor unum primarium, alium secundarium presbyterum tradidit; nullus ita ordines enumeravit ut in primo presbyterum, in secundo rursus presbyterum locaret; nullus quempiam tunc cum ipse scriberet superstitem et primi ordinis officio fungentem presbyterum appellavit.

Jam vero licet vir doctissimus ex confusione nominum, quam in secundi sæculi scriptoribus observabat, non concludat cum Salmasio duos tantum ordines sacros in Ecclesia fuisse ævo Ignatiano; licet præterea Hammondo det, etiam sub apostolis tres ordines exstitisse; tamen cum ipse loca apostolica aliter explicare videatur, et argumenti multo major vis esset, si adversarii probare possent revera tres ordines distinctos Ignatii ævo minime fuisse, quos epistolarum scriptor tam caste et perpetuo distinguit; ne sententiam Salmasii intactam relinquere, aut concessioni Dallæanæ nimis fidere videar, de hac re ulterius disserendum esse putavi. Sit igitur quarta assertio: Ea ætate qua S. Ignatius epistolas scripsisse dicitur, tres sacros ordines seu gradus distinctos in Ecclesia fuisse. Hoc ab Ecclesia Anglicana semper didici, quæ in Ordinalis sui præfatione ita loquitur: « Evidens est omnibus diligenter legentibus sanctam Scripturam et veteres scriptores, ab apostolorum tempore hos tres ordines ministrorum in Ecclesia Christi fuisse, episcopos, presbyteros et diaconos. « Ostendimus hujus partis capite primo jam tum in Ecclesiis Asiæ episcopos exstitisse, cum S. Ignatius ad martyrium festinaret. Diximus neminem unquam scriptorem Christianum et catholicum dixisse pauciores ordines quam tres exstitisse secundo sæculo, aut ulla ejus parte, etiam illos omnes qui episcopi et presbyteri nomina in apostolorum scriptis confusa esse existimabant, aut tunc cum ipsi apostoli scriberent, aut saltem ante secundum sæculum tres ordines seu gradus tradidisse; quod hoc loco satis opportuno demonstrandum suscepi. Sunt autem hi ex veteribus, ut opinor, omnes, aut certe præcipui, S. Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Ambrosiaster, Pelagius, Sedulius, Primasius, Theophylactus, Œcumenius. Qui omnium primus inter Græcos hanc nominum confusionem nobis tradidit S. Chrysostomus, ubique ostendit etiam tunc temporis episcopatum fuisse ordinem a presbyteratu distinctum et superiorem. Ad illa verba Philipp. 1, 1: Σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, hæc adnotat: Τί τοῦτο; Μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; Οὐδαμῶς· ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε· τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι, καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. « Quid hoc? Unius urbis multi erant episcopi? Nequaquam; sed presbyteros ita appellavit: tunc enim adhuc nominibus communicabant, et episcopus diaconus dicebatur. » Agnovit igitur singulares episcopos in singulis urbibus constitutos, qui nunc episcopi, nunc presbyteri, nunc diaconi dicebantur. Talem episcopum Timotheum fuisse asseruit: Ὅτι γὰρ ἐπίσκοπος ἦν, φησὶ πρὸς αὐτὸν, Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει. « Quoniam enim episcopus erat, et dicit: *Manus cito nemini impone* [46]. » Rursus quæ ante dixerat recolligens sententiam suam aperte ennuntiat: Ὅπερ οὖν ἔφην, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ οἱ ἐπίσκοποι πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ (ita hæc quæ in editis confusa sunt, legenda esse ex prioribus patet), ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ ἐπίσκοποι γράφουσι καὶ συνδιακόνῳ, λοιπὸν δὲ τὸ ἰδιάζον ἑκάστῳ ἀπονενέμηται ὄνομα, ὁ ἐπίσκοπος καὶ ὁ πρεσβύτερος. « Quod igitur dicebam, et presbyteri antiquitus vocabantur episcopi, et episcopi presbyteri et diaconi Christi (unde etiamnum multi episcopi scribunt sympresbytero, et syndiacono); postea vero peculiare unicuique nomen assignatum est episcopus et presbyter. » Rursus homilia undecima in primam ad Timotheum Epistolam: Διαλεγόμενος περὶ ἐπισκόπων καὶ χαρακτηρίσας αὐτοὺς, καὶ εἰπὼν τίνα μὲν ἔχειν, τίνων δὲ ἀπέχεσθαι χρὴ, καὶ τὸ τῶν πρεσβυτέρων τάγμα ἀφεὶς, εἰς τοὺς διακόνους μετεπήδησε. Τί δήποτε; ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν καὶ τῶν ἐπισκόπων, καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι καὶ προστασίαν τῆς Ἐκκλησίας· καὶ ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις

[46] I Tim. v, 22.

ἁρμόττει· τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβλήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. « Disserens de episcopis, eorumque characteres describens, dicensque quæ eos tenere et a quibus abstinero oportet, presbyterorum ordine omisso,ad diaconos transiliit. Quare? quia inter eos et episcopos non multum interest. Nam et ipsi docendi munus et præfecturam Ecclesiæ acceperunt: et ea quæ de episcopis dixit, etiam presbyteris conveniunt; sola enim ordinandi potestate excellunt,et hac una re videntur presbyteris superiores esse. » Unde constat sanctum Chrysostomum existimasse tunc cum ad Timotheum scripsit sanctus Paulus, præter diaconos et presbyteros, etiam episcopos in Ecclesia fuisse, per episcopos eo loco solos primi ordinis ministros intellectos, totum presbyterorum ordinem omissum esse, discrimen inter duos ordines satis manifestum esse, quod potestas conferendi sacros ordines episcopis competeret, presbyteris semper negata esset. Falsissimum igitur est quod Blondellus in Apologia ex hoc uno loco pro suo more expiscari voluit, Chrysostomum interjacens ætate sua inter sacerdotes διάστημα, ob oculos habuisse, quos tamen ab origine pares noverat. Nam alia omnia διαστήματα quæ sua ætate agnoscebantur, prorsus abstulit, sed ab ipsa origine observavit hoc discrimen, semperque ita sanctum Paulum interpretatus est, ut impositio manuum nulli nisi primi ordinis sacerdoti, sive episcopo proprie dicto tunc competeret. In hac re episcopos ὑπερβαίνειν, in hac πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους dixit : et satis amplum hoc discrimen ipse judicavit. Nam πάντων μάλιστα κυριώτατον, καὶ ὃ μάλιστα συνέχει τὴν Ἐκκλησίαν, τὸ τῶν χειροτονιῶν, « potestatem ordinandi omnium supremam et quæ Ecclesiam maxime continet, « homilia quinta ad primam Epist. ad Timotheum pronuntiavit ; pares igitur nunquam agnovit. Hoc in explicanda S. Chrysostomi sententia certum est, ut in nonnullis locis ubi presbyteri nomen adhibitum est, presbyteros omnes exclusorit, et episcopos solos intelligendos esse docuerit, ut I Tim. iv, 14 : Οὐ περὶ πρεσβυτέρων φησὶν ἐνταῦθα, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων, οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. « Non hic de presbyteris loquitur,sed de episcopis. Neque enim presbyteri episcopum ordinabant. » Et Tit. i,5 : Τοὺς ἐπισκόπους ἐνταῦθά φησι, καθὼς ἀλλαχοῦ ἡμῖν εἴρηται. « Episcopos hic intelligit, quemadmodum a nobis alibi dictum est, nempe ad Philip. i, 3 ; homilia quinta ad Timotheum : Διαλεχθεὶς περὶ ἐπισκόπων, περὶ διακόνων, ἀνδρῶν, γυναικῶν, περὶ χηρῶν, περὶ πρεσβυτέρων, περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, καὶ δείξας ὅσων ἐστὶν ἐπίσκοπος κύριος, ὅτε περὶ κρίσεως ἔλεγεν, ἐπήγαγε. « Cum disseruisset de episcopis,de diaconis tum viris tum feminis, de viduis, de presbyteris,de aliis omnibus, ostendissetque qualium episcopus dominus est,ubi de judicio dixerat,subjunxit. » Idem Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum episcopum ab initio ordinatum putavit. Homilia 11 in primam ad Corinth. : Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, ἐμοὶ δοκεῖ, τῷ ἀδελφῷ τῷ ἑαυτοῦ, αὐτὸς γὰρ αὐτὸν λέγεται κεχειροτονηκέναι, καὶ ἐπίσκοπον ἐν Ἱεροσολύμοις πεποιηκέναι πρῶτον. « Postea apparuit Jacobo, ut mihi videtur,fratri suo. Ipse enim illum dicitur ordinasse et primum Hierosolymorum episcopum fecisse. » Idem sanctum Ignatium nostrum, Antiochenæ Ecclesiæ episcopum a sancto Petro ordinatum agnovit, et ordinationis illius prærogativam miris modis prædicavit.

B. Theodoretus confusionem nominum agnoscit, et late explicat, ad Philipp. i, 1. Sed episcopos etiam tunc temporis exstitisse et presbyteris superiores fuisse simul asserit. Docet eo loci per episcopos intelligi presbyteros debere ; sed Epaphroditum, qui tum S. Paulo aderat, et per quem epistolam misit, Philippensium episcopum fuisse ostendit. Τὸν δὲ γε μακάριον Ἐπαφρόδιτον ἐν αὐτῇ τῇ ἐπιστολῇ ἀπόστολον αὐτῶν κέκληκεν. Σαφῶς τοίνυν ἐδίδαξεν ὡς τὴν ἐκισκοπικὴ οἰκονομίαν αὐτὸς ἐπεπίστευτο ἔχων ἀποστόλου προσηγορίαν : « Beatum Epaphroditum in epistola ipsa apostolum eorum appellavit. Aperte ergo docuit episcopalem dispensationem ei fuisse creditam, cum appellationem haberet apostoli. » Et rursus ad cap. 2, vers. 25 : Ἀπόστολον δὲ αὐτὸν κέκληκεν αὐτῶν, ὡς τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν ἐμπεπιστευμένον, ὡς εἶναι δῆλον ὅτι ὑπὸ τοῦτον ἐτέλουν οἱ ἐν τῷ προοιμίῳ κληθέντες ἐπίσκοποι, τοῦ πρεσβυτέρου δηλονότι τὴν τάξιν πληροῦντες. « Apostolum ipsorum vocavit, ut cui esset eorum cura concredita. Ut clarum sit sub illo ministrasse eos, qui in Proœmio vocabantur episcopi nempe presbyteri ordinem complentes. » Sententiam ejus plenius explicatam habemus ad I Tim. cap. iii : Τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ πρεσβυτέρους καὶ ἐπισκόπους· τοὺς δὲ νῦν καλουμένους ἐπισκόπους ἀποστόλους ὠνόμαζον· τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος, τὸ μὲν τῆς ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς ἀποστόλοις κατέλιπον· τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις ἀποστόλοις ἐπέθεσαν· οὕτω Φιλιππησίων ἀπόστολος ὁ Ἐπαφρόδιτος ἦν· οὕτω Κρητῶν ὁ Τίτος, καὶ Ἀσιανῶν ὁ Τιμόθεος ἀπόστολοι· οὕτω ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἔγραψαν οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι. « Eosdem olim vocabant presbyteros et episcopos : eos autem qui nunc vocantur episcopi, apostolos nominabant. Procedente autem tempore apostolatus nomen reliquerunt iis qui vere erant apostoli ; episcopatus autem appellationem iis qui olim appellabantur apostoli, imposuerunt. Ita Philippensium apostolus erat Epaphroditus : ita Cretensium Titus, et Asianorum Timotheus apostoli. Ita ab Hierosolymis iis qui erant Antiochiæ,scripserunt apostoli et presbyteri. » Unde apparet ex sententia B. Theodoreti, tempore apostolorum tres fuisse gradus in Ecclesia : episcopos,qui tum dicebantur apostoli;presbyteros, qui nunc episcopi, nunc presbyteri vocabantur, et diaconos : postea vero, primi ordinis sacerdotes, nomine apostoli illis qui vere apostoli fuerunt, reservato, proprie et distincte episcopos dictos esse, et reliquos secundi ordinis sacerdotes presbyteros.

At apostoli nomen primi ordinis sacerdotibus tribui desiit ante martyrium Ignatii. Ergo ex sententia Theodoreti sub Ignatio, et officio et nomine distinguebantur episcopi et presbyteri.

Theophylactus certe non existimavit presbyteros ad Philippenses episcopos esse dictos sed coepiscopos; episcopos autem apostolicis temporibus eos etiam dictos putavit, ὡς ἐπισκοποῦντας δηλαδὴ καὶ αὐτοὺς τὸν λαόν, « quod etiam ipsi populum inspectarent, » sed suo modulo, ὥστε καθαίρειν καὶ φωτίζειν τοὺς δεομένους, « ut purgarent et illustrarent, seu baptizarent eos quos esset necesse. » Nam alia sacra officia etiam tum episcopis reservavit. Οὐ γὰρ πρεσβύτεροι ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. « Non enim, inquit, presbyteri episcopum ordinabant. » Unde in Proœmio ad Titum : Τῶν Παύλῳ συνόντων δοκιμώτατος ὁ Τίτος ὤν, ἐπίσκοπός τε καὶ Κρήτης μεγάλης οὔσης δι' αὐτὸ τοῦτο κεχειροτόνητο, καὶ τοσούτων ἐπισκόπων κρίσιν καὶ χειροτονίαν ἐπετράπη. « Inter omnes qui cum Paulo versati sunt, probatissimus cum esset Titus, episcopus propterea Cretæ, magnæ illius insulæ, electus est, totque episcoporum cum judicium, tum ordinatio ei demandata est. » Et quidem de sententia Theophylacti, postquam de Chrysostomo diximus, dubitandum non est.

Inter Latinos primus fuisse creditur auctor Commentariorum in epistolas S. Pauli sub nomine S. Ambrosii editorum, quod se scripsisse sub Damaso episcopo Romano, hoc est ante a. D. 384 profiteatur, qui episcopi et presbyteri nomina tanquam synonyma in Scriptura tradiderit. Hic tamen episcopos singulares Ecclesiis præfuisse apostolorum tempore sæpius docet. Insignis plane locus, quo illa ad Philippenses, *cum episcopis et diaconibus*, explicat. « Hoc est, inquit, cum Paulo et Timotheo, qui utique episcopi erant, simul et significavit, et diaconos qui ministrabant ei. Ad plebem enim scribit. Nam si episcopis scriberet, et diaconibus, ad personas eorum scriberet, et loci ipsius episcopo scribendum erat, non duobus vel tribus, sicut et ad Titum et Timotheum. » Neque minus illustris locus ille est, quo verba ista : *Propterea debet mulier potestatem habere supra caput, etiam propter angelos*, I Cor. cap. xi, vers. 10, explanat. Potestatem « velamen significavit, angelos episcopos dicit, sicut docetur in Apocalypsi Joannis. Et quia utique homines sunt, quod non corriperent plebem, arguuntur; et quod rectum est in illis laudatur. Mulier ergo idcirco debet velare caput, quia non est imago Dei, sed ut ostendatur subjecta. Et quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, ut in Ecclesia propter reverentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, nec habeat potestatem loquendi, quia episcopus personam habet Christi. Quasi ergo ante judicem sic ante episcopum, quia vicarius Domini est, propter reatus originem, subjecta debet videri. » Et paulo post : « Quia ab uno Patre sunt omnia, singulos episcopos singulis Ecclesiis præesse decrevit. » Ac rursus. « Nunquid omnes apostoli [47]? Verum est, quia in Ecclesia unus est episcopus. » Idem ad I Tim. c. iv : « Nunc autem septem diaconos esse oportet, et aliquantos presbyteros, ut bini sint per ecclesias, et unus in civitate episcopus. » De Timotheo ita loquitur in Proœmio : « Hunc ergo jam creatum episcopum instruit per epistolam, quomodo deberet Ecclesiam ordinare. » Pariter et de Tito : « Titum Apostolus consecravit episcopum, et ideo commonet eum ut sit sollicitus in ecclesiastica ordinatione. » Ex quibus omnibus apparet veterem hunc auctorem, qui ante Chrysostomum et Hieronymum de confusione nominum scripsisse videtur, singulares episcopos apostolorum ævo in civitatibus constitutos agnovisse. Pelagius, ut videtur, auctor Commentariorum in Epistolas Pauli Hieronymo ascriptorum in I Ep. ad Timoth. c. iii : « Quæritur cur de presbyteris nullam faciat mentionem, sed eos in episcoporum nomine comprehenderit, quia secundus, imo pene unus est gradus. » Duos igitur gradus, quamvis non magnopere distantes, sub uno titulo comprehensos agnovit. Quæ transcripsit Primasius, qui ad Philippenses notavit : « Episcopos hic non solum pontifices, sed et presbyteros intelligimus. »

Denique Hieronymus qui post Ambrosiastrum Romanorum diaconorum fastum non minus acriter castigavit, et confusioni nominum adeo inhæsit, ut idem episcopi et presbyteri officium et eumdem ordinem, dum sancti Petrus et Paulus viverent, credidisse videatur; sine controversia tamen sæpe docuit tres gradus, triaque officia et nomine et potestate distincta antequam S. Ignatius ad martyrium duceretur, exstitisse. Hæc enim ejus verba sunt epistola ad Evagrium : « Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque levitæ in templo fuerunt hoc sibi episcopi, presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia. » Quomodo autem hæc traditio apostolica esse potuit, quomodo ex Veteri Testamento desumpta, si non apostolorum ævo exstiterint episcopi presbyteris superiores, quemadmodum Aaron et officio et dignitate filiis superior fuit? Aut qua ratione hanc mentem Hieronymi fuisse quispiam negaverit, qui hæc eum diserte scripsisse ad Matthæi cap. xxiii, noverit : « Quod fecerunt et apostoli per singulas provincias presbyteros et episcopos ordinantes. » Idem in Commentario ad Titum : « Antequam diaboli instinctu studia in religione flerent, et diceretur in populis : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ* [48], communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur : postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos putavit esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. » Et rursus : « Quod autem postea unus electus est, in schismatis remedium factum

[47] I Cor. xii, 29. [48] I Cor. i, 12.

est: ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriæ a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant. » Hæc igitur, sine omni controversia, S. Hieronymi sententia fuit, quod, licet in scriptis apostolicis, præcipue dum viverent Petrus et Paulus, nullum discrimen inter eos qui episcopi et presbyteri dicebantur, ipsi apparuerit, seris tamen apostolorum temporibus, vel paulo ante obitum Petri et Pauli, vel certe ante mortem S. Joannis, in toto orbe decretum esset, ut unus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et qui episcopus proprie nominaretur. Hoc ex apostolica traditione profectum; hoc propter schismata tempore apostolorum certe orta introductum docuit; hujus rei Alexandriæ ab ipso S. Marco luculentissimum exstitisse testimonium perhibuit; quod primum singularis episcopatus exemplum putavit; et ipsum quidem tum singulare. Nam ex ejus sententia Marcus « mortuus est octavo Neronis anno, et sepultus Alexandviæ, succedente sibi Aniano, » ut refert in Catalogo. Inde viros omnes singulares, qui illis temporibus ecclesiis præfuerunt, semper episcopos proprie appellat. De Romanis in Catalogo : « Clemens quartus post Petrum Romæ episcopus : siquidem secundus Linus fuit et tertius Cletus. » Cujus exsortem potestatem indicat, ad Isaiæ cap. LIII : « Clemens vir apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios. » Et lib. I adversus Jovinianum : « Ad hos et Clemens successor apostoli Petri, cujus Paulus apostolus meminit, scribit epistolas. » De Hierosolymitanis ad Galatas cap· I ; « Hic autem Jacobus episcopus Hierosolymorum primus fuit, cognomento Justus; vir tantæ sanctitatis et rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere. Qui et ipse postea de templo a Judæis præcipitatus successorem habuit Simeonem quem et ipsum tradunt pro Domino crucifixum. » De Antiochenis, in Catalogo : « Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum apostolum episcopus. » De Asianis : « Joannes apostolus novissimus omnium scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ episcopis. » Et in eodem Catalogo : « Polycarpus Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. » Et : « Cum Ignatius Smyrnam venisset ubi Polycarpus, auditor Joannis, episcopus fuit. » Omnes igitur illi qui confusa episcopi et presbyteri nomina in apostolicis scriptis tradiderunt, simul etiam docueruut vel ab origine, vel viventibus adhuc Petro et Paulo, vel ante secundi sæcul initium, superstite adhuc S. Joanne, tres fuisse ordines sacros, seu gradus in Ecclesia. Quod si hoc ab iis positum est, nemo dubitabit idem a reliquis agnitum fuisse, qui toties in S. Scriptura episcoporum mentionem fieri viderunt, nec unquam de confusione nominum cogitabant. Quare Walo Messalinus, qui eorum sententiam secutus est, suos nunquam negasse ait « antiqua etiam tempora discrimen illud inter episcopos et presbyteros agnovisse, qui sciunt rem esse antiquissimam ut duo hi ordines in Ecclesia fuerint distincti, si excipiantur apostolica tempora. »

Quare cum tres ordines sive gradus sacros tunc cum S. Ignatius epistolas scripsisse dicitur, in Christianis civitatibus, ac præsertim Asiaticis, exstitisse summo veterum consensu constet; cum quamplurimi ejusdem sæculi non aliter quam de tot distinctis et officio et nomine gradibus locuti sint; cum nemo unquam ejusdem ævi quemquam, qui secundi ordinis esset, episcopum appellaverit; cum denique pauci illi, qui eos qui episcopi fuerant, post eorum mortem, et quasi antiquiores, tantum presbyteros vocaverint, quoties autem ordines enumerandi, aut de sui temporis ministris evangelicis loquendi occasio se obtulerat, aliter locuti sunt; ratio nulla apparet, cur ille, qui eo modo distinctionem ordinum in epistolis suis caste et perpetuo servavit, pro vero Ignatio Antiocheno illo et martyre non habeatur. Non est hoc, non est, « supra suum sæculum, supra fratres suos venerandos seipsum efferre. » Neque dubito quin verissime asserere possim, Ignatium nostrum tum episcopi de primis, tum presbyteri vocabulum de secundis Ecclesiæ cujusque sacerdotibus, pro sui sæculi usu et more, usurpasse, non tantum in sermone, sed in præceptionibus ac institutionibus ecclesiasticis hunc morem atque usum observasse. Et cum sint quædam hominibus latæ ac propositæ leges, easque sermone imprimis claro et facili et unicuique audientium obvio ac familiari concipi scribique deceat, nulla in iis vocabula dubia et obscura misceri, vel hujusmodi denique, quorum lectores non statim intelligant eum ipsum esse quem auctor voluit sensum, hoc maxime observavit Ignatius noster ; nam et omnes tunc norunt, secundi ordinis sacerdotem a nemine episcopum vocari solere, ab omnibus presbyterum ; primi autem ordinis sacerdotem ab omnibus episcopum appellari. Cum igitur auctor epistolarum iis nominibus ad ordinum discrimen indicandum uteretur, lectores statim intellexerunt eum ipsum esse quem ille voluit sensum ; neque eos sedulo monere ac docere, quo sensu vel episcopi vel presbyteri vocabulum intelligi voluerit, necesse fuit. Facessat igitur hic Dallæus cum turbis et tumultibus quos excitare conatur. Magnopere commoveri ac conturbari omnes debuisse putat, qui dictantem audierant: «Presbyteri, subditi estote episcopo. » Fateor equidem, si mores Christianorum secundi illius sæculi ad nostrorum normam exigere liceret, quamplurimos etiam tum commoveri voluisse, cum quempiam dictantem audirent : « Presbyteri, subditi estote episcopo. » Nihil enim esse quod homines aliquos (quales illi sint non dicam) magis commoveat, imo ad arma et fratrum internecionem excitet et impellat, quam illud effatum, experientia nimis certa didicimus. Cumque ista vidimus, non potuimus non illa S. Cypriani in memoriam revocare quæ ad presbyteros et diaconos fratres epist. 10 scripsit :

« Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini,quando aliqui de presbyteris, nec Evangelii nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præpositum episcopum cogitantes,quod nunquam omnino sub antecessoribus factum est, totum sibi vindicent ? »

Scimus autem et eosdem non minus commoveri eum audiunt illud S. Pauli : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* [49], aut illud S. Petri: *Subditi estote regi quasi præcellenti* [50] ; non quod ignorent quæ potestates sublimiores, aut quis rex sit, sed quod quæ sit subjectio Christiana, quæ obedientia ex Evangelii legibus debita, nolint intelligere. Alia secundi sæculi Christianorum mens, alius animus fuit ; ad subjectionem et obedientiam præstandam paratissimi fuerunt, quibus ea tribuenda esset non ignorabant. Miram igitur illis orationem substituit Dallæus, eosque per prosopopeiam sic submurmurantes repræsentat : « Quos vero iste nobis (dicerent)» presbyteros, « et quem narrat » episcopum ? Hæc autem ut illi dicerent, qui quotidie cum presbyteris et episcopo suo in unum conveniebant ? qui optime norunt presbyteros suos eo nomine censeri tunc solitos, a nemine autem episcopos dici ? Hæc ut dicerent presbyteri, qui locum suum non ignorabant, et unum sibi præpositum agnoscebant quem et episcopum vocabant, sibi illud nomen minime vindicantes? Blondellus ipse fatetur fuisse tunc temporis unum, quem in « unoquoque cœtu primatus contingebat, » cui « primæ cathedræ præsidialisque potestatis jus reservatum est, » qui « collegii primum membrum et honorarium caput, » qui « presbyterii præpositus et ἔξαρχος, et cleri totius caput » fuit, qui « a Domino ipso in Asiaticis Ecclesiis » angelus dictus est ; an hunc presbyteri, qui sub illo tanquam sub capite vivebant, recpgnoscere non potuerunt, cum eum episcopum appellatum audirent. Certe Ambrosiaster, cujus testimonio innititur Blondelli et Salmasii de primo presbytero sententia, nomina episcopi et presbyteri divisa et distincta fuisse ante annum Trajani decimum testatur : « Beatis vero apostolis decedentibus, illi qui post illos ordinati sunt ut præessent Ecclesiis, illis primis exæquari non poterant, neque miraculorum testimonium habere, sed in multis aliis inferiores illis esse videbantur : grave existimaverunt apostolorum sibi vindicare nuncupationem. Diviserunt ergo nomina ipsa,et illis, id est presbyteris nomen reliquerunt : alii vero episcopi sunt nuncupati, hique et ordinationis præditi potestate, ita ut plenissime iidem cognoscerent. Atqui et episcopus presbyter est, et presbyter episcopus. An unum eumdemque hominem hic sibi et subjici et præesse vult ? » Qualem orationem primitivorum fratrum aut presbyterorum nomine promit hic eorum Tertullus ! Non hæc eorum temporum aut hominum sunt, sed Aerii hæretici, τὸ λέγειν αὐτὸν ἐπίσκοπον καὶ πρεσβύτερον ἴσον εἶναι, et : Τί ἐστιν ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον ; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. Hæc sunt Aerianæ hæreseos effata, ante quartum sæculum in Ecclesia inaudita. Non aliter nos in hac re instituti sumus,non alio horum vocabulorum sensu imbuti, quam fuerunt secundi sæculi fideles. Eorum ætate unum illum qui in cujusque ecclesiæ clero summus erat, episcopum ; cæteros proximi ab hoc gradus presbyteros non episcopos dictos esse novimus, et jam ante monstravimus ; satis igitur bene eorum temporum fideles et presbyteri hoc præceptum S. Ignatii intelligebant,nec ad cavendam offensionem monitore indigebant.Quoniam vero non tantum illius ætatis usum, sed et apostolorum imitationem in confusione nominum urget, scriptoremque epistolarum « diversi ab apostolis sermonis hominem, » imo « apostolici sermonis correctorem et emendatorem » appellat, ideoque eum charissimum atque observantissimum apostolorum discipulum Ignatium esse negat ; operæ pretium me facturum putavi, si ostenderem porro hæc nihil ponderis argumento addere,neque quemquam,qui secundi sæculi et mores et loquendi modum noverit, vel leviter movere posse.

Observandum enim est primo nullum secundi vel etiam tertii sæculi scriptorem in scriptis apostolicis confusa esse nomina episcopi et presbyteri observasse. Quod si verum sit, fateri necesse est, eos apostolicum sermonem imitari non potuisse in ea re,quam ipsi non viderunt. Verum autem esse ut credam,multa persuadent. Atque illud imprimis observatu dignum, inter Græcos Patres primum S. Chrysostomum, inter Latinos aut Ambrosiastrum, aut Hieronymum diserte tradidisse,confusa esse nomina episcopi et presbyteri in scriptis apostolicis.Neque enim quemquam nos scimus,neque viri docti qui a nobis dissentiunt,adhuc quemquam nominarunt, qui idem ante eos affirmaverit. At hi vergente jam ad finem quarto sæculo scripsere ; et ante eos scripsit Epiphanius, qui contraria omnia docuit. Cum enim Aerius ex sermone apostolico docuisset, εἶναι τὸν αὐτὸν ἐπίσκοπον, τὸν αὐτὸν πρεσβύτερον, hoc ex hæretici ignorantia profectum asserit, qui non observaverat ex antiquis historiis, in aliquibus ecclesiis ab origine fuisse presbyteros, nondum constitutis episcopis, in aliquibus episcopos,nondum additis presbyteris : qua unica observatione tolli putavit promiscuam illam nominum usurpationem.Hæc autem contra hæreticum protulit Epiphanius, ut in exponendis apostolis fœde deceptum, et antiquorum monumentorum ignarum. Credidit itaque Epiphanius veteres Christianos aliter apostolum intellexisse. Nondum igitur illa apostolica nominum confusio in Ecclesia agnita est,teste Epiphanio. Neque vero illius sententiæ ulla vestigia exstare puto apud scriptores ecclesiasticos Epiphanio aliquanto antiquiores. Imo

[49] Rom. XIII, 1. [50] I Petr. II, 13.

secundi et tertii sæculi scriptores contrarium potius statuisse putandi sunt.

Tradit Dallæus Ephesi, unius urbis, plures non primi,sed secundi gradus præpositos episcoporum nomine significari, Act. xx, 28. Veteresque ita locum interpretatos asserit : nominat Chrysostomum, Theodoretum, Hieronymum, alios, sed his neminem vetustiorem nominat. Nihil igitur hæc ad secundi aut tertii sæculi sententiam faciunt. At Irenæus non putavit eosdem viros eo loci et episcopos fuisse dictos et presbyteros, et ad unius urbis ecclesiam pertinuisse. Sic enim ille, lib. III, cap. 14 : « In Mileto enim convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus. » Convocavit S. Paulus et episcopos et presbyteros, ex sententia Irenæi, et ab Epheso et ab aliis Asiæ civitatibus : non igitur unius urbis, aut solos secundi ordinis præpositos convocavit, aut episcopos appellavit. Hunc quidem Actorum locum quarto sæculo et sequentibus laudant, et quasi fundum suæ sententiæ ponunt Chrysostomus, Hieronymus aliique, de una urbe præcipue disputantes. Irenæus secundi sæculi scriptor, apostolis apostolicisque multo propior, nihil tale vel somniavit. Illa igitur, quam volunt, apostolica nominum episcopi et presbyteri confusio Irenæo fuit ignota.

Multum illi fidunt verbis Apostoli ad Titum, quasi eadem omnino præcepta data fuerint episcopo et presbytero, adeoque idem illi duo sint. At Clemens Alexandrinus aliter plane sensit, multa eaque distincte episcopo et presbytero data præcepta in Scriptura observavit, non minus quam diaconis et viduis. Sic enim ille *Pædagogi* lib. III, cap. 12 : Μυρίαι δὲ ὅσαι ὑποθῆκαι εἰς πρόσωπα· ἐκλεκτὰ διατείνουσαι, ἐγγεγράφαται ταῖς βίβλοις ταῖς ἁγίαις· αἱ μὲν, πρεσβυτέροις, αἱ δὲ, ἐπισκόποις· αἱ δὲ, διακόνοις· ἄλλαι, χήραις. « Plurima præcepta quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt ; hæc quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis, alia viduis. » Quatuor diversa electarum personarum genera enumerat ; unicuique generi propria præcepta ascribit ; episcopos non minus a presbyteris, quam presbyteros a diaconis, aut diaconos a viduis distinguit. Non igitur novit Clemens illam confusionem nominum in præceptis ab Apostolo datis, quam observare sibi visus est Hieronymus, qui hanc inde conclusionem elicuit : « Idem est ergo presbyter qui et episcopus. » Dicitur particulatim et distincte ab apostolo de episcopis, presbyteris et diaconis, eos esse oportere viros unius uxoris. Tertullianus, qui tres ordines agnovit, unicuique dictum hoc intelligit : « De ecclesiasticis ordinibus agebatur, quales ordinari oporteret. Oportebat igitur omnem communis disciplinæ formam sua fronte proponi ; edictum quodammodo futurum universis in præsessione, » *De monogamia*, cap. 12. Et rursus cap. 8 : « Petrum solum invenio maritum per socrum ; monogamum A præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata omnem gradum ordinis sui de monogamia erat collocatura. » Iterumque cap. 11 : « Qualis es id matrimonium postulans, quod eis a quibus postulas non licet habere : ab episcopo monogamo, a presbyteris et diaconis ejusdem sacramenti, a viduis quarum sectam recusasti ? » Pariter et Origenes observavit secundas nuptias omnibus ordinibus ecclesiasticis particulatim esse negatas, κατα τὴν τοῦ Ἀποστόλου περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων νομοθεσίαν, « secundum leges ab Apostolo de rebus ecclesiasticis latas ; » nullum ordinem in Ecclesia esse, cui ea lex speciatim præscripta non sit : Οὐδένα γὰρ τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ὑπεροχήν τινα παρὰ τοὺς πολλοὺς ὡς ἐν συμβόλοις ἀνειληφότα βούλεται ὁ Παῦλος δευτέρου πεπειρᾶσθαι γάμου. « Ex iis enim qui Ecclesiæ nomen dederunt, neminem qui dignitatem aliquam præ multis, quasi in symbolis, fuerit consecutus, Paulus secundas nuptias expertum fuisse vult. » Ut hoc particulatim de singulis ordinibus verum esse ostendat, pro episcopis citat I Tim. III, 2, pro diaconis versiculum 12, pro viduis I Tim. v, 9, pro presbyteris denique Tit. I, 5. At si episcopi sub presbyteris continerentur, satis erat laudasse Epistolam ad Titum ; si presbyteri sub episcopis, contentus esse poterat loco ad Timotheum. Hæc igitur ad Titum S. Pauli verba tam diligenter post reliqua laudans, suum cuique ordini distincte præceptum ab Apostolo datum fuisse innuit, magistrum suum Clementem sequens, ubi plene de præceptis loquitur, in *Pædagogo* ; et supplens, ubi C minus plene, in *Strom.* III : Καὶ μὲν καὶ τὸν τῆς μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα πάνυ διαδέχεται κἂν πρεσβύτερος ᾖ, κἂν διάκονος, κἂν λαϊκὸς, ἀνεπιλήπτως γάμῳ κρώμενος, et tertii sæculi sententiam repræsentans. S. Pauli ad Titum verba presbyteris assignat, illa ad Timotheum episcopo reservat, plane ut post eum Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus S. Athanasii : Τοῦτο δὲ, ἐν οἷς Τιμοθέῳ πρὸς αὐτὸν γράφων νομοθετεῖ, τυπῶν τῷ λόγῳ τὸν ἐπισκοπῆς προστησόμενον. « Partim, in quibus ad Timotheum scribens leges fert, eum qui in episcopatu præsideret efformans. »

Non igitur apparet quemquam secundi aut tertii sæculi Christianum communionem nominum episcopi et presbyteri in scriptis apostolicis obser- D vasse. Nam Justinus martyr τοῦ προεστῶτος τῆς Ἐκκλησίας, tanquam singularis et exsortis Ecclesiæ rectoris, et diaconorum quidem meminit ; nomen autem episcopi vel presbyteri nullibi in iis quæ supersunt, scriptis usurpavit. Nimis autem coactum est, quod a Blondello in *Apologia* sine ullo fundamento inde asseritur, binos tantum Christiani cleri gradus a Justino agnosci. Non enim ibi ordines Ecclesiæ enumerat, non de gubernatione populi agit ; celebrationem tantum eucharistiæ solemnem explicat, et quæ in illa administranda episcopi, quæ diaconorum partes essent exponit. Quod autem partes episcopi aliquando

ab ipso peragerentur, aliquando ab illo presbytero demandarentur, ideo προιστῶτος generale vocabulum adhibuit ; diaconos autem proprie enuntiavit, quia eorum partes ab ipsis semper peragebantur. Irenæus locum palmarium aliter omnino intellexit et exposuit, reliqua S. Scripturæ loca, quæ pro-adversariorum sententia afferuntur,ne quidem tetigit. Clemens Alexandrinus loca de officiis episcopi et presbyteri ita secundum nomina in Scripturis distincta intellexit, ut præcepta illa plurima non minus de episcopis et presbyteris,quam de diaconis et viduis diversa pronuntiarit. Tertullianus et Origenes distinctionem nominum apud Apostolum adeo accurate observabant, ut sua omnia ad eam dirigerent. Non igitur apparet ullum intra 100 et multo plures annos post S. Ignatii martyrium in apostolorum scriptis hanc nominum communionem observasse. Iniquissimum autem est, sermones secundi sæculi ad normam opinionis quarto demum sæculo ortæ exigere.

Secundo. Nemo eorum omnium qui communia episcopi et presbyteri nomina in SS. Scripturis fuisse putabant, in eo sermonis genere apostolos secutus est, aut alium quemquam secutum esse dixit. Hic habemus adversarium nobis plane consentientem.Epistolarum, inquit, scriptor « duo illa nomina plane eodem sensu accipit, quo a tertii sæculi et sequentium Christianis ad hæc usque tempora accepta fuisse et scimus et libenter concedimus. » At qui communionem horum nominum in libris apostolicis reperisse se putabant, ante quartum sæculum non exstiterunt : ad morem Ignatii igitur locuti sunt ; et nec ipsi imitabantur apostolos in hoc loquendi modo ; nec quemquam eorum omnium qui ante se scripserunt, apostolos eo sensu acceptos imitatum fuisse observabant, aut neglectæ imitationis accusabant. B. Theodoretus,qui existimavit apostolis ipsos, eos qui secundi ordinis essent, nunc presbyteros, nunc episcopos appellasse, eos autem qui primi ordinis essent, apostolos dixisse ; nec ipse apostolos imitatus est, neque quemquam scriptorem ecclesiasticum apostolicum sermonem secutum esse arbitratus est ; sed omnes apostoli nomen ipsis proprie dictis apostolis reservasse, episcopi autem nomen primi ordinis sacerdotibus assignasse perhibuit. S. Chrysostomus,Theophylactus et Œcumenius eos qui episcopi erant, ab apostolis non tantum presbyteros, sed et diaconos dictos fuisse putabant ; neminem tamen existimabant hunc sermonem apostolicum secutum esse. Quis enim unquam primi ordinis præpositum diaconum appellavit ? Hieronymus ipse neminem post apostolos sermonem apostolicum imitatum esse existimavit, sed unumquemque sui temporis in loquendo morem spectasse ; ne apostolos quidem ipsos aliter locutos esse putavit. Ita enim in Commentario in Epistolam ad Titum loquitur : « Quia eosdem episcopos eo tempore quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter A de episcopis quasi de presbyteris est locutus. » Secuti sunt igitur apostoli morem loquendi a populo Christiano usurpatum, ex sententia Hieronymi ; ut apostolos imitari in hac re nihil aliud sit, quam secundum vulgatum in Ecclesia morem loquendi scribere. Illi igitur maxime imitati apostolos sunt, qui secundum suæ ætatis sermonem, non apostolicæ, scripserunt. Qui Hieronymianam sententiam nunc exponunt, eamque nobis objiciunt, volunt ex illius mente nullos apostolorum tempore præter seu supra presbyteros fuisse constitutos, tanquam legitimos et distincti ordinis aut gradus episcopos ; postea igitur, « cum toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, » postulare non possunt ut scriptores ecclesiastici, tanta in re ipsa mutatione facta, communionem nominum retinerent. Ipse Salmasius in *Apparatu* : « Ab eo tempore quo ex uno ordine presbyterali et episcopali duo facti sunt, nomen presbyteri dari desitum est episcopo. Si distinctio nominum simul munerumque et proinde etiam ordinum inter presbyterum et episcopum facta est, » ut docet Salmasius, non de imitatione sermonis apostolici,sed de rei mutatione quæ rendum est ; qua mutata,secundum illius sententiam, imitatio apostolorum esse non potuit.

Quinetiam tertio observandum est nondum constare nomina episcopi et presbyteri in apostolicis scriptis, ubi de officiis ecclesiasticis agitur, synonyma esse. Certe argumenta quæ hactenus adducta sunt,non id credere nos necessario cogunt ; et potius probabile est talem harum vocum communionem in apostolorum scriptis minime esse admittendam.Primo,quia si originem hujus interpretationis quæramus, primum omnium qui illam ad suam sententiam confirmandam protulit,Aerium hæreticum fuisse comperiemus;cujus sententia quamprimum publicata est, a S. Epiphanio statim explosa est. Secundo, illi catholici, qui eamdem postea interpretationem,sed in alium finem, amplexi sunt, sive veteres, sive modernos consideres, nunquam in ea explicanda consentire potuerunt.Si modi omnes excutiantur,qui ad communionem duorum nominum explicandam vel excogitari vel fingi possint, vix unum aut alterum invenies,quem nemo amplexus est, nullum sane in quo tres, vel duo fortasse convenerunt, si illos excipias, qui omnia ab aliis ex professo transcripserunt.Quicunque communionem horum duorum nominum mente concipiunt, necesse est ut aut unum ordinem tantum in ecclesiis apostolorum primum cura et auctoritate fundatis, aut duos exstitisse supponant. Et quidem qui hanc communionem nominum tuentur, in diversas de numero ordinum tunc temporis existentium sententias divisi sunt.Omnes agnoscunt,postquam Novi Fœderis libri exarati sunt, aliquo temporis intervallo, duos ordines seu gradus ecclesiasticos et officio, et dignitate distinctos, sive jure

sive injuria,obtinuisse, quorum superiori episcopi inferiori presbyteri nomen adhæsit. Qui unum ex iis tantummodo tum cum sacri libri scriberentur exstitisse putant,alterum autem postea adjectum; vel inferiorem ordinem agnoscunt, cui superior postea superimpositus, vel superiorem,cui inferior postmodum suffectus est.Hinc emergunt duo modi communionem nominum explicandi, unus ut nomina episcopi et presbyteri unius ordinis sacerdotibus promiscue tribuerentur,qui inferioris ordinis sacerdotes, sive presbyteri dicebantur, postquam seperior ordo introductus et superimpositus est ; quam volunt esse sententiam S. Hieronymi, me haud repugnante ; alter, ut eadem nomina unius ordinis sacerdotibus promiscue tribuerentur, qui superioris ordinis sacerdotes sive episcopi appellabantur,postquam inferior ordo introductus, et superiori subjunctus est ; quam sententiam tanquam maxime probabilem defendit Hammondus noster, quo nemo accuratius hæc tractavit. Qui duos ordines et officio et dignitate distinctos sub apostolis fuisse,et ab illis institutos non dubitabant, in plures de communione nominum sententias divisi sunt.Quarum prima hæc fuit,utrique ordini utrumque nomen commune ea tempestate fuisse, ut ad superiorem ordinem promoti nunc episcopi, nunc presbyteri appellarentur,et pariter in inferiori gradu constituti nunc presbyteri, nunc episcopi nominarentur ; quæ fuit sententia Chrysostomi et sequacium.Secunda autem sententia fuit,nomen episcopi et presbyteri inferioris ordinis sacerdotibus indifferenter et promiscue attributum esse,neutrum autem primi ordinis, seu episcopis ; quod tunc temporis primi ordines sacerdotes apostoli dicerentur : quæ fuit opinio B. Theodoreti. Præter has fingi possunt et aliæ duæ, superioris ordinis sacerdotes, nunc episcopos,nunc presbyteros, inferioris autem tantum presbyteros appellatos esse,quam ut probabilem admittit Hammondus ; vel inferioris ordinis sacerdotes nunc presbyteros, nunc episcopos, superioris vero episcopos tantum vocatos fuisse,quam amplexus est nemo.Cum tanta sit inter omnes,qui communionem horum nominum in Scripturis se deprehendisse putabant,dissensio,variæque eorum sententiæ,quæ tot fere quot homines sunt, conciliari nullo modo possint, magis adhuc probabile redditur talem communionem nominum revera in Scripturis non reperiri.

Tertio.Rationes ipsæ hujus sententiæ, quas afferunt communionis horum nominum assertores,aut falsæ, aut incertæ sunt, aut id non efficiunt quod ipsi volunt. Philip. 1, 1, legimus : *Paulus et Timotheus servus Jesu Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, cum episcopis et diaconis.* Hunc locum « de secundariis sacerdotibus non pauci neque contemnendi tum veteris tum recentis memoriæ interpretes accipiunt, » inquit Dallæus. Sed rationem hanc tantum afferunt veteres,quod in una civitate unus tantum esset episcopus. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus aliique.At hoc ut averum, aut certum non est. Duas enim in quibusdam civitatibus temporibus apostolorum ecclesias, duos episcopos fuisse,donec gentiles cum Judæis in unum corpus coalescerent,probabilissimum ex ipsis scriptis apostolicis facit Hammondus noster. Epiphanius hæresi 68 : Οὐ γάρ ποτε ἡ Ἀλεξάνδρεια δύο ἐπισκόπους εἶχεν, ὡς αἱ ἄλλαι ἐκκλησίαι. «Nunquam enim Alexandria duos episcopos habuit, ut aliæ Ecclesiæ.» Quæ observatio ad apostolica etiam tempora extendi sine dubio debet : quod Marcus cum soius ibi prædicaverit, unicum episcopum successorem reliquit,in aliis autem civitatibus aliquando duo apostoli Ecclesias congregabant, et loco suo quisque episcopum reliquit. Quod ipse Epiphanius de Ecclesia Romana,hæresi 27, observat : Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι. « Romæ enimprimi fuerunt Petrus et Paulus,iidem apostoli et episcopi.»Unde dubitat an etiam cum iis alii duo episcopi essent, qui eorum vices, cum abessent, supplerent. Hieronymus ipse hanc solutionem prævidit, ideoque in epistola ad Evagrium,cum Philip.1,1, et Act. xx,28 citasset : « Ac ne quis, inquit, contentiose in una Ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audi et aliud testimonium,in quo manifestissime comprobatur eumdem esse episcopum et presbyterum. » Horum duorum locorum expositionem in Commentario ad Titum in illa unica assertione fundaverat, quod in una civitate plures episcopi esse non possent ; cum autem id aut verum aut certum non esse vel ipse perspiceret, vel ab aliis admonitus esset : alium hic locum adhibuit,quo rem eamdem manifestius probari putavit. Quinetiam si verum esset, unius civitatis unum tantummodo tunc fuisse episcopum, non tamen inde statim sequeretur vocem ἐπισκόποις ad episcopos proprie dictos non pertinere ; non enim eos Philippensis ecclesiæ episcopos vocat aut civitatis, sed tantum eos tunc Philippis fuisse innuit ; scribere autem ad illos potuit, quos tunc Philippis esse cognoverat, licet aliarum civitatum episcopi essent. Theodoretus igitur aliam rationem addit,quod eo loci presbyteri nulli nominentur inter episcopos et diaconos : cum igitur presbyteri diaconis proximi sint, necesse est ut episcopi pro *presbyteris* accipiantur. Sed nondum probari potuit ullos secundi ordinis sacerdotes seu presbyteros tunc Philippis exstitisse ; nulla enim eorum exstat memoria.Epiphanius autem ex antiquissimis Ecclesiæ monumentis docet apostolos in aliquibus civitatibus episcopos ordinasse cum suis diaconis, nullis omnino presbyteris ibidem constitutis. Denique certum non est hæc vel ad episcopos, vel ad presbyteros Philippenses scripta esse ; nam Apostolus nunquam in epistolis vel episcopos, vel presbyteros, vel diaconos fidelibus subjunxit, nunquam ad alicujus Ecclesiæ presbyteros scripsit, quod a veteribus adnotatum est.Ratio autem quam afferunt,cur hic ad presbyteros et diaconos scribe-

ret, incertissima est et invalidissima. S. Chrysostomus : Ἐνταῦθα ζητήσειεν ἄν τις εἰκότως, τί δήποτε οὐδαμοῦ τῷ κλήρῳ γράφων ἀλλαχοῦ, οὐκ ἐν Ῥώμῃ, οὐκ ἐν Κορίνθῳ, οὐκ ἐν Ἐφέσῳ, ἀλλὰ κοινῇ πᾶσι τοῖς ἁγίοις, ἢ τοῖς πιστοῖς, ἢ τοῖς ἠγαπημένοις, ἐνταῦθα τῷ κλήρῳ γράφει ; « Hic jure quis quærat, quid demum sit, quod cum nunquam ad clerum alibi scripserit, non ad Romanum, non ad Corinthiacum, non ad Ephesinum, sed communiter ad omnes sanctos, vel fideles, vel dilectos, hæc ad clerum scribit ? » Hæc difficultas est. quam sic tollere conatur : Ὅτι αὐτοὶ καὶ ἀπέστειλαν, καὶ ἐκαρποφόρησαν, καὶ αὐτοὶ ἔπεμψαν πρὸς αὐτὸν τὸν Ἐπαφρόδιτον. « Quod illi collectas fecerint, et ad ipsum Epaphroditum miserint. » At hoc incertum ; imo potius contrarium certum est ; cum apostolus sæpe agnoscat, in hac re charitatem omnium ad quos scribit, neque ullam inter fratres, seu Philippesios, et eorum clerum differentiam, in necessariis ministrandis aut mittendo Epaphrodito observet. Nulla enim vero causa est satis justa cur hic apostolum ad clerum scripsisse necessario statuamus, cum hoc ab eo nunquam alias factum sit ; nam verba illa σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις non necessario cum sanctis qui erant Philippis conjunguntur, sed cum Paulo et Timotheo conjungi possunt. Atque in eum modum hæc verba accipit Ambrosiaster, scriptor satis acutus : « *Qui sunt Philippis*, quibus scribit significat, *cum episcopis et diaconibus*, hoc est cum Paulo et Timotheo, qui utique episcopi erant, simul et significavit et diaconos qui ministrabant ei. Ad plebem enim scribit. Nam si episcopis scriberet, et loci ipsius episcopo scribendum erat, non duobus vel tribus, sicut et ad Titum et Timotheum.

Hæc cum sint veterum fundamenta quibus communionem nominum apostolicam superstruunt, quæ nullam omnino certitudinem præ se ferunt, et cum sint ex praxi et consuetudine inferioris ætatis deducta, ad prima Ecclesiæ tempora non pertingant ; quis non videt imitationis apostolicæ in usu horum verborum necessitatem prorsus evanescere ? et palmarium argumentum tandem in nihilum aperte redigi, quod etiam illa communione apostolica concessa revera nulla vi pollet ?

CAPUT XIV.

Nulla vocabula ostendunt hunc scriptorem diu post Ignatium vixisse. Voces compositæ imposturam non olent. Exempla ex Novo Testamento, Clemente Romano, Cicerone. Poeticæ non sunt. Si quæ raræ sint aut novæ, optime Ignatio conveniunt. Numerus vocum ab ἀξιος, exemplo Xenophontis, a φέρω communi omnium usu defenditur. Verborum immodestia refellitur. Conjectura de fictore rejicitur. Usurpatio vocum φύσις, *et* ᾄδειν *defenditur. Phrases aliquæ explicantur ac defenduntur.*

Capite 27 multa alia hunc scriptorem vocabula diu post Ignatium vixisse docere posse arbitratur ; ego vero asserendum esse non dubito in scriptoris sermone nihil omnino contineri, quod ævo Ignatiano minus quam Eusebiano congruat. Ducenti anni sunt a S. Ignatio ad scriptorem eum, quem vir doctissimus finxit et omnium primus formavit ; nulla vox est in epistolis, quæ illo temporis intervallo nata fuisse, nullius vocis sensus qui tunc temporis primum erupisse dicatur, nulla loquendi formula quæ non S. Ignatii ætatem ferat. Nomen αἱρεσιωτῶν male exagitat, quod tamen nostri Ignatii non est ; Latina non urget, Hammondi responsioni acquiescens ; et quidem sapienter. Nam et S. Chrysostomus in una epistola 15, in qua tanquam alter Ignatius μακροτέρους τῶν δρόμων τοὺς διαύλους describit, has ejusmodi voces habet, δρουγγὸς, μίλια, λεκτίκιον, βούρδων, κάστελλον, βικαρία, τριβοῦνος, ῥήξ, quas apud elegantissimum tersissimumque scriptorem non quæsivit Meursius. Sed movent eum « nomina varie composita ; et mirifica, quibus, ut ait, epistolæ ad fastidium scatent. » Producit itaque quamplurima, colligitque tanquam ἐσμὸν ἀτόπων καὶ διαστρόφων ὀνομάτων, aut τοσοῦτον βόρβορον συνερανίσας, ut loquitur Lucianus. Ut autem epistolas his scatere ostendat, multa interpolatoris aut fictoris vocabula iis quæ ab auctore nostro usurpata sunt, admiscet ; qualia sunt : πνευματοφόρος, ἀξιομνημόνευτος, ἀξιεπαίνετος, χριστόληπτος, ἀνθρωπομίμος, χρηματολαίλαπες, et postea κακεντρεχὴς, μεγαλορρήμοσύναι. Quid quod ἀνυστέρητος inter voces mirifice compositas numeretur, et inter nomina substantiva ἀκαυχησία, quæ nihil aliud habent quam ἀ στερητικὸν præfixum ; cum in Novo Testamento eadem particula vocibus aliunde etiam et prius compositis sæpissime addatur, quales sunt ἀγενεαλόγητος, ἀδιαφθορία, ἀκαταστασία, ἀκατάγνωστος, ἀμετανόητος, ἀνεκδιήγητος, ἀνεξιχνίαστος, ἀνεξερεύνητος, ἀπροσωπολήπτης, aliæque quamplurimæ ? Quin et inter hæc βεβαιοσύνην attulit quasi grande vocabulum, quod ejusdem formæ est cum tritissima voce δικαιοσύνη, neque magis grande quam illud a S. Paulo non semel usurpatum, ἀγαθωσύνη. His igitur expunctis numerus decrescit, reliqua sane ut varie composita sint, non sunt tamen adeo mirifica. Quis enim unquam compositiones in Græca lingua miratus est, quam omnes norunt vocibus compositis maxime abundare ? Indeque eam præcipue linguam ob venustatem, elegantiam et felicissimam verborum copiam prædicari nemo ignorat. Ipse Cicero elegantiarum optimus judex, et in omni loquendi genere facile primus, cum ad Atticum, scriberet, qui Græca doctrina maxime delectabatur, ex ea lingua has voces selegit, quibus epistolas suas exornaret, et viro maximo gratissimas efficeret, ὀξύπεινος, καχέκτης, ἀδικαίαρχοι, ἡμερόλεγδον, νεμανδρία, ὑπομεμψιμοίρους, νεόκτιστα, ψευδησιόδειον, φαινοπροσωπεῖν, πειθαναγκην, ἀνηθοποίητον, κοιλιολυσία, ἀπεραντολογία, ἀνεμοφόρητα, ἀναντιφωνησία, ῥωπογραφία, πεπλοραφία, et ad Quietum fratrem, μουσοπάτακτος, ἀντίεκτον.

Optimus Hammondus adduxerat ex SS. Luca, Paulo, Petro et Joanne voces non minus varie et mirifice compositas ; sed respondet Dallæus eas esse paucissimas. Certe Blondellus 27 adduxerat, Ham-

mondus 10 tantum, sed addidit, etc., quod plures ejusdem commatis in Novo Testamento cuilibet obviæ essent. Quoniam vero de paucitate conqueritur ; hæ etiam voces ad cumulum accedant, ἀγαθοποιία, αἱματεκχυσία, ἀλεκτοροφωνία, ἀλλοτριοεπίσκοπος, ἀνθρωποκτόνος, ἀποκαραδοκία, ἀποσυνάγωγος, ἀργυροκόπος, ἀρσενοκοίτης, δεξιολάβος, δευτερόπρωτος, δικαιοκρισία, ἐθελοθρησκεία, εὐπερίστατος, καλλιέλαιος, κωμόπολις, μογιλάλος, οἰνοφλυγία ὁλοκληρία, σητόβρωτος, σκωληκόβρωτος, τροποφορέω, φρεναπάτης, ὑπερεκπερισσῶς, ψευδάδελφος, καρποφόρος, καρποφορούμενον, θανατηφόρος, Jac. III, 8, (quam vocem in Ignatio nostro ægre fert Blondellus) παραδιατριβαί, vel διαπαρατριβαί, utroque enim modo legitur I Tim. VI, 5, cum διατριβή, et παρατριβή Græcis satis notæ sint, παραδιατριβή vel διαπαρατριβή non item. Διαπαρατριβαί autem antiquitus scriptum fuisse non tantum codex vetustissimus Alexandrinus, et Stephanici omnes, et Chrysostomi et Theodoreti editiones evincunt, sed etiam expositiones ejus vocis quæ nunc apud Hesychium exstant; et Suidam, Hesychius : Διαπεριτριβαί, lege ex litterarum serie, Διαπαρατριβαί, ἐνδελεχισμοί, ἐνδελέχειαι. Suidas : Διαπαρατριβαί, ἐνδελέχειαι. Aliunde autem illi non habuerunt quam ex hoc loco S. Pauli. Quid quod Andronicum et Junium vocet συναιχμαλώτους suos, cum ipse tamen, ut observat Chrysostomus, αἰχμάλωτος non fuerit? Si hæ voces varie compositæ illis addantur quas Hammondus, aut nos ante numeravimus, paucæ non erunt; imo quamplurimæ essent, si omnes ex scriptis apostolicis excerperentur. Mirum igitur videri non debet, si viri apostolici aut iisdem aut similibus compositionibus uterentur ; præsertim cum Græcæ linguæ adeo essent familiares aut eædem aut similes compositiones. Unica illa Clementis Romani epistola, ut nunc exstat, si loca ex Scripturis excerpta seponas, epistolico opere Ignatii multo brevior, talibus compositionibus magis scatet. Quales sunt : Ἀγαθοποιία, ἀγιοπρεπεῖς, ἀδελφοκτονία, ἀμβλυωπῆσαι, ἀναζωπυρήσατω, ἀξιαγαπτός (quam vocem in Ignatio culpant), ἀντοφθαλμεῖ, ἀπροσκόπως, ἀπροσωπολήπτως, αὐτεπαίνετος, αὐτομολοῦντες, δικαιοπραγία, δωδεκάσκηπτρον, ἐργοπαρέκτης, ἑτεροκλινεῖς, ἑτερογνώμων, εὐπρόσδεκτα, θεοστυγία, κοινωφελές, κυοφοροῦσα, λειποτακτεῖν, ματαιοπονία, μεγαλορρήμονεῖν, μωμοσκοπηθέν, οἰκουργεῖν, πτεροφυεῖ, προοδοιπορήσαντες, βιψοκινδύνως, χρησμοδοτεῖσθαι, φυλλορροεῖ, φιλαδελφία, et a πᾶν composita quamplurima, de quibus agendum postea. De multitudine vocum varie compositarum frivola plane est exceptio et criticis nostris indigna, de qualitate multo magis.

Objicit enim secundo Dallæus vocabula hæc mirifice composita esse poetica, quod aperte falsum est. Veterum quidem grammaticorum sententia est: Εἶναι συνθέσεις ποιητῶν τολμήματα, et ad orationi ὕψος voces poeticas aliquando usurpatas facere notarunt critici veteres; sed tales esse Ignatianas nulla ratione asseritur. Ne una quidem vox a Dallæo ex Ignatio nostro adducta, apud ullum, opinor, veterem poetam exstat; imo ex iis pleræque ita sunt compositæ, ut a poesi plane abhorreant. Ἀξιονόμαστος, ἀξιόθεος, ἀξιομακάριστος, θεομακαριος, θεὸμακαριστότατος, ἁγιοφόρος, ἀξιεπίτευκτος, πολυαγάπητος et similia apud quem poetam reperientur ? Poetæ enim in compositionibus brevium syllabarum coitum evitant, adeoque breves in longas mutant. Cæterum in Novo Testamento non desunt vocabula poeticæ originis. S. Petrus de cane ad vomitum redeunte loquens cum ἔμετον ex LXX dicere potuerit, dixit ἐξέραμα, quod ex versiculo aliquo parœmiaco hausisse videtur, ut et illud κύλισμα βορβόρου. Idem ἐγκομβώσασθαι dixit ; quod verbum apud poetas solummodo invenire potuit Photius, Epicharmum scilicet et Apollodorum Carystium. Quid autem ille de. S Petro judicaverit, velim intelligant illi qui Ignatium nostrum adeo severe tractant : Ὁ μὲν γὰρ μακάριος καὶ κορυφαῖος Πέτρος, οὐδὲν περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν Ἑλληνικῶν ὀνομάτων σπουδάζων, ταύτην τοῖς ἑαυτοῦ παρείληφε γράμμασιν· οὐ γὰρ ἠχώ τινα καὶ τέχνην ῥημάτων, οὐδὲ λεξιδίων ψόφον καὶ κτύπον... ἀλλὰ ψυχῶν σωτηρίας τοῖς ἀκροαταῖς ἐνθεῖναι φροντίδα ἐτίθετο. « Beatus enim et coryphæus Petrus, nullum in Græcorum nominum electione studium ponens, hanc vocem ἐγκομβώσασθαι suis scriptis inseruit. Non enim echo aut artificium verborum, neque vocabulorum sonitum, sed animarum salutem auditoribus inserere curam habuit. »

At si poetica non sint, rara tamen sunt et inusitata. Fortasse. Multa quidem vocabula ejusmodi sunt, ut sub initio Christianismi non potuerint non esse inusitata, quæ ex religione Christiana originem sumpseruni, ut σαρκόφορος, θεοφόρος, χριστοφόρος, ναοφόρος, χριστώνυμος. Talia quamplurima in Novo Testamento exstant, quæ cum prima apostolorum prædicatione nata sunt, ut ψευδόχριστος, ἀντίχριστος, ψευδάδελφος, κατανάθεμα. Hoc et in sectis philosophorum semper observatum est, « Zeno plurimis novis verbis usus est; nova enim dicebat. » Apud Arianum scriptorem satis castigatum voces mire compositas invenies, quæ a stoicis ex ipsorum doctrina sunt excogitatæ, ut μικρόδουλον, et μεγαλόδουλον, θεοχόλωτοι, ὑπολῃψείδιον, ἀναποτευκτότερον, ἀπεκλεγόμενον, ἀπεριπτωτότερον, et similia. Loquitur Ignatius ut Christianus ; verba habet suæ religioni propria, et a gentibus minime usurpata ; quod illi vitio verti non debet. Demodicus apud Platonem quasi agricola loquitur : Ἐμοὶ μέν, ὦ Σώκρατες, ἢ τούτου τοῦ παιδὸς εἴτε φυτείαν εἴτε παιδοποιίαν χρὴ φάναι. Ad quæ verba Dionysius Halicarnasseus critice observat : Τοῦτο δὲ οὐ χρὴ νομίζειν, ὅτι μεγάλῃ τῇ φωνῇ χρῆται ὁ Πλάτων, ἀλλ' ἐπειδὰν ὁ Δημόδικος ἐργατικὸς καὶ γεωργὸς φωνὰς ἀφίησι τῆς τέχνης. « Non existimare oportet grandi voce uti Platonem, sed Demodicus, utpote agricola, verba suæ artis emittit. » Imo et Novi

Fœderis scriptores nova etiam obiter vocabula usurpasse a veteribus sæpe observatum est. Notat Gregorius Nyssenus S. Matthæum, ubi ait μὴ βαττολογήσητε, τὴν ξένην ταύτην τῆς λέξεως καινοτομίαν ἐξευρηκέναι, « peregrinam et novam hanc dictionem excogitasse. » Idem de voce ἐπιούσιος observat Origenes in libro *De oratione* nondum edito : Πρῶτον οὖν ἰστέον, ὅτι ἡ λέξις ἡ ἐπιούσιος παρ' οὐδενὶ τῶν Ἑλλήνων οὐδὲ τῶν σοφῶν ὠνόμασται, οὐδὲ ἐν τῇ τῶν ἰδιωτῶν συνηθείᾳ τέτριπται, ἀλλ' ἔοικε πεπλάσθαι ὑπὸ τῶν εὐαγγελιστῶν. « Primum igitur sciendum, quod vocabulum ἐπιούσιος apud neminem Græcorum aut sapientium nominatum, neque in vulgi sermone communi usitatum est ; sed videtur ab evangelistis conflictum esse. » Idem de voce περιπερεύεται veterum judicium fuit. Et quod objicitur Ignatio nostro, celeberrimis viris scriptoribusque optimis objectum fuisse legimus. Ita Marcellinus in Vita Thucydidis : Ὅλως ἐφευρετής ἐστι καινῶν ὀνομάτων. « Per totum inventor est vocum novarum. » De Xenophonte Suidas, V. Ἀγυιάν : Ὅλως πολλὰ τὰ γλωσσηματικὰ παρ' αὐτῷ. Galenus lib. I *in Hippocratem de articulis*, de eodem : Καὶ γὰρ ἐκεῖνος εἴπερ τις καὶ ἄλλος ἑρμηνεύων πολιτικῶς ὅμως παρεμβάλλει πολλάκις γλωσσηματικά. Glossematica autem sunt rara, inusitata et peregrina.

Quæritur quod tam multa ab uno vocabulo habeat, ut a φέρω et ab ἄξιος, cum nulla compositio frequentior et tritior sit apud optimos et vulgares Græciæ scriptores. Ἀξιαγάπητος Ignatii, sed et Clementis Romani ; ἀξιοθαύμαστος, ἀξιομνημόνευτος, ἀξιοπρεπέστατος, ἀξιομακαριστότατος, ἀξιέπαινος apud nostrum, sed et apud Xenophontem leguntur ; apud quem et hæc præterea legimus, ἀξιάγαστος, ἀξιάκουστος, ἀξιακρόατος, ἀξιεπαίνετος, ἀξιέρραστος, ἀξιοβίωτος, ἀξιόεργος, ἀξιοθέατος, ἀξιόκτητος, ἀξιολογώτερος, ἀξιόνικος, ἀξιόπιστος, ἀξιόσκεπτος, ἀξιοσπούδαστος, ἀξιοτέκμαρτος, ἀξιοφίλητος, ἀξιοχρεώτατος. Xenophon tamen, cujus opera his vocabulis scatent, a veteribus criticis καθαρὸς τοῖς ὀνόμασι, καὶ σαφὴς, καὶ ἐναργής, « purus et perspicuus » judicatus est : cujus sermonem ipsæ Gratiæ Quintiliano finxisse videbantur ; in quo et « jucunditatem inaffectatam » observat. Composita a φέρω apud Græcos pene infinita sunt, et in omni rerum genere maxime usitata. Ignatius quæ habet, fere religionem et Christianorum sanctitatem spectant ; eaque compluria composuisse non immerito censeri debet, quod in gentilium sacris eæ compositiones frequentissime usurpabantur. In ritibus eorum superstitiosis ubique occurrunt, ἀνθεσφόροι, ἀρρητοφόροι, δαφνηφόροι, δειπνοφόροι, διονυσιφόροι, διφροφόροι, ἐρρητοφόροι et ἐρσιφόροι, ὀσχοφόροι, θαλλοφόροι, θεσμοφόροι, ἱεροφόροι, κανηφόροι, κιστοφόροι, λικνοφόροι, λουτροφόροι, ναρθηκοφόροι, πεπλοφόροι, πυρφόροι, σκαφηφόροι, σκιροφόροι, στεφανηφόροι, ὑδριαφόροι, et ὑδροφόροι, φωσφόροι. Ad eorum similitudinem voces eodem modo compositas ad veram sanctitatem ac plane internam excogitavit et usurpavit Ignatius. Quam multa sunt quæ ex una voce πᾶν in unica epistola arcessit Clemens Romanus ! παμμεγέθης, παμμεγεθέστατος, παμπλήθης, πανάγιος, πανάρετος, παντοκράτωρ, παντοκρατορικός, παντοποιητής, παντεπόπτης.

Plura igitur hujusmodi quam unum aut alterum, ab optimis scriptoribus et in opere laudabili usurpata fuisse ut concederet Dallæus necesse fuit ; sed sunt illa epistolicis multo, ut ipse judicat, modestiora. Modesta enimvero sunt illa vocabula quæ alii usurparunt, immodesta quæ scriptor epistolicus. At multa, ut ostendimus, eadem sunt : par proinde in iis modestia. Quæ ab aliis ante eum scripta non videntur, certe immodesta non sunt. Nam illam immodestiam vel in compositione vel in significatione consistere dicendum est. In compositione immodestus dici non potest epistolarum auctor : cum aut eadem aut plane similis compositio in aliis iisque optimis scriptoribus observetur. Significatio autem vocum, si quæ forte ab ipso putentur excogitatæ, immodesta censeri non debet, si res ipsa his nominibus denotata fuerit a sacris scriptoribus tradita. Docet S. Paulus Christum in sanctis habitare [51] : eosdem igitur Ignatius χριστοφόρους et eodem sensu appellavit. Tradit idem apostolus corpora sanctorum esse templa Spiritus sancti [52] : quare eosdem noster vocavit ναοφόρους. Ostendit Apostolus impios, dum vivunt, mortuos esse [53] eos ille νεκροφόρους nominat sensu Christiano, cum Græci ea voce libitinarios intellexerint. Monuit S. Paulus Christianos ut viverent ἀξίως τοῦ Θεοῦ [54], eos qui ita vixerant Ignatius ἀξιοθέους vocat. Quænam, amabo, in his vocabulis, si rem ipsam et significationem spectes, immodestia ? omnino nulla. Apparet tandem ex his vocabulis tantopere deturpatis poetica esse nulla, immodesta nulla, rara quidem et inusitata perpaucissima ; eamque accusationem non in auctorem, sed in Christianum recidere, qui cum Ignatii novus, et ut loquitur Tertullianus, hesternus fuit, nova vocabula peperit.

Cum de singulis tam male, videamus an de conjunctis melius disputaverit. Quatuor ejus compositionis voces in una sententia observavit, θεοφόροι, καὶ ναοφόροι, χριστοφόροι, ἁγνοφόροι, easque nauseam excituras putavit, vir emunctæ naris, ut videtur, quot tot ejusdem compositionis vocabula simul enuntientur. At duo Apostolus simul posuit ὁλοτελεῖς, καὶ ὁλόκληρον, I Thess. v, 25 ; tria Xenophon, φιλανθρωπότατος, καὶ φιλομαθέστατος, καὶ φιλοτιμότατος. Justinus martyr Apologia I : Κἂν ὑπὸ Κρίσκεντος τοῦ φιλοψόφου καὶ φιλοκόμπου· οὐ γὰρ φιλόσοφον εἰπεῖν ἄξιον τὸν ἄνδρα. Et statim : Ὡς προέφην, οὐ φιλόσοφος ἀλλὰ φιλόδοξος ἀνὴρ δείκνυται, ὅς γε μηδὲ τὸ Σωκρατικὸν ἀξιέραστον ὂν το-

[51] Ephes. III, 17. [52] I Cor VI, 19. [53] Rom. VI, 2. [54] Col. I, 10.

μᾶ. Gregorius Nazianzenus : Τὴν ὁμότιμον, καὶ ὁμόφρονα, καὶ ὁμόψυχον. Alibi : Καὶ πτωχοὶ τὸν φιλόπτωχον καὶ τὸν φιλόξενον οἱ ξένοι, καὶ ἀδελφοὶ τὸν φιλάδελφον. Rursus : Φιλόπαιδες ἄμφω καὶ φιλόχριστοι, τὸ παραδοξότατον, μᾶλλον δὲ φιλόχριστοι ἢ φιλόπαιδες. Quatuor simul Simplicius in Epictetum : Ὅδε μὲν φιλήδονος ἔσται· ὅδε καὶ φιλοχρήματος, καὶ ἄλλος φιλόμουσος καὶ φιλόσοφος. Clemens Romanus : Οὐ πάντες εἰσὶν ἔπαρχοι, οὐδὲ χιλίαρχοι, οὐδὲ ἑκατόνταρχοι, οὐδὲ πεντηκόνταρχοι. Epictetus ipse apud Stobæum quinque, οὐδεὶς φιλοχρήματος καὶ φιλήδονος, καὶ φιλόδοξος φιλάνθρωπος, ἀλλὰ μόνος ὁ φιλόκαλος.

Hucusque argumentis nihil promovit vir doctissimus ; videamus quid conjecturis possit. « Ratio, inquit, cur ista tam avide tamque studiose consectatus sit, non est obscura. Nimirum qui magnum virum simulandum finxit (si ei credamus qui fictorem ipsum finxit), putavit aliquam Ignatianæ magnitudinis speciem præbiturum sermonem ex hujusmodi vel priscis, vel raris vel grandibus, vel audacibus verbis structum. » Præclarum sane commentum et hariolatore dignum ! Quid enim ? an Ignatiana magnitudo ex grandi sermone conflata, et fortitudo sanctissimi martyris ex verbis audacibus composita cuipiam videri potuit ? An ideo quisquam eum forti et alacri animo ad ferocissimarum bestiarum ora properasse putaret, quod Christianos aut Θεοφόρους aut χριστοφόρους, aut ναοφόρους nominasset, quod πραϋπάθειαν, aut βεβαιοσύνην, aut ἀκαυχησίαν incredibili audacia in epistolis scripserit ? Pleraque hæc quidem a Blondello notata sunt ; sed ut putre fermentum ab Ignatio amoliretur ; neque enim adeo insanivit, ut ad Ignatianæ magnitudinis speciem præbendam hæc excogitata esse diceret. Grandia hæc non esse vocabula aut audacia supra evicimus ; et frequens plerorumque usus apud scriptores castigatissimos idem testatur. Fictorem autem nescio quem ea adhibuisse, quod prisca putaret, et ætate sua rara, omnem stuporem superat. An hæc excogitare fictor vel fungus potuit, ut Ignatius, quem simulare voluit, unus de cascis videretur ? Cum « prisca audio, mihi versantur ante oculos Ulysses et Nestor, quorum ætas mille fere 200 annis sæculum Ignatianum antecedebat, » ut olim ille. An πρὸ χιλίων ἐτῶν διαλέγεται, ut ait Lucianus ? An « duodecim tabulas loquitur, » ut Seneca ? « Sordes verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem ; » sed quam ? non ætatem Trajani. Sed neque prisca illa fictori videri potuerunt. Aliqua ex illis fortasse nova tunc dici potuerunt, utpote post Christianismum orta, prisca plane nulla. Accusavit hæc ipsa prius ut nova, nunc ut prisca exagitat ; neque ex iis quæ nova, vel quæ prisca videantur ostendit. Fictor sane ut antiqua et inusitata, Θεοφόρον, χριστοφόρον et similia Ignatio supponere non potuit, cum scriptores post Ignatium, ante Eusebium, ea usurpaverint.

Sed « et quædam verba per se optima et omnibus passim usurpata ipse nove usurpat, et præter aliorum morem. » Ergone Ignatius esse non potuit ? An soli plani et fictores vocabula nove et præter aliorum morem usurpant ? Planus igitur fuit, non Thucydides, qui ἀποσίμωσιν, et κωλύμην, et ἀποτείχισιν non secundum aliorum morem usurpavit. Quot scriptores Græci sunt, qui aliter voces nonnullas acceperunt quam ab aliis acceptæ sunt ? Vix aliquem inter veteres etiam clarissimos auctores nominabis, quem non observarunt grammatici peculiari aliquo sensu aliqua vocabula usurpasse. Quænam autem, aut quot illa sunt passim usurpata, quæ noster nove usurpavit ? Duo tantum, φύσις, et ᾄδω : tertium enim ἄρχειν, fictoris est. At φύσις ut est vox tritissima, ita vario semper significatu apud optimos scriptores sumitur, etiam Christianos et sacros. Unde anonymi cujusdam commentariolus conflatus est, qui in Bibliotheca Vindoboniensi, teste Lambecio, ms. exstat, cum hoc titulo : Ἵλ φύσις ὁσαχῶς τῇ θείᾳ παρείληπται Γραφῇ. *Quot modis* φύσις *in S. Scriptura accipiatur*. Quid, quæso, significat φύσις apud Epiphanium hæresi 31 ubi ait : Εἰς Κύπρον δὲ ἐληλυθὼς ὡς ναυάγιον ὑποστὰς φύσει σωματικῶς τῆς πίστεως ἐξέστη ; Certe Petavius non vidit, cum ita vertit : « Sed ad Cyprum delatus fidei naufragium, velut corporis fecisset, ibidem passus. » Quid paulo post ? Ἐγὼ δὲ ἅτινα φύσει ἀναγκαῖον εἶναι ἡγησάμην εἰς τοὔμφανὲς ἐλθεῖν, ταῦθ' ὑπηγόρευσα. Petavius enim rursus omisit : « Ego vero ea duntaxat proposui quæ in medium proferri oportere duxi. » Quid denique hæresi 51 ? Ὁπότε δὲ οὐ δέχονται φύσει τὰ βιβλία τὰ ἀπὸ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου κεκηρυγμένα. « Sed cum universos Joannis libros proprie rejiciant. » Ita tandem Petavius, an recte ? Sed Ignatius noster, naturæ « nomine bis abusus est ; sensum ei nescio quem, inquit, abstrusum et a vulgari usu remotum affingens. » Locum ex Epistola ad Ephesios adducit, in quo, nimirum, « extricando sudant interpretes. » Possem pariter ex S. Paulo locum adducere, I Cor. xi, 14, de quo non sudant tantum sed et digladiantur viri doctissimi. Sed non opus est : apertissima enim fallacia hic utitur Dallæus : πολυαγάπητον ὄνομα κέκτησθε φύσει δικαίᾳ, quæ recitat verba nostri quidem sunt, sed in eis extricandis non sudant interpretes. Interpolator pro πολυαγάπητον substituit pro suo arbitrio πολυπόθητον· unde Usserius et Junius, cum veram lectionem non vidissent, argute nimis de etymologia Ἐφεσίων disserebant ; quæ quidem Isaaco Vossio merito minus placebant. Quid φύσει δικαίᾳ esset, neutra pars dubitabat ; uterque Latinus interpres *natura justa* reddidit ; adeo omnis ex vocabulo φύσις sudor abstersus est. Ad Trallenses ea voce iterum utitur, οὐ κατὰ γρῆσιν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν, id est, καθ' ἕξιν· nam φυσιοῦται ἡ ἕξις, ut loquitur Clemens Alexandrinus. Satis aperte hæc et eleganter dicta sunt ; quæ tamen archaica esse vult censor et mirifica, cum sint plane vulgaria

et usitata. In antiquissima Barnabæ epistola : « Supra modum exhilaror beatis et præclaris spiritibus vestris quod sic naturalem gratiam accepistis ; » et tamen statim addit, « quia vere video in vobis infusum spiritum ab honesto fonte Dei. » Gregorius Nazianzenus oratione 13 : Χρόνῳ καὶ λόγῳ βεβαιωθὲν ἅπαν καλλὸν φύσις καθίσταται, καθάπερ καὶ ἡ ἐν ἡμῖν ἀγάπη. « Bonum omne tempore ac ratione confirmatum in naturam transit, ut et ea quæ in nobis est charitas. » Verbum etiam ᾄδειν *cantare*, non vulgari et legitimo, sed poetico sensu posuit pro *celebrare*. Duplicem quidem hunc sensum agnoscunt grammatici, ut Ammonius : Τὸ ᾄδειν ποτὲ μὲν τὸ ψάλλειν δηλοῖ, ἐνίοτε δὲ τὸ φημίζειν· sed unam significationem poeticæ, alteram pedestri orationi competere, nemo, opinor, adhuc monuit. Et adeo tritus est τοῦ ᾄδειν pro *celebrare*, apud omnis generis scriptores usus, ut exempla in re tam nota proferre pudeat. Verba inusitata et obscura Dallæus tam frequenter Ignatio nostro objicit, ut credas illum non aliter scripsisse epistolas, quam olim Alexarchus Cassandri frater scripsit, cujus epistola apud Athenæum lib. III exstat, quam ne Pythium quidem intellexisse critici putabant, ut Dallæus Ignatianas epistolas prisca Loxiæ Apollinis oracula appellat. Illius epistolæ inscriptio sic apud Athenæum concipitur : Ἀλέξαρχος ὁ μάρμων πρόμοις χαθεῖν. Casaubonus observat in ms. pro μάρμων legi μάρκων, putat μάρκων significare imperatorem, regem ; conjecturam firmat verbis Hesychii : Μάρκος, ἐντολή. Infelicissime omnia. Neque enim Alexarchus imperator aut rex fuit ; neque μάρκος Græce *mandatum*, significat. Illa verba Hesychii, ut alia compluria, ex veteri lexico transcripta sunt, quo continebantur nomina propria Novi Testamenti ad Hebraicas origines satis inepte relata. Inter alia apud Hieronymum, quæ ex Actis colliguntur, « Marcus, *mandatum*. » Talia sunt, apud Hesychium, Πέτρος, ἐπιλύων, ἐπιγινώσκων, apud Hieronymum, « Petrus, *agnoscens*, » et rursum : « Petrus, *agnoscens*, sive *dissolvens*. » Apud quem etiam, « Priscilla, *agnoscens*, Pyrrhus, *dissolvens*. » Unde post multa recte concludit : « Hæc omnia Græca nomina vel Latina quam violenter secundum linguam Hebraicam interpretata sint, perspicuum esse puto lectori. » Non igitur ὁ μάρμων, neque ὁ μάρκων ad Alexarchum, opinor, pertinet. Sed legendum videtur una voce ὁμαίμων. Data est epistola, ut observat Athenæus, ad Κασσανδρέων ἄρχοντας, « Cassandrensium magistratus, » hos vocat ὁμαίμων πρόμους, « consanguineorum magistratus, seu præpositos, » sunt enim πρόμοι οἱ προεστῶτες ; consanguineos autem appellat Cassandrenses, quod ipse Cassandri regis frater esset, qui Cassandriam condidit. Inscriptio igitur hæc sonat : « Alexarchus consanguineorum magistratibus gaudere, » χαθεῖν enim idem est quod χαίρειν. Quod vulgari lingua Græca ita exprimitur, Ἀλέξαρχος Κασσανδρίων ἄρχουσι χαίρειν.

De « nexus verborum mirifica ratione » late disputat vir doctissimus, eamque « ad illam quam » scriptor « assectatur pompam multum facere » arbitratur. Videamus autem quænam illa sint quæ adeo pompatice loquitur Ignatius noster. « Evangelium dixit Christi carnem. » Quam pompatice ! προσφυγὼν Εὐαγγελίῳ ὡς σαρκὶ Χριστοῦ· Non his verbis diserte Evangelium Christi carnem dixit, sed fugiendum monet ad Evangelium tanquam ad carnem Christi. An Christus se furem dixit, cum hæc locutus, est ἥκω ἐπὶ σὲ ὡς κλέπτης, « venio ad te, eo modo quo fur venire solet ? » An lunam sanguinem dixit S. Joannes, cum illa scripsit, ἡ σελήνη ἐγένετο ὡς αἷμα, « Luna facta est tanquam sanguis ? » An cum Philippenses Polycarpus jubet subjectos esse presbyteris et diaconis, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ, presbyterum Deum dixit, aut diaconum Christum ? Nullo modo. Ὡς similitudinem aliquam denotat. Ad Evangelium fugit, ac si ad Christum incarnatum fugeret ; in illo enim depingitur incarnatio, vita, passio Christi. Fidem quidem carnem Christi, et charitatem sanguinem Christi, appellat, non singulariter, non mirabiliter, non prodigiose ; hoc enim nihil aliud est, quam totam religionis Christianæ vim et efficaciam in fide et charitate collocare. Hortatur ut episcopo obediant, quo unio eorum sit carnalis et spiritualis ; id est, ut non tantum corpore in eamdem Ecclesiam conveniant, sed etiam animis atque sententiis unitatem colant. Monet Polycarpum ut locum suum defendat, hoc est, auctoritatem quam obtinebat in Ecclesia tueatur, omni cura carnali et spirituali ; quod mirum nemini videri debet, qui legit ista S. Pauli : Ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα. Moneri vult mulieres Christianas, ut maritis contentæ sint carne et spiritu, hoc est, « ut non carnaliter tantum, sed neque animo concupiscant alios viros, » ut recte Isaacus Vossius. In eamdem sententiam locutus Ignatius noster in epistola ad Ephesios, sed verba truncavit Dallæus, ut magis obscura viderentur, μένετε ἐν Χριστῷ σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς. Ita locum citat, ut a dolosissimo Blondello laudatum reperit. Sed integra sententia est : Ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ καὶ σωφροσύνῃ μένετε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς. Vetus interpres : « In omni castitate et temperantia maneatis in Jesu Christo, carnaliter et spiritualiter. » Quid autem aliud his verbis dixit, quam quod S. Paulus II Cor. VII, 1 : *Mundemus nos ab omni iniquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei ?* Non igitur hæc *obscura* sunt, sed perspicua satis, neque locutionis exempla aliunde quærenda sunt, ubi verba cum S. Pauli dictione et sententia tam bene conveniunt. Quanquam quid est in his Ignatii locutionibus magis mirum aut obscurum quam in illis verbis Tertulliani, *De cultu feminarum* II, cap. 9 : « Nos sumus circumcisio omnium, spiritalis et carnalis : nam et in spiritu et in carne sæculo circumcidimur ? » Non dico Dallæum episcopatus e

hierarchiæ odium excæcasse, quo minus hæc videret; hoc dico, præconceptam de fictore nescio quo inepto sententiam impedivisse, quo minus mentem auctoris exquireret, aut optimum ejus verbis sensum et tali viro dignum inesse animadverteret.

Sed et vincula sua spirituales margaritas dicit; hoc ad ὄγκον pertinet : in iis optat resurgere ; hoc audacius et frigidus est. Ad quid igitur pertinent illa S. Polycarpi in ipso initio epistolæ ad Philippenses, de eadem plane re, iisdemque vinculis, ut videtur, et ex imitatione S. Ignatii, ubi martyres describit : Τοὺς ἐνειλημένους ἁγιοπρεπέσιν δεσμοῖς, ἅτινά ἐςτι διαδήματα τῶν ἀληθῶς ὑπὸ Θεοῦ καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων. « Innexos vinculis viros sanctos decorantibus, quæ sunt diademata eorum, qui a Deo et Domino nostro electi sunt ? » Quæ imitatus est S. Chrysostomus, de S. Paulo vincto disserens : Παντὸς χρυσοῦ λαμπροτέρας αὐτοῖς ἐδείκνυ τὰς χεῖρας, παντὸς διαδήματος βασιλικοῦ. « Omni auro splendidiores ostendit illis manus, omni regio diademate. » Ignatium autem imitatus est Polycarpus : nam diademata margaritis maxime ornari solebant. Chrysostomus oratione *in S. Meletium :* Καθάπερ τις στέφανον πλέκων χρυσοῦν, εἶτα μαργαρίτας ἐντιθεὶς, τῇ πυκνότητι τῶν λίθων λαμπρότερον ἐργάζεται διάδημα. « Ut quispiam coronam auream texens, dein margaritas imponens, condensatis lapidibus splendidius diadema efficit. » Ad quod pertinent illa Lugdunensis Ecclesiæ de martyribus suis : Ὥστε καὶ τὰ δεσμὰ κόσμον ἐμπρεπῆ περικεῖσθαι αὐτοῖς, ὡς νύμφῃ κεκοσμημένῃ ἐν χρυσωτοῖς χρυσοῖς πεποικιλμένοις. « Adeo ut vincula in decorum ipsis ornatum addita habuisse viderentur, instar sponsæ fimbriis aureis variegatis ornatæ ? » Ita S. Cyprianus epist. 77 : « Dicatis Deo hominibus et fidem suam religiosa virtute testantibus ornamenta sunt ista, non vincula : nec Christionorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam ; » non temporalem, ut opinor, sed spiritualem et æternam. Optime respondit Blondello Isaacus Vossius, spirituales nuncupari margaritas, quoniam spiritualem et vitam æternam promittunt ; nam et pretiosæ margaritæ assimilavit regnum cœlorum Christus ipse. Sed falsum putat esse Blondellus, cum vincula spiritualia dicuntur ; eodem certe modo, quo falsum est, carcerem esse beatum : et tamen ita loquitur optimus et tersissimus scriptor S. Cyprianus, epist. ad Seagrium ; « O beatum carcerem, quem illustravit vestra præsentia ! O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cœlum ! » Nonne carcerem ideo dixit beatum, quia sanctis beatitudinem promittit ? De vinculo S. Pauli dixit S. Chrysostomus homil. ad Ephes. IV : Οὐδὲ τῆς ἁλύσεως ἐκείνης μακαριώτερον, « Nihil illo vinculo beatius. » Et falsum etiam hoc, si Blondelliano more sententias maximorem virorum discutiamus. Dixit S. Paulus : « In reliquo reposita est mihi corona justitiæ. » Chrysostomus : Ἀλλὰ τοῦ στεφάνου τούτου λαμπρότερος ὁ δεσμός. « Sed hac corona illustrior catena. » Nonne hoc falsum videtur ? an quidquam potest esse corona justitiæ illustrius ? aut si quidquam esse possit, an catena ? Idem Chrysostomus de S. Pauli vinculis, quæ sua ætate exstitisse putabat : Ἐβουλόμην ἰδεῖν τὰς ἁλύσεις, ἃς δεδοίκασιν μὲν δαίμονες καὶ φρίττουσι, αἰδοῦνται δὲ ἄγγελοι. « Vellem videre catenas quas metuebant, ad quas contremiscunt dæmones, quas angeli venerantur. » Sed in his vinculis optat refugere, pro hominem audacem ! proh frigidum sophistam ! Imo hæc viri sunt, et passionem pro Christi nomine maxime æstimantis, et martyrii certissimum præmium firmissime exspectantis. Quid enim aliud est in vinculis refugere, quam coram Deo in die judicii tanquam martyrem pro Christo apparere, et coram angelis et hominibus passionibus testimonia exhibere ? Legimus Babylam S. Ignatii in episcopatu Antiochensi successorem, ut illud ejus votum sine dubio assequi posset, in mandatis dedisse ut vincula sua simul cum corpore sepelirentur. Ita Suidas ex aliquo veteri scriptore : Ἔπειτα αὐτὸς προὔτεινε τὸν αὐχένα τῷ ξίφει, ἐντειλάμενος τοῖς τὸ σῶμα αὐτοῦ συλλεξομένοις, τὰς ἁλύσεις καὶ τὰς πέδας αὐτῷ συνθάψαι, Ἵν' ᾖ μοι ταῦτα, φησὶ, κειμένῳ κόσμος. « Tandem ipse Babylas cervicem ensi protendit, cum illis qui collecturi erant, mandasset, ut vincula et compedes cum ipso sepelirent, Ut, inquit, hæc mihi jacenti ornamento sint. » Hoc autem verum esse testatur Chrysostomus Antiochenæ Ecclesiæ presbyter Oratione in Babylam : Μέλλων τοίνυν ὁ μακάριος ἀποσφάττεσθαι ἐκεῖνος, μετὰ τοῦ σιδήρου τὸ σῶμα ταφῆναι ἐπέσκηψε. « Cum beatus ille jam trucidandus esset, mandavit ut cum ferro corpus sepeliretur. » Et rursus : Αὐτὰ τῶν ἄθλων σύμβολα συνταφῆναι κελεύει τῷ σώματι. « Ipsa certaminum symbola cum corpore consepeliri jubet. » Ac denique : Καί κεῖνται νῦν μετὰ τῆς τέφρας αἱ πέδαι, « et nunc cum cinere compedes jacent. » Ita et homilia 9, ad Ephesios. Quin ot idem Chrysostomus hom. 8, Ignatiano more in hæc verba prorumpit : Ἐγὼ τῶν δεσμῶν ὀναίμην ἐκείνων. « Utinam ego istis vinculis fruar ! »

Sed vocat Ephesios lapides templi, relatos in excelsa, ait, per crucem Christi, quasi per machinam quamdam, Spiritu S. quasi fune utentes, fide tanquam subvectore. Nova, scilicet, hæc sunt et absurda. Nova fortasse hæc visa sunt cum ea scriberet Ignatius, cum jam religio Christiana recens videretur; quomodo nunc nova dicantur, quomodo absurda, non video. Sanctos esse templi Dei lapides quis non dixit post S. Petrum, I Ep. II, 5 : *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis* ? Neque hoc negat Dallæus ; sed novum et absurdum est ut hi in excelsa referantur per machinam. Certe per machinam in excelsa ferri lapides novum non est, sed locis omnibus temporibusque usitatum. Sed tales lapides quales Ephesii erant, hoc est sanctos, in excelsa ferri fortasse novum et absurdum vide-

tur. Certe Chrysostomo non videbatur, qui ad tales machinas pertinere ipsas catenas sanctorum existimavit. De catena S. Pauli. hom. 8 ad Ephesios ita scribit : Αὕτη τοὺς δεδεμένους, καθάπερ διά τινος μηχανῆς ἕλκει πρὸς τὸν οὐρανόν, καὶ ὥσπερ χρυσῆ σειρὰ ἐξαρτηθεῖσα ἀνέλκει πρὸς αὑτὸν τὸν οὐρανόν. « Hæc vinctos tanquam per machinam trahit ad cœlos, et tanquam aureus funis dependens sursum trahit ad cœlos ipsos. » An autem crux talis machina dici non potest ? Tertullianus *Ad nationes* lib. I, c. 18 : « Si crucem configendi corporis machinam nullus adhuc ex vobis Regulus pepigit. » Nonne hoc culvis obvium fuit, qui ea legerat quæ Christus dixit : *Ego si exaltatus fuero e terra*, hoc est, si crucis machinam ascendero, *omnia trahem ad meipsum*, Joan. XII, 32. Quomodo autem trahit Deus, nisi funiculis Adam, et vinculis charitatis ? Sed quinam hi funiculi sunt ? Certe Deus per Spiritum homines ad se trahit. Quid hic igitur absurdi, quid novi ? Nonne melius dicitur Deum nos per Spiritum, quam nos per Spiritum Dei trahere. Et tamen Gregorius Nazianzenus non veritus est dicere : Πνεύματι στοιχοῦντες, τούτῳ τὴν γνῶσιν ἥκοντες· « In Spiritu ambulantes, eoque cognitionem trabentes. » Dona gratiæ, seu spiritus S. Spiritus sæpe dicuntur : illa autem inter beneficia numerari debent et simul funiculis comparari, quibus efficacissime ad Deum trahimur. De mirifica salutatione non opus est ut respondeam. Non enim constat posteriorem partem sententiæ ad salutationem eam pertinere, cum possit etiam ad sequentia referri. Si quis autem eam ad priora potius referre velit, ne sic quidem absurda videbitur salutatio. Non enim in nomine tantum Christi, sed et in Christo, vel in Domino Apostolus salutat ; Christus autem per naturam perque ea quæ in carne egit et passus est, optime explicatur. Quibus addit ἐν ἑνότητι. Nam ut optime de S. Paulo a Chrysostomo observatum est : Ἀεὶ συνάγει καὶ συγκολλᾷ τὰ μέλη διὰ τοῦ ἀσπασμοῦ. « Semper conjungit et conglutinat membra per salutationem. » Neque mira videri debet in resurrectione facta salutatio. cum vetustissimi Christiani his verbis « Christus resurrexit » se mutuo solerent salutare.

CAPUT XV.

Imitatio Apostoli Ignatiana κακοζηλία *non est.* Ὀναίμην *vox Græcis familiaris, ita ab Ignatio aliquoties usurpata, ut a Chrysostomo laudetur. Censura Arruntii rejicitur. In voce* ἰσόψυχον *nulla apostoli imitatio. Quid sit* ἰσόψυχος, *quid* ἀντίψυχον, *docetur, ut et* περίψημα. *Phrases aliquot sæpius usurpatæ defenduntur. Ironia apostolica de Ignatio minime expressa.*

Capite 28 probare nititur auctorem epistolarum impostorem fuisse, ex imitatione S. Pauli, quam κακοζηλίαν vocat ; quare autem vir apostolicus et martyr imitari S. Paulum, quare qui eum vita, et morte secutus est, sermone etiam sequi non potuerit, haud video. Fateor equidem epistolarum scriptorem S. Pauli epistolas imitatum esse, Apostoli vestigiis presse inhæsisse, quod in cœlis etiam ut sibi contingeret optavit, epistola ad Ephesios : Οὗ γένοιτό μοι ὑπὸ τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι ὅτ' ἂν Θεοῦ ἐπιτύχω, « Cujus fiat mihi sub vestigiis inveniri, quando Deo fruar. « Quæ verba Ignatii nostri sine cacozelia imitati sunt Smyrnenses in Martyrio S. Polycarpi. Οὗ γένοιτο ἐν τῇ βασιλείᾳ Ἰησοῦ Χριστοῦ πρὸς τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι ἡμᾶς. « Cujus fiat ad vestigia ut nos in regno Jesu Christi inveniamur » Agnosco Ignatium nostrum sensum S. Pauli animumque in succum et sanguinem convertisse, eum in numerato etiam in carcere habuisse, sermone et mente ubique expressisse ; sed et hoc multo magis viro sancto et martyri, qualis ipse apostolus, quam fictori cuiquam aut impostori convenire arbitror. De modo imitationis tota lis est, an ita scriptor Apostolum imitatus sit, ut Ignatius ille esse non possit, sed potius se pravæ imitationis studio imposturæ reum prodiderit. Ego tam bene eum apostolicas epistolas imitatum esse contendo, ut merito virum eum apostolicum, cui Apostoli scripta tam intime et medullitus impressa fuerunt, judicemus ; tam male, tam absurde, ut inde appareat eum impostorem fuisse, quod volunt adversarii, prorsus nego. Assertionis nostræ veritatem ostendet commentarius, quo omnia S. Ignatii ad suas origines referantur, et cum S. Pauli verbis et sententiis præcipue conferantur ; si unquam illius perficiendi et edendi occasio se obtulerit. Conjecturas interim Dallæanas, ut se offerunt, examinabo, earumque imbecillitatem prodam.

Primo. Impostorem olet ὀναίμην toties ab eo usurpatum. Semel autem S. Paulus ea voce utitur, et quidem in Epistola ad Philemonem, ubi de Onesimo agitur. Quare cum Theodorus Beza « scitam Perroti collegæ sui conjecturam » adeo commendaverit, qui « Paulum hac voce alludere ad ipsum Onesimi nomen existimavit : » mirum est Ignatium nostrum non tantum in epistola ad Ephesios, ubi Onesimi eorum episcopi mentionem facit, sed etiam sæpius alibi ea voce uti. Sed vox illa ὀναίμην satis apud Græcos semper trita fuit. Apud Hesychium legitur : Ὀνήμονος, ἄξιος ὀνήσεως. Sopingius legendum putat Ὀνήσιμος, et Epistolam citat S. Pauli ad Timotheum. Sed hoc modo veteres intelligendi non sunt. Quis enim non videt pro Ὀνήμονος legendum esse, Ὀνήμενος, *Odyss.* B, 33 :

Ἐσθλός μοι δοκεῖ ἔμμεν' ὀνήμενος,

cum explicatio Hesychii, ὄνησιν ἑαυτοῦ λάβοι, apud veterem Scholiasten eo loco exstet ? Ad Onesimum certe, aut ad S. Pauli locum non semper respiciendum quoties de ea voce agitur. Diu ante Euripides in *Oreste* :

Ὄναιο καὶ σὺ, καὶ ὁ διδοὺς ἐγώ.

Unde Aulus Gellius lib. XIV, cap. 6 : Ὄναιο σὺ, inquam, doctissime virorum, ταύτης τῆς πολυμα-

θείας, non ὄναιό σου, ut nunc male scribitur. Euripides in *Hippolyto* :

Ὄνασθαι, μὴ μαθεῖν βούλου.

Unde Hesychius :

Ὄνασθαι, ὠφελῆσθαι.

Suidas V. Ὀναίμην, citat hunc versiculum :

Καύτὴ γὰρ ἐγὼ, οὕτως ὀναίμην τῶν τέκνων.

Sed apud Aristophanem, unde transcripsit, legitur ὀνοίμην, *Thesmophoriazusis* :

Καύτὴ γὰρ ἔγωγ', οὕτως ὀνοίμην τῶν τέκνων,
Μισῶ τὸν ἄνδρ' ἐκεῖνον, εἰ μὴ μαίνομαι.

Ipsa enim ego, ita fruar liberis meis,
Odi virum illum, nisi insanio.

Unde intelligi potest Hesychii locum mutilum esse, ubi habet Ὄνοιτο, ὁμοίως. Deest enim vox ὀνοίμην cum explicatione sua.

Sic Admetus apud Euripidem alloquitur Alcestin :

Ἄλις δὲ παίδων· τῶνδ' ὄνησιν εὔχομαι.
Θεοῖς γενέσθαι· σοῦ γὰρ οὐχ ὠνήμεθα.

Satis liberorum ; horum fruitionem precor
Deos mihi *contingere ; te enim non* amplius *fruimur.*

Vetus sane et vulgo trita loquendi formula, οὕτως ὀναίμην τινός. Synesius accuratissimus veterum Atticorum imitator epist. 44 : Οὕτω τῆς ἱερᾶς φιλοσοφίας ὀναίμην, καὶ προσέτι τῶν παιδίων τῶν ἐμαυτοῦ, ὡς οὐκ ἄν μὴ φιλτάτῳ σοὶ τυγχάνοντι συνεβούλευσά τι τοιοῦτον, ὅτε ἀπεύχομαι τοῖς ἐχθροῖς τοῖς ἐμοῖς. « Ita sacra philosophia, liberisque meis insuper fruar, ut tibi non, nisi amicissimus mihi esses, aliquid ejusmodi fuerim consulturus, quod inimicis meis deprecor. » De liberis præcipue rebusque charissimis aut personis hanc loquendi formulam usurpabant veteres Græci, ut constat ex Euripide, Aristophane, Synesio, necnon ex Luciano qui in Φιλοψευδεῖ hæc habet : Καὶ ὁ Εὐκράτης ὥσμερ ἀναμνησθεὶς πρὸς τὴν ὄψιν τῶν υἱέων, Οὕτως ὀναίμην, ἔφη, τούτων, ἐπιβαλὼν αὐτοῖς τὴν χεῖρα, ὡς ἀληθῆ, ὦ Τυχιάδη, πρὸς σὲ ἐρῶ. « Et Eucrates, quasi ex conspectu filiorum hæc in memoriam revocasset : Ita fruar, inquiebat, hisce, illis manum injiciens, ut vera tibi, o Tychiada, loquor. » Receptissima hac loquendi formula usus est S. Paulus ad Philemonem, eamque quasi Christianitate donavit : Ἐγὼ σου ὀναίμην ἐν Κυρίῳ. « Ego te fruar in Domino. » In qua locutione « aliud multo intelligitur quam putatur, » ut observat Hieronymus. Ea igitur usus est Ignatius ut satis familiari, atque insuper a S. Paulo usurpata. Sed quare toties usurpavit, cum S. Paulus semel tantum ? Semel utitur idem apostolus voce ἀγαθοποιία, Clemens Romanus in una epistola quater ; semel S. Petrus vocem μεγαλοπρεπής, in eadem epistola Clemens sexies usurpavit ; toties scilicet, quoties Ignatius noster ὀναίμην, quod ab eo Dallæus mira licentia « sexcenties usurpatum » dixit.

Neque vere censura Arruntii apud Senecam quidquam dignitati scriptoris nostri derogat. Imitatus ille Sallustium est, et male. Sed primo, male ante eum scripserat Sallustius ex sententia Senecæ, ideoque non bene fecit Arruntius, qui illa quæ a Sallustio male dicta sunt adeo studiose secutus est. Verba sunt Senecæ ; « Vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. » Ita Helladius apud Photium notat Euphorionis κακοζήλους λέξεις, non quidem « non imitandas, » ut interpres, sed « ex mala affectatione » profectas ; nam παρεζήλωσε τὸν πρῶτον Διονύσιον τὸν Σικελίας τύραννον, « Dionysium primum Siciliæ tyrannum imitatus est, » qui multa vocabula καταγέλαστα, plane ridicula excogitavit. At optime S. Paulus voce ὀναίμην utebatur, optime vulgatum et Græcis familiarem sermonem religioni Christianæ attemperavit, optime ostendit quomodo illis qui nobis maxime chari sunt, frui oporteat, nempe *in Domino*, vel ut Ignatius noster, « in Deo. » Neque igitur hic S. Paulus pro Sallustio, nec epistolarum scriptor pro Arruntio haberi debuit. Secundo, si scriptor male S. Paulum imitatus fuisset, nullo modo sequitur eum non fuisse virum et pium, et gravem, et omnino talem qualem S. Ignatium fuisse omnes credunt. Sic enim Seneca de suo Arruntio : « Hæc igitur et hujusmodi vitia, quæ alicui impressit imitatio, non sunt indicia luxuriæ, nec animi corrupti. Propria enim esse debent et ex ipso nata, ex quibus tu æstimes alicujus affectus. » Cavit enim sollicite ne quis male de virtutibus aut moribus Arruntii judicaret quem ipse appellat virum raræ frugalitatis, qui verus auctor *Historiæ de bello Punico* fuit, ex qua se profecisse fatetur Plinius, quem ut optimum oratorem Piso in periculo petiit, quem Tacitus ante Asinium Gallum, et Marcellum Aserninum nominavit, quem Augustus de successore sollicitus non indignum imperio judicavit ; qui vir talis inter Romanos, non qualis impostor Dallæanus, sed potius qualis sanctus Ignatius apud nostros, habitus est. Tertio, qui ita vel Sallustium, vel Arruntium postea imitatus sit, neminem novimus : scriptorem autem nostrum tanquam optimum etiam in ha ipsa re imitati sunt viri maximi. Alexander, epi scopus Alexandrinus, epistola ad Alexandrum Cor stantinopolitanum : Ὀναίμην ὑμῶν τῆς φιλοχρίστο ψυχῆς. S. Chrysostomus in Oratione panegyri hæc Ignatii verba maxime tanquam præclara lau dat : Ἐγὼ τῶν θηρίων ἐκείνων ὀναίμην, et cum ipse minime fuerit κακόζηλος, ea imitari conatus es verbis quæ paulo ante protulimus, Ἐγὼ τῶν δε μῶν ὀναίμην ἐκείνων.

Ut aliud κακοζηλίας exemplum extundat, mu comminiscitur. « Dixerat Apostolus Timothe suum se habere ἰσόψυχον unanimem. » Ne quidem verum est. Οὐδένα, inquit S. Paulus, ἰσόψυχον. An autem qui neminem se habere σό-

ψυχον dixit, habere se Timotheum ἰσόψυχον dixisse putandus est? Sed sive habuerit S. Paulus ἰσόψυχον, sive non habuerit, quid hoc ad Ignatium epistolicum? Nempe ille, « compositionis forma captus, ad idem exemplum formavit ἀντίψυχος et ἄντιψυχον. » An vero ille eam vocem formavit, quæ antiquissima fuit? An ad idem exemplum formata vox, quæ præpositionem loco nominis habet? An illud Pauli ἰσόψυχος simpliciter æmulatus est, cum vox ἀντίψυχος alterius plane significationis sit? Ut idem has duas voces significare ostendat, vult apud S. Paulum, ἰσόψυχον esse unanimem, et observat veterem interpretem Ignatii ita reddere ἀντίψυχον. Utrumque frustra. Neque enim ἰσόψυχος apud illum, nequo ἀντίψυχος apud hunc unanimem significat. Vetus S. Pauli interpres, « tam unanimem transtulit, quod aliud est, et Beza multo melius, « pari animo affectum, » qui « putat alios cum Timotheo comparari, » quod immerito sugillat Heinsius. Sive enim Timotheo, sive sibi ἰσόψυχον velit S. Paulus, sive utrique (ut accepisse videtur Clemens Alexandrinus, *Strom.*, lib. IV : Ὁμοίως καὶ περὶ Τιμοθέου καὶ ἑαυτοῦ γράφων· Οὐδένα γὰρ ἔχω, φησὶ, ἰσόψυχον, « Similiter et de Timotheo et seipso scribens, *Neminem habeo*, inquit, ἰσόψυχον), virum similiter erga Philippenses affectum, et pari cura eorum statum prosequentem intelligit, ut sequentia demonstrant. Recte optimus interpres Chrysostomus : Οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, τουτέστι τῶν ὁμοίως μοι μεριμνώντων, et rursus : Ἀντὶ τοῦ ὁμοίως ἐμοὶ κηδόμενον ὑμῶν καὶ φροντίζοντα. Licet igitur S. Paulus psalmum LV, 14 respexisse putetur, ubi vetus interpres, ἄνθρωπε ἰσόψυχε reddidit, « homo unanimis, » quem Glossarii auctor secutus. Apostolus tamen, qui Hebræa non minus quam Græca novit, eum Græci vocabuli usum probavit, qui Hebræo maxime conformis fuit, sc. כערכי « juxta proportionem meam, secundum comparationem meam, juxta æstimationem mei, » cui notioni optime respondet hic ἰσόψυχος « pari animo vel affectu præditus. » Sed si ἰσόψυχος pro unanimi sumatur, certe apud Ignatium nostrum ἀντίψυχον ita sumi non debet. Loquitur ille tanquam martyr, et vitam se eorum loco positurum dicit, unde et vincula etiam adjicit. Ad Smyrnæos : Ἀντίψυχον ὑμῶν τὸ πνεῦμά μου, καὶ τὰ δεσμά μου. Ad Polycarpum : Κατὰ πάντα σοῦ ἀντίψυχον ἐγὼ, καὶ τὰ δεσμά μου ἃ ἠγάπησας. Priori loco « conformem, » posteriori « refrigerium » male reddidit interpres Usserianus. Ad Ephesios : Ἀντίψυχον ὑμῶν ἐγὼ, male iterum interpres : « Unanimus vobiscum ego. » Cum neutro genere ponatur, aliud aliquid aperte sonat, ut idem nempe sit quod ἀντίψυχον. Ita ad Polycarpum : Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις. Neutro genere semper usurpat noster, masculino aliquando interpolator aut fictor. Quid hac voce intelligatur, optime exprimitur verbis S. Joannis apud Clementem Alexandrinum : Τὸν σὸν θάνατον ἐκὼν ὑπομενῶ, ὡς ὁ Κύριος τὸν ὑπὲρ ἡμῶν· ὑπὲρ σοῦ τὴν ψυχὴν ἀντιδώσω τὴν ἐμήν. « Tuam mortem libenter sustinebo, ut Dominus pro nobis mortem sustinuit : animam meam pro te vicariam dabo. » Certe ἀντιδιδόναι τὴν ψυχήν idem est ac ἀντίψυχον εἶναι. Quod est Lycurgo rhetori ἰδίαν ψυχὴν ἀντὶ κοινῆς σωτηρίας ἀντικαταλλάσσεσθαι. Quale ἀντίψυχον describitur fuisse Alcestis, uxor Admeti, apud Euripidem, quæ viri loco mortem subiit. Quod duobus modis a poeta exprimitur.

Nam primo ita Alcestis affatur Admetum :

Ἐγώ σε πρεσβεύουσα, κἀντὶ τῆς ἐμῆς
Ψυχῆς καταστήσασα φῶς τόδ' εἰσορᾷν,
Θνήσκω.

Ego te honore afficiens, et loco meæ
Vitæ te efficiens luce hac frui.
Morior.

Dein Admetus ita Alcestin alloquitur :

Σὺ δ' ἀντιδοῦσα τῆς ἐμῆς τὰ φίλτατα
Ψυχῆς ἔσωσας.

Tu vero dans ea quæ habuisti *charissima* pro mea *Vita*, *servasti* me.

Utroque autem modo ἀντίψυχον aperte describitur. De Christo ipso S. Athanasius lib. *De Incarnatione Verbi* : Ὑπὲρ πάντας γὰρ ὢν ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, εἰκότως τὸν ἑαυτοῦ ναὸν καὶ τὸ σωματικὸν ὄργανον προσάγων ἀντίψυχον ὑπὲρ πάντων, ἐπλήρου τὸ ὀφειλόμενον ἐν τῷ θανότῳ. « Cum esset super omnes Verbum Dei, jure suum templum et corporale instrumentum sistens ἀντίψυχον pro omnibus, explevit debitum in morte. » Quod aliis verbis post dixit : Ἀντὶ πάντων τὸν ἑαυτοῦ ναὸν εἰς θάνατον παραδιδούς· « pro omnibus templum suum morti dans, » ut et ante : Ἀντὶ πάντων αὐτὸν θανάτῳ παραδιδούς. Idem rursus pag. 91 : Οὗτός ἐστιν ἡ πάντων ζωὴ, καὶ ὁ ὡς πρόβατον ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ἀντίψυχον τὸ ἑαυτοῦ σῶμα εἰς θάνατον παραδούς. « Hic est omnium vita, qui ut ovis pro omnium salute ἀντίψυχον corpus suum in mortem tradidit. » Hoc igitur est quod Christus dixit, animam se pro ovibus positurum ; dedit ut ἀντίλυτρον, ita et ἀντίψυχον. Hoc autem ut proprie et signanter de Christo dictum est, ita etiam suo modo de aliis ac præcipue martyribus usurpari solebat. Certe Origenes, tomo nono *in Joannem*, sacrificii Christi τὸ ἐξαίρετον considerans inquit : Λοιπὰ δὲ καὶ συγγενεῖς ταύτῃ τῇ θυσίᾳ ἐκχύσεις εἶναί μοι φαίνονται τοῦ τῶν γενναίων μαρτύρων αἵματος. « Cætera autem et huic cognatæ victimæ effusiones sanguinis generosorum martyrum esse mihi videntur. » Ubi eos comparat iis, qui inter gentiles pro communi hominum salute seipsos morti tradiderunt, cum pestilentes morbi patriam suam invasissent. Καὶ παραδέχεται ταῦθ' οὕτως γεγονέναι οὐκ ἀλόγως πιστεύσας ταῖς ἱστορίαις ὁ πιστὸς Κλήμης ὑπὸ Παύκου μαρτυρούμενος. « Et hæc evenisse admittit non sine causa historiis (non Scripturis, ut male interpres) credens Clemens fidelis. » Locus Clementis quem respexit Origenes, hic est : Ἵνα δὲ καὶ ὑποδείγματα ἐθνῶν ἐνέγκωμεν.

Πολλοὶ βασιλεῖς καὶ ἡγούμενοι λοιμικοῦ τινος ἐνστάντος καιροῦ, χρησμοδοτηθέντες παρέδωκαν ἑαυτοὺς εἰς θάνατον ἵνα ῥύσωνται διὰ τοῦ ἑαυτῶν αἵματος τοὺς πολίτας. « Ut autem exempla gentium in medium proferamus, multi reges et gubernatores, grassante pestifera lue oraculo moniti, morti seipsos tradiderunt, ut suo sanguine cives liberarent. » Hæc obiter adduxi, quod ea nec a Clementis nec ab Origenis editoribus hactenus observata esse viderim. Progreditur autem Origenes : Εἰ γὰρ τάδε μὲν ὑπὸ Ἑλλήνων οὐ μάτην ἱστόρηται, τὰ δὲ καλῶς περὶ τῶν μαρτύρων εἴρηται, περικαθαμμάτων τοῦ κόσμου γενομένων καὶ πάντων περίψημα λεγομένων διὰ ταῦτα ἀποστόλων, τί ὑπολειπτέον καὶ πηλίκον περὶ τοῦ ἀμνοῦ τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦτο θυομένου ἵνα ἄρῃ ἁμαρτίαν, οὐκ ὀλίγων, ἀλλ' ὅλου τοῦ κόσμου, ὑπὲρ οὗ καὶ πέπονθε ; « Si enim hæc a gentibus haud frustra historiis mandata sunt, illa autem recte de martyribus dicta sunt, cum apostoli fuerint mundi purgamenta et ob hanc causam dicti sint περίψημα, quid et quantum sentiendum est de Agno Dei, qui ob hanc causam sacrificatus est, ut tolleret peccatum, non paucorum, sed totius mundi, pro quo et passus est ? » Ubi περίψημα eodem modo sumit, quo alii ἀντίψυχον. Ut Hesychius, Περίψημα, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα. Ita Dionysius Alexandrinus episcopus, de gravi peste : Καὶ πολλοὶ νοσοκομήσαντες καὶ ῥώσαντες ἑτέρους ἐτελεύτησαν αὐτοί, τὸν ἐκείνων θάνατον εἰς ἑαυτοὺς μεταστησάμενοι, καὶ τὸ δημῶδες ῥῆμα, μόνης ἀεὶ δοκοῦν φιλοφροσύνης ἔχεσθαι, ἔργῳ δὴ τότε πληροῦντες, ἀπιόντες αὐτῶν περίψημα. « Multique qui alios ægrotantes curaverant, et in pristinam valetudinem restituerant, ipsi interierunt, mortem illorum in seipsos transducentes, dictumque illud vulgare, quod officiosæ duntaxat comitatis hactenus visum fuerat, reipsa tunc adimplentes cum illorum peripsema facti ex hac vita migrarent. » Non quod Christiani vulgo a gentilibus hoc nomine vocarentur, ut Valesio placet : illud enim probri esset, cum hoc benevolentiæ seu comitatis verbum esse dicatur : non quod vulgo ab Alexandrinis tantum usurpatum sit, sed quod vulgatum et populare proverbium fuerit, ut patet ex Suida et Michaele apostolo. Non magis igitur unanimem se dixit Ignatius, cum ἀντίψυχον, quam cum περίψημα se dixit. Aliud omnino Græcis hæc vox sonat. Certe unanimes non fuerunt Memnonis aves, de quibus Hesychius : Ἀντίψυχοι, οὕτω καλοῦνται οἱ Μέμνονος ὄρνιθες· illæ, scilicet, de quibus Ovidius *Metam.* lib. XIII :

Tum duo diversa populi de parte feroces
Bella gerunt, rostrisque et aduncis unguibus iras.
Exercent, alasque adversaque pectora lassant ;
Inferiæque cadunt cineri cognata sepulto
Corpora.

Ita apud Lucianum χρήματα ἀντίψυχα διδόναι est pecuniam pro anima, id est pro vita redimenda dare. Mos etiam erat apud Romanos, ut aliqui pro salute imperatoris morti se devoverent. Suetonius de Caligula : « Ut vero in adversam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito voverunt. » Hi o Græcis ἀντίψυχοι dicebantur. Dio lib. LIX : Ποὔπλιος δὲ Ἀφράνιος Ποτῖτος, δημότης τε ὤν, καὶ ἀπὸ μωρᾶς κολακείας, οὐ μόνον ἐθελοντὴς, ἀλλὰ καὶ ἔνορκος, ἄν γε ὁ Γάϊος σωθῇ, τελευτήσειν ὑποσχόμενος, Ἀτάνιός τέ τις Σεκοῦνδος, ἱππεύς τε ὤν, καὶ μονομαχήσειν ἐπαγγειλάμενος, ἀντὶ τῶν χρημάτων ἃ ἤλπιζον παρ' αὐτοῦ, ὡς καὶ ἀντίψυχοι οἱ ἀποθανεῖν ἐθελήσαντες, λήψεσθαι, ἀποδοῦναι τὴν ὑπόσχεσιν ἠναγκάσθησαν, ἵνα μὴ ἐπιορκήσωσι. « P. Afranius Potitus, plebeius homo, qui stulta adulatione inductus, non modo volens, sed etiam jurejurando se obstrinxerat, vita cessurum si Caius revalesceret ; et Atanius Secundus eques, qui promiserat se gladiatoriis ludis depugnaturum, ambo spe pecuniæ a Caio accipiendæ, quod (ut ἀντίψυχοι) vitam pro ejus anima dare voluerint, coacti sunt promissum persolvere, ne perjurii rei essent. » Ita S. Chrysostomus homilia 6 *ad Colossenses*, opponens hominem baptismo renovatum primum creato : Πλάττεται ἐν τῷ ὕδατι, λαμβάνει δὲ ἀντὶ ψυχον πνεῦμα« Formatur in aqua, accipit autem pro anima spiritum. » Idem *contra Judæos* oratione 5 : Δύναται πολλάκις μία κερδηθεῖσα ψυχὴ μυρίων ὄγκον ἁμαρτημάτων ἀφανίσαι, καὶ γενέσθαι ἡμῖν ἀντίψυχον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. « Una anima lucrifacta potest multorum onus peccatorum tollere, et nobis in illo die pro expiatione esse. » Aliud igitur ἰσόψυχον, quod ex LXX interpretibus sumpsit S. Paulus : aliud ἀντίψυχον, quod Apostolus nunquam usurpavit, a Græcis autem vulgo usurpatum est ; nulla igitur hic κακοζηλία, ne quidem imitatio. Reliqua quæ ex Apostolo in eamdem ferme sententiam afferuntur, ad κακοζηλίαν nihil, ad locutionem Ignatianam confirmandam aliquid valent.

Capite 29, κακοζηλίας argumentum persequitur, et, si fieri possit, infelicius. « Dixerat, inquit, S. Paulus se ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων, et ἐλαχιστότερον πάντων ἁγίων, semel scilicet atque iterum. Noster pene omnes epistolas his et similibus vocibus replevit. » At hoc aperte falsum est. Neque enim his, neque similibus vocibus epistolas implevit. His vocibus ἐλάχιστος, et ἐλαχιστότερος nusquam usus est Ignatius ; ne semel quidem ita loquitur. Simili voce, si et illa similis sit, semel tantum utitur, ὡς μικρότερος ὑμῶν, epistola ad Magnesios, eamque vocem non ex S. Paulo, sed vel S. Matthæo, vel S. Luca haurire potuit. Reliqua omnino quæ ex Ignatio citat, ad alia apostoli verba, aut alia etiam loca pertinent, aut ad Paulinæ modestiæ imitationem referri omnino non possunt. Οὐκ ἄξιον καλεῖσθαι οὐ λέγεσθαι se dixit, ut Apostolus, οὐκ ἱκανὸς καλεῖσθαι Ἀπόστολος. Sed multo hic Dallæus interpolatore sagacior, qui nihil animadvertit hinc Ignatio periculi, ideoque pro, ὅθεν οὐκ ἄξιός εἰμι καλεῖσθαι, ista reposuit, ἧς οὐκ ἄξιός

εἰμι καλεῖσθαι ἐπίσκοπος, ut verba Ignatiana magis Paulinis respondere viderentur. Οὐκ ὡς ὢν τις, semel a nostro usurpatum, et quidem in epistola ad Ephesios (nam illa ex epistola ad Tarsenses et Philippenses adducta ad fictorem spectant), apostoli nullam imitationem continet; sed potius discipulos Simonis perstringit, qui dixit εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, Act. VIII, 9, ut ante Theudas λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν, Act. V, 35. Illud autem epistola ad Romanos ἠλέημαί τις εἶναι alio spectat, ad gloriam nempe futuram ex martyrio, ut ex verbis adjunctis patet, ἐὰν Θεοῦ ἐπιτύχω. Eo quidem loco aperte Apostolum imitatur, οὐ γάρ εἰμι ἄξιος, ὧν ἔσχατος αὐτῶν καὶ ἔκτρωμα, sed verba ejus tantum usurpat, alio sensu de se accipit, qui suæ conditioni convenientissimus fuit. Apostolus de tempore vocationis loquitur, Christum sibi ἔσχατον, seu postremo loco post omnes apostolos atque etiam fratres apparuisse, se enim extra tempus legitimum obortum esse, ideoque nomine Apostoli vix dignum, quod Ecclesiam persecutus sit. Noster non de vocatione, sed de condemnatione sua loquitur, qua de populo Antiocheno excisus fuit, et infimus eorum factus, ab Ecclesia extractus, et ad supplicium ductus neque misericordiam aliam consecutus, quam ut per martyrium Deo frui posset.

De arcanis et de pueris jam ante diximus. Sed quod illud Apostoli, *Donate mihi hanc injuriam*, nostro objiciat, idque tanquam affectatum, et ad orationis pompam, miror. Gregorius Nazianzenus, purissimus scriptor, sæpius eadem forma usus est. Oratione 25 : Εἰ δὲ ὅτι τυραννούμενος φέρω, τοῦτο ἀδικῶ, χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην. « Quod si propterea injuriam facio, quia tyrannide pressus æquo animo fero, donate mihi hanc injuriam. » Iterum oratione 32 : Εἰ ταῦτα δεινὰ γέγονε, παρελήλυθε· χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην. « Si hæc gravia fuerint, præterierunt, donate mihi hanc injuriam. » At noster ne hac quidem forma usus est, aut quidquam illi simile dixit. Ironia est apud Apostolum, et quidem manifesta (ut et apud Nazianzenum) qua graviter Corinthios objurgat, μετὰ πολλῆς βαρύτητος ἔθηκε τὴν ἐπιτίμησιν, καὶ τὸ ἐξῆς φορτικώτερον, inquit Chrysostomus. Nulla apud Ignatium beneficii commemoratio, nulla injuriæ mentio, forte ne condonationis quidem. Συγγνωμονεῖτε tum ad Trallenses, tum ad Romanos potius « acquiescite, in meam sententiam concedite, » συγγνώμονές μοι ἔστε, ad Romanos præsertim, συγγνωμονεῖτέ μοι, μὴ ἐμποδίσητέ μοι ζῆσαι. « Consentiatis mihi, ne impedimento sitis quominus vivam. » Si συγγνωμενεῖτε vertamus, « ignoscite, » ne sic quidem Paulino χαρίζεσθαι respondet aut illius ironiæ elegantiam exprimit, aut quidquam cum illo ad Corinthios loco commune habet, multo minus orationis pompam.

CAPUT XVI.

Ignatius noster Apostolum in inscriptionibus epistolarum imitatur. Quæ apostolicis longiores non sunt. De inscriptione epistolæ ad Romanos disputatur, et de illa ad Philadelphenses. Aliorum exempla nostro non officiunt. Conjectura de mala imitatione ipsius Ignatii ab impostore instituta exploditur. Argumentum a repetitionibus ductum plane frivolum esse ostenditur.

Capite 30 inscriptiones epistolarum exagitat quasi longiusculas, et in his κακοζηλίαν reprehendit. Imitari Ignatium nostrum S. Pauli inscriptiones, non minus quam reliquas epistolarum particulas fateor; exemplum enim aptius aut præclarius sibi proponere non potuit; sod perverse aut infeliciter id ab eo factum esse nego. « Apostolus, inquit, semel atque iterum id fecerat, scriptor noster in omnibus pene epistolis. » Hoc primo falsum est, et quidem ex utraque parte. Inter 14 epistolas Paulinas eas solas fatetur esse longiusculas, quæ scriptæ sunt ad Romanos et ad Titum. At inscriptio Epistolæ ad Galatas quinque versiculis constans, eam quæ ad Titum est, pctius superat. Neque vero multo brevior prima ad Corinthios : certe longior Ignatiana vel ad Smyrnæos, vel ad Polycarpum, vel ad Magnesios, vel ad Trallesios ; æqualis illi ad Ephesios, quæ fortasse omnium apud nostrum longissima est.

Sed perverse tamen et infeliciter imitatio instituta est ; quia inscriptiones omnes, quas nos defendimus, una ad Polycarpum excepta, et laciniosæ et impeditissimæ sunt, quædam etiam plane prodigiosæ. Ain vero inscriptiones, præter unicam ad Polycarpum, laciniosas et impeditissimas esse ? Certe inscriptio ad Smyrnæos satis expedita est ; ab initio ad finem æqualiter fluit ; nullo modo hiulca aut interrupta est ; singula autem optime cohærent. Quocirca non minus ista quam ipsius comes ad Polycarpum, excipienda fuit. Idem dicendum de illa ad Ephesios, de illa etiam ad Trallesios ; neque enim contra has vel una exceptione utitur vir doctissimus. Tres igitur tantummodo supersunt, quibus quid habet qnod objiciat videamus.

Totam illam ad Romanos et Græce et Latine transcripsit, et Græca quidem uno tantum vocabulo Θεοῦ auctiora. Prolixitatem accusat ; defendit S. Paulus, qui epistolæ suæ ad eamdem Ecclesiam inscriptionem præfixit æqualis saltem longitudinis. Meliora scripsit Apostolus, non breviora. Coacervata et spumosa epitheta damnat ; excusat gentis Syrorum in scribendo mos, et familiaris consuetudo, quæ S. Ignatio potius congruere ostendit. Asiaticum loquendi genus reprehendebant critici veteres ; sed nihil aliud exspectabant ab iis qui in Asia semper vixerunt. Cicero *De claris oratoribus* : « Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes. » Si redundantes et tumidæ videantur inscriptiones Ignatianæ, nemo mirabitur, qui auctorem ex Asia vel Syria profectum esse novit. Alius quidem character epistolis convenientior putari solet, sed familiaribus. Ubi ad maximas civitates scribitur, aliquid elatius conceditur. Ita vetus scriptor περὶ ἑρμηνείας sub Demetrii Phalerii

καὶ πόλεσί ποτε καὶ βασιλεῦσι γρά- A tii cum hac epistola continebat; unde titulus hic
ψαι ταῦται αἱ ἐπιστολαὶ μικρὸν ἔξηρ- in ms. Caiensi præfixus apparet: *Martyrium Sancti Ignatii episcopi Antiochiæ, sive epistola XII.*
) autem ad civitates scribimus et Ipsa autem Acta interpolata sunt, et eo quidem loco
epistolæ paulo quodammodo ela- ubi epistola hæc inseritur; ut a perspicacissimo
itur hæc epistola ad Romanos scri- Armachano observatum est. Atque hæc de codici-
omine Asiatico, non mirum si in- bus Græcis et Latinis. Secundo, si hæc reputemus,
undans et elata sit. Recolenda etiam nescio quomodo inscriptioni Metaphrastæ omnem
ie numero epithetorum ante diximus. locum denegabimus. Ipse professus est se epistolam
sententiam Halloixii moror, in quo hanc ad Romanos ἐπὶ λέξεως, ad verbum tran-
a non tantum a nostris, sed et a suis, scripsisse, et scriptis suis inseruisse. An hoc men-
naxime, requiritur. Rejicit ille epitheta dacium esse dicemus, præsertim cum contrarium
iale congesta, quæ cum alibi admittit, verum esse nullo modo probare possimus? Demus
satis gravem causam non habuit. Quod Simeonem illum multa falsa scripsisse omnino credendum. Scimus
gatæ inscriptioni illam Metaphrastæ præ- ab aliis eum accepisse ab historiæ fide aliena, ab aliis
lloixius, in ea re certe non adeo exagi- B multa quæ scripsit, ab historiæ fide aliena, ab aliis
rat, si rem ipsam, non ejus rationes, con- ante tradita, et vel ore omnium decantata, vel scri-
us. Inscriptio, quam unicam ille vidit, in- ptis etiam mandata fuisse, ut iis nihil ille nisi me-
oris manu et mutata et aucta fuit, neque thodum et ornatum contulerit. Habuit igitur ille
era haberi debuit. Illa autem, quam exhibet epistolam ad Romanos in Actis Ignatii descriptam,
rastes, si pro genuina haberetur, a nemine Acta interpolavit, omnia quæ de martyre aut legerat
posset. Ideoque hic Halloixio assensus est aut audiverat, in luculentum ordinem redegit; epi-
ius; neque horum sententiam Dallæi argu- stolam, ut inveneral, totidem verbis transcripsit.
a ullo modo labefactant. Primo, inquit, « re- Ita tandem res huc redit, ut merito quærere possimus,
nat omnium librorum fides, et Græcorum et La- an illa inscriptio quam in Actis Ignatii invenit in-
rum, qui istam, quam recitavimus, inscriptio- terpres Usserianus; an illa quam in ejusdem Actis
n exhibent. » At omnes hi Græci libri duo tantum reperit Simeon Metaphrastes. Judicent eruditi; mihi
nt, Nydpruccianus et Augustanus; uterque autem interim neutra nostro indigna videtur. Hæc igitur
infelici interpolatoris manu. Nam codex Medi- erit legitima inscriptio, si Metaphrastæ codicem
eus hic nos destituit, cui hanc epistolam defuisse sequamur, et ex comparatione cum reliquis, unam
t docet et queritur doctissimus Vossius. Quid aut alteram manifestam interpolationem tollamus.
quod nec hi duo Græci codices, neque vulgatus in- C Ἰγνάτιος. ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ ἠλεημένῃ ἐν μεγα-
terpres Latinus eam exhibet, quam recitavit Dal- λειότητι Πατρὸς ὑψίστου καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ
læus? Hic enim eam hoc loco edidit, quam Isaacus μονογενοῦς Υἱοῦ αὐτοῦ, Ἐκκλησίᾳ ἡγαπημένῃ καὶ
Vossius ex versione Usseriana confecit, et post πεφωτισμένῃ ἐν θελήματι τοῦ θελήσαντος τὰ πάντα
notas in epistolam ad Romanos edi curavit; non ἃ ἔστι κατ' ἀγάπην Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν,
quod in ullo codice ita legeretur, sed quod ita le- ἧτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου τοῦ Ῥωμαίων (ἧν
gendam esse ex veteri interprete ipse conjiceret. καὶ ἀσπάζομαι ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ
Hæc autem Usseriani interpretis cum Græcis codi- σάρκα καὶ πνεῦμα ἡνωμένην πάσῃ ἐντολῇ αὐτοῦ,
cibus non bene conveniunt. Nonnulla ille aliter in πεπληρωμένην χάριτος Θεοῦ), ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ
suo codice legit, ut pro ἡγιασμένῃ, ἠγαπημένῃ, pro τῷ Θεῷ χαίρειν. « Ignatius, qui et Theophorus
ποιήσαντος, θελήσαντος, pro ἧτις ἧτις καί, pro χω- misericordiam consecutæ in majestate Patris alti
ρίου, (ut videtur) χοροῦ, pro ἀξιοεπίτευκτος, ἀξιοε- simi et Jesu Christi solius ejus Filii, Ecclesiæ
πίτακτος, pro ἀγάπης, ἐν ἀγάπῃ, pro αὐτοῦ, Πα- lectæ, et illuminatæ voluntate volentis omnia q
τρός, pro ἐν Θεῷ καὶ Κυρίῳ ἡμῶν, ἐν Κυρίῳ Θεῷ sunt secundum dilectionem Jesu Christi Dei nos
ἡμῶν, ac denique, ut Dallæo placet, pro Χριστώνυ- D etiam saluto in nomine Jesu Christi, secun
μος, Χριστόνομος· plura in eo non vidit, ut Θεοῦ, et carnem et spiritum unitam omni mandato
rursus Θεοῦ, πίστιν καὶ, καὶ σωτῆρος, πνευματοφό- plenam gratiæ Dei) in Christo Jesu Deo gaud
ρος, Θεοῦ παντοκράτορος καὶ, πάσης, καὶ Πατρὶ At « epistolæ ad Philadelphienses inscripti
καί. Alia igitur est inscriptio quam vidit Halloixius, quit, etiam quam hæc longior est; » quod cu
alia quam ex Latino interprete confecit Vossius, utramque simul inspicienti prima facie fals
recitavit Dallæus. Solus igitur interpres Usserianus prehenditur, nisi interpolatoris inscriptio
relictus est, qui inscriptioni a Dallæo recitatæ fidem nuina conferatur. Aliqua ex ea libat, ut et
faciat; quod quidem per me licet. Nihil enim in ea ad Smyrnæos (nam illa ad Tarsenses et He
invenio, quod S. Ignatio tribui non merito possit. nos non pertinent), ut illi videtur, putida
Ut tamen quod verum esse video dicam: parem præclara et apostolica; judicent eruditi.
fidem interpres Usserianus in epistola ad Romanos, inscriptionibus quædam, inquit, hiulca su
ei quam in aliis obtinet, mereri fortasse non videa- tandum ad Magnesios nominat; quæ cu
tur. Non enim eam ex sim.plici editione genuinarum
transtulit, sed ex illa, quæ Acta S. Igna-

vis et a pompa maxime aliena, et ab omnibus vitiis, quibus alias onerat, libera sit, tanquam hiulca condemnatur. Quod tamen mirum est interpolatorem non perspexisse, quem fictoris sui errata et præcipue elocutionis mala semper corrigentem introducit Dallæus. Neque mirum est, cum similis enallage in constructione apud optimos scriptores sæpe observetur. Cum post vocem εὐλογημένῃ Ecclesia sequatur, quamvis alio casu, dubitare nemo potuit, quin ad eam referenda esset. Si dixisset ἣν ἀσπάζομαι Ἐκκλησίαν, idem dixisset quod fere omnes ante eum dixerant. Nunc cum intercesserat nomen Christi, ἐν ᾧ, pro ἣνὲν αὐτῷ breviter dixit, quod idem est.

At « nemo ex omni Christianismi post apostolos memoria reperitur, qui hujusmodi inscriptiones quales istius sunt, suis epistolis præfixit. » Fortasse. Quid autem si nemo post apostolos id fecerit? Nonne satis est, quod Apostolus ipse idem fecerit? Habuit S. Paulum S. Ignatius quem sequeretur; meliorem sequi non potuit. Quod in corpore epistolarum semper facit, cur non et in inscriptionibus faceret? Cur Ecclesias ἀποστολικῷ χαρακτῆρι, ut ipse profitetur ad Trallesios, non salutaret? Unica tantum epistola præter apostolicas ad singularem aliquam Ecclesiam tum scripta reperitur, Clementis scilicet ad Corinthios. An coges Ignatium Clementem imitari, S. Paulum deserere? An Clementem potius quam S. Paulum itineris comitem habuisse putandus est, aut si neutrum habuerit in scriptis, nonne hunc potius quam illum intimum et in animi recessu habuit? Quid quod Clemens ipse non suo nomine scripsit ad Corinthios, sed Ecclesia Romana διὰ Κλήμεντος ad Ecclesiam Corinthiacam, eamque pessima schismatis peste afflatam? An exspectaret quisquam ut Ecclesia Romana, tot encomiis ab Apostolo nuper ornata, summorum apostolorum martyrio modo coronata, Corinthios acerrime objurgatura, inscriptionem Corinthiorum laudibus plenam adhiberet? Alia omnia Ignatio conveniebant. Florentissimas Ecclesias salutat ipse unicus; vinculis innexus, ad bestias damnatus, quotidiana Ecclesiarum ministratione sustentatus, iisque multis nominibus devinctus, quid minus scribere potuit quam quod exemplo S. Pauli scripsit? Polycarpi, Smyrnensium, Lugdunensium, Cypriani etiam et Firmiliani inscriptiones frustra adducuntur, quos imitari Ignatius non potuit, utpote quorum epistolas serius scriptas nunquam viderit. At illi, inquies, Ignatium imitari potuissent; potuerunt quidem, et si eadem occasio se obtulisset, sub iisdem circumstantiis forte idem fecissent. At S. Polycarpus, neque solus, ut Ignatius, neque ea conditione positus, neque adeo Philippensibus obstrictus, sed cum presbyteris et quasi Ecclesiæ suæ nomine, ad Philippenses fere eodem modo quo Clemens ad Corinthios scripsit, ideoque eum potius imitatus est. Smyrnensium etiam et Lugdunensium epistolæ ab Ecclesiis missæ sunt, et illa quidem ad Ecclesiam Philomeliensium non adeo præclaram, sed et præterea ad omnes catholicos, hæc ad fratres in Asia et Phrygia ubique constitutos, quibus talia encomia non conveniebant, præsertim in epistolis quæ nihil aliud quam narrationes quasdam de suis rebus continebant. S. Cypriani et Firmiliani epistolæ ad personas singulares plerumque, aut de negotio aliquo peculiari, scriptæ sunt: et Ignatii ipsius inscriptio ad unicum Polycarpum satis brevis est atque concisa. Præterea posterioris ævi epistolæ similes Ignatianis inscriptiones habere nullo modo debuerunt. Smyrnæos ille laudat ut ἠλεημένους ἐν παντὶ χαρίσματι, et ἀνυστερήτους παντὸς χαρίσματος, quæ charismata tunc temporis plurima manifeste in ecclesiis apparebant, paulatim vero defecerunt. Certe multo verisimilius ut S. Ignatius vir apostolicus revera S. Paulum in inscriptionibus imitaretur, quam ut impostor, circa finem tertii, aut initium quarti sæculi, hominem contra communem totius Ecclesiæ consuetudinem ab apostolorum tempore scribentem fingeret.

Sub titulo hujus argumenti ab inscriptionibus petiti, de scriptis et dictis S. Ignatii dissertationem mire introducit; sed fictorem suum ostendere, opinor, voluit, non tantum S. Pauli, sed et Ignatii malum imitatorem, sive simiam fuisse. Primo conjecturam promit, quæ an vera sit, ne ipse, inquit, perspicere potuit. « Si aliqua Ignatius scripsit, ejus characterem ad vivum exprimere voluit. Sed hoc an verum sit, explorare ac perspicere non possumus. » Quasi vero dubitare nunc oporteat, an aliqua scripserit Ignatius, de qua re neminem unquam dubitasse ante hoc infelix sæculum novimus, de cujus scriptis complures omni sæculo locutos esse, ab ipso quo scripsit anno scimus. Sed aliqua fortasse alia voluit, cum non hæc admittat. At quis unquam feret fictorem, cui obstetricatus esse dicitur Eusebius, ea Ignatii scripta vidisse, quæ Eusebius ipse non vidit, quæ nemo ante, nemo post eum oculis usurpavit? Quorsum igitur hæc scribit? scilicet, ut ostendat aliqua Ignatii tenere nos, quæ turpem impostoris imitationem produnt; sed dicta ea vult a S. martyre, nunquam autem scripta. O præclarum commentum! Legimus apud Origenem dixisse Ignatium: Ὁ ἔρως ὁ ἐμὸς ἐσταύρωται. An unquam Ignatius alibi ea verba dixit, quam in epistola? Annon Origenes, quem epistolas hasce vidisse pro certo evicimus, ex illa ad Romanos hæc transcripsisse putandus est, cum hanc sententiam alteri scriptæ adjungat? Apud eumdem Origenem iterum legimus: « Eleganter in cujusdam martyris epistola scriptum reperi (Ignatium dico, episcopum Antiochiæ post Petrum secundum) qui in persecutione pugnavit ad bestias: » Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ. Nonne hæc sententia scripta dicitur, et quidem in epistola, atque etiam martyris? Nonne martyr ille diserte Ignatius vocatur, etiam episcopus Antiochiæ, nonne idem qui pugnavit ad bestias? Nonne hæc præclara sententia, tot

ista in Ecclesia maxime esse fugienda, hoc ad eum finem esse summe necessarium ; quod omnes ab initio Christianæ religionis professi sunt. Vel si conjecturis et quidem justissimis indulgere liceat, ex hac frequenti admonitione de obedientia episcopis, presbyteris et diaconis simul præstanda, ego optimo jure colligendum reor, non hæc scripta fuisse sub initio quarti sæculi, aut tertii fine, sed potius sub initio secundi. Nemo enim tam seris Ecclesiæ temporibus tot elogiis ornasset diaconorum officium,quod tunc temporis ubique, excepta una ecclesia urbis Romanæ,adeo evilucrat ; nemo presbyterium tot laudibus cumulasset, tanta auctoritate armasset, cujus potestas ea tempestate, etiam Alexandriæ,ubi maxime floruerat, tantopere imminuta est. Vidit hoc Salmasius, et ob eam rationem scriptum hoc, cujuscunque sit, secundo sæculo asserendum judicavit. Et si quid ego in hac re intelligo, quicunque presbyterali dignitati auctoritatique maxime student, non habent suæ existimationis firmius aut solidius fundamentum quam epistolas S. Ignatii nostri : neque enim in ullo vere antiquo scriptore extra has epistolas tot ac tanta presbyteratus præconia invenient, neque illius ordinis honorem sine episcopatus prærogativa ullibi constitutum reperient.

Pearsonianarum Ignatii Vindiciarum finis.

DISSERTATIO

DE EPISTOLIS SANCTI IGNATII

VERIS, INTERPOLATIS ET SUPPOSITITIIS.

Auctore D. Le Nourry, *presbytero et monacho ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri.*

Apparatus ad Bibliothecam Patrum, I, 78, Parisiis, 1703, in-fol.)

PARS PRIMA.

De veris sancti Ignatii epistolis.

CAPUT PRIMUM.

STATUS QUÆSTIONIS ET GENUINARUM IGNATII EPISTOLARUM ANALYSIS PROPONITUR.

§ I. *Status quæstionis proponitur.*

Quatuor sunt epistolarum Ignatii classes, quarum prima earum est, quas Isaacus Vossius ex manuscripto Græco Bibliothecæ Florentinæ codice Græce edidit ; quarumque antiquam versionem Latinam Usserius archiepiscopus Armachanus ex duobus codicibus manu exaratis, altero Bibliothecæ Richardi Montacutii, altero Cantabrigensis antea divulgaverat.

Secunda classis easdem complectitur, sed interpolatas, ac cum suis additionibus Græce et Latine editas.

Tertia classis quinque alias continet, Græce item et Latine publicatas, quæ in Usseriana Vossianaque editione,aliis supra memoratis, subjunguntur.

Quarta denique in classe collocantur tria Ignatii epistolia, duo ad Joannem evangelistam, et tertium ad sacram virginem Mariam, Christi matrem, cui ejusdem Mariæ ad Ignatium responsio subnetitur.

A Omnium autem harumce epistolarum examen ab iis ordimur, quæ primæ sunt classis, et de quibus præcipua nunc ac pene omnis inter eruditos est controversia. Septem porro sunt ejuscemodi epistolæ, quarum ut major habeatur notitia, ac de iis certius ab omnibus judicium ferri possit, brevem earum, sed claram accuratamque pro viribus analysim præmittemus.

§ II. *Analysis septem epistolarum Ignatii.*

Cum Ignatius Antiochiæ damnatus esset ad bestias, Romamque, ut iis objiceretur, vinctus duceretur,et Smyrnam appulisset ; inde quatuor priores,de quibus jam agitur, dedit epistolas. Harum prima Ecclesiæ Ephesinæ, quæ ad eum ex difficillimi itineris defatigatione recreandum reficiendumque, antea Onesimum episcopum suum una cum Byrro, Euplo et Frontone miserat, destinata est. Hanc autem Ecclesiam, ob eximiam in se charitatem primum laudat,gratiasque maximas ei rependit.Tum Christianos omnes, quorum se discipulum esse etsi lubens fateatur, summo tamen suo erga eos amore et studio victus, monet ut in eadem

quendum, sedulo hortatur. Tum continuo subjungit nosse se eos in hac semper fuisse obedientia ; sed ne ab illis,qui legem Moysis non autem Christi servandam esse docebant, corrumpantur,perseverantiam efflagitat. Memorat autem se cum ad eos divertisset, cognovissetque apud ipsos esse quosdam, qui eatenus Evangelio, quatenus priscis eorum auctoribus consentaneum esset, credendum esse contenderent,tunc eamdem illis suasisse obedientiam.Jam vero se nunquam his hominibus, sed cruci, morti, resurrectioni Christi, atque Evangelio a prophetis prænuntiato, tanquam omnino incorruptæ veritati fidem habiturum profitetur. Illos deinde monet,ut ad Ecclesiam Antiochenam diaconum quemdam, vel sicut vicinæ ecclesiæ, episcopum, ac presbyteros, qui de reddita ei pace gratulentur, dirigant. Sub hæc ob Philonem diaconum, Reum et Agathopodem benignissime ab eis exceptos gratias agit. Denique eos Troadensium verbis salutat, optatque ut Burrhus et Ephesini atque Smyrnæi a Christo, in quo spem omnem collocaverant, dignis honoribus afficiantur.

Sexta epistola ab Ignatio ad Smyrnensem Ecclesiam per Burrhum,quem itineris sui comitem habuerat, missa est. Præcipuo, quod in ea tractatur, argumento Ignatius Christianos adversus quosdam hæreticos, qui Christum fictam tantum hominis carnem, qua mortem et resurrectionem simulaverat, assumpsisse dicebant, munit ac tuetur. Quapropter veritatem carnis, passionis, mortis et resurrectionis Christi invictis argumentis demonstrat, præcipitque Smyrnæis, ut hæreticorum fugiant colloquia, ac suis precibus eorum conversionem a Deo exposcant. Hos deinde ut episcopo, presbyteris et diaconibus obsequantur, in primis autem episcopo summa in omnibus obedientia et veneratione auscultent, sollicite admonet. Dehinc maximas eis idcirco rependit gratias, quod se sociosque suos incredibili benevolentia exceperint, atque inde eos dignam a Deo mercedem accepturos esse pollicetur. Postea pacem Ecclesiæ Antiochenæ redditam nuntiat, oratque ut aliquem, qui hac de re illi gratuletur, ac Deo laudes gratiasque simul cum ea referat, quamprimum mittere festinet. Denique omnibus cum Troadensium, tum suo nomine salutatis, epistolæ coronidem imponit.

Septimam Ignatius, Troade Neapolim contendens, atque in navim jamjam conscensurus, ad Polycarpum, charissimum discipulum suum, ac Smyrnensem episcopum, destinavit epistolam. Ibi miram ejus in fide constantiam commendat, gaudiumque suum quod Smyrnæ ipso fruitus sit,testificatur.Posthæc quo et ipse in virtute proficeret, et commissam sibi Ecclesiam Christiane regeret, variis illum præceptis imbuit. Subinde vero eum orat obtestaturque ut ad Ecclesiam Antiochenam de reddita pace ei gratulaturus litteras, ab aliquo deferendas, scribat ; atque ut alias quoque Ecclesias ad illam eadem de causa scribendum hortetur, per quam amanter obsecrat. Denique Christianis omnibus generatim, quibusdam vero nominatim salutatis, obsignat epistolam.

CAPUT II.

VARIÆ SCRIPTORUM DE HIS EPISTOLIS SENTENTIÆ ; QUÆDAM OBSERVANDA PRÆMITTUNTUR, ET QUA METHODO VERA SENTENTIA PROPUGNABITUR.

§ I. *Variæ scriptorum de iis epistolis sententiæ.*

De his septem epistolis tres sunt diversæ scriptorum hujusce ætatis opiniones. Prima est Blondelli, Dallæi aliorumque plurium Presbyterianæ Calvinianæque sectæ hominum, qui illas tanquam omnino adulterinas, fictas atque Ignatio suppositas repudiant. De ea vero ætate qua eas in lucem prodiisse censent, quot eorum capita, tot sensus. Albertinus enim eas circa medium sæculum secundum, Salmasius sub imperio Antonini, vel Marci Aurelii, Blondellus post mortem Clementis Alexandrini, Dallæus, exeunte sæculo tertio, scriptas esse pronuntiant : imo vero Bochartus epistolam ad Romanos non ante Constantini Magni imperium exaratam esse arbitratur.

Secunda opinio est Usserii Armachani archiepiscopi, qui sex priores epistolas Ignatio asserit, septimam vero, quæ ad Polycarpum data est, rejicit fictitiamque esse affirmat.

Tertia aliorum omnium sententia has septem epistolas verum ac genuinum Ignatii opus esse contendit ; eaque non ab orthodoxis tantum, sed ab eruditissimis Calvini ac protestantium sectatoribus, Vossio scilicet, Hamondo, Riveto, Sculteto, Pearsone, Bullo, Moynio aliisque propugnatur.Huic sententiæ lubentes subscribimus, illamque verissimam esse invictis, ut putamus, rationum momentis demonstrare conabimur.

§ II. *Quædam observanda præmittuntur.*

Verum antequam ad hanc opinionem probandam aggrediamur, nonnulla quæ ad quæstionis nostræ explanationem non parum conducunt, juvat observare.Primo constat inter omnes cujuslibet opinionis auctores quasdam ab Ignatio nostro scriptas fuisse epistolas : « Quis enim, inquit Dallæus [85], tam fatuus est, ut eum scripsisse aliquas neget ? » Constat etiam inter eosdem illas, quæ ab Athanasio, Eusebio aliisque infra citandis scriptoribus Ignatii nomine laudantur, non alias esse ab iis, quas Usserius et Vossius sinceras et absque interpolationibus ediderunt, quasque primam epistolarum Ignatii classem constituere diximus. Contendunt vero primæ sententiæ patroni has a nebulone aliquo exaratas, et veris Ignatii epistolis fuisse suppositas.

Observandum quoque est easdem Ignatii epistolas non a catholicis, sed ab Usserio et Vossio,viris inter protestantes celeberrimis ex optimæ notæ

[85] Lib. *De script. Ignat.*, p. 450.

manuscriptis cum Latinis tum Græcis codicibus, primum publici factas fuisse juris ea sane fide, qua majorem nullus desiderat.

Animadvertendum denique eos etiam, qui ad propugnandam harumce epistolarum veritatem prolixiores dissertationes edidere, catholicos non fuisse, sed protestantis Calvinianæque sectæ homines. Enimvero Vedelius Calvinista ac Genevensis minister, Usserius et Vossius in harum epistolarum editionibus suam quisque earumdem apologiam adjunxit. Cumque Salmasius et præcipue Blondellus Usserium ac Vossium impugnare tentassent, illos uterque, et Usserius quidem in sua *Appendice Ignatiana*, Vossius vero in suis litteris strenue confutaverunt. Hos excepit Henricus Hamondus presbyter Anglicanus, qui prolixam adversus Blondellum adornavit disputationem, qua non solum omnibus Blondelli argumentis respondit, sed novis firmisque rationum momentis hasce epistolas Ignatio asseruit. Contra hunc Dallæus Charentonensis minister pugnat dissertatione longe prolixiori ; sed fide, quidquid ipse dixerit, non omnino integra. Omnes enim epistolas Ignatio ascriptas, sive eas quas Hamondus atque alii Ignatio tribuunt, sive eas quas ipsi abjudicant, ille confuse, generatim et in globo aggreditur ; atque ut hac confusione et ingenti argumentorum cohorte fucum faceret, contra illas omnes litteras, quinque supra sexaginta, quæ accurate numerat, promit rationum firmamenta. Verum Pearsonius presbyter Anglicanus doctis suis earumdem epistolarum Vindiciis omnes ejus conatus cassos et irritos reddidit. Tanta enim claritate et sinceritate illarum veritatem astruxit, quanta confusione Dallæus omnia turbare tentaverat. Conatus est quidem alius Calvinistarum minister anonymus desperatæ Dallæi causæ nova disputatione opitulari ; sed quam male votis ejus res cesserit, a nobis jam demonstrandum est.

A

B

C

§ III. *Quo methodo vera sententia propugnabitur.*

Quapropter septem Ignatii epistolas, quæ primam uti dictum est, classem componunt, ea methodo ab Ignatio profectas esse ostendemus, ut omnia argumenta, quibus alii prius eas ipsi vindicarunt rursum ad incudem revocata, aliis novis, et a nobis excogitatis rationum momentis confirmentur. Tum objectiones adversariorum, expensis aliorum responsionibus, vel nostris pro virili parte subjunctis destruere conabimur ; ac tandem ad ea omnia quæ in Pearsonium ab anonymo deprompta nullus hactenus attigit, clare et dilucide, atque uti speramus, funditus evertenda propius accedemus.

D

CAPUT III.

PROPONITUR PRIMUM ARGUMENTUM, EX IIS QUÆ ADVERSARII FINGUNT DEPROMPTUM.

Primum quidem momentum etsi inde erui posset, quod adversariorum in commentitia harum epistolarum ætate assignanda, tam variæ sint opiniones, ut nullus omnino inter eos de re non ita difficili consensus esse queat ; illud tamen potissimum urgemus, quod ii omnes concedunt, nec ullus ex eis negare unquam potuit, nimirum has epistolas, postquam genuinæ uti fingunt, Ignatii litteræ periissent, intra annum 106, quo illo martyr occubuit, et annum aut 326, aut ad summum 330, quo suam Eusebius Historiam divulgavit, publicam prodiisse in lucem. Id enimvero falsum gratisque fictum esse inde evincitur, quod iis quoque fatentibus, Ignatius quasdam scripsit epistolas, quibus teste Dallæo : « Post divini fœderis libros nihil esse debuit in tota Ecclesia nobilius ac celebrius, nisi forte Clementis epistolam exceperis. »

Hinc quippe illud conficitur, quod certe nec Dallæus, nec ullus sanæ mentis negaverit, has sinceras scriptoris nostri epistolas ab iis saltem Ecclesiis, ad quas destinatæ erant, ea quæ tanto martyri debebatur, veneratione acceptas, cum aliis etiam communicatas ecclesiis, in earum scriniis asservatas, ac in Christianorum cœtibus, non secus ac Clementis epistolam, aliaque tanti pretii monumenta, publice lectas. At quis in animum sibi inducat pluribus annis ante Eusebianæ Historiæ editionem omnia omnino harumce epistolarum tam pretiosa exemplaria ita periisse, ut ne unius quidem vestigium neque in Ecclesia Antiochena, neque Smyrnensi, neque Romana, nec ulla alia deprehendi potuerit ? Nunquid omnes et Ecclesiæ, et Christiani etiam Antiocheni tantis animis, tantaque arte in illarum perniciem exstinctionemque conspirarunt, ut cum eæ, quas supposititias esse dicunt, altero post Ignatii mortem sæculo lumen aspexere, tum nullus licet diligentissimus veterum scriptorum indagator, licet Ignatii temporibus et Antiochenæ Ecclesiæ proximus, de iis, quas veras genuinasque fuisse contendunt, nihil omnino unquam suspicatus sit ? Si enim tunc aliquod harum tanti martyris epistolarum exemplar superstes alicubi exstiterit ; si aliquis Eusebio antiquior, vel Ignatio suppar, aut coævus, de iisdem epistolis aliquid audierit, illico, vel unius illarum exemplaris sola exhibitione, vel alicujus veteris scriptoris contradictione, eæ fictitiæ litteræ ab illo et omnibus aliis explosæ fuissent.

Nec illud prætermittendum est, quod adversarii in hisce, quas Ignatio supposita dicunt, epistolis doctrinam ejusdem Ignatii Ecclesiarumque illius temporis decretis oppositam sese animadvertisse arbitrantur ; atque earumdem auctorem ingeniosum, industrium, callidum, versutum ; vel prout eorum interest, tardum, plumbeum, supinum, indoctum passim prædicant. Cur ergo hæc omnia doctissimos tertii quartique sæculi scriptores, atque Eusebium ipsum, qui tantam in evolvendis et eruendis veterum Patrum monumentis operam posuerat, plane penitusque fugerunt ? Nullus profecto, uti opinamur, erit sincerus æquitatis et veritatis amator, qui non intelligat quantum hæ opiniones parum vero videantur similes, quantumque sibi invicem contrariæ sint et adversæ.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM SECUNDUM EX POLYCARPI TESTIMONIO PETITUM AB EXCEPTIONIBUS ADVERSARIORUM VINDICATUR.

§ I. *Testimonium Polycarpi proponitur, et prima Dallæi exceptio refellitur.*

Sed jam ad alia argumenta, quibus opinio tam parum sibi constans impugnatur, properandum est. Ea autem duplicis sunt generis : alia quippe externa dici possunt, quæ ex aliis inculpatæ et certissimæ fidei petuntur scriptoribus ; alia vero interna, quibus auctoris opera ejus ingenio et tempori,ac cæteris,quæ desiderari possunt adjunctis, apte convenire demonstrantur. At invictis utriusque generis momentis, septem primæ classis epistolas Ignatio asseri posse plane contendimus.

Atque ut a primo argumentorum genere exordium sumamus, numerosum cujuslibet ævi scriptorum,qui has epistolas nostro martyri vindicant, agmen ducet Polycarpus, Smyrnæ episcopus, Ignatio non solum coævus, sed amicitia et consuetudine conjunctissimus. Is enim qui in litteris viri sibi amicissimi dignoscendis vel indicandis, nec falli nec fallere poterat, de iis ad Philippenses sic scribit : « Scripsistis ad me et vos et Ignatius... epistolas omnes Ignatii, quas ad me scripsit, et quascunque demum apud nos reperire potuimus,quemadmodum nobis mandastis, ad vos misimus. » Quid tanti viri auctoritate efficacius? quid ejus testimonio clarius et evidentius ?

Duo tamen quæ nequaquam contemnenda esse affirmat,ei opponit Dallæus [56]. Primum est Nicephori Constantinopolitani judicium, quo hæc Polycarpi epistola ad deterrimi generis, ut Dallæus ac defensor ejus loquuntur, apocrypha, scilicet itineraria Petri et Thomæ procul amandatur. Unde Dallæus [57] : « Nicephori, inquit,et patriarchæ primarii, et scriptoris annis circiter octingentis nobis nostrisque vetustioris, de his libris judicium, Hamondi tametsi viri eruditissimi, et aliorum ævi nostri sententiæ præferre nulla invidia est. » Sed si nulla sit invidia Nicephori judicium Hamondi aliorumque recentiorum sententiæ præferre, nulla quoque erit invidia judicium Irenæi, Eusebii, aliorumque Patrum tot sæculis Nicephoro vetustiorum, qui Polycarpo hanc epistolam assignant, Nicephori præferre sententiæ : imo tanto potiori jure præferendum est, quanto et eruditione præstantiores, atque ætati Polycarpi viciniores fuerunt. Deinde verba a Dallæo objecta patriarchæ Nicephori non sunt, sed scriptoris cujusdam obscuri et anonymi, qui fragmentum quod *Stichometriam* vocat, ad ilius Chronographiæ calcem subjunxit, ut infra a nobis clarissime demonstrabitur. Et certe quis sibi persuadeat Polycarpi epistolam, cujus utilitatem Dallæus agnoscere cogitur, a Nicephoro quem idem Dallæus laudibus exornat, inter apocrypha deterrimi generis fuisse ablegatam?

§ II. *Secunda et tertia Dallæi exceptio explodituv.*

Quocirca Dallæus id quod primum opposuerat, non satis firmum esse veritus, ad alterum quod majoris putat esse momenti, progreditur. Ait itaque [58] hæc epistolæ Polycarpi verba: « Scripsistis ad me, » etc., quæ ad finem usque sequuntur ; « omnino videri temere, et præter auctoris mentem aliena manu assuta.» Quod quidem rursus duplici ratione probare nititur. Primo, quoniam illa « absurde, et præter manifestam orationis seriem inserta,atque infulta sunt. » Superioribus siquidem verbis : « Ut sitis perfecti, » etc., epistola claudebatur, vel, ut ipse loquitur : « In hanc decentissimam, ut omnes vident, clausulam desinebat epistola. »

Secundo, quia hæc ultima verba Ignatium adhuc in vivis degentem memorant,quem illa superiora : « Hi omnes non in vacuum cucurrerunt, » etc., declarant mortuum. Unde idem Dallæus : « Ex his, inquit, sole meridiano clarius est diversos esse homines, qui eadem de re tam dissentanea, tamque inter se contraria, et repugnantia loquuntur; » proindeque, « particulam illam falso ac vafre epistolæ esse assutam ab aliquo impostore. » Confestim vero subdit : « His exceptis, nihil in epistola illa videtur occurrere, quod vel quemquam offendere, vel Polycarpo indignum censeri debeat. »

Sed hic paulisper immoremur attendamusque num Dallæus,ubi in contradictione et repugnantia, quam nullus ante illum deprehenderat, retegenda sibi adeo lynceus videtur, ibidem secum ipse non pugnet. Enimvero si in tota epistola nihil præter illam particulam occurrat : « Quod vel quemquam offendere, vel Polycarpo indignum censeri debeat, cur quæso, Dallæus non solum Hamondo et aliis ævi nostri doctissimis hominibus, sed etiam antiquissimis Patribus Eusebio et cæteris præfert Nicephorum,qui epistolam totam rejicit inter ea quæ sunt « ex apocryphorum deterrimo genere ; » vel, ut ipse alibi dicit, « inter libros fabulis et figmentis plenos ; » ex quibus, « si quis ad fidem de re aliqua primis illis temporibus gesta faciendam afferret,nihil efficeret ? » Nunquid si aliquis ea omnia, quæ in hac epistola illud quod Dallæus vocat additamentum, præcedunt, quæque ipse Polycarpo digna censet, ad fidem faciendam afferret, nihil efficeret ? Nunquid ob particulam in fine epistolæ additam, ea quæ Polycarpo digna sunt, ad apocrypha deterrimi generis, et libros fabulis et figmentis plenos debent protinus amandari ?

Quid autem quod addit Dallæus in hac epistola « tam dissentanea, tamque inter se contraria et repugnantia » occurrere ; ut « sole meridiano clarius » sit ea a diversis hominibus scripta fuisse ? Cur ergo Eusebius, homo oculatissimus et perspicacissimus, cur alii ante et post Nicephorum scriptores illud non viderunt, quod « sole meridiano

[56] *De script. Ignat.*, cap. 22, p. 426. [57] *Ibid.*, p. 427. [58] cap. 32, p. 42.

clarius erat ? « Nunquid omnes sole meridiano lucente cæcutiebant ?

Sed esto, Eusebius aliique omnes solis meridiani splendore perstricti, id quod sole meridiano clarius erat, non viderint. Cur saltem hanc decentissimam clausulam, in quam desinebat epistola quam, teste Dallæo, omnes vident, illi non viderunt ? Nunquid Dallæus Eusebium aliosque viros oculatissimos, qui hanc epistolam integram Polycarpo tribuunt, adeo cæcos omnique lumine orbatos fuisse dicet ; ut unum quod sole meridiano clarius erat ; alterum quod omnes vident, ipsi videre non potuerint ?

Jam vero ad rem ipsam veniamus. Contendit Dallæus verbis, quæ particulam ultimam præcedunt ; quia « decentissimam clausulam » habent, epistolam Polycarpi claudi. Nunquid ergo quoties in epistolis occurrit decentissima clausula, totiès ibi finiuntur epistolæ ? Id sane vel ipsæ solæ Pauli epistolæ falsissimum esse evincunt. Nam in capite decimo quinto ejus Epistolæ ad Romanos hæc decentissima clausula legitur : *Deus pacis sit cum omnibus vobis. Amen* ; in capite vero tertio Epistolæ ad Ephesios ista : *Ipsi gloria in ecclesia sæculorum. Amen* ; et tamen neutra ibi desinit : sed in priori unum caput, in posteriori tria integra capita subsequuntur. Longum esset et inutile innumera epistolarum proferre exempla, quæ ad similes clausulas, quas Dallæus decentissimas vocat, non desinunt. Norunt enim omnes ex scriptoris ingenio pendere, quas velit, et ubi velit, in epistola sua clausulas apponere : maxime vero ubi plura, sicuti Polycarpus, tractat argumenta, vel cum scribentis animo aliquid novi scribendo succurrit.

Præterea falsum illud est, quod ait Dallæus, ultimam hujus epistolæ particulam, mendacio, iis quæ superius dicta erant, contrario et repugnante, esse inspersam. At, inquit ille, hæc verba : « Et de ipso Ignatio, et de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate : » hæc, inquit, verba Ignatium, qui prius defunctus declaratur, in vivis esse significant. Verum si ea attente perpendantur, nihil de Ignatii morte vel vita innuunt aut testificantur. His etenim Polycarpus tantummodo postulat, ut Philippenses qui de Ignatio facilius aliqua accipere poterant, de illo, quocunque tandem in statu fuerit, certi aliquid renuntient. Quapropter si illum jam martyrio coronatum suspicabatur, rogat ut narrent quando, ubi, et quam vario tormentorum cruciatuumque genere mortem obierit, quosque habuerit martyrii sui socios. Nulla ergo ibi repugnantia, nec ulla cum iis quæ de nece ejus prius scripta erant, occurrit discrepantia.

Urget tamen Dallæus, atque ipsius Hamondi, qui his ultimis epistolæ Polycarpi verbis vitam Ignatii designari dixit, profert testimonium. At certe si Hamondus humani aliquid ibi passus est, si ad Polycarpi verba animum non satis advertit, quid inde contra sententiæ nostræ veritatem conficiet Dallæus ? Nulli autem dubitamus quin Hamondus ab ea difficultate, quæ contra ipsum solum militat, sese recte explicuisset. Verum non de Hamondi mente disputamus, sed de Polycarpi epistola, in qua cum nullum mendacium, nullaque sit contradictio et repugnantia, integram illam omnesque et singulas illius partes a Polycarpo scriptas esse certo certius evincitur.

§ III. *Reliquæ Dallæi exceptiones refelluntur.*

Instat Dallæus, novoque utitur et miro argumentandi genere. Ille siquidem nihil de veritate ac integritate epistolæ Polycarpi amplius disputans, concedit Polycarpum testari aliquas ab Ignatio scriptas fuisse epistolas. Verum cum idem ipse Polycarpus illas easdem esse, quas defendimus, non dixerit, alias Dallæus omnino ab eo indicatas esse audacter affirmat. Atque a Dallæo poscimus quid Polycarpo ut epistolas illas Ignatii esse testaretur, præstandum erat. Nunquid ab eo hæ epistolæ integræ transcribendæ erant, vel manu propria subscribendæ ? Nunquid publica notariorum et testium fide, aliisve publicis instrumentis muniendæ ? Si res ita se habeat, nullas procul dubio nunc habemus virorum apostolicorum aliorumque antiquissimorum Patrum epistolas, ac ea quæ manibus omnium teruntur, aliæ omnino sunt ab iis quas scriptores ab illis datas esse commemorant. Dicendum ergo ex severioris critices regulis, ut alicujus auctoris epistolæ, quarum scriptor ipsi cœvus generatim tantum meminit, speciatim designentur, nihil aliud requiri, nisi ut illæ ab integræ certæque fidei scriptoribus, iisque non ita ab illius ætate remotis nominatim indicentur. Atqui quas Polycarpus Ignatii epistolas generatim designat, eæ speciatim et nominatim, ut fatentur adversarii, ab Eusebio aliisque integræ certæque fidei scriptoribus designantur. Denique jam a nobis, uti putamus, clare demonstratum est Ignatium non alias ab iis, de quibus nunc controvertitur, exaraese epistolas. Illæ igitur eædem sunt quas Polycarpus designat.

Urget tamen Dallæus in his epistolis reperiri et σιγὴν Valentinianorum, aliaque quam bene multa minus orthodoxa, quæ ab Ignatio nusquam scribi potuerunt. Sed Eusebium aliosque doctissimos scriptores qui, teste Dallæo ipso, has epistolas Ignatio adjudicant, nihil in eis vel minus orthodoxum, vel minus Ignatio dignum legisse certissimum est. At certe illos quænam Ignatiana doctrina esse debuerit, ignorasse, nullus, ne Dallæus quidem, dicere audeat. Deinde nihil contra Ignatii doctrinam in his epistolis occurrere, infra suo loco, ne omnia cum Dallæo confundamus, clarissime ostensuri sumus.

Instat denique Dallæus, sicque arguit : « Hoc certe Polycarpi testimonio Latini pro sex illis Ignatianis epistolis, quas præter Usserianam collectionem asserunt, non minus speciose utuntur, quam pro suis sex primis reverendissimus Usserius et doctissimus Hamondus. » Ex quibus sic ille concludit : « Seponenda ergo pariter est in universa de Igna-

tianis causa hujus testimonii auctoritas. » Scilicet cum Dallæus Polycarpi auctoritatem, qua premitur, elevare non posset, eam saltem vult esse seponendam. Verum integra et invicta semper manebit, nunquam seponenda tanti viri testificatio sempiterna. Cæterum si qui illam ad adulterinas Ignatii epistolas asserendas adhibeant, illos procul dubio et ea ipsa abuti, et longe errare infra demonstrabimus. Quem tamen errorem iis, quibus Usserii et Vossii nec manuscriptos codices nec editiones videre licuit, ostendemus aliqua ex parte esse condonandum.

CAPUT V.

ARGUMENTUM TERTIUM EX IRENÆI AUCTORITATE, QUÆ AB ADVERSARIORUM EXCEPTIONIBUS VINDICATUR, DESUMPTUM.

§ I. *Testimonium Irenæi proponitur.*

Ultima Dallæi contra Polycarpi testimonium objectio, quam validisssimam ipse appellat, est Irenæi qui ejusdem Polycarpi discipulus fuit, summa auctoritas. Sic autem illam Dallæus ipse proponit [59] : Nusquam epistolas « quas nunc habemus, apud Polycarpum fuisse, et ab eo in unum collectas, ad Philippenses missas fuisse, et multis aliis, et hoc potissimum validissime probavimus, quod Irenæo Polycarpi discipulo et admiratori singulari, plane penitusque ignotæ fuerint. » Ad examinandum ergo Irenæi testimonium, quandoquidem ad illud nos provocat Dallæus, lubentissime accedimus. Et primum quidem miramur qua Dallæus confidentia ausus sit affirmare epistolas Ignatii, quas nunc habemus, Irenæo plane penitusque ignotas fuisse. Nonne enim hæc ipsissima sunt Irenæi verba [60] : « Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias : Quoniam frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molar, ut mundus panis inveniar ? » At, fatente Dallæo, certum est Ignatium nostrum hic ab Irenæo laudari : « Ego vero, ait Dallæus [61], hunc cujus verba recitat, Ignatium esse confiteor, hæc verba vere Ignatii esse concedo. » Unde ergo Irenæus hæc Ignatii verba desumpsit ? Audiamus Eusebium [62] : « Hujus porro Ignatii, inquit ille, et martyrium et epistolas commemorat Irenæus his verbis : Quemadmodum quidam, etc. » Quanam autem ex epistola hæc ille transcripsit, nisi ex Ignatii nostri ad Romanos epistola, ubi isthæc totidem verbis reperiuntur ?

§ II. *Prima et secunda Dallæi exceptio refellitur.*

Quid ad hæc Dallæus ? Eusebium falsum esse affirmat. » Quod falso, inquit [63], putavit Eusebius. » Qua vero putas ratione Eusebium, diligentissimum scriptorem, erroris insimulat ? Quia Irenæus, uti ille ait, non usus est voce *scripsit*, sed *dixit*. Qua quidem voce, addit Dallæus, consulto ipse Irenæus usus est ; ut illa Ignatii verba, non ex ejus scriptis, sed ex dicentis ipsius ore excepta fuisse indicaret. Mirum sane quanta esse debuerit oscitantia Eusebii, qui verbum *dixit*, idem ac *scripsit*, significare falso putaverit. Sed veremur ne Dallæus, qui hæc post Parkerum contra Eusebium urget, ipse potius inscitiæ vel malitiæ accusandus sit. Quod quidem etsi innumeris scriptorum testimoniis facile confirmari queat ; una tamen quæ Dallæo instar omnium esse debet, nempe Irenæi ipsius auctoritas ad id probandum sola sufficiet. Ille enim quæ a Justino non pronuntiata, sed scripta erant, his verbis laudasse legitur : « Et bene Justinus in eo libro qui est ad Marcionem ait : Quoniam ipsi quoque Domino non credidisset, » etc. Et alio in loco [64] : « Bene Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum, » etc. Verum auctoritate Irenæi ipsius, si quid in sua causa validius desideretur, ipsummet Dallæum contra seipsum testem producemus. Nec certe vel diu, vel procul ille quærendus est et accersendus, qui eo ipso loco, ubi hac de re disputat, sic ea quæ ab Hamondo de non dicta, sed scripta erant, refert : « Quid contra hanc claram ac invictam demonstrationem affert doctissimus Hamondus : Irenæus, inquit, Ignatii dictis ex epistola ad Romanos, etc. » Et adhuc propius, ubi ipsiusmet Irenæi locum citavit, sic loquitur : « Quid enim quæso habet eo loco Irenæus : Quidam, inquit, nostrorum dixit : Frumentum Dei, » etc. Quid ergo ? Nonne verbum *inquit*, idem sonat ac *dixit* ? Dallæus tamen ipse ubi id, quod ab Hamondo et Irenæo scriptis traditum erat, protulit, non verbo *scripsit*, sed *inquit*, quod idem est ac *dixit*, usus est.

Defensor Dallæi, ad ei qui suo se ipse gladio jugulaverat, ferendam opem accurrit, sed tardius. Sic autem ille [65] : « Demus verbum, *dixit*, quo utitur Irenæus, et quæ voce, et quæ scripto edita sunt, indifferenter denotare ; non magis illius, Pearsoni, causam juvabit Irenæi narratio quam nostram ; ac proinde omittendum erit testimonium pro epistolis Ignatianis, ex hac narratione desumptum. » Quam infirma sit hæc Dallæi defensio inde patet, quod Dallæum, qui magnam in verbo *dixit* vim argumenti sui positam esse existimabat, vel imprudentiæ vel malitiæ condemnet. Deinde vocem *dixit* apud Irenæum ad verba Ignatii, non prolata, sed scripta significanda usurpari probant cum Eusebii supra memorati auctoritas, tum etiam quia hæc eadem Ignatii verba in epistola ad Romanos scripta sunt, neque usquam alibi ille ea protulisse narratur.

At Irenæus illam, inquiunt, Ignatii sententiam ex ejus martyrii Actis, quæ suo circumferebantur tempore, transcribere potuit. Fatemur quidem hanc sententiam Ignatii in ejus martyrii Actis occurrere,

[59] cap. 32, p. 433. [60] lib. v, *Advers. hæres.*, cap. 28, seu circa fin. [61] Dall. cap. 28, p. 434. [62] lib. III, *Histor.*, cap. 36. [63] cap. 3, p. 452. [64] lib. IV. *Advers. hæres.*, cap. 34. [65] pag. 77.

sed in Actis corruptis et interpolatis, non autem in veris et sinceris, quæ Latine Usserius, Græce vero noster Theodoricus Ruinartus publici juris fecerunt. Atqui si Irenæi tempore quædam Ignatiani martyrii Acta exstiterint, hæc tantum posteriora exstitisse nemo sanæ mentis homo dubitaverit.

Huc ad Dallæi subsidium rursus advolat ejus defensor, et ab Hieronymo eamdem Ignatii sententiam citatam observat. Atqui « satius est, inquit [66], dicere Hieronymum in antiquissimis martyrii Actis legisse, quæ de Ignatio, etsi forte aliquam jam sua ætate mutationem experta essent illa Acta, nullam tamen sensisse istius, qua de agitur, circumstantiæ respectu par est credere; nam ex istis Actis, vel alio quodam scripto æque vetusto, quæ de Ignatio narrat, deprompsisse Hieronymum est plusquam verisimile. » Verum Dallæus e contrario Hieronymum neque ex his Actis, neque ex alio scripto, sed ex Eusebio tantum sua desumpsisse asserebat. Nam « Eusebii, inquit [67], omnes judicium, Hieronymus etiam verba secutus est; ut hoc non tam illorum, quam unius Eusebii testimonium censeri debeat. » Siccine ergo defenditur Dallæus, cum ei aperte contradicitur? Quid vero quod nulla alia, uti diximus, martyrii Ignatiani Acta, quam quæ ab Usserio, et novissime a nostro Ruinarto edita sunt, tempore Hieronymi exstitisse certum videtur. At profecto non in iis, sed in corruptis tantum Actis, Ignatii sententia ab Hieronymo et Irenæo citata occurrit. Denique quod egregius ille Dallæi defensor addit, Hieronymum eam si non ex Actis, ex alio scripto æque vetusto desumpsisse, hoc et Dallæo, ut paulo ante diximus, opponitur, et gratis ab illo fictum est. Neque enim aliquod ab ipso aut ab ullo unquam alio homine scriptum assignari poterit, in quo hæc legatur Ignatii sententia : nos autem epistolam ad Romanos, ejus nomine inscriptam, producimus, ubi illa de verbo ad verbum reperitur.

§ III. *Reliquæ Dallæi exceptiones refelluntur.*

Eadem itaque ratione id refellitur quod dicit Dallæus [68] : « Omnes vident facile fieri potuisse, ut si quod ejusmodi scriptum edidisset Ignatius; » in quo suam sententiam exaraverit; id et in Irenæi manus veniret, et diu ante nostra tempora interciderit. » Nullum quippe, quod interciderit, Ignatii scriptum Dallæus assignare potest, in quo sententia illa fuerit scripta; sed nos epistolam ad Romanos, ubi semper exstitit, assignamus. Porro autem si quid in hoc argumento sit roboris, certe eo innumeræ antiquorum Patrum lucubrationes excidant, necesse est. Illas quippe a scriptoribus celeberrimis citari si dixeris, illico reponetur non eas, quæ in manus nostras pervenerint, sed alias, quæ diu ante nostra tempora interciderint, ab illis citatas, vel saltem citari potuisse. Quis autem non videat quam hæc falsa sint, et ab omni penitus veritatis specie aliena?

Instat tamen Dallæus : Ex epistola ad Romanos hæc verba Ignatius non Romæ, « sed Smyrnæ diu ante agonem absurde et inepte scripsit [69]. » Verum quisquis hanc eamdem epistolam animo falsis præjudiciis non penitus obcæcato legerit, is facile comperiet illam ad Romanos Smyrnæ ab Ignatio scriptam, non diu ante agonem; sed cum damnatus esset ad bestias, et Romam ab illis jamjam devorandus contenderet. Non ergo absurde nec inepte, sed recte et omnino apposite Irenæus hanc Ignatii epistolam citando aiebat [70] : « Quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias, » etc.

Urget adhuc, et acrius instat Dallæus Irenæum hanc Ignatii sententiam ex epistola ad Romanos non solum non sumpsisse, sed neque sumere potuisse. Neque id ille quolibet argumento, sed clara et invicta demonstratione se probare arbitratur. Hæc autem invicta demonstratio, ne quid virium suarum amittat, ejusdem verbis proponenda est. Ait itaque [71] omnes quas diximus esse Ignatii epistolas : « Irenæo plane ignotas fuisse. Quarum scilicet testimoniis adversus hæreticos, quos refellit, luculentissimis ac disertissimis nusquam usus reperitur in toto adversus hæreses opere; tametsi plurima passim loca illic occurrant, in quibus utilissime ac pene necessario ab auctore adhibenda erant, si ea cognita habuisset. » Atque hoc illud est argumentum, quod Dallæus claram et invictam demonstrationem appellat. Sed hunc eumdem Dallæum, logicæ et dialecticæ callentissimum, miramur hic non meminisse in clara et invicta demonstratione omnia esse debere certa, invicta et omnino necessaria. Ad suam ergo claram et invictam demonstrationem [72] conficiendam, ipsi demonstrandum erat, Ignatii testimonia non tantum « utilissime ac pene necessario, » sed plane penitusque necessario fuisse adhibenda. Verum quidquid sit de certæ et invictæ demonstrationis nomine, ad vim argumenti attendamus. Illud autem non minus contra ipsummet Dallæum, quam contra nos militat. Epistolas siquidem nonnullas ab Ignatio nostro scriptas fuisse ille ultro concedit? « Quis enim, inquit [73], tam fatuus est, ut eum scripsisse aliquas negat? » Fatetur etiam easdem fulsse « ad rem Christianam valde utiles, « proinde plurima in eis exstitisse loca contra varios Ignatianæ ætatis hæreticos, quos Irenæus postea refellit. Porro eadem plane demonstratione, quam claram et invictam Dallæus vocat, id falsum esse sic evincitur. Eas enim Ignatius non scripsit epistolas, quarum testimonia Irenæus in suo *Adversus hæreses* opere contra eos, quos refellit hæreticos non adhibuit. Atque Irenæus nulla testimonia ex iis epistolis, quas Dallæus Ignatium scripsisse affirmat, in suo adversus hæreses opere con-

[66] pag. 2. [67] cap. 36, p. 452. [68] cap. 33, p. 434. [69] cap. 33, p. 436. [70] *Ibid.* [71] *Ibid.* [72] cap. 33, p. 434. [73] cap. 36, p. 450.

tra confutatos a se hæreticos adhibuit. Ergo hæ epistolæ ei plane incognitæ fuerunt. Ergo Ignatius illas, quidquid Dallæus dixerit, vere non scripsit. Qua autem responsione hoc argumentum solvet Dallæus, eadem et nos claram et invictam illius demonstrationem solvemus.

Attamen Dallæani argumenti solutionem ab ipso non exspectamus. Respondemus enim falsum esse in Ignatii epistolis plurima occurrere loca, quæ ab Irenæo in suo libro *Adversus hæreses* adhibenda fuerint. Non debuit siquidem Irenæus ea potius adhibere, quam alia testimonia, quæ passim occurrunt in epistola Barnabæ, in apologiis Quadrati et Aristidis, in scriptis Apollinarii Hierapolitarum episcopi, Agrippæ, Melitonis, Athenagoræ aliorumque quamplurium, qui hæreticos quos Irenæus refellit, disertissime redarguunt et oppugnant. Cur autem Irenæus nec illa omnia tot tantorumque virorum, nec Ignatii testimonia adhibuerit, si quæras, ratio in promptu est. Ex innumeris enimvero Patrum locis quædam paucissima cum ille contra hæreses, quas refutat, citaverit, inde colligitur aliud sane, quam ex continua Patrum traditione hæreses expugnandi fuisse illius propositum. Et vero pauca tantummodo Patrum loca ideo retulit, vel quia ipsi erant ad manum, vel quia eorumdem Patrum scripta hæreticis magno erant in pretio, sicut Polycarpi epistola Florino : vel denique aliis de causis ex tempore, quo scribebat, aut ex suo vel adversariorum ingenio petitis.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM QUARTUM, EX ORIGENIS TESTIMONIO DESUMPTUM, AB ADVERSARIORUM EXCEPTIONIBUS VINDICATUR.

§ I. *Proponitur testimonium Origenis, et a prima exceptione vindicatur.*

Invictum Irenæi testimonium excipit auctoritas Origenis, qui epistolas, quas defendimus, Ignatio absque ulla vel minima dubitatione tribuit. Is enim verba Ignatii, ex epistola ad Ephesios excerpta, sic laudat[74] : « Eleganter in cujusdam martyris epistola scriptum reperi, Ignatium dico episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias : principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ, latuit propter Joseph, » etc. Dallæus autem huic luculentissimo Origenis testimonio duo opponit, nempe frustraneum illud esse, nec ab Origene profectum. Cur ergo viri omnium longe eruditissimi testimonium, in his quæ certo ipse cognoscere poterat, frustraneum est ? Respondet Dallæus[75] : « Frustra Origenis homilias annis circiter centum et quadraginta post ultimum martyris Ignatii certamen scriptas recitant... sera sunt et inania Ignatianorum præsidia, quæ jam ab initio stetisse necesse est, si et nunc stare debent. Quæ enim ab initio non valuerunt, ea homines sapientissimi tractu temporis convalescere posse negant. » Hoc itaque testimonium Origenis, quia illud annis circiter centum et quadraginta post Ignatii necem scriptis trodebat, frustaneum erit ? Quid igitur fiet de tot antiquissimorum Patrum et testimoniis et lucubrationibus, quorum vix duobus post eorum mortem sæculis alicubi facta est mentio ? Deinde pistolæ Ignatii, ut diximus, in ecclesiarum scriniis asservabantur, ubi eas Origenes et legere, et exscribere, et cujus essent certo certius edoceri potuit. Quid ergo, si hæc annis 140 post Ignatii mortem se præstitisse affirmet, serum erit et inane ejus testimonium ? Quam vero falsa sit hæc Dallæanæ critices regula, inde certo colligas, quod filius senior a patre suo seniore testamentum proavi sui potuit accipere, quod pater suus ab illius similiter avo seniore acceperat. Nunquid ergo si filius ille asserat a se repræsentari proavi sui testamentum, quod pater ejus ab avo se accepisse certissime affirmabat, serum erit et frustraneum illius testimonium ? Nullus certe id dixerit ; quamvis plures in hoc temporis intervallo, quam anni circiter centum et quadraginta elabi potuerint. Quis autem abnuat epistolas Igdatii, quæ sacrum tanti martyris testamentum erant, uni et alteri probatæ fidei viro de manu in manum traditas, potuisse ab illo posteriore alicui deinceps ita transmitti ; ut hic eas Ignatio vere scriptas fuisse omni asseveratione affirmare potuerit ? Nec serum igitur nec frustraneum erit illius testimonium.

Verum pressius urgeamus Dallæum, atque eum sibi ipsi non solum contradicere, sed ipsomet etiam teste veras Ignatii epistolas ab Origine citari ostendamus. Concedit ille Origenem laudare quidem Ignatii epistolam, sed serius. Vel ergo veram et genuinam Ignatii epistolam, vel adulterinam citavit. Atqui ex ipsomet Dallæo eæ quas vocat adulterinas Ignatii epistolas, longe post Origenis mortem editæ fuerunt. Origenes ergo non has, sed veram et germanam Ignatii epistolam citavit. Ergo non sera sunt ejus præsidia, quæ jam ab initio stetisse necesse est.

§ II. *Refutatur secunda exceptio, ubi homilias Origenis in Lucam ab eo scriptas esse demonstratur, et adversariorum objectionibus respondetur.*

Patet igitur quam vana falsaque sit prima Dallæi ad Origenis auctoritatem responsio : videamus an secunda majoris sit ponderis et soliditatis. Negat ille hanc, quam laudamus, aliasque cæteras ejusdem Origenis in Lucam homilias ab ipso profectas esse. At illæ ab omnibus catholicis atque etiam heterodoxis cum protestantibus, tum Calvinistis, uno excepto ejusdem Dallæi defensore, Origeni ascribuntur. Hæc tamen Dallæum ejusque defensorem nihil morantur, atque contra omnes etiam doctissimos scriptores, easdem homilias Origenis fœtum esse pernegant. Quibus ergo rationibus id inficientur, audiamus. « Sane, inquit Dallæus[76],

[74] Homil. 6, *in Luc.* [75] cap. 34, p. 438. [76] cap. 34, pag. 439.

totum illud homiliarum in Lucam opus Latinorum natalium indiciis scatet. » Longum, putas, horum indiciorum, sicut in aliis ipse amat, catalogum texuit? Nullo modo: sex tantum illorum exempla exhibet, quæ sane quia nec multa sunt nec longa, iis examinandis paulisper immoremur. Primum desumitur ex homilia 5. « Ego autem alogos sum. Quod licet Latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest *absque sermone, sive ratione.* » Secundum ex homilia sexta: « Ave, gratia plena: quod Græce dicitur κεχαριτωμένη, ubi in Scripturis alibi legerim, non recordor. » Tertium ex homilia 16: « Cadaver quippe a casu nomen accepit. » Quartum ex homil.22, ubi Origenes hæc verba, « vertantur in lapides, » edisserit: « Rogatur, inquit, Deus, ut paulisper convertantur in lapides; hoc enim Græcus sermo significantius sonat. » Quintum ex homil. 35: « Non cum articulo principem posuit, ne certum videretur ostendere: sed sine articulo, ut e pluribus unum esse monstraret: quod apud Græcos magis intelligitur. » Sextum ex eadem homil.: « Quadrantem vel novissimum minutum; quod Græce tenue dici potest. » Verum de hoc numero tertium exemplum tolli debet; Latinus enim interpres verba Græca πτῶμα γὰρ ἀπὸ πτώσεως λέγεται, his Latinis optime reddidit: « Cadaver quippe a casu nomen accepit. » In quarto etiam exemplo nihil occurrit, quod ad Origenis interpretationem non pertineat. Quid enim prohibet quominus ab Origene quædam in Græcum Exodi verbum, quo Hebræum reddebatur, sint observata, quæ pro officio suo interpres Latina fecit? Cæterum concedamus Dallæo verba illa quæ parenthesi ibi clauduntur, esse ab interprete adjecta. Quinimo concedimus illi in quatuor aliis exemplis alia esse verba similia. Sed cum interpres illa ut versionis suæ rationem redderet, vel ut auctoris sui mentem clarius aperiret, vel ut iis qui Græce nesciebant, omnia planiora faceret et evidentiora, textui Origenis adjicienda esse putaverit; nihil inde contra Græcos hujus operis natales quidquam efficere possunt. Et re quidem vera in iisdem locis omnia Origeniana sunt, et Latinum sapiunt interpretem. Illud autem ex eo confirmari potest tum quod additiones paucissimæ sint; tum quod homilia quinta et sexta, unde duo nobis objiciuntur exempla, germanum Origenis opus esse hinc colligatur, quod Ambrosius, ut alibi diximus [77], plura ex eis in suam Evangelii secundum Lucam expositionem transfuderit.

Veruntamen Dallæanus defensor urget hæc additamenta si Latinos natales non arguunt, nulla jam in Græcorum operibus, quorum versiones Latinas tantum habemus, vera ac genuina scripta a spuriis posse amplius secerni. Sed levis omnino et infirma est hæc Dallæi defensio. Quid enim viris etiam tardioribus facilius, quam hujusmodi additamenta ab ipso Græci auctoris textu discriminare? Plurimæ sane ejusdem generis additiones in operum Irenæi Latina versione, quam solam habemus, occurrunt: nullus tamen in eo a Græco Irenæi textu discernenda hæsitavit unquam, aut falsus est.

Neque dixeris, quod si fatentibus nobis, aliqua ab interprete facta sint additamenta, ab illo etiam ea, quæ pro Ignatii epistolis citavimus, textui Origenis adjici potuisse. Nam certum est harum Homiliarum interpretem non esse Rufinum, ut Blondellus ariolabatur, sed Hieronymum, sicuti ipsemet Hieronymus [78], et idem Rufinus [79] ejusdem Hieronymi hostis infensissimus testantur. At constat Hieronymum pauca in suis Origenianorum operum versionibus addidisse; quæ a Rufino adnotata sunt. Quapropter cum inter illa testimonium, quod protulimus, minime recenseatur, illud vere ab Origene profectum esse quis unquam nisi temere et falso negare audeat?

Secundum Dallæi momentum, quo has in Lucam Homilias Origenis esse negat, his verbis concipitur [80]: « Sed et ab ipso Origenis genio, more ac sensu quædam sunt in eodem opere aliena. » Quod quidem triplici ratione ostendere conatur. Harum prima est, Spiritum sanctum dici tertiam a Patre et Filio personam: « Qui, inquit [81], sic distinctus personæ in divinis usus, ab Origene, si bene memini, alienus est. » Sed bene non meminit, aut bene non legerat hæc Origenis verba [82]: « Nos autem qui tres personas Patrem, et Filium, atque Spiritum sanctum esse credimus. » Neque etiam bene meminit ab eodem Origene Christum alibi appellari δεύτερον Θεόν, « secundum Deum [83]. » Neque tandem bene meminit Hieronymum scripsisse ad Avitum [84], in hoc Origenem errasse, quod: « Tertium dignitate et honore post Patrem et Filium asserit Spiritum sanctum..... Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit, et Spiritum sanctum inferiorem Filio, » etc. Qui enim asserit Spiritum sanctum esse tertium dignitate et honore, Filium vero secundum et Patre inferiorem, ab illo sane « distinctus personæ in divinis usus alienus » non est.

Secunda Dallæi ratio majoris non est ponderis: « Neque hic ejus, ut opinor, inquit, mos est personas, quod iste non semel facit, inducere longos vel inter se vel apud Deum sermones serentes. » Verum sicuti prius ille non bene meminit, ita nec hic bene opinatur. Enimvero quamvis audacter dixerit « non semel, » duo tantummodo horum profert exempla sermonum; qui quoniam non longi, ut ipse confidentius asseverat, sed breves omnino sunt, illos ipsis Origenis verbis, quod forsan Dallæus non ausus est, integros repræsentabimus. Primus itaque sic se habet: « Respondeo tibi, inquit Origenes [85], o versipellis et nequam, qui me tentare non me-

[77] Admonit. in *Exposit. in Luc.* [78] Præfat. in has homil. [79] in *Invectiv.* [80] cap. 34, p. 439. [81] homil. 15. [82] tom. VI, *in Joan.* [83] lib. v *adv. Cels.* [84] epist. 69, *ad Avit.* [85] homil. 29.

tuis. Alius est panis sermo Dei, qui vivificat hominem. » Secundus vero [86]: « Et unusquisque nostrum secum habet adversarium cohærentem, cujus opus est ducere nos ad principem, et dicere: O princeps, verbi gratia regni Persorum, iste qui subter erat tibi, eum, ut opus erat, custodivi. » Quid his sermonibus vel minus longum, vel magis Origenianum desiderari potest?

Tertia denique Dallæi ratio sic proponitur. Auctor homiliarum Sadducæos inde arguit, quod quædam Isaiæ et Psalmorum verba « corporaliter » explicarent, quæ ipse spirituali sensu interpretanda esse arbitratur: « Quæ omnia, inquit [87], corporaliter intelligentibus Sadducæis, qui erant portio Judæorum, dicit Salvator: *Nescitis Scripturas* [88]. » Atqui, ait Dallæus, hoc pugnat cum Origene, qui in genuinis Operibus alios Veteris Testamenti, præter Moysis libros in canonem Scripturarum, a Sadducæis recipi inficiatur. Sed aliud est librum aliquem in Scripturarum ascribi canonem, aliud vero ejus verba corporaliter intelligi. Unum in Sadducæis perstringit auctor noster, non vero alterum; proindeque Origenis sententiæ nullo modo adversatur.

Hic magnis animis insurgit Dallæi defensor, contenditque Sadducæos quod Psalmorum et Isaiæ verba corporaliter intelligerent, non alio sensu ab eodem auctore notari, nisi quia hos libros ab eis in Scripturarum canonem receptos falso sibi persuaserat. Quasi vero nullus cum ullo auctore de scriptis corporaliter intellectis, nisi de solis Scripturæ sacræ libris expostulare queat? Quoties scriptori illud vitio vertitur, quod illustrium virorum scripta, quæ in pretio omnibus esse debent, corporaliter, et ad litteram scrupulosius interpretetur? Potuit ergo Origenes Sadducæos idcirco castigare, quia Isaiæ et Psalmistæ libros, quos post suum Scripturæ canonem pluris facere debebant corporaliter intelligerent.

Nulla est igitur harum homiliarum auctoris cum Origene pugna, nulla plane dissensio. Verum etsi adversariis nostris daretur aliquam inter eos hac de re fuisse repugnantiam, num continuo hæ homiliæ Origeni abjudicandæ sunt? Nunquid scriptores etiam eruditissimi ita sibi semper constant, omniaque in variis eorum operibus, quæ diversis de argumentis et diversis temporibus composita sunt, ita sibi cohærent, ut nulla secum pugnantia et sibi invicem contraria scripserint? Nunquid aliquando seniores facti ac doctiores, ea non emendarunt, quæ juniores atque imperitiores certum esse credidere? Nihil ergo mirum, si Origenes, qui junior has homilias in publicum emiserat, in iis aliquid de Sadducæis dixerit, quod postea senior et peritior factus, correctum esse voluerit et emendatum.

A Et re quidem vera Origenes, teste Hieronymo, has homilias junior composuit. « Fateor, inquit ille [89], alia sunt virilia ejus, et senectutis seria..... tunc videre poterit, imo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni et ante nescierit, et scire nunc cœperit. » At Dallæi defensor audacter respondet errasse Hieronymum, affirmatque « sexagenario majorem esse Origenem, dum suas homilias scribi passus est. » Id autem se solertia sua agnovisse his gloriatur verbis [90]: « Quod a viris doctis animadversum quidem, non autem accurate perpensum, nec exacte ponderatum mirari satis nequeo; cum tamen id diserte testetur Eusebius. » Audiamus ergo diserta illa Eusebii verba: « Origenes, inquit Eusebius [91], jam sexagenario major, B utpote qui ex diuturna exercitatione maximum dicendi usum sibi comparasset, conciones quas habebat ad populum, a notariis excipi permisit, cum id ante fieri nunquam concessisset. » Sed defensor ille perspicacissimus, qui viros doctos incuriæ condemnat, debuit accuratius ponderare hæc, quæ ipse citat, Eusebii verba: « Conciones..., a notariis excipi permisit. » Etenim dicit quidem ibi Eusebius Origenem non permisisse conciones suas a notariis excipi; sed ille Origenem ipsum eas ante sexagesimum ætatis suæ annum manu propria scripsisse non inficiatur. Neque etiam negat illas, ipso invito Origene, ab aliis transcriptas. Præterea certum est Origenem, cum juvenis esset, conciones habuisse ad populum; id enim non diffitentur adversarii nostri, quod ex allatis Eusebii verbis evidenter C colligitur. Atqui has inter conciones illæ, de quibus agitur, homiliæ debent procul dubio numerari; cum illas ab Origene juvene pronuntiatas non solus Hieronymus, sed et eidem Hieronymo infensissimus Rufinus constanter asserverent, nec Eusebius eorum sententiæ ullo modo refragetur.

Constat igitur has homilias genuinum Origenis opus esse; proindeque invictum stat ejus pro Ignatii epistolis testimonium. Ultimum tamen Dallæus telum, quod alibi in Eusebium, hic in Origenis auctoritatem sic contorquet: « Unum, inquit [92], addam notatu, ut mihi quidem videtur, dignissimum, Eusebium videlicet non omissurum fuisse Origenis pro Ignatianis testimonium, si eorum alicubi mentionem fecisset. » Sed nihil illo, quod pu- D tat notatu dignissimum, argumento levius atque infirmius. Nunquid enim Eusebius omnia Origenis et apostolicorum virorum, aliorumque Patrum de Ignatii epistolis testimonia in Historiam suam congessit? Nullus profecto ibit inficias plura ab eo prætermissa; nec idcirco tamen eadem Patrum opera iis, a quibus scripta sunt, censebit esse abjudicanda. Denique Eusebius pro Ignatii epistolis auctoritatem Polycarpi et Irenæi, citasse contentus, non plura posteriorum Patrum testimonia accumulanda esse æquum putavit.

[86] homil. 35. [87] homil. 39. [88] *Matth.* XXII, 29. [89] Prolog. in has homil. [90] pag. 106. [91] Euseb. lib. VI *Hist.*, cap. 36. [92] pag. 108.

§ II. *Aliud Origenis testimonium expenditur.*

Nonnulli aliud pro iisdem Ignatii epistolis afferre solent Origenis testimonium quod his verbis legitur [93] : « Nec puto quod culpari possit, si quis Deum, sicut Joannes charitatem, ita ipse amorem nominet. Denique memini aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo : Meus amor crucifixus est. » Sed utrum vere Origenis sit hoc opus, adhuc sub judice lis est. Quidam enimvero cum Erasmo illud a tanto doctore scriptum esse inficiantur, tum quod « in prologo citat Græcos, velut alienos : » tum « ex interpretatione amoris, charitatis, dilectionis et cupidinis. » Alii vero genuinum illius fetum esse probant, ex stylo, ex allegoriis, et tropologicis expositionibus, in quas ab historicis explanationibus excurrit : ex sententiis his plane consimilibus et germanis, quæ ex duabus homiliis, ab Hieronymo Latinam in linguam conversis occurrunt ; ex melioris notæ manuscriptis, ubi nomen Origenis præfigitur ; ex iis quibus Origenes frequens utitur Hebraicorum nominum interpretationibus, et aliorum operum suorum citationibus ; denique quia eas Rufinus Latine reddidit, atque eadem tomorum decem, quos in Canticum scripsit Origenes, partem constituant. Ad Erasmi autem argumenta respondent ab illarum auctore citari quidem Græcos, sed ut suos, non ut alienos nisi religione ; ac nominum Latinorum interpretationes a Rufino textui Origenis fuisse additas. Quamvis autem hæc opinio non spernendis rationum momentis firmata videatur, observavimus tamen alibi [94] totum hoc opus nihil aliud Cassiodoro videri, quam duarum Origenis *in Cantica* homiliarum, ab Hieronymo Latine redditarum amplificationem. Quapropter æquo cujuslibet sinceri et integri hominis judicio permittimus in eam, quam veriorem crediderit, ire sententiam ; nec testimonium ex his homiliis desumptum, ultra quam par est, urgendum esse censemus.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM SEXTUM EX ALIIS INNUMERIS SCRIPTORIBUS, QUOS ADVERSARII EPISTOLAS IGNATIO ADJUDICASSE FATENTUR, DESUMPTUM.

§ I. *Argumentum ex Eusebii auctoritate desumptum.*

Disputavimus hactenus de testimoniis antiquissimorum Patrum, quibus epistolas Ignatii incognitas fuisse Dallæus ejusque defensor mira singularique obstinatione contendunt. Nunc de iis scriptoribus agendum, a quibus easdem et agnitas et Ignatio attributas ipsi sua sponte confitetur. Horum antesignanus est Eusebius Cæsariensis, de quo sic Dallæus [95] : « Fatemur Eusebium illas sive sex sive septem, quas recenset, epistolas agnoscere, ac pro vere Ignatianis habere. Neque dissimulamus eas de quibus ille verba facit, has ipsas fuisse videri, quæ his hodie nominibus circumferuntur, quales eas. reverendissimus Usserius Latine, eruditissimus Vossius Græce, ex libris ille Anglicanis, hic Medicæis ediderunt. » Sic ille tandem concedit, quod nullo unquam modo negare poterat. Sed quid, putas, de celeberrimi Historiæ ecclesiasticæ parentis sententia pronuntiat ? Paucis rem absolvit, scilicet illum « judicio his de epistolis falsum esse. » Nec Dallæo satis est Eusebium erroris condemnare ; sed eum etiam errorum omnium, in quos alii postea prolapsi sunt, reum facit. « Eusebius, inquit, omnis de Ignatianis erroris fons, qui hinc primo exortus, latissime postea effusus, pene omnes Christiani nominis eruditos pervasit. » Cur ergo tam turpiter hallucinatus est Eusebius ? Nunquid ille ingenii excellentissimi, et summæ eruditionis vir, ad discutiendas Ignatii epistolas segnis fuit et iners, qui non solum earum tempus, et eos qui in illis nominantur, sedulo observat ; verum etiam ea quæ auctor citaverat, se accuratissime examinasse testificatur. Scribit enim [96] : « In epistola ad Smyrnæos de Servatore nostro loquens, quædam ejus verba recitat, quæ unde acceperit, ignoro. » Dallæus neque ingenium, neque diligentiam Eusebii aspernatur : sed « hominem, inquit [97], geminus animo perceptus de Irenæo ac Polycarpo error transversum egit, et quæ notha erant et subdititia, ea pro vere Ignatianis admittere subegit. » Quem autem de Irenæo perceperit errorem sic idem Dallæus declarat : « Ille quod quæ Ignatium *dixisse* refert Irenæus, eadem in epistolis quoque scripta legerat, falsa et inani specie delusus, epistolas quoque Irenæum vidisse, et etiam quod crassius est et inexcusabilius memorasse imaginatus est. » De Polycarpo autem : « Similis ejus est, verba Dallæi sunt, tametsi venia dignior in Polycarpo oscitantia, non attendentis duo illa quæ recitavit loca, aperte inter se pugnare. » At sane tanta, ut putamus, evidentia demonstravimus apud Irenæum verbum *dixit* idem sonare ac *scripsit*, nullamque in verbis Ignatii esse pugnam ; ut Dallæum ejusque defensorem duplicis Eusebium accusasse erroris pigere debeat et pudere. Addamus, si lubet, duo illa loca, quæ Dallæus inter se pugnare affirmat, ab Eusebio citata non fuisse. Sed quamvis unum vel utrumque ab eo transcriptum fuerit, probabile tamen non est virum perspicacissimum, qui tanta diligentia epistolas Ignatii examinaverat, hanc si quæ esset in ejusdem Ignatii verbis, a se, uti dicitur, transcriptis, apertam non animadvertisse repugnantiam. Imo omnibus certum videri debet illa Ignatii verba secum optime cohærere, quæ Eusebius inter se pugnare non perspexit.

Constat præterea Eusebium ex aliquo, quem penes se habuerat, manu exarato codice prolixa, quæ ex epistolis Ignatianis exscripsit loca, in suam quam anno 326, aut juxta Dallæum 330, edidit historiam transtulisse. Atqui ex eodem Dallæo hæ

[93] Homil. *in Gant.* [94] Admonit. in lib. Ambros. *De Isaac et anim.* [95] cap. 35, p. 442. [96] lib. III *Histor.*, cap. 36. [97] pag. 443.

Ignatii epistolæ circa finem sæculi tertii, vel initium quarti, id est circa annum 300, exierunt in lucem. Codex igitur ille, quo usus est Eusebius, vix ante triginta annos juxta Dallæi opinionem exaratus fuerat. Quomodo ergo vir ille sagacissimus, qui tot manuscriptos codices evolverat, tot lustraverat bibliothecas, fidem manuscripti tam recentis suspectam non habuit? Cur alios vetustiores cura solita non quæsivit? Cur denique ea omnia recentiora dogmata, quæ Dallæus in his epistolis deprehendit, hæreses nimirum Ignatio posteriores, aliaque quamplura post eum nata, nullam ipsi ne vel minimam quidem de earumdem epistolarum suppositione injecerunt suspicionem? Nullus certe sincerus veritatis amator, hæc omnia credibilia esse sibi unquam persuadebit: sed nullum ab Eusebio perceptum de Irenæo et Polycarpo errorem agnoscet, hasque epistolas verum ac genuinum Ignatii opus esse ultro fatebitur.

§ II. *Secundum argumentum ex Athanasii Alexandrini testimonio deductum.*

Cum Dallæani tanta pertinacia contendant Eusebium esse fontem « omnis de Ignatianis erroris, qui pene omnes Christiani nominis eruditos pervasit; » nihil certe mirum si omnes fere post Eusebium scriptores, ex hoc, quem corruptum dicunt, fonte suam de Ignatii epistolis sententiam hausisse perperam asseverent. Hos igitur opinionis nostræ præstantissimos assertores, atque omnis ætatis et eruditionis viros deserere coacti, vix duorum aut trium quædam, uti aiunt, errata minuere, vel auctoritatem elevare conantur. Primus inter eos doctrina et merito eminet Athanasius, Alexandriæ episcopus, qui epistolam Ignatii ad Ephesios hunc laudat in modum [98]: « Ignatius post apostolos Antiochiæ præsul, et martyr Christi, in epistolis suis de Domino ita locutus est: Unus est medicus carnalis et spiritalis, genitus et ingenitus, in homine Deus, in morte vita vera, ex Maria et Deo. » Dallæus ubi hoc Athanasii testimonium expendit, fatetur illum in eo non peccasse, quod egregium locum, causæ suæ utilissimum, quem ex Ignatii epistolis nactus ferat, ejus nomine laudaverit. Magnas certe Athanasius Dællæo, quod eum a peccato, quod nullum esse poterat, urbanitate tam singulari excus et haberet gratias, si ipsum continuo propterea non accusaret, quod gravissima disputatione occupatus, ostentata sibi ab Eusebio falsa Ignatii auctoritate delusus sit. Verum quo ille argumento demonstrabit Athanasium ab Eusebio fuisse delusum? Postquam enimvero historia Eusebii vulgata est, statim Athanasius, relicta Alexandria, longe ab Eusebio fere semper abfuit, atque Historiam ejusdem Eusebii in manus ejus nunquam venisse vero est simillimum. Attamen esto illa in manus ejus venerit. Nihil sane inde conficiet Dallæus. Nam testimonium Ignatii, ab Athanasio transcriptum, in illa Eusebii Historia non reperitur. Athanasius igitur illud ex alio scriptore, vel ex aliquo epistolarum Ignatii manuscripto codice mutuatus est. At ex quovis doctissimus ille præsul illud Ignatii testimonium acceperit, ipse utrumlibet tantæ antiquitatis et auctoritatis existimavit, ut inde catholicam fidem adversus Arianorum argutias et subtilitates tuto muniri et defendi posse persuasum habuerit. Liquet igitur et constat Athanasium non ex Eusebii Historia, sed ex aliquo venerandæ antiquitatis monimento, epistolarum illarum, quas Ignatio tribuit, citasse testimonium. Denique Eusebium in citandis Ignatii epistolis nullo modo errasse ostendimus. Frustra igitur Athanasius ab illo delusus fuisse dicitur.

§ III. *Tertium argumentum ex Joannis Chrysostomi auctoritate elicitum.*

Athanasium proxime secutus est Chrysostomus, qui in oratione, quam Antiochiæ de Ignatii martyrio habuit, sic loquitur [99]: « Unde hoc fit perspicuum? Ex verbis quæ moriturus loquebatur. Cum enim id genus supplicii sibi subeundum esse intellexisset: *Ego*, inquit, *feras illas adjuvarem*: « Græce vero: Ἐγὼ τῶν ἐκείνων ὀναίμην, ἔλεγε. Quæ quidem Græca verba ex Ignatii epistola ad Romanos desumpta esse nemo non videt. Attamen Dallæus contendit [100] Chrysostomum « nihil Ignatii proprium præter passionem dicere, ex qua illa ejus verba refert atque amplificat: » id est, juxta Dallæi opinionem, Chrysostomum hæc verba non ex epistolis Ignatii, sed ex martyrii ipsius Actis accepta referre. Verum id omnino falsum esse inde jam demonstravimus, quod verba illa non in veris et sinceris martyrii Ignatiani Actis, sed tantummodo in interpolatis et corruptis, et Chrysostomo penitus incognitis, reperiantur.

Instat tamen Dallæus [1]: « Cur non aliquas ex iis epistolis, maxime laudabiles sententias, æque ac illam martyris ore prolatam recitat, suavissimis ac pulcherrimis divinæ suæ eloquentiæ floribus ornatas? » Sed hæc a Dallæo, tantæ eruditionis viro, tam frigide objicienda non erant, quippe qui nescire non poterat apud antiquos Patres, qui panegyricas de martyribus, aliisque viris sanctissimis orationes habuerunt, in more non fuisse ex eorum epistolis vel scriptis recitare « laudabiles sententias, suavissimis ac pulcherrimis divinæ suæ eloquentiæ floribus ornatas. » Legatur panegyrica Augustini in Cyprianum oratio, legantur aliæ ab aliis Patribus peroratæ, ac in eis laudabiles eorum sententias, quas in Chrysostomo de Ignatio nostro Dallæus desiderat, recitatas nullus reperiet. Deinde Chrysostomus hanc solam ex Ignatii epistolis pulcherrimam sententiam deflorandam esse censuit, non

[98] *De synod. Arim. et Seleuc.*, p. 992, edit. Paris. [99] homil. 42. t. I, edit. Paris, p. 506, [100],[1] cap. 35, p. 446. [1] Ibid.

ideo tantum quia summum ejus pro Christo patiendi ardorem apertissime ostendebat, sed quia eam quoque ad celebrandas tanti martyris laudes magis conducere arbitratus est. Denique vel sola, quam supra exhibuimus, epistolarum Ignatii analysi non obscure colligitur Chrysostomum ex iisdem ea desumpsisse, quæ ibidem dicit, urbes ad quas Ignatius suo in itinere diversatus est, illum: «Cum magno commeatu dimisisse, precibus et legationibus ipsum adjuvantes.»

Subjungere his possumus eumdem Chrysostomum alia in oratione verba Ignatii, quæ ex ejus ad Polycarpum epistola mutuatus fuerat, hunc hausisse in modum [3]: « Propterea nobilis vir quidam ex veteribus, cui nomen Ignatius, quique sacerdotio simul et martyrio decoratus fuit, ad sacerdotem quemdam scribens, dicebat: « Nihil sine tua voluntate geratur, neque item quidquam absque Dei facias voluntate. » Non diffitemur negasse nonnullos hanc orationem fuisse a Chrysostomo profectam. Verum hæc illi tribuitur a Photio, Adriano primo summo pontifice, Epiphanio diacono, et secundo concilio Nicæno; ac præterea Chrysostomi stylus in ea micat et agnoscitur. Denique id certius asseri potest, ex quo hæc oratio absque lacunis et hiatibus in Savilii editione integra prodiit in lucem.

§ IV. *Quartum argumentum ex Hieronymi testimonio petitum.*

De Hieronymi circa easdem Ignatii nostri epistolas sententia cur litem moveat Dallæus, satis mirari non possumus. Quid enim de iis vir ille eruditissimus senserit, tam aperte declarat, ut nihil clarius desiderari posse Dallæus ipse fateatur: « Hieronymus, inquit [4], qui errantem Eusebium non semel secutus est, eadem quoque de Ignatio et epistolis ejus dixit. » Et paulo post: « Eusebii omnes judicium, Hieronymus etiam verba secutus est. » Loca autem scriptorum Hieronymi, ubi Eusebii judicium et verba, teste Dallæo, secutus est, hic describere non est necesse, tum quia prolixiora sunt, tum quia de his fatentem Dallæum habemus. Sufficiet itaque adnotasse ea reperiri primum in libro ejus adversus Helvidium, quem anno 383 aut 384 ille composuit: deinde in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, quem anno 392 juris fecit esse publici, denique in *Comment. in Matth.* [5], quos non ante annum 398 ipse quoque in lucem emisit. Ex quibus aperte et perspicue intelligimus quam constanter Hieronymus in sua de tribuendis Ignatio nostro epistolis sententia perseveraverit.

At Dallæus qui hæc vera esse concedit, eodem tamen in libro affirmare non dubitat [6]: « Ipsi Hieronymo aut ignota aut spreta fuisse videri hæc, quæ hodie exstant Ignatiana. » Verumtamen certissimum est Ignatii epistolas ab Hieronymo, si vere eas Ignatii esse cognovit, spretas non fuisse. Quo enim pacto sancti illius doctoris in mentem venire potuit, ut scripta, quæ ab Ignatio, tanto martyre, quem honore maximo prosequebatur, profecta esse sciebat, ipsemet aspernaretur. Restat igitur ut epistolæ Ignatii, si aliquando eas Hieronymus non sreverit, ipsi fuerint incognitæ. At quomodo illæ epistolæ, quas tandiu ab Ignatio scriptas fuisse pro certo habuit, potuerunt ipsi postea fieri incognitæ?

Dallæum tamen hæc paradoxa propugnantem sequamur. Ignatius, inquit ille, his epistolis episcoporum cum presbyteris damnat æqualitatem, quam Hieronymus « mordicus passim defendit. » Ex qua utriusque discrepantia ille statim infert Hieronymum has epistolas non habuisse, « pro vero viri apostolici fetu, vel nondum in iis ista tam multa fuisse, quæ hodie de episcopatus necessitate, et præ presbyteratu excellentia legimus. » Verum ambæ hujusce argumentationis partes falsæ sunt, et ad probanda Dallæi paradoxa omnino ineptæ. Ac primum quidem consequentiæ falsitas eo demonstratur, quod eodem argumento probari posset, ea omnia antiquorum Patrum scripta eidem Hieronymo ignota aut spreta fuisse, in quibus aliqua opinio, quam ille « mordicus passim defendit, » damnata legitur. Quod sane falsissimum esse nemo, ne ipse quidem Dallæus, negaverit. Quot enim verbi gratia Origenes in operibus suis damnat opiniones, quas Hieronymus « mordicus passim defendit? » Nunquid Dallæus recte inde concludet ea Origenis opera Hieronymo « ignota aut spreta fuisse, vel nondum in iis ista tam multa quæ hodie legimus?»

At, inquies, eas saltem opiniones de episcopatus necessitate, et præ presbyteratu excellentia in Ignatii epistolis Hieronymus sprevit, vel illæ nondum ibi legebantur. Esto, spreverit. Quid inde conficiet Dallæus? Num idcirco alia omnia quæ Hieronymus in Ignatii epistolis, sicut et in Origenis operibus nunquam arguit, ibidem semper non exstitisse, vel ea aliquando pro minime Ignatianis et Origenianis ab Hieronymo rejecta fuisse dicendum est? Nullus sane præter Dallæanos ita unquam argumentabitur.

Deinde falsum est illam opinionem de episcopatus necessitate, et præ presbyteratu excellentia quæ prima Dallæanæ argumentationis pars est, aliter ab Hieronymo, quam ab Ignatio nostro tractari. Id sane scriptores doctissimi cum catholici tum protestantes variis dissertationibus, adversus Blondellum Calvinistam editis, invictissime demonstrarunt. Quibus vero per otium non licebit lucubrationes illas evolvere, adeant ipsum Hieronymum epist. 1, *ad Heliodorum*; epist. 3 *ad Nepotianum*; epist. 27, *ad Eustochium* epist. 62, *ad Theophilum*, *Commentar. in cap.* VII *Michææ*, et *cap.* LX *Isaiæ*, *Dialog. adversus Luciferianos*. et lib. I *adversus Jovinian.*, atque iis in locis sanctissimum doctorem

[3] homil. *De uno Legislatore.* [4] cap. 35, p. 446. [5] cap. 7 et 9. [6] cap. 8 et 9.

stamenti apocrypha censemus ; 5° Quæ Novi Testamenti sunt apocrypha. » Atque in hoc posteriori ordine Ignatii epistolas,aut potius,ut ipse loquitur, doctrinam collocavit. Verum hæc auctoris *Stichometriæ* verba et inscriptiones nihil innuunt aliud quam Ignatii epistolas inter apocrypha Novi Testamenti esse rejiciendas, hoc est, eas inter sacros Novi Testamenti libros non esse numerandas. Eam procul dubio ob causam mentionem facit eorum tantummodo librorum, qui apostolorum aut quinque eorumdem discipulorum nomen proferebant, quosque eo nomine imprudens quorumdam pietas sacræ Novi Testamenti Scripturæ ascribi voluerat.

At,inquiunt Dallæani, auctor ille epistolas Ignatii eodem numero habendas esse censet, « ac Itineraria Petri, Joannis et Thomæ, quæ ex deterrimo genere apocryphorum » esse sæpius decantant. Unde iidem audacter concludunt : « Eadem sententia damnata notataque fuisse Ignatiana, ad labem atque ignominiam sempiternam. » Sed eos objectionis toties repetitæ pudere aliquando debuisset. Epistolæ siquidem Ignatii sinceræ ac sine interpolationibus, quas solas defendimus, nihil nisi sanum, orthodoxum et Christianis totique Ecclesiæ utilissimum,et maxime fructuosum complectuntur. Non potuerunt ergo cum iis scriptis,quæ « ex deterrimo genere apocryphorum » somniis, mendaciisque referta, et certis venenis inspersa sunt, « eadem sententia ad labem atque ignominiam sempiternam » damnari. Itaque auctor *Stichometriæ*, si quis sanæ mentis habuerit, omnia scripta, quæ ultimam ejus classem constituunt, inter apocrypha Novi Testamenti amandando, ea a sacro divinarum Scripturarum catalogo tantummodo exclusit ; sed de eorum utilitate, aut de quo genere apocryphorum singula censenda sint,liberam omnibus judicandi fecit potestatem.

§ III. *Neque Anastasium iisdem repugnare.*

De Anastasio autem, qui *Stichometriam* illam Latine reddidit, idem omnino ac de illius auctore sentiendum ; vel potius dicendum est eumdem Anastasium cum interpretis non critici officio functus sit, ea quæ in manuscripto suo codice Græce scripta invenerat, Latina fecisse : sed de hac *Stichometria*,quæ auctoris alterius operibus adjecta erat, nullum tulisse judicium.

CAPUT IX.

REFELLITUR ARGUMENTUM NEGATIVUM, ET QUARUMDAM ECCLESIARUM CONSUETUDINIBUS PETITUM.

§ I. *Hoc argumentum contra adversarios militat.*

Cum adversarii nostri scriptorem nullum, pro sua opinione loquentem, quem invictissimæ tot tantorumque virorum,pro nostra sententia pugnantium catervæ opponant, possint producere ; ad aliorum silentium, tanquam ad sacram anchoram ita confugiunt, ut saltem muta ac silenti quorumdam auctoritate vanis suis velationibus locum aliquem dedisse videantur. Dallæus itaque magna verborum pompa argumentum suum negativum proponit, quod hanc in formam totum reducitur : « Constat, inquit ille [19], has, quas hodie legimus epistolas, si vere Ignatii sunt, non potuisse non esse omnibus illius et proximæ deinceps memoriæ Christianis, præsertim vero litteratis et eruditis, si qui essent, notissimas. At his plane penitusque ignotas fuisse has omnes, quas nunc habemus, Ignatii nomine inscriptas epistolas, ipsorum quæ supersunt opera satis, ut mihi quidem videtur, arguunt ac demonstrant. Ergo necessario illud quoque quod nos contendimus,confitendum est,epistolas illas nunquam fuisse ab Ignatio scriptas. » Verum quam infirma nugatoriaque sit hæc argumentatio, eo invicte conficitur, quod, si roboris aliquid habeat, ab ea Dallæus ejusque fautores tantummodo feriantur et obruantur. In illos siquidem ipsos, qui Ignatium aliquas,ut diximus, epistolas scripsisse firmissima asseveratione affirmant,hoc idem argumentum tota sua vi, omnique impetu sic recidit. Constat epistolas ab Ignatio scriptas non potuisse non esse omnibus et proximæ deinceps memoriæ Christianis, præsertim vero litteratis et eruditis notissimas. Atqui epistolas, quas Dallæani ab Ignatio scriptas esse contendunt, non his solum, sed omnibus ante et post Eusebium, plane penitusque ignotas fuisse certum est.Nullum enim qui eas citaverit aut agnoverit auctorem unquam potuerunt indicare. Ergo necessario illud quoque confitendum est has, quas dicunt Dallæani,nunquam ab Ignatio scriptas fuisse epistolas. Hoc autem quod ipsi nobis ministrant argumentum,eo validius est,quod lethalem ictum, quem suis ipsi manibus sibi intulerunt, nunquam certe declinare possint.

Præterea fatentur adversarii, quod nemo etiam negare queat, argumentum affirmativum negativo semper esse præferendum.Neque enim scriptorum quorumlibet silentium,imo neque ignoratio efficere potest, ut ea opera quæ ab aliis visa et lecta sunt, vere non exstiterint,et vere non sint ab auctoribus suis profecta. Atqui argumento affirmativo has, quas sine interpolationibus habemus epistolas,vere ab Ignatio nostro exaratas fuisse a nobis evidentissime demonstratum est,nimirum Polycarpi, Irenæi, Origenis, Athanasii aliorumque auctoritate et testimoniis, quæ ab omnibus Dallæi defensorumque ejus exceptionibus, argutiis, et cavillationibus invictissime vindicavimus.

Hæc igitur satis superque esse deberent ad vanam eorum negativam argumentationem, quæ nullam unquam, nisi contra eos, vim roburque habitura est, penitus explodendam. Ne tamen aliquid probationum suarum a nobis prætermissum esse conquerantur, atque ut omnibus quam infirmum

[19] cap. 5, p. 256.

stituere, quidni etiam alias absque papa vel imperatore obire functiones? Quæ quidem quam falsa sint et a vero aliena, nemo, opinor, non videt.

§ III. *Num epistolæ Ignatii ecclesiis Ægypti, vel Æthiophiæ vel Germaniæ Bajoariorum, aut Scotiæ, aut alii fuerint incognitæ.*

Instat tamen Dallæus, nec soli Alexandrinæ, sed omnibus Ægypti, necnon Æthiopiæ Ecclesiis epistolas Ignatii incognitas fuisse ex eodem Eutychio, eodemque, quod satis superque confutatum est, argumento conficere se posse arbitratur. « Hic, » ait Dallæus de Eutychio loquens [24], « etiam aliud quiddam non minus mirabile nos docet: Ab Anania, inquit, quem constituit Marcus evangelista patriarcham Alexandriæ usque in tempora Demetrii patriarchæ, nullus erat in provinciis Ægypti episcopus: nec patriarchæ ante eum crearunt episcopos. Et primus hic fuit patriarcha Alexandrinus, qui episcopos fecit. » Ex Ægypto autem in Æthiopiam transvolans: « In omni, » inquit, « Æthiopiæ Ecclesia unus est jam ab antiquis temporibus episcopus Abuna, ut vocant, id est patriarcha, qui etiam hodie ab Alexandrino patriarcha consecratur et mittitur. Unus hic in tota Æthiopia ordines confert, neque alios confert quam diaconatum et presbyteratum. » Testes autem hujusce rei citat Nicolaum Godinium e Societate Jesu, et Alphonsum Mindesium ex eadem Societate, ac postea Æthiopicæ gentis patriarcham, et Joannem a Sanctis, Dominicanum a Godinio laudatum, ac tandem Franciscum Alvarez, omnes hujusce vel præteriti sæculi scriptores. Atqui huic Ecclesiarum Ægypti et Æthiopiæ usui, inquit Dallæus, doctrina in Ignatii epistolis tradita, qua nihil sine episcopo faciendum esse definitur, plane penitusque contraria est. Hanc ergo apostolicam doctrinam esse, atque adeo epistolas Ignatii plane utraque Ecclesia nescivit.

Verum si Eutychius quiddam de Ægyptiaca Ecclesia mirabile nos docuit, mirabilior profecto est falsa Dallæi ex Eutychio repetita argumentatio. Esto enim unus in toto Ægypto fuerit episcopus, unus in Æthiopia, unus etiam in Scythia, aliisque a Dallæi defensore non sine fastu objectis regionibus. Nihil sane ibi Ignatii epistolis repugnans deprehenditur. Etenim quamvis unus in iis, ut aiunt, regionibus fuisset episcopus, id tamen non prohibuit, quominus ibi, sicuti nunc in omnibus amplissimæ diœcesis civitatibus, oppidis et vicis, quæ sub unius episcopi ditione sunt, omnia ex illius imperio, nihilque sine ejus sententia fieret. Et sane illud Patribus concilii Laodiceni adeo erat persuasum, ut in villulis et agris nihil præter conscientiam episcopi civitatis agendum esse sanciverint: « Non oportet, » inquiunt [25], « in villulis vel agris episcopos constitui, sed visitatores. Verumtamen jampridem constituti nihil faciant præter conscientiam episcopi civitatis. »

Præterea leve omnino et sublestæ fidei est testimonium Eutychii, quem et sæculo tantum decimo scripsisse, ac plura hic peccasse nemo inficiabitur. Ex pluribus autem illius erratis illud solum observabimus, quod nullum in provinciis Ægypti fuisse episcopum narrat, vero non videri simile, sed falsitatis prorsus suspectum. In synodo etenim ab Alexandro episcopo Alexandriæ adversus Arium coacta, fere centum episcopi interfuere: « Nos cum aliis, » inquit, « fere centum Ægypti et Libyæ episcopis in unum convenientes, » etc. At vero a Demetrii morte usque ad annum 318, quo concilium illud celebratum est, tot episcopatus recens erectos fuisse, quis crediderit? Quid quod Eusebius testatur [26] Nepotem Ægypti episcopum, qui errores Chiliastarum docuerat, et jam pridem mortem obierat, a Dionysio Alexandrino fuisse confutatum. Unde non absurde colligitur eumdem Nepotem ante Demetrii tempora aliquam in Ægypto sedem tenuisse episcopalem. Denique Metaphrastes, qui non minoris est quam Eutychius auctoritatis et ponderis, tradit Marcum « aliis quoque Ecclesiis longe lateque episcopos, presbyteros et diaconos dedisse. »

Quantum ad Æthiopiæ Ecclesiam, quis non miretur inauditum Dallæi ejusque defensoris argumentandi genus? Uterque enim ex recentissimo quatuor hujus et superioris sæculi auctorum, de rebus sui temporis scribentium, testimonio unum duntaxat episcopum ab initio Christianæ religionis ibi constitutum fuisse concludunt. Quasi vero per tam longa sæculorum spatia mutatio nulla ibi fieri potuerit? Plures sane in Æthiopia olim fuisse episcopi ex ipsis adversariorum principiis liquido demonstratur. Dallæus namque Æthiopicam Ecclesiam appellat antiquissimam et nobilissimam Ecclesiæ Ægyptiacæ traducem. Atqui ex eodem Dallæo Ecclesia Alexandrina saltem post Demetrii ætatem plures habuit episcopos. Recte igitur hunc plures creandi episcopos usum ab Alexandrina Ecclesia ad Æthiopicam, quæ illi suberat, jam ab his temporibus transmissum fuisse inde colligas. Porro autem adversarii ante Demetrii tempora Ecclesiam Æthiopiæ ab Alexandrina originem suam hausisse incertum esse concedunt, quam alii ad eunuchum reginæ Æthiopum, vel ad apostolos Thomam vel Matthæum referendam esse arbitrantur.

Sed hæc ex abundanti dicta sunto. Nam sive unus sive plures in Ægypto et Æthiopia, atque etiam in Scythia fuerint episcopi, nihil inde contra Ignatii nostri doctrinam; multo autem minus contra Epistolarum ejus veritatem confici potest. Et vero diutissime postquam epistolæ Ignatii toti Christiano orbi notissimæ fuerunt, in Scythia aliisque provinciis unus tantum erat episcopus proindeque hunc morem cum doctrina, in tanti martyris epistolis tradita, pugnare persuasum non habebant.

Hinc ruit quod similiter de Germanica Bajoario-

[24] pag. 274. [25] concil. Laod. can. 57. [26] *Histor.* lib. VII, cap. 24.

rum gente, et de Scotis subjunxit Dallæus, nimirum apud Bajoarios, ut Gregorius III, summus pontifex, memorat, nullum ante Vivilonem fuisse episcopum : apud Scotos vero, Beda teste, insulæ Jonæ abbatem presbyterum omni provinciæ, et ipsis etiam episcopis ordine inusitato fuisse præfectum. Nam præterquam quod huic argumento jam responsum est, certe Gregorius III, illud contra « ecclesiasticum ordinem, » Beda autem hoc « more inusitato » peractum esse affirmant. Quid ergo? Dicetne Dallæus ejusque defensor omnia quæ in aliorum auctorum scriptis secundum ordinem ecclesiasticum, et more usitato peragenda esse docebantur, ea Bajoariis et Scotis incognita, proindeque eadem scripta falsa esse et supposititia? Si id sibi persuadere possint, nemini certe æquo rerum æstimatori persuadebunt. Cæterum tametsi Ignatii epistolæ ad Bajoariorum Scotorumque gentem non pervenissent, non illæ tamen, sicuti nec alia omnia Patrum scripta, quæ ad eosdem non transmissa sunt, falsitatis et suppositionis essent arguenda.

CAPUT X.

REFELLITUR ALIUD ARGUMENTUM NEGATIVUM EX AUCTORUM SILENTIO DEDUCTUM.

§ I. *Primum ex Epiphanii silentio.*

Ab Ecclesiarum de Ignatianis epistolis silentio ad quorumdam scriptorum taciturnitatem Dallæus transivit. Sed frustra ille eodem semper argumentorum genere pugnans, caliginem tenebrasque illas offundere conatur, quas luce sua fugat Ignatius. Primo enim Dallæus Epiphanium has litteras ignorasse : « Aut, » ut ipse loquitur, « quod vero propius videtur, contempsisse velut fictas, » ex eo probare se posse arbitratur, quod ubi Epiphanius adversum Aerii de presbyterorum cum episcopis æqualitate errores disputat [27], nullibi unquam has laudaverit Ignatii litteras : « Quibus, » inquit idem Dallæus [28], « nihil est in tota antiquitate adversus illam Aerii opinionem disertius. » Sed contra, certum est Epiphanium hæc scripsisse post vulgatam, quam ille procul dubio legerat, Eusebii historiam, in qua tam honorifica harum Ignatii epistolarum mentio habetur. Non potuerunt ergo illi esse incognitæ. Porro si eas novit, atque ab Ignatio sicuti Eusebius, scriptas credidit, nullus sane dubitandi locus est eximium tanti martyris opus ab eo non modo non spretum, sed ea etiam quæ sanctissimo viro debebatur, veneratione susceptum.

At, inquies, cur ille adversus Aerium earum auctoritate non utitur? Cur etiam, inquimus et nos, adversus alias hæreses tot Patrum scriptis, quibus ea funditus evertebantur, prætermissis, tam paucis ipsemet usus est? Nunquid ea quæ omiserat, ignota habuit, aut contempsit veluti ficta et commentitia? Minime gentium. Ideo igitur neque Ignatii epistolas, neque aliorum plurimorum scripta laudavit, quoniam ex Patrum testimoniis contra hæreticos pugnare mens illi non erat. Et re quidem ipsa, nulla contra Aerium profert, sed duobus tantum Pauli sententiis ab eodem Aerio objectis respondisse legitur.

Instat Dallæus [29] : « Quædam illic ponit Epiphanius, cum Ignatianis apertissime pugnantia, quale illud est quod decernit : A presbyteris et diaconis ecclesiastica negotia impleri, sive administrari posse. Item fuisse quasdam ab apostolis constitutas Ecclesias, quæ a solis presbyteris et diaconis absque episcopo regerentur. Quæ totidem monstra sunt et Ignatii quidem nostri epistolici hierarchicis legibus exserte definientis sine episcopis, presbyteris ac diaconis non vocari Ecclesiam, et necessarium esse nihil sine episcopo operari. » Verum si res ita se habeat, certe Epiphanius omnium hominum imprudentissimus, ubi contra episcoporum præ aliis Ecclesiæ ministris excellentiam disputat, Aerio jugulum ipse præbuit. Quod sane cum dici nequeat, neque etiam dici potest eum scripsisse aliquid, quod cum Ignatii nostri epistolis omnino non congruat et concordet. Et vero in eo qui nobis objicitur loco, Epiphanius objectis ab Aerio Pauli verbis, respondet ibi Apostolum de iis sermonem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ agebantur, quo quidem tempore cum nondum ubique creati essent episcopi, tum a presbyteris vel diaconis ecclesiastica negotia implenda erant et administranda. At Ignatius ab episcopis, quorum numerus sua ætate mirum in modum creverat, eadem negotia voluit administrari. Quod quidem nullibi unquam negavit Epiphanius. Nulla igitur inter eos discordia neque pugna, sed summa utriusque consensio.

§ II. *Num epistolæ Ignatii Tertulliano fuerint incognitæ.*

Plura de Tertulliano congerit Dallæus [30], atque ei ignotas fuisse Ignatii epistolas quatuor adductis rationibus probare nititur. 1. Si Tertullianus eas ab Ignatio rescivisset esse scriptas, contra sancti martyris doctrinam, « sine episcopis et diaconis Ecclesiam non vocari, » illud utique non scripsisset : « Ubi tres, Ecclesia est, licet laici [31]. » 2. Ubi eos a quibus refutatus est Valentinus, enumerat [32], nempe Justinum philosophum et martyrem, Miltiadem, Irenæum et Proculum, nullam de Ignatio, his omnibus antiquiore, mentionem facit. 3. Quibus in locis vehementius disputat contra Marcionem [33], eique ex Joanne apostolo ostendit « præcoquos et abortivos quodammodo Marcionitas fuisse, qui Christum phantasma cum illo vindicarent, » ibi altissimum de Ignatio silentium ; etsi « nemo in primo illo Christianismo neque sæpius, neque acrius phantasticos illos exagitavit. » 4. Tertullianus Montanista factus contra Ignatii sententiam docet [34]

[27] hæres. 75. [28] cap. 7, p. 276. [29] Ibid. [30] cap. 8, p. 77, et seq. [31] *De exhortat. castit.* cap. 7. [32] Lib. *Cont. Valent.*, cap, 5. [33] lib. III *Contra Marcion.*, cap. 6. [34] lib. *De pudicit.*

« omnes post baptismum lapsos, » ad pœnitentiam agendam non admittendos. Orthodoxi quoque qui ibidem Scripturæ sacræ, et libri Hermæ auctoritatem ipsi opponunt, ne unum quidem de Ignatio verbum habent. Ex quibus infert Dallæus et Tertulliano hæretico et Catholicis omnibus latuisse Ignatii epistolas.

Sed hæc futilium inaniumque rationum series est et concatenatio. Salmasius enim vero, Blondellus atque Albertinus, ejusdem cum Dallæo Calvinianæ hæreseos sectatores, has litteras ante Tertulliani ætatem scriptas esse affirmant. Prius ergo Dallæus hanc sodalium suorum debuit confutare opinionem; quippe qua stante, has Ignatii epistolas, quæ cum omnibus communicabantur, in manus Tertulliani pervenire potuisse facile evincitur.

Ad Dallæi autem rationes gradum ut faciamus, quis primam non videat nullam esse et ridiculam: quandoquidem Tertullianus Montanistarum hæresim jam tum amplexatus erat, cum scripsit: « Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. » Quid igitur mirum, si homo hæreticus, qui oppositos sacræ Scripturæ errores docet, contra orthodoxam Ignatii doctrinam scribat et loquatur? Nonne potiori jure quis ita argumentaretur? Tertullianus catholicus eadem ac Ignatius de Ecclesia scripsit. Ergo Ignatii epistolæ Tertulliano non fuerunt incognitæ.

Ad secundam Dallæi rationem respondemus Tertulliano visum esse, ut horum quos citavit Patrum, non plurium auctoritate contra Valentinianos decertaret. Nec sane Dallæo vel ulli jus est cum auctore aliquo expostulare, cur non pluribus armis, vel majori hominum multitudine cum adversariis congrediatur, cui hæc, quibus utitur, ad expugnandos hostes suos sufficiunt. Tertullianus autem eos quos citavit Patres ad debellandos Valentini sectatores sibi satis superque esse, nec alios se citare voluisse non obscure significat, cum de illis sic fatur [35]: « Qui ipsorum hæresiarcharum contemporales instructissimis voluminibus et prodiderunt et retuderunt. » Illos enim scriptores et hæreticis contemporales, et eorum errores instructissimis voluminibus retudisse cum dicat, duas procul dubio suggerit rationes, quibus testimonia eorum sibi sufficere, nec plura desiderari debere aperte pronuntiat.

Tertia Dallæi ratio positis duntaxat ante omnium oculos Tertulliani verbis illico explodituri. Ita enim ille: « Desinat, inquit [36], nunc hæreticus... a Judæo mutuari phantasma vindicans Christum; nisi quod et ista sententia alios habebit auctores præcoquos et abortivos quodammodo Marcionitas, quos apostolus Joannes Antichristos pronuntiavit. » Quis enim ex his facile non intelligat aliud Tertulliani consilium non fuisse, quam ut a Joannis tempore hæreticos Marcionitarum præcursores exstitisse, atque illos ab eodem apostolo damnatos fuisse ostenderet? Nunquid igitur ad id probandum Joannis auctoritas Tertulliano satis non erat, nisi et Ignatius ei adjungeretur?

At vero, inquit Dallæus, nec in reliquo illo opere Tertullianus ullam Ignatii facit mentionem. Quid inde? Nullum etiam alium nominat, neque tamen idcirco Tertullianum opera aliorum, qui hunc errorem antiquissimum confutarunt, ignorasse, atque adeo nulla unquam fuisse credendum est.

Ultima Dallæi ratio non majoris est ponderis. Tertullianus enim, cum ea quæ objiciuntur scriberet, hæreticus erat, ac proinde, uti jam monuimus, catholicam Ignatii doctrinam sibi omnino adversam in medium producendam esse non putavit. Quod autem ad orthodoxos attinet, potuerunt quidem contra Tertulliani errores auctoritate Ignatii pugnare: sed cum eorum scripta non exstent, nihil hac de re a quoquam definiri potest. Neque enim ullus Tertullianum omnia sibi ab orthodoxis objecta fideliter retulisse, iisque omnibus respondisse, certo affirmaverit. Et re quidem ipsa pauca quædam fuisse ab eo selecta vero prorsus videtur simillimum.

Urget Dallæus, cur ille Hermæ, non vero Ignatii, citavit librum? Instamus et nos, cur non etiam aliorum? Porro respondemus ideo Hermam ab illo citari vel quia libri ejus in sacrum Scripturarum canonem a quibusdam ascribebantur, vel ob eam potissimum quam eodem in libro reddidit rationem [37], quia Scriptura est « quæ sola mœchos amat. » Ab eo quippe de mœchis utrum ad pœnitentiam admittendi essent, quæstio movebatur. Hæc ergo Scriptura, quæ a Tertulliano sola mœchos amare dicitur, sola ab eo laudari debuit.

§ III. *Num Caio etiam et Clementi Alexandrino incognitæ fuerint.*

Caio quoque ignotas fuisse Ignatii nostri epistolas ut probaret Dallæus, protulit [38] ejusdem Caii fragmentum, ab Eusebio transcriptum [39], ubi ex antiquis Patribus contra hæresim Artemonis, Christum merum hominem esse delirantis, sic ille disputat: « Ac fortasse id quod dicunt credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinæ Scripturæ, fratrum quorumdam scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus gentes, et contra sui temporis hæreticos pro veritatis defensione scripserunt, Justinum intelligo, et Miltiadem, et Tatianum, ac Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum libris Christi divinitas asseritur. Nam Irenæi quidem, et Melitonis, et reliquorum scripta, quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum simul ac hominem prædicarunt? » Atqui, inquit Dallæus, si Caius epistolas quas defendimus, ubi Artemonis hæresis splendide confutatur, ab Ignatio profectas esse rescivisset, eis procul dubio primum in hoc

[35] loc. cit. [36] Ibid. [37] lib. *De pudicit.*, cap. 10. [38] cap. 9, pag. 280. [39] Euseb., lib. v, cap. 28.

fragmento dedisset locum. Verum ut omittamus Caium postquam hæ Ignatii epistolæ, juxta Salmasii, Blondelli et Albertini, diximus, opinionem in vulgus prodierant, tertio floruisse sæculo; respondemus hac argumentatione nihil posse confici nisi prius Caium ad Ignatii nostri citandas epistolas necessitate aliqua adactum fuisse demonstretur. At cum ille, paucis scriptoribus commemoratis, alios quamplurimos se prætermisisse testetur, nulla omnino ad eas laudandas necessitate se compulsum fuisse apertissime significat.

Instat Dallæanus defensor: Ignatius omnium quia a Caio memorantur antiquior et celebrior erat: ergo ab eo debuit citari. Sed falsa est ex vero antecedente deducta consequentia. Neque enim Caius dixit se scriptores omnium antiquiores et celebriores appellasse; sed » fratrum quorumdam scripta, Victoris ætate antiquiora.» At certe data opera addidit « quorumdam; » ut hoc verbo inter eos quos omisit, plures fuisse iis, quos laudavit, antiquiores et celebriores, nemo inficiaretur. Caius igitur non magis epistolas Ignatii quam aliorum scripta, quæ non citavit, ignorasse dicendus est.

« Idem judicandum de Clemente Alexandrino, » prosequitur Dallæus [40]. Si idem judicandum de Clemente, jam ipsemet Dallæus causa sua cecidit. Ipsum tamen audiamus. Ait itaque Clementem vetustissimum esse et doctissimum secundi sæculi præcipitis scriptorem. Id et nos verissimum esse dicimus. Ait rursus eum pro immensa sua eruditione plurimos auctores, cum gentiles, tum Christianos passim laudasse. De gentilibus quidem non refragabimur, sed longe plures Christianos ab eo prætermissos, quam citatos contendimus. Quomodo tamen cumque se res habeat, quid inde contra Ignatii nostri epistolas? « Certe, inquit Dallæus, ubi tradit hæreticorum sectas Adriani Augusti temporibus coalescere cæpisse, opportunus erat locus Ignatiana commemorandi, » quorum ibi ne meminit quidem. Quid ergo? Quoties scriptori opportunus fuit locus Ignatiana commemorandi, toties eorum si non meminit, nec illi cognita, nec ab Ignatio scripta esse pronuntiabitur? Mira sane argumentandi ratio. Seu mirabilius profecto quem Dallæus opportunum Clementi Ignatiana commemorandi locum assignaverit. « Ignatianas epistolas,» verba Dallæi sunt, « suæ traditioni repugnantes si scivisset, vel eas refutasset, vel suam ipse traditionem ad earum normam correxisset.» Novum plane et inauditum argumenti negativi genus! Nunquid ut sanctissimi alicujus scriptoris sententia refellatur, ille nomine suo appellandus est? Imo ut prudentius securiusque Ignatius confutaretur, celeberrimo illius nomini parcendum erat.

Saltem Clemens ad Ignatii normam, urget Dallæus, traditionem suam correxisset. Neque hoc magis necessarium. Potuit enim Clemens alicubi, vel errore vel incogitantia vel memoriæ lapsu ab Ignatii opinione recedere. Porro autem ille ipse quem Dallæus virum summæ eruditionis merito nominat, nescire non poterat plures ab initio nascentis Ecclesiæ ortas hæreses. Quapropter in illo opportuno, sicuti loquitur Dallæus, loco non aliud animo intendebat Clemens, quam ut eos de quibus disserit hæreticos, non tantæ, quantum ii jactitabant, antiquitatis fuisse ostenderet. Ad id autem probandum necessaria non erat Ignatii nostri auctoritas.

Atque hic terminatur negativum adversariorum argumentum, e scriptorum de Ignatii epistolis silentio petitum; quod magno quidem verborum apparatu, miraque inutilium argutiarum pompa venditant; sed nullo rationum pondere, nulla plane valida et firma probatione tuentur ac defendunt. Nos e contrario argumentis affirmativis, ab scriptorum nobilissimorum auctoritate desumptis, hanc primam epistolarum classem Ignatio nostro, uti, arbitramur, invictissime vindicavimus.

CAPUT XI.

PROBATUR EX IPSIS EPISTOLIS IGNATIUM ANTIOCHENUM EARUM VERE ESSE AUCTOREM.

§ I. *Primum argumentum*

Has porro Ignatii epistolas non sola præstantissimorum auctorum testimonia ipsi certissime vindicant; sed ipsæmet etiam epistolæ se ab eodem sanctissimo martyre scriptas esse palam aperteque testificantur. In iis enim verus genuinusque viri apostolici, divino igne inflammati, atque ad martyrium incredibili ardore properantis stylus ubique micat, et ab omnibus facile agnoscitur. Modus etiam ipse quo litteræ exaratæ sunt, errores, hæresesque in eis impugnatæ, doctrina sive morum, sive fidei Christianæ ibi tradita, cætera denique omnia non alium quam virum inter apostolorum discipulos sanctissimum, inter sanctissimos martyres celeberrimum, inter celeberrimos primosque Ecclesiæ præsules præstantissimum, uno verbo ipsummet Ignatium designant, demonstrant, produntque auctorem. Id quidem longa inductione probare non suscepimus, quod sola, quam dedimus, harum epistolarum analysi planum fit omnibus, omninoque perspicuum. Verumtamen Dallæus in illis e contrario auctorem Ignatio longe posteriorem esse deprehendisse putat; idque non minus quam sexaginta rationibus probare conatur. Sed cum plurimæ ad Ignatianarum epistolarum interpolationes, vel ad epistolas Ignatio perperam ascriptas pertineant, his prætermissis, ad eas tantum quæ ad solam genuinarum illius litterarum classem spectant, respondendum esse credidimus.

§ II. *Secundum argumentum.*

Verum ante omnia operæ pretium est observare omnes Dallæi defensorumque ejus objectiones, ex

[40] cap. 9, p. 280.

iis quæ supra retulimus, Patrum testimoniis jam esse funditus eversas. Polycarpus namque, Irenæus et Origenes nihil in his litteris animadverterunt, quod Ignatii ingenio, moribus et ætati omnino non congrueret. Si vero pressius cum adversariis agamus, illud idem ex iis quæ ipsi verissima esse concedunt, invictissime demonstrabimus. Fatentur enim has epistolas Eusebio, Athanasio, Hieronymo, Theodorcto, aliisque innumeris scriptoribus et notissimas fuisse, et Ignatio attributas. At si in iis tam paucis atque adeo brevibus epistolis tanta, ut adversarii contendunt, esse rationum cum Ignatii ingenio, moribus et sæculo pugnantium multitudo, fieri sane non potuit ut eæ omnes tot viros eruditissimos, acutissimos, diligentissimosque fugerint, atque in illorum animos de earumdem epistolarum suppositione ne minimum quidem scrupulum ullamve injecerint suspicionem. Et quamvis omnes cæcitate perculsi fuissent, fieri saltem non potuit ut Eusebius ab Ignatii tempore non adeo remotus, Historiam suam ex antiquis Patrum monumentis concinnando, ea non viderit, quæ moribus rebusque omnibus Ignatii tempore usitatis, tantopere adversabantur. Dicendum igitur quod cum Eusebius, aliique omnes in his epistolis nihil non Ignatianum deprehenderint, nihil revera in iis esse quod ab Ignatio scriptum non fuerit.

CAPUT XII.

OBJECTIONES DALLÆI EX HÆRETICIS ET HÆRESIBUS, AB IGNATIO COMMEMORATIS, PETITÆ SOLVUNTUR.

§ I. *Objectio ex Saturnili hæresi petita solvitur.*

Sequamur tamen Dallæum, ejusque defensorem, atque eos ubique aberrantes in veritatis viam, si fieri possit, reducere satagamus. Prima itaque Dallæi ratio desumitur ex iis, quæ in Ignatii epistolis notantur, sive hæresibus sive hæreticis, quos post illius mortem exortos fuisse cum putet, inde has epistolas ab Ignatio scribi minime potuisse inducit. Has autem inter hæreses Dallæus errorem Saturnili, qui Christum *putative tantum visum fuisse* garriebat, impugnari acriter contendit [41]. Verum tam infirma est hæc Dallæi conjectura, ut defensor illius aperte et ingenue dicat [42]: «Quæ in illo,» scilicet Dallæo, «observantur vel Vindiciarum auctorem, » nempe Pearsonium, « non tangunt, vel tanti non sunt momenti, ut nos detinere debeant.» Et re- D quidem ipsa Ignatiano telo non Saturnilus, aut aliquis Ignatio posterior hæreticus, sed Menandriani vel Ebionitæ, vel Cerinthiani configuntur.

§ II. *Objectio ex Valentinianorum Sige petita proponitur.*

Maximum igitur et palmarium Dallæi ea de re argumentum ducitur ex hac Ignatii nostri sententia [43]: « Unus est Deus, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ipsius, qui est ipsius Verbum A tæernum, non a silentio progrediens. » Omnis vero difficultas in his verbis posita est : « non a silentio progrediens : » οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Hæc enim, uti aiunt [44], verba feriunt Valentinum, Ignatio posteriorem, qui ex Sige ortum Logon docebat. Quod quidem, inquiunt, cum nullus ante eum somniasse memoretur, illud ab ignatio argui nullo unquam modo potuit. Quod si respondeas Valentinum errores suos a Gnosticis hausisse, concedunt quidem Dallæani [45] : «Ipsam rerum silvam atque materiam, ex qua Valentinus sua composuit, jam apud vetustiores partim Gnosticos hæreticos, partim etiam poetas, aut philosophos ethnicos fuisse.» Sed contendunt novam aliquam inter Gnosticos sectam a Valentino fabricatam, cujus hæc peculiaris, qua a cæteris discriminabatur, opinio erat : « Logon a B Sige ortum vel immediate, » ut a matre filium ; vel mediate, « ut ab avia nepotem. » Quam sane ob causam Irenæus, sicuti opinantur, tradidit [46], « Valentinum veteres doctrinas in proprium characterem transtulisse.» Denique audacter affirmant hæc a Gnosticorum aliquo si scripta sint, illum in Valentini schola fuisse edoctum.

§ III. *Solvitur superior objectio, ac primo ostenditur incertum esse utrum Valentinus post Ignatii tempora errores suos disseminare cæperit.*

Atque hoc præcipuum est adversariorum argumentum, quod mira ostentatione invictissimum esse jactitant. Verum Moynius, ejusdem cum Dallæo Calvinianæ sectæ minister, illud adeo leve ac im- C becillum esse judicavit, ut nullam inde difficultatem creari posse ultro fateatur. Et certe hoc probatio perperam ab eis venditata, variis refellitur rationibus, quarum unaquæque ad eam penitus destruendam sola sufficit. Verum enim vero incertum primo est num Valentinus Ignatii tempore non vixerit, tuncque cæperit errores disseminare suos. Irenæus siquidem, qui Valentinum probe noverat, quique jam ab Eleutherii papæ ætate, id est, intra annos 177 et 192, ejusdem Valentini hæresim confutarat, de eo hæc memoriæ prodidit [47] : «Valentinus venit Romam sub Hygino, incrivit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. » Hyginus [48] autem juxta vulgarem opinionem ab anno 152 ad annum 156, vel juxta emendatiorem Henschenii et Papebrochii catalegum Romanorum pontificum ab anno 138 ad annum 150, Romanæ Ecclesiæ tenuit gubernaculum. Eusebius vero qui in historia sua Irenæum secutus est, in Chronico hæc habet ad annum 142 [49]. « Sub Hygino Romanæ urbis episcopo Valentinus hæresiarches et Cerdo magister Marcionis Romam venerunt. » Et ad annum 146 : « Valentinus hæreticus agnoscitur, et permanet usque ad Anicetum. » Porro autem Valentinum, antequam Romam adventaret, errores suos spargere cœpisse vero plane simillimum videtur.

[41] cap. 11, p. 291. [42] pag. 157. [43] Epist. *ad Magnes.* [44] Dall. cap. 12, p. 293. [45] pag. 303 [46] lib. II *adv. Valent.*, cap. 5. [47] Iren. Prolog. in lib. IV *adv. Valent.* [48] lib. III *adv. Valent.*, c. 8. [49] *Hist* lib. IV, cap. 11.

Nam idem Valentinus ab iis, qui Irenæum præcesserant, jam fuerat confutatus, ut ipsemet Irenæus ibidem testificatur [50]: « Quapropter hi qui ante non fuerunt, et multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his, qui sunt a Valentino ; quia ignorabant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi tradimus. » Et de Polycarpo alibi scribit [51] : « Is enim est, qui sub Aniceto cum advenisset in urbem, multos ex his, quos prædiximus, hæreticos, » Valentinum nempe et Marcionem, « convertit in Ecclesiam Dei. » Utrum autem diu ante tempora Hygini Valentinus incœperit suam publicare hæresim, nihil a quoquam indubitatum statui unquam potuit.

Urgent tamen ex citato Eusebii Chronico Valentinum anno tantum 146 agnitum. Ergo inferunt, antea nec agnitus erat, nec proinde suos ullibi sparserat errores. Sed quamvis hæc ex eo urgere non deberent Chronico, in quo menda esse prædicant ; dicimus tamen in hujuscemodi scriptis verbum, *agnoscitur*, non ita accipiendum esse, ac si unquam antea hæreticus ille a quoquam agnitus fuisset : sed nihil aliud significare, quam illum qui privatim et sensim sine sensu errorum suorum venena prius propinaverat, jam apertissime ea spargentem ab omnibus agnitum.

At, inquiunt, Valentinus, teste Tertulliano, sub supremo Eleutherii pontificatu, id est, ut diximus, circa annum 180, Romæ adhuc commorabatur. Unde concludunt illum Ignatii tempore aut inter vivos, aut saltem inter pravos hæreseum doctores non potuisse annumerari. Sed in Tertulliani libris describendis erratum fuit, vel ipse errasse censendus est. Irenæus quippe diligentissimus errorum Valentini investigator, in suo, quem sub eodem Eleutherio summo pontifice composuit, libro, asseverat Valentinum tantummodo usque ad Anicetum tempus Romæ prorogasse, id est non vixisse, aut ibi non comparuisse amplius. Huic Irenæi sententiæ subscripsit Eusebius, scriptor oculatissimus. Ex quibus recte concluditur obscurum esse, omninoque incertum num Valentinus Ignatii nostri tempore errores aliquos non sparserit in vulgus.

§ IV. *Valentinianos hunc de Sige errorem a Gnosticis hausisse.*

Fac tamen Valentinum Ignatio fuisse posteriorem, quid inde contra sanctissimi martyris epistolas, si Valentinus hanc de Logo a Sige orto hæresim ad hæreticis vetustioribus hausit, quam in eis damnat Ignatius ? Concedit autem Dalleus, uti a nobis supra observatum est [52], « ipsam rerum silvam atque materiam, ex qua Valentinus sua composuit, jam apud vetustiores, partim Gnosticos hæreticos, partim etiam poetas, aut philosophos ethnicos fuisse. Quid ergo novi protulit Valentinus ? Respondet Dallæus illum huic silvæ ac materiæ novam dedisse formam, dispositionem et ordinem ; quibus, inquit, et secta ejus a cæteris omnibus recte distincta est, et ille ab Irenæo jure traditur [53], antiquas in suum characterem transtulisse. Sed quænam, amabo te, est illa Valentina forma ? Non ea quidem sita est in verbis, Nus, Logos, vel Sige ; quandoquidem « Patrem innatum, inquit Dallæus [54], et Nun, et Logon apud Basilidem, et Sigen apud Antiphanem poetam invenio. » Quænam est ergo illa forma ? « Logon e Sige ortum, prosequitur Dallæus [55], apud neutrum invenio. Ea rerum dispositio apud unum Valentinum ejusque discipulos exstat. »

Sed Dallæus ea profecto, quæ paulo post ipsemet retulit, Irenæi verba non satis attente legerat. Irenæus etenim ibi de Antiphane poeta sic disserit [56] : « Unde et ipsi, Valentiniani, sibi assumentes fabulam..... solummodo demutantes eorum nomina, idipsum autem universorum generationis initium, et emissionem ostendentes, pro nocte et silentio Bithon et Sigen nominantes..... ac pro primis et maximis diis æonas formaverunt, et pro secundis diis eam, quæ extra pleromatis ipsorum enarrant, dispositionem. » Quid vero quod Valentiniani has primorum deorum ac æonum generationes, emissiones et ortus non a paganis tantum, sed etiam ab hæreticis, eodem Irenæo teste, delibaverant ? Ipse enim paulo supra scriptis tradiderat : « Hæc autem quæ dicta sunt de sensu emissionis, similiter et adversus eos, qui a Basilide sunt, adversus reliquos Gnosticos, a quibus hi initia emissionum accipientes, » etc. Atqui illas inter deorum ac æonum emissiones, sive primas, sive secundas, debuit procul dubio esse Logos e Sige ortus. Valentiniani ergo illum Logos ortum non secus ac reliquas deorum suorum emissiones ab ethnicis atque hæreticis mutuati sunt.

Neque vero ibi sistit Irenæus, sed ipse eodem in loco addidit : « De ea autem quæ est ex his secunda emissione hominis et Ecclesiæ ipsi patres eorum falso cognominati Gnostici impugnant adversus invicem, sua propria vindicantes, et malos fures se esse convincentes. » Quid autem hæc verba aliud significant, quam Valentinianorum patres fuisse Gnosticos a quibus illi non primam solum, sed etiam enim ob causam puri merique Gnostici Valentinum ejusque sectatores, eo quod in patrum suorum doctrina et placitis plurima immutassent, « malos feres esse » convincebant. Contra vero Valentiniani illos sui temporis Gnosticos earumdem incusabant immutationum. Quo certe ex dissidio atque conflictu aperte colligitur utrosque et valentinianios et posteriores Gnosticos ab antiquioribus Gnosticis non silvam duntaxat et materiam, sed deorum æonumque ortus hausisse et emissiones.

Respondet Dallæanus defensor non Gnosticos,

[50] Prolog. in lib. IV *adv. Valent.* [51] lib. III *adv. Valent.* cap. 3. [52] pag. 303. [53] lib. I *adv. Valent.*, cap. 5. [54] pag. 303. [55] Ibid. [56] lib. II *adv Valent.*, cap. 19.

sed Valentini discipulos has doctrinarum suarum sibi invicem exprobrasse et objecisse mutationes. Sed ipsum eorum, quæ cum Dallæo paulo ante dixerat, oportebat esse memorem. Nam ille non secus ac Dallæus Valentinum Romæ Eleutherii Papæ tempore, quo Irenæus hunc, quem citamus, librum edidit, commoratum fuisse pertinacissime asseverat. Atqui si Irenæus eo in libro memoriæ prodidit discipulorum Valentini patres fuisse alios ejusdem Valentini discipulos, ita ut Valentinus nepotes tunc haberet, de variis doctrinæ suæ, quæ ab eis factæ fuerant, immutationibus acerrime disputantes; hinc planum perspicuumque fiet Valentinum, ut supra dicebamus, ipso Eleutherii pontificatu, esse longe antiquiorem. Quod cum a Dallæanis præfracte negetur, illud ab Irenæo scriptum non fuisse ipsi fateantur necesse est.

At, inquies, quænam igitur erat Valentinianæ sectæ forma peculiaris et propria? Respondemus eam esse, quæ Irenæi verbis, a nobis jam relatis, designatur: « Demutantes nomina, et pro primis et maximis diis æonas formaverunt, et pro secundis diis eam, quæ extra pleromatis ipsorum enarrant, dispositionem. » Atque iis nominibus novos forsitan addiderunt, vel immutaverunt emissionum et ortuum ordines. Cæterum ad novam inter hæreticos, maxime vero Valentinianos, condendam sectam non magna doctrinæ immutatio requirebatur, ut ex iis, quæ de Ptolomæo narrat Augustinus [57], quivis facile intelligat: « Ptolomæus, inquit, discipulus Valentini hæresim novam condere cupiens, quatuor æonas, et alios quatuor asserere maluit. » Si hæc sola mutatio novam inter Valentinianos sectam creavit, frustra in inquirenda nova Valentinianæ sectæ forma desudat Dallæus, quæ in superioribus Irenæi verbis facile agnoscitur.

Neque erat quod ultra illa objiceret [58] scriptum a Tertulliano [59] ante Marcionem, et Apellem, et antequam Valentinus æonas suos prædicasset, neminem docuisse alium esse Deum creatorem. Ex quo inferebat idem Dallæus Valentinum nihil ab antiquis esse mutuatum. Nam ante Valentini tempora hanc impietatem a Basilide, Saturnilo, atque Gnosticis antiquioribus disseminatum fuisse ita certum est, ut Dallæi defensor illum hac in re penitus deserere, erroremque illius, quem celare amplius non poterat, aliquando tandem confiteri coactus sit [60].

§ V. *Ignatium ad Valentinianos nullo modo respexisse, sed ad Ebionitas.*

Porro quæcunque illa fuerit sectæ Valentinianorum forma, errorque peculiaris et proprius, ad eos Ignatius nullomodo collineavit, multoque minus eos, ut ait Dallæus, « apertissime cædit. » Illud autem ex eo clare demonstratur, quod quamvis Dallæus nulli pepercerit labori, ut omnia quæ his Ignatii dictis: « Verbum a silentio progrediens, » præponuntur, ea cum Valentinianorum erroribus, fabulis, et deliratione omnino cohærere ostenderet; ille tamen de præcipuo quod ibidem ab Ignatio tractatur, argumento, nimirum vitam nostram « secundum Judaismum » non esse instituendam, ne ullum quidem verbum fecit. Unde ergo tam altum Dallæi defensorumque ejus hac de re silentium? Nulla certe alia illius causa fuit, nisi quia Valentiniani hoc de argumento eadem ac Ignatius, cæterique omnes orthodoxi sentirent. Jam vero cum res procul dubio ita se habeat, ab adversariis postulamus, num alicui probabile fiet Ignatium ad refellendos Valentinianos ibi animum appulisse, ubi errorem ab hæresi Valentiniana omnino alienum, et rationibus ad eam nullo modo spectantibus impugnabat. Præterea vero illud quod objiciunt ab Ignatio dictum « Verbum a silentio progrediens; » ibi unius momenti et argumentationis, qua legem Mosaicam non amplius servandam esse Ignatius probat, partem constituunt. Cum ergo tota illa argumentatio ad Valentinianos non spectet; neque unam ejus partem ad eos respexisse certum videtur.

Sed age, rem ipsam accurate inspiciamus. Dicit Dallæus Valentinianos docuisse in ficta æonum suorum genealogia, « ex Sige eductum Logon vel immediate, ut a matre filium; vel mediate ut ab avia nepotem. » Sed ille hac disjunctiva conjunctione, « immediate vel mediate » non sine dolo utitur: ut ea nimirum fraude Valentinianos ab auctore nostro impugnatos incautis et simplicioribus persuaderet. Nam Valentiniani nunquam ex Sige Logon *immediate* eductum docuisse perhibentur. Hæc igitur disjunctionis Dallæanæ pars *immediate*, e medio tollenda est. Irenæus enimvero, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, atque alii, qui de Valentiniana hæresi disseruere, tradunt inter fictos Valentinianorum deos, et utriusque sexus æonas, primos fuisse Bithon et Sigen, seu silentium, et ex eorum conjugio processisse Nun et Veritatem, atque ex istis deinde processisse Verbum seu Logon, et Vitam. Ex quibus luce meridiana clarius est eos nihil aliud dixisse, quam Logon processisse tantum *mediate* ex Sige, tanquam ab avia filium. Quis autem in animum sibi inducat, Ignatium ubi alios quam Valentinianorum errores refellit, ad eos tamen, eosque solos respexisse, cum: « Verbum non a silentio progrediens, » nec plura ad eos spectantia ibidem scriberet? Cur a filio ad aviam nullo medio transivit? Cur nec de patre, nec de matre, nec de fictis aliorum æonum conjugiis, parentibus, filiis ne unum quidem habuit verbum? Ratio sane in promptu est, et cuivis æquo rerum æstimatori obvia, Ignatium nempe cum suam dedit epistolam, nihil de Valentinianis cogitasse.

[57] lib. I *De hæres.* [58] cap. 12, p. 298] [59] *De præscript.*, cap. 34. [60] pag. 214.

At si perspicuum est Ignatium ad Valentinianos non collineasse, certe manifeste apparet Ebionitas ab eo impugnari. Id Moynio, ultimo qui hac de re scripsit, licet Calvinianæ sectæ ministro, adeo persuasum erat, ut hanc Dallæi objectionem, sicuti supra memorabamus, nullius vel minimi sane momenti esse palam meritoque pronuntiaverit. Verum enimvero certum est Ignatium contra eos pugnare, qui legem Mosaicam servandam esse affirmabant. Illos enim his verbis aggreditur : « Non erretis extraneis opinionibus, neque fabulis veteribus, inutilibus exsistentibus. Si enim usque nunc secundum Judaismum vivimus, confitemur gratiam non accepisse. » Atqui certissimum est hunc errorem de vita ad Judaismi normam agenda ab Ebionitis fuisse assertum. Id quippe ex omnibus, qui de his hæreticis aliquid memoriæ tradiderunt, liquido colligimus, præsertim ex Irenæo [61], Augustino [62], atque Epiphanio, cujus solius verba hic referre sufficiat [63], « Ebion, inquit, Judæorum ritus ac cæremonias amplexus, veluti Sabbatum ac circumcisionem, aliaque id genus perinde atque Judæis ac Samaritanis observatum. » Quo autem modo eos Ignatius refellat, verbaque a Dallæanis nobis objecta, ibidem adhibeat, audiamus : « Divinissimi enim prophetæ, » sic ille prosequitur, « secundum Christum Jesum vixerunt. Propter hoc et persecutionem passi sunt, inspirati a gratia ipsius ad certificare* impersuasos, quoniam unus Deus est, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum, Filium ejus, qui est *Verbum æternum, non a silentio progrediens*, qui secundum omnia bene placuit mittenti ipsum. Si igitur in veteribus conversati, in novitatem spei venerunt, » etc. Ex quibus hanc elicit conclusionem, non amplius ex Judaicæ, sed Christianæ legis præscripto vitam esse instituendam. Porro hoc Ignatii telo duo Ebionitarum errores configuntur, quorum altero homines legis veteris observatione volebant adhuc teneri : altero autem Christum non Deum, sed merum hominem esse garriebant. Hunc vero postremum errorem Ignatius inde confutabat, quod prophetæ divina afflati gratia, secundum Christi præcepta vixerant, quem Verbum æternum esse profitebantur. Quam quidem Verbi æternitatem ut ille clarius brevisque exponeret, dixit illud esse « Verbum æternum, non a silentio progrediens, » id est quod cum silentio posterius non fuerit, semper a Patre æterno est prolatum ; ac proinde ejusdem cum eo æternitatis sit omnino necesse est. Hunc Porro Ignatii verborum verum esse sensum inde confirmari potest, quod ad idem significandum simili ac pene eodem loquendi modo postea usi sunt auctor sermonis Augustino quondam ascripti [64] : « Verbum, inquit, quod dicturus ante non silebat, quo dicto non siluit. Quod est verbum sine tempore. » Et Fulgentius [65] ; « Verbum nullo unquam potuit coerceri silentio, quia ipsa est Patris sempiterna locutio. »

Contra tamen Dallæus : Si hæc verba, « non a silentio progrediens, » exponunt Verbum æternum, « plane otiosa, inquit, esset Ignatii oratio, et vitiosa : » otiosa, quoniam, « si Verbum est æternum, eo ipso non cœpit a silentio : » vitiosa, quia « nemo non videt rectius » clariusque dici Verbum Patris æternum « esse, quam id a silentio, aut post silentium cœpisse. » Sed hæ vanæ sunt hominis frustra litigantis argutiæ. Si enim otiosa esset, vel vitiosa hujuscemodi oratio, innumeræ Patrum orationes, quibus obscuras dictiones aliis clarioribus explicare conantur, iisdem notis essent inurendæ. Cæterum apte omnino atque apposite rei alicujus æternitas eo declaratur, quod eam nihil unquam præcesserit. Quod quidem si cui rei conveniat, illud certe verbo ac sermoni, natura sua fluido et transeunti, quodque post silentium semper incipere arbitramur, aptissime congruit. Quapropter Ignatius nec brevius nec convenientius poterat Verbi æternitatem, seu *Verbum æternum*, explicare, quam cum illud omni silentio prius esse, nec a silentio progredi asseruit. Et vero auctores, a nobis supra citati, eamdem Verbi æternitatem eodem loquendi modo explicuere : « Verbum, inquiunt, quod dicturus ante non silebat. Verbum quod nullo unquam potuit coerceri silentio. »

His rursum opponit Dallæus Ignatium non dixisse μετὰ τὴν σιγήν, post silentium, sed ἀπὸ τῆς σιγῆς προελθόν, « a silentio progrediens. » Quod, inquit ille, denotat « locum, causam, vel certe principium, ut scholæ loquuntur, constitutivum fuisse silentium, non simpliciter terminum a quo cœperit generatio. » Atqui, prosequitur idem Dallæus, hoc non silentio potest attribui, sed Valentinianorum Sige, uni ex fictis eorum diis seu æonibus, ex quo Logon « mediate vel immediate » productum fuisse delirabant. Verum puduit Dallæi defensorem, quod ille ad scholas, quas sæpius irridet et explodit, quæque tria rerum principia materiam, formam, et privationem, quidni et silentium, admittunt, tam inepte nos remiserit. Et certe si ad grammaticorum, non secus ac philosophorum scholas rediisset Dallæus, ibi profecto didicisset eumdem sæpius horum verborum μετὰ τὴν σιγήν atque ἀπὸ τῆς σιγῆς esse sensum, eamdemque significationem ; proindeque Ignatium potuisse utroque indiscriminatim uti loquendi modo. Cæterum Ignatius in his epistolis clam cursimque a se conscriptis non verbis arte scholarumque methodo compositis atque aptatis, sed iis quæ amor vere divinus at incredibilis martyrii ardor suggerebat, usus est.

Instat denique Dallæi defensor hæreticos quos Ignatius hacce in epistola confutat, eos esse « qui Christi mortem negabant, et Jesum a Christo separabant, et utrumque a Verbo dividebant, quod in

[61] lib. 1 *advers. hæres.*, cap. 26. [62] lib. *De hæres.*, cep. 6. [63] hæres. 30, § 2. [64] Apud Augustinum, serm. 369, alim serm. 1 *de Nativit.* [65] lib. 1 *ad Trasimund.*, cap. 18.

Ebionæos cadere non potest. » Futilis profecto et vana est hæc Dallæi defensio. Neque enim Ignatius hos errores ea in epistola confutasse legitur. Deinde nullus negaverit plures in eadem epistola errores potuisse ab Ignatio refelli. Dallæano igitur defensori probandum erat hæreticos in illo, quem Dallæus objecit, loco ab Ignatio nostro confutatos, eos esse qui, quos ipse recensuit, errores propugnabant. Quod certe nec ille alius quisquam demonstrare unquam poterit.

Cæterum si quis alios ab Ebionitis hæreticos objectis Ignatii verbis refelli invicte probaverit, huic penitus non repugnabimus, modo iis sanctissimum illum martyrem ad Valentinianos ipso posteriores, non respexisse fateatur.

§ VI. *Alia explicatio verborum Ignatii proponitur.*

His omnibus ad varias adversariorum nostrorum argumentationes et sophismata responsis, illud insuper possumus adjicere, hanc Ignatii sententiam : « Verbum æternum non a silentio progrediens, » idcirco ab eo hac in epistola scriptam videri, quia ibi duo Christi mysteria fuisse docebat, alia quidem obscura, in tenebris ac silentio ab eo patrata ; unde ipse : « Et latuit principem sæculi hujus, inquiebat, virginitas Mariæ, et partus ipsius, et mors Domini, tria mysteria clamoris, quæ in silentio operata seu patrata sunt. » Alia vero luminosa, luce ac splendore suo fulgentia et micantia. Tale erat mysterium generationis ejus æternæ, ab antiquis Patribus et prophetis agnitum atque annuntiatum, de quo Psalmista cecinit : *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te* [76]. Potuit itaque Ignatius, cum suam daret epistolam, ad hæc Psalmistæ verba attendens, scribere : « Verbum æternum non a silentio progrediens. » id est Verbum æternum e divino æterni Patris sinu in silentio, vel ulla tenebrarum obscuritate et caligine progrediens, sed in splendoribus sanctorum ex ejus utero genitum. Quo quidem loquendi modo ipse eo lubentius usus est, quod inde non solum divinum Verbi splendorem, sed illius etiam æternitatem, quam nihil omnino præcessisset, evidentius demonstrabat. Nihil ergo in hac locutione occurrit, quod non sit vere Ignatianum, et a tanto martyre in epistola, quam ipsemet scripsit, recte apteque exaratum et traditum.

CAPUT XIII.

NULLA ESSE IN HIS EPISTOLIS PRÆTER TEMPORUM FIDEM PERPERAM FICTA.

§ I. *Quam inconsiderate Dallæus objectiones suas multiplicaverit : et primæ respondetur.*

De hæresibus atque hæreticis, quos in Ignatii epistolis nostri notatos esse putat, hæc Dallæus cum dixisset, ad alia progreditur, contenditque in iisdem litteris multa esse alia præter temporum fidem perperam ficta [67]. Horum autem sic perperam fictorum non minus quam undecim in uno eodemque capite profert exempla. Sed ex his undecim exemplis quatuor tantum ad eas, de quibus agimus, pertinent epistolas : cætera falsas suppositasque spectant, vel genuinarum interpolationes. Ex his autem quatuor exemplis quæ ad genuinas epistolas pertinent, Dallæus in tribus a suo defensore penitus deseritur, qui uno tantum in articulo illum tueri conatus est. Dallæum tamen de his quatuor, ne quid intactum reliquisse accusemur, disputantem audiamus.

Primum itaque Dallæi argumentum ex his verbis petitur : « Et supercœlestia, et gloria angelorum, et principes visibiles [68], » etc., unde sic arguit : « Quod hic de principibus visibilibus scriptor ideo fortasse dixerat, quod ejus ævo aliqua jam erat de Constantii, vel Constantini ejus filii, vel Christianismo vel ad Christianismum propensione sparsa fama. » De hoc Dallæi argumento sic pronuntiat ejus defensor [69] : « Sed hunc locum obiter tangit Dallæus ; illum proferre contentus, nequaquam urget. » At sane illum non solum non urgere, sed nec proferre unquam debuisset. Non enim verbum ἄρχοντες, quod magistratus quoslibet ac principes significat, ibi Constantium vel Constantinum potius, quam quosvis alios principes designare potuit.

§ II. *Secundæ et tertiæ objectioni respondetur.*

Secundum Dallæi argumentum ex his desumitur verbis : « Vinctus decem leopardis [70] ; » quo leopardorum nomine quemdam Romanorum militum ordinem, qui auctoris nostri tempore in usu esse desierat, denotari arbitratus est : « Sed quando, inquit ejus defensor [71], his solis verbis nititur Dallæi argumentum, nullisque veteris scriptoris fultum est testimonio, non usquequaque solidum mihi videtur. » Bochartus autem inde argumentum Dallæano [72] plane oppositum elicit : « Leopardi vox, inquit [73], serius usurpari cœpit Constantini ævo. Proinde Ignatii epistolam ad Romanos, quam circumferunt, eo demum sæculo fuisse scriptam vel ex hoc argumento colligas. » Sed hæc Bocharti argumentatio Dallæana validior non est. Eusebius siquidem ex hac eadem epistola, quam Ignatio indubitanter tribuit, illud leopardi retulit nomen, quod proinde Constantini ævo judicavit esse antiquius. Et re quidem ipsa vox illa in Actis sanctarum Perpetuæ et Felicitatis, nec non apud Spartianum et Festum, ac tandem apud Athanasium in Vita sancti Antonii legitur.

Tertium Dallæi argumentum [74] inde conficitur, quod Ignatius « publice pœnitentes absolvat, et reconciliet Ecclesiæ. » Verum ejus defensor, « falsus est, ait, sua opinione præstantissimus Dallæus, eamque propterea emendaturus esset, si vixisset, ut amico rescripsit, eique loca pro receptione pœnitentium apud vetustissimos Ecclesiæ scriptores

[66] Psal. CIX, 3. [67] cap. 13, pag. 309. [68] Epist *ad Smyrn.* [69] pag. 272. [70] Epist. *ad Rom.* [71] pag. 313. [72] pag. 272. [73] Hierolex. part. I, lib. III, cap. 8. [74] pag. 273.

indicaverat. » Utinam Dallæus et ejus defensor omnes alios errores suos emendassent ! Hic tamen obiter observa quantos in errores præpostera litigandi, et sua adversus genuinas Ignatii epistolas argumenta multiplicandi prurigo Dallæum præcipitem egerit.

§ III. *Quartæ objectioni respondetur.*

Quartum denique Dallæi argumentum [75] inde petitur, quod in his epistolis mentio fiat Onesimi, Ephesiorum episcopi, quem anno 107 vel 108, quo hæ epistolæ datæ sunt, vita functum fuisse ex Nicephori probat Historia. Addit vero neque a Græcorum Menæis, vel a Simeone Metaphraste agnosci hunc Ephesinum Onesimi episcopatum; ab auctore autem *Constitutionum apostolicarum* eumdem Onesimum Berrœæ episcopum appellari. Denique Dorotheus in Synopsi, et Hippolytus in libello *De 70 discipulis* inedito, non hunc, sed Gaium Timotheo in Ephesino episcopatu successisse affirmant. Sed his omnibus facile respondeas, si memineris plures fuisse Onesimos, de quibus diversa a diversis scriptoribus memoriæ prodita sunt. Quocirca Nicephorus scribit quidem Onesimum quemdam sub Domitiani imperio mortem obiisse, sed illum episcopum Ephesinum fuisse nullibi memorat. Ex Menæorum vero seu Metaphrastis silentio nihil unquam confici poterit. Si enim de Onesimi episcopatu ii tacuerint, multi alii plura de eo tradiderunt. Porro si plures fuerint Onesimi, nihil obstat, quominus unus Ephesi, alter Berrœæ, ut auctor *Constitutionum apostolicarum* narrat, fuerit episcopus; alius vero, ut Dorotheus et Hippolytus asserunt Gaio successerit.

Instant Dallæus ejusque defensor et Pauli ad Philemonem Epistola, anno Christi 56 exarata, certum videri Onesimum ejusdem Pauli fuisse discipulum; ex Beda autem atque Notkero illum eumdem esse, cujus Ignatius noster fecit mentionem. Ergo Onesimus ille cum Ignatium anno 107 vel 108, suas scriberet Epistolas, annum centesimum vel certe nonagesimum jam implevisse censendus est. Quam martyris adeo provectam ætatem cum nullus scriptor observaverit, eum juniorem passum, hancque epistolam adulterinam esse Dallæus concludit. Respondemus Epistolam Pauli ad Philemonem non Christi anno 56, ut ille arbitratur, scriptam, sed post annum sexagesimum, quo Apostolus sub Festo Judææ præfecto cum Cæsarem appellasset, Romam ubi hanc dedit Epistolam, postea ductus est. Nihil autem prohibet quominus Onesimus, qui eo tempore, quo ad Philemonem Paulus scripsit, junior erat, ad eum usque annum, quo Ignatius suas composuit epistolas, vitam atque episcopatum produxerit.

Deinde quid de Onesimo, in Ignatii nostri litteris memorato, Beda tradiderit, non videmus; nec ullum in ejus, neque etiam Notkeri scriptis locum, ubi hæc reperias, indicavit Dallæus. Ea quidem apud Usuardum legimus : at non illius verba sunt, sed Adonis, quem corrupta et depravata martyrum Acta in errorem induxerunt. Cæterum quidquid auctores illi de Onesimo memoriæ prodiderint, nemo sanæ mentis homo negaverit iis omnibus anteponendum esse certissimum Eusebii testimonium, qui diserte indubitanterque asserit [76] Ignatium nostrum epistolam scripsisse « ad Ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum pastoris mentionem facit. »

CAPUT XIV.

NIHIL IN HIS EPISTOLIS OCCURRERE, AB IGNATII PERSONA, MORIBUS, AUT PIETATE ALIENUM.

§ I. *Prima et secunda objectio solvitur.*

Quindecim insuper argumenta Dallæus depromit, quibus probare nititur esse in Ignatii epistolis, « Alia multa a personæ, cui affinguntur, vel moribus, vel dignitate, vel ingenio, vel pietate aliena. » Sed ex tanto argumentorum numero duo duntaxat ad eas, quas defendimus, epistolas pertinent. Horum prius ductum est ex his verbis : « Sine episcopo, presbyteris et diaconis Ecclesiam non vocari [77].» At hæc omnia omnino Ignatiana esse jam demonstravimus.

Posteriori Dallæi argumento occasionem præbuere alia alterius epistolæ verba : « Filium Dei secundum voluntatem et potentiam Dei genitum [78];» quæ quidem non satis sana, sed dura, vixque ferenda Dallæo videntur. Mirandum certe delicato et religioso Dallæi in rebus fidei palato illud durum nec satis sanum videri, quod Theodoretus, vir sane non minus quam ille Christianæ fidei dogmatum peritus, ad confutandos hæreticorum errores proferre non dubitavit. Deinde Ignatius ibi non de æterna, sed de temporali Christi generatione loquitur : « Genitum, inquit, vere ex Virgine. » Quamvis autem de illius divinitate loqueretur, illud sanum esset et orthodoxum; quandoquidem plures invenias in antiquorum Patrum scriptis similes loquendi modos, quos duros et vix ferendos esse ne Dallæus quidem dicere audeat.

§ II. *Tertiæ objectioni respondetur.*

Dallæi itaque defensor, hoc prætermisso argumento, ad aliud quod gravius validiusque esse opinatur, totis viribus propugnandum aggreditur [79]. Illud autem in eo situm est, quod Ignatius « ex apocryphis quædam furatur, eaque pro veris et indubitatis ponit. » Ubi enim de Christo disserit : « Et quando, inquit, ad eos, qui circa Petrum venit, ait ipsis : Apprehendite, palpate me, et videte quoniam non sum dæmonium incorporeum [80]. «Quæ

[75] pag. 316. [76] lib. III *Hist.* cap. 36. [77] cap. 14, 15 et 16. Epist. *ad Trallens.* [78] Epist. *ad Smyrn.* [79] cap. 17, p. 338, Epist. *ad Smyrn.* [80] pag. 281.

sane Verba ab auctore nostro non aliunde, quam ex apocrypho Nazaræorum Evangelio transcripta fuisse haud dubitanter affirmat. At, inquit, is Ignatius martyr esse non potest, qui veritatis fontes fastidiens, potius falsa Christi verba ex impuris apocryphorum lacunis, quam vera ex certis divinæ Scripturæ libris promere maluerit. Neque dixeris apocrypha non semel ab antiquis Patribus citari; illico enim Dallæanus defensor altius insurgit, urgetque auctorem nostrum non ideo argui quod apocrypha laudaverit; sed quod historiam illam ex falsis non ex veris, ubi exstat gravius atque luculentius exposita, Evangeliorum libris, sit mutuatus.

Sed a Dallæano defensore quærimus unde Ignatium verba illa, quæ objicit, ab apocrypho Nazaræorum Evangelio hausisse didicerit? Non ex Eusebio quidem, qui se id ignorasse palam profitetur [81]: « Quæ, inquit, unde acceperit, ignoro. » Soli itaque Hieronymo, ut ipse fatetur, illud acceptum referri debet. Is quippe constanter asseverat Ignatium hæc deflorasse ex Evangelio, « quod nuper a me, » uti ait [82], « translatum est. » Sed si Dallæani illud ab Hieronymo didicerunt, cur tam severe Ignatium ob id condemnant, quod eximius ille doctor tanto martyre plane dignum credidit.

Deinde incertum est num tempore Ignatii evangelium Nazaræorum inter apocrypha amandatum fuisset. Cum enim, teste Isaaco Casaubono, tempore opus fuerit, ut apocryphi hujuscemodi libri auctoritate Ecclesiæ proscriberentur, per priora sæcula fuerunt dubii, et auctoritatis saltem ancipitis. Huc accedit quod plurimi, ut Hieronymus ipse tradit, Evangelium illud a Matthæo scriptum esse existimabant.

Denique idem Casaubonus non absurde addidit Ignatium non alicujus Evangelii verba, sed traditionem allegasse non scriptam, quæ postea in litteras fuerit relata, et Hebraico Evangelio, quod Matthæo tribuebant, inserta. Nec male quidem. Nam Ignatius qui litteras suas vinctus, et in itinere, ac secreto exaravit, verba illa quæ nobis objiciuntur, ex memoria, ac prout menti ipsius occurrerunt, nec aliquid de scriptis Evangelicis vel legendo, vel forte etiam cogitando epistolæ inseruit suæ.

§ III. *Quarta objectio refutatur.*

Ex omnibus porro Dallæi argumentis nullum sane illo mirabilius est, quod ille ducit ex his sanctissimi martyris nostri verbis [83]: « Utinam fruar bestiis, quas et blanditiis demulcebo, ut citius me devorent; sed et ipsæ volentem nolint, ego vi adigam [84]. » Hæc enim verba, quæ piorum omnium laudes admirationemque meruere, Dallæo a martyris pietate ac modestia aliena omnino videntur. Unde in hanc ille prorumpit exclamationem [85]: « O diras et truculentas voces, non alia anima dignas, quam ea, quæ vitæ suæ pertæsa, lucemque, quod poeta canit, perosa, in mortem præceps ruit! » Sed dignior est ethnico poeta, quam scriptore Christiano hæc exclamatio. Longe aliter sentiebant Eusebius et Hieronymus, qui præfata Ignatii verba, summa pietate ejus et mirabili prorsus pro Christo moriendi studio tam digna putaverunt, ut ex cæteris omnibus sanctissimi martyris dictis, ea potissimum suis in libris transcribenda, omniumque Christianorum religioni et admirationi proponenda selegerint. Quid quod non solum Patres, sed et Vedelius ipse Calvinianæ, sicuti Dallæus, sectæ addictus, eadem Ignatii verba ad sopitos tepidiorum Christianorum ignes suscitandos ultro proponit: « Quem mortis et suppliciorum terrore consternatum sanctus martyr non restituat, qui ad bestias tendens, dentes earum dilacerationesque subiturus..... Gratulor mihi de bestiis, quæ adversum me [86], » etc.

Urget tamen Dallæus [87]: « Christi martyres mortem exspectant, non accersunt; ad metam composito, non præcipiti gradu feruntur. » Quid ergo? Tot martyres, qui occasiones pro Christo patiendi tanto ardore quæsierunt, qui ad mortem sponte sua cucurrerunt, qui in ignes et flammas, qui in aquas et flumina præcipites se dederunt, ii impietatis ac immodestiæ accusandi sunt? Cur ergo Patres tot laudibus eos celebraverunt [88]? Cur Ecclesia tantis honoribus eos prosequitur? Præterea Ignatius martyrii sui tempora non antevertit; sed damnatus ad bestias, iisque jamjam objiciendus, citius frui optat. Romanos ne id impediant obsecrat, et bestias si sibi pepercerint, ut ab ipsis celeriter devoretur, aperta vi se adacturum testatur. Sed his ex ardentissimo pro Christo moriendi amore profectis vocibus, illas modestiæ suæ testes continenter subjungit: « Ignoscite mihi. Quid mihi utile sit, ego novi. » Quod sane et sanctissimi martyris pietate, et modestia, et piorum omnium laudibus et admiratione dignissimum esse nemo sincerus Christianæ religionis cultor unquam diffitebitur.

CAPUT XV.

NIHIL FALSO ET TEMERE IN HIS EPISTOLIS DICTUM.

§ I. *Non id falsum esse, quod de epistola Pauli ad Ephesios scribitur, et quod Ignatius fertur dixisse se vidisse Christum.*

Objicit postea Dallæus illud falsum esse, quod auctor noster scripsit ad Ephesios: « Paulus..... qui in omni Epistola memoriam facit vestri in Jesu Christo [89]. » Sed hæc non urget ejus defensor, et recte quidem. Quis enim nesciat Paulum unam ad Ephesios Epistolam dedisse, ac in omni ea Epistola Ephesiorum fecisse memoriam. Hæc autem ideo observat Ignatius, quoniam in ea Paulus gloriosam illorum ubique facit mentionem, atque eos ad pietatem informando, ipsorum virtutes semper extollit, et prædicat: nullibi vero, sicuti in aliis quibusdam

[81] Euseb. lib. III *Hist.*, cap. 56. [82] *De scrip. eccles.* [83] Epist. *ad Rom.* [84] Dallæus cap. 18, p. 342. [85] pag. 346. [86] Epist. dedic. in Ignat. epist. [87] pag. 346. [88] Ambros. lib. III *De Virg.* cap. 7, novæ edit et Aug. lib. I *De civ.*, cap. 22 89 cap. 19, p. 351.

Epistolis, ad alios exaratis, illos arguisse aut vituperasse legitur.

Hæc cum levius attigisset Dallæus, multo acrius de eo disputat, quod Ignatius Christum se vidisse asserit : « Ego enim et post resurrectionem ipsum vidi, et credo existentem [90]. » At, inquit Dallæus, Chrysostomus oratione panegyrica in Ignatium, nusquam illum « Christi aspectu et consuetudine, » quod in eo sermone non erat prætermissurus, « gavisum esse memorat. » Ergo, infert idem Dallæus : [91] « Manifesti mendacii convincitur epistolarum sciptor. » His respondemus in Græco epistolarum Ignatii sincero et integro codice, nec non Eusebii et Theodoreti scriptis non legi εἶδον *vidi*, sed ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα. Porro verbum οἶδα, fatente Dallæo, significat, *scio, novi, cognosco.* Unde etiam Rufinus in sua Eusebianæ Historiæ versione, illud priore verbo, *scio*, Latine reddidit.

Instat Dallæus manuscriptis Græcis, qui tot interpolationibus fœde corrupti sunt, nullam haberi posse fidem : item Rufinum, aliosque Eusebianæ Historiæ liberarios amanuenses pro verbo εἶδον, quod de Ignatio nequaquam dici posse noverant, scripsisse οἶδα : denique Hieronymo, et antiquo harum epistolarum interpreti, qui verbum εἶδον repræsentant, omnino esse credendum.

Verum hæc Dallæi tela facile retunduntur. Nos enim non de manuscriptis epistolarum Ignatii interpolatis codicibus, sed sincero et integro codice, quem Vossius nemine, uti diximus, refragante, fide optima edidit, disputamus. Quod autem ad Eusebii Historiam attinet, nullus magna sine temeritate eam ibi corruptam esse dixerit. Illa quippe centum fere annis ante Latinam Rufini versionem publicata, in omnium venerat manus, et in quamplurimis Bibliothecis erat asservata. Nihil ergo postea vel in Græco ejus textu scriptores antiquarii, vel in versione sua Rufinus immutare potuerunt ; quin ex innumeris ejusdem Historiæ codicibus hic ab adversariis suis, illi ab Eusebii fautoribus adulterationis et corruptionis statim convincerentur. Deinde quis sibi persuadeat Rufinum, et amanuenses Eusebianæ Historiæ scriptores ad corrumpendos omnes Historiæ illius codices simul ita conspirasse, ut eos, nullo homine reclamante, depravaverint atque adulterarint ? Denique quomodo Rufinus, et amanuenses librarii Eusebio oculatiores et doctiores ita fuerunt ; ut quod ille nescierit, illi certissime agnoverint, vocem εἶδον de Ignatio penitus scribi non potuisse. Huc adde eruditissimum Theodoretum in Græca Eusebii Historia constanter legisse οἶδα, et pervolutatis Ignatii nostri epistolis, nihil in Eusebii textu deprehendisse vel minima corruptionne fœdatum.

Ad Hieronymum, veteremque Ignatii interpretem quod spectat, apud eos occurrit quidem verbum *vidi*. Sed vetus ille interpres, ut ex ejus facile intelligitur, non ita Græce doctus verbum οἶδα per Latinum *vidi*, cum *scio* vecere debuisset, recte reddidisse dicatur. mus vero, qui versiones suas citissime edebat, humani etiam aliquid forsitan passus e ab aliquo imperito interprete Latino fuerit de Verum quoquomodo res se habeat, certe cum epistolarum Ignatii, tum Eusebii Histor nuscriptis codicibus major debet esse auct cæterisque omnibus anteponenda est. Et id q ex eo confirmari potest, quod ipse Ignatiani se nis sensus, ejusque argumenta, verbum οἶδα dem omnino postulent. Ignatius siquidem du contra hæreticos petitis ex Evangelio rationi Christum non fictum aut simulatum, sed ver hominem fuisse demonstrat. At si Christum si met oculis in carne ipse vidisset, nihil efficaci contra eos proferre poterat, quam se suis oculi his et his in locis, cum his et illis sociis et testibi omni exceptione majoribus, apostolis videlicet, at Christi discipulis, Dominum ipsum vidisse, ac cun illo fuisse conversatum.

§ II. *Nihil temere dictum est de stella, quæ, Christo nascente, apparuit, vel de eo quod Christus post mortem bibisse perhibetur.*

Dallæus ut auctorem nostrum omnium criminum reum faciat, illum temeritatis in eo deinde arguit, quod de stella, quæ, Christo nascente, apparuerat, scripserit [92] « Stella in cœlo fulsit, splendore exsuperans omnes stellas, et lux illius ineffabilis erat, » etc. « Omnia, inquit Dallæus, [93] ex uno istius cerebro prodiere, a Scriptura aliena, ab ipso hujus stellæ usu abhorrentia, ad domum scilicet Bethlehemi indicandam. » Quod quidem hac probat ratione : « Absurditas inde patet, quod ea Christianorum interpretum nemo, quod quidem sciam, secutus, qui tam multi de stella aliquid commentati sunt. » Qui non miretur Dallæum omnigenæ lectionis, ut sibi quidem videtur, hominem, necisse apud Clementem Alexandrinum seu auctorem *Excerpt.*, Leonem Magnum serm. 1 *De nativ.*, Maximum serm. 3, nec non Chrysostomum homil. 6 *in Matth.*, eadem vel plura similia de hujus stellæ apparitione non secus atque apud Ignatium reperiri. Quod certe ex sola locorum, quæ indicamus, facta inter se compositione cuilibet quantumvispervicaci planum fiet.

Piget sane pudetque ea refutare vel etiam referre, quæ subdit Dallæus [94] : « Levius est, fateor, sed Ignatio non satis dignum, quod ipse, nullo certo auctore, asseverat Christum post resurrectionem bibisse. » Illud autem hoc subtilissimo probat argumento : « Lucas quidem, uti ait ille, scribit [95] apostolos, postquam resurrexisset a mortuis, manducavisse et bibisse ; ipsum cum eis Christum (quod

[90] Orat. *in Ignat.* [91] pag. 361. [92] Epist. *ad Ephes.* [93] cap. 21, p. 365. [94] pag. 365. [95] Act. x. 41.

iste auctor ait) manducavisse et bibisse nusquam dicit, » sed tantum comedisse [96]. O miras Dallæi, viri acutissimi, argutias et subtilitates ! Apostoli, inquit, dicuntur cum Christo manducasse et bibisse, Christus vero dicitur tantum comedisse. Ergo illud indignum est Ignatio, quod Christum et manducasse et bibisse dixerit. Quasi vero cum Christus hoc modo manducasse scribitur, et ipsum quoque bibisse non possit merito jure subintelligi ? Si Dallæus cum amicis suis, qui eo manducaverunt et biberunt, manducasse dicatur, nonne inde et eum non solum manducasse, sed etiam bibisse recte concludetur ?

§ III. *Nihil falsum dici de hæreticis, qui ab eucharistia recedebant.*

Objicit postea Dallæus nonnullos ab auctore nostro exagitari hæreticos : « Qui ab eucharistia et oratione recedunt, propter non confiteri eucharistiam carnem esse Salvatoris. [97] » At, inquit Dallæus, qui accuratiores hæreticorum edidire catalogos, nullibi ullos hujusmodi hæreticos Ignatii tempore exstitisse perhibent. Quamobrem Dallæi defensor novum ei subsidium laturus : « Sicoine, ait, officii sui tam negligentes fuere veteres illi scriptores, ut rem adeo memorabilem, et quam scire intererat, silentio præterierint... profecto vix est credibile. » Sed unde Dallæus ejusque defensor acceperunt veteres illos scriptores hæreticorum hæreseumque omnium suis in catalogis fecisse mentionem ? Rem aliter se habere ex ipsomet Dallæo evidenter demonstratur. Enimvero Theodoretus qui, fatente Dallæo, has epistolas ab Ignatio nostro scriptas fuisse putavit, quique ea quæ idem Dallæus objicit verba, ut vere Ignatiana transcripsit, in suis hæreticorum catalogis, licet sum ma cura editis, nullibi, ut contendit Dallæus, eorum quos Ignatius eucharistia abstinuisse asseverat, meminisse legitur. Idem de Eusebio aliisque, qui de hæresibus scripsere, hasque Ignatio nostro adjudicarunt epistolas, confici potest invicem contra Dallæanos argumentum. Neque porro id ulli mirum esse debet, cum ii de præcipuo hæreticorum, ab Ignatio confutatorum errore, quo Christum veram carnem sumpsisse negabant, scriptis aliquid tradere contenti fuerint, nec de alio qui inde circa eucharistiam necessaria consecutione oriebatur, plura scribere putaverint esse necessarium. Non enim omnes singillatim quorumlibet hæreticorum errores enumerandi curam ab illis fuisse susceptam nulli dubium esse potest.

IV. *Neque falsum dici posse, quod scribitur, in potestate Romanorum fuisse Ignatium a morte liberare.*

Quia Ignatius Romanos, ne morti obsistant suæ, obtestatus : « Vobis, ait, facile est quod vultis facere... Volens pro Deo moriar, si non prohibeatis ; » hinc Dallæus [98] : « Vel nihil intelligo, inquit, vel iste profecta intelligit in eorum fidelium, ad quos scribit, manu ac potestate fuisse ipsum supplicio liberare. » Si bene ille auctoris sensum intellexit, ex eo certe non bene argumentatus est, cum addidit [99] : « Quod si ita est, fatendum est illos Romanos gravissime, peccasse, et parricidii cujusdam reos fuisse... qui eum mori non prohibuerunt. Atqui non peccasse eos constat... falsum est ergo quod ille toties affirmat. » Inepta plane et insulsa est hujuscemodi argumentatio. Ignatius quippe Romanos hac in re apud Deum, vel Cæsarem, aut judices, vel senatum potentiores, quam re vera erant, credere potuit. Deinde etiamsi illud in Romanorum potestate fuisset positum, non inde tamen gravissimi peccati et parricidii incusandi sunt, quod eam mortem non prohibuerint, quam totius Ecclesiæ utilitati profuturam, quam non sine certo plurimum Christianorum periculo avertendam, quam denique divina voluntate ab Ignatio subeundam esse persuasum habebant.

CAPUT XVI

IN HIS EPISTOLIS NON LÆSAM ESSE IGNATII SAPIENTIAM ET MODESTIAM.

§ I. *Non læsam esse Ignatii sapientiam, neque modestiam læsam in iis, quæ de se ipso scripsit.*

Non majoris momenti illud est, quod postmodum Dallæus objicit, *ab Ignatii judicio et sapientia nonnihil abhorrere videri* [1] ; quod ille morti certissimæ jamjam dedendus, secundum Ephesiis libellum sese scripturum polliceatur : « Si me dignificet Jesus Christus in oratione vestra, et voluntas sit, in secundo libello quem scripturus sum vobis [2], » etc. Sed hæc objectio a Dallæi judicio et sapientia abhorret quamplurimum. Illis quippe verbis, ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλιδίῳ, non libellum, sed secundam Ignatius promittit epistolam his tamen æquissimis conditionibus : « Si me dignificet Jesus Christus in oratione vestra : si voluntas sit : maxime si Dominus revelet mihi. » Quod sane Ignatii judicio et sapientiæ convenientissimum esse quis non videat ?

Læsam porro Ignatii modestiam alibi expostulat Dallæus, ubi nimirum idem auctor noster ad Trallenses de se ipso sic scribit [3] : « Multa sapio in Deo sed me ipsum mensuro, ut non in gloriatione perdar... Nam possum vobis supercœlestia scribere. Sed timeo ne periculis exsistentibus, vobis damnum apponam... potens scire cœlestia, et loci positiones angelorum, » etc. Quid ibi contra Ignatii modestiam ? « Sibi, respondet Dallæus, ea tribuit, quæ nemini mortali concessa sunt. » Quid ergo ? Nonne et Paulus eadem, imo et majora sibi concessa fuisse narrat [4] qui tot visionibus et revelationibus se donatum, qui *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, se audivisse testatur ? Certe Dallæus ipse id fateri, ac secum paulo post pugnare cogitur, ubi hæc totidem verbis tradidit [5] : » Jam cum Pau-

[96] Luc. XXIV, 43. [97] cap. 22, p. 366. Epist. ad *Smyrn.* [98] cap. 22, pag. 369. [99] pag. 302. [1] cap. 23 p. 371. [2] Epist. *ad Ephes.* [3] cap. 24 p. 972. [4] II Cor. XII, 1 et seqq. [5] cap. 29, p. 414.

Ignatii martyrii Actis cum Græcis tum Latinis liquido probatur. His denique possumus subnectere Eusebium, qui nihil novi aut fabulosi in hoc Ignatii cognomine unquam suspicatus est.

Nec erat quod Dallæus ex verbis ἱερέων et ἀρχιερέων deinceps instaret [14]. Illa quippe non in vero sed interpolato epistolarum textu reperiuntur. Si autem in epistola ad Philadelphienses simul aliquando occurrant, ibidem ad Mosaicæ legis presbyteros, vel Christum sacerdotum omnium principem significandum illa Ignatius adhibuit.

CAPUT XVIII.

VOCES EPISCOPI ET PRESBYTERI NON ALIO, QUAM APOSTOLORUM ET VIRORUM APOSTOLICORUM SENSU AB IGNATIO USURPATAS.

§ I. *Ignatio jus fuisse ea nomina distinguendi, ideoque recte ea distinxisse.*

Maximum, quodque Dallæo invictum videtur argumentum [15], illud est, quod scriptor noster presbyteri et episcopi nomina, quæ apostoli virique apostolici confuse, promiscue, et indiscriminatim semper acceperunt; ea ille non semel et iterum, sed perpetuo, et in omnibus ubique epistolis non tantum accurate et religiose distinguat, sed eo quoque sensu usurpet, quo a tertii tantum et subsequentium sæculorum Christianis usurpata legimus. Quo sane argumento Dallæus scriptorem nostrum non ante sæculum tertium epistolas suas exarasse certo se demonstrare arbitratur. Porro nos ille serio monet, se non de re ipsa, sed de solis episcopi et presbyteri nominibus disputare: « Nunc de re ipsa, inquit [16], non disputo. Donemus doctissimo Hamondo, quod ille tam vehementer cupit, » nimirum hos ordines revera fuisse distinctos. Et paulo post: « De episcopi tantum et presbyteri nominibus quæro.... de quibus nunc solis disputo.

Verum si episcopi et presbyteri ordines inter se revera distincti fuerint, eosque distinctos fuisse concedat Dallæus, ab eo etiam procul dubio concedendum est jus Ignatio fuisse eorumdem ordinum nomina in epistolis scriptisque suis semper et ubique distinguendi. Nullus enim ullo unquam jure suspicari potest, multoque minus inferre debet, scripta auctoris alicujus ideo proscribenda esse ipsique abjudicanda, quod in iis ea nomina distinxerit, quorum rite distinguendorum jus potestatemque habebat.

At, inquit Dallæus, apostoli virique apostolici ea nomina non distinxere. Esto non distinxerint. Quid inde Dallæus conjicere potest, nisi illos jure suo nec usos esse, nec uti voluisse, quo quidem Ignatius uti voluit, sibique utendum esse justis de causis arbitratus est? In epistolis enim suis, quas ad Ecclesias dirigebat, et in iis publice legendas esse subdubitare poterat, obedientiam ac reverentiam episcopis, presbyteris et diaconis, singulis quibusque pro suo ordine debitam, quæ sine singulorum nominum distinctione declarari non potest, in primis commendat et præcipit.

Huic autem nostræ responsioni non solum ex iis, quæ imprudens Dallæus concessit, sed ex ipsa etiam rigidiorum presbyteranorum opinione plurimum roboris accedit et firmamenti. Etenim Blondellus, quo nemo inter presbyteranos rigidior, docet apostolicorum virorum tempore vetustiorem presbyterum in defuncti episcopi locum nulla quidem electione vel ordinatione, sed solo antiquitatis jure, ea lege subrogatum fuisse; ut eo ipso primæ cathedræ, præsidialisque potestatis jus, cæteris presbyteris negatum, illi tribueretur. Qui autem in ea, licet falsa, sunt opinione, inficiari nequaquam possunt nomen episcopi presbyteris, qui eo primæ cathedræ præsidialisque potestatis jure privati erant, merito ab Ignatio denegatum; ac merito proinde nomina episcopi et presbyteri ab illo nec confundi, nec promiscue indiscriminatimque haberi. Ad distinguenda enim rerum nomina, veram rerum ipsarum distinctionem satis superque esse, nullus, opinor, dubitaverit.

§ II. *Hæc nomina ab apostolis, virisque apostolicis fuisse distincta.*

Hæc sane ad destruendum penitusque everten-dum maximum Dallæi argumentum etsi abunde sufficiant, ad rem tamen ipsam examinandam animo lubentissimo aggredimur. Quod igitur apostolos, apostolicosque viros duobus prioribus Ecclesiæ sæculis nomina episcopi et presbyteri semper confudisse ac indiscrimatim et promiscue usurpasse, tanta fiducia Dallæus asserit, id falsum omnino est, penitusque fictitium. Et primo quidem in hoc falsus est Dallæus, quod plura, quam par erat, ex ipso Presbyteranorum suorum testimonio tempora complexus sit. Nam Blondellus Presbyteranorum erroris, uti diximus, acerrimus defensor, indubitanter affirmat novam creandi episcopi formam, qua presbyteris superior constituitur, ab Christi anno 130 fuisse introductam. At certe negare non possunt Presbyterani, hunc episcopi supra presbyteros gradum, secum ipsorum quoque nominum invexisse distinctionem. Non enim alia de causa eam tertio sæculo factam fuisse dicit Dallæus, nisi quia nova creandi episcopum forma tunc introducta est. Cum illa ergo juxta Presbyteranos anno 130 facta sit, septuaginta anni a Dallæano calculo detrahendi sunt.

Jam vero si ad superiora tempora ascendamus, Dallæanæ assertionis falsitas planius dilucidiusque apparebit. Nemini quippe ignotum est quam pauca nobis supersint apostolicorum virorum scripta, nec ulli dubium esse potest, quin plurima eorum opera sint deperdita, neque in nostras venerint manus. Unde ergo probabit Dallæus, omnes primi

[14] cap. 25, p. 883. [15] cap. 26, p. 386. [16] pag. 386.

inscriptione se non episcopum, sed presbyterum vocasse his verbis : « Polycarpus, et qui cum eo presbyteri. » Sed hæc adversariorum ratio adeo levis est et infirma ; ut Moynius Calvinistrarum minister, eorumque symmista, contrarium omnino ex iisdem verbis argumentum conficiat : « Non scribit Polycarpus, inquit [19], presbyteri Ecclesiæ Smyrnensis Philippensibus, sed Polycarpus et presbyteri Ecclesiæ Smyrnensis Ecclesiæ Philippensium, ut discrimen aliquod inter se et presbyteros observandum innueret, dignitatemque suam, et primatum aliquo modo tueretur. Nam qui paris dignitatis et auctoritatis Polycarpum fuisse cum suis presbyteris censent, næ illi mihi videntur thesi suæ nimis, quam par sit, fervidius et studiosius δουλευάειν, et ea officia confundere, quæ tempore Polycarpi jam erant disparata. » Hæc sane ex Calvinistæ Presbyteranique hominis ore elicuit veritas, quæ in eo esset incorrupta, si ea officia et nomina non Polycarpi tantum, sed apostolorum quoque tempore disparata dixisset. Ex his tamen quæ ibi vera esse agnoscit, ruit procul dubio Dallæanum argumentum, funditusque evertitur.

CAPUT XIX.

NULLA IN EPISTOLIS AUCTORIS NOSTRI ESSE VERBA, QUÆ NON SINT IGNATIANA.

§ I. *De verbis compositis.*

Multa alia Dallæus se his in epistolis vocabula deprehendisse sibi videtur, quæ scriptorem nostrum diu post Ignatium vixisse planum nobis utique faciunt [20]. Illa autem primum exagitat quæ a Blondello prius objecta fuerant, nomina varie composita, ut σαρκοφόρος, νεκροφόρος, et alia a verbo φέρω orta, item alia a voce ἄξιος, ut ἀξιόπλοκος, ἀξιόθεος, et alia denique a verbo θεός, sicuti θεομαχάριος, θεόδρομος, etc. Doctissimus quidem Hamondus huic Blondelli argumento jam responderat divinos sacræ Scripturæ auctores nominibus simili modo compositis, quorum plura retulit exempla, usos quoque fuisse.

Sed instat Dallæus [21], ea quæ ex sacris scriptoribus adduxit Hamondus, esse paucissima et semel tantum ab iis dicta, ac Ignatianis illis multo modestiora. Si de paucitate verborum ab Hamondo allatorum conqueritur Dallæus, de majori Dallæanorum numero nos potiori jure conquerimur. Ille siquidem ut compositarum apud Ignatium vocum augeret multitudinem, eas quæ in falsis Ignatii epistolis, vel in genuinarum interpolationibus occurrunt, aliis immerito adjunxit. Deinde ideo Hamondus decem tantum ex divinis Scripturis compositarum vocem protulit exempla, quod ea ad vanam Blondelli objectionem destruendam satis superque esse censuerit. At longe plura quæ passim in Veteri Novoque Testamento occurrunt, possunt facillime in medium proferri. Sed illa omnibus ita sunt obvia, ut longum earumdem vocum catalogum texere superfluum sit et inutile. Neque vero in sacris tantum Scripturis eas reperire est, sed in genuina etiam Clementis epistola, quæ Ignatianis non est prolixior, illæ eædem voces nec rariores sunt, nec modestiores.

§ II. *De verbis nove usurpatis, scilicet* φύσις. *et* ᾄδειν.

Verum, inquit Dallæus, quædam verba scriptor noster nove usurpat, et præter aliorum morem. Duo tamen duntaxat ejuscemodi verba ex veris Ignatii epistolis desumpta nobis objicit. Primum est verbum φύσις ; sed illud apud diversæ litteraturæ scriptores vario sensu usurpatum legitur, nihilque novæ significationis apud Ignatium habet.

Secundum verbum est ᾄδειν, quod Dallæus poeticum esse dicit. Neque tamen et in soluta etiam oratione ab auctoribus optimis sæpe sæpius adhibitum ille negabit unquam. Quidni ergo et ab Ignatio ?

§ III. *De verbis inusitatis et obscuris.*

Addit Dallæus in epistolis Ignatianis quasdam obscuriores et inusitatas voces inveniri. Quamvis id verissimum esset, quid inde conficiet Dallæus ? Nunquid Ignatius, sicuti quilibet alius auctor, obscuris et inusitatis loquendi modis uti non potuit ? Id sane in principiis Christianæ religionis, quæ nova et inusitata secum invexit verba, parum esset mirabile ; sed multo minus in Ignatio, viro apostolico, qui epistolas suas cursim, et occulte, ac summo martyrii ardore incensus exaraverat. Verumtamen non aliis ille vocibus, vel loquendi modis usus est, quam iis qui in sacris Scripturis, aliisque notæ melioris scriptoribus solent occurrere.

CAPUT XX.

IN HIS EPISTOLIS NON ESSE PRAVAS PAULI IMITATIONES.

§ I. *Quantum adversarii sibi sint contrarii.*

Inter tot tamque diversa Dallæi adversus Ignatii epistolas argumenta, illud profecto mirari subit, quod ille scriptorem nostrum non Ignatium, sed alium omnino fuisse inde probare velit [22], quia : « Quædam Pauli apostoli studiose est imitatus, sperans se his veluti apostolici discipuli lineamentis hominibus sui sæculi, præsertim posteris ab Ignatio remotioribus, adeoque rerum apostolicarum minus gnaris facile impositurum ; atque effecturum ut pro scriptore apostolico haberetur. » Eumdem enim Dallæum ex verbis episcopi et presbyteri, quæ alieno a Paulo apostoli sensu ab Ignatio usurpata perperam effutiit, sic disputantem audivimus [23] : « Neque apostolorum filium fuisse diversus sermo manifeste arguit, quem omnes et apostolorum observantis-

[19] Not. in Polycarp. epist., p. 10. [20] cap. 27, p. 407. [21] pag. 406. [22] cap. 38, p. 410. [23] cap. 26, p. 398.

simum, et cum apostolicis corde et ore, anima et lingua conjunctissimum fuisse consentiunt. » Quis argutulos hujuscemodi sophistas contra Ignatii epistolas rationibus, sibi invicem tam vehementer repugnantibus, disputantes non miretur? Enimvero si nomina episcopi et presbyteri eo sensu, quem Pauli esse non putant, scriptor noster adhibeat, ii clamant illico : « Neque apostolorum filium fuisse diversus sermo manifeste arguit. » E contrario si Pauli voces et phrases ille usurpet vel imitetur, continenter iidem arguunt, illis eum ideo usum esse, ut imponeret « rerum apostolicarum minus gnaris, atque efficeret ut pro scriptore apostolico haberetur. » Sic sane immane his epistolis quocunque tandem modo contradicendi cacoethes doctos homines obcæcavit et transversos egit. Et certe si ita argumentari liceat, nulla erunt apostolicorum virorum, ac primi præsertim et secundi sæculi scriptorum opera, quæ his argumentis falsa, ipsisque supppsita esse non demonstrentur.

Ex hac itaque, quæ in Ignatii epistolis elucet, Paulinarum vocum imitatione contrarium omnino sic elicitur argumentum. Recta ratio docet ea scripta, quæ Pauli, aliorumque apostolorum voces, phrases, stylum, cæterosque loquendi modos imitantur, atque ad eos proprius accedunt, a viro vere apostolico fuisse profecta. Atqui hæc omnia, fatentibus, imo objicientibus adversariis, in Ignatii nostri epistolis reperiuntur. Ab eo ergo vere scriptæ sunt.

§ II. *Ignatium non putide Paulum imitari.*

Verum, inquit Dallæus, verba quæ apud Paulum rara sunt, ea apud auctorem nostrum, non secus ac Sallustiana, ut olim aiebat Seneca, apud Aruntium creberrima sunt, ac pene perpetua. Ergo hæc putida imitatio epistolas Ignatio male supposita prodit. Sed falsa est hæc consequentia. Nihil enim ex antecedente aliud concludi potest, nisi Ignatium epistolarum Pauli, sicuti Aruntium Sallustianorum operum non fuisse auctorem. Nam sicut imitatio Salustii opera Aruntii ab ipso Aruntio scripta non fuisse nequaquam demonstrat, sic imitatio Pauli epistolas Ignatii, ab ipso Ignatio minime scriptas fuisse non arguit.

Deinde falsum est antecedens, in Ignatii nimirum epistolis esse tam « crebras ac pene assiduas Apostoli voces, » ut omnibus fiant putidæ. Ex iis siquidem quas Dallæus objicit, primo verbum ὀναίμην non sexcenties, ut ille asserit, sed sexties tantum in genuinis Ignatii epistolis reperire est. Illud præterea verbum non Paulo peculiare est, sed apud alios Græcos auctores semper tritum et vulgare fuit. His addimus vocem ἀγαθοποιία, qua Paulus semel in omnibus Epistolis suis usus est, quater a Clemente in unica epistola usurpari, nec in hac Paulina imitatione putidum quid ab ullo unquam objectum fuisse legitur.

Quod subjungit Dallæus, vocem ἀντίψυχος ex Paulina ἰσόψυχος ab Ignatio formatam, puerile est, planeque ineptum. Nam eæ voces diversos habent significatus, et vox ἀντίψυχος non apud Paulum, sed alios scriptores occurrit.

Nec majoris illud est ponderis, quod idem Dallæus urget [24] hæc Pauli verba, ἐλαχιστότερον πάντων ἁγίων, « sanctorum omnium minimum se esse, » Ignatium prave imitari, cum dicit οὐκ ἄξιός εἰμι, vel ὡς μικρότερος ὑμῶν. Postremis quippe his verbis non magis ille ad Pauli, quam ad Matthæi vel Lucæ sententiam collineasse videtur. In aliis vero superioribus, vel quibusdam similibus, quibus non epistolas, ut ait Dallæus, implevit, sed raro usus est, etsi Paulum æmulari gestierit, illud summam Ignatii, qui omnes Pauli virtutes, ac martyrium imitandi incredibili flagrabat desiderio, humilitatem pulchre decebat.

CAPUT XXI.

NEQUE IN EPISTOLARUM INSCRIPTIONIBUS, NEQUE IN REPETITIONIBUS ESSE PRAVAM PAULI IMITATIONEM.

§ I. *Errare Dallæum in inscriptionum numero, atque in iis non esse pravam Pauli imitationem.*

Dallæus id multo vehementius, sed non felicius exagitat, quod noster Ignatius epistolis suis præfixerit inscriptiones « mirificas, laciniosas, inconditas, et prodigiosæ longitudinis, » quas omnes pravas Pauli imitationes esse causatur [25]. Fatetur quidem ille epigraphen Epistolæ ejusdem apostoli ad Romanos, quæ septem versiculos totos occupat, esse longissimam ; ac in ea quæ ad Titum data est, simile quidpiam observari. Verum apud Ignatium omnium, inquit, inscriptiones epistolarum, si illam quam scripsit ad Polycarpum exceperis, longissimæ sunt, laciniosæ et impeditissimæ. Sed primo ille in enumerandis epistolarum cum Pauli, tum Ignatii inscriptionibus multum aberrat. Nam inscriptio primæ Pauli ad Corinthios Epistolæ satis est prolixa, prolixior vero illius quæ ad Galatas scripta est ; hæc enim quinque versiculos continet ; cum ea quæ ad Titum exarata fuit, quatuor tantum complectatur. Nec minus errat in Ignatianarum inscriptionibus. Epistolarum siquidem Ignatii ad Smyrnæos, Magnesios, et Trallenses inscriptiones primæ Pauli ad Corinthios longitudinem non superant. Præterea vero epistolæ Ignatii ad Ephesios titulus et inscriptio non longior est, quam Paulinæ ad Galatas. Denique utraque Ignatianarum ad Philadelphienses et Romanos inscriptio non majoris, quam Paulinæ ad eosdem Romanos longitudinis est.

Secundo falsum est in his epistolarum Ignatii inscriptionibus pravam esse Pauli imitationem. Quod

[24] cap. 29, p. 413. [25] cap. 30, p. 453.

quidem ex iis, quæ Dallæus ipse de Paulinarum litterarum inscriptionibus pronuntiat [25], facillime evincitur. « Paulus, inquit ille, interdum inscriptiones Epistolarum habet non breves et expeditas, ut vulgo mos erat, sed longiusculas et nonnihil obvolutas, ob res gravissimas quibus plenæ sunt, ut ex ea quæ ad Romanos est, quivis discere potest. » Atqui et idem mos Ignatii tempore adhuc vigebat, et res gravissimæ in ejus epistolis pertractantur; ut ex sola, quam dedimus, earum analysi omnibus planum fiet et perspicuum. Ignatius itaque in epistolarum suarum inscriptionibus non prave imitatus est Paulum, sed eas tales exhibuit, quales sane gravissima, quæ in eis tractantur argumenta, ab eo postulabant.

§ II. *De inscriptione epistolæ ad Romanos.*

Jam vero ad ipsam epistolæ Ignatii ad Romanos epigraphen, quam Dallæani vehementius exagitant, propius accedamus. De illius longitudine, aut de prava Pauli imitatione nihil amplius, uti ostendimus, possunt cum Ignatio exspostulare. Quid ergo in ea arguunt? Illam, inquiunt, tot epithetorum laudis, in unum locum male congestorum farraginem. Sed similia Paulus adhibuit epitheta laudis, cum in Epistola ad Romanos scribit [27] : *Dilectis Dei, vocatis sanctis*, et in prima ad Corinthios, *sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis*. Non inficiamur quidem in his Epistolis multo pauciora esse, quam in Ignatianis laudum epitheta. Verum præterquam, quod scriptores suo quique ingenio hac in re indulgent, justis Ignatius de causis plura suæ ad Romanos epistolæ inscriptioni inserenda putavit. Primum quidem hæc ab eo extorsit summa Romanæ Ecclesiæ, tot martyrum, ac in primis Petri et Pauli sanguine conspersæ, quam laudum animo conceperat, opinio et existimatio. Deinde illa omnia laudum epitheta ideo congessit, quod singula quæque totidem ipsi viderentur esse momenta et rationes, quibus Romanos ad mortem suam non impediendam adduceret.

Instat Dallæus viros apostolicos, puta Polycarpum, Clementem, et alios, tam longas epistolis suis non præfixisse inscriptiones. Unde infert Ignatium, qui inter militum custodias positus, ad martyrium tanta celeritate ducebatur, inscriptionum adeo prolixarum non esse auctorem. At porro cum plurimæ apostolicorum virorum ac præcipue Asiaticorum, qui, teste Cicerone, erant redundantes, ad nos usque epistolæ non pervenerint, quis audeat asserere illas non eodem, ac Ignatianas, stylo vel similibus inscriptionibus fuisse exaratas? Utut sit, certe Ignatius in Pauli Epistolis egregia, uti diximus, inscriptionum suarum habuit exempla, nec de ullo alio meliora accipere poterat. Quamvis autem ad martyrium summa velocitate properaret, id tamen non obstabat, quominus duas vel tres, plus minus, lineas epistolis suis, vel earum inscriptionibus adderet. Imo inde certo colligitur illum nulla arte in epistolis suis ea omnia scripsisse, quæ incredibilis Christi amor et martyrii subeundi ardor immensus ipsi extemplo inspirabant.

§ III. *De repetitionibus quæ in epistolis occurrunt.*

Ultimum Dallæi contra Ignatii epistolas argumentum est [28] : « Neque illud Ignatium episcopum, ætatis provectæ, et apud apostolos educatum decere videtur, quod ille toties eadem præter viri gravis morem repetit atque inculcat. » Dignam sane tot vanis futilibusque argumentis, in tam longa disputatione perperam accumulatis, Dallæus coronidem imponit. Nunquid enim episcopi provectæ ætatis, et apud apostolos educati, res easdem, quoties expedit, minus quam alii scriptores repetunt et inculcant? Certe Paulus ipse, ut cæteros taceamus, in Epistola ad Ephesios cum dixisset : *Induite vos armaturam Dei* [29], duobus post versibus rursum scribit : Accipite armaturam Dei [30]. Quod quidem si interpretes audiamus, nihil aliud est quam superioris exhortationis repetitio. Etsi ergo similes apud Ignatium occurrerent repetitiones, in his procul dubio Pauli vestigiis ille adhuc institisset. Verumtamen, ut verum fateamur, repetitiones verborum in una eademque Ignatii epistola raræ sunt, nec ibi a Paulinis exemplis ille recessit. Repetitiones vero sententiarum aliis sunt infrequentiores; et si quas apud eum non secus ac Paulum reperias, eæ maximi sunt momenti, easque Ignatius ideo adhibet, ut illa quæ scribebat, Christianorum memoriæ altius infixa, ex eorum animis nunquam exciderent.

CAPUT XXII.

IGNATIUM ILLIUS, QUAM NUNC HABEMUS, EPISTOLÆ AD POLYCARPUM VERE ESSE AUCTOREM.

§ I. *Id probatur auctoritate Polycarpi.*

De prima epistolarum Ignatii classe nobis nihil amplius superesset dicendum, nisi doctissimus Usserius, qui has ejusdem classis epistolas Ignatio constanter adjudicat, illam quæ ad Polycarpum scripta est, eisdem Ignatio plane penitusque abjudicasset. Quamvis autem ea quæ de Ignatii epistolis hactenus disputavimus, illam non secus ac alias, ipsi tribuendam esse demonstrent; de ea tamen ideireo censuimus privatim esse disserendum, quod Usserii auctoritas viros quosdam celeberrimos suas traxerit in partes. Hos inter et purpura et doctrina primas tenet eminentissimus cardinalis Bona, qui judicium Usserii secutus, de ea sic pronuntiat [31] : « Addo quod hanc epistolam non genuinum Ignatii fetum esse, sed suppositititium viri eruditi dudum observarunt : et ad id probandum multa afferunt non parvi ponderis argumenta. » Sed si vir tam erudito per otium licuisset illam accuratius examinare, in aliam procul dubio ivisset

[25] pag. 415. [27] pag. 417. [28] cap. 31, p. 421. [29] Ephes. VI, 11. [30] Ibid., 13. [31] *Rer. Liturgic.*, cap. XXII, § 1.

sententiam. Invicto namque ipsiusmet Polycarpi testimonio, quo certe nullum majus nunc desiderari potest, luculenter probatur hanc epistolam ab Ignatio fuisse scriptam. Testatur enim in sua ad Philippenses epistola se ab eo accepisse litteras : « Scripsistis ad me et vos et Ignatius, etc. Atqui illa epistola, quam his verbis indicat, eadem ipsa est, de qua nunc quæstio movetur. Nam quæcunque Polycarpus de epistola Ignatii nostri ad se data memoravit, illa omnia in ea quam habemus, nusquam vero in ulla alia reperiuntur. Scimus quidem in hanc epistolæ Polycarpi partem ultimam, quam citavimus, nonnulla a quibusdam fuisse objecta. Sed hæc omnia tam clare diluimus [32], eamque epistolæ partem non minus quam alias a Polycarpo scriptam esse, tanta, uti putamus, evidentia a nobis demonstratum est, ut sinceris rerum æstimatoribus id omnino persuasum fore confidamus.

§ II. *Idem Eusebii et Hieronymi auctoritate probatur.*

Porro autem epistolæ ad Polycarpum auctorem esse Ignatium, non Polycarpi tantum testimoniis, sed Eusebii etiam auctoritate plane demonstratur. Ubi enim Ignatii epistolas accurate et diligenter recenset, hæc ille totidem verbis tradit [33] : « Cum Troadem venisset, inde ad Philadelphienses litteras dedit, et ad Smyrnæorum Ecclesiam, privatimque ad Polycarpum eorum episcopum, (δίως) τε τῷ ταύτης προηγουμένῳ Πολυκάρπῳ. » Eusebius namque ibi tres Ignatii epistolas aperte distinguit ; atque hanc quæ ad Polycarpum, tam ab ea quæ ad Smyrnæos, quam ab illa quæ ad Philadelphienses scripta est, discernit et discriminat. Quæ quidem distinctio ex his quæ subsequuntur, multo clarius dilucidiusque perspicitur : « Quem cum apostolicum virum, sic ille prosequitur, esse plane agnosceret, ipsi tanquam bonus ac fidelis pastor gregem Antiochenæ Ecclesiæ commendavit, rogans ut omni cura illum fovere vellet. Idem in epistola ad Smyrnæos de Servatore nostro loquens, » etc. Et certe in epistola ad Smyrnæos nullum de Polycarpo verbum facit ; neque illi Ecclesiam suam Antiochenam commendat. Quæ cum in epistola ad Polycarpum occurrant, illam procul dubio ab ea, quæ ad Smyrnæos scripta est, Eusebius apertissime distinguit.

Neque alia Hieronymi sententia fuisse videtur ; ait enim [34] : « Inde egrediens scripsit ad Philadelphæos, et ad Smyrnæos, et proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam ; in qua et de Evangelio quod nuper a me translatum est, super persona Christi ponit testimonium. » Nullus perfecto non videt his Hieronymi verbis Eusebii sensum, ut omnia pene ejus verba, exprimi, ac Græcam hujus vocem (δίως per Latinam *proprie* ab illo fuisse redditam. Vox igitur illa *proprie* nihil aliud apud Hieronymum ibi significat, quam privatim, seorsim ac separatim. Atque eodem plane sensu illa eodem in libro non semel ab ipso usurpata legitur. Sic quippe ibidem de Clemente Alexandrino disserit : « De canonibus... liber unus, quem proprie Alexandro Hierosolymitano episcopo προσφώνησε, » et de Apollonio : « Septimum proprie adversus Apollonium elaboravit. » Unde Sophronius in Græca hujus libri versione illud verbum *proprie* per vocem (δίκως, quæ idem ac Eusebiana (δίως sonat, reddidit.

§ III. *Objectio Usserii diluitur.*

Objicit tamen Usserius hæc Hieronymi verba : in qua et de Evangelio [35], » etc., ad epistolam Smyrnæis datam omnino referri ; proindeque illam unam ac eamdem esse cum ea, quæ ad Polycarpum scripta dicitur. Quod quidem, inquit idem Usserius [36], ita verum est, ut « Honorius Augustodunensis in libro *De luminaribus Ecclesiæ* (cui Hieronymianum scriptorum catalogum in epitomen a se redactum inseruit) Epistolam ad Polycarpum in censu scriptorum Ignatii plane prætermittendam esse judicavit. « Sed non magni ponderis est auctoritas Honorii, qui in hac libri Hieronymiani epitome ita sæpe per errorem lapsus est, ut vix ulla fides ipsi haberi possit. Majoris autem momenti est testimonium alterius auctoris longe vetustioris, qui utramque epistolam manifeste distinxit in homilia *De uno utriusque Testamenti legislatore*, quam Photius Chrysostomo, alii vero cuidam ejusdem ætatis scriptori assignant [37].

Præterea cum Honorius librum Hieronymi in epitomen redegerit ; ad illum, qui omnium manibus teritur, semper redeundum est. Si quæ vero in Hieronymi quoque verbis subsit obscuritas, ad Eusebium tanquam ad fontem, ex quo sua Hieronymus hausit, debent omnes recurrere. Atqui Eusebius epistolam ad Polycarpum ab epistola ad Smyrnæos apertissime, ut vidimus, distinxit. Hieronymus ergo idem inter utramque statuit discrimen. Atque hinc liquido colligitur illa ejusdem Hieronymi verba : « In qua et de Evangelio, » etc. non ad posteriora *ad Polycarpum*, sed ad superiora *ad Smyrnæos* esse referenda.

At, inquies, hæc textui Hieronymiano vim faciunt. Sed si verus ille sit verborum Hieronymi sensus, nulla ex vera eorum explicatione textui ejus vis affertur. Neque forsan a vero multum aberrabit, qui dixerit in Hieronymi textu factam fuisse a librariis transpositionem ; nisi Hieronymus, qui Græcos auctores tanta celeritate reddere solebat, sua ipse verba transposuerit.

Instabis, stylum Ignatii in epistola ad Polycarpum non deprehendi, nullique probabile fieri Ignatium,

[32] Supr. cap. 4, [33] Euseb. lib. III, *Hist.*, cap. 36, § 2 et seq. [34] lib. *De script. eccles.* [35] Sup. cit. [36] *De Ignat. epist.* cap. 8, p. 8. [37] Biblioth. cod. 277 et Synod. VII gener., act. 6.

cum ad Polycarpum privatim daret epistolam in ea ad totam Smyrnensem Ecclesiam suum convertisse sermonem. Sed his facile respondemus hanc epistolam eodem, ac alias genuinas Ignatii litteras, scriptam esse stylo. Ecclesiam vero Smyrnensem cum ibi alloquitur, nihil præter temporis sui morem eum fecisse certum est. Nam Dionysius Corinthius ad Soterem summum pontificem privatam scribens epistolam, in ea ad Romanam Ecclesiam stylum sic convertit suum : « Hæc vobis consuetudo est... Atque hunc morem beatus episcopus vester Soter non servavit solum, » etc. Porro Eusebius qui hæc Dionysii verba retulit, sic prosequitur [38] : « In hac ipsa etiam epistola meminit Clementis epistolæ ad Corinthios, quam ex prisca consuetudine in Ecclesia legi solitam testatur. » Nulli itaque mirum esse debet, si Ignatius, qui suam quoque ad Polycarpum epistolam in Smyrnensi Ecclesia publice legendam fore haud immerito suspicabatur, ad omnes universim Christianos suum in illa direxerit sermonem.

PARS SECUNDA.

De interpolationibus genuinarum Ignatii epistolarum, ac de aliis epistolis ipsi falso ascriptis, earumque auctoribus.

CAPUT PRIMUM.

DE INTERPOLATIONIBUS EPISTOLARUM IGNATII.

§ I. *Ignatium harum interpolationum non esse auctorem contra Morini sententiam.*

Secunda epistolarum Ignatii classis easdem, de quibus hactenus disservimus, ipsius litteras sed variis interpolationibus atque additamentis auctas, aliisque depravationibus fœde corruptas et adulteratas complectitur. Harum autem additionum et corruptionum auctorem non esse Ignatium, adeo certum est ; ut etiam ante vulgatas ab Usserio et Vossio genuinarum Ignatii epistolarum editiones, illud viris quibusdam doctis et eruditis fuerit observatum. Nos certe non fugit doctissimum Morinum alicubi asseruisse [39] : « Antiquam Ignatianarum epistolarum editionem genuinum textum nobis exhibere novam vero mancum et interpolatum. » Ac ne quis eum hæc temere dixisse putaret, continuo addidit : « Multa conjecturæ meæ argumenta dare possem. » Rem sane omnibus gratam et perutilem præstitisset vir ille eximius, si ea dedisset argumenta, quibus opinionem adeo singularem, et a vero tam alienam defendi posse arbitrabatur. Nam sinceras ac genuinas Ignatii nostri epistolas in editionibus Usserii et Vossii exhiberi certis invictisque rationum momentis plane demonstratur.

§ II. *Id variis argumentis probatur.*

Primum enim testimonia, quæ Patres antiqui, puta Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Theodoretus, aliique plures ex Ignatii epistolis citaverunt, in iis, non autem in interpolatarum editionibus sincera et integra repræsentantur.

Secundo additiones illæ, quas Usserius, ut eorum a quibus interpolatæ sunt, fraudes magis essent manifestæ, voluit in editione sua esse minio descriptas, nihil aliud sunt, quam loca sacra Scripturæ Ignatiano textui superaddita, vel phrases aut periphrases nec aperte nec convenienter illi adjectæ.

Tertio in iis hæretici, qui Ignatii tempore nondum exstiterant non solum impugnantur, sed nominibus etiam appellantur suis. Ibi insuper de rebus Ignatii tempore nondum usitatis, ac ejusdem ætatis doctrinæ ac disciplinæ contrariis et oppositis sermo instituitur. Tale est illud quod ibi indubitanter affirmatur, Paulum et reliquos apostolos nuptiis fuisse sociatos. Talia sunt quæ de imperatoribus traduntur, et alia plura, quæ omnibus cum sint obvia, iis recensendis diutius non immorabimur.

Hinc itaque liquido intelligitur idem epistolis Ignatii contigisse quod de suis Dionysius Corinthius memorat [40] : « Epistolas, inquit, scripsi, rogatus, a fratribus : sed illas ministri quidam diaboli zizaniis compleverunt, quædam ex illis expungentes ; quædam adjicientes. » Quis autem epistolas Ignatii adulteraverit, harumque interpolationum depravationumque auctor fuerit, si inquiras, dicemus nobis probabile omnino videri illum eumdem esse, qui Ignatii nomine alias publicavit epistolas, de quibus nunc est disserendum.

CAPUT II.

DE ALIIS EPISTOLIS IGNATIO ASCRIPTIS.

§. I. *Analysis harum epistolarum, et primo quidem epistolæ Mariæ ad Ignatium.*

In tertia epistolarum Ignatii classe aliæ quinque collocantur, quibus illa, quam Maria ex Cassobelis ad Ignatium scripsisse dicitur, in editionibus Usserii, Vossii, ac Cotelerii præfixa est. Hac autem in epistola Maria Ignatium certiorem facit Christianam fidem in regione sua fuisse susceptam ; atque idcirco eum deprecatur, obtestaturque, ut mittat ad se Marim episcopum Neapoleos, Eulogium, et Zar-

[38] lib. IV *Histor.*, cap. 23 [39] *De sacr. ordinat.*, part. III, exercit. 3, cap. 3, p. 46. [40] Apud. Euseb. lib. IV *Histor.*, cap. 23.

lum presbyterum : « Ne præsidiis, inquit, divini verbi antistitum et administratorum simus destituti. » Fatetur quidem eos juvenes esse, sed negat quidquam ei ideo fore timendum ; cum Samuel, Daniel, Jeremias, Salomon, Josias, et David in tenera juvenilique ætate populi Israelitici judices, reges, atque etiam prophetæ constituti fuerint. Addit non illum docendi, sed memoriæ causa se illi hæc retulisse exempla. Denique Ignatio et clero ejus cum suis, tum aliorum fidelium verbis et nomine breviter salutatis, claudit epistolam.

§ II. *Analysis aliarum epistolarum quæ Ignatii nomine inscribuntur.*

Ignatius accepta Mariæ epistola, hanc eamdem qua magnas animæ ipsius virtutes perspectas habuit, respondit sibi fuisse gratissimam. Quantis vero, quæ quidem lubentissime pro Christo patiebatur, tormentorum generibus vexaretur, cum Mariæ deinceps significasset, cuncta quæ postulaverat, gratanter se implevisse testatur. Ait autem se etiam exempla omnia, quæ ex Scripturis sacris retulerat, non sine voluptate audivisse ; nec illa ipsa, quorum certam ab ea haberet demonstrationem, putavisse sibi in iisdem Scripturis esse oculis perscrutanda. Dehinc quæcunque de ea, cum Romæ sub Lino pontifice, Clementis antecessore, commoraretur, ipse audierat, vera esse ; illamque majores postea in Christiana perfectione fecisse progressus, certo se agnovisse declarat. Hinc quanto eam invisendi, nisi obstraret « militaris custodia, » flagrabat desiderio, aperit. Interim vero ut eos, qui Christi nativitatem et passionem in carne negabant, fugiat, vehementer adhortatur. Tum demum iis, qui sicut ipsa salutissuæ satagebant, consalutatis, eidem presbyterorum suorum ac diaconorum, in primis autem Heronis et Cassiani, ejusdemque cum uxoris tum filiorum nomine salutem impertit.

Secunda epistola Philippis ad Tharsenses data est, qua auctor se a militibus, quibus Antiochia Romam ducebatur, variis cruciatibus torqueri, sed ad omnia tormenta pro Christo perferenda paratum se esse nuntiat. Eos deinde obsecrat, ut in fide Christiana firmi perseverent, atque ab iis hæresibus, quas ille recenset et impugnat, sedulo caveant, admonet. Insuper autem illos hortatur, ut nonnulla, quæ notat, vitia fugiant ; ac continenter omnibus cujuslibet conditionis hominibus varia tradit vitæ morumque præcepta. Tandem ut Deum pro se exorent, rogat ; ipsisque postquam Ecclesiam suam Antiochenam commendasset, variis salutationibus absolvit epistolam.

Tertia ad Antiochenos directa, Philippis quoque scripta est. In ea auctor, ex quo pacem illis redditam accepisset, sua sibi vincula levia et portatu facilia esse profitetur. Illos autem obsecrat, ne variis gentilium, qui plures deos adorabant ; neque Judæorum, qui unum tantum esse credentes, divinitatem Christi negabant, patiantur se erroribus decipi. Quapropter contra quatuor diversa circa eamdem Christi divinitatem et Incarnationem, hæresum genera totidem elicit conclusiones. Non diffitetur tamen Antiochenos ab iis erroribus longe esse alienos ; nec alia mente isthæc ad eos se scripsisse dicit, nisi ut eorum animos adversus hæreses tam perversas præverteret ac præmuniret. Subdit se ea, quæ præsens dixerat, absentem scribere, illosque Petri et Pauli discipulos fuisse, ac Evodium habuisse episcopum et pastorem ; proindeque vitæ, quæ tantorum virorum decebat filios, ipsis semper esse agendam. Eapropter varia illis tradit vitæ Christianæ documenta, ac omnibus et suo et aliorum nomine salutatis, illi tandem quem in episcopatu Antiocheno successorem habiturus erat, salutem dicit.

Philippis rursum exarata est epistola quarta, et data ad Heronem diaconum, quem auctor plurimis morum institutis ita imbuit, ut nonnulla adversum quatuor hæreticorum genera, identidem admisceat. Subinde eum quomodo a se educatus fuerit, ac se imitari oporteat, commonefacit ; prænuntiatque ipsum in episcopatu Antiocheno, quo se dignum præstare debebat, sibi fore subrogandum. Posthæc ipsum episcoporum Viti, Damæ et Polybii nomine salutat, oratque ut suis vicissim verbis presbyteris, diaconis, populoque Antiocheno, et quibusdam nominatim, præcipue vero Mariæ ex Cassobelis nuntiet salutem ; ac tandem longum illi in Ecclesiæ utilitatem, cursum vitæ optat atque precatur.

Principio epistolæ ultimæ, quæ ad Philippenses directa est, auctor se omnium, quæ ab illis acceperat, beneficiorum memorem esse testificatur, atque ad eos se hanc idcirco exarasse epistolam, ut quid circa Trinitatis atque Incarnationis mysteria ab omnibus esset credendum, palam faceret. Probat itaque tres in Trinitate esse personas, unius quidem nominis, ejusdemque honoris, sed a se invicem distinctas ; Christum vero carnem humanam vere assumpsisse, eumque vere, non ficte et simulate mortuum, et a mortuis suscitatum. Subdit diabolum lapidem omnem movisse, ut Judæos ad Christum crucifigendum impelleret ; sed cum hac ipsius morte certam perniciem exitiumque sibi inferri sensisset, tunc illum totis viribus, omnique conatu frustra huic morti obstitisse. Quapropter diabolum longa apostrophe alloquitur, ostenditque varios ab eo de Christi divinitate et incarnatione, secum invicem pugnantes, malis artibus errores disseminatos ; sed illi plura, quæ recenset, de ipso Incarnationis mysterio fuisse incomperta demonstrat. Post hanc autem diaboli apostrophen, in qua fuse de tribus Christi in deserto tentationibus disserit, nonnulla de festorum diebus, Quadragesima, Paschate, ac de recta vivendi ratione ibidem subnectit. Dehinc Antiochenam Ecclesiam Philippensibus commendat, variisque salutationibus additis, hanc epistolam circa Rhegium, cum jam navi sub-

vehendus esset, se dedisse testificatur. Denique cum salutem corporis, animæ et spiritus iisdem Philippensibus optasset, epistolam obsignat.

CAPUT III.

PROBATUR HAS OMNES EPISTOLAS FALSAS ESSE ET SUBDITITIAS.

§ I. *Probatur has omnes generatim epistolas esse falsas et adulterinas.*

Has omnes epistolas subditicias esse, Ignatioque nostro perperam ascriptas, variis rationum momentis, quæ eas universim singulatimque spectant, facile convincitur. Primo enim Eusebius, Hieronymus, aliique scriptores eruditissimi eas tantummodo epistolas, quæ in editionibus Usserii et Vossii exhibentur, Ignatio adjudicant. At si quæ aliæ ab eo essent scriptæ, tantorum profecto virorum curam et diligentiam, summunque in investigandis priorum Ecclesiæ Patrum lucubrationibus laborem non fugissent, nec tam alto silentio ab eis fuissent prætermissæ.

Præterea, id quoque probat idem omnium harumce epistolarum stylus, ab Ignatiano, quem auctor frustra imitari conatus est, omnino alienus.

Denique maxima est has inter epistolas cognatio et connexio. Nam secunda, tertia et quarta ex eadem Philippensi urbe datæ leguntur, et in quarta Maria ex Cassobelis, ad quam prima epistola scripta est, nominatim salutatur. Si ergo una ex his epistolis, sic sibi invicem connexis, adulterina sit, et alias quoque omnes adulterinas esse oportet. Jam itaque non unam tantum, sed omnes adulterinas, falsas et suppositas esse singulatim probandum est.

§ II. *Epistolas Mariæ ex Cassobelis ad Ignatium et Ignatii ad Mariam esse suppositas.*

Primum epistolam Mariæ ex Cassobelis ad Ignatium, et Ignatii ad Mariam responsionem adulterinas esse inde demonstratur; quod Maria quæ Ignatium omnium Christianorum nomine salutat, ab eo tamen ut Marim et Eulogium, licet juvenes, alterum suæ Neapoleos episcopum, alterum presbyterum ad suæ mittat Ecclesiæ administrationem, sua sola ac privata auctoritate postulat; idque Ignatius illi ultro concedit. Quod sane quantum usui moribusque illorum temporum contrarium sit, nemo non videt.

Secundo, Maria ut Ignatius postulatis suis annueret, varia profert Scripturæ sacræ exempla, de quorum veritate ex sola ejus relatione, nec perlectis Scripturæ paginis, nunquam ille se dubitasse testatur. Quis autem credat Ignatium exempla illa, quæ nullus in Scripturis non omnino peregrinus ignorat, vel nescisse, vel memoria non retinuisse, atque illum tanta simplicitate omnem mulieri asserenti tribuisse fidem.

Tertio, Auctor affirmat se hanc scripsisse epistolam, cum Clemens Romanam Petri sedem teneret, et cum ipse esset sub « militari custodia, » id est, cum ad martyrium duceretur. At nemo est qui nesciat Ignatium longo post Clementis pontificatum tempore martyrio fuisse coronatum.

§ III. *Alias quoque epistolas esse adulterinas.*

Epistola secunda suam quoque falsitatem aperte prodit; in ea siquidem auctor hæresim Sabellii, quæ Ignatii tempore nondum fuerat disseminata, non obscure confutavit.

Deinde Paulus hoc solo nomine, *Apostolus*, ibi laudatur. Atqui cum Ignatii tempore eo per antonomasiam cognomine fuisse appellatum, vero non videtur simile.

Falsitas tertiæ epistolæ inde arguitur, quod Antiochena Ecclesia vocetur: « Christi nova oliva, » et paulo post Antiocheni Petrum et Paulum magistros, Evodium vero episcopum habuisse dicuntur. Sed Petrum anno Christi 39 Antiochiam venisse, ibique Ecclesiam fundasse, atque illuc Paulum, comite Barnaba, adventasse, scriptis traditum est. Quo ergo pacto hæc eadem Ecclesia circa annum 108, quo Ignatius ad martyrium properabat, potuit « Christi nova oliva » appellari?

Præterea auctor ibidem salutat subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, custodes sanctarum portarum, etc. Atqui juxta doctissimorum criticorum sententiam hi ordines, eorumque nomina primo Ecclesiæ sæculo incognita fuerunt. Quamvis autem quidam, variis Laodicenæ synodi, Epiphanii, Constitutionumque apostolicarum testimoniis, diligenter ponderatis, originem, initiumque horum ordinum, nulli hactenus comperta fuisse asserant; illud tamen certum est quod, si ignatii tempore quidam iis ordinibus fuissent initiati, ille in veris suis epistolis aliquam illorum, sicuti virginum et viduarum, fecisset mentionem.

Quod in quarta epistola legitur Onesimum, Damam et Polybium ad Ignatium invisendum in Philippensem urbem se contulisse, id falsitatem ejus manifeste declarat. Ex genuinis enim Ignatii epistolis tres illos episcopos ad Ignatium salutandum Smyrnam venisse discimus. At eosdem persecutionum tempore eamdem rursus de causa ad urbem Philippensem adventasse, nulli, ut putamus, fiet credibile.

Præterea quidam Manichæorum errores, nempe carnem, vinum, feminas detestabiles et exsecrandas; damnandas nuptias; legem et prophetas, id est Vetus Testamentum esse rejiciendum, ibi exagitantur et refutantur. Huc accedit quod auctor Mariam ex Cassobelis, quæ ad Ignatium, et ad quam Ignatius epistolam scripsisse fertur, jubet suis verbis salutari. At utramque hanc epistolam adulterinam esse jam demonstravimus.

Ultima quoque epistola evidentes apertasque præ se fert falsitatis notas et charactares. Prolixa namque ad dæmonem allocutio et apostrophe fetus est inepti declamatoris, qui verba Ignatii [44]. « Latuit

[44] *Epist. ad Antioch.*

principem sæculi hujus virginitas Mariæ, » insulsa amplificatione exornare conatus est.

Secundo, quæ de festis, Quadragesima, atque Paschate ibi habentur, hæc ex Constitutionum apostolicarum libris, quos Ignatius nunquam legerat, desumpta sunt.

Denique auctor ibi Manichæorum atque Patripassianorum errorem refellit. At Praxeas Ignatio posterior : « Primus ex Asia, inquit Tertullianus [42], secundum hoc genus perversitatis intulit Romanæ humo. » Hæc igitur epistola, atque aliæ superiores nothæ sunt et spuriæ, et Ignatio nostro perperam et falsissime ascribuntur.

CAPUT IV.

DE ALIIS EPISTOLIS LATINIS, IGNATII NOMINE INSCRIPTIS.

§ I. *Analysis harum epistolarum.*

Quarta epistolarum Ignatii classis duo illius epistolia ad Joannem apostolum et evangelistam, et tertium ad Deiparam Virginem, ejusdemque Virginis responsum continet.

In primo auctor Joannem, ut ad se venire properet ; ac Mariam Dei genitricem, et Mariam Salome, quam eximiis laudibus extollit, secum adducat, vehementer adhortatur.

In secundo autem epistolio Joanni significat quanto Deiparam Mariam, Jacobum fratrem Domini, aliosque apostolos videndi desiderio teneatur.

Orat Mariam in tertio, ut eorum quæ de Jesu, divino ejus Filio, audierat, se faciat certiorem. Maria autem quarto epistolio respondet, et ea omnia vere esse, et ab ipso credenda, atque ad eum se venturam esse pollicetur.

§ II. *Illas adulterinas esse demonstratur.*

Nullus fere est, qui nunc hæc epistolia falso Ignatii nomine inscribi non fateatur. Et certe quis vel ex sola paulo attentiori lectione eorum falsitatem confestim non deprehendat ? Neque enim Ignatius ad Mariam Dei genitricem, neque Dei genitrix ad Ignatium ejusmodi epistolia scripturi erant, ab eorum gravitate et ingenio tam aliena. Quid quod? illa epistolia Latine tantum scripta hactenus inventa sunt, nec Græca unquam fuisse videntur. Denique apud omnes antiquos auctores, qui de Ignatii epistolis seu veris seu falsis, sive interpolatis, sive sinceris aliquid scripto mandaverunt, nullum omnino, ne minimum quidem de his epistoliis verbum occurrit.

Neque dixeris in Dextri Chronico eorum fieri mentionem. Nam opus illud auctoris est valde recentis, nulliusque nominis vel auctoritatis, et Dextro fallaciter attributum.

Scimus quidem divum Bernardum scripsisse [43] : « Magnus ille Ignatius..... Mariam quamdam in pluribus, quas ad eam scripsit epistolis Christiferam salutat. » Sed ex voce illa « quamdam, » quæ in manuscriptis codicibus legitur, omnes facile intelligunt epistolas Dei genitricis Mariæ a Bernardo, tantæ erga eam pietatis et devotionis viro, jam frigida appellatione non fuisse citatas. Probabilius itaque est epistolam pseudo-Ignatii ad Mariam ex Cassobelis, in cujus inscriptione Christifera dicitur, a mellifluo doctore laudari. Porro cum ille hanc epistolam criticorum ponderibus non examinasset, illam Ignatio nostro juxta vulgarem sui temporis morem tribuere non dubitavit.

CAPUT V.

QUI FUERINT INTERPOLATORES GENUINARUM EPISTOLARUM IGNATII, ET ADULTERINARUM AUCTORES.

§ I. *Num ab auctore Constitutionum apostolicarum sint profectæ.*

Interpolationes epistolarum Ignatii, et epistolæ falso ejus nomine inscriptæ unum eumdemque videntur habere auctorem. In iis siquidem omnibus, idem stylus, idem impostoris maleque feriati hominis ingenium, omnes denique ejusdem scriptoris characteres facile deprehenduntur. Usserius autem arbitratur eum esse, qui falsos apostolorum canones, Constitutionesque apostolicas divulgavit. Quam quidem opinionem ut probaret, varia ex omnibus his lucubrationibus adduxit loca, quorum pleraque a Cotelerio in editionis suæ marginibus citata sunt ; atque ea paria, sibique invicem similia esse demonstrare conatus est. Verum ex hoc argumento illud tantum conficitur, unum horumce scriptorum auctorem ab alio plura fuisse mutuatum ; sed inde unum eumdemque horum omnium esse auctorem nullo unquam modo probari a quoquam poterit.

§ II. *Quo tempore in lucem prodierint.*

At certe Usserius a vero propius abest, cum interpolationes, epistolasque illas sexto Ecclesiæ sæculo publicatas esse asserit. Exeunte etenim sæculo quinto varæ Ignatii epistolæ laudantur a Gelasio et Theodoreto ; falsæ vero et supposititicæ a Stephano Gobaro circa annum 580, atque eas ab Anastasio Antiocheno patriarcha circiter annum 595, et ab aliis deinceps citatas legimus [44].

Porro autem si falsi canones, ac pseudepigraphæ Constitutiones apostolorum, sæculo, ut quidam autumant, quarto, vel ante sextum sæculum in lucem prodierunt, ex iis procul dubio pseudo-Ignatium illa omnia quæ ab Usserio et Cotelerio referuntur, transcripsisse necesse est.

Quod tandem ad quatuor epistolia, quæ in quarta epistolarum Ignatii classe collocantur, pertinet, ea procul dubio a Latino, uti observavimus, scriptore edita fuisse vero videtur simillimum. Quo autem tempore ille vixerit, non est promptum definire ; nam incertum est utrum Bernardus unum ex iis laudaverit. Citantur quidem in speudo-Dex-

[42] lib. *Contra Prax.* cap. 1. [43] Serm. 7, *in Psalm. Qui habitat*, etc. [44] Apud Photium in Biblioth. cod. 232.

tri Chronico; sed quando illud scriptum sit nemo exploratum habet. Si quid vero dandum conjecturis, ex horum epistoliorum stylo et Latinitate, nos illa manus recentioris, et Græcis pseudo-Ignatii epistolis longe posterioris esse non absurde dici posse credimus.

PARS TERTIA.

De editionibus et versionibus omnium Ignatii epistolarum, tam genuinarum quam adulterinarum, ac variis in eas notis et observationibus.

CAPUT PRIMUM.

DE EDITIONIBUS ET VERSIONIBUS EPISTOLARUM IGNATII.

§ I. *De editionibus Latinis.*

Prima, quæ in manus nostras venit, epistolarum Ignatianarum editio, Parisiis anno 1494, prodiit, illaque tres tantum epistolas, duas ad Joannem apostolum, tertiam ad Dei genitricem Mariam complectitur. Anno autem 1498 Faber Stapulensis undecim alias vulgavit, quæ deinceps Argentorati, et Basileæ, ac tandem anno 1575, in fine Operum Dionysii Areopagitæ editæ sunt. Postea Symphorianus Champerius easdem anno 1676 prælo Ascensiano rursum subjecit, ac epistolas ad Joannem, et ad Mariam Deiparam, atque unam ad Mariam ex Cassobelis, hactenus ineditam, eis subjunxit. Hæc autem Champerii editio variis typis Antuerpiæ, Basileæ, Coloniæ, Parasiis, aliisque in urbibus excusa est. Porro hæ omnes editiones Latine tantum prodierunt.

§ II. *De editionibus Græcis, et versionibus.*

Valentinus Pacæus anno 1557 has epistolas Græce « ex antiquissimo Ferdinandi Augusti, sive Augustanæ Bibliothecæ codice, » addita Perionii versione, edidit. In hac autem editione, quam Morellus bis anno 1558 et 1562 recudit, eæ solum exstant epistolæ, quas Faber, uti diximus, Latine divulgaverat. Dehinc Andreas Gesnerus easdem ex manuscripto Bibliothecæ D. Gaspari a Nydphrych iterum Græce, atque etiam Latine, « interprete Joanne Brumero publicavit. » Arbitrabatur quidem se primum illas publici fecisse juris; sed ipsi procul dubio editio Pacæi incognita esse debebat. Rursus vero anno 1566 Hieronymus Vairnelius Sylvius easdem epistolas, ad quosdam manuscriptos codices emendatas, nova versione donatas, pluribusque observationibus auctas, novis edidit Plantini typis. Anno autem 1608 Martialis Mæstræus illas, novis quibusdam notis superadditis, iterum in vulgus protulit. Posthæc Genevæ anno 1623 Nicolaus Vedelius Academiæ professor, et Calvinianæ sectæ minister, castigata post Mæstræum Vairnelli Sylvii versione, easdem Græco Latinoque charactere emisit in lucem.

§ III. *De editione Usserii.*

Jacobus Usserius archiepiscopus Armachanus posteaquam vulgatas Ignatii epistolas cum tribus manu exaratis codicibus, qui antiquam versionem Latinam exhibebant, contulisset, duos alios itidem manuscriptos codices, sed pretii multo majoris fortunate invenit, unum in publica collegii Gunwelli et Caii apud Cantabringenses bibliotheca; alterum in privata D. Richardi Montacutii Norwicensis nuper episcopi bibliotheca repositum. Duo autem antiquissimi illi epistolarum Ignatii codices Latinam, qua genuinus earum textus absque ullis interpolationibus vel additamentis redditur, versionem repræsentant. Ex his itaque duobus libris, atque aliis tribus supra memoratis, novam omnium Ignatianarum epistolarum editionem, præfixa iis Polycarpi ad Philippenses epistola, sic adornandam suscepit. Primum genuinis Ignatii epistolis interpolatis, Græce et Latine excusis, locum dedit; sed antiqua earum Latina versione ad tres supradictos codices manuscriptos emendata usus est; atque ut interpolationes ab omnibus facilius deprehendi possent, eas nimio exarari jussit. Has excipiunt epistolæ falso Ignatii nomine inscriptæ, quibus epistolam Mariæ Cassobelitæ ad Ignatium ille præfixit, et trium supradictorum codicum ope varios Latinæ earum versionis nævos abstergere conatus est. Ultimo tandem loco ponitur antiquissima, uti diximus, versio genuinarum Ignatii epistolarum, e quarum numero epistola ad Polycarpum immerito excluditur.

§ IV. *De editione Vossii.*

Cum Vossius iter in Italiam ageret, et Florentinam Ferdinandi II Etruriæ ducis, Bibliothecam perlustraret, incidit in codicem Græca manu exaratum, qui easdem atque ab Usserio Latine editas, genuinas, et sine interpolationibus et additamentis epistolas Ignatii continebat. Codex ille centum ante annis a Turriano, ut creditur visus, nec veras Ignatii epistolas a falsis suppositiisque distinguit, nec integer est; quippe qui epistolam sancti martyris ad Romanos non exhibeat amplius. Vossius itaque ad suos redux, novam Amstelodami anno 1646 epistolarum Ignatii editionem adornavit, qua Græcas ex illo Florentino codice, Latinas vero ex antiquissima versione, ab Usserio vulgata, emisit in publicum. His vero epistolis alias cum

adulterinas tum interpolatas cum suis antiquis versionibus Latinis adjunxit.

§ V. *De editione appendicis Usserianæ, Cotelerii, et aliorum.*

Subsequenti anno Usserius, visa Vossii editione, Ignatianam Londini accuravit appendicem, qua genuinas tantummodo Ignatii epistolas Græce et Latine complexus est. In ea primo Græcum Vossianæ editionis textum ex Latina versione antiquissima, et Junii Vossiique conjecturis corrigere aggressus, ex duabus deinde earumdem epistolarum versionibus Latinis, altera antiquissima, altera a Sylvio edita,unam ille composuit. Quoniam autem epistola ad Romanos ex manuscripto Florentino fuerat avulsa, illam cum Græcis martyrii Ignatiani Actis, tam a Metaphraste editis, quam aliis a se repertis, ibidemque primum publicatis collatam, mendisque expurgatam voluit cæteris omnibus subnecti.

Cotelerius in sua Operum SS. Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt,editione omnes Ignatii epistolas, veras, interpolatas, subditilias, adulterinas, sed a se invicem distinctas, et suo quasque collocatas in ordine, typis iterum mandavit. Duas ibi earum dedit versiones Latinas, quarum prima genuinas, secunda supposilas interpretatus est. Sed prior ultimæ versionis Usserianæ, posterior versionum Sylvii et Mæstræi potius emendatior interpretatio dicenda est,quam nova.

Denique epistolæ Ignatii in omnibus Bibliothecarum Patrum editionibus habuerunt locum ; sed nullibi nisi in Græco-latina typis Græcis excusæ sunt. In aliis vero variæ exhibentur versiones Latinæ ; et quidem in Orthodoxographia versio antiqua ; in Bibliotheca Parisiensi et Coloniensi, et Græco-latina interpretatio Sylvii reposita est. In bibliotheca demum Lugdunensi duæ sunt earumdem epistolarum interpretationes, quarum una ex Sylvii, altera ex Vossii editione desumpta quidem fuit ; sed illæ in hæc posteriore fraudulento falsoque genuinarum Ignatii epistolarum titulo inscribuntur.

CAPUT II.

DE VARIIS IN IGNATII EPISTOLAS NOTIS ET OBSERVATIONIBUS.

§ I. *De notis et observationibus Vairnelii Sylvii, Martialis Mæstræi, Nicolai Vedelii et Billii.*

Ex iis qui aliquam epistolarum Ignatii editionem adornaverunt, plurimi illas notis observationibusque suis illustrare aggressi sunt. Ac primum quidem Vairnelius Sylvius quædam in eas observat, ad textus Græci aut versionis suæ explicationem conducentia ; sed quæ ad textum spectant, pauciora sunt, minorisque momenti. Ea tamen in omnibus Patrum Bibliothecis publicata fuerunt.

Martialis Mæstræus plures quoque in easdem animadversiones vulgavit, quarum aliæ ad textum Græcum, versionemque suam pertinent ; aliæ ad ejusdem textus illustrationem, atque illius contra novatores, in primisque Scultetum defensionem sunt editæ. Sed cuique præterea epistolæ suam analysin, iisque omnibus synopsin Vitæ Ignatii et omnium epistolarum apologiam præmisit. At certe si ille in rebus criticis magis fuisset exercitatus, vel post Usserii Vossiique editiones, suam dedisset apologiam, nunquam profecto adulterinas, suppositiasque epistolas,æque ac veras Ignatio adjudicandas esse suum in animum induxisset.

Nicolaus Vedelius post singulas quasque epistolas longam dissertationem, variis capitibus distinctam,subjunxit,qua Calvinianæ suæ sectæ errores, et alia quædam doctrinæ, disciplinæque ecclesiasticæ capita adversus Bellarminum ac Baronium propugnanda suscepit. In calce autem adjecit : « Notas criticas, et observationes quasdam philologicas in epistolas septem germanas Ignatii. » In iis quandoque versionem suam,quandoque genuinas Ignatii epistolas tuetur et asserit, quandoque earum interpolationes indicat, quandoque tandem textum earum explicat aut corrigit.

Billius quoque quasdam, ut ipse ait, observatiunculas ad Ignatiani textus Græci, vel Latinæ illius versionis emendationem posteritati reliquit.

§ II. *De adnotationibus Usserii, Vossii et Cotelerii.*

Usserius vero plures edidit adnotationes, « in quibus, inquit ille, Græcorum exemplarium, et inter se,et cum utraque vetere Latina interpretatione comparatio continetur. » Sed cum illæ genuinas tantum epistolas Ignatii spectarent, alias in commentitias et adulterinas in Appendice sua posthæc edidit. Priores ut præfert titulus, quasdam Ignatiani textus correctiones, aut variantes manuscriptorum codicum lectiones exhibent.Posteriores vero vel aliarum epistolarum falsitatem, aut illarum cum apostolicis Constitutionibus similitudinem patefaciunt et demonstrant.

Adnotationibus Vossii solus genuinarum epistolarum textus castigatur, aut enodatur ; nonnullis tamen,sed paucissimis quarumdam veritas epistolarum asseritur. Postquam autem Blondellus non nulla harum animadversionum errata arguisset, tunc Vossius epistola, ad Rivetum data, atque a Pearsonio in calce Vindiciarum suarum vulgata, ad illas strenue propugnandas aggressus est.

Postremo Cotelerius in omnes Ignatii nostri epistolas notas emisit atque observationes. Quas vero in genuinas ille protulit, eæ cæteris omnibus sunt longiores, iisque non solum textus illustratur, sed hæ potissimum epistolæ Ignatio vindicantur. In aliis porro adnotationibus textum auctoris ex variis aliorum Patrum testimoniis præcipue explanat, ac quibusdam in locis de virginitate, de apostolorum conjugio,nonnullisque de hæreticis sermonem disputationemque instituit. Cæterum omnes illæ doctissimi viri observationes ejusdem sunt generis,

ac eæ quas in Barnabæ epistolam edidit. In utrisque tamen, ne quid dissimulemus, illud eruditi desiderant, ut a proposito auctoris sui textu minus sæpe ille digressus fuisset, nec suis tam facile indulsisset conjecturis.

CAPUT III.

QUÆDAM NOVÆ OBSERVATIONES IN IGNATII EPISTOLAS.

§ I. *De Christi divinitate.*

His doctorum hominum observationibus si aliquid adjicere nobis liceat, primo adnotabimus supremam Christi Domini divinitatem ab Ignatio nostro clare et perspicue asseri et defendi. A nobis enim jam demonstratum est Verbi divini æternitatem ab illo plane omnino et aperte his explicari verbis : Ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐχ ἀπὸ σιγῆς προελθών, « qui est ipsius verbum æternum non a silentio progrediens [45]. » Atqui si Christus est Verbum Patri suo coæternum, is ipse et ejusdem cum ipso naturæ, idemque ac ille sit Deus, omnino necesse est.

Neque ibi tantum, sed in aliis etiam epistolis suis eamdem Christi divinitatem constantissime docet et prædicat : « Glorifico, inquit [46], Jesum Christum Deum. » Alibi vero : « Unus est medicus carnalis et spiritualis, factus et non factus, in carne Deus [47]. » Hæc quippe ultima Ignatii verba ab Athanasio, Theodoreto, Gelasio contra antiquos divinitatis Christi impugnatores citata, illam ita invicte explicant, ut a nullo hactenus infirmari unquam potuerint.

Quamobrem quidem e Socinianorum secta, neotericus scriptor, cum claritatem hujusce testimonii nullis impiæ mentis artibus obscurare posset, eo venit impudentiæ, ut scribere ausus sit : In Ignatii epistolis propositiones quasdam incommodas et insulsas reperiri, ac proinde eum in sua de Christi divinitate sententia facile decipi potuisse « ex traditione alicujus pseudo-Christi, et pseudo-apostoli. »

Sed nullus unquam in Ignatianis epistolis ullam incommodam aut insulsam propositionem assignabit. Deinde quamvis Ignatius alicubi in rebus exiguis vel nullius momenti aliquid humani passus esset ; certum tamen est virum illum, vere apostolicum, et martyrio jamjam coronandum, in summo ac præcipuo totius Christianæ religionis capite a nullo pseudo-Christo aut pseudo-apostolo fuisse deceptum. Temerariæ ergo illæ impiorum hominum responsiones explodendæ sunt, eique doctrinæ inhærendum, pro qua non solum Ignatius, sed innumeri martyres sanguinem suum constantia admirabili planeque divina profuderunt.

§ II. *De sacro Christianorum altari.*

Neque illud etiam perfunctoria observatione debet adnotari, quod Ignatius de sacro Christianorum altari ad Ephesios scribit : « Si quis non sit intra altare, τοῦ θυσιαστηρίου, privatur pane Dei. » Et ad Philadelphæos : « Una enim caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, ἓν θυσιαστήριον. » His in locis vocem θυσιαστήριον in sua propria, vera ac genuina significatione, nimirum pro sacra mensa, in qua Christi corpus immolatur, usurpari certissimum est. Unde profecto refutantur Calviniani, qui verum Christi corpus in eucharistia esse negantes, vocem quoque θυσιαστήριον *altare* vero ac proprio significatu per tria prima Ecclesiæ sæcula ab antiquis Patribus acceptam inficiantur.

Frustra autem objicit Vedelius eucharistiam Ignatii tempore ad mensam ligneam, quæ altare proprie dictum non erat, fuisse administratam. Incertum namque primo est utrum his Ecclesiæ temporibus Christiani tabula lignea vel lapidea uterentur. Secundo, non materies lapidea aut lignea, sed sacrificium super mensam, cujuscunque materiei sit, ab homibus Deo oblatum, altare proprie dictum constituit.

Neque vero id majoris momenti est, quod idem Vedelius eo quia mulieribus, ne ad altare accederent, nonnullis canonibus vetitum esset [48], inde Ignatium non de aliquo materiali, sed de spirituali, precum scilicet et orationum altari, intelligendum esse contendit. Enimvero idem ipse Vedelius cum hos citat canones, qui vocem altaris vero ac germano sensu usurpant, seipsum imprudens jugulat. Deinde Ignatius de eucharistia loquitur, ac proinde non de spirituali ac metaphorico, sed de materiali et vero altari eum loqui necesse est. Denique si mulieribus altaris accessu olim interdicebatur, per divini tantum officii tempora, non autem cum eucharistia accipienda esset, illud eis prohibitum fuit.

Instabis primis Ecclesiæ sæculis vocem « altare » rarius adhibitam a Patribus, qui cum adversus ethnicos disputarent, ulla Christianis altaria fuisse constanter pernegabant. Sed his facile respondeas primo vocem illam « altare » ab Ignatio, quidni et ab aliis quorum scripta perierunt, non raro, sed sæpe usurpatam. Secundo, si primi Ecclesiæ Patres in suis contra paganos scriptis et disputationibus nulla Christianis altaria fuisse dixerunt, in aliis operibus, aut sermonibus ad Christianos habitis, sua ipsos altaria habuisse asserebant. Quamobrem cum antiquissimi illi scriptores sibi ipsis contrarii esse non possint, iidem procul dubio ubi illud inficiantur, ibi de altaribus publicis, in quibus sacrificia maximo apparatu et paganorum more fierent, sunt intelligendi. Et certe cum ipsi eucharistiam verum corporis et sanguinis Christi sacrificium esse omni asseveratione affirment, apud Christianos verum

[45] Sup. part. I, cap. 12, § 5 et 6, [46] Epist. *ad Smyr.* [47] Epist. *ad Ephes* [48] conc. Laodic. can. 44.

ac proprium altare aliquod fuisse negare non potuerunt.

§ III. *In eucharistia verum esse Christi corpus.*

Ex his autem scriptoribus noster in primis Ignatius verum in eucharistia esse Christi corpus disertissime docet. Siquidem ubi de hæreticis, qui Christum non veram, sed fictam et simulatam carnem assumpsisse garriebant, sermonem habet : « Ab eucharistia inquit [49], abstinent, propter non confiteri carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passam, » etc. Et vero si tunc Christiani in eadem ac Calviniani nostri fuissent sententia, eucharistiam corporis Christi nudam duntaxat esse figuram, ab eis non potius illa rejici debuit, quam baptismus, qui vere mortis Christi figura esse dicitur. Imo ab illis et eucharistia non B secus ac baptismus ambabus ulnis suscipienda erat ; quippe qua Christum nullibi, nisi in figura, non reipsa exstitisse concluderent. Cum ergo ab illa abstinuerint, in eadem ipsa verum corpus Christi esse persuasum habebant.

Objiciet forsitan aliquis eucharistiam, etsi nudam corporis Christi figuram, ideo tamen ab eis rejectam ; quia, ut ait Tertullianus [50] : *Vana res, quod est phantasma, figuram non admittit.* Sed huc illa Tertulliani auctoritas perperam adducetur. Ibi enim doctus ille vir Marcionem, qui Christum fictum hominem et phantasma fuisse delirabat, hoc testimonio Jeremiæ [51] dicentis : *Venite, mittamus lignum,* etc., egregie refellit, ostenditque eo loci panem non figuram Christi simplicem et nudam, sed prophe- C ticam appellari. At in eucharistia juxta Calvinistarum opinionem non futuri corporis prophetica, sed corporis vere exsistentis figura est. Quis autem revocabit in dubium aliquam corporis, quod simulate et ficte tantum exsistit, posse esse figuram. Hæretici ergo illi hanc ob causam eucharistiam, sicuti baptismum, quem fictæ Christi mortis figuram esse concedebant, respuere non debuerunt.

Vim hujusce argumenti cum sentiret Claudius, Charentonensis olim minister, in aliam abiit sententiam. Respondit itaque [52] hos hæreticos stulto credidisse Christum, qui verum corpus non habuit, his verbis : *Hoc est corpus meum,* panem, ut corpus suum fieret, revera adoptasse. Id vero ut probet, Tertullianum, loco a nobis supra citato, testem D producit. Sed ibi Tertullianus de illa hæreticorum stulta opinione ne minimum quidem verbum fecit.

Instat ille ex Bellarmino ab hæreticis illis non tam sacramentum eucharistiæ, quam mysterium Incarnationis fuisse impugnatum. Quid inde ? Nunquid mysterium Incarnationis aliter impugnari non potest ; nisi Christus panem, ut suum corpus esset, adoptasse dicatur ? Hæc vana quam vana sint et futilia, nemo non videt.

A § IV. *Diaconos eucharistiæ non ciborum et potuum esse ministros.*

Observandum quoque diaconos inter sacros adorandi eucharistiæ sacramenti ministros ab Ignatio computari [53] : « Oportet et diaconos ministros exsistentes mysteriorum Jesu Christi.... Non enim ciborum et potuum sunt ministri. » Hinc etiam Stephanus, unus ex septem primis Ecclesiæ diaconis, ab Ambrosio [54] vocatur : « Minister altaris ; » et Laurentius apud eumdem doctorem, Sixtum summum pontificem his verbis compellat [55] : « Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem. » Sed illud potissimum in verbis Ignatii animadvertendum, quod ipse de iisdem diaconis addidit : « Non enim ciborum et potuum sunt ministri. » Etenim hi primum quidem ut viduarum pauperumque curam gererent, ab apostolis sunt ordinati. Verum secundarium illud eorum munus, quamvis primæ ipsorum electioni occasionem præbuisset ; quibusdam tamen in regionibus paulo post fuit mutationibus obnoxium. Porro si quid contra Justinianus et synodus Trullana definierint, hac in re ex male intellectis, cum Neocæsariensis concilii [56], tum Chrysostomi verbis ab antiqua Patrum traditione recesserunt.

§ V. *Ecclesiasticam hierarchiam tribus tantum sacris ordinibus componi, et episcopos presbyteris esse superiores.*

Animadvertendum præterea Ignatium res Ecclesiæ ministrorum ordines nec plures ullibi memorasse, episcopos scilicet, presbyteros et diaconos. Unde C intelligas ecclesiasticam hierarchiam in his tantum tribus ordinibus ab eo fuisse constitutam. Quod quidem synodus Tridentina hoc canone diserte confirmat et definit [57] : « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit. » Addamus, si lubet, Ignatium ubique etiam episcoporum præ presbyteris excellentiam ita clare docuisse, ut hanc ob causam Calvinistæ omnem, uti fuse a nobis demonstratum est, moverint lapidem, quo has epistolas ab Ignatio scriptas non fuisse ostenderent. Sed irriti fuerunt injusti eorum conatus, ac victrix ubique veritas semper triumphavit.

§ VI. *De codicibus manu exaratis harum epistolarum.* D

His observationibus et illud adjiciemus, nullum epistolarum Ignatii codicem manu exaratum hucusque repertum fuisse, qui omnino integer sit et incorruptus. Qui enim hactenus usui fuerunt, ii pene omnes veras et falsas Ignatii nostri epistolas confundunt et permiscent. In Latinis vero exemplaribus, quæ pluribus in locis corrupta sunt, labetur versio, qua textus Græcus tam scrupulose ad litteram redditur, ut ea omnino inelegans sit et bar-

[49] Epist. *ad Smyr.* [50] lib. IV, *cont. Marcion.* cap. 40. [51] cap. XI, 19. [52] Respons. ad tract. *De perpet.* part. II, cap. 21, pag. 269. [53] Epist. *ad Tral.* [54] lib. *De virginit.*, cap. 18, § 119. [55] lib. I *De offic.*, cap. 42. [56] can. 41. [57] sess. 23.

hiatus,et lacunæ occurrunt,certe plerique codices, ex quibus alia Patrum opera in vulgus prodierunt, nec levioribus nec infrequentioribus inquinantur erratis.sAt hæc contra eorumdem operum veritatem et γνησιότητα pugnare nullus merito unquam jure dixerit.

Deinde vero non alios Florentini codicis errores Tentzelius nobis objicit, quam illos qui prius ab Usserio, Vossio et Pearsonio indicati fuerunt.Quomodo igitur scriptores illi, quos idem Tentzelius lynceos et oculatos merito appellat,eo cæcitatis tar- A ditatisque devenerunt, ut inde Ignatianarum litterarum fidem vacillare et concuti non animadverterint? Nulla sane alia causa fuit, nisi quia acrioris æquiorisque ipsi erant judicii,quam ut propter varios quosdam librariorum errores,certam harumce epistolarum, vel alterius cujuslibet lucubrationis veritatem nutare crederent.Sed hæc fusius prosequi, et in hac opinione,quæ tam ab aliorum sententiis, quam ab ipsa veritate adeo abhorret, diutius refellenda immorari,superfluum omnino et inutile nobis videtur.

ANDREÆ GALLANDII

PROŒMIA

AD EPISTOLAS SANCTI ET ACTA MARTYRII EJUSDEM.

(*Veterum Patrum Biblioth.*, t, I, Venetiis 1765, Proleg., p. LIV.)

CAPUT PRIMUM.

Septem epistolas scripsit S. Ignatius. Darum duplex exemplar ; alterum sincerum, alterum interpolatum. Misso posteriore, agitur de priore, cujus proponuntur editiones præcipuæ. Omnium optima, quæ est Thomæ Smithi.

Scriptorum ecclesiasticorum sæculum II inchoat S. Ignatius, episcopus Antiochenus et martyr; a quo epistolæ VI[6], *Smyrneis*, *Polycarpo*, *Ephesiis*, *Magnesiis*, *Philadelphiensibus*, *Trallianis* atque *Romanis* inscriptæ noscuntur. Harum duplex exstat Græcum exemplar : alterum brevius, germanum atque sincerum ; alterum longius. interpolatum. Misso posteriore,ad nostrum institutum haud pertinente, de priore nunc sermo habendus.

Breviores igitur epistolas,quas habuit Eusebius, quas edidit Polycarpus, quas scripsit Ignatius, ut cum Pearsonio loquar, primus in lucem extulit Amstelodami 1646, 4°, Isaacus Vossius ex uno superstite bibliothecæ Mediceæ codice ms.veteremque Latinam versionem addidit, quam Græco exemplari propemodum in omnibus respondentem Oxoni 1644 vulgarat Jacobus Usserius. Verum cum in eo codice Florentino deesset epistola ad Romanos, illam ex interpolatarum editione desumptam, ductore vetere interprete, suæ integritati restituere adortus est. Hanc autem Vossianam editionem, et quidem castigatiorem, iterum evulgarunt, Usserius primum Londini 1647, deinde Cotelerius Parisiis 1672.

Anno autem 1689 epistolam *ad Romanos*, quæ in codice ms. Mediceo desiderabatur, intextum quoque *S. Ignatii martyrium* præferentem,atque veteri interpreti Usseriano adamussim æquiparatam, Parisiis publici juris fecit Theodericus Ruinatius in *Actis martyrum sinceris*, ab ipso cl. editore Latine redditam : quam deinceps unam, cum Actis Ignatiani martyrii,anno 1699 in *Spicilegii SS. Patrum* volumine II Joannes Ernestus Grabius Oxonii prodire jussit. Hinc autem Joannes Clericus in editione Coteleriana, semel iterumque ann. 1698 et 1724 Amstelodami repetita, eamdem ad Romanos epistolam, versione Ruinartiana refecta, sex reliquis sinceris addidisse comperitur : in qua tamen edenda, ea libertate usum novimus quæ minime probanda videtur, ut ex mox dicendis patebit.

Exinde vero, e Medicei codicis exemplari, quod novo et accuratissimo studio exscripserat V.C. Antonius Maria Salvinius, aliam editionem emisit Oxonii 1708 C. Aldrichius, qui textum Græcum prout illum exhibet ms. exacte pro viribus imprimendum curavit. De hac autem editione peracre judicium tulit Thomas Smithus in epistola Westmonasterio die 3 Martii 1708-9 ad Thomam Hearnium data : in ea siquidem non solum errata leviora notat quibus singulæ paginæ scatent, unde quoque pluries deformata lectio; verum etiam pauca e multis alia in medium profert,quæ sive grammaticæ legibus sive auctoris menti repugnant. Hanc autem Smithi epistolam cum aliis ad Ignatianas Epistolas pertinentibus, in lucem emittendam censuit ipsemet Hearnius in Appendice ad volumen II *Chronici Joannis Glastoniensis monachi*, pagg. 461. 469, ann. 1726 evulgati.

Insequente autem ann. 1709 prodiit item Oxonii præstantissima laudati Thomæ Smithi editio ; quam quidem licet a Clerico insuper habitam in secunda Coteleriana, deinceps tamen sunt secuti Joannes Ludovicus Frey et Richardus Russel : et ille quidem in *Epistolis SS. Patrum apostolicorum*, quæ anno 1742 Basileæ typis excusæ fuere ; hic vero in eo-

lem *SS. Patrum apostolicorum operibus genui-* Londini ann. 1746 in vulgus emissis. Quando-em vero hanc Smithi editionem præ cæteris quoque sequendam duximus; propterea hic cribere præstat, quæ de suo instituto cum in efatione tum in epistola ad Hearnium modo lau-ta edisserit cl. editor.

Testatur itaque Smithus peropportune ad se ansmissas Joannis Ledgardi schedas, editionis ossianæ collationem cum Mediceo codice comple-tentes, quam ille dum Florentiæ ageret Joannis Pearsonii rogatu confecerat; monetque consilium ejusmodi Pearsonio suggessisse ipsumet Vossium : qui dum in exscribendo eo codice occuparetur, paucula quædam perperam legisse, aliaque non-nulla præ festinatione ac tædio prætermisisse su-spicabatur. Quo quidem munere,pari oculorum ac ingenii acie, optima fide perfunctus fuisse comperitur Ledgardus ; cui ex otio maturior deliberatio et facilior excusum exemplar cum manuscripto comparandi opera obtingebat : eo usque siquidem processit, ut variationes perexiguas,ne dicam titi-vititia, pene ad nauseam litteris consignarit. Hanc autem integram collationem Ledgardianam duabus ejusdem Smithi epistolis ad Ignatiana spectantibus, l. c. subjecit Hearnius.

Hoc igitur haud sane mediocri subsidio adjutus vir in hoc studiorum genere exercitatissimus, ad suam editionem adornandam se contulit. Quæ in Vossiana fuerant sive temere omissa sive præpostere exscripta, ex nova ista Ledgardi collatione supplevit emendavitque, additis quoque passim ad paginæ limbum breviculis scholiis et conjecturis, quibus in oculos facile incurrentibus textus lectio reddatur planior atque emendatior.

Neque hic omittendum quod admonet solers editor noster in præfata ad Hearnium epistola,ubi de iis verba facit qui editioni Aldrichianæ curandæ præfuerunt : « Rigidissimis censoribus,inquit, parum excusandus videtur D. Vossius, qui in epist. *ad S. Polycarpum*, sect. 5, particulam negativam μή inter et ὁμιλίαν et ποιοῦ inseruit, cum e codice Florentino plane absit, ut ipse in adnotatis observavi, nec in suo codice legebat vetus Usserianus interpres : cujus reverentia et auctoritate motus ex codice meo illam delevi, vel saltem, ut uncinis qui additamentum illud indicarent includeretur, omnino volebam : sed nescio quo casu correctio ista omissa erat. In eadem item epist.*ad S.Polycarpum*, sect. 7, et in epist. *ad Philodelphienses*, sect. 10 (quæ correctio ad finem paginæ ibi) habetur ἐπεὶ δέ pro ἐπειδή, ut ex schedis D. Ledgardi correxi ; sed inter tumultus preli negligebatur. » Hactenus cl. Smithus : cui quidem admonenti morem gerentes, utrobique mendum sustulimus, ac negantem particulam μή uncinulis circumscripsimus :quod sane præcedentibus editionibus nusquam factum.

Huc usque de sex epistolis e codice Mediceo descriptis. Septimam vero, *ad Romanos*, una cum *Actis martyrii S. Ignatii*, ex editione Ruinartiana Smithus desumpsit ; eamque nimis curiose assectatus, ad litteram fere expressit, ne quidquam in textu temere mutasse videretur: mendas interim quæ in oculos insiliunt, in notis corrigendas sibi reservans.

Ad hæc textui Græco veterem Latinam versionem, barbaram quidem illam,sed ad verbum fideliter expressam exactamque, adjecit idem editor ; quam et novo studio contulit cum ms. codice Cantabrigiensi, correctis insuper illius aberrationibus, cujus opera usus fuerat Usserius qui eam primus in lucem emisit.

Licet autem in sua Ignatiana editione concinnanda multam Smithus diligentiam adhibuerit, ut ex hactenus dictis satis compertum fit,non defuere tamen qui eum minus accurate codicem Florentinum expressisse affirmarint. Gronovius enimvero dicam ei grandem impingit (1), dum Vossium reprehendit : perinde ac si hujus ductu vel in suæ Oxoniensis editionis exordio, in ipsa scilicet epistolæ *ad Smyrnæos* inscriptione, corruptam istiusmodi lectionem, πνεύματι καὶ λόγῳ Θεοῦ, nobis obstruserit ille ; cum tamen, si virum criticum audias, nota ms. Medicei compendiaria fuisset manifeste legenda, πνευματικῷ λόγῳ Θεοῦ. At Smithus, collationem Ledgardianam secutus, in scholiis ad eamdem epistolam obviam præivisse Gronovio videtur his verbis ; « Καὶ λόγῳ Θεοῦ. Ita quoque legebant vetus noster interpres et interpolator,distinctim et separatim, non per appositionem, ut quidam vir doctus ex fortuita hujus particulæ conjunctivæ omissione in versione Vossiana (vetere) interpretatur. » Hæc ille : ut proinde immerito suspectam, non solum eam lectionem, sed integram quoque ipsam Smithianam editionem, reddere voluisse vir eruditus censeatur.

CAPUT II.

Thomæ Smithi editio typis tradita,scholiis editoris omissis : quorum loco,præmissa primum excerpta veterum Patrum integra,ex epistolis genuinis descripta : subjecta deinde earumdem epistolarum fragmenta,quotquot exstant in Parallelis Damascenicis Rupefucaldinis. Horum subsidio textus sincerus vel firmatur, vel corrigitur, vel etiam quandoque suppletur.

Dum vero Angli hujus editoris institutum in S. Ignatii epistolis sinceris edendis sumus persecuti, nostrum item quodammodo exposuimus,ut qui ejus exemplar præ cæteris excudendum selegimus. Scholia tamen cum ejusdem Smithi tum Pearsonii aliorumque virorum eruditorum prætermittenda, ne opus nimis excresceret, existimavimus. Quanquam fortasse hujusmodi consilium moleste quis ferat,cum præsertim textus alicubi mendis obsitus occurrat, qum profecto saltem in notis emaculatum præstare portebat. Quid loquar ? Eo quidem

(1) Gronov. *Præfat. ad Herodot.*, pag. 1.

munere pro viribus perfuncti fueramus in observationibus subjiciendis, eadem ferme ratione contextis, qua usi sumus ad Clementinas epistolas: jamque observationes istæ, cujusmodicunque fuerint, in promptu erant; verum illas novimus, nobis plane invitis, nescio quo casu omissas, dum epistolæ Ignatianæ prelo committebantur. At huic incommodo, quantum in nobis fuit, consultum voluimus, nec leviter enimvero, ut quidem arbitramur. Primum siquidem inter veterum testimonia, integra illa descripsimus ex Irenæo, Eusebio, Theodorito aliisque vetustis auctoribus, in quibus aliquis textus Ignatiani locus exstare comperitur: quo nimirum lector ex Smithi notulis admonitus confugere possit, ubi hærere contingat.

Ut autem hujus subsidii pretium quodammodo constet, unum vel alterum exemplum in medium proferamus. In epistola I, Smyrnæis inscripta, sic legimus (2): Πεπληροφορημένους εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν, ἀληθῶς ὄντα... Υἱὸν Θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν Θεοῦ. Ubi Theodorit. *Dial.* I excitat Anglus editor. Si vero veterum testimonia epistolis Ignatianis præmissa consulere velis, præsto tibi erit lectio codicis, quo ante mille et trecentos annos usus est Theodoritus. Sic autem se habet: Πεπληροφορημένους ἀληθῶς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν, ὄντα Υἱὸν... Θεοῦ κατὰ θεότητα καὶ δύναμιν. Hinc disces, quomodo legerit hic Cyri episcopus; qui transposita voce ἀληθῶς, et omissa postrema Θεοῦ, pro κατὰ θέλημα ms. Medicei, κατὰ θεότητα legit. Probe autem notanda varia hujusmodi lectio; a qua cum veterem interpretem, tum codicem Florentinum dissidere liquet. Eam nihilominus tuetur Wesselingius (3) V. C. permotus exemplari antiquissimo quod Theodoritus præ oculis habuit, ipsinsque in primis Ignatii sententia, unde nihil hoc abit: quibus accedit, exprimi satis accurate hisce verbis, quod Paulus ad Romanos perscripsit (4). Attamen Smithus a ms. Florentini lectione stat constans; simulque existimat genium suum potius quam codicem fuisse Theodoritum secutum, quasi nimium cruda illi videretur altera lectio, quam proinde ea ratione emollire studebat. Et jure quidem: Ignatii enim, Justini, Tatiani, Tertulliani aliorumque vetustissimorum Patrum sententia de Filio Dei genito κατὰ θέλημα Θεοῦ, eo sensu est accipienda, quo illam strenue defendit docteque explicat vir maximus Jacobus Benignus Bossuetus (5).

Pergamus porro. In eadem ad Smyrnæos epistola, hæc verba occurrunt (6): εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται. Qui quidem locus sic apud Theodoritum effertur (7): εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται. At codicis Medicei lectioni favet vetus interpres Usserianus; quæ proinde præ illa Theodoriti retinenda videtur. Huic autem loco unum adhuc insignem addamus, quem præbet epistola ad Ephesios. Estque hujusmodi (8): Εἷς ἰατρὸς ἐστιν... ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ ἀληθινῇ: quæ sane postrema ita quoque legebat in suo exemplari vetus interpres: vertit enim, *in immortali vita vera*. Sed contextus repugnat; rescribendumque omnino, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή, *in morte vita vera*: quomodo in suis codicibus legebant vetusti Patres, Athanasius, Theodoritus atque Gelasius, ut ex allatis infra eorum locis compertum fit. At hæc satis sunto; ex quibus perspicias quantum hinc subsidii accedat textui emaculando, si cui de illius integritate suspicio aliqua jure suboriatur.

Verum in idem consilium ulterius adhuc progressa est cura nostra. Nimirum, fragmentis illis quæ Ignatii epistolas subsequuntur, excerpta quædam subjecimus ex auctore Parallelorum Rupefucaldinorum, quem cl. Lequienius merito existimat integro sæculo Damasceno antiquiorem. Hæc autem excerpta nemo sane dixerit haud magni facienda; cum certo constet scriptorem illum, quicunque demum fuerit, ex sinceris Ignatii epistolis, si eam excipias quæ Romanis inscribitur, illa descripsisse, codicemque Mediceo emendatiorem adhibuisse: ut proinde textus vulgati lectio ex iis non solum confirmetur, verum etiam emendetur multoque castigatior plerumque reddatur. Quo autem aliquot exemplis res comprobetur, loca nonnulla cum edito collata hic sistere juverit.

EPISTOLA AD SMYRNÆOS.

Edit. ex cod. Mediceo.	*Ex Parallel. Rupefucald.*
Cap. IX. Ἀνανῆψαι . . . ἔχομεν.	Ἀνανῆψαι ἡμᾶς. . . . ἔχομεν.
Cap. XI. Θέλουσιν γὰρ ἡμῖν εὐπράσσειν, Θεὸς ἕτοιμος εἰς τὸ παρασχεῖν.	Θέλουσι γὰρ ἡμῖν εὖ πράττειν, Θεὸς ἕτοιμος εἰς τὸ παρέχειν.

AD POLYCARPUM.

Cap. I. Γρηγόρει, ἀκοίμητον πνεῦμα κεκτημένος.	Γρηγόρει, ἀκοίμητον ὅμμα κεκτημένος.

AD EPHESIOS.

Cap. VI. Εἰώθασί τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν.	Εἰώθασί τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα Χριστοῦ περιφέρειν.

(2) Ignat. *Epist. ad Smyrn.*, cap. 1.
(3) Wesseling. *Probabil. lib. sing.*, cap. 33, pag. 196.
(4) *Rom.* I, 3, 4.
(5) Bossuet, VI[e] *Avertiss. aux Protest.*, I part., art. V, § 34.
(6) Ignat. *Epist. ad Smyrn.*, cap. 7.
(7) Theodorit. *Dial.* III, pag. 154.
(8) Ignat. *Epist. ad Ephes.*, cap. 7.

Edit. ex cod. Mediceo.

Cap. XI. Τὴν ἑνεστῶσαν χάριν ἀγάπήσωμεν· ἓν τῶν δύο μόνον ἐν Χρ.

Cap. XIV. Ἀρχὴ μὲν πίστις· τέλος δὲ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο, ἐν ἑνότητι γενόμενα, θεοῦ ἐστιν.... Οὐδεὶς πιστιν ἐπαγγελλόμενος, ἁμάρτάνει· οὐδὲ ἀγάπην εκ κτ.... Χριστιανοὶ εἶναι.

A

Ex Parallel. Rupefucald.

Τὴν ἑνεστῶσαν χάριν ἀγαπήσωμεν ἐν τῷ νῦν βίῳ· μόνον ἐν Χρ.

Ἀρχὴ μὲν ἡ πίστις· τέλος δὲ ἡ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο, ἐν ἑνότητι γενύμενα, Θεός ἐστι... Οὐδεὶς πίστιν ἐπαγγελλόμενος ἔχειν, ἁμαρτάνει. Οὐδεὶς ἀγάπην κεκτ.... Χριστοῦ εἶναι.

AD MAGNESIOS.

Cap. III. Πρέπον ἐστὶν ἐπακούειν κατὰ μηδεμίαν ὑπόκρισιν.... ἀλλὰ τὸν ἀόρτον παραλογίζεται· τὸ δὲ τοιοῦτον, οὐ πρὸς σάρκα λόγος.

Πρέπον ἐστιν ὑπακούειν τῷ ἐπισκόπῳ κατὰ μη δεμίαν ὑπόκρισιν.... ἀλλὰ τὸν ἀόρατον παραλογίζεται Θεόν· τῷ δὲ τοιούτῳ, οὐ πρὸς σάρκα λόγος.

AD TRALLIANOS.

Cap. VI. Οἱ καιροὶ παρεμπλέκουσιν.

Cap. VIII. Μηδεὶς ὑμῶν κατὰ τοῦ πλησίου ἐχέτω. Μὴ ἀφ.... ἵνα μὴ.... τὸ ἐν θεῳ πλῆθος βλασφ.

B

Καὶ παρεμπλέκουσιν.

Μηδεὶς ὑμῶν κατὰ τοῦ πλησίον ἐχέτω τι, μὴ ἀφ.... ἵνα μὴ.... τὸ ἔνθεον πλῆθος βλασφ·

Hinc profecto noscuntur hæc excerpta Ignatiano textui sive emendando sive etiam alicubi sarciendo haud parum profutura. Verum ut iis expeditius uti lectores queant, eadem eo digessimus ordine, quo dispositæ occurrunt epistolæ cum in codice Florentino, tum in Smithi edito hic typis excuso.

CAPUT III.

Simonii et Tentzelii de ms. codice Mediceo sententia. Unde hauserit Ignatiana Svicerus, in suum Thesaurum conjecta. Epistolæ interpolatæ, vel etiam suppositiliæ, a nonnullis viris doctis minus recte velut sinceræ interdum habitæ. Romanis inscriptæ epistolæ editio quam Clericus adornandam suscepit haud fidissima esse perhibetur.

Et miror equidem hujusmodi excerpta fuisse hactenus vel inobservata, vel forte neglecta viris eruditis, qui post Smithum S. martyris epistolas rursus edendas curarunt. Smithum enim excipio, cujus Oxoniensis editio jam in lucem prodierat, prius quam illa Parallela e ms. Rupefucaldino evulgarentur. Quæ quidem si Richardo Simonio aliquando innotuissent, nullus dubito, quin ex his potius quam ex interpolatore codicem Mediceum corrigendum statuisset (9). Eodem item nomine ab illa sententia pronuntianda sibi fortasse temperasset Wilhelmus Ernestus Tentzelius (10), « nihil pro Ignatiano habendum, nisi quod a Patribus priorum quatuor post martyrium Ignatii sæculorum sanctissimo viro tribuitur. » Nimirum eruditus ille vir nonnullis ms. Florentini sive labeculis sive varietatibus permotus, ejus αὐθεντίαν elevare contendit: cujus tamen objectationibus occurrentes Grabius (11) et Nourrius (12), illas accurate satis diluerunt; validius adhuc id præstituri, si eadem Parallela inspicere ipsis licuisset.

Cum Tentzelio quoque in ejusdem ms. Medicei contemptum immerito conspirasse Svicerus mihi visus, licet in aliam a Tentzeliana sententiam abierit. Pervolutanti enim mihi ejus *Thesaurum ecclesiasticum* deprehendere contigit, neque sane absque admiratione, ipsum pro vero Ignatio Ignatiastrum lectori passim obtrusisse. Ne nimius sim, duo tantum loca proferre libet. Primus occurrit v, Ἀγέννητος (13), ubi statim ab initio verba recitat tanquam Ignatiana, quæ tamen desumpta perhibentur ex interpolata epistola ad Ephesios, cap. 7, sicque se habent : « Ἰατρὸς ἡμῶν ἐστιν ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεὸς, ὁ ἀγέννητος καὶ ἀπρόσιτος, ὁ τῶν ὅλων Κύριος, τοῦ δὲ μονογενοῦς Πατὴρ καὶ γεννήτωρ. » At C vir apostolicus in eadem epistola genuina l. c. ita scribit : « Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, » κ. τ. λ. Alter locus exstat v. Ἀντίψυχον (14) : ibi enim postquam hujus vocis exemplum ex germanæ ad Smyrnenses epistolæ capite 10, excerptum adduxisset, aliud refert ex interpolata ad Ephesios, cap. 21. Neque his contentus, paria recitat ex epistolis suppositiis ad Antiochenos, ad Heronem, ad Tarsenses et ad Philippenses : omniaque isthæc nobis ingerit tanquam a sanctissimo Antiocheno episcopo et martyre Ignatio perscripta. Unde colligas epistolas quotquot exstant omnes, sive sinceras, sive interpolatas sive demum supposititias, Svicerum promiscue pro vere Ignatianis accepisse.

D His autem de Sviceri *Thesauro* notatis, locus in mentem venit ex apocrypha epistola ad Antiochenos relatus, quem cum in notis tum in Scholiis Nobilii ad Isaiæ IX, 6, in Bibliis Sixtinis τῶν Ο' memini me aliquando legisse (15). At vero excusandus videtur Nobilius, sinceris Ignatianis epistolis tunc temporis nondum detectis. Ambigere tamen quis jure fortasse poterit, an pari sint indulgentia excipiendi viri cætera docti, Calmetus (16), Sabbatierus (17) atque

(9) Timon. *Jud. de Is. Vossii respons. sub nomine* Hieronymi le Camus, pag. 24.

(10) Tentzel. *Exercit. select.*, part. I, exercit. III, § VII, pag. 63.

(11) Grab. *Spicil.* tom. II, p. 227.

(12) Nourr. *Appar. ad Biblioth.* PP., tom. I, dissert. VIII, § VII, p. 159.

(13) Sciver. *Thes. eccl.*, tom. I, col. 49.

(14) Id. *ibid.*, col. 394.

(15) Nobil. *in Vet. Testam. secund.* LXX, tom. II, pag. 474.

(16) Calmet. *Comment. in Isa.*, tom. V, pag. 574.

(17) Sabbatier. *Biblioth. sacr. Lat. vers. antiq.* tom. II, p. 535.

auctor prolegomenωn ad tomum III versionis LXX-viralis editionis Grabianæ (18), qui Nobilium seculi, ad illud pariter Isaiæ IX, 6, eumdem locum ex ea epistola pseudepigrapha tanquam vere Ignatianum excitarunt.

Hac item arrepta occasione haud oticosum fortasse fuerit meminisse illius fragmenti, quod e Joannis Chrysostomi homilia *De non anathematizandis vivis vel defunctis* (19) desumptum, epistolis Ignatianis primo loco subjecimus. Sic autem habet : Ὃν τρόπον ὁ περιθεὶς ἑαυτῷ ἁλουργίδα βασιλικὴν ἰδιώτης τυγχάνων, αὐτός τε καὶ οἱ αὐτῷ συνεργήσαντες, ὡς τύραννοι ἀναιροῦνται· οὕτως, ἔφη, οἱ τῇ δεσποτικῇ ἀποφάσει χρησάμενοι, καὶ ἀνάθημα τῆς Ἐκκλησίας ποιήσαντες ἄνθρωπον, εἰς παντελῆ ὄλεθρον ἀπάγουσιν ἑαυτούς, τὴν ἀξίαν τοῦ Υἱοῦ ἀφαρπάζοντες. Id est : *Quemadmodum si quis, privatus cum sit, regiam purpuram induerit, tum ipse tum commilitones ejus, quasi tyranni interficiuntur : sic, inquit, qui Dominico utuntur decreto, et hominem Ecclesiæ anathema faciunt, in extremam se perniciem abducunt, Filii dignitatem usurpantes.* Hoc autem dictum inter reliqua Ignatiana quæ in epistolis sinceris haud exstant, reponendum censuimus, S. doctoris reverentia et auctoritate permoti ; qui ejusmodi effatum enuntiaturus, suos auditores his verbis alloquitur : « Βούλεσθε μαθεῖν, οἷά τις ἐφθέγξατο ἅγιος τῶν πρὸ ἡμῶν τῆς διαδοχῆς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, ὃς καὶ μαρτυρίου ἠξίωτο ; » *Vultis discere quid dixerit vir quidam, qui ante nos et de successione apostolorum fuit, ac martyrio dignatus est ?* Quem enim alium martyrem ex apostolorum successione, protulerit Chrysotomus Antiochiæ loquens, quam Ignatium Antiochenum episcopum ? ut jure arguit cl. Montfauconius (20). Baronius qui primus locum detexit (21), epistolam ad Smyrnæos S. Patri ante oculos obversatam fuisse conjecit, ubi hæc leguntur (22) : « Εἰ γὰρ ὁ βασιλεῦσιν ἐπεγειρόμενος, κολάσεως ἄξιος δικαίως γενήσεται, ὥς γε παραλύων τὴν κοινὴν εὐνομίαν· πόσῳ δοκεῖτε χείρονος ἀξιωθήσεται τιμωρίας, ὁ ἄνευ ἐπισκόπου τὶ ποιεῖν προαιρούμενος, καὶ τὴν ὁμόνοιαν διασπῶν, καὶ τὴν εὐταξίαν συγχέων ; » *Si enim jure erit pœna dignus qui adversus reges insurgit, ut qui resolvat communem quietem : quanto putatis gravius merebitur supplicium, qui sine episcopo quid volet agere, concordiam rumpens et bonum ordinem confundens ?* Cujus quidem loci vim, non verba reddidisse Chrysostomum, atque ad propositum illud suum inflexisse, statuit idem Annalium ecclesiasticorum parens. Secus vero arbitratur Tillemontius (23), cui locus hic Ignatianus cum illo Chrysostomi vix quidpiam affinitatis habere videtur. Montfauconius tamen in Baronii sententiam concedit.

Quid quæris ? Mirari subit enimvero neque Tillemontium neque Montfauconium, qui et textum Græcum Ignatianum, ut quidem putat, in medium profert, in suspicionem haud venisse, verba illa non ab Ignatio, sed ab Ignatiastro fuisse conscripta, nec in sincera, sed in interpolata ad Smyrnæos epistola exstare. Baronio utique indulgendum eodem nomine, quo paulo ante Nobilium excusatum voluimus. Quid igitur, inquies, de Chrysostomo statuendum fuerit ? De eo nimirum ita sentiendum existimamus : vel aliquod S. martyris scriptum sive epistolicum sive alius generis nunc deperditum respexisse S. doctorem : vel, si mavis, Ignatii epistolarum codicem interpolatum in ejus manus aliquando incidisse, quem putarit esse germanum ; quod tamen vix crediderim : vel denique ipsum fortasse in alium ab Ignatio apostolicum virum oculos intendisse. At de his satis : quæ quidem non solum eapropter adnotanda censuimus, ne virorum doctissimorum auctoritas incuriosis lectoribus fucum faciat, sed etiam in primis ut epistolis genuinis debitus honor in tuto positus firmius consistat.

Verum antequam alio se convertat oratio, de Ignatii epistola Romanis inscripta quæ in codice Mediceo desideratur, nonnulla hic admonenda occurrunt, iisque addenda, quæ superius ea de re attigimus. Hanc igitur epistolam typis consignaturi, Smithi exemplar ad Ruinartii editum diligentor exactum selegimus : neque enim Clericum in secunda Coteleriana Patrum apostolicorum editione sequi placuit, qui, ne lectore quidem admonito, textum sive ipsius epistolæ sive Actorum martyrii Ignatiani subinde refinxit, eidemque prout sibi libuit immutato suam intrepretationem adjecit. Unum vel alterum hujus haud ferendæ licentiæ specimen accipe. In epistolæ inscriptione Ruinartiana editio habet, Πατρὸς ὑψίστου. Ita quoque Logothetes. At Clericus cum Usserio. ὑψίστου Πατρός. Ibidem apud Ruinartium, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μόνου Υἱοῦ αὐτοῦ. Vocem μόνου habet etiam Metaphrastes, legitque in suo codice vetus interpres. Clericus tamen maluit cum Usserio, μονογενοῦς αὐτοῦ Υἱοῦ. Ibidem Ruinart., ἥτις καὶ προκάθηται, Ubi apposite observat Smithus, particulam emphaticam καί male fuisse in vulgatis omissam : quam nihilominus Clericus, Usserium secutus, omisisse comperitur. Ibidem sub finem Ruinartii exemplar, ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ Θεῷ. Clericus vero, ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ Θεῷ. Habet quidem Usserius Κυρίῳ, sed retinet articulum τῷ Θ., a Clerico prætermissum : quod in primis notandum. Uno verbo, editor Amstelodamensis, relicta passim Ruinartiana editione, Usserium ubique ferme asse-

(18) Vet. Test. ex vers. LXX edit. Grab., tom. III, prolegom. n. IV, sub fin. §§ *Jam ex hoc schemate*, et *Duo tamen sunt.*

(19) Joan. Chrysost. Opp. tom. I, pag. 393 edit. Paris. BB.

(20) Montfauc. in Chrysost. *ibid.*, not. c.

(21) Baron. ad an. 382, § LII.

(22) Ignat. *Epist. ad Smyrn. interp.*, cap. 9.

(23) Tillem. *Mém. eccl.* tom. VI, p. 364.

etatur ; qui tamen, cum hanc Ignatii epistolam in nullo ms. codice invenisset, unius veteris interpretis ductu eam ab interpolationibus redimere adnisus fuit. Utque res experimento probetur, adeat lector Grabium (24); qui Ruinartii exemplar verbotenus exhibuit, variasque Usserianas lectiones in cujusque paginæ limbum conjecit : quas quidem cum Clerici edito diligenter conferens, haud pauca sane addita, immutata, transposita facili negotio deprehendet. Rectene vero an secus id factum fuerit, aliis decernendum relinquimus. Nos enim nonnulla speciminis ergo ex una epistolæ inscriptione delibasse contenti, ad alia properamus.

CAPUT IV.

Quinam harum epistolarum integritatem præ cæteris propugnarint. Novissimus ipsarum osor Oudinus, a Mamachio V. C. acriter castigatus. Heumannus item plerumque Oudini sectator perstringitur : ejusque objectatio de vocibus Latinis textui Græco immistis exploditur. Epistolæ ab Ignatio eo tempore perscriptæ, quo fuit Antiochia Romam missus martyrio consummandus.

Jam vero postularet instituti nostri ratio, ut de harum epistolarum integritate sermo haberetur. Sed actum profecto ageremus, cum jamdiu eo munere adeo strenue perfuncti fuerint complures viri docti, ut hac de re nullus omnino dubitandi locus supersit, dummodo quisque, præjudicatis opinionibus tantisper sepositis, sincera mente atque animo ingenuo rationes utrinque allatas diligenter excutiat. Vindices Ignatianos præcipuos collectos præbet utraque Coteleriana Patrum apostolicorum editio Amstelodamensis : quibus tamen addendi Tillemontius (25), Natalis Alexander (26), Nourrius (27) atque Ceillierius (28). Neque omittendi Wottonus (29), Clericus (30), Wesselingius (31) et Joannes Ludovicus Frey (32) : qui pro breviorum Epistolarum germanitate stylum strinxerunt adversus Guilielmum Whistonum, qui non solum septem epistolas longiores, verum etiam tres pseudepigraphas, ad Tarsenses, ad Antiochenos et ad Heronem, tanquam genuinas in suo *Christianismo redivivo* (33) omni animi contentione propugnavit. Whistono haud ita pridem quam proxime accessit Joannes Philippus Baraterius (34), ut qui licet breviores epistolas velut sinceras agnoscat, longiores tamen sive interpolatas pari jure gaudere opinatur. Sed iste demum præcocis ingenii fetus fuisse videtur : ut proinde comiter sit excipiendus juvenis eruditissimus, qui magna spectasse comperitur : *quia non modo non invidetur illi ætati*, ut vere ac sapienter Cicero (35), *verum etiam favetur*.

Inter eos autem qui pro epistolis sinceris vindicias evulgarunt, Pearsonium eminere nemo nescit ; sive ingenii et judicii acumen inspicias, sive multijugam et exquisitam eruditionem spectes, sive copiam argumentorum et pondus expendas. Verum, opus Pearsonianum licet adeo luculentum, oppugnare sunt aggressi Matthæus Larroquanus et Casimirus Oudinus. Et illius quidem conatus irritos fuisse commonstrarunt in primis partim Georgius Bullus (36), partim Nicolaus Nourrius (37) aliique : ut proinde Clericus jure censuerit, dum ait (38) : « Illarum rerum periti, utroque opere diligenter perlecto, negarunt eruditum illum virum ulla ratione Pearsonii argumenta labefactasse. » Oudini vero dissertationem (39), qui Dallæi ejusque sequacium objectationes plerumque instaurasse perhibetur, tanta demum rationum vi cum elocutionis dignitate conjuncta, nuper confutasse novimus virum doctrina et eruditione præstantem Thomam Mariam Mamachium (40), ut jure usurpare possit V. C. Tullianum illud : *Nullo eum loco consistere sum passus*. Atque inde intelligas velim, soluta simul Heumanni argumenta; quippe qui Oudiniana potiora paucis contracta, tanquam Ignatii epistolarum certissima νοθείας indicia sibi videri asseverat (41). Jamque idem judicium tulerat ipsemet Heumannus in Actis eruditorum (42), Oxoniensem Smithi editionem recensens ; cujus deinde sententiam placuit Oudino in laudatam suam dissertationem transferre (43).

Quandoquidem vero Germanus ille criticus in ea Lipsiensi recensione, quam licet Oudino probatam eruditissimus Mamachius præteriit, inter notas suppositionis earumdem epistolarum, illud etiam referre præ se fert, quod Græcis vocibus quædam etiam Latinæ immistæ reperiantur, cujusmodi sunt ἐξεμπλάριον (44), δεσέρτωρ, δεπόσιτα, ἄκκεπτα (45) ; queriturque proinde Pearsonium ac Smithum loca illa omnino prætermisisse, quod essent

(24) Grab. *Spicil.*, tom. II, p. 13 seqq.
(25) Tillem. *Mém. eccl.* tom. II, pagg. 204, 581.
(26) Nat. Alex. *Hist. eccl.*, sæc. II, dissert. XXIII.
(27) Nour. *Appar. ad Bibl. PP.*, tom. I, pag. 78 seqq.
(28) Ceill. *Hist. gener.* tom. I, pag. 623 seqq.
(29) Wotton. Præfat. ad Epist. S. Clement. Rom. pagg. CLXXXIII-CCII.
(30) Cleric. in calce vol. II *PP. apost.*, pag. 501 seqq.
(31) Wesseling. *Probabil. lib. sing.* cap. 33, p. 293 seqq.
(32) Frey præfat. ad Epist. SS. PP.
(33) Whiston. *The primitive Christianity reviv.*, vol. I. Lond., 1711, 8.
(34) Barat. *Dissert.* I et II *de Constit. apost.* pagg. 230, 279.
(35) Cicer. *De offic.*, lib. II, cap. 9 seu 13.
(36) Bul. *Defens. fid. Nic.*, sect. III, cap. 1, §§ 10-14, pag. 179-184.
(37) Nourr. *Appar.* I. c.
(38) Cleric. Præfat. ad vol. II. PP. Apostol.
(39) Oudin. *Comment. de scriptor eccl.*, tom. I, pag. 89 seqq.
(40) Mamach. *Originn. et antiqq. Christianæ.*, t. IV, pag. 377-406.
(41) Heum. *Consp. reip. litter.*, cap. 7, § XLIV, p. 491, et *Pæcil.*, tom. II, p. 248.
(42) Id in *Act. Erud. Lips.* ann. 1710, pag. 196, seq.
(43) Oudin I. c., pag. 139.
(44) Ignat. *Epist. ad Smyrn.*, cap. 12, ad Ephes., cap. 2, ad Trall., cap. 3.
(45) Id. *Epist. ad Polycarp.*, cap. 7.

eo judice satis incommoda nimiumque negotii facesserent : hic demum istiusmodi objectamentum tollere præstat, cum Vossius et Cotelerius censori nostro haud fecisse satis videantur. Rem paucis transigamus. Si sancti martyris Ignatii epistolarum sinceritas periclitetur, quod in ipsis aliquot voces Latinæ occurrant, de divinis quoque Novi Testamenti litteris conclamatum profecto erit. In his enim legimus, κεντουρίων (46),κῆνσος (47), κουστωδία (48), πραιτώριον (49), σιμικίνθιον (50), σουδάριον (51), σπεκουλάτωρ (52), τίτλος (53)· Si eo, inquam, nomine tanquam interpolatæ aut pseudepigraphæ sint habendæ Ignatianæ epistolæ, Novi ergo Fœderis αὐθεντία concidat necesse erit· Quis autem sanæ mentis de litteris divinitus inspiratis, id nedum dicere, sed ne cogitare quidem audeat ? An vero vocabula ista, κεντουρίων, κῆνσος, κουστωδία, etc., castius puriusque Græce sonant, quam ἐξεμπλάριον, δεσέρτωρ, δεπόσιτα ? etc. Quod si apostolis et evangelistis, Matthæo (aut, si mavis, ejus interpreti), Marco, Lucæ, Joanni, Paulo Græce scribentibus, voces Romanas usurpare aliquando licuit, quidni et Ignatio apostolorum discipulo ? Sed neque vitio demum vertenda divinis auctoribus, adeoque potiori jure neque sancto episcopo Antiocheno, hujusmodi scribendi ratio : sic enim ferebat occasio ; tunc temporis nimirum per universam fere Græciam, Syriam, Ægyptum, etc., Romano imperio longe lateque propagato, ut optime arguit cl. Blackwallus (54). Neque aliter sane antiquis Græciæ scriptoribus usu venit, Herodoto, Thucydidi, Xenophonti ; apud quos ἀκινάκης, ἄσχυ, βάρις, κανδύς, κάρανος, κάσας, παρασάγγης aliasque voces peregrinas, Persicas, Ægyptiacas, legere est : propterea scilicet quod illa ætate qua florebant ii Græciæ scriptores cultissimi, Persarum, Ægyptiorum aliarumque Orientis nationum bella, commercia, itinera, plures ejusmodi exoticas voces in Græcam linguam invexerant. Atque hinc sane quisque intelligit quam immerito ista objecerit vir ille criticus.

At alio convertenda est oratio : temporis enim notationem quo epistolæ VII ab Ignatio perscriptæ feruntur, nostra interest definire. Constat autem, Eusebio teste (55), sanctum martyrem eo in itinere illas exarasse, quo jussu Trajani Augusti Antiochia Romam deducebatur, feris objiciendus. Et quatuor quidem, cum Smyrnam pervenisset, misit ex ista urbe ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos atque ad Romanos : ulterius vero progressus, dum Troade consisteret, inde tres reliquas dedit ad Philadelphenses, ad Smyrmæos, privatim que ad Polycarpum horum episcopum. Sed quo demum anno ista contigerint, cap. sequente opportunius disquirendum.

(46) Marc. XV, 39, 44, 45.
(47) Matth. XVII, 24 ; XXII, 17, 19.
(48) Matth, XXVII, 65, 66 ; XVIII, 11·
(49) Matth. XXVII, 27 ; Marc. XV, 16 ; Joan. XVIII, 28, 33 ; XIX, 9 ; Act. XXIII, ; 35 Philipp. I, 13.
(50) Act. XIX, 12.
(51) Luc. XIX, 20 ; Joan. VI, 44 ; XX, 7 ; Act. XIX, 12.
(52) Marc. VI, 27.
(53) Joan, XIX, 19.

CAPUT V.

De Ignatiani martyrii Actis sinceris a Theoderico Ruinartio V. C. primum editis. Eorum uterque vetus interpres additus : integritas paucis asserta.

S. Ignatii epistolis genuinis *Acta Martyrii* ejusdem sincera subjecimus, Oxoniensem Smithi editionem secuti, ut superius innuimus. Græco textui, e codice Colbertino a V. C. Theoderico Ruinartio primum evulgato, duplicem utrinque appinximus Latinam versionem, alteram quidem veteris interpretis, e ms. Cajensi ab Usserio jampridem editam ; alteram vero ab eodem Ruinartio adornatam : quam enim Clericus refecit, insuper habuimus ea de causa cujus paulo ante meminimus. Aliam quoque separatim adjecimus antiquam versionem, e codice Cottoniano a laudato Usserio descriptam ; quod ejus auctor verum Actorum Græcorum exemplar præ oculis habuisse noscatur, licet quandoque textus aut sententiam aut verba neutiquam fuerit assecutus. Eo autem consilio utrumque veterem interpretem proferendum existimavimus, quo Græcis lux major accederet, sicubi haud satis aperta sive minus emendata occurrant.

De horum autem Actorum αὐθεντίᾳ nemo est qui jure vel minimum ambigat. Siquidem, ut cum Smitho loquar (56), « a familiaribus S. Ignatii qui Antiochia Romam usque illum sunt comitati, atque illius ultimo et maxime glorioso agoni interfuere, descripta fuisse, multa in ipsis Actis id testatissimum reddunt. In his enim sic loquuntur qui ea litteris tradidere (57) : Ἡμεῖς μὲν ἄκοντες ἀπηγόμεθα, στένοντες ἐπὶ τῷ ἀφ' ἡμῶν μέλλοντι χωρισμῷ τοῦ δικαίου γίνεσθαι. *Nos quidem inviti abducebamur, gementes ob separationem viri justi a nobis mox futuram.* Et nonnullis interjectis sub finem (58) : Τούτων αὐτόπται γενόμενοι. *Horum nos ipsi spectatores facti.* Hæc, inquam, aliaque extra omne dubium ponunt, a S. Ignatii comitibus Acta hujusmodi fuisse perscripta : et quidem non longe post ipsius consummationem, et proximo, ut verisimillimum videtur, anno ; dum res gestæ cum totius itineris ratione, in recenti fidelius inhæserint memoria. Illos autem fuisse Philomen et Agathopodem, quorum meminit sanctissimus martyr in Epistolis ad Smyrnæos (59) et ad Philadelphenses (60), hunc Antiochenæ, illum vero Tarsen-

(54) Blackwall. *Auctor. sacr. class. defens.* tom. I, part. I, cap. 1, § 5, p. 48.
(55) Euseb. *Hist eccl.*, lib. III, cap. 36.
(56) Smith. præfat. in *Act. martyr. S. Ignat.* p. 42.
(57) *Act. martyr. Ignat.*, cap. 15.
(58) Ibid., cap. 7.
(59) Ignat. *Epist· ad Smynr.*, capp. 10. et 13.
(60) Id. *ad Philadelph.*, cap. 11.

sis Ecclesiæ diaconum, vix a quoquam dubitari aut potest aut debet. » Hactenus vir eruditus ; qui et adversus Riveti, Blondelli aliorumque cavillationes, pleraque subdit lectu digna de itinere instituto atque in iisdem Actis recensito. Quibus ,amen unum addere liceat, Philoni scilicet et Agathopodi adjungendum saltem nominatim et Crocum, qui sanctum martyrem Romam usque assectatus fuisse perhibetur. Ejus enim meminit in epistola ad Romanos his verbis (61) : Γράφω δὲ ὑμῖν ταῦτα ἀπὸ Σμύρνης. Ἔστι δὲ καὶ ἅμα ἐμοὶ σὺν ἄλλοις πολλοῖς Κρόκος τὸ ποθητόν μοι ὄνομα. *Porro hæc scribo vobis e Smyrna... Est autem mecum cum aliis multis et Crocus, desideratum mihi nomen :* ut proinde quinam seu quotnam hæc Acta descripserint, prorsus nos lateat. Verumtamen eorum integritati minime omnium id officere plane constat, cum et alia plura martyrum Acta sincera quis litteris consignarit, plerumque ignoremus. Nonnulli quidem horum Actorum veritatem oppugnare sunt aggressi, quos inter primas ferre comperitur Oudinus : ejus enim confidentia eo usque processit, ut S. Ignatium Antiochiæ in pace decessisse conjecerit (62) ; Scaligeri forte dubietate permotus, qui olim edoceri petebat cur demum Ignatius e Syria fuerit Romam deductus (3). Verum Oudini sententiam, quam haud ita pridem Heumannus quoque instauravit (64), funditus evertit vir doctus (65) superius nobis laudatus.

CAPUT VI.

De tempore quo sanctus martyr passus existimatur, duæ feruntur celebriores sententiæ : quarum altera ejusdem martyrium anno 116, *altera* 107 *consignat. Posterior priori præferenda videtur : adeoque ipso anno* 107 *currente, scriptæ ducuntur epistolæ Ignatianæ : Acta vero martyrii, anno insequente* 108 *litteris mandata censentur.*

Cæterum alii cordatiores critici pura et germana eadem Acta esse statuunt, neque jure a quoquam sollicitanda. Et illi quidem paucissima tantum in iis vitio librariorum corrupta fuisse conjectant, ea præsertim quæ ad annos imperii Trajani et consulum notationem spectant : hi vero, licet haud emendatissimum vetustum hoc monumentum agnoscant, ad tempus tamen in eo signatum quod attinet, integrum esse ac genuinum decernunt. Unus Grabius potiora horum Actorum capita velut sincera recipiens (66), postremam partem omnino spuriam et ab interpolatore quodam assutam arbitratur.

Hinc itaque ortæ variæ virorum eruditorum sententiæ in anno definiendo quo gloriosus martyr Ignatius occubuit. Has inter duæ celebriores circumferuntur : quarum altera martyrium illud anno Christi 116, altera anno 107 illigandum statuit. Et priorem quidem Pearsonius excogitavit propugnavitque in dissertatione posthuma *de anno quo S. Ignatius a Trajano Antiochiæ ad bestias erat condemnatus*, a Thoma Smitho in suam Oxoniensem editionem Ignatianam primum conjectam. Pearsonio mox accessit Guillelmus Loydius in diatriba ejusdem argumenti, quam edidit atque comprobavit Antonius Pagius (67) : eosque secuti sunt deinceps Grabius, Smithus et Lequienius (68). Inhæret autem hæc sententia Joannis Malalæ in primis auctoritati, asserentis (69) *quo tempore terræmotus Antiochiæ accidit, imperatore illic adhuc agente, martyrio coronatum esse S. Ignatium episcopum Antiochenum.* Ἐμαρτύρησε δὲ ἐπὶ αὐτοῦ ὁ ἅγιος Ἰγνάτιος, ὁ ἐπίσκοπος τῆς πόλεως Ἀντιοχείας. Istius vero terræmotus characteres hujusmodi profert paulo ante idem auctor : Ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ θειοτάτου Τραϊανοῦ, ἔπαθεν Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη, ἡ πρὸς Δάφνην, τὸ τρίτον αὐτῆς πάθος, μηνὶ Ἀπελλαίῳ τῷ καὶ Δεκεμβρίῳ, Π (leg. ΚΓ') ἡμέρᾳ, Α., μετὰ ἀλεκτρυόνα, ἔτους χρηματίζοντος ΡΣΔ' κατὰ τοὺς Ἀντιοχεῖς. *Divinissimo Trajano imperante, tertiam suam calamitatem passa est magna Antiochia ad Daphnen sita, mense Apellæo seu Decembri, die, vicesima tertia, feria prima, post gallicinium, anno æræ Antiochenæ* CLXIV, qui annus cœpit a Kalendis Septembribus anni æræ vulgaris CXV.

Ille igitur terræmotus sub finem ejusdem anni 115 contigit, die scilicet subsequentis Decembris vigesima tertia, in feriam primam incidente ; Trajanumque ibidem hiemantem, teste Dione (70), pene oppressit. Cum autem idololatris in more positum esset in Christianorum excidium calumnias struere, illisque maxime omnium publicas calamitates passim ascribere, inde colligunt modo laudati critici, anno 116 ineunte, Trajanum proximo vere in Parthos exercitum ducturum, in judicium vocasse Ignatium, illustrem Christianorum in Syria doctorem, illumque palam Christum confitentem sequo de superstitione objurgantem, ad bestias damnatum Romam duci jussisse : quo demum cum post longum iter pervenisset, eodem anno 116 desinente, die 20 Decembris, ut ejus Acta testantur (71), martyrio est coronatus. Quibus positis, scriptæ sunt ergo epistolæ Ignatianæ, ad mentem prædictorum eruditorum, eodem anno æræ vulgaris 116, Actaque martyrii anno insequente 117 litteris consignata.

Posterior vero sententia, quam præ cæteris as-

(61) Ignat. *ad Rom.*, cap. 10.
(62) Oudin. *Comment. de scriptor, eccles.*, t. I, p. 133.
(63) Scalig. *Animadv. in Euseb. Chron.*, ad ann. MMCXXIII, pag. 207.
(64) Heumann. *Conspect. reip. litter.*, c. 7, § XLV, p. 493.
(65) Mamach. *Originn. et antiqq. Christ.*, t. IV, p. 401-404.
(66) Grab. *Spicileg. SS. PP.*, tom. II, p. 22.
(67) Pagi. *Critic.*, ad ann. 107, § IV seq.
(68) Lequien. *Or. Christ.*, tom. II, col. 701.
(69) Malal. *Chronogr.* lib. XI, sub init., p. m. 117.
(70) Dio, pag. 782.
(71) *Act. martyr. Ignat.*

seruere viri doctissimi, Usserius, Tillemontius atque nuper Corsinius, anno Christi 107, T rajani x, S. Ignatii martyrium illigat, sincerisque Actis Ignatianis inniti potissimum comperitur. In his enim legimus (72), Trajanum confecto bello Dacico, *imperii sui anno* IX, ἐννάτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας, *festinanter Armeniis et Parthis bellum illaturum*, σπουδάζοντα ἐπὶ Ἀρμενίαν καὶ Πάρθους, iter orientale suscepisse, sub finem scilicet præcedentis anni 106 ; siquidem cum Trajanus, teste vel ipso Joanne Malala (73), mense Hyperberetæo sive Octobri Roma digressus esset, proximo autem mense Appellæo sive Decembri Seleuciam pervenisset, Antiochiam demum Syriæ ingressus est μηνὶ Αὐδυναίῳ, τῷ καὶ Ἰαννουαρίῳ, ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ, ε'., ὥρᾳ ἡμερινῇ δ', « mense Audynæo sive Januario, die septima, feria quinta, hora quarta matutina. » Ex quo feriæ *quintæ*, cum *septima* die Januarii anno æræ Christianæ 107 concurrentis, charactere colligit Usserius (74), hoc ipso anno ineunte, a Trajano Antiochiæ ad expeditionem Parthicam se comparante, damnatum fuisse S. Ignatium ; qui proinde anno eodem labente, imperii Trajani x, die Decembris 20, martyrium subiit : adeoque illo ipso anno 107 currente perscriptæ ab eo fuerint epistolæ, atque insequente 108 ejusdem martyrii Acta evulgata. Apud Malalam quidem, sive ejus inscitia sive librariorum oscitantia, in notationem temporum cum imperii Trajani tum Ignatiani martyrii menda nonnulla irrepsisse noscuntur : levi tamen negotio ex iis emendanda, quæ Usserius, Chilmeadus (75) aliique monuerunt : sive ut laudatus chronographus sibi constet, sive ut ejus dicta monumentis vetustioribus, in primis vero Chronico Eusebiano, haud repugnantia comperiantur.

Cæterum quo hactenus enarrata reliquis Trajani gestis in Oriente paria respondeant, duplicem ab eo Parthicam expeditionem susceptam Tillemontius jure conjecisse videtur (76) ; cujus proinde sententiam nuper fuisse amplexus atque confirmasse validius perhibetur, vir politioribus litteris præstans Eduardus Corsinius (77). In eam quidem Dissertationem Corsinianam *Dubia proposita* per Erasmum Froelichium elegantioris doctrinæ consultissimum novimus (78) : quæ tamen laudatus vir doctus in altera Dissertatione sibi diluenda sumpsit (79). Et virorum criticorum arbitratui de hac erudita disceptatione judicio relicto, interim vero ad rem nostram quod attinet, ipsummet Corsinium juverit sic loquentem audire : « Vaillantius, inquit in *Arsacidarum Historia* (80) Parthicam Trajani expeditionem anno solum U. C. 865 susceptam putavit ; quemadmodum sane Loydius (81), Fabrettus (82), Norisius (83), Pagius (84). Basnagius (85) aliique plurimi Parthicum hoc iter post *sextum* consulatum, anno U. C. 865, a Trajano Romæ susceptum contigisse contendunt. Tillemontius vero (86), quo certe nemo subtilius atque accuratius hanc temporum rerumque gestarum seriem exploravit, Baronii ac Petavii vestigiis insistens, Parthicam hanc Trajani Cæsaris expeditionem exeunte anno U. C. 859 contigisse demonstrat. Ut autem omnia quæ a Norisio cæterisque proposita fuerant, accurate explicari simulque componi possint, Tillemontius ipse observavit quod duplex Trajani in Orientem iter distingui debet : ut in primo quidem Trajanus Armeniam ac Mesopotamiam in Romanæ provinciæ formam redegerit Parthæque regnum Chosroi reliquerit : in secundo vero Parthis ipsis, expulso Chosroe, regem alium concesserit. »

Ac certe quidem Trajanum Armenia jam pridem recepta Romam rediisse, iterumque Roma in Orientem profectum esse, ex nummis etiam ostendi posse putaverim, si cum Dionis *Historia* conferantur. Siquidem scriptor ille cum dixisset, Armeniam a Trajano Cæsare sine prælio receptam Romanoque populo tributam esse, mox subdit : Ἀπήντων αὐτῷ οἱ τῇδε σατράπαι, καὶ βασιλεῖς μετὰ δώρων. . . . Παρθαμασίρην τὸν Ἀρμενίων ἐτιμωρήσατο. Ἐπεὶ δὲ πᾶσαν τὴν Ἀρμενίων χώραν εἶλε, καὶ πολλοὺς τῶν βασιλέων τοὺς μὲν ὑποπεσόντας ἐν τοῖς φίλοις ἦγε, τοὺς δὲ τινας καὶ ἀποθανόντας (legendum puto ἀπόντας, ut hi postremi veluti *absentes* a prioribus qui Trajano *occurrerant*, distinguantur) ἁμαχεὶ ἐχειροῦτο· τότε ἄλλα ἐψηφίζετο αὐτῷ πολλὰ ἡ βουλή, καὶ Ὄπτιμον εἶτ' οὖν Ἄριστον, ἐπωνόμασεν. *Satrapæ qui regionem tenebant, regesque cum muneribus ei occurrerunt. . . . . Parthamasirem Armeniorum regem punivit ; captaque universa Armeniæ regione, reges qui deditionem fecerant, in amicorum numero habuit ; quosdam vero etiam absentes absque pugna cepit : eique tum alia plura decrevit senatus, tum præsertim Optimi cognomentum concessit.* Itaque ex Dione et Zonara quoque, *Optimi* nomen tunc primum Trajano Cæsari Romæ concessum fuit, cum is Armeniam expulso Parthamasiride cæterisque regulis omnino sublatis occupasset : ideoque cum in nummis pluribus Romæ percussis *Optimi* nomen Trajano tributum occurrat, in quibus ipse *Consul* v voca-

(72) *Act. martyr. Ignat.*, cap. 2.
(73) Malal. *Chronogr.* lib. XI, sub init., pagg. 115, 116.
(74) Usser. not. 6, *in martyr. S. Ignat.*
(75) Chilmead. *ad Malal.* lib. XI. nott. 23, 29, pag. 35.
(76) Tillem. *Hist des Emper.* tom. II, not. XVII, *sur Trajan.* pagg. 505 509. — Id. *Mém. eccl.*, tom. II, pagg. 195, 579, 583.
(77) Corsin. *Dissert. de Minnis. numm.*, pag. 6 seqq. Liburni 1754.
(78) Froelich. *Dub. de Minnis.*, etc. Viennæ Austr. 1754.
(79) Corsin. *Dissert. in qua Dub.*, etc. Romæ 1757.
(80) Vaillant. *Arsacid. hist.*, p. 305.
(81) Loyd. *De Ep. Ignat.*
(82) Fabrett. *De col. Trajan.*, p. 290.
(83) Noris. *Epist. Consul.*, p. 72.
(84) Pag. ad ann. Chr. 105, § 11 seq.
(85) Basnag. *Annal. eccl.*, ad ann. 112.
(86) Tillem. *Hist. Impp.* in Trajan., art. XXVIII, et not. XVII, p. 509.

tur (87) ; dubitari certe vix poterit quin Trajanus Armeniam subegerit, atque *Optimi* nomen obtinuerit ante annum U. C. 865, quo *sextum* consulatum Romæ suscepit. Ita quoque, cum in nummis aliis (88) *Optimi* titulus observetur, simulque *Profectio Augusti* memoretur ; facile exinde apparet Trajanum, etiam post subactæ Armeniæ tempus atque *Optimi* nomen ipsi tributum,aliquando Roma discessisse : quod fieri certe vel explicari non posset, si semel tantummodo adversus Armenios ac Parthos anno U. C. 865 Roma profectus in Oriente obiisset.

« Hæc ipsa quoque Trajani expeditio ante annum U. C. 865 suscepta,pulcherrimo Antiocheno nummo confirmari poterit (89), in quo perspicue legitur : ΔΙΙΜΑΡΧ ΕΞ. ΥΗΑΤ. Ε. *Tribuniciæ potestatis*, *Consul* v. Etenim si nummus ille tum cusus fuit cum primum Trajanus Antiochiam advenit, ut cl. editor existimavit, perspicuum fiet Trajanum in Orientem ante consulatum *sextum*, adeoque ante annum U. C. 865 concessisse : quemadmodum sane perspicuis temporum characteribus adventus ille Antiochiam in Malalæ Historia (90) anno U. C. 868 tribuitur ; atque in Actis S. Ignatii martyris perspicue diserteque legitur,quod martyr ille *nono* Trajani imperantis anno, *Sura et Senecione consulibus*, hoc est anno 860, ineunte Januario mense, Trajano Antiochiæ degenti, atque in Armenios et Parthos moventi oblatus fuit.Denique eximius alter Trajani nummus habetur (91) in quo Cæsar ipse APICT. CEB. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. *Optimus Augustus*, *Germanicus*, *Dacicus*, *Parthicus* appellatur, simulque *decimus* imperii ipsius annus expressus conspicitur. Ergo anno U. C. 861, in quem *decimus* imperii annus incurrit,Trajanus jam *Optimi*, atque a militibus saltem *Parthici* nomen acceperat : ideoque Parthicum iter ab illo susceptum ad annum U. C. 869 referri debet.

« Itaque non ex scriptoribus solum quos Tillemontius accuratissime exhibuit, sed ex Latinis etiam Græcisque nummis, quos eo libentius hic protuli ut vexatis adeo Ignatii martyris Actis hinc etiam splendor ac præsidium accederet,ostendi jam poterit quod duplex Trajeni in Orientem profectio agnosci debet : ut in prima quidem Chosroi placatus obsides solum ab illo receperit, solaque urbe Nisibi Batnisque ceptis *Parthici* nomen obtinuerit ; in altera vero, cum Chosroes aut a Parthis ipsis expulsus foret, aut fidem Trajano obstrictam violasset, Parthis ipsis novum regem constituerit. » Hactenus vir ille doctissimus. Neque omittas velim quæ Pearsonianæ sententiæ patronis haud ita pridem opposuit Baraterius (92). Si enim ea cum Tillemontii et Corsinii placitis componantur, res eo tandem deducitur ut omnino confecta esse videatur; ac proinde nemo in posterum de Actorum Ignatiani martyrii sinceritate jure dubitare possit.

Jam vero ad eam difficultatem enodandam quæ peti solet ex iisdem Actis, ubi S. Ignatii martyrium consignatur ὑπατευόντων παρὰ Ῥωμαίοις Σύρα καὶ Σενεκίου τὸ δεύτερον, *Coss. apud Romanos Sura et Senecione* II, cum ex Fastis constet (93), anno æræ Christianæ 107, Senecionem IV, et Suram III, consules processisse ; plura præter Usserium profert accuratissimus Tillemontius (94). Quibus addere præstat quæ in veterem eorumdem Actorum interpretem erudite observavit præsul amplissimus Franciscus Blanchinius (95). Verum in his diutius immorari, instituti nostri ratio non patitur.

Hic tantum lectorem monitum volumus, nos quidem sententiæ a Pearsonio aliisque propugnatæ primum adhæsisse, anno 116 epistolas Ignatianas illigantes,dum illas typis excudendas curabamus : sed re deinceps attentius inspecta, nunc demum alteram sequendam ducimus, quandoquidem validioribus argumentis confirmata esse nobis videtur ; ut proinde anno currente 107 easdem epistolas a S. Ignatio perscriptas,ejusque Acta martyrii anno insequente 108 litteris mandata existimemus.

(87) Vaillant. tom. II, pag. 121.
(88) Ibid. et tom. I, pagg. 47, 49. Gesn. *Tab.* I, n. 78.
(89) Vaillant. tom. II, pag. 127.
(90) Malal. *Histor* lib. XI, init.
(91) Gesner. *Tab.* LXXX p. 11.
(92) Barat. *Disquis. chron. de success. antiqq. Episcopp. Romm.*, cap. 7, § 4, pag. 84 seqq.
(93) Almelov. *Fasti coss.*, p. 132, alii.
(94) Tillem. *Hist. des Emper.*, tom. II, nott. XVII, XIX, pagg. 506, 510.
(95) Blanchin. *præfat. ad Anast. Biblioth.*, tom. I, § 19.

DE DOCTRINA SANCTI IGNATII.

(LUMBER, *Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina SS. Patrum*, etc. Augustæ Vindelic., 1783, in-8, t. I. p. 305.)

ARTICULUS I.

OBSERVATIONES DOGMATICÆ IN S. IGNATII M. GENUINAS EPISTOLAS.

§ I. *De sacra Scriptura et traditione.*

Sanctum Ignatium in epistolis suis genuinis ἀπόκρυφον nullum respexisse, ne ipsum quidem « Hebræorum Evangelium » (96), paululum superius asseruimus. Libros vero sacros dividit in tres codices : « Evangelium, Apostolos et Prophetas » (97). Scripta Novi Testamenti, unde quædam affert, sunt Evangelia Matthæi et Joannis, Acta apostolorum, Epistola ad Ramanos, prima et secunda ad Corinthios, Epistola ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, prima ad Thessalonicenses, secunda ad Timotheum, Epistola ad Philemonem, prima Petri et tertia Joannis. Loca ipsa exstant apud Lardnerum (98), cujus librum exscribere nolumus. Ea tantum verbotenus apponimus, quæ ostendant adversus Semlerum (99) Epistolam ad Philemonem utilitatis causa a primis Christianis lectam esse ; et porro, quæ doceant adversus alios haud paucos, etiam Joannis Epistolam tertiam jam tum fuisse lectam et probatam. Formulas enim Paulinæ Epistolæ ad Philemonem spectasse videtur S. Ignatius in sua Epistola ad Ephesios, c. 2, ubi ait : Ὀναίμην ὑμῶν διαπαντός. Eamdem formulam habet quoque ad Magnesianos cap. 12, ad Polycarpum cap. 6 (100), loquendi vero rationem beati evangelistæ Joannis in epistola ad Magnesianos ubi dicit (1) : Κατευοδωθῆτε σαρκὶ καὶ πνεύματι.

Inter cæteras veritates attenta consideratione dignas quas tradit S. Ignatius M., magna verborum energia fidelibus inculcat : cum Veteris tum Novi Testamenti Scripturas esse venerandas. En quæ circa Vetus Testamentum docet : « Diligamus prophetas (ad Philadelphenos sic loquitur) (2) ut qui Evangelium Jesu Christi annuntiarint, sperantes in eum, eumque (Jesum Christum) exspectantes, et per ipsum salutem consecuti, a Jesu Christo testimonium adepti in Evangelio spei communis. » Hæc adducit argumenta, ut ostendat nos maxima veneratione sacros Veteris Testamenti auctores prosequi debere.

Sed ulterius progreditur, verba faciens de Evangelio et de apostolorum scriptis. Declarat enim quod « ad Evangelium ipse confugit, tanquam ad carnem Jesu Christi, et ad apostolos velut ad Ecclesiæ presbyterium (3), » scilicet veluti ad doctrinam illorum qui primi Ecclesiam fundarunt. « Obsecro itaque vos, ait insuper (4), ut nihil per contentionem faciatis, sed juxta Christi disciplinam. Audivi enim quosdam dicentes : Nisi invenero in archivis (5), Evangelio non credo. Mihi vero pro archivis est Jesus Christus ; illibata archiva crux ejus, et mors et resurrectio ejus, et fides quæ per ipsum est. » Et paulo post (6) : « Eximium quiddam habet Evangelium, nimirum adventum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, passionem ipsius ac resurrectionem, Evangelium perfecti et incorruptionis. » Quis non videt in variis hisce textibus venerationem S. Ignatii erga divinas Scripturas ?

Etsi in epistolis S. Ignatii nihil occurrat quod traditionem respiciat, nihilominus aliunde constat quod inter essentialia dogmata, quæ S. hic episcopus omnium urbium Ecclesiis, per quas in suo itinere Romam versus transibat, communicabat, illis super omnia commendaverit ut tenaciter inhærerent traditionibus apostolorum, quas quidem necessarium ducebat, scriptis mandare, ut tutius ad omnem posteritatem pervenirent. Hic Ignatius, « sic loquitur Eusebius (7), » cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans, monebat in primis ut sibi a pravis hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primum in lucem emergere cœpissent, copiosius pullulabant, hortatusque est ut apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem et ad certiorem posterita-

(96) Ignatius, epist. ad Smyrn., c. 3, de Christo ait : Ἔφη αὐτοῖς· λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. Quæ verba D. Hieronymus, « De viris illust. cap. 16, ex Hebræorum Evangelio desumpta esse ait. Sed possunt, ut mihi videtur, etiam lapsu memoriæ sic mutata esse ex Lucæ XXIV, 39.

(97) Προσφυγὼν τῷ Εὐαγγελίῳ ὡς σαρκὶ Ἰησοῦ, καὶ τοῖς ἀποστόλοις, ὡς πρεσβυτερίῳ ἐκκλησίας, καὶ τοὺς προφήτας δὲ ἀγαπῶμεν. S. Ignatius epist. ad Philadelph., c. 5.

(98) In der Glaubwurdigkit der evangelischen Geschichte, p. II, vol I, pag. 112. — 133.

(99) De canone S. Scripturæ. p. I, pag. 123.

(100) « Utinam fruar vobis. » Confer Epistolam Pauli ad Philemonem, 20.

(1) « Ut.... prospere succedant, carne et spiritu. Ad Magnesiam., c. 13, collatum cum III Joannis versu secundo : Ἀγαπητέ, περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν, καθὼς εὐοδοῦταί σου ἡ ψυχή.

(2) Cap. 5.

(3) Epistola ad Philadelph., cap. 5.

(4) Eadem epist., cap. 8.

(5) Vetus interpres reddit : « Quoniam si non veteribus invenio, in Evangelio non credo. »

(6) Ibid., cap. 9.

(7) Euseb., *Hist. eccl.* l. III. pag. 114.

tis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit » Sole meridiano clarius est, de traditione non scripta verba fieri, cum Eusebius tradat S. Antiochenum episcopum scriptis mandare necessarium duxisse, ut tutius ad posteros pervenirent, quod sane dici nequit de doctrina litteris consignata.

§ II. *De Ecclesia, ejus ministris, schismate, hæresi, hæreticis fugiendis, eorumque notis.*

Vera Ecclesia, juxta S. Ignatium, notis hisce internosci potest, quod una sit (8), catholica (9), incorruptibilis (10), atque ita distributa (11) ut episcopi presbyteris majores sint; hi vero diaconis, sine quibus (12) perdurare non potest. Docet præterea (13) quemadmodum ubi Christus est, ibi quoque catholica Ecclesia est, ita et ibi fidelium conventum habendum esse, ubi episcopus est. Nullum altare (14) ratum habet, nisi id quod cum illo commune est; est enim illud (15) unitatis locus.

Quod si adversus errores pravasque doctrinas præsidium quæramus, episcopo (16) adhærendum est (17) eumque ut Jesus Christus Patrem suum sequi oportet. Quemadmodum enim Jesus Christus qui inseparabilis nostra vita est, Patris mandato toti Ecclesiæ præpositus est (18), ita et episcopi Jesu Christi jussu eidem præfecti sunt per varias orbis plagas, ut ejus locum obtineant, et religionis negoti s præsint.

Ipsorum interim muneris est (19) Jesu Christi doctrinam atque opera in seipsis exhibere. Episcopi est fidelium conventum habere (20), illique præesse ; sine ipso neque baptizare. neque agapen facere, neque quidquam aliud quod Ecclesiam spectat, aggredi fas est. Ejus quoque vigilantiam decet num fideles omnes conventibus intersint, dispicere, atque in singulos nominatim inquirere, etc. Statuti adhuc per ea tempora dies non erant quibus esset conveniendum ; verum S. Ignatius, ut quam sæpissime habeantur, commendat (21). Quod si quidquam gravioris momenti accidebat, concilium

(8) « Ex quo fructu (Christo pro nobis confixo in carne) nos sumus per divinam beatam passionem ejus, ut elevet signum in sæcula per resurrectionem sanctis et fidelibus suis, sive in Judæis, sive in gentibus in uno corpore Ecclesiæ suæ. « Ad Smyrn., c. 1. — « Unus est Jesus Christus, quo nihil præstantius est. Omnes itaque velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum Jesum Christum, qui ab uno Patre prodit, et in uno existit, in unum revertitur. » Ad Magnes., c. 7. — « In his, quæ circumfero, vinculis laudo Ecclesias, quibus opto unionem secundum carnem et spiritum Jesu Christi, sempiternæ nostræ vitæ, fidei, et, cui nihil præfertur, charitatis.» Ibid., c. 1.

(9) « Ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia. » Ad Smyrn., cap. 8.

(10) « Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesiæ spiret incorruptionem. » Ad Ephes., c. 17.

(11) « Quotquot Dei, et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo. » Ad Philadelph., cap. 3. — « Filii itaque lucis et veritatis, fugite divisiones..... ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini. » Ibid., c. 2. — « Cum episcopo subjecti estis, ut Jesu Christo, videmini mihi non secundum hominem, sed secundum Jesum Christum vivere... necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis ; sed et presbytero subditi sitis, ut apostolis Jesu Christi, et diaconos oportet omnibus placere. » Ad Trall , c. 2.

(12) « Cuncti revereantur diaconos... et episcopum... et presbyteros.... sine his Ecclesia non vocatur. » Ib., c. 3.

(13) « Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit ; quemadmodum ubi fuerit Christus, ibi catholica est Ecclesia. » Ad Smyrn., c 8.

(14) « Rata eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. » Ibid. — « Qui intra altare est, mundus est ; qui vero extra est, mundus non est : hoc est qui sine episcopo, et presbyterio, et diaconis quidquam agit, is non est mundus in conscientia. » Ad Trall., c. 7.

(15) « Operam detis ut una eucharistia utamini ; una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius ; unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis. » Ad Philadel , c. 4. — « Nemo erret : nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet quanto magis illa, quæ episcopi est, et totius Ecclesiæ ? Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, seipsum separavit atque judicavit Scriptum est enim : « Superbis Deus resistit» (*Jac.* IV. 6), studeamus igitur episcopo nòn resistere, ut simus subjecti Deo. » Ad Ephes., cap. 5.

(16) « A talibus (hæreticis et seductoribus) vos custodite : quod fiet, si inflati non fueritis, et individui manseritis a Deo Jesu Christo, et episcopo, et præceptis apostolorum, » Ad Trall.. c. 7.

(17) « Omnes episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem. » Ad Smyrn., c. 8.

(18 « Jesus Christus inseparabilis nostra vita, Patris est sententia ; ut et episcopi per terræ terminos definiti et Jesu Christi sunt sententia. » Ad Ephes., c. 3. — « Quemcunque mittit Paterfamilias, ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est quod episcopum respicere oporteat, ut ipsum Dominum. » Ibid.. cap. 6. — « Itaque hortor ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere episcopo præsidente Dei loco... » Ad Magnes., cap. 6.

(19) Vid. epistol. S. Ignatii ad Polycarpum, quæ partim circa episcoporum munera versatur.

(20) « Nihil sine tua voluntate fiat (episcope !), crebrius conventus fiant, nomination omnes inquire. » Ad Polycarp., c. 4. — « Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant, Rata eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit, episcopus, ibi et multitudo sit.... Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare ; sed quodcunque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut tutum ratumque sit, quodcunque agitur. » Ad Smyrn., c 8. — « Decet non modo vocari Christianos, sed etiam esse ; quemadmodum nonnulli episcopum quidem nominant, sed sine ipso omnia faciunt. Tales vero non bona mihi conscientia præditi esse videntur, quia non stabiliter secundum præceptum congregantur. » Ad Magnes., c. 4.

(21) « Sæpius conventus fiant. » Ad Polycarp., supra. — « Date operam, ut crebrius congregemini, ad gratias Deo agendas, et ad eum laudandum. Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, et concordia vestræ fide, solvitur exitium, quod ille infert. » Ad Ephes., c, 13

num animos in cœlis de Ecclesia atque de ibus sollicitos esse, cum ad Trall. hæc scribe- 36) : « Expiet vos spiritus meus ; non modo c, sed et ubi Deum nactus fuero. » Varios m (37) angelorum gradus et principatuum ordi- , invicem distinguit, ac SS. Petrum et Paulum em Romanis (38) annuntiasse significat.

Ubi fidelium aliquem sanguinem suum pro fide fundere eveniebat (39), conventus habebatur ad rates Deo per Jesum Christum reddendas, eaque e re hymni et cantica concinebantur. Intelligimus autem ex summo illo S. Ignatii, quod in epistolis suis præsefert (40), martyrium patiendi desiderio, firmiter eum credidisse, illico se Dei præsentia in cœlis fruiturum. Illud etiam observatione dignum videri possit, quod mancipiis Ecclesiæ inservientibus manumissionis desiderium interdicat, « Ne, inquit, (41) vitiorum mancipia fierent..... » sui vero temporis hæreticos ita describit. (42) « Considerate eos qui alienam opinionem tuentur contra gratiam Jesu Christi, quæ ad nos venit, ii quomodo sunt contrarii sententiæ Dei : de charitate non est cura ipsis, non de vidua, non de orphano, non de oppresso, non de vincto vel soluto, non de esuriente vel de sitiente. Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem esset diligere, ut et resurgerent. » Eisdem quoque exprobat, quod ad illam usque diem (43) neque prophetæ, neque lex Moysis, neque Evangelium, neque martyrum tormenta eos ab errore revocare potuerint. De istis quoque accipiendum est, (44) quod ait : « Excelsas quasque in cœlis creaturas, angelos quacunque demum gloria fulgentes, principatus visibiles, et invisibiles ad dira supplicia esse damnandos, nisi in Christi sanguinem credant. »

§ III. *De Trinitate personarum divinarum, Filii Dei æternitate, consubstantialitate, Christi divinitate duabus naturis, una persona, et B. V. Mariæ divina maternitate.*

Duo in epistola ad Magnes. occurrunt loca, in quibus mentio fit de SS. Trinitate. In primo hæc leguntur verba (45 : « Studete igitur ut conformemini in dogmatibus Domini et apostolorum, ut omnia quæ facitis prospere vobis succedant, carne et spiritu, fide et veritate, in *Filio et Patre, at Spiritu sancto*, in principio et in fine. « Et post pauca interjecta : « Subjecti este episcopo, et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem ; et apostoli Christo et Patri, et Spiritui. » Obiter hic observandum est S. Ignatium hic loqui de subjectione Jesu Christi, prout homo est, sive secundum carnem, κατὰ σάρκα.

Pluribus in locis S. hic martyr profitetur Filium Dei verum esse Deum, Patri suo coæternum. Luculentissimis autem verbis id declarat in epist. ad Magnes., ubi ait (46) : « Unus est Deus, qui manifestavit semetipsum per Jesum Christum Filium ipsius, qui et ipsius Verbum æternum, non a silentio progrediens. » Atqui si Christus est Verbum Patri suo coæternum, is ipse et ejusdem cum ipso naturæ, idemque ac ille sit Deus, omnino necesse est.

Idem S. martyr in epistola ad Polycarpum, sanctissimum coepiscopum suum : « Eum, qui est supra tempus, exspecta intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem, impatibilem, propter nos patibilem, qui omnimodis propter nos sustinuit (47). » De Filio Dei manifeste loquitur hic, præter alia attributa divina etiam hoc ipsi tribuens, quod sit ὑπέρκαιρος, ἄχρονος, « supra tempus, sine tempore, » hoc est æternus. Nam ea fuit hujus viri apostolici simplicitas, ut nequaquam putandus sit, lusisse in voce, temporis, » ut postmodum luserunt subdoli Ariani.

Quod Jesus Christus sit verus Deus, veritas est, quam S. iste præsul pro certo supponit sicuti eruitur ex phrasibus, quibus utitur, dum de illo loquitur : ait enim ad Ephesios (48) : « Deus autem noster Jesus Christus : Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, in utero gestatus est a Maria, juxta dispen-

(36) Ad Trall., cap. 13.

(37) « Non propterea qnod vinctus sum, et cœlestia intelligere possum, et situs angelorum, et cœtus constitutionesque principatuum... propter hoc jam et discipulus sum. » Ad Trall., cap. 5.

(38) « Non ut Petrus et Paulus præcipio vobis. Illi apostoli, ego vero condemnatus, « etc. Ad Rom., cap. 4.

(39) « Plus mihi tribuere non potestis, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est : ut in charitate chorum constituentes, canatis Patri in Christo Jesu, quod episcopum Syriæ dignatus fuerit Deus in Occidente inveniri ab Oriente accersitum. » Ibid , cap. 2.

(40) « Ignoscite mihi, fratres, ne mihi impedimento sitis, quominus vivam..... sinite me purum lumen haurire. « Ibid., c. 6 et 7.

(41) Ad Polycarp., c. 5.

(42) Ad Smyrn., c. 6 et 7.

(43) Ad Smyrn., c. 5.

(44) Ibid., c. 6.

(45) Ad Magnes , cap. 13.

(46) Εἷς ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ ὅς ἐστι αὐτοῦ Λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Epist. ad Magnes., c. 8.

Haud me fugit, esse, qui ex hoc loco contendunt, hasce epistolas Ignatii non esse : siquidem verba illa : Οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, non a silentio progrediens, proprium Valentini, ut ipsis videtur, perstringunt errorem, vivente Ignatio, nondum exortum. Ad hanc autem objectionem facilis est responsio ; solidissime enim V. Cl. Bullus in *Defens. fidei Nicænæ*, sect. 3, c. 1, p. 174 — 187, demonstravit Ignatium in verbis allatis, et in tota perioche, ad quam verba illa pertinent, neque Valentinianos, neque Ebionitas respicere, sed Judaizantes illos Gnosticos, quorum princeps erat Cerinthus (qui Valentino longe anterior, adeoque ipsis apostolis coævus fuit ; cujus hæresis Ecclesias Asiasticas Ignatii temporibus maxime turbavit) perstringere.

(47, Epist. ad Polycarp., c. 3.

(48) Epist. ad Ephes., cap. 18.

sationem Dei ex semine Davidis, ex Spiritu autem sancto. » In eadem epistola, c. 19 : Θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. « Deo humanitus (id est in humana carne) manifestato in novitatem vitæ æternæ. » Et c. 20 : « Jesu Christo secundum carnem ex genere Davidis, Filio hominis, et Filio Dei, » τῷ Υἱῷ ἀνθρώπου, καὶ Υἱῷ Θεοῦ. In inscriptione epistelæ ad Romanos Jesus Christus bis ὁ Θεὸς ἡμῶν, « Deus noster » appellatur. Et in ipsa epistola (49) hæc habentur : « Nam Jesus Christus Deus noster in Patre existens magis apparet. » Epistolam ad Smyrnæos his verbis exorditur : Glorifico Jesum Christum Deum (τὸν Θεὸν) « qui sic vos sapientes facit. » Sed illustris esse in primis locus in epistola ad Ephesios, ubi de Christo sic loquitur Ignatius : Εἷς Ἰατρός ἐστι, σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς, καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς, καὶ τότε ἀπαθὴς, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν. « Medicus autem unus est, et carnalis ei spiritualis, genitus et ingenitus (seu melius), (50) factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis Jesus Christus, Dominus noster. » Hæc S. Ignatii verba ab Athanasio, Theodoreto et Gelasio contra antiquos divinitatis Christi impugnatores citata illam invicte explicant, ut a nullo hactenus infirmari unquam potuerint. Quamobrem quidam e Socinianorum secta Neotericus scriptor, cum claritatem hujusce testimonii nullis impiæ mentis artibus obscurare posset, eo venit impudentiæ, ut scribere ausus sit : In Ignatii epistolis propositiones quasdam incommodas et insulsas reperiri, ac proinde eum in sua de Christi divinitate sententia facile decipi potuisse ex traditione alicujus pseudo-Christi, et pseudo-apostoli. Sed nullus unquam in Ignatianis epistolis incommodam aut insulsam propositionem assignabit. Præterea si daremus. Ignatium in munitioribus quibusdam a doctrina apostolica nonnihil deflexisse ; ideone verisimile cuidam videri posset, ipsum in articulo fidei Christianæ tanti momenti tam turpiter fuisse illusum ? Quisquamne est, qui vel suspicetur Ignatium, qui una cum Jesu Christi apostolis tam familiariter versatus est, quemque apostolicæ fidei martyrem fuisse universa tradit antiquitas, a pseudo-apostolo in primaria Christianismi doctrina deceptum fuisse ?

Credat Judæus Apella.

Non ego...

Temerariæ ergo illæ impiorum nominum responsiones explodendæ sunt, eique doctrinæ inhærendum, pro qua non solum Ignatius, sed innumeri martyres sanguinem suum constantia admirabili planeque divina profuderunt.

Cæterum omnibus facile innotescit, hucusque allegata S. Ignatii loca æque pugnare pro divinitate Salvatoris, pro unitate ejus personæ, pro duabus ejus naturis, ac pro divina Mariæ maternitate. Fatetur enim » Jesum Chrisium verum Deum simul esse ac verum hominem, creatum et increatum, Deum in homine exsistentem, in morte vitam veram, Dei Filium Patri suo coæternum, semper in ipso et cum ipso exsistentem, potentia æqualem, sed subjectum juxta carnem, et tanquam Mariæ filium (51), cum revera mortuum esse, et resurrexisse, nullamque sine ipso salutis spem nobis superesse ; principem vero hujus mundi (52) ejus mortem velut et Mariæ virginitatem ac partum ignorasse. »

Unitatem personæ in specie probant illa Ignatii verba ad Magnesianos (53) : « Omnes concurrite... velut ad unum Jesum Christum, qui et ab uno Patre prodit, et in uno exsistit, et in unum revertitur. » Duas ubique Jesu Christi naturas ita memorat (54) ut eas reapse inter se distinctas esse, nequo

(49) Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν Πατρὶ ὢν, μᾶλλον φαίνεται. Epist. ad Rom., c. 3. In salutatione epistolæ ad Ephesios, ipsos prædestinatos et electos dicit : Ἐν θελήματι τοῦ Πατρὸς καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν : « Voluntate Patris et Jesu Christi Dei nostri. » In epist. ad Rom., c. 6, ait : Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ Θεοῦ μου : *Concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei.* In fine epistolæ ad Polycarpum : « Opto vos valere semper in Deo nostro Jesu Christo, » ἐρρῶσθαι ὑμᾶς διὰ παντὸς ἐν Θεῷ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ εὔχομαι.

(50) Merito, γεννητός καὶ ἀγέννητος, « factus et non factus » cum Gelasio Papa interpretamur, siquidem sensus id efflagitat, et notissimum est a Græcis voces γεννητός et γενητός promiscue usurpari, quanquam ecclesiastici fere scriptores catholici, præsertim qui post tertium sæculum vixeruni, easdem in quæstione de Filii divinitate accuratius distinxerunt. Accedit quod vox ἀγέννητος soli Patri utpote ingenito competat ; quare Ignatius non potuit intelligere « genitum et ingenitum, » qui in epistola ad Tralhanos eos exsecratur, qui Filium Dei dicunt ἀγέννητον, « ingenitum » Quis non videt præfatis Ignatii verbis Arianæ blasphemiæ jugulum peti ? Quippe hic Christus non modo Deus agnoscitur vere immortalis, in carne quondam mortali ; sed non factus, hoc est increatus diserte dicitur. Ita mentem D. Ignatii optime expressit, simulque vocis ἀγέννητος sive ἀγέννητος, prout ea a veteribus usurpata legitur, duplicem acceptionem accurate distinxit M. Athanasius, quem consule in libro *De synodis*, tom. I, p. 922.

(51) « Obturate aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vero natus est, edit, bibit, vere persecutionem passus est sub Pontio Pilato ; vere crucifixus et mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus et subterraneis ; qui et vere resurrexit a mortuis resuscitante ipsum Patre ipsius secundum similitudinem, qua et nos ipsi credentes ita resuscitabit Pater in Christo Jesu, sine quo veram vitam non habemus. » Epist. ad Trallianos, cap. 9.

(52) « Principem hujus mundi fatuit virginitas Mariæ, et partus ipsius similiter, et mors Domini, tria mysteria clamoris, quæ in silentio Dei patrata sunt » Ep. ad Eph. c. 19.

(53) Epist. ad Magnes., c. 7. In eadem epistola S. Ignatius Magnesianis satis se commendasse Christianæ unitatis excellentiam jure arbitratus est his verbis : « Unus est Jesus Christus, quo nihil præstantius est. »

(54) Consule loca supra jam allegata, in primis, c. 7 ep. ad Eph., c. 3 ep. ad Polycarpum, et c. 3 ad Smyrn. ; cap. 15 ad Magnes. ; ad Smyrnæos, c. 1.

commistas, aut confusas, sed unam in ipso personam per unitatem efficientes censeret.

Veritatem incarnationis, Christumque vere passum ac resurrexisse, contra phantasticos multis S. Ignatius probat. Inter alia ita ratiocinatur : « Si vero, ut quidam athei, hoc est infideles, aiunt, ipsum (Christum) secundum apparentiam esse passum, ipsi secundum apparentiam exsistentes ; ego quid vinctus sum ? et cur opto cum bestiis depugnare ? frustra itaque morior. » - - « Profecto, » addit insuper, « mendacia de Domino non confingo. » ἄρα οὐ καταψεύδομαι τοῦ Κυρίου. « Fugite ergo, » concludit ipse de phantasticis loquens, « fugite malignas has stirpes, quæ gignunt mortiferum fructum, quem si quis gustarit, continuo moritur (55). »

§ IV. *De reali præsentia corporis Christi in eucharistia, de diaconis eucharistiæ ministris, et de S. Christianorum altari.*

Ex antiquis scriptoribus noster in primis Ignatius, verum in eucharistia esse Christi corpus, disertissime docet. Siquidem ubi de hæreticis, qui Christum non veram, sed fictam et simulatam carnem assumpsisse garriebant, sermonem habet, hæc observatu dignissima profert verba : « Ab eucharistia, inquit, abstinent, propter non confiteri, carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passam (56). » Et vero, si tunc Christiani in eadem, ac Calviniani nostri fuissent sententia, eucharistiam corporis Christi nudam duntaxat esse figuram, ab eis nen potius illa rejici debuit, quam baptismus, qui vere mortis Christi figura esse dicitur. Imo ab illis et eucharistia non secus ac baptismus ambabus ulnis suscipienda erat ; quippe qua Christum nullibi, nisi in figura, non reipsa exstitisse concluderent. Cum ergo ab illa abstinuerint, in eadem ipsa verum corpus Christi esse persuasum habebant.

Objiciet forsan aliquis eucharistiam, etsi nudam corporis Christi figuram, ideo tamen ab eis rejectam, quia, ut ait Tertullianus (57) : « Vana res, quod est phantasma, figuram non admittit. » Sed huc illa Tertulliani auctoritas perperam adducitur. Ibi enim doctus ille vir Marcionem, qui Christum fictum hominem et phantasma fuisse delirabat, hoc testimonio Jeremiæ dicentis : *Venite, mittamus lignum in panem* (58) egregie refellit, ostenditque eo loci panem non figuram Christi simplicem et nudam, sed propheticam appellari.

At in eucharistia juxta Calvinistarum opinionem non futuri corporis prophetica, sed corporis vere exsistentis figura est. Quis autem revocabit in dubium, aliquam corporis, quod simulate et ficte tantum exsistit, posse esse figuram ? Hæretici ergo illi hanc ob causam eucharistiam, sicuti baptismum, quem ficte Christi mortis figuram esse contendebant, respuere non debuerunt. Vim hujusce argumenti cum sentiret Claudius Charentonensis olim minister, in aliam abiit sententiam. Respondit itaque (59) hos hæreticos stulte credidisse Christum, qui verum corpus habuit, his verbis : *Hoc est corpus meum*, panem, ut corpus suum fieret, revera adoptasse. Id vero, ut probet, Tertullianum loco a nobis supra citato, testem producit. Sed ibi Tertullianus de illa hæreticorum stulta opinione ne minimum quidem verbum fecit. Instat ille ex Bellarmino, ab hæreticis illis non tam sacramentum eucharistiæ, quam mysterium Incarnationis fuisse impugnatum. Quid inde ? Nunquid mysterium incarnationis aliter impugnari non potest ; nisi Christus panem, ut suum corpus esset, adoptasse dicatur ? Hæc sane vana quam sint et futilia, nemo non videt.

Observandum quoque, diaconos inter sacros adorandi eucharistiæ sacramenti ministros ab Ignatio computari ; oportet et diaconos ministros exsistentes mysteriorum Jesu Christi... Non enim ciborum, et potuum sunt ministri (60). Hinc etiam S. Stephanus unus ex septem primis Ecclesiæ diaconis

(55) Epist. ad Trall., c. 10. In epist. ad Smyrnæos repetit S. Ignatius, quod *Jesus Christus vere passus est, sicut et seipsum suscitavit*, καὶ ἀληθῶς ἔπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτόν. Cap. 2, et infra habet : « Ego et post resurrectionem eum in carne novi, et credo esse. Et quando ad eos, qui cum Petro erant, venit, inquit ipsis : Apprehendite, palpate me, et videte quod non sum dæmonium incorporale : et confestim ipsum tetigerunt, atque crediderunt convicti carne ipsius et spiritu. Propter hoc etiam mortem contempserunt ; supra mortem vero inventi sunt. Post resurrectionem autem cum illis comedit, et bibit, ut carnalis, ὡς σαρκικός, quamvis spiritualiter unitus Patri. » Epist. ad Smyrn., c. 3. Non mirandum S. Ignatium tam vehementer deprædicare veritatem Incarnationis, cum error oppositus valde obtinuerit temporibus etiam apostolorum, sicuti expresse testantur Tertull. lib. *De præscript.*, c. 33, ac D. Hieron. *adversus Luciferianos*, c. 8, necnon eruitur a prima D. Joannis Epistola, c. 1. Hæresis hæc communis erat omnibus Gnosticis, sicut animadvertit Tillemont., t. I *Hist. eccles.*, post Pearsonum et Bullum.

(56) Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα, εἶναι τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ Πατὴρ ἤγειρεν. « Ab eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. » Epist. ad Smyrn., c. 7. Verba hæc certum reddunt testimonium de præsentia reali corporis Christi in sanctissimo altaris sacramento. Et revera quid clarius, quid certius dici potest pro hac veritate nostris hisce diebus in controversia posita, iis quæ docet S. Ignatius, videlicet eucharistiam esse carnem Servatoris nostri Jesu Christi ; illam eamdem carnem, quæ pro peccatis nostris passa est, et quam Pater postea suscitavit ? Quomodo consociari possunt hujusmodi phrasis cum sensu figurato novatorum ? Nunc igitur miretur nemo, si hos videat respuentes auctoritatem epistolarum S. Ignatii, quarum doctrina eorum doctrinæ e diametro est opposita.

(57) Tertullianus, lib. IV *contra Marcionem*, c. 40.

(58) Jerem., cap XI, 19.

(59) Respons. ad tract. *De perpetuit.*, parte II, c. 21, p. 269.

(60) Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίου

ab Ambrosio vocatur *minister altaris* (61). Et D. Laurentius apud eumdem doctorem (62) Sixtum summum pontificem his verbis compellat : « Experire,utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem. » Sed illud potissimum in verbis S. Ignatii animadvertendum, quod ipse de iisdem diaconis addidit : « Non enim ciborum et potuum sunt ministri. » Etenim hi primum quidem, ut viduarum pauperumque curam generent, ab apostolis sunt ordinati. Verum secundarium illud eorum munus, quamvis primæ eorum electioni occasionem dederit ; quibusdam tamen in regionibus paulo post mutationibus fuit obnoxium. Porro si quid contra Justinianus et synodus Trullana (63) definierunt hac in re ex male intellectis, cum Neocæsariensis concilii, tum S. Chrysostomi verbis, ab antiqua Patrum traditione recesserunt.

Neque illud etiam perfunctoria observatione adnotandum, quod Ignatius de sacro Christianorum altari ad Ephesios (64) scribit : « Si quis non sit intra altare, » τοῦ θυσιαστηρίου, « privatur pane Dei. » Et ad Philadelph. (65) : « Una enim caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, ἓν θυσιαστήριον. » His in locis vocem θυσιαστήριον in sua propria, vera ac genuina significatione, nimirum pro sacra mensa, in qua Christi corpus immolatur, usurpari certissimum est ; unde profecto refutantur Calviniani, qui verum Christi corpus in eucharistia esse negantes, vocem quoque θυσιαστήριον, *altare*, vero ac proprio significatu per tria prima sæcula ab antiquis Patribus acceptam inficiantur. Frustra autem objicit Vedelius : Eucharistiam Ignatii tempore ad mensam ligneam, quæ altare proprie dictum non erat, fuisse administratam. Incertum namque primo est utrum his Ecclesiæ temporibus tabula lignea an lapidea usi fuerint. Secundo non materies lapidea, aut lignea, sed sacrificium super mensam, cujuscunque materiei sit, ab hominibus Deo oblatum altare proprie dictum constituit. Neque vero id majoris momenti est, quod idem Vedelius eo, quia mulieribus, ne ad altare accederent, nonnullis canonibus (66) vetitum esset, inde Ignatium non de aliquo materiali, sed de spirituali, precum scilicet et rationum intelligendum esse contendit. Enimvero idem ipse Vedelius, cum hos citat canones, qui vocem altaris vero ac genuino sensu usurpant,seipsum imprudens jugulat.Deinde Ignatius de eucharistia loquitur, ac proinde non de spirituali ac metaphorico, sed de materiali et vero altari eum loqui necesse est. Denique si mulieribus altaris accessus olim interdicebatur, per divini tantum officii tempora, non autem, cum eucharistia accipienda esset, illud eis prohibitum fuit.

Instabis : Primis Ecclesiæ sæculis vocem *altare* rarius adhibitam a Patribus, qui, cum adversus ethnicos disputarent, ulla Christianis altaria fuisse constanter pernegabant Sed his facile respondeas primo vocem illam *altare* ab Ignatio, quidni et ab aliis Patribus, quorum scripta perierunt,non raro, sed sæpe usurpatam. Secundo, si primi Ecclesiæ Patres in suis contra paganos scriptis et disputationibus nulla Christianis altaria fuisse dixerunt, in aliis operibus aut sermonibus ad Christianos habitis, sua ipsos altaria habuisse asserunt. Quamobrem cum antiquissimi illi scriptores sibi ipsis contrarii esse non possint, iidem procul dubio, nbi illud inficientur, ibi de altaribus publicis, in quibus sacrificia maximo apparatu, et paganorum more fierent, sunt intelligendi. Et certe cum ipsi eucharistiam verum corporis et sanguinis Christi sacrificium esse omni asseveratione affirment,apud Christianos verum ac proprium altare aliquod fuisse, negare non potuerunt.

De eucharistiæ sacramento disserens D. Ignatius simul declarat divinum hunc cibum quoddam esse remedium, quod producit immortalitatem : Φάρμακον ἀθανασίας, « pharmacum immortalitatis (67). » glorioso hoc nomine istud divinum sacramentum appellat : statimque addit quod sacramentum hoc est « antidotum,ne moriamur,sed vivamus semper in Jesu Christo. » Magnificæ hujumodi phrases in auctore tam vetusto, sicut est D. Ignatius, summam evidenter ostendunt venerationem, qua colebantur divina hæc mysteria primis Ecclesiæ temporibus.

ARTICULUS II.

OBSERVATIONES MORALES

Præter obligationes episcopos,presbyteros ac diaconos concernentes, Christianorum insuper munia et obligationes in epistola ad Polycarpum (68) pertractat, in qua magnis etiam laudibus ornat cælibem vitam (69) agentes : eos tamen propterea inani gloria efferri non vult. Illi vero, qui nuptias contrahunt, subdit ipse (70) id episcopo annuente faciant, ut nuptiæ secundum Deum sint, non secundum cupiditatem.

In epistola ad Ephesios sanctus martyr commen-

Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' Ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπήρεται. « Oportet autem et diaconos mysteriorum Jesu Christi ministros omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri. » Ad Trall., c. 2.

(61) Lib. *De virginit.*, c. 18, § 119.
(62) Lib. I *De Offic.*, c. 41.
(63) Canone 41.
(64) Cap. 5.
(65) Cap. 4.
(66) Concil. Laodicænum, canone 44.
(67) Epist. ad Ephes., cap. 20.
(68) Cap. 6.
(69) « Si quis potest in castitate manere ad honorem carnis Dominicæ, in humilitate maneat. Si glorietur, periit. Et si se majorem episcopo censet, interiit. » Epist. ad Polycarp., c. 5.
(70) « Decet ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiæ sint secun-

dat, fidem ac charitatem (71); orationis publicæ enumerat utilitates (72). « Nemo erret, ait S. Ignatius, nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei : si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet, quanto magis illa, quæ episcopi est, vel totius Ecclesiæ. Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, et seipsum separavit. Date itaque operam, » ait insuper ad eosdem Ephesios, « *ut crebrius* congregemini, ad gratias Deo agendas, illiusque gloriam : quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, et concordia vestræ fidei solvitur exitium, quod ille infert. » Si gravissimæ hujusmodi veritates profunde in mentibus fidelium nostræ ætatis insultæ essent, neutiquam innumeros conspiceremus, qui absque legitima causa et contra verum Ecclesiæ spiritum, sacrosancto missæ sacrificio, et divinis propriæ parœciæ officiis, ac si revera immunes essent, raro aut nunquam omnino intersunt.Si autem maximæ utilitates, quæ fidelibus obveniunt Christianis hisce a conventibus, eos non tangunt, movere saltem deberent pericula, quibus exponuntur, dum seipsos ab illis segregant.

Complura denique memoratu dignissima de fide, charitate, ac timore tradit S. martyr : de fide quidem, atque charitate ita loquitur : « Principium quidem (vitæ) fides, finis vero charitas (*1 Tim.* I, 5). » « Hæc autem duo in unum coeuntia Dei sunt : omnia vero alia ad probitatem consectanea sunt. Nullus fidem repromittens peccat, neque charitatem possidens odit. Manifesta est arbor ex fructu ipsius : similiter qui profitentur se Christianos esse, ex iis, quæ facient, cernentur. Non enim nunc repromissionis opus, sed per virtutem fidei, si quis inveniatur usque ad finem (73). » De timore sequentia habet : « Revereamur,et timeamus Dei longanimitatem, ne in judicium nobis cedat.Aut enim futuram timeamus iram, aut præsentem gratiam diligamus, unum ex duobus, modo in Christo Jesu inveniamur ad veram vitam vivendam (74). »

ARTICULUS III.

OBSERVATIONES DISCIPLINARES.

Præter jam alia inter dogmaticas animadversiones occurrentia disciplinæ puncta,illud etiam in S. Ignatii epistolis adnotandum est,cum episcopum quemdam ab ecclesia sua sine ulla reditus spe abesse contingeret, ejus tamen ministerium ea de causa ad seniorem (75) e presbyteris delatum non fuisse, atque sæpe juniorem presbyterum (76) senioribus posthabitis ad episcopatum evectum fuisse.

Observamus postremo Dominicam tunc Sabbati loco in Jesu Christi resurrectionis memoriam coli solitam esse. Inquit enim S. Ignatius in epistola ad Magnesianos (77) : « Ad novitatem vitæ venerunt (prophetæ) non amplius Sabbatum colentes, sed juxta Dominicam viventes, in qua et vita nostra exorta est per Jesum Christum et mortem ipsius. »

dum Dominum, et non secundum cupiditatem. » Ibidem. En requirit S. doctor sententiam, seu benedictionem episcapi, ut nuptiæ conferant gratiam.

(71) Epistola ad Ephes., cap. 8 et 14. Vide nostram Analysin laudatæ epistolæ.

(72) Epist. ad Ephes., cap. 6 et 13.

(73) Ad Ephes. Ep., cap. 14 et 8, dicit : « Carnales spiritualia exercere nequeunt, neque spirituales carnalia, sicut nec fides, quæ incredulitatis sunt, nec incredulitas, quæ fidei ; quæ vero et secundum carnem agitis, ea spiritualia sunt, in Jesu enim Christo omnia agitis. »

(74) Epist. ad Ephes., cap. 9.

(75) « Memores estote in precibus vestris Ecclesiæ,quæ est in Syria quæ pro me « Deo pastore » utitur.Solus ipsam Jesus Christus vice episcopi reget, et vestra charitas. » Ad Rom., cap. IX.

(76) « Vos decet non familiarius ac superbe uti ætate episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam ; quemadmodum novi sanctos facere presbyteros ; non repicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut prudentes in Deo cedentes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi omnium episcopo. » Ad Magnes., cap. 3.

77) Ad Magnes., cap. 9.

DE TEXTUS RECEPTI
EPISTOLARUM S. IGNATII ANTIOCHENI
INTEGRITATE
DISQUISITIO CRITICA

Iteratis curis Latine reddita

AUCTORE

HENRICO DENZINGER

IN UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE.

—

I

Controversiæ causa et status quæstionis.

Duplex hucusque epistolarum S. Ignatii, episcopi et martyris Antiocheni, textus aderat Alter, quem omnes rationes ut genuinum commendabant, quique antiquorum scriptorum, præsertim Eusebii, testimoniis plane consonat, septem epistolas complectitur; alter, multo prolixior, easdem epistolas multis additamentis interpolatas præterque eas quinque alias, quarum Eusebius mentionem non fecit, exhibet.

Nuper vero ex quibusdam collectaneorum Syriacorum codicibus, quos Angli in monasterio S. Mariæ deserti Nitriensis detexerunt et coemptos in Museum Britannicum detulerunt (78), vir de litteris Orientalibus benemerentissimus, Gulielmus Cureton, textum quemdam Syriacum edidit, quem tres codices consone præbent, qui nonnisi tres epistolas, ad Polycarpum, Ephesios et Romanos, exhibet easque multo breviores ac in textu recepto habentur. Multa præsertim desunt, quæ de Christi Domini nostri divinitate et hierarchica episcoporum potestate in illo, quem hucusque pro genuino receperamus, textu, habentur.

Quæstio inde orta est, non levis sane, cum de antiquissimo maximique ponderis sæculi apostolici monumento, præclarissimisque et sanctissimis nostræ religionis testimoniis agatur: utrum textus iste novus genuinus, proindeque qui hucusque receptus erat, interpolatus sit, an vero textus Syriacus truncatus, atque ille quem pro genuino habebamus porro retinendus sit.

II

Quid de hac quæstione hucusque statuerint eruditi.

Cl. Cureton, qui textum Syriacum detexit atque primus edidit, criticamque de eo disquisitionem primus instituit, quod mirandum sane non est, textum suum genuinum esse Ignatium tuetur, atque in prioribus duobus, quæ hac de materia edidit, operibus (78*), textum receptum in priori sæculi IV parte ad tuendam adversus Arium atque Arianos catholicam doctrinam ab interpolatore confectum fuisse supponit; epistolas quatuor quæ in Syriaca versione desunt, non omnino nothas, interpolatas tamen et ipsa esse, contendit.

(78) Singula quæ huc pertinent vide apud Cureton, *Corpus Ignatianum*, p. XXVI, sqq.

(78*) *The antient syriac versiou of tpe epistles of saint Ignatius*. London 1846. *Vindiciæ Ignatianæ*, etc, London, 1845 (adversus Rud. Chr. Wordsworth).

Accessit Christianus Carolus Josias Bunsen (79), notissimus Borussiæ regis tunc in Anglia, quondam et Romæ legatus, qui spargendi in Germania novi Ignatii provinciam suscepit. Bunsenio textus receptus jam Tertulliani tempore confectus fuisse videtur, ad inducendum, ut ait, systema episcopale.

Post vero in palæstram rediit Curetonius atque majori opere edito (80), non solum, textum trium epistolarum Syriacum, sed etiam omnia quæ a Græcis, Latinis vel Syriacis scriptoribus de Ignatio vel allegantur, ingenti labore collegit, additis præterea disquisitionibus de vigente controversia criticis. Unde et opus istud *Corporis Ignatiani* titulo insignivit. Hic vero Ignatium ad doctrinas de Christi divinitate et episcopali potestate tuendas interpolatum fuisse censet, non quidem ut primitus introducerentur ista dogmata, quæ et ipse, utpote Anglicanæ confessionis, admittit, ut Ignatii tamen auctoritate contra negantes promoverentur. De adulterati Ignatii epocha hoc in opere distincte minus locutus est, videtur tamen seriori adhuc ætati assignare.

Protestantibus aliisque fidei adversariis acceptius nil fuisse, per se quivis intelliget. Ex multis unum nominamus Alb. Ritschl, Bonnensem, qui in opere suo, *De ortu primævæ Ecclesiæ catholicæ* inscripto (81), ad Bunsenii partes accedit.

Contra vero textum receptum primus defendit Rudolphus Christophorus Wordsworth, cum primam Curetonii editionem crisi subjiceret in folio quod dicitur *English Review* (81*). Quod ut præstaret, non feliciter admodum hypothesin statuit, Monophysitam quemdam Syrum Ignatium truncasse.

Optimam vero causæ nostræ operam præstitit Julius Henricus Petermann, professor Berolinensis (82), qui ut Ignatium Curetonii truncatum ostenderet, versionem Armeniacam ad supplendum integræ Syriacæ defectum adhibuit. Hæc nempe versio non est immediata, sed ex Syriaca translata, et ex eadem quidem, cujus lacinias in Syro Curetonii habemus. Atqui hæc ipsa Armeniaca translatio integrum Ignatium complectitur.

Post hos Ignatium nostrum defendit Ferd. Christ. Baur, Tubingensis professor (82), notissimus ille sacrarum Scripturarum et ævi apostolici non criticus, sed destructor, non quod Ignatii epistolas pro authenticis habeat, quas, ut fere omnia primævæ Christianitatis monumenta, suppositas esse conclamat, sed quod textum receptum illum esse velit, qui primitus Ignatii nomine in lucem emissus fuerit, adeoque nihil Ignatii servari posse. Negari tamen non potest Baurium summo ingenii acumine evicisse nexum sententiarum in nostro Ignatio optimum esse, in esse, in Syriaco omnimo deficere.

Ex catholicis primus Car. Jos. Hefele, professor Tubingensis et Patrum apostolicorum editor meritissimus, ad vindicandum Ignatium insurrexit (83), remque plane acu tetigisse nobis videtur. Is enim textum Syriacum excerpta quædam ad usum asceticum confecta præseferre evicit.

Cum vero breviter tantum quæstionem tractasset, nos, rei gravitati consonum esse rati ut uberius exponeretur, cumque plura occurrerent quæ pro hypothesi eadem proferri possent, prolixiorem librum ad eam tuendam enucleandamque scripsimus (84), post vero duplicem appendicem subjecimus, alteram adversus Ritschl (85), alteram adversus dictum quoddam Uhlhornii de *Sige* Gnosticorum (86).

Ad hanc eamdem sententiam porro accesserunt, ex Catholicis viri doctissimi Haneberg, O. S. B., professor Monacensis (87); Adalbertus Maier, professor Friburgensis (88), Ritter, professor Vratislaviensis (86); ex Protestantibus Neander, licet prius

(79) Die drei ächten und die vier unächten Briefe des Ignatius von Antiochien Hergesteller und vergleichender Text mit anmerkungen. Hamburg, 1847. Ignatius voo Antiochen und seine Zeit. Sieben Sendscheiben an Dr. A. Neander. Hamburg. 1847 ».

(80) « Corpus Ignatianum, a complete collection of the Ignatian epistles. » etc. London. 1849.

(81) « Die Entstehung der allkatholischen Kirche. » S 577, Anm. 2.

(81*) Jul 1845, n. 8.

(82) « Jahresbericht der deutschen morgentændischen Gesellschaft, 1846 et majus opus S. Ignatii..... epistolæ una cum ejusdem martyrio. Collatis edd. Græcis, versionibusque Syriaca, Armeniaca, Latinis, denuo recensuit notasque criticas adjecit Jul. Henr. Petermann. Lipsiæ, 1849, in-8.

(82) « Die Ignatianischen Briefe und ihr neuester critiker. » Tübingen, 1848 (adv. Bunsen).

(83) « Patrum apostolicorum opera, ed. 3, in Prolegomenis, Tubingæ, 1847, et Kirchenlexicon von Wetzer und Welte, » Bnd. 1. S. 598-600.

(84) « Uber die Aechtheit des bischerigen Textes der Ignatianischen Briefe. » Würzburg. 1849.

(95) Ritschl « und die Ignatianischen Briefe. » (Tübinger Quartalschrift 1851, Heft 3.

(86) « Ueber die zeit der Entstehung des Gnotischen Aeonen systems ». Ebend. Jahrg., 1852, Heft 3.

adversaretur, et Uhlhorn (91); ex Anglicanis Routh (91), Jacobson (92); novissime vero Edv. Churton in nova editione *Vindiciarum epistolarum S. Ignatii*, auctore Joanne Pearsonio, adnotationibus et præfatione ad hodiernum controversiæ statum accommanata (93); opus vere utile, quod adversarios nostros solide non minus quam lepide exagitat.

Nos hac vice opusculum anterius aliquantulum quoad formam contrahentes, quoad materiam vero illis, quæ ab illo, quo prodiit, tempore subjicienda occurrerunt, augentes, iteratis curis hic reddimus.

III

Momenta desumpta ex doctrina de Christo Domino.

Ponamus revera textum Ignatii genuinum a quodam falsatore fuisse interpolotum aliquem certe finem is assequendum sibi proposuit, quem ut attingeret, quædam dixisse oportet, ex quibus idem ipse fraudis scopus inquirenti elucebit. Age vero, hunc scopum fuisse dicunt, ut doctrinam de Christi divinitate vel induceret, vel promoveret; textum revera receptum bis (94) nomen θεοῦ Christo tribuere, ubi Syrus secus legit. Verum idem ipsum vise versa apud Syrum occurrit (95), neque minus iste Christum Deum vocat (96).

Porro si interpolator ille, quem adversarii supponunt, Christi divinitatem commendandam sibi proposuit, sane adversus hæreticos quosdam arma movebat, atque ex erroribus, quos impugnat, quinam illi fuerint, eosque Ignatio seriores esse videre erit. Verum si accuratissime epistolas textus recepti perscruteris, non invenies nisi ejusmodi, qui Ignatio coævi fuerunt, Ebionitas, Judaizantes, Docetas. Unum est, quod acribus controversiis ansam jam dedit, cum Pearson ad vindicandum Ignatium nanus cum Blondello et Dallæo consereret: locus ille celebratissimus ex epistola ad Magnesianos (97), in quo Christus dicitur Λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Isthic nempe manifestam fieri mentionem Siges Valentinianæ obtendunt, Valentinum vero post defunctum Ignatium insurrexisse. Hæc eadem objectio modo et contra textus nostri auctoritatem intorquetur cum illa verba a Syriaco absint.

Qua in re id concedimus facilius, quam Pearson (98) et Massuet (99) Valentinum nonnisi post defectum Ignatium docuisse. Neque iis utemur, quæ non sine omni probabilitate a Pearsonio late exponuntur in *Vindiciis Ignatianis* (1), nomen illud σιγῆς non pro appellativo habendum, totumque locum ad Ebionitas respicere. In illud vero argumenti genus insistemus, quod a Pearsonio prælibatum, rem plane conficit, nempe doctrinam illam de Sige totamque primam æonum ogdoada a Simone ortum trahere atque genealogiam æonum integram sensim a Gnosticis ex illa radice evolutam fuisse, de quo videsis ipsum Pearsonium (2). Unum tantum perfecte præstare non potuit vir præstantissimus ex monumentorum defectu. Cum enim *rem* a Simone ortum trahere demonstrasset, ostendendum porro erat *vocem* etiam σιγῆς ab ab ipso fuisse usurpatam. Quod ut præstaret seriorum quorumdam, Eusebii, Gregorii Nazianzeni ejusque commentatorum tantum testimonia præ manibus habebat. Quæ licet sufficientissima sint, ea tamen cavillatio adversariis erepta non erat, auctores hæresiologos Ignatio suppares alte silere, imo nomen *siges* Valentino potius auctori deferre. Verum et istud effugium ipsis est præclusum, postquam detectum fuit Hippolyti Portuensis opus *De hæresibus* (3), olim ex parte sub Origenis nomine editum, modo vero genuino auctori vindicatum *. Hic enim non solum Valentini dog-

(87) In nostri operis crisi in « Historisch-politische Alaetter. » 1851, Heft. 9.
(88) « Einleitung in die schriften des N. T. » Freib. i. Br. 1852. Vorr. IV.
(89) « In Aschbach allgemeines kirchenlexicon, Art. Ignatius, et in Historia sua ecclesiastica. »
(90) In « Niedners Zeitschrift f. Hist. theol. » 1851. Heft. 2.
(91) « Præf. ad Reliquias sacras, » ed. 1846, vol. I. p. XXVIII.
(92) « Præf. ad Patrum apostolicorum ed » III, 1849, p. XIII-XXXVIII.
(93) Oxonii 1853.
(94) Eph. tit. et n. 19.
(95) Rom. 4 et fin.
(96) Eph. 1, Polyc. 3.
(97) N. 8.
(98) « Vindiciæ Ignatianæ, part. II, c. 7.
(99) In Prolegomenis ed. Irenæi.
(1) C. 4.
(2) Ibid., c. 5.
(3) « Origenis Philosophumena s. omnium hæresiam refutatio. E. cod. Parisiensi hunc primum eddit Emmanuel Miller, Oxonii 1851.

mata ex Simonianis exorta affirmat (4), sed etiam ex libro Simonis, cui nomen Ἀποφασις hæc verba allegat (5) : Δύο εἰσὶ παραφυάδες τῶν ὅλων, μήτε ἀρχὴν μήτε πέρας ἔχουσαι, ἀπὸ μιᾶς ῥίζος, ἥτις ἔστι δύναμις, σιγὴ, ἀόρατος, ἀκατάληπτος. Ponamus etiam librum istum Simonis non esse, licet ejusmodo opera ipsi tribuant Epiphanius, Hieronymus (6), Dionysius Areopagita (7) ; ex ejus tamen secta, quæ Originis adhuc tempore, exilis licet numero, adhuc exsistebat, prodiisse oporteret atque antiquissimum esse, cum jam Hippolyti tempore absque dubio Simoni tribueretur. His si addas Sigen a Valentinianis Ἔννοιαν et *Matrem* dictam fuisse (8), Ἔννοιαν vero atque Matrem Simoni tribui ab Irenæo (9) et Epiphanio (10) ; eamdem Προύνικον a quibusdam Gnosticis Nicolai discipulis et a Valentinianis dictam (11), eamdem vero Προύνικον ab Epiphanio Simoni tribui (12) ; Barbeliotas, ex Simonianis ortos, Ἔννοιαν *Barbelo* vocasse (13), Epiphanium vero expresse affirmare Barbelo istam eamdem esse ac Simonisi Προύνικον : hæc, inquam, si conferas, nullum dubium esse poterit et rem et nomen ex Simone ortum traxisse, nisi omnia critices principia evellere velis.

IV

Momenta desumpta ex doctrina de potestate episcopali.

Neque melius res adversariis processit in altero scopo, quem promovendum sibi proposuisse interpolatorem autumant, detegendo, episcopalem nempe auctoritatem commendandi. Multa habe in rem verba fecerunt Bunsen, Cureton et Ritschl, quin veram Syriacum inter et receptum textum diversitatem hoc id dogmate haberi probaverint. Textus enim Syriacus et ipse episcoporum prærogativam et tres hierarchiæ gradus admittit, cum episcopos exhibeat Ignatium, Polycarpum et Onesimum, neque presbyterorum diaconorumve mentionem omiserit (14), Nihil contra episcopi sententiam fieri (15), neque matrimonia contrahi, neque virginitatem Deo dicari concedit (16). Ipsius esse confirmat unitatem servare (17), doctrinam sanam tueri (18), collectas convocare (19), omniumque curam gerere. Eamque potestatem ex Dei lege exercere admittit, nam omnes hortatur episcopo subjectos esse, ut et Deus ipsis sit propitius (20).

V

Momenta ex styli diversitate.

Argumentum ex styli diversitate, ab antiquioribus Ignatianarum adversariis jam prolatum et a Pearsonio uberrime refutatum, Syriaci textus patroni eo modo recoxerunt, ut miram inter genuinum Ignatium et interpolatorem styli discrepantiam statuerent. Bunsenius in illis partibus, quas interpolatas censet, quasvis oratorias phrases, nimiam verborum redundantiam, πάθος falsum, voces in immensum compositas cumulari conqueritur. Curetonius, in omnibus moderatior, id saltem contendit, interpolatorem quædam, quæ in Ignatio repererat, tam immoderate usurpasse, ut se imitatorem prodat. Verum et hic idem nobis locus tertia vice responsionem suppeditabit, non minus apud Syrum occurrere, quæ ipsi in eo, quem supponunt interpolatore reprehendunt : prædicatorum nempe vocumque similium cumulationem (21),

(4) L. XI, c. 20, p. 176, 177.
(5) L. VI, c. 18.
(6) *In Matth.* XXIV, 5.
(7) *De div. nom.*, c. 6.
(8) Iren. l. I, c. 1.
(9) L. I, c. 25.
(10) N. 2.
(11) Epiphan. « hær. 26, Gnosticorum, n. 3 ; hær. Nicolaitarum, n. 4, hær. » 31, n. 5,
(12) N. 2.
(13) Epiph. hær. 26, Iren. l. I, c. 29.
(14) Polyc. 6.
(15) Ibid. 4.
(16) Ibid. 5.
(17) Ibid. 1.
(18) Ibid. 3.
(19) Ibid. 4.
(20) Ibid. 6.
(21) Polyc. 3 : ἀόρατον, ἀψηλάφητον, ἀπαθῆ ; Polyc 6 : συγκοπιᾶτε, συναθλεῖτε, συντρέχετε, συμπάσχετε, συγκμᾶσθε, συνεγείρεσθε. Cf. et Rom. in tit., Ephn.. otiiit.

* Sententiæ, apud Doctores Ultrarhenanos exortæ, quæ *Philosophumena* Hippolyto tribui, non possumus quin contraeamus. Quibus, ut doctissimo professori Wirceburgensi contradicamus, argumentis nitamur. non est hic locus declarare. Adeat lector thesi quam nuper in Schola theologica Parisiensi egregie disputavit Dominus abbas Cruice, quæ spuriis Origenianis in nostra Origenis editione præmittitur. EDIT. PATR.

particulas immoderate repetitas (22), vocabula prolixe compositas (23), periodes complexas et anacoluthicas Paulinis similis. (24).

Hanc styli discrepantiam Curetonius, præsertim inter finem epistolæ ad Polycarpum, qualis apud nos habetur, et priorem ejusdem epistolæ partem, quam et Syrus retinuit, intercedere objicit. Verum respondendum est eamdem dissonantiam inter epistolam ad Polycarpum Syriacam aliasque epistolas a Syro retentas non minus interesse. Ignatius enim ad collegam scribens Epistolas Pauli ad Timotheum Titumque imitatur, sicut cæteroquin alias Pauli Epistolas in dicendi genere sequitur. Uterque vero, Paulus et Ignatius, pro personarum ratione diverso stylo utitur. Ad coepiscopum nempe sociumque scribentem simplici et familiari dicendi genere uti oportet, non vero solemni illo et concionatorio, quod sequi decet illum qui publice Ecclesias docet et hortatur. Quod de hic actum est, cum in fine epistolæ ad Polycarpum sermonem ad Smyrnenses convertit.

Neque id prætereundum est, argumentum ex stylo desumptum aliquo semper cum moderamine adhibendum esse, cum memo sit qui eodem constanter dicendi genere sensus suos reddat, neque pro materiarum ratione et varia animi dispositione, varium etiam scribendi modum usurpet. Caute hac in re dijudicanda procedendum est, in qua de subtilibus admodum differentiis agitur et in qua proinde præjudiciis latissimus campus patet.

VI

Momenta desumpta ex sententiarum nexu.

Nemini cordato mirum videbitur, virum persecutionibus pressum, Ecclesiarum sollicitudine jactatum, a satellitibus, ferarum more sævientibus, vexatum, inter itineris longissimi diuturnique terra marique peracti turbas, animo diversissimis sensibus hinc in dedistracto scribentem, non eum sententiarum nexum neque peccatum ilium ordinatumque sermonem producere, quo ille uti valet qui domi quietus sensus suos disponit. Imo tali in casu excerpta, quæ præcipuas tantum sententias delibant, meliorem nexum et logicum magis ordinem exhibere oportet, quam autographum. Nil proinde est quod insolitum atque peregrinum nobis videri oporteat, si S. Ignatii epistolæ tales nobis occurrant, imo circumstantiis consentaneum adeoque fidum magis atque vero similius esse videtur. Nihilo tamen secius non est cur ad hæc recurramus, cum adversarii nobis objiciunt, nostrum textum in sententiarum rerie tam abruptum esse, siquidem et ipse textus Syriacus, fatente Bunsenio, obscusum atque abruptum non minus se præbeat. Ne igitur videamur pugna cedere. ad quod sane nulla nos rationum indigentia adigimur, loca percurramus breviter, in quibus textus a se invicem discrepant.

Epistola ad Polycarpum ea est, in qua Syrus paucissima excidit. In sine nihilominus nonnulla abstulit, quæ recisa truncatorem produnt. Quid enim abruptum magis quam tria illa commata quibus epistolam concludit : *Ego gaudeam in vobis omni tempore. Christiano non est potestas super seipso, sed Deo paratus, ut subjiciatur. Rogo pacem illius, qui dignificatus, ut eat ad Antiochiam pro me, sicut præcepi tibi ?* Quidnam hic sibi volunt verba illa Χριστιανὸς ἑαυτοῦ ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ θεῷ σχολάζει ? Ait Bunsem ad Ignatium hæc referenda ejusque ad patiendum paratissimum animum exprimere. Quis vero hoc σχολάζειν dicet, quod *vacare* sonat, præsertim cum hinc inde a militibus, quos leopardis æquiparat, jactatus ab bestias deducitur ? Hoc sensit et ipse Syrus, proindeque verbr illa adjecit de suo, *ut subjiciatur*, σχολάζει per vocem *paratus* reddens. At nemo non videt melius hæc in nostro textu haberi, in quo hæc de Christianis sententia Smyrnensibus applicatur, quibus Ignatius mandaverat, ut nuntium quemdam Antiochiam mitterent, qui Ecclesiæ illi de sopita persecutione congratularetur. Hoc opus charitatis ad Dei gloriam fore ait, ad hanc vero promovendam quovis modo tendendum Christianis, quod non sibi vivant, sed sibi quodam modo vacantes, pro Deo omnia operentur.

(22) Rom. 1 in sex lineis quater γάρ occurrit ; Syrus Rom. 4. 5. in septem lineisl quinquies, et Polyc. 5 in octo lineis quater δέ posuit, ut alia taceamus.

(23) Cf. Pearson *Vind. Ign.*, p. 1, c. 14. Rom. tit., et n. 1 : ἀξιόθεος ; Polyc. 3 : ἀξιόπιστας ; Eph. tit. , ἀξιομακάριστος.

(24) Eph. 1.

Epistolam ad Ephesios quam maxime amputavit Syrus, quod ad suum finem pauciora in ea reperiret. Quo factum est, ut et plurima sint, quæ nexu omnino careant Ejusmodi sunt verba illa (25); *sed propter quod charitas non sivit me, ut silerem a vobis*, cum antea nulla ratio dicta fuerit, cur silere deberet. Laus quidem, quam antea Ephesiis ex Syro Ignatius impertit, opponi posset monitis quæ postea sequuntur, sed de hoc modo non agitur, sed de eo quod *silentio* opponi deberet. Idipsum autem in textu recepto præclare habetur, in quo Ignatius dixerat se modo incipere in schola Christi, atque egere ut ab iis ad fidem et patientiam excitetur. Bunsen, ut hanc difficultatem evaderet, vocem ἀλλά vertit in *ideo*, quod non est effugium, sed confessio.

Post hæc Syrus paragraphos fere quinque transilivit; comma proximum vero (26) variantem lectionem continet, quam Cureton (27) consulto ab interpolatore inductam ait, ut nexum quemdam inter addita et sequentia restitueret. Nimirum ubi Syrus ἐπιτυμία legit, noster vocem ἔρις habet. Sed cum et ille Græcus uberior, quem omnes, et nos, pro interpolato habemus ἐπιθυμία legat, et ipsa interpolator textum receptum suis figmentis supposuerit, patet lectionem alteram non consulto in textum repositam, sed casu irrepsisse, et nonnisi ejusmodi variantem esse, quales in omnibus textibus reperiri solent.

In sequentibus (28) Ignatius Ephesios hortatur, ut orent pro aliis hominibus, qui non sunt ut ipsi Dei templa. Hic Syrus, qui antecedentia omiserat, vocem illam ἄλλων in πάντων permutavit, ne tam abrupta esset oratio, cum antea abessent illi, quibus *alii* opponerentur. Exinde autem minus commodum quiddam emersit; nam sane non omnes homines sunt ejusmodi, ut conversione ad Christianam religionem egeant, siquidem ejusmodi ipsi Christiani non sunt.

Simile quiddam post accidit (29), ubi Syrus duo commata conjunxit: *Melius est hoc, ut sit silens homo, cum est aliquid, quam ut sit loquens, cum non est, ut in manu illorum quæ loquitur operetur, et per illa quæ silet, cognoscatur*. Hæc in textu utique Syriaco optime procedunt, quia Syrus addidit *homo*, hoc est τίς; sed si Græca ad Syriaci textus normam componas habebis propositionem in infinitivo absque subjecto, arctissime junctam alteri, quæ subjectum supponit: Ἀμεινόν ἐστιν σιωπᾷν καὶ εἶναι ἢ λαλοῦντα μὴ εἶναι, ἵν' ἃ λαλεῖ πράσσῃ, καὶ δι' ὧν σιγᾷ γενώσκηται. Ita et ipse Bunsen textum Græcum e Syriaco restituit. Quod ut excusaret, locum alterum allegat ex epistola ad Romanos (30), ubi eadem construction minus regularis habeatur: Καλὸν τὸ δῦναι ἀπὸ κόσμου πρὸς Θεόν, ἵνα εἰς αὐτὸν ἀνατείλω. Sed non est utriusque loci eadem ratio, cum in hoc certum sit ita scripsisse Ignatium, in illo vero, de quo modo agimus, de duplici textu controversia vigeat, adeoque, cum eligendum sit, jus nobis competat ex ejusmodi insuetis construendi modis argumentandi.

Post hæc extemplo, nulla data occasione, nulla alia sententia introducente, Syriacus textus Ignatium inducit exclamantem: *Adorat spiritus meus crucem, quæ est scandalum illis, qui non sunt persuasi, nobis autem ad salvationem et ad vitam, quæ ad æternum*. Tunc non abrupte minus subjungit: *Latuit ab archonte sæculi*, etc., quæ omnia quam bene in textu recepto nectantur, legenti patebit. Neque Bunsenius solitis artibus suis effugium ullum reperire potuit.

Si quis autem locus aptus est, ut ex eo evincatur, Syriacum textum nonnisi excerpta quædam abrupta nobis præbere, est is, qui immediate sequitur, quem Syrus ita reddidit: *Latuit ab archonte sæculi hujus virginitas Mariæ et partus Domini nostri et tria mysteria clamoris, quæ facta sunt in lenitate Dei a stella*, vel, ut alius codex legit: *et mors ejus et tria mysteria*, etc., vel, ut tertius legit: *et partus Domini nostri, tria mysteria*, omissa morte et particula *et* (31). Jam vero, quidquid legas, absurdum quiddam emergit, licetque videre Syriacos amanuenses ipsos perplexos hæsisse, quid

(25) N. 3.
(26) N. 8.
(27) *Corp Ign.* p. 265, 281.
(28) N. 10.
(29) N. 15.
(30) N. 2.
(31) Notandum est mortem Domini omitti etiam a notha epistola ad Philippenses, n. 8, ubi fabricator epistolarum Ignatii psuedepigrapharum hunc nostrum locum imitatur. Videbimus infra in illo codice, quem Syrus excerpsit nothas epistolas veris subjectas fuisse. Hinc videtur Syrus revera cum illo falsatore mortem omisisse, quod satis non perspiceret, quomodo diabolo ignota illa reman serit, absurdumque illi videretur, stellam, ut putabat ad, mortem etiam referri. cum in genuino textu nostro non cum tribus mysteriis, sed cum φανερώσει Domini stella tantummodo nectatur.

scriberent. Vel enim ponis Virginis partum et mortem ; at tunc quis mortem inter et stellam nexus intercedat nescimus, neque stricte loquendo stella ad virginitatem Deiparæ referebatur; vel ponis virginitatem et partum : sed tunc non sunt tria mysteria, sed duo ; vel si *et* addas, plane ignoratur quænam sint illa tria mysteria quæ virginitati et partui superadduntur. Nec minus absurdum est mysteria illa vel duo vel tria a stella *facta* dici. Quod cum sentiret Bunsenius, vocem illam ἐπράχθη in ἐκηρύχθη, nulla auctoritate vim conjecturæ suppeditante, convertit, quæ lectionis mutatio ne satis quidem incommodum tollit, cum stella nec virginitatem Mariæ nec mortem Domini nuntiaverit, neque magis eluceat qui sibi tria mysteria velint. Quam injuste vero, ad tuendum hanc suam conjecturam, de qua sibi magnopere gratulatur, Bunsenius phrasin illam μυστήρια πράσσειν minus Græcam esse contendat, pluribus ostendit Cl. Edv. Churton (32), Non enim alius est hujus phraseos sensus nisi : *res arcanas, mysterii plenas agere*. Cureton (33) hic aperte dubius hæret, neque distincte satis de hoc loco disserit, aitque tria mysteria, quidquid denique sint, pertinere ad virginitatem Deiparæ, nativitatem Domini et stellæ apparitionem. Neque felicius Ritshlio res cessit, cum Bunsenio succurrens ait, textum genuinum illum esse, qui de virginitate et partu tantum loquitur, legendumque : τὰ μυστήρια, non καὶ τὰ τρία μυστήρια. Sed neque hoc difficultatem solvit, quid sibi velit illa vox ἐπράχθη. Neque minus violenta est lectionis mutatio, ita ut eo ipso, quam male cohærens atque impeditus sit locus apud Syrum, prodant, quod nonnisi sum corrigendo sensum quemdam restituere valeant, neque hunc aptum sufficienter. Aliud vero ipse Ritschl prodidit, quod contra ipsum vertere commode poteris. Cum enim Græcus legat : ὁ τοκετὸς αὐτῆς, Syrus posuit : ὁ τοκετὸς τοῦ Κυρίου, quod sane absonum est a loquendi usu, cum illa vox τοκετὸς active poni soleat, proindeque cum genitivo illo objecti τοῦ Κυρίου nonnisi incommode jungi possit.

Epistola ad Romanos denique, licet, utpote minus exciso, pauciora, non tamen minus manifesta, interrupti a Syro sententiarum nexus indicia præbet. Velim verba illa (34 legas : *Ignis, et crux, et bestiæ, quæ paratæ, amputatio membrorum, et sparsio ossium et molitiones totius corporis, tormenta dura diaboli super me veniant, et solum Jesu Christo dignificer. Dolores partus stant super me et amor meus crucifixus, et non est in me ignis in amore alio.* Quomodo hæc ulteriora inter se et cum prioribus cohæreant, non video, neque quid sibi velit illud *et*, quod Syrus, more raptim excerpentis, præposuit illis verbis : *Amor meus crucifixus est.*

VII

Momenta ex aliis rationibus internis desumpta.

Plurima Blondelli, Dallæi aliorumque antiquiorum Ignatii adversariorum, quæ integrum Ignatium impetebant, suam in rem Cureton et Bunsenius adaptarunt. Quæ cum a Pearsonio præclare et uberrime fuerint soluta, non erit operæ pretium, quæ bene jam dicta fuerunt, repetere. Sufficiat igitur benevolum lectorem ad Pearsonium remittere, et aliqua superaddere, quæ opportuna occurrerunt, nonnullaque, quæ ab illis ex suo prolata sunt, solvere.

In epistola nostra ad Polycarpum Curetonio videtur repugnare, quod Ignatius in Troade tunc consistens, nuntium de sopita jam Antiochena persecutione accepisse supponatur, nec minus, quod in epistola ad Romanos, cum Smyrnæ ipsam scriberet, jam supponatur audivisse, Romanos suam liberationem procurandam sibi proposuisse. Ad hæc respondendum lentissime iter suum egisse Ignatium, cum ex Actibus martyrii persecutio nono Trajani anno incœperit, moxque, die 7 Januarii, teste Joanne Malala, ad imperatoris tribunal deductus, ex Actis nonnisi initio decimi anni, die 20 Decembris 107, martyrio functus sit, adeoque fere integro anno a satellitibus hinc inde protractus fuerit, ut a diversarum urbium Chsistianis pecunias pro alloquendo et deducendo Ignatio extraherent. Acta etiam referunt eum μετὰ πολὺν κάματον Smyrnam appulisse (35), neque brevis est, quam describunt ulterior via a sanctis-

(32) *Vindiciæ Ignatian.*, Prol. xxv.
(33) *Corp. Ign.*, p. 285.
(34) N. 5, 6, 7.
(35) N. 3.

simo via a sanctissimo martyre emensa (36), cui consonat Chrysostomus in sua in S. Ignatium homilia dicens, hostem mentem ipsius opprimere voluisse καὶ τῷ μήκει τῆς ὁδοῦ, καὶ τῷ πλήθει τῶν ἡμερῶν. Hinc spatium temporis sufficientissimum adfuit, ut et Roma et Antiochia nuntios acciperet. Adde, quod in priori casu ad revelationem sibi factam provocet : ὡς ἐδηλώθη μοι.

Post hæc Cureton quoad epistolam ad Romanos objicit, eam ex textu Græco Smyrnæ scriptam (37). Atqui ex Actis martyrii Smyrnam primo appulit. Quomodo itaque in hac ipsa epistola, ut in Græco habetur, scribere poterat omnium urbium, quas in itinere attigerit, Christianos ipsum summa cum charitate suscepisse, imo et illas, quæ a via distabant, legatos ad ipsum misisse? Verum acta non dicunt, ipsum primo Smyrnam appulisse et nullibi antea. Aliud est quod de hac urbe *primo aiant*, ipsum eo appulisse, de aliis sileant. Cum enim veteres itinera maritima littora sequentes agerent, nullum dubium esse potest, eum priusquam Smyrnam veniret, plurimas alias urbes navi attigisse.

Ex eadem epistola objicitur Ignatium, si textui nostro fides concedatur, dicere, se proxime Romam venturum, cum tamen ex actis certum sit, eum mense Decembri eo pervenisse ; hæc vero epistola mense Augusti se scriptam confirmet. At si accuratius legatur textus, videbis Ignatium non ita loqui, sed id cemmittere Romanis, ut Syris, qui ipsum Romam præcessarum, nuntiarent, sane postquam litteras suas istas accepissent, ipsum mox venturum, scilicet mox epistolam suam secuturum. Responderi etiam potest ipsum tunc sperasse, se per viam maritimam breviorem ductum iri ; postea vero terra per Macedonium longiori itinere a custodibus fuisse deductum. Denique, hac et in præcedenti objectione nullo jure nobis acta martyrii opponunt, cum hæc ipsi epistolam ad Romanos integram ex nostra forma contineant, adeoque nisi sibimetipsis contradicere velis, minime textui nostro contraria esse possint.

Quæ de magnitudine stellæ quæ Magis apparuit, in epistola ad Ephesios celebrata, de prolixitate ejusdem epistolæ atque alterius libelli promissione, nihilominus in ejus fine facta, de magno fratrum comitatu aliisque ejusmodi non satis cum circumstantiis componendis, de θεοφόρον (quod tamen Syrus ipse habet), de phrasi illa Paulum ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ Ephesiorum meminisse, objiciuntur, conferas Pearsonium sufficientissime disserentem (38).

VIII

Momenta ex auctoritatibus desumpta.

Multum in hoc insistunt adversarii, quod textu nostri nullum suppetat vestigium ante Eusebii tempora, cum foca Ignatiana ab Irenæo et Origene non alio allegentur, quam quæ in textu Syriaco habentur. Imo Origenem directe nobis adversari, Cureton exinde probare studet, Περὶ ἀρχῶν dicat vocem ἀσώματον in libris Christianorum sacris non occurrere. *Appellatio* ἀσωμάτον, hæc verba sunt Origenis, *non solum apud multos alios, verum etiam apud nostras scripturas est inusitata et incognita, Si vero quis velit nobis proferre ex illo libello, qui Petri Doctrina appellatur, ubi Salvator videtur ad discipulos dicere : Non sum dæmonium incorporeum ; primo respondendum est ei, quoniam ille liber inter libros ecclesiasticos non habetur ; et ostendendem quia neque Petri est ipsa scriptura, neque alterius cujusquam, qui Spiritu Dei fuerit inspiratus.* Atqui, ait Cureton, Ignatius receptus hac ipsa voce utitur (39) et se ut inspiratum gerit (40). Ergo Origenes eum pro authentico scriptore non agnovit vel omnino non novit. Quis vero nescit, aliud esse, inspiratum esse, aliud hinc inde aliqua revelatione divina frui? Origenes Ignatium censuit ex Petri Doctrina desumpsisse illa verba Christi : huic non erat allegandus Ignatius, sed liber, quem pro illorum auctore originali habebit.

(36) Ibid., n. 5.

(37) N. 10.

(38) Part. II *Vindic.*, c. 8-12. Melius tamen verba illa : Ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (Eph. 12) non de laude Ephesiis impertita, sed de orationibus Apostoli exponemus. Est manifesta allusio ad illud Eph. I, 16 : Οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν, μνείαν ὑμῶν ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου. Et revera Epistola Pauli ad Ephesios duas prolixas orationes pro Ephesiis ad Deum directas continet (I, 16-23, et III, 13-21). Quod et ita interpretatur interpolator his verbis : Ὅς πάντοτε ἐν ταῖς δεήσεσιν αὐτοῦ μνημονεύει ὑμῶν.

(39) Smyrn 3.

(40) Phil. 7. Addere potuisset Eph. 20, Trall. 8, Polyc. 7.

Neque argumentum a silentio desumptum sustineri peterit; sufficit enim, ut applicentur hic argumenta a Polycarpo et *Peregrino* Luciani desumpta, quæ egregie a Pearsonio evolvuntur (41). Nam Polycarpus in sua ad Philippenses epistola plures quam tres Ignatii epistolas supponit. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου, ait, τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν ἐπέμψαμεν ὑμῖν. Hæc verba duplicem epistolam ad Polycarpum et suos missam, porro saltem duas alias supponunt. Imo aperte innuunt epistolam ad Smyrnæos, quam pro notha traducunt adversarii. Porro quæ de materia epistolarum a Polycarpo dicuntur: περιέχουσι πίστιν καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν οἰκοδομὸν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν, hæc, inquam, in Syriacum textum minus quadrant, qui fere nihil de fide continet. Quæ in suum *Peregrinum* ab Ignatio transtulit Lucianus plures etiam epistolas supponunt, quam quæ in Syriaco habentur: Φασὶ δὲ, ait (42), πάσαις σχέδον ταῖς ἐνδόξοις πόλεσιν ἐπιστολὰς διαπέμψαι αὐτὸν, τινὰς διαθήκας καὶ παραινέσεις καὶ νόμους.

Conferantur porro loca parallela, quæ ex Polycarpo, Peregrino, Chrysostomo (43), Athanasio (44), affert Pearsonius; conferatur locus Clementis Alexandrini vel potius Theodoti Valentiniani apud Clementem in Eclogis, quo Ignatium imitatur (45). Confesantur denique, quæ ex Constitutionibus pseudoapostolicis attulit ipse Ritschl (46), ex Ignatio desumpta, plurima reperientur, quæ non nisi ex nostro textu desumi potuerunt.

Cum vero tot ac tantæ sint auctoritates, quæ nostrum textum tueantur, nulla omnino est, quæ Syro Curetonii posttive faveat ejusque lectionem sequatur. Neque hoc argumentum a silentio desumptum omnino negativum est. Nam incredibile omnino est, tot sæculis, inter tot Ignatii citationes, nullam plane reperiri, quæ textum ejusmodi proferat qualis in illis collectaneis Syriacis adest; ita ut tota adversarii causa præter rationes quasdam internas omnibus modis nutantes atque incertas plane, innitatur tantummodo auctoritati viri omnino ignoti, de quo ne quidem probari poterit, quod suum textum genuinum Ignatium esse velit et testetur.

Quod vero maximi est momenti, ipsi Syri, quod duplicem exsistere Ignatium fugere non potuisset; imo ipsi Monophysitæ, quos noster Ignatius non minus quam sui ævi Docetas jugulat, ipsum agnoscunt, toties sibi objectum non rejiciunt, imo ut auctoritate ipso utuntur, cum facile fuisset ad breviorem textum, qui paucissima ipsis contraria continet, provocare. Et codicibus Syriacis ipse Cureton loca extravit Severi, Antiocheni patriarchæ sæculi v, qui in allegando Ignatio critice etiam procedi (47), Timothei, patriarchæ Alexandriui sæculi vi, Joannis cujusdam, monachi, aliorumque; sunt et loca Theodoreti, episcopi Cyri, Ephræmii Antiocheni, Joannis Damasceni ejusque discipuli Antonii, Anastasii Antiocheni, Ibn Zobra, Jacobitæ, Anastasii Sinaitæ aliorumque, qui Monophysitis etiam Ignatium opponunt: omnes textum nostrum repræsentant et nemo contradixit. Habent Syri canonum collectionem, quam ante Nestorianorum ab Ecclesia discessum confectam fuisse oportet, cum apud omnes Orientalium sectas reperiatur. Hujus codicem Mediceum sæculi x vel xi Renaudotius vidit et descripsi (48); ejusdem Cureton codicem alterum, olim Renaudotii, post vero S. Germani de Pratis, adhibuit (49). Hæc vero canonum collectio effata Ignatii ex epistolis ad Magnesiauos, Trallenses, Philadelphenses, Smyrnenses, proindeque textus nostrum exhibet. Denique Ebed-Jesu, Nestorianus, metropolita Sabensis, qui sæculo xiii exeunte, xiv ineunte floruit, catalogum scriptorum suæ nationis contexens de Ignatio hæc habet (50): *Damasus episcopus Romæ scripsit de re fidei et canones, et Ignatius similiter.* Sermonem hic esse de epistolis Ignatii, ut Assemanus (51) et Fabricius (52) admittunt, dubitari nequit, siquidem et Damasi opera, quæ cum Ignatianis hic componuntur, epistolæ fuerunt. Hæc vero, quæ dicit Ebed-Jesu in textum Curetonii minime quadrant, cujus idipsum proprium est, ut omnia, quæ de fide et disciplina ab Ignatio dicta sunt, exciderit.

(41) Part. i, c. 2, 3, 4.
(42) N. 41.
(43) C. 9.
(44) C. 8.
(45) Part. ii, c. 10, n. 3.
(46) P. 406, 602, 618.
(47) *Corp. Ign.*, p. 213, 245.
(48) *Perpétuité de la foi*, l. ix, ch. 1, t. III, col. 1163, ed. Migne. Cf. ejusdem *Coll. liturg. Orient.*, ad Liturg. S. Ignatii, t. II, p. 225, ed. Francol. 1847, et ad Lit. Joh. Acœmeti. n. 5, t. II, p. 488.
(49) *Corpus Ign*, p. 197, 232, 342.
(50) C. 9. ap. Asseman., *Bibl. Orient.*, t. III, part. i, p. 16.
(51) L. c., p. 17.
(52) *Bibl. Græca*, t. V, p. 4.

IX.

Syrum illum, qui Ignatium Curetonianum descripsit, textum excerpsisse, quia a nostro non differebat.

Si nobis integra versio Syriaca prostaret, quæ in illis, quæ Syrus Curetonii retinuit, in vocabulorum delectu et ordine adamussim consonaret cum ipso, sed et ea exiberet, quæ ipsi desunt, nemini dubium remanaret, Curetonianum textum non nisi pro excerptis habendum, cum moraliter impossibile sit, duos traductores ita concurrere, ut nullatenus differant. Verum ejusmodi versio hucusque detecta non est (53).

Nihilo tamen secius idem prætabimus, si fragmentis, quæ ipse Cureton nobis suppeditat, opportune utamur. Sunt enim plura, quæ ad verbum cum suo Syro consonant, ita ut et verborum ordinem retineant, si levia quædam excipias, quæ non diversitatem versionum, sed codicum tantum ejusdem versionis inducunt. Hæc tamen ipsa nonnulla subjungunt, quæ Curetonianus non habet. Oportet igitur exstitisse veterem quamdam Ignatii versionem, usu valde tritam, ex qua Syrus Curetonii sua excerpta confecerit. Sunt autem fragmenta hæc : ex Syriaca canonum collectione, et ex epistola quidem ad Ephesios, n. 15 (in *Corpore Ignatiano*, p. 197 ; cf. p. 32) ; ex epistola ad Trallenses, n. 4 (*ibid.*, p. 198 ; cf. p. 56) ; ex epistola ad Polycarpum, n. 3 (*ibid.*, p. 198 ; cf. p. 6) ; ex eadem epistola, n. 6 (*ibid.*, p. 198 ; cf. p. 12) ; ex eadem porro, n. 7 (*ibid.*, p. 201 ; cf. p. 14) ; et fragmenta epistolæ ad Romanos ex cod. Brit. Mus. Add. ms. 17, 134 et 14, 134 et 14, 577 et in epistola Joannis Monachi ad Eutropium et Eusebium (*ibid.*, p. 296, 201, 207 ; cf. p. 4, 6, 50).

Idem plane emergit, si veterem Armeniacam versionem, a. 1783 Constantinopoli typis mandatam, et a Cl. Petermanno ad nostræ quæstionis solutionem adhibitam, cum Syro conferamus. Fines nobis statutos transgrederemur, si singula omnia referremus, quæ vir linguarum Orientalium peritissimus hac de re contulit. Sufficiat igitur de singulis ad eum remittere et generaliori conspectu, quæ ex ipsius laboribus resultant, indicasse. Id autem sexcentis locis ostendit interpretem Armeniacum, a suæ linguæ genio et regulis recedentem, idioma Syriacum imitari, quorum Syriasmorum non minus quam sex classes enumerat ; plurima porro sphalmata inveniri, quæ nonnisi ex tectu Syriaco male lecto vel intellecto explicari queant ; Armenum sæpissime lectiones vel orthographium Syri sequi, proindeque absque dubio admittendum, versionem Syriacam mediatam esse ejusque proximum fontem Syriacam quamdam translationem fuisse. Porro ostendit, Armenum in plurimis a cæteris versionibus Syriacis recedere, quæ in fragmentis a Curetonio collectis diversissimæ habentur, et eam sequi quam ille pro veri Ignatii versione edidit, imo cum hac in singulis vocibus reddendis mirum in modum congruere, quod casu fieri potuisse, prorsus negandum est. Quod si quædam sint, licet pauca, in quibus Armenus a Syro ad Græcum recedere videatur, id censet vir doctissimus inde ortum, quod Armeni quidam, qui Græcum etiam textum præ manibus haberent, in suo exemplari ex Græco quædam correxerint vel ad marginem notarint, quæ posteat in textum irrepserint. Addas velim, Cl. Petermann præ oculis non habuisse *Corpus Ignatianum* Curetonii, in quo ex codice γ variantes multæ adduntur ; neque, quod nos præstitimus, fragmenta Syriaca quædam cum Syro Curetonii identica esse vidisse, ex quibus divergentias quasdam Armeni sui ab illo facile oponere atque non nisi ex permutatis quibusdam litteris ortas esse, non solum feliciter conjicere, sed et evincere potuisset (54). Emendato ex pluribus codicibus textu versionis illius communis Syriacæ, ex qua Curetonianus aliique sua decerpserunt, plura adhuc evanescent.

Quid, quod ipse Syrus Curetonii se septem nostras epistolas præ oculis habuisse,

(53) Dolendum sane est versionem Syriacam, quam Romæ Ignatius, dictus Mehemet-Allah, patriarcha Antiochenus, qui sedente Gregorio XIII, reformationi Kalendarii interfuit, cum aliis suis libris moriens reliquit, deperditam esse. Userius jam de hac ipsa audierat (*Diss. de epist. Ignatii*, c. 4), Assemanus ejus mentionem facit, ita tamen ut vidisse propriis oculis non videatur (*Bibl. Orient.*, tom. III, p. 1, p. 17). Nos cum prima vice hanc quæstionem tractaremus, omnem diligentiam adhibuimus, ut vestigium hujus thesauri inveniretur. Non tamen ad finem sptatum pervenire valuimus, cum turbæ civiles omnia impierint. Neque medius cessit opera multa, quam adhibuimus, ut vel aliunde Ignatium Syriacum integrum compararemus.

(54) V. g. Rom. 5, *quod mandatum mihi* ; Rom. 6, *dolores mortis ;* Rom. 5, in omnibus sequitur fragmentum, p. 201.

manifestissime prodat? Inseruit enim epistolæ ad Romanos in fine locum ex epistola nostra ad Trallenses (55). Sane Cureton et Bunsen omnibus viribus nituntur evincere locum genuinum istius commatis in epistola ad Romanos haberi. Verum abrupte omnino adjuncta sunt, post salutationem in fine, absque nexu cum præcedentibus. In epistola vero ad Trallenses, quidquid dixit Vedelius (56), quem duobus ante detectum Syrum annis idipsum vidisse gloriatur Cureton (57), optime cum præcedentibus nectuntur. Cum enim antea Trallenses hortatus esset Ignatius ut episcopo obedirent, uti post ejusmodi monita solet, ex humilitate se excusat, quod alias doceat. In epistola hac ad Trallenses patet etiam cur dicat se scire angelorum τοποθεσίας, quia nempe ex cœlestis hierarchiæ analogia, ut pluries a Patribus factum, terrestrem, de qua locutus fuerat, tueri poterat.

Imo certum est, Syrum Curetonii epistolas nothas novisse iisque usum fuisse, proindeque ejus prototypum Græcum ejusmodi fuisse, qui septem genuinis epistolis non interpolatis epistolas omnino nothas ad Antiochenos, Philippenses, et cæteras adderet, qualis forma in codice Mediceo, Latina versione Usserii, apud Armenum translatorem, apud Joannem Damascenum, Antonium, Ibn Zobra Jacobitam et alios habetur. Nam in epistola ad Polycarpum, verba illa, ἀντ' ἐμοῦ, quæ Syrus addit, quæque ex nuntio Antiocham mandando successorem Ignatii faciunt, desumpta sunt ex epistola supposititia ad Heronem (58), qui postea Ignatii successor fuit, quemque tunc diaconum fuisse fingit fabricator illius epistolæ; porro ex epistola ad Antiochenos (59), et ipsa supposita. Neque enim ulla ratio excogitari potest, cur hæc noster omisisset, neque potius evolvisset, si revera, uti supponunt, interpolator fuit, cum ad finem illem ejus prætensum episcopalem auctoritatem inculcandi opportuna admodum fuissent. Id denique notandum, Syrum in eo, quod in epistola ad Ephesios (60) mortem Domini ex mysteriorum numero expungit, quæ verisimilior ejus lectio est, imitatum fuisse epistolam notham ad Philippenses (64), quæ et ipsa mortem Domini omittit.

X.

Syrum Curetonii revera excerpta tantum ad usum asceticum confecta tradere.

Concludamus igitur, tantum abesse, ut Syrus authentiæ et integritati nostri Ignatii obsit, ut nova etiam hac occasione luce auctoritas venerandi istius antiquitatis Christianæ monumenti superfundatur.

Objiciendum non est ab adversariis, multa in nostro textu cum Syro collato superabundare deprehendi, quæ apertissime explicationis causa vel ex aliis rationibus facillime detegendis addita fuerint (62). Nam non negamus nos, in textu Græcum, qui multa adhuc revera emendatione indiget, glossemata quædam irrepsisse, sicuti in omnibus fere textibus fieri assolet. Verum si alias auctoritates conferas, multa ex illis additamentis amanuensibus, non textui nostro ascribenda esse videbis (63). Denique et ipse Syrus plurima expositionis causa addidt (64).

Insistit Bunsen epilogo, qui in codice β in fine epistolorum habetur: *Finitæ sunt epistolæ tres Ignatii episcopi et martyris;* illam vocem *epistolæ* esse in statu empha-

(55) N. 4 et 5.
(56) In sua Ignatii editione, exercitatione 8, in ep. ad Trall., p. 32.
(57) *Corp. Ignat.*, p. 331.
(58) N. 7 et 8.
(59) N. 12 14.
(60) N. 19.
(61) N. 8 sqq.
(62) Eph. tit,; Τῆς Ἀσίας; Rom. 4: Κοσμικὸν τ μάταιον; Rom. 5: Ἀνατομαὶ, διαιρέσεις; Rom. 7: Ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς; Rom. 9: Οὐχ ὡς παροδεύοντα; Eph. 19: Εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς; porro loca ex Scripturis allegata: Rom. 3 ex II Cor. IV, 18; Rom. 6 ex Matth. XVII, 26; Eph. 10 et Polyc. 1: Ἀδιαλείπτως ex I Thess. V, 17; Eph. 1: Ὑπὲρ ὑμῶν ἑαυτὸν ἀνενεγκόντος Θεῷ προσφόρὰν καὶ θυσίαν ex Eph. V, 7; Trall. 5: Νηπίοις οὔσιν ex I Cor. III, 1.
(63) Ita desunt loci ex Scripturis allegati Rom. III, 6, Eph. I; verba interpolata Rom. V, 7, in Latina versione Usseriana. Apud interpolatorem, quem dicunt B, quem et nos pro tali habemus, qui vers ubi non falsavit, sæpe puriorem textum quam codex Mediceus præsefert, multa ex his desunt. In Timothei Alexandrini fragmento deest Rom. VI locus ex Matthæo.
(64) Trall. 4: Τοιαῦτα; n. 5: Φυλάττομαι γάρ; Rom. 10: Τοῦ Θεοῦ ἡμῶν; Rom, tit.: Ἀξιομνημόνευτος; Rom. 1: Νῦν, ἴέναι, διὰ τοῦ παθεῖν; Rom. 2: Ἐν ζωῇ, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν; Polyc. 1: Μόνον, Θεόν; Eph. 10: Μᾶλλον, γίνεσθε; de particulis multis ne loquamur.

tico, qui articuli vicem apud Syros tenet. Verum Petermannus notavit statum emphaticum nonnunqum etiam indefinitum sensum habere Porro notum est, numeros cardinales ordinalium locum apud Semitas sæpissime tenere. Dici etiam potest, amanuensem determinate loqui, sed tres illas epistola significare voluisse, quas lectori offerre excerptas proposuerat. Denique tota res auctoritate amanuensis unius obscuri atque forsan ignorantis nititur.

Si quis denique ægre sibi in mentem inducat, textum Ignatii decurtatum fuisse: alterum ejusmodi exemplum adest, atque, quod evidentius est, in ipsis Ignatii epistolis consistens. Habemus enim apud Simeonem Metaphrasten epistolam ad Romanos narrationi martyrii insertam, quam se ἐπὶ λέξως redditurum pollicetur, in qua tamen et hic plura desunt et alia quidem quem apud Syrum. Non erat proinde insuetus modus iste excerpendi.

Quoad finem vero, quem Syrus ille sibi proposuerat, cum Ignatii epistolas ita excerpsit, non videtur ad tuenda propria dogmata factum fuisse,cum, ut ostendimus, in doctrina cum nostro plane consentiat. Monophysita, ut supposuit Wordsworth, non erat, cum in epistola ad Polycarpum (65) insigne effatum reliquerit, qui Monophysiticum dogma destruit. Præ cæteris itaque admittenda illa hypothesis, quæ Syrum quemdam ad usum asceticum illas epistolas descripsisse suspicatur, quæ plures ejusmodi materias retinebant, omissis iis, quæ scopo suo non inserviebant. Quæ hypothesis et eo commandatur, quod ejusdem generis sint alia opuscula, quæ in collectaneis habentur, in quibus Ignatius Syriacus detectus est.

(65) N. 3.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΓΝΑΤΙΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

SANCTI IGNATII EPISTOLÆ.

(Ex editione Caroli Josephi HEFELII, *Patrum apostolicorum Opera*, edit. tertia, Tubingæ 1837, in-8°.)

CAROLI JOSEPHI HEFELII PRÆFATIO.

I. DE SEPTEM EPISTOLIS. S. IGNATII.

I. De patria, genere ortuque beati Ignati Theophori (1) nihil certi apud veteres invenitur. Judice Tillemontio celeberrimus hic Antiochiæ episcopus Syrus potius quam Græcus origine fuit. Ex verbis autem Gregorii Abulpharagii (sæc. XIII) (2) conjecerunt viri docti, Ignatium oriundum fuisse *Noræ* in Sardinia, seu *Noræ* in Cappadocia vel Phrygia (3). Metaphrastes et Menæa Græca apud Bollandum (4) ipsum parvulum illum fuisse volunt, quem Salvator noster ultimo prædicationis suæ anno apostolis de primatu litigantibus ad imitationem proposuit, dum aiebat (5) : *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum* (6).

Ignatium S. Joannis apostoli auditorem et S. Polycarpi condiscipulum fuisse, Acta martyrii ejus, c. 3, et nonnulli veterum tradunt (7). S. Gregorius Magnus eum etiam divi Petri discipulum vocat (8).

Constitutiones apost. (VII, 46) contendunt Ignatium a divo Paulo episcopum Antiochiæ esse ordinatum. Plerique tamen a Petri regimen Ecclesiæ illi traditum fuisse putarunt (9). Petrus Halloixius honore hoc a Joanne evangelista eum donatum censet (10). In regenda Antiochena Ecclesia Ignatium Evodio, ab apostolis constituto, successisse, et secundum illius urbis episcopum fuisse, tradit Eusebius (11 ; Constitutiones apostolorum autem (VII, 46) innuunt, Evodium ac Ignatium eodem tempore Ecclesiæ Antiochenæ præfuisse, illum a Petro, hunc a Paulo constitutum. Theodoretus denique tertiam propugnat opinionem, Ignatium immediate S. Petro successisse (12). Baronius (ann. 45, 14, et 71, 11) atque Natalis Alexander (sæc. I diss. 14, prop. 1) conjiciunt Evodium ac Ignatium eodem tempore, alterum Judæis, alterum ethnicis ad veræ religionis cultum conversis præfuisse ; quibus ad concordiam tandem adductis, Ignatium Evodio cessisse, iterumque post obitum illius sedisse.

De Ignatii custa pastorali verba faciunt Acta martyrii c. 1. Eadem porro narrant Ignatium a Tra-

(1) Ita Ignatius a semetipso in epistolis et ab aliis appellatus est. Θεοφόρος = *homo, qui Deum in pectore gestat ;* Θεόφορος = *homo a Deo gestatus.*

(2) *Dyniastarum historia*, Dynast. VII, p. 119, interprete Pocockio : *Ignatium Nuraniensem, episcopum Antiochenum, qui ad leones conjectus, ab iis discerptus est.* Cfr. Grabe.

(3) Grabe, *Spicil.*, t. II, p. 1 et 2, et Jacobson, *Patrum apost.*, t. I, p. XX.

(4) *Acta* SS , t. I Febr., ad diem.

(5) Matth. XVIII, 4.

(6) Vide Lumper, *Hist. theol. crit.*, tom.. I, pag. 245 sq.

(7) E. g. Eusebius in *Chron.* a divo Hieronymo Latine vulgato ad a. 11 Trajani.

(8) Ep. 37, ad Anastasium Antioch. Apud Lumperum I. c., p. 246.

(9) Chrysost. hom. in S. Ignat. mart., c. 4, p. 597, t. II.

(10) In Vita Ignatii, apud Lumperum, I. c., pag. 247.

(11) Euseb., *Hist. eccl.* III, 22.

(12) Theodoret., *Dialog.* II, p. 49, t. IV.

jano, contra Armeniam et Parthos proficiscente Antiochiæque morante, ad bestias damnatum, Romam esse abductum.

Post longam et periculosam navigationem, ad decem milites, quos leopardos vocat (13), alligatus, sanctus martyr Smyrnam pervenit, ubi ex colloquio cum S. Polycarpo et adjacentium Ecclesiarum legatis habito, ingentem voluptatem percepit, et quatuor epistolas ad Ephesios, Magnesios, Trallianos et Romanos conscripsit.

Smyrna Troadem venit, ubi Ignatius paucorum dierum moram epistolis ad Philadelphenses, Smyrnæos et Polycarpum exarandis dicavit. Inde Neapolim, ut verbis Lumperi utar, adductus, Philippos pertransiens Macedoniam totam peragravit. Epidamni vero (*i. e.* Dyrachii) in Epiro navem brevi soluturam offendens, Adriaticum mare enavigavit, atque in Tyrrhenum ascendit. Puteolos ubi pervenit, e navi descendere cupiebat, ut ad S. Pauli exemplum Romam Puteolis contenderet. At vento vehementi in altum repulsus, urbem illam præterire coactus est. Denique ad Portum Romanum perveniens, a fidelibus, Roma obviam euntibus, salutatus, a custodibus autem festinantibus Romam in amphitheatrum ductus, et duobus leonibus objectus est, qui illico ipsum devorarunt, solis durioribus relictis ossibus, quæ collecta Antiochiam pretiosi instar thesauri deportata sunt.

Ignatium nono anno imperatoris Trajani, seu a. 107 p. Chr. nat., ad bestias damnatum, ineunte autem decimo Trajani anno, 20 Dec. 107, martyrio coronatum esse, Acta passionis ejus tradunt c. 2 et 7.

Aliam sententiam Pearsonius excogitavit et propugnavit in dissertatione posthuma de *anno quo S. Ignatius a Trajano Antiochiæ ad bestias erat condemnatus* (14). Ipsi accesserunt Antonius Pagius (15), Grabius (16). Benedictini e congregatione S. Mauri (17), et multi alii.

Auctoritate Joannis Malalæ nixi viri hi docti asserunt Trajanum, in Parthos proficisceniem, sub finem anni 115, tempore illius terræmotus, qui imperatorem pene oppressit, Antiochiæ hiemasse; ineunteque anno 116 Ignatium nostrum in judicium vocasse; beatum autem hunc præsulem eodem anno 116 desinente martyrio esse coronatum.

Negari non potest, quod maximi rerum chronologicarum magistri, Henricus Norisius, Antonius Pagius et Guilielmus Lloydius (18) probarunt, bellum Trajani Parthicum anno Christi 112 cœpisse. Si itaque Trajanus semel tantum contra Armeniam Parthosque arma tulisset, et semel tantum Antiochiæ esset moratus, utique et Ignatius post annum 112 martyrium subisset.

Sed duplicem Armenicam Parthicamque expeditionem a Trajano susceptam Tillemontius (19) jure conjecisse videtur, cujus sententiam Eduardus Corsinius (20), vir politioribus litteris præstans, ex nummis etiam confirmavit. Testibus enim Dione et Zonara, *Optimi* nomen tunc primum Trajano concessum fuit, cum is Armeniam expulso Parthamasiride cæterisque regulis omnino sublatis occupasset. Ideoque, cum in nummis pluribus Romæ percussis *Optimi* nomen Trajano tributum occurrat, in quibus ipse consul V vocatur, dubitari certe vix poterit, quin Trajanus Armeniam subegerit ante annum 112 (U. C. 865), quo *Sextum* consolatum Romæ suscepit. Denique, ut alia Corsinii argumenta silentio præteream, eximius alter Trajani nummus habetur, in quo Cæsar ipse *APICT. CEB.* ΓΕΡΜ· ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. i. e. *Optimus, Augustus, Germanicus, Dacicus, Parthicus* appellatur, simulque *decimus* imperii ipsius annus expressus conspicitur. Ergo anno U. C. 861 (107 p. Ch.), in quem *decimus* imperii annus incurrit, Trajanus jam *Optimi* atque *Parthici* nomen acceperat. Duplex igitur Trajani in Orientem profectio agnosci debet (21), nihilque gravius (22) obstat, quo minus anno 107 Ignatium e vivis decessisse putemus.

II. Quindecim sub nomine S. Ignatii circumferuntur epistolæ, e quibus tres Latine tantum ad nos pervenerunt, et Græcismum minime redolentes, non ab interprete, sed auctore Latino profectæ videntur: ad B. Virginem una, ad S. Joannem duæ. Cæteræ autem Græce supersunt.

Ex quindecim his epistolis octo unanimi doctorum consensu spuriæ habentur: 1) una ad B. Virginem, 2) et 3) duæ ad S. Joannem, 4) una ad Mariam Cassabolitem, 5) una ad Tarsenses, 6) una ad Antiochenos, 7) una ad Heronem, diaconum Antiochenum, 8) una ad Philippenses (23).

Reliquarum septem, quæ datæ sunt 1) ad Ephesios, 2) ad Magnesios, 3) ad Trallianos, 4) ad Romanos, 5) ad Philadelphenses, 6) ad Smyrnæos et

(13) Ignat., ep. aq Rom. c. 5.

(14) Hanc dissertationem Smithius ut Jacobsonus (II, p. 524 sqq. edit. II) in suas editiones conjecerunt.

(15) *Crit.*, ad ann. 107, n. 3-6.

(16) *Spicileg.*, t. II, 22.

(17) *L'art de vérifier les dates*, p. 239, ap. Lumper, l. c., p. 250.

(18) Grabe, *Spicil*, t. II, p. 22.

(19) *Hist. des Emper.*, t. II, not. 17, sur Trajan. Idem, *Mémoires pour servir*, etc., t. II, p. 195, et not. 10, p. 383.

(20) Galland., *Biblioth.*, t. I, Proleg., p. LXI sq.

(21) Unam tantum Trajani expeditionem Parthi eam agnoscit Francke in libro: *Zur Geschichte Trajans*, etc. 1837, p. 161.

(22) Apud Malalam enim, teste Gallandio (l. c.), sive ejus inscitia, sive librariorum oscitantia in notationem temporum cum imperii Trajani, tum Ignatiani martyrii, menda nonulla irrepisse nonscuntur. Teste Malala Trajanus, *Septima* Januarii, feria *quinta* Antiochiam ingressus est. Sed *Septimam* Januarii cum *feria quinta*, a. 107 (non a. 115) concurrisse ostendit Usserius (not. 6 in Martyr S. Ign.).

(23) Cfr. virorum doctorum de hisce epistolis judicia apud Russelium et Jacobsonum (t. I, p. XXV sqq.).

7) ad Polycarpum, duplex exstat Græcum exemplar, alterum brevius, alterum longius. Recensionem breviorem longiori esse præhabendam, pene ad unum omnes viri critici affirmarunt. Schmidtius (24) autem et Netzius (25), neutri recensioni laudem sinceritatis præbentes, utramque ex immutatione genuini cujusdam exemplaris ortam putabant (26). Novissimis vero temporibus D. Carolus Meier, theologiæ professor Giessensis nuper demortuus, longiori recensioni palmam tribuens, eam non plane quidem integram et genuinam, breviori tamen longe præferendam esse contendit (27). Sed tantum aberat, ut virorum doctorum applausu id faceret, ut neminem, quem sciam, in suam traheret sententiam, plures vero, re iterum in litem vocata, brevioris recensionis rem agerent. Laudemus hic V. D. Richardum Rothe (28), nunc Heidelbergensem, Arndtium (29) Ratzeburgensem, Baurium Tubingensem (30) et Fridericum Düsterdieck Hamelensem (31).

Meierus tribus potissimum argumentis sententiam suam firmare conatus est.

a) In breviori, inquit, recensione Nicæna de deitate Christi doctrina tenetur, ergo postnicænis temporibus exarata putetur ; longior vero recensio minus decisum de hac re dicendi genus, apostolicis temporibus congruum, præsefert et servat. — Verum acrior utriusque recensionis inspectio docet, longiorem quoque octies decies Christum *Deum* nominare, eam magis definite de *persona* Spiritus sancti loqui, pleniorique formula Trinitatis esse usam (32) ; quo fit, ut merito posteribus sit temporibus tribuenda.

b) Secundum argumentum Meierus ex styli charactere depromit, monens, breviorem recensionem epitomes deformis et obscuræ ferre naturam, cui longior textu meliori lumen præbere debeat. Sed contra plures longioris recensionis loci a breviore demum illustrantur. Illam justo esse loquaciorem, dictionisque gravitate carere, facile videas. Necminus additamenta inertia et citationes superfluæ te fugient, quibus interpolator genuinum textum augere est ausus. Breviorem vero recensionem nemo epitomen putabit, qui succinctum et concisum sermonem, gravibus sententiis refertum, grammaticis quidem regulis minus obnoxium, sed ardore scriptoris ferventem a frigida duraque epitome possit discernere. Quod denique obscuritatis opprobrium attinet, id de corruptis tantum locis dictum putes, quibus sæpissime medela potest afferri (33).

c) Testem quoque antiquum suæ opinionis adducit Meierus, Chronicon dico paschale, temporibus Constantii imperatoris conscriptum (ad a. D. 32, p. 416, Vol. I. ed Bonn. 1832), in quo longioris recensionis locus (ad Trall. c. 10) laudatur. Sed antiquiores nobis testes præsto sunt, Eusebius (34) et Athanasius (35), quibus breviorem recensionem ad manus fuisse inde facile colliges, quod verba ab ipsis citata in breviori tantum, non æque in longiori inveniuntur recensione (36).

d) Denique in longiori recensione præter episcopos, presbyteros et diaconos reliqui quoque clericorum ordines nominantur (Philad. c. 4 : καὶ ὁ λοιπὸς κλῆρος), qui S. Ignatii temporibus nondum in ecclesia exstiterunt.

Breviorem ergo recensionem merito longiori, interpolatæ, præferendam putamus.

III. Cum e tenebris iterum in lucem prodirent epistolæ S. Ignatii, primæ omnium detectæ et typis impressæ sunt Parisiis 1495 falsæ istæ tres epistolæ, Latine tantum scriptæ, ad B. Virginem una et ad S. Joannem duæ. Cfr. supra num. II. Tribus annis post Jacobus Faber Stapulensis, his epistolis, « quod tenebris omnium dignissimæ fuerint » omissis, undecim alias (7 interpolatas et 4 falsas) e versione veteri Latina edidit Parisiis 1498. Anno autem 1536 Symphorianus Champerius, Lugdunensis, has a Fabro editas cum tribus aliis ab illo rejectis, et quarta (non minus falsa) ad Mariam Cassabolitem, nbnquam ante publicata, edi curavit ; atque ita tandem 15 Ignatii epistolæ Latine exstiterunt.

Duodecim earum (7 interpolatas et 5 falsas) e codice Græco bibliothecæ Augustanæ primus omnium Dillingæ 1557 edidit Valentinus Hartungus Frid, seu *Pacæus*, nomine pro ævi consuetudine immutato. Easdem 12 epistolas Andreas Gesnerus Græce et Latine (interprete Joanne Brunero) e codice bibliothecæ V. C. Gaspari a Nydpryck, Tiguri 1559 edidit. Cum Pacæi editio ipsum lateret, Gesnerus primum se Græcas Ignatii epistolas edidisse jactabat.

(24) *Versuch über die gedoppelte Recension der Briefe des Ignatius* in : Hencke *Magazin für Relig. philosophie*, tom. III, pag. 91 sqq. Opinioni huic Schmidtius postea nuntium misit (*Kirch. Gesch.*, t. I, p. 209 sq.).

(25) In : Ulmann, *Studien. u. Krit.* 1835, p. 881 sqq.

(26) Hanc opinionem secutus est V. C. Carolus Hase, *Kirchengesch.*, p. 70, ed. v.

(27) In : Ullmanni *Stud. et Krit.*, 1836, p. 340 sqq.

(28) *Die Anfänge der christl. Kirche*, Wittemberg. 1837, p. 739.

(29) In : Ullmanni *Stud. et Krit.* 1839, p. 136.

(30) Tubing., *Zeitschr. für Theol.* 1838, Fasc. II, p. 148.

(31) Düsterdieck. *De Ignatianarum epistolarum authentia*, etc. Commentatio Gottingæ præmio regio ornata, p. 20 sqq.

(32) Cfr. Arndt, in : Ullmanni *Stud.*, etc. 1839, p. 161-164 ; Rothe, *Anfänge*, etc. p. 744-751 et Düsterdieck, l. c., p. 26 sq. et 33.

(33) Arndt. l. c., p. 149-161 ; et Rothe, I. c., p. 756 sqq.

(34) *Hist. eccl.*, III, 36.

(35) *De synodo Arim. et Seleuc.*, p. 922, t. I ed. Paris. 1627.

(36) Rothe, l. c., p. 742, 743. Fusiori modo argumenta Meieri enervavit Düsterdieck l. c., qui *thetica* quoque argumentatione breviori recensioni originis primitivæ laudem vindicare studet, et interpolatam editionem ante medium sæculum quartum exaratam esse negat, p. 28-41.

Pene centum annis post breviores demum et genuinæ S. Ignatii epistolæ detectæ sunt, easque primus Græce edidit Amstelodam 1646 Is. Vossius ex uno superstite bibliothecæ Mediceæ codice ms. sæculi XI, veteremque Latinam versionem addidit, quam Græco exemplari propemodum in omnibus respondentem Oxonii 1244 e duobus codicibus, uno Cantabrigiensi et altero ex bibliotheca Ricardi episcopi Norvicensis, Jacobus Usserius, archiepiscopus Armachanus, vulgaverat (37).

Verum cum in illo (et unico) codice Mediceo seu Florentino deesset epistola ad Romanos, Vossius illam ex interpolatarum editione desumptam, duce vetere interprete, suæ integritati restituere adortus est. Anno autem 1689 epistolam ad Romanos, veteri Latinæ versioni adamussim æquiparatam, e cod. 1451 bibliothecæ Regiæ Parisiensis membranaceo (38), Parisiis publici juris fecit Theodericus Ruinartus in *Actis martyrum sinceris*; quam deinceps Grabius et Clericus prodire jusserunt. Anno 1709 Oxonii prodiit præstantissima Thomæ Smithii editio, quam secuti sunt Ludovicus Frey, Richardus Russel, Andreas Gallandius et Guilielmus Jacobsonus; quos et nos duces habuimus.

IV. Inter eos qui pro epistolis hisce vindicias evulgarunt Pearsonium (39) eminere nemo nescit. Opus ejus oppugnare sunt aggressi Matthæus Larroquanus Samuel Basnagius, Casimirus Oudinus, Joannes Dallæus et alii, quibus frequens episcoporum mentio in his epistolis præter alia minime placebat. Sed iis responderunt authentiam epistolarum nostrarum defendentes, Nicolaus Nourrius (40), Remi Ceillier (41), Thomas Maria Mamachius (42) et Lumperus (43). Nostris temporibus præsertim D. Baurius, Tubingensis, authentiam epistolarum Ignatii in dubium vocavit, mediisque sæculi II temporibus eas Romæ a falsario quodam in favorem episcopatus ideæ confectas esse contendit (44), contradicentibus potissimum Doctore Rothe (45), Joanne Eduardo Huthero (46), Friderico Düsterdieck (47) et Anonymo quodam in ephemeridibus: *Herold des Glaubens* (48).

V. Quæ nos, epistolarum Ignatii rem agere, moveant, audi:

1) Minime D. Baurius nobis persuasit, *Romanum Ignatii iter*, quod scribendi has epistolas occasionem præbuisse perhibetur, esse commentitium.

a) Trajanum enim Antiochiæ hiemasse dubitari non potest,

b) Eum Christianos, illos præsertim qui delati et accusati erant, ad mortem damnasse, nemo jure negabit. Jam Plinio enim proconsuli imperator mandaverat: *Si deferantur et arguantur, puniendi sunt.*

c) Plebs, *panem* et *circenses* postulans, meliori nullo modo placari poterat, quam Christianorum ad bestias damnatione.

d) Imperatorem damnatos Christianos Romam misisse, ut Romanæ plebi grati aliquid faceret, nullo modo veritati repugnat.

e) Quod Ignatius Smyrnæ et Troade fratres convenisse ibique epistolas scripsisse perhibetur, id minime contradicit crudelitati custodum, de qua ipse in ep. ad Rom. c. 5 queritur. Apud Romanos enim captivis, ad milites alligatis, permissum erat, amicos suscipere et libere colloqui cum illis. Paulus e. g. in vinculis Christum prædicavit. Cfr. Act. XXVIII, 16, 30, 31. Præterea sæpissime Christiani aditum ad martyres et incarceratos argento a militibus emerunt. Optime ergo Pearvonius (49) scribit: « Hæc cum fuerit vetustissima Ecclesiæ consuetudo, idem etiam in Ignatii vinculis factum constat. . . . Omnibus igitur modis diaconi aliique ab Ecclesiis missi Ignatio in itinere ministrabant, adeoque eum a vexationibus militum, quantum in ipsis erat, præmiis redimebant. Hinc autem recte intelligitur, quod de militibus, quos leopardos vocat, scribit: οἳ καὶ εὐεργετούμενοι χείρους γίνονται, scilicet, quo plus pecuniæ a fidelibus acciperent pro relaxatione vexationis, eo acrius ex intervallo S. martyrem vexabant, quo majorem pecuniæ vim extoequerent et Christianos copiosius emungerent. Quare cum toties Ignatio contigeret refrigeratio et ab iniquitate militum redemptio, et, ut loquitur Tertullianus, facultas liberæ custodiæ, facile potuit illas, quas habemus, epistolas exarare, quarum aliquæ non multum longiore, quam unius horæ spatio scribi potuerunt, neque ex illis ulla tam prolixa est, ut plures quam tres horas postulet ».

f) Ignaiius, Smyrna Romanis scribens, non absurda, ut Baurio videtur, peregit. Duæ enim viæ Smyrna Romam ducebant, altera maritima, altera terrestris, ut bene docuit V. C. Tafel (50). Terrestri

(37) Cfr. Düsterdiek, *De Ignatianarum epistolarum authentia*, etc. Oottingæ in officina Dieterich., p. 1-3, et Russel in editione *Patrum apostolicorum* Londini 1746.

(38) Codex hic, olim Colbertinus 460. Acta martyrii S. Ignatii continet, quibus capite 4 epistola Ignatii ad Romanos interposita est.

(39) In secundo tomo editionis *Patrum apost.* Cotelerianæ.

(40) *Apparat. ad Biblioth. max. Patrum*, t. I, p. 78 sqq.

(41) *Hist. général.*, t. I, p. 626.

(42) *Origines et antiq. Christ.*, t. IV, p. 377 sqq.

(43) *Hist. theol. crit.*, t. I, p. 266-268.

(44) Baur. *Die sogenannten Pastoralbriefe des A. Paulus, auf's neue kritisch untersucht*, von Dr. Baur., p. 87. *Abgenöthigte Erklarung. Tub. Zeitschr. für Theol.* 1836. Fasc III, p. 199 et 1838, Fasc. III, p. 149 sqq. Baurii sententias repetivit Schwegierus, *Das nachapostolische Zeitalter*, t. II, p. 159-179.

(45) *Anf. d. christ. Kirche*, p. 715 sqq.

(46) *Betrachtung der wichtigsten Bedenken gegen die Ächtheit der Ignatianischen Briefe.* Von Dr. Job. Ed. Huther, in Illgenii *Zeitschrift für histor. Theol.* t. XI, Fasc. IV, p. 3-73.

(47) Düsterdieck in libro jam supra laudato.

(48) Herbipoli 1839, n. 40-45.

(49) *Vindiciæ Ignatianæ*, pars. II, c. 11.

(50) Tafel, *De via militari Romanorum Egnatia qua Illyricum, Macedonia et Thracia jungebantur.* Tubingæ, Laupp. 1842. Cfr. quoque Martyrium S. Ignatii, capp. 5, 6.

d) Paulo post Irenæum Origenes (61) de epistolis Ignatii verba fecit.

α) *Memini aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo : Meus autem amor crucifixus est.* » Ex Ep. Ignatii ad Rom. c. 7.

β) Secundum Origenis testimonium vide supra, col. 9.

e) Addamus hisce testibus Eusebium (62), qui non solum de Romano Ignatii itinere sed et de septem ejus epistolis nominatim agit, singulas paucis describens, ex epistolis vero ad Rom. c. 5 et ad Smyrn. c. 3 plurima depronens. (*Eusebii testimonium vide supra, col.* 11, sub num. V.)

f) Athanasius (63) quoque Ignatianis epistolis testimonium perhibet (*supra, col.* 15, *num.* VI).

g) Denique Hieronymum (64), qui non nisi verba Eusebii repetiisse videtur, audiamus : *Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum apostolum episcopus*, etc. (Reliqua vide supra col. 16 : num. VII).

Posteriorum Patrum testimonia, inter ea decem testimonia Theodoreti, apud Gallandium et Cotelerium congesta invenies, initio hujus voluminis, Edit. Patrol.

3) Baurius contendit Ignatium omni modo in his litteris, tum justo fervidiori desiderio martyrii, tum absona humilitatis et modestiæ cum jactatione et superbia conjunctione se talem præbere, ut apostolici viri vestigia nullibi detegas, fictam vero personam facile reperias.

Verum.

a) Singularis animi calor et commotio, inaffectata et nativa se præbendi ratio omnimoda sinceritas et simplicitas, scriptorem ex intimo corde verba sua proferentem, non falsarium produnt (65). In primis nemo falsarius præclarum illud cap. 4 ad Trallianos scripsisset, ubi Ignatius aperte testatur, quantopere ipsi, ad coronam martyrii properanti, superbia quædam sit periculosa. In fervidiori enim martyrii desiderio falsarius gloriam herois sui posuisset.

b) Revera minime nobis mirum videtur, si Ignatius, coronam martyrii exspectans, eadem via, qua Paulus, Romam ductus, a fratribus longe lateque salutatus laudibusque ornatus, fervidoque erga salutatus laudibusque ornatus, fervidoque erga Christum amore flagrans, vehementi quodam martyrii desiderio ardebat (66).

c) Absonam humilitatem Baurius in iis locis detexisse putat, ubi Ignatius se ipsum *minimum* et *indignum* prædicat, et cum diaconis tantum, non cum episcopis se comparat ; e. g. ad Smyrn. c. 11 et 12 ; ad Rom. c. 4 et 9 ; ad Ephes. c. 8 et 18 ; ad Trall. c. 13, ad Philad. c. 4 ; ad Magn. c. 2. Sed eamdem humilitatem divo quoque Paulo propriam fuisse ex I Cor. xv, 8-10, Ephes III, 8, et I Tim. I. 12-13 perspicies.

d) Jactatio et superbia, apostolico viro indecora, in cognomine Θεοφόρος inveniri non potest. Temporibus enim apostolicis plures fidelium talibus honorificis nominibus ipsi sunt usi, ut B. Petrus, Barnabas, Barsabas *Justus* et alii. Præterea S. Ignatius non immodestior est beato Paulo (II Cor, x, 1 11 ; v, 11, 21-23. Gal. II, 11, 17), quem nec censor acerrimus ob eam rem *fictam* personam nominare velit.

4) Falsarius in Pseudo-Ignatio suo excolendo et commendando vix neglexisset, de necessitate Ignatii cum Joanne apostolo verba facere. Sed nullibi in epistolis nostris talia reperies (67).

5) Qui in favorem explanandæ episcopatus ideæ has epistolas confectas et conflictas esse putant, epistolam Ignatii ad Romanos non in consilium vocant, in qua nulla episcopatus fit mentio (68). Falsarius utique, Romæ sua fingens, de Romano quoque episcopatu verba fecisset. Notandum vero auctorem epistolarum non id in primis egisse, ut hierarchiam ecclesiasticam et obedientiam, etc., erga episcopos commendaret. Multo enim magis curæ ei fuit, ut fideles a veneno judaizantium Docetarum dehortaretur. Ad evitandam deinde hanc contagionem unitas ecclesiastica et arctissima cum episcopo conjunctio postulatur (69).

6) Hæreses quas beatus Ignatius perstringit, clare demonstrant, epistolas ejus primis sæculi secundi temporibus esse ascribendas. Duo diversa hæreticorum genera (Docetas et Judaizantes, ab Ignatio impugnari plerique crediderunt. Hutherus (70) autem bene docuit. Ignatium non nisi in *unum* genus hæreticorum, judaizantium dico Docetarum, tela acuisse. Beatus enim Pater, si contra Judaistas quoque proprio sensu pugnasset, absque omni dubio etiam de circumcisione verba fecisset, quod nullibi in epistolis ejus reperitur. Ejusmodi igitur legis fautores intelligi jubent Hutherus et Düsterdieck illum sequens, quales Coloss. II, 16 sqq. perstringantur, quorumque ascesis judaismi instar sit visa Unicum hoc judaizantium Docetarum genus Dusterdieck (l. c., p. 55) in duas familias disjungit, easque e Cerinthi erroribus profectas affirmat. Utraque Cerinthiacæ hæresæos elementa servabant Magnesii et Philadelphenses, cum Gnosticismo seu Docetismo minus occulto Judaismum conjungentes (cfr. ad Magn. c, 9, ad Philad, c. 6), Smyrnæenses vero, Ephesini ac Tralliani, Græca philosophia magis imbuti, hæresin Cerinthiacam adeo perpoliverant, ut Judaico illo elemento relicto, Gnosticas solum opiniones, ipsius

(61) Prolog. in *Cant. canticor.*
(62) *Hist eccl.*, III, 34.
(63) *De syn. Arim. et Seléuc.*, n. 4.
(64) *Catal. script. eccl.*, c. 16.
(65) Cfr. Rothe, *Anf.*, etc. p. 718 sqq. Huther, l. c.
(66) Cfr. Rothe, I. c., p. 722.
(67) Cfr. Rothe, l. c., p. 718, not. 5.
(68) Cfr. Molher; *Athanasius*, t, I, p. 18.
(69) Cfr. infra primam nostram notam ad epistolas Ignatii.
(70) « Betrachtung der wichtigsten Bedenken gegen Aechtheit der Ignatianischen Briefe, *in Hgenii* Zcitschrift für histor. Theol., » t. XI, p. IV, p. 32 sqq.

Cerinthi modum superantes, jamque magis ad severiorem recentiorum Gnosticorum Docetismum accedentes, ferrent foverentque, quo factum, ut Ignatius in epistolis ad Ephesios, Smyrnæos, Polycarpum et Trallianos Docetismum solum impugnaverit. Hæreticos autem illos non e numero *posteriorum* Gnosticorum fuisse, qui mediis sæculi secundi temporibus floruerunt, clare ex eo appareret, quod Ignatius Docetismum solum perstringit, cæteros autem posteriorum Gnosticorum errores ne minime quidem tangit (71).

7) Negari denique non potest, nonnullis epistolas nostras non ex criticis, sed ex dogmaticis tantum causis displicuisse. Quicunque enim aut divinam episcopatus institutionem, aut divinitatem Christi, aut realem Domini in Eucharistia præsentiam negant, auctoritatem epistolarum Ignatii minuere conentur oportet. Sed confer quæ contra hoc Hutherus l. c., p. 12 sqq., monuit.

VI. Paucos ante menses V. D. Guilielmus Curetou, Anglus, veterem versionem Syriacam trium S. Ignatii epistolarum publici juris fecit. Jam anno 1839 Henricus Tattam, Copticarum litterarum peritissimus, Ægyptum peragrans, in Syriaco Nitriæ monasterio codicem antiquissimum, ante medium sæc. VI exaratum, detexit, qui Syriacam versionem epistolæ S. Ignatii ad Polycarpum continebat. Pecuniis deinde publicis adjutus doctissimus Tattamus anno 1842 secunda vice in Ægyptum profectus est, et prospera fortuna gaudenti multos alios monasterii illius codices emere contigit, inter quos etiam (e sæc. VI vel VII) antiqua versio Syriaca trium S. Ignatii epistolarum ad Ephesios, ad Romanos et ad Polycarpum, una cum pluribus Ignatianarum epistolarum fragmentis reperta est. Quibus codicibus detectis Guilielmus Curetonus, Orientalium litterarum apprime gnarus, optime se de re patristica fore meriturum sperabat, si versionem illam Syriacam prelo subjiceret et versionem Anglicam adderet, atque textum Græcum, Syriacæ versioni (non accurate) respondentem exarare conaretur.

Cum vero Tattamus duos codices epistolæ ad Polycarpum, ut diximus, ex Ægypto apportasset, unum anno 1839, alterum anno 1842; Curetonus non nisi priorem, quia antiquiorem, typis exscribendum curavit, recentioris codicis lectiones variantes adjiciens. Præterea vir doctissimus magnum quoque Syriacum fragmentum Martyrii S. Ignatii et epistolæ ejusdem ad Romanos, quod Curetonus ipse anno 1839 in Musæo Britannico detexerat, in vulgus edere et libro suo addere decrevit. Sic prodiit Londini 1846 opus ejus sub titulo: « The ancient Syriac version of the epistles of saint Ignatius to St. Polycarp, the Ephesians, and the Romans; together with extracts from his epistles, collected from the writing of Severus of Antioch, Timothrus of Alexandria, and others, ediled with an englisa translation and notes. Also the greck text of these three epistles, corrected according to the authority of the Syriac version. By William Cureton, M. A. London: Rivingtons. Berlin: Asher et Comp. MDCCCXLV. Libro hoc usi omnem majorem inter versionem illam Syriacam et textum nostrum Græcum differentiam suo loco adnotavimus. Curetonus nobis persuadere conatur, versionem illam Syriacam *genuino* textui Ignatiano accuratissime respondere, et omnia quæ in nostro Græco textu plura inveniuntur, ab aliis addita esse et introducta. Tantum vero abest ut ei astipulemur, ut versionem Syriacam non nisi epitomen Ignatianarum epistolarum, a monacho quodam Syriaco in proprios usus pios confectam (cfr. infra not. ad cap. 2. epist. ad Ephes.), reputare possimus, præsertim cum iidem codices a Tattamo detecti et alio plura *excerpta* ex epistolis Ignatianis, nec non alios libello ascelicos, ut Curetonus ipse fatetur, contineant. Præterea sæpius inde ex eo, qurd nexus sententiarum in versione Syriaca minus est arctus, apparet, monachum illum non tam interpretis, quam *epitomatoris* partes egisse. Confer quæ ad singulos locos monuimus: ad Ephes. capp. 3, 8, 9, 14, 19; ad Trall. in titulo et cap. 4; ad Rom. cap. 6; ad Polyc. in titulo et cap. 7; Martyrium S. Ignatii in titulo.

VII. Male etiam de integritate epistolarum Ignatii dubia mota sunt (72). Præsertim omnia de episcopatu et de deitate Christi effata interpolatori a quibusdam tribuntur. Sed

a) nullum externum interpolationis a de stindicium.

b) Loci a veteribus laudati pari modo in breviori nostra recensione leguntur. Cfr. supra testimonia veterum.

c) Arctior materiæ et orationis nexus omni interpolationis suspicioni nuntium mittunt; effata enim illa displicentia sine totius sermonis pariter ac sensas devastatione evelli non possunt.

d) Præterea eamdem styli rationem cum in repudiatis, tum in approbatis epistolarum partibus invenies.

e) Quod c. 8 ep. ad Magn. Σιγῆς facta sit mentio, interpolationis non præbet indicium, ut in notis ad h. l. demonstravimus.

f) Pelemicis tantum causis ducti nonnulli viri docti integritatem epistolarum nostrarum in dubium vocarunt (73).

g) Qui episcopatus causa epistolas nostras interpolatas esse putant, nullo modo rationem reddere possunt cur epistola ad Romanos sola ab interpolatore non fuerit fœdata, cum sex reliquis impias ejus manus non pepercisse credant.

(71) Cfr. Huter, l. c. p. 42 et Dusterdieck, l. c.

(72) E. g. a. Neandro, *Kirchengesch*, t. I, p 738. et a Netzio in Ullmann, *Studien und Krit.* 1835, p. 881 sqq. Qui breviores quoque S. Ignatii epistolas interpolatas putant, novissimis diebus validissimum interpolationis ejusmodi testimonium assecuti videntur versione Syriaca, a Guil. Cureton edita.

(73) Mohler, *Patrol.*, t. I, p. 125 sqq.

Ut brevi dicam, interpolationis suspicio ne minimum quidem mereri applausum videtur, planeque persuasum mihi est, talem judicii mediocritatem non auream esse. Epistolæ Ignatii sint ut sunt, aut non sint (74).

VIII. Epistolarum auctor Græci sermonis non apprime gnarus, et ardentis potius animi impetus, quam grammaticæ regulas secutus, periodorum structuram non semel violavit, orationis nexum sententiis interjectis sæpius interrupit, et sublimes profundasque cogitationes suas sufficientibus verbis exprimere nequivit; ita ut facile non Græciæ, sed Asiæ filium detegas (75).

IX. De tempore quo hæ epistolæ exaratæ fuerint, duæ feruntur celebriores sententiæ, quarum altera anno 107, altera anno 116 favet. Nos, qui supra § I martyrium Ignatii anno 107 assignavimus, eodem anno et epistolas conscriptas esse censeamus oportet.

X. De doctrina Ignatii disputarunt Lumperus (76), Junius, Heynsius ac van Gilse (77), Mohlerus (78) et alii.

II. DE ACTIS MARTYRII S. IGNATII.

I. Acta Martyrii S. Ignatii a. 1647 e msto codice Caiensi edidit Usserius Armachanus, optime de B. martyre ejusque epistolis meritus. Huic veteri versioni vir doctissimus alteram adjunxit (79), ex antiquissimo Cottonianæ bibliothecæ codice descriptam, in qua multæ absurdæ et fabulosæ narrationes contra fidem historiarum ex novitiis Actis interpolatis desumptæ continentur (80).

Anno autem 1689 ex msto codice Parisino, olim Colbertino, nunc regio Acta nostra Græce una cum nova versione Latina Parisiis evulgavit Theodericus Ruinartus, presbyter e congregatione S. Mauri, in *Appendice ad Acta primorum martyrum sincera atque selecta*. Græcum autem hoc exemplar cum antiqua versione codicis Caiensis maxime convenire, cuivis ex leviuscula collatione facile constat (81).

Post Ruinartum præcipue Grabius, Ittigius, Smithius et Jacobsonus Acta nostra, mendis, quæ passim irrepserant, sublatis ediderunt.

II. Acta hæc, ut cum Smithio loquar, « a familiaribus S. Ignatii, qui Antiochia Romam usque illum sunt comitati, atque illius ultimo et maxime glorioso agoni interfuere, descripta esse, multa in ipsis Actis id testatissimum reddunt. In his enim sic loquuntur, qui ea litteris tradidere : Ἡμεῖς μὲν ἄκοντες ἀπηγόμεθα, στένοντες ἐπὶ τῷ ἀφ' ἡμῶν μέλλοντι χωρισμῷ τοῦ δικαίου γίνεσθαι (82). Et nonnullis interjectis sub finem : Τούτων αὐτόπται γενόμενοι (83). Hæc, inquam, aliaque (84) extra omne dubium ponunt, a S. Ignatii comitibus Acta hujusmodi fuisse perscripta ; et quidem non longe post ipsius consummationem, et proximo, ut verisimillimum videtur anno ; dum res gestæ cum totius itineris ratione in recenti fidelius inhæserint memoria. »

« Illos autem fuisse Philonem et Agathopodem, quorum meminit sanctissimus martyr in epistolis ad Smyrnæos et ad Philadelphenses, hunc Antiochiæ, illum vero Tarsensis Ecclesiæ diaconum, vix a quoquam dubitari aut potest aut debet. » Hactenus Smithius. Gallandius (85) addit, Philoni et Agathopodi adjungendum saltem esse nominatim et Crocum, qui sanctum martyrem Romam usque assectatus fuisse perhibetur (86).

III. Authentica et genuina censentur Acta nostra ab Usserio, Dodwello, Ruinarto, Grabio, Tillemontio, Pearsonio, Smithio, Cotelerio, Mamachio, Gallandio, Lumpero (87), Mohlero (88) et aliis. Dallæus vero, ut ipsius S. Martyris sccipta, ita et Acta ejusdem pro supposititiis habuit ; sed sicut illorum ita horum quoque defensionem suscepit doctissimus Pearsonius parte II *Vindic. Epist. S. Ign.*, c. 12 (89). Præter Dallæum Oudinus quoque, Heumannus et alii Actorum veritatem impugnare aggressi sunt ; sed funditus eorum sententiam evertit vir eruditissimus Mamachius (90), ex ordine Prædicatorum.

Revera nullius ponderis sunt Dallæi et sociorum argumenta.

a) Exceptiones, quæ adversus Romanum Ignatii iter itinerisque rationem sunt prolatæ, esse futiles, jam ex iis, quæ supra ad iter hoc defendendum protulimus, apparet. Maxime autem doctissimæ

(74) Optime integritatem harum epistolarum defendit Düsterdieck, l. c., p. 80 sqq.
(75) Cfr. Mohler, *Patrol.*, t. I, p. 122.
(76) *Hist. theol. crit.*, t. I, p. 305-327.
(77) « Commentationes de Patrum apostolicorum theologia morali » a) p. 38-71. b) p. 39-58. c) p. 54-71.
(78) *Patrol.*, t. I, p. 131-152.
(79) Utramque hanc versionem apud Gallandium reperies.
(80) Grabe, *Spicileg.*, t. II, p. 3 et 4. Smith, præf. in Acta Martyr. S. Ign. apud Jacobsonum, t. II, p. 523.
(81) Grabe et Smith. II. cc.
(82) Martyr. Ign., c. 5.
(83) Ibid., c. 7.
(84) E. g. συναντῶμεν τοῖς ἀδελφοῖς c. 6.
(85) *Bibl. Veterum Patrum*, t. I, Proleg., p. LX.
(86) Ep. Ign. ad Rom., c. 10.
(87) *Hist. theol. crit.*, t. II, p. 428-433.
(88) *Patrol.*, t. I, p. 408 sq.
(89) Apud Cotel., t. II, p. 411.
(90) *Origines et Antiquit. Christ.*, t. IV, p. 401-404.

Tafelii de via Egnatia dissertationes novam rei nostræ lucem attulerunt; quas qui perlegerit, tantum abest, ut viam, qua S. martyr ductus esse narratur, monstrosam putare possit, ut clare perspiciat, non nisi vulgari Romanorum via Ignatium esse usum (91).

b) Actorum auctorem diu post Ignatii tempora vixisse, Dallæus e sermonibus conjecit, quos cum Trajano a martyre habitos Acta nostra præter omnem veri ac decori speciem finxisse putat vir ille criticus. Ei jam Pearsonius (92) respondit, *sermones* istos certe neque *veri*, neque *decori* rationes turbare contendens. Una tantum vox κακοδαίμων (c. 2), a Trajano usurpata, objectioni illi occasionem præbuisse videtur, quam nemo dixerit imperatori minime convenire, qui eam recte intellexerit. Qui enim novit, quid sit κακοδαίμων, et quomodo Christianos in judicio compellare soliti fuerint ethnici, facile sentiet, et verum hoc et decorum esse. Est autem κακοδαίμων, ut ex multis exemplis Pearsonius docuit, nil aliud quam *infelix* homo (93).

Præterea monendum, sermones Ignatii et Trajani a scriptore Actorum *non ad verbum* relatos, auctoremque nostrum eadem licentia usum esse, quam omnino historici in enarrandis aliorum sermonibus sibi vindicabant. Quod si e. g. capite 2 Trajanus deos gentilium *dæmones* appellat, certe scriptorem Christianum verbis Christianis mentem Trajani exposuisse facile perspicies.

c) Authentiæ argumentum inde quoque nobis petendum videtur, quod Acta hæc pressa simplicique oratione sint conscripta, atque.

d) mire illis respondeant, quæ ab Eusebio et S. Joanne Chrysostomo de martyrio Ignatii docemur (94).

e) Nihil denique ibi legitur, cum Trajani historia pugnans (95).

Testimonia vero Veterum pro Actis nostris e sex primis æræ Christianæ sæculis inveniri non possunt.

IV. Postremam Actorum Ignatii partem spuriam, et ab interpolatore quodam assutam, arbitrati sunt Usserius, Grabius et alii; causis, ut mihi videtur, non sufficientibus.

a) Postremam Actorum partem in altera Latina versione codicis Cottoniani deesse, minime negamus, sed hunc codicem nullius auctoritatis esse, ex iis, quæ supra § I diximus, satis apparet; luceque est clarius interpretem istum, Ignatii adventu in Urbe narrato, a genuino Actorum exemplari ad fabulas interpolatoris sese convertisse.

Exstat autem posterior illa Aciorum pars, a Grabio in dubium vocata, in versione codicis Caiensis, et Græco exemplari Parisiensi.

b) Si Grabium audias, aperte sibi invicem repugnare videntur ista verba c. 7, quæ in versione nostra ita sonant: *Horum nos ipsi spectatores facti, cum in lacrymis totam noctem exegissemus, et genibus flexis multaque oratione Dominum, ut nos infirmos de iis qaæ facta fuerant, certos faceret, essemus precati*, etc. Si enim hæc facta, Grabius inquit, ipsimet spectatores oculis usurpaverant, quid opus erat, ulteriorem de iis certitudinem a Deo postulare? — Sed Grabius Græcum textum male interpretatus hæc objecit; αὐτόπται enim illi non de morte Ignatii, sed de eo certiores fieri volebant, num martyrium ejus Deo esset acceptum, ut jam Clericus monuit (96).

c) Falsum esse contendit Grabius, quod c. 7 Ignatius mortuus fuisse dicatur *consulibus apud Romanos iterum Sura et Senecione*, i. e. anno 107. Grabius enim, ut supra vidimus, unam tantum Trajani expeditionem Parthicam admittens, mortem S. martyris anno 116 ascripsit. Nos contra tutius putavimus, alteri accedere sententiæ, quæ Ignatium anno 107 e vivis decessisse censet.

d) Objectio Usserii, detecto exemplari Græco diluta, jam a Grabio est omissa. Usserius in codice Caiensi legebat (c. 4): *per* PRÆCEDENTES *litteras gratias agens, appositas ad ipsas*, etc. Hinc vir doctissimus conclusit, postremam Actorum partem ab illo scriptore sæculi quinti esse confectam, qui Græca Acta in Latinam sermonem transtulit, exemplarique suo syllogen epistolarum Ignatii præposuit; quam *præcedentem* epistolarum syllogen verbis illis *præcedentes litteras* indicari Usserius suspicatus est. Sed Græca: ..... διὰ τῶν ἡγουμένων, γραμμάτων εὐχαρίστων ἐκπεμφθέντων κ. τ. λ. ita reddantur oportet: *utque Ecclesiis, quæ ipsi per rectores* (ἡγουμένων) *suos occurrerant, mercedem redderet, gratias agens litteris* (γραμμάτων) *ad eas missis* (Cod. Caiensis male: *appositas ad ipsas*).

Cum res ita se habeat, objectioni, Usserii nullàm vim inesse facile perspicies, neque de integritate Actorum dubitabis, licet fortasse paucissima quædam, aut vitio librariorum corrupta, aut manibus posteriorum addita sint.

V. Acta Martyrii S. Ignatii interpolata e sæculo circiter sexto, Græce habet Metaphrastes ad 20 Dec., et exinde Latine Surius et Bollandus, calendis Febr.; Græce et Latine in editione *Patrum apostolicorum* Cotelerius.

(91) Vice infra not. 4 ad c. 5 Martyrii S. Ign.
(92) *Vindiciæ Ign.*, parte II, c. 12, supra.
(93) Pearson., I. c.
(94) Lumper., *Hist. theol. crit.*, t. I, p. 433.
(95) Lumper., l. c.
(96) Vide not. ad c. 7 Martyr. Ignat.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΓΝΑΤΙΟΥ
ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ

—

SANCTI IGNATII EPISTOLÆ [1]

—

AD EPHESIOS.

« Ignatius, qui et Theophorus, Ecclesiæ merito beatæ, quæ est Ephesi in Asia — benedictæ Dei Patris magnitudine et plenitudine, prædestinatæ ante sæcula, ut in permanentem et immutabilem gloriam semper esset unita, et vera passione, per voluntatem Patris et Jesu Christi, Dei nostri, electa — plurimam in Jesu Christo et in gratia perfecta salutem ».

ΠΡΟΣ ΕΦΕΣΙΟΥΣ [2].

(3) Ἰγνάτιος, ὁ καὶ (4) Θεοφόρος, τῇ εὐλογημένῃ ἐν (5) μεγέθει Θεοῦ Πατρὸς [καὶ] (6) πεπληρώματι, τῇ (7) προωρισμένῃ πρὸ αἰώνων, εἶναι διὰ παντὸς εἰς δόξαν παράμονον, ἄτρεπτον, (8) ἡνωμένην καὶ ἐκλελεγμένην ἐν πάθει ἀληθινῷ, ἐν θελήματι τοῦ Πατρὸς καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ ἀξιομακαρίστῳ, τῇ οὔσῃ ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας, πλεῖστα ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ ἐν ἀμώμῳ χάριτι χαίρειν.

I. *Laus Ephesiorum ob legationem ipsi missam. Laus Onesimi.*

Suscepi vestrum in Deo valde dilectum nomen, quod vobis comparastis indole proba secundum fidem et charitatem in Jesu Christo, Salvatore nostro. Cum imitatores sitis Dei, ad vitam revocati per sanguinem Dei, opus fraternitatis perfecte absolvistis. Postquam enim audistis, me vinctum e Syria pro communi nomine et spe, [videre festina-

Ἀποδεξάμενος ἐν Θεῷ τὸ πολυαγάπητόν (9) σου ὄνομα, ὃ κέκτησθε φύσει δικαίᾳ, κατὰ πίστιν καὶ ἀγάπην ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ Σωτῆρι ἡμῶν. Μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ (10), ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι (11) Θεοῦ, τὸ συγγενικὸν ἔργον τελείως ἀπηρτίσατε. Ἀκούσαντες γὰρ δεδεμένον ἀπὸ Συρίας ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ ὀνόματος καὶ ἐλπίδος, (12) ἐλπίζοντα τῇ προσ-

Vetus interpres.

« Ignatius, qui et Theophorus, benedictæ in magnitudine Dei Patris et plenitudine, prædestinatæ ante sæcuta esse semper in gloriam permanentem, invertibilem, unitam, et electam in passione vera, in voluntate Patris et Jesu Christi Dei nostri, Ecclesiæ digne beatæ exsistenti in Epheso Asiæ, plurimum in Jesu Christo, et in immaculata gratia, gaudere ».

CAPUT I.

Acceptans in Deo multum dilectum tuum nomen, quod possedistis natura justa, secundum fidem et charitatem in Christo Jesu Salvatore nostro, [glorificato Jesum Christum Deum]: quia imitatores exsistentes Dei, et reaccendentes in sanguine Christi Dei, cognatum opus integre perfecistis. Audientes enim

(1) Epistolæ S. Ignatii, excepta ea ad Romanos, id agunt, ut a) *dehortentur a veneno judaizantium Docetarum.* Ad evitandam contagionem hæreticam b) *unitatem ecclesiasticam* commendant et præscribunt, cujus gratia denique c) *arctissima cum episcopo conjunctio* postulatur. Cfr. Rothe, *Anfange*, etc., p. 445 sqq. et 715 sqq.

(2) Vetus Syriaca trium Ignatii epistolarum (ad Ephes., Rom. et Polyc.) versio, a Guilielmo Cureton M. A. anno 1845 Londini et Berolinæ (apud Asher) edita, pauca tantum epistolæ nostræ capita continet. Cfr. *Prolegomena* nostra ad epistolas S. Ignatii n. VI. Curetoni libro usi omnem majorem inter versionem Syriacam et textum nostrum Græcum differentiam suo loco adnotabimus.

(3) Totum epistolæ nostræ proœmium et caput primum, paucis minutiis exceptis, etiam in versione Syriaca legitur.

(4) Cfr. Wernsdorf, de Ignatio Θεοφόρῳ, in ejusdem memoria C. Timothei Scidelii, Helmst. 1758, 4. Vocabulum Θεοφόρος in omnibus epistolis Ignatianis ab aliq quodam additum putat Düsterdieck, *De Ignat. epist. authentia.* Gotting. 1843, p. 89.

(5) Cfr. Ephes. I, 19; I Cor. II, 5.

(6) Cfr. Ephes. III, 19.

(7) Cfr. Ephes. I, 4; III, 11.

(8) Cfr. Ephes. IV, 3 sqq,

(9) Ὄνομά σου, *nomen vestrum* = i. e. vos dilectos et gloriosos Ephesios in persona episcopi vestri Onesimi suscepi.

(10) Sc. ἡμᾶς. Cfr. II Tim. I, 6; I Clem. ad Cor. 27.

(11) I. e. passione et morte Christi.

(12) Periodus hæc non absolvitur. Vetus interpres et Syrus apodosin habent: *Videre festinastis*, quod ponendum ante ἐλπίζοντα.

εὐχῇ ὑμῶν ἐπιτυχεῖν ἐν Ῥώμῃ θηριομαχῆσαι, ἵνα διὰ τοῦ μαρτυρίου ἐπιτυχεῖν δυνηθῶ μαθητὴς εἶναι τοῦ (13) ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν ἀνενεγκόντος Θεῷ προσφορὰν καὶ θυσίαν. (14) Ἐπεὶ οὖν τὴν πολυπληθείαν ὑμῶν ἐν ὀνόματι Θεοῦ ἀπείληφα ἐν Ὀνησίμῳ, τῷ ἐν ἀγάπῃ ἀδιηγήτῳ, ὑμῶν δὲ ἐν (15) σαρκὶ ἐπισκόπῳ· ὃν εὔχομαι κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ὑμᾶς ἀγαπᾶν, καὶ πάντας ὑμᾶς αὐτῷ ἐν ὁμοιότητι εἶναι. Εὐλογητὸς γὰρ ὁ χαρισάμενος ὑμῖν ἀξίοις οὖσι τοιοῦτον ἐπίσκοπον κεκτῆσθαι.

A stis me sperantem, quod vestris precibus consequar, ut Romæ adversus bestias pugnem, ut per martyrium adipisci possim discipulus esse illius qui se ipsum pro nobis obtulit Deo oblationem et hostiam. Suscepi ergo in nomine Dei multitudinem vestram in Onesimo, inenarrabilis charitatis viro, vestro autem in carne episcopo; quem juxta Jesum Christum a vobis amari, cuique similes vos omnes fieri opto. Benedictus enim, qui gratia sua vos talem episcopum possidere dignatus est.

II. *Laus reliquorum legatorum. Exhortatio ad obedientiam erga episcopum et presbyterium.*

(16) Περὶ δὲ τοῦ συνδούλου μου Βούῤῥου, τοῦ κατὰ Θεὸν διακόνου ὑμῶν ἐν πᾶσιν εὐλογημένου, εὔχομαι παραμεῖναι αὐτὸν εἰς τιμὴν ὑμῶν καὶ τοῦ ἐπισκόπου. Καὶ Κρόκος δὲ, ὁ Θεοῦ ἄξιος καὶ ὑμῶν, ὃν ἐξεμπλάριον τῆς ἀφ' ὑμῶν ἀγάπης ἀπέλαβον, κατὰ πάντα με (17) ἀνέπαυσεν, ὡς καὶ αὐτὸν ὁ Πατὴρ Ἰησοῦ Χριστοῦ (18) ἀναψύξαι, ἅμα Ὀνησίμῳ καὶ Βούῤῥῳ καὶ Εὔπλῳ καὶ Φρόντωνι, δι' ὧν πάντας ὑμᾶς κατὰ ἀγάπην εἶδον. (19) Ὀναίμην ὑμῶν διὰ παντὸς, ἐάνπερ ἄξιος ὦ. Πρέπον οὖν ἐστι, κατὰ πάντα τρόπον δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν δοξάσαντα ὑμᾶς, ἵνα ἐν μιᾷ ὑποταγῇ ἦτε κατηρτισμένοι (20) τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ, καὶ τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἵνα (21) ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι.

De conservo autem meo Burrho, secundum Deum diacono vestro, in omnibus benedicto. oro, ut semper vobis et episcopo sit honori. Sed et Crocus, et B Deo et vobis dignus, quem exemplar vestræ charitatis accepi, per omnia me recreavit, quomodo et ipsum refrigeret Pater Jesu Christi, una cum Onesimo et Burrho et Euplo et Frontone, per quos vos omnes quoad charitatem vidi. Fruar vobis perpetuo, si dignus fuero. Decet itaque vos omnibus modis glorificare Jesum Christum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis perfecti [eadem mente eademque sententia, idemque dicatis de eodem omnes], ut subjecti episcopo et presbyterio per omnia sanctificati sitis.

III. *Sine omni superbia — amore ductus — vos adhortor ad unitatem.*

(22) Οὐ διατάσσομαι ὑμῖν, ὡς ὢν τίς. Εἰ γὰρ καὶ C

Vetus interpres.

ligatum a Syria pro communi nomine et spe, sperantem oratione vestra potiri, in Roma cum bestiis pugnare, ut potiri possim discipulus esse, videre festinastis. Plurimam enim multitudinem vestram in nomine Dei suscepi in Onesimo, qui in charitate inenarrabilis est, vester autem in carne episcopus: quem oro secundum Jesum Christum vos diligere, et omnes vos ipsi in similitudine esse. Benedictus enim qui tribuit vobis dignis exsistentibus talem episcopum possidere.

CAPUT II.

De conservo autem meo Burro, secundum Deum diacono nostro in omnibus benedicto; oro permanere ipsum in honorem vestri et episcopi. Sed et Crocus, Deo dignus et vobis, quem exemplarium ejus quæ a vobis charitatis suscepi, secundum omnia me quiescere fecit, ut et ipsum Pater Jesu Christi refrigeret, cum Onesimo, et Burrho, et Euplo, et Frontone: per quos vos omnes secundum charitatem vidi. Fruar vobis semper; si quidem dignus exsistam. Decens igitur est secundum omnem modum glorificare Jesum Christum, qui glorificavit vos: ut in una subjectione perfecti, subjecti episcopo et presbyterio, secundum omnia sitis sanctificati.

CAPUT III.

Non dispono vobis, ut exsistens aliquis. Si enim et ligor in nomine Christi, nequaquam perfectus sum

(13) Syrus legit τοῦ Θεοῦ, omnia quæ sequuntur (ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν ἀνενεγκόντος Θεῷ προσφορὰν καὶ θυσίαν) omittens.

(14) Ἐπεὶ οὖν est sine apodosi. Ms. πολυπληρίαν.

(15) I. e. *episcopus visibilis*, vicem gerens *episcopi invisibilis, Christi* Cfr. Rothe *Anfange*, etc, p. 476. Syrus verba ἐν σαρκὶ neglexit.

(16) Totum caput secundum deest in versione Syriaca; pius enim ille monachus, qui versionem Syriacam elaboravit, omnia omisisse videtur, quæ ipsi et usui suo *ascetico* minus congrua minusve necessaria putabat. Parœneticos vero epistolarum Ignatianarum locos omnesque ad vitam bene instituendam exhortationes sedulo collegit. Præterea ad hoc caput conferas Rothe, *Anfange der christl. Kirche*, p. 491.

(17) Vox Paulina; I Cor. xvi, 13, etc. Jac.

(18) Ita ms., neque aliter legit vet. int., dum vertit, *refrigeret*. Editi: ἀναψύξει. Pears. Jac. Cfr. II, Tim. i, 26: πολλάκις με ἀνέψυξε, et Act. iii, 19. Jac.

(19) Phrasin hanc apostolicam, e S. Pauli Ep. ad Philem., ut videtur, desumptam, sæpius usurpat Ignatius. Jac.

(20) Hæc inclusa, a vet. int. non agnita, male inserta sunt ex I Cor. i, 10. Pears. Gall.

(21) Ita Gall., Rothe et alii. Ms. ἐπιτασσόμενοι.

(22) E capite tertio Syrus nil nisi unicam sententiam, Ἀλλ' ἐπεὶ ἡ ἀγάπη οὐκ ἐᾷ με σιωπᾶν περὶ ὑμῶν, διὰ τοῦτο προέλθον παρακαλεῖν ὑμᾶς, ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ Θεοῦ in usus suos convertit, eamque cum fine capitis primi male conjunxit. Multo aptius hæc sententia cum verbis proxime eam antecedentibus (*vos præceptores mei estis*) cohæret.

enim vinctus sum propter nomen Christi, nondum tamen perfectus sum in Jesu Christo. Nunc enim incipio discipulus esse, et alloquor vos ut condoctores meos. Nam oportebat me a vobis confirmari fide, admonitione, patientia, æquanimitate. At cum charitas non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut uniamini in sententia Dei. Etenim Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et episcopi, per tractus terræ constituti, in sententia Jesu Christi sunt.

A δέδεμαι (23) ἐν τῷ ὀνόματι, οὔπω ἀπήρτισμαι ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ. Νῦν γὰρ ἀρχὴν ἔχω τοῦ μαθητεύεσθαι, καὶ προσλαλῶ ὑμῖν ὡς (24) συνδιδασκαλίταις μου. Ἐμὲ γὰρ ἔδει ὑφ' ὑμῶν (25) ὑπαλειφθῆναι πίστει, νουθεσίᾳ, ὑπομονῇ, μακροθυμίᾳ. Ἀλλ' ἐπεὶ ἡ ἀγάπη οὐκ ἐᾷ με σιωπᾷν περὶ ὑμῶν, (26) διὰ τοῦτο προέλαβον παρακαλεῖν ὑμᾶς, ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ Θεοῦ. Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς, τὸ (27) ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, (28) τοῦ Πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι, οἱ (29) κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες, (30) ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν.

IV. *Presbyterii unitatem cum episcopo imitemini.*

Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordæ citharæ. Propter hoc in consensu vestro et concordi charitate Jesus Christus canitur. Sed et vos singuli chorus estote, ut consoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate, cantetis voce una per Jesum Christum Patri; quo et vos audiat, et agnoscat ex iis, quæ bene operamini, membra esse vos Filii ipsius. Utile itaque est, in immaculata unitate vos esse, ut et semper participetis Deo.

B (31) Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ, ὅπερ καὶ ποιεῖτε. Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τοῦ Θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, (32) ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Διὰ τοῦτο ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. Καὶ οἱ κατ' ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε, ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ, χρῶμα Θεοῦ λαβόντες ἓν ἐνότητι, ᾄδητε ἐν φωνῇ μιᾷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Πατρὶ, ἵνα ὑμῶν καὶ ἀκούσῃ, καὶ (33) ἐπιγινώσκων, δι' ὧν εὖ πράσσετε, μέλη ὄντας τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ. Χρήσιμον οὖν ἐστιν, ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι εἶναι, ἵνα καὶ Θεοῦ πάντοτε μετέχητε.

V. *Laus et utilitas hujus unitatis.*

Si enim ego brevi temporis spatio talem consuetudinem contraxi cum episcopo vestro, quæ non humana, sed spiritualis; quanto vos beatiores judico, conjunctos ei sicuti Ecclesia Jesu Christo, et Jesus Christus Patri; ut omnia unitatem con-

(34) Εἰ γὰρ ἐγὼ ἐν μικρῷ χρόνῳ τοιαύτην συνήθειαν ἔσχον πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν, οὐκ (35) ἀνθρωπίνην οὖσαν, ἀλλὰ πνευματικὴν, ποσῷ μᾶλλον ὑμᾶς μακαρίζω, τοὺς ἐγκεκραμένους (36) οὕτως C (37) ὡς ἡ Ἐκκλησία Ἰησοῦ Χριστῷ, καὶ ὡς ὁ Ἰη-

Vetus interpres.

in Jesu Christo. Nunc autem principium habeo addiscendi; et alloquor vos, ut doctores mei. Me enim oportuit a vobis suscipi fide, admonitione, sustinentia, longanimitate. Sed quia charitas non sinit me silere pro vobis; propter hoc præoccupavi rogare vos, ut concurratis sententiæ Dei. Etenim Jesus Christus, incomparabile nostrum vivere, Patris sententia; ut et ipsi secundum terræ fines determinati Jesu Christi sententia sunt.

CAPUT IV.

Unde decet vos concurrere episcopi sententiæ: quod et facitis. Digne enim nominabile vestrum presbyterium, Deo dignum, sic concordatum est episcopo, ut chordæ citharæ. Propter hoc in consensu vestro et consona charitate Jesus Christus canitur. Sed et singuli chorus facti estis; ut consoni exsistentes in consensu, melos Dei accipientes in unitate, cantetis in voce una per Jesum Christum Patri; ut et vos audiat, et cognoscat per quem bonum operamini, membra exsistentes Filii ipsius. Utile igitur est, vos in immaculata unitate esse; ut et Deo semper participetis.

CAPUT V.

Si enim ego in parvo tempore talem consuetudinem tenui ad episcopum vestrum, non humanam exsistentem sed spiritualem; quanto magis vos beatifico, conjunctos sic ut Ecclesia Jesu Christo, et ut

(23) *Nomen* absolute pro *nomine Christi* habes ut infra c. 7. et ad Philad., c. 10. JACOBSON.

(24) I. e. « præter Christum vos præceptores mei estis, » ut ex sq. patet.

(25) I. e. « ungi, excitari, instrui, ad certamen præparari. » PEARSON.

(26) Respexisse videtur B. Pater S. Paulum ad Philem., 8, 9. JAC.

(27) Cfr. infra ad Trall., e. 1, et Joan. xv, 5; Coloss. III, 4. Sensus; « Plane in eo vivimus, et ipse in nobis. »

(28) Cfr. Joann. XIV, 9; Matth. XI, 27.

(29) — ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. Cfr. Ign. ad Rom. e. v[7]. Rothe, *Anf.*, p. 472, not. 160.

30) Qui in sententia episcopi est (= unitus ei), D etiam unitus est Christo; et qui unitus est Christo, etiam unitus est Patri. Cfr. Rothe, *Anf.*, pag. 471-478.

(31) Totum caput quartum deest in versione Syriaca.

(32) Eadem similitudine utitur noster etiam in Ep. ad Philad., e. I. USSER.

(33) Vet. interpres legebat: καὶ ἐπιγινώσκῃ, δι' ὃν εὖ πράσσετε, κ. τ. λ. *et cognoscat, per quem bonum operamini*, etc.

(34) Syrus caput quintum omisit.

(35) I. e. κατὰ σάρκα, qualem homines sæculo addicti exercent.

(36) Se. αὐτῷ Rothe, *Anf.*, p. 450.

(37) Vide Rothe, *Anf.*, p. 467.

σοῦς Χριστὸς τῷ Πατρὶ, ἵνα πάντα ἐν ἑνότητι σύμφωνα ᾖ; Μηδεὶς πλανάσθω· ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ. Εἰ γὰρ ἑνὸς καὶ δευτέρου προσευχὴ, τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, πόσῳ μᾶλλον ἡ τε τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης τῆς Ἐκκλησίας; Ὁ οὖν μὴ ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ αὐτὸ, οὗτος ἤδη ὑπερηφανεῖ, καὶ ἑαυτὸν διέκρινεν. Γέγραπται γάρ· Ὑπερηφάνοις ὁ Θεὸς ἀντιτάσσεται [1]. Σπουδάσωμεν οὖν, μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ὦμεν (38) Θεῷ ὑποτασσόμενοι.

A sentiant? Nemo erret : nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet ; quanto magis illa, quæ episcopi est et totius Ecclesiæ? Qui igitur in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, et seipsum separavit atque judicavit. Scriptum est enim : *Superbis Deus resistit.* Studeamus igitur episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo.

VI. *Respiciatis episcopum ut Christum ipsum. Onesimus hac in re vos laudat.*

(39) Καὶ (40) ὅσον βλέπει τις (41) σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλειόνως αὐτὸν φοβείσθω· (42) πάντα γὰρ, ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμψαντα. Τὸν οὖν ἐπίσκοπον δῆλον ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν Κύριον δεῖ (43) προσβλέπειν. Αὐτὸς μὲν οὖν Ὀνήσιμος ὑπερεπαινεῖ ὑμῶν τὴν ἐν Θεῷ εὐταξίαν, ὅτι πάντες κατὰ ἀλήθειαν ζῆτε, καὶ ὅτι ἐν ὑμῖν οὐδεμία αἵρεσις κατοικεῖ· ἀλλ' οὐδὲ ἀκούετέ τινος πλέον, (44) ἢπερ Ἰησοῦ Χριστοῦ λαλοῦντος ἐν ἀληθείᾳ.

Et quandiu quis episcopum tacentem videt, tanto magis eum revereatur ; quemcunque enim paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum. Et ipse quidem Onesimus supra modum laudat vestrum decentem divinumque ordinem, quod omnes secundum veritatem vivatis, et quod inter vos nullus sit hæresi locus ; sed neque auditis aliquem amplius, quam Jesum Christum, qui loquitur in veritate.

VII. *Cavete ab hæreticis ; Christus* — θεάνθρωπος — *unus medicus est.*

(45) Εἰώθασι γάρ τινες δόλῳ πονηρῷ (46) τὸ ὄνομα περιφέρειν, ἄλλα τινὰ πράσσοντες ἀνάξια Θεοῦ· οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς (47) θηρία ἐκκλίνειν. Εἰσὶν γὰρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδῆκται· οὓς δεῖ ὑμᾶς φυλάσσεσθαι, ὄντας (48) δυσθεραπεύτους. Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικὸς, (49) γενητὸς καὶ ἀγέ-

Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre, alia quædam patrantes, indigna Deo ; quos oportet vos ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes, quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes. Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, factus et

Vetus interpres.

Jesus Christus Patri, ut omnia in unitate consona sint? Nullus erret. Si quis non sit intra altare, privatur pane Dei. Si enim unius et alterius oratio tantam vim habet ; quanto magis illa quæ episcopi et omnis Ecclesiæ? Qui igitur non venit in idem, hic jam superbit, et seipsum condemnavit. Scriptum est enim: *Superbis Deus resistit.* Festinemus igitur non resistere episcopo, ut simus Deo subjecti.

CAPUT VI.

Et quantum videt quis tacentem episcopum, plus ipsum timeat ; omnem enim quem mittit dominus domus in propriam dispensationem, sic oportet nos ipsum recipere, ut ipsum mittentem. Episcopum igitur manifestum, quoniam ut ipsum Dominum oportet respicere. Ipse igitur quidem Onesimus superlaudat vestram divinam ordinationem ; quoniam omnes secundum veritatem vivitis, et quoniam in vobis neque una hæresis habitat ; sed neque auditis aliquem amplius quam Jesum Christum, loquentem in veritate.

CAPUT VII.

Consueverunt enim quidam dolo malo nomen circumferre, sed quædam operantes indigna Deo : quos oportet vos ut bestias declinare. Sunt enim canes rabidi ; latenter mortentes ; quos oportet vos observare, exsistentes difficile curabiles. Unus medicus est, carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne factus Deus, in immortali vita vera, et ex Maria et ex Deo, primo passibilis et tunc impassibilis, Dominus Christus noster.

[1] Prov. III. 34 ; Jac. IV, 6 ; I Petr. V, 5.

[38] Ms. Θεοῦ.

(39) Caput sextum in versione Syriaca non exstat.

(40) Ita ms. Editi ὅτῳ. Jac.

(41) I. e. non punientem auctoritatis suæ contemptores. Cfr. infra c. 15 et ad Philad., c. 1. Rothe.

(42) Verba Domini apud Matthæum (XXIV, 45) Ignatius noster ad solos episcopos refert Rothe, p. 475.

(43) Ms. προβλέπειν.

(44) Ms. εἰπερ — *sin aliter* ; librarius enim noster η et ει permutare gaudet. Jac.

(45) Totum hoc caput a Syro omissum est.

(46) Cfr. supra, c. 3, not. 23.

(47) Cfr. ad Smyrn., c. 4.

(48) Sensus : *In summo periculo atque æternæ salutis suæ discrimine sunt. Sed quis eos sanet? Non homines, sed Christus ; ipsi sunt relinquendi.* Cfr. Rothe, *Anf.*, p 767.

(49) Codex Florentinus habet et vet. interpres legit γεννητὸς καὶ ἀγέννητος. *genitus et ingenitus*, male Plures vero codices Athanasii (*De synodis*) in citatione loci hujus habent γεννητὸς et ἀγέννητος, *factus et non factus.* Jac. Sæpissime etiam ἀγέννητος positum reperitur pro ἀγένητος. Suicer. *Thes.* s. v. Ἀγέννητος.

non factus, in homine exsistens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Jesu Christum, Dominus noster.

A νητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, ἐν (50) θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε (51) ἀπαθὴς, (52) Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ Κύριος ἡμῶν.

VIII. *Ne seducamini. Vos estis magni et spirituales. ego minimus.*

Ne quis igitur vos seducat, sicut nec seducimini; toti namque estis Dei. Cum enim nulla lite implicemini, quæ vos discruciare possit, profecto secundum Deum vivitis. Purgamentum vestri sum, et lustrandus a vestra Ephesiorum Ecclesia, celeberrima in sæculis. Carnales spiritualia exercere nequeunt, neque spirituales carnalia; sicut nec fides, quæ incredulitatis sunt, nec incredulitas, quæ fidei. Quæ vero et secundum carnem agitis, ea spiritualia sunt; in Jesu Christo enim omnia agitis.

(53) Μὴ οὖν τις ὑμᾶς ἐξαπατάτω, ὥσπερ οὐδὲ ἐξαπατᾶσθε, ὅλοι ὄντες Θεοῦ. Ὅταν γὰρ μηδεμία ἔρις ἐνείρισται ἐν ὑμῖν, ἡ δυναμένη ὑμᾶς βασανίσαι, ἄρα κατὰ Θεὸν ζῆτε. (54) Περίψημα ὑμῶν, καὶ (55) ἀγνίζωμαι (56) [ὑφ'] ὑμῶν Ἐφεσίων Ἐκκλησίας, τῆς διαβοήτου τοῖς αἰῶσιν. Οἱ σαρκικοὶ τὰ πνευματικὰ πράσσειν οὐ δύνανται, οὐδὲ οἱ πνευματικοὶ τὰ σαρκικά· ὥσπερ οὐδὲ ἡ πίστις τὰ τῆς ἀπιστίας, οὐδὲ ἡ ἀπιστία τῆς πίστεως. Ἃ δὲ καὶ κατὰ σάρκα πράσσετε, ταῦτα πνευματικά ἐστιν· ἐν B Ἰησοῦ γὰρ Χριστῷ πάντα πράσσετε.

IX. *Falsio doctoribus non præbuistis aures, vos, templa Dei.*

Novi autem, nonnullos illinc transiisse, qui habent perversam doctrinam; quos non permisistis seminare inter vos, et obturastis aures, ne reciperetis, quæ ab ipsis sunt disseminata, ut qui lapides sitis templi Patris, præparati in Dei Patris ædificium, sublati in alta per machinam Jesu Christi, quæ est crux, Spiritu sancto pro fune utentes; fides autem vestra vos sursum trahit, charitas vero via deducens ad Deum. Estis igitur et viæ comites omnes, deiferi et templiferi, Christiferi, sanctiferi, per omnia ornati præceptis Jesu Christi; propter quos exsulto, quod dignus habitus sim, per ea, quæ C

(57) Ἔγνων δὲ παροδεύσαντάς τινας (58) ἐκεῖθεν, ἔχοντας κακὴν διδαχήν· οὓς οὐκ εἰάσατε σπεῖραι εἰς ὑμᾶς, βύσαντες τὰ ὦτα, εἰς τὸ μὴ παραδέξασθαι τὰ σπειρόμενα ὑπ' αὐτῶν, ὡς ὄντες λίθοι ναοῦ Πατρός, ἡτοιμασμένοι εἰς οἰκοδομὴν Θεοῦ Πατρὸς, ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ τῆς μηχανῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ, (59) ὅς ἐστιν σταυρὸς, σχοινίῳ χρώμενοι τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ· ἡ δὲ πίστις ὑμῶν ἀναγωγεὺς ὑμῶν, ἡ δὲ ἀγάπη ὁδὸς ἡ ἀναφέρουσα εἰς Θεόν. (60) Ἐστὲ οὖν καὶ σύνοδοι πάντες, θεοφόροι καὶ (61) ναοφόροι, Χριστοφόροι, (62) ἁγιοφόροι, κατὰ πάντα κεκοσμημένοι ἐντολαῖς Ἰησοῦ Χριστοῦ· οἷς καὶ ἀγαλλιῶμαι

Vetus interpres.

CAPUT VIII.

Non igitur quis vos seducat: quemadmodum neque seducemini, toti exsistentes Dei. Cum enim neque una lis complexa est in vobis, potens vos torquere; tunc secundum Deum vivitis. Peripsima vestri et castificer a vestra Ephesiorum Ecclesia, famosa in sæculis. Carnales spiritualia operari non possunt, neque spirituales carnalia; quemadmodum neque fides quæ infidelitatis, neque infidelitas quæ fidelitatis et fidei. Quæ autem et secundum carnem operata sunt, hæc spiritualia sunt; in Jesu enim Christo omnia operata sunt.

CAPUT IX.

Cognovi autem transeuntes quosdam inde, habentes malam doctrinam; quos non dimisistis seminare in vos, obstruentes aures, ad non recipere seminata ab ipsis; ut exsistentes lapides templi Patris, parati in ædificatione Dei Patris, relati in excelsa per machinam Jesu Christi, quæ est crux, fune utentes Spiritu sancto. Fides autem vestra dux vester, charitas vero via referens in Deum Estis igitur et conviatores, deiferi, et templiferi, et Christiferi, sanctiferi, secundum omnia oroati in mandatis Jesu Christi,

(50) Ms. ἀθανάτῳ.

(51) I. e. post resurrectionem.

(52) Hæc restituenda ex Theodoreto, Gelasio et vet. interprete. Voss.

(53) Initium hujus capitis: (Μὴ οὖν... ὅλοι ὄντες Θεοῦ) Syrus omisit, et ea, quæ sequuntur, immediate cum unica illa sententia, quam e capite tertio mutuatus est, conjunxit; non inepte. Melius vero ea, quæ sequitur, exhortatio ad unitatem cum capitibus 4-8 cohæret.

(54) Cfr. infra c. 18 et I Cor. IV, 13 Syrus vocabulum περίψημα male intelligens vertit, *gavisus sum vobis, et preces pro vobis fundo.*

(55) Ms. ἀγνίζομα..

(56) Adde ὑφ'. quod incuria librarii deletum puto. Vetus enim interpres habet, *a vestra*, etc. Sensus est: *Vos estis magni et spirituales; ego minimus et a vobis repurgandus.*

D (57) Ex hoc capite Syrus nil nisi verba ἡτοιμασμένοι... ἀναφέρουσα εἰς Θεὸν in suam versionem transtulit, eaque cum fine capitis octavi conjunxit. Aretius vero ἡτοιμασμένοι, κ. τ. λ. cum verbis proxime antecedentibus ὡς ὄντες λίθοι cohærent.

(58) I. e. a Smyrna, ubi vigebat Docetarum hæresis. Jac.

(59) Ita ms. De relativo sic posito, ut genus ejus et numerus cum sequentibus congruat, cfr. Winer, *Gramm.*, pag. 143. Ed. III. Jac. Ibid., pag. 156 Ed. IV.

(60) Ἐστὲ οὖν, κ. τ. λ. usque ad finem hujus capitis apud Syrum desunt, qui hanc sententiam ideo omisisse videtur, quippe quæ ipsi minus fuerit perspicua.

(61) De spirituali templo. Voss.

(62) Ms. ἁγνοφόροι.

ὅτι ἠξιώθην, δι' ὧν γράφω, προσομιλῆσαι ὑμῖν καὶ συγχαρῆναι, ὅτι κατ' (63) ἄλλον βίον οὐδὲν ἀγαπᾶτε, εἰ μὴ μόνον τὸν Θεόν.

A Scribo colloqui vobiscum, et simul gaudere ; quia, ratione alterius vitæ habita, nihil diligitis præter solum Deum.

X. *Orate pro aliis, sitis mites, humiles*, etc.

Καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων δὲ ἀνθρώπων ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. Ἔστιν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐλπὶς μετανοίας, ἵνα Θεοῦ τύχωσιν. Ἐπιτρέψατε οὖν αὐτοῖς κἂν ἐκ τῶν ἔργων ὑμῖν μαθητευθῆναι. (64) Πρὸς τὰς ὀργὰς αὐτῶν ὑμεῖς πραεῖς, πρὸς τὰς μεγαλορρημοσύνας αὐτῶν ὑμεῖς ταπεινόφρονες, πρὸς τὰς βλασφημίας αὐτῶν ὑμεῖς τὰς προσευχὰς (65), πρὸς τὴν πλάνην αὐτῶν ὑμεῖς (66) ἑδραῖοι τῇ πίστει, πρὸς τὸ ἄγριον αὐτῶν ὑμεῖς ἥμεροι. Μὴ σπουδάζοντες ἀντιμιμήσασθαι αὐτούς, ἀδελφοὶ αὐτῶν εὑρεθῶμεν τῇ ἐπιεικείᾳ· μιμηταὶ δὲ τοῦ Κυρίου σπουδάζωμεν εἶναι. (τίς πλέον (67) ἀδικηθεὶς, τίς ἀποστερηθεὶς, τίς ἀθετηθεὶς ;) (68) ἵνα μὴ τοῦ διαβόλου (69) βοτάνη τις εὑρεθῇ ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ καὶ σωφροσύνῃ μένητε, ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς.

Sed et pro aliis hominibus indesinenter orate. Est enim in ipsis spes pœnitentiæ, ut Deum nanciscantur. Permittite itaque ipsos, saltem ex operibus, a vobis erudiri. Sitis vos adversus iras eorum mites, adversus magniloquentias eorum humiles ; eorum maledictis opponite vos preces, adversus errorem eorum vos firmi permanete in fide, adversus efferos mores illorum vos mansueti sitis. Non ipsos contra imitari conati, fratres eorum inveniamur per benignitatem; imitatores autem Domini studeamus esse, (quis majorem injuriam passus est unquam, quis magis destitutus, quis magis contemptus ?) ne herba aliqua B diaboli in vobis inveniatur ; sed in omni puritate et temperantia maneatis, in Jesu Christo, carnaliter et spiritualiter.

XI. *Novissima jam sunt tempora ; timeamus Cominum ; orate pro me.*

(70) Ἔσχατοι καιροί (71) λοιπόν. Αἰσχυνθῶμεν, φοβηθῶμεν τὴν μακροθυμίαν τοῦ Θεοῦ, ἵνα μὴ ἡμῖν εἰς κρῖμα γένηται. Ἢ γὰρ τὴν μέλλουσαν ὀργὴν φοβηθῶμεν, ἢ τὴν ἐνεστῶσαν χάριν ἀγαπήσωμεν· (72) ἕν τῶν δύο. Μόνον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εὑρεθῆναι, εἰς τὸ ἀληθινὸν ζῆν. Χωρὶς τούτου μηδὲν ὑμῖν πρεπέτω, ἐν ᾧ τὰ δεσμὰ περιφέρω, τοὺς πνευματικοὺς (73) μαργαρίτας, ἐν οἷς γένοιτό μοι ἀναστῆναι τῇ προσευχῇ ὑμῶν, ἧς γένοιτό μοι ἀεὶ μέτοχον εἶναι, ἵνα ἐν κλήρῳ Ἐφεσίων εὑρεθῶ τῶν Χριστιανῶν, οἳ καὶ τοῖς ἀποστόλοις πάντοτε συνῆνεσαν ἐν δυνάμει Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Novissima jam sunt tempora. Revereamur et timeamus Dei longanimitatem, ne in judicium nobis cedat. Aut enim futuram timeamus iram, aut præsentem gratiam diligamus ; unum ex duobus. Modo in Christo Jesu inveniamur, ad veram vitam vivendam. Sine ipso nihil vos deceat, in quo vincula circumfero spirituales margaritas, in quibus resurgere mihi contingat oratione vestra, cujus me opto semper fieri participem, ut inveniar in sorte Ephesiorum Christianorum, qui et apostolis semper C consenserunt in virtute Jesu Christi.

Vetus interpres.

quibus et exsultans dignificatus sum. per quæ scribo, alloqui vobis, et congaudere ; quoniam secundum aliam vitam nihil diligitis nisi solum Deum.

CAPUT X.

Sed et pro aliis hominibus indesinenter Deum oratis. Est enim in ipsis spes pœnitentiæ, ut Deo potiantur. Monete igitur ipsos saltem ex operibus a vobis erudiri. Ad iras ipsorum vos mansueti, ad magniloquia eorum vos humilia sapientes, ad blasphemias ipsorum vos orationes, ad errorem ipsorum vos firmi fide, ad agreste ipsorum vos mansueti. Non festinantes imitari ipsos, fratres ipsorum inveniamur in mansuetudine : imitatores autem Dei studeamus esse ; (quis plus injustum patiatur, quis fraudetur, quis contemnatur ?) ut non diboli herba quis inveniatur in vobis, sed in omni castitate et temperantia maneatis, in Jesu Christo, carnaliter et spiritualiter.

CAPUT XI.

Extrema tempora : de cætero verecundemur et timeamus longanimitatem Dei ; ut non nobis in judicium fiat. Vel enim futuram iram timeamus, vel præsentem gratiam diligamus ; unum duorum solum in Christo Jesu invenitur, in verum vivere. Sine ipso nihil vos deceat ; in quo vincula circumfero, spiri-

(63) I. e. secundum hanc vitam Christianam, D quæ *alia* est a naturali. Smith.

(64) Lineas sequentes Syrus magis ad sensum, quam ad litteram interpretatus est.

(65) Deest quidpiam ad absolvendam syntaxin. Interpolator habet ἀντιτάξατε, quod non inconcinnum videtur Smith.

(66) Cfr. Coloss. I, 23.

(67) Ita minima mutatione legendum puto ; nam mss. habet: ἀδικηθεῖ, ἀποστερηθεῖ, ἀθετηθεῖ. Marklandus conjicit, ἠδικήθη, ἀπεστερήθη, ἠθετήθη. Hæc verba parenthesi includenda esse, jam Marklandus vidit.

(68) Ἵνα μὴ τοῦ διαβόλου κ. τ. λ. usque ad ὀφθή-σονται (cap. 14 circa fin.) desunt apud Syrum.

(69) Hæc metaphora sæpius occurrit apud S. Ignatium.

(70) Capita 11-13 incl. in versione Syriaca non leguntur.

(71) Smithius et Jacobsonus ante λοιπόν punctum colon ponunt.

(72) In *Parallelis Damascenicis Rupefucaldinis* exstat fragmentum, quod hunc locum si exhibet : Ἀγαπήσωμεν ἐν τῷ νῦν βίῳ, μόνον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εὑρεθῶμεν. Gall. Ad infinitivum εὑρεθῆναι subaudiitur δεῖ, ut sæpe.

(73) Cfr. Polyc. ad Phil., c. 1.

XVIII *Gloria crucis. Christi nativitas et baptismus.*

Purgamentum meus spiritus est crucis, quæ in- A credulis scandalum, nobis vero salus est et vita æterna. Ubi sapiens? Ubi disputator? Ubi gloriatio eorum, qui dicuntur prudentes? Deus enim noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine quidem Davidis Spiritu autem sancto; qui natus est et baptizatus est, ut passione aquam purificaret.

(96) Περίψημα τὸ ἐμὸν πνεῦμα τοῦ σταυροῦ, ὅ ἐστιν (97) σκάνδαλον τοῖς ἀπιστοῦσιν, (98) ὑμῖν δὲ σωτηρία καὶ ζωὴ αἰώνιος· (99) Ποῦ σοφός; Ποῦ συζητητής; Ποῦ καύχησις τῶν λεγομένων συνετῶν; Ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας (1) κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ, Πνεύματος δὲ ἁγίου· ὃς ἐγεννήθη καὶ ἐβαπτίσθη, ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ.

XIX. *Tria mysteria clamoris.*

Et principem hujus mundi latuit Mariæ virginitas et partus ipsius, similiter et mors Domini; tria mysteria clamoris, quæ in silentio Dei patrata sunt. Quomodo igitur manifestatus est sæculis? Stella in cœlo fulsit, splendore exsuperans omnes stellas, et lux illius ineffabilis erat, et stuporem incussit ipsius novitas. Omnia autem reliqua astra, una cum sole et luna, chorus fuere stellæ; ipsa vero B lumen suum extendebat super omnia. Et perturbatio erat, unde prodiret novitas illis dissimilis. Quare soluta est omnis magia, et omne vinculum malitiæ est abolitum: ignorantia destructa est, vetus regnum est labefactatum, Deo humanitus manifestato in novitatem vitæ æternæ. Initium vero nunc sumpsit, quod ab initio apud Deum paratum erat. Inde omnia commovebantur, quia ille mortis abolitionem meditabatur.

(2) Καὶ ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας καὶ ὁ τοκετὸς αὐτῆς, ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ Κυρίου· τρία μυστήρια (3) κραυγῆς, ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ ἐπράχθη. (4) Πῶς οὖν ἐφανερώθη τοῖς αἰῶσιν; Ἀστὴρ ἐν οὐρανῷ ἔλαμψεν (5) ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀστέρας, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ ἀνεκλάλητον ἦν, καὶ ξενισμὸν παρεῖχεν ἡ καινότης αὐτοῦ. Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἄστρα, ἅμα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ, χορὸς ἐγένετο τῷ ἀστέρι (6) αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβάλλων τὸ φῶς αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα. Ταραχή τε ἦν, πόθεν ἡ καινότης ἡ ἀνόμοιος αὐτοῖς. Ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία, καὶ (7) πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας· ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο. (8) Θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. Ἀρχὴν δὲ ἐλάμβανεν (6) τὸ παρὰ θεῷ ἀπηρτισμένον (10). Ἔνθεν τὰ πάντα (11) συνεκινεῖτο, διὰ τὸ μελετᾶσθαι θανάτου κατάλυσιν.

Vetus interpres.

CAPUT XVIII.

Peripsema meus spiritus crucis; quæ est scandalum non credentibus, nobis autem salus et vita æterna. *Ubi sapiens? ubi conquisitor?* ubi gloriatio dictorum sapientium? Deus enim noster Jesus Christus conceptus est ex Maria, secundum dispensationem Dei, ex semine quidem David, Spiritu autem sancto: qui natus est, et baptizatus est, ut passione aquam purificaret.

CAPUT XIX.

Et latuit principem sæculi hujus virginitas Mariæ, et partus ipsius; similiter et mors Domini: tria mysteria clamoris, quæ in silentio Dei operata sunt. Qualiter igitur manifestatus est sæculis? Astrum in cœlo resplenduit super omnia astra, et lumen ipsius ineffabile erat, et stuporem tribuit novitas ipsius. Reliqua vero omnia astra simul cum sole et luna, chorus facta sunt illi astro: ipsum autem erat superferens lumen ipsius super omnia. Turbatio autem erat unde novitas, quæ dissimilis ipsis; ex qua solvebatur omais magia, et omne vinculum disparuit malitiæ, ignorantia omnis ablata est, vetus regnum corruptum est; Deo humanitus apparente in novitatem vitæ æternæ. Principium autem assumpsit, quod apud Deum perfectum. Inde omnia commota erant, propter meditari mortis dissolutionem.

(96) Syrus, qui initium hujus capitis agnoscit, περίψημα — τοῦ σταυροῦ ita reddit: *spiritus meus flexis genibus crucem veneratur.* Plane alio modo C Syrus eamdem vocem περίψημα cap. 8 interpretatus est.

(97) Cfr. I Cor. I, 18.

(98) Syrus legit ὑμῖν.

(99) Ποῦ σοφὸς κ. τ. λ. Hæc et sequentia usque ad finem capitis desunt aphd Syrum. Cfr. I Cor. I, 20.

(1) Phrasis Paulina Coloss. I, 25; I Tim. I, 4.

(2) Initium hujus capitis a Syro translatum est. Cfr. Orig. hom. VI in Luc., t. III, p. 938, ed. Ruæ., et Hieron. in Matth. I, 18.

(3) I. e. *toti mundo annuntiata* (e. g. ab angelis in nocte sanctissima), seu *toti mundo annuntianda*, seu *propter quæ vociferantur Satanæ et mundus.* Eleganter hic latere in adjecto antithesin, Maestræus adnotat. Jac. Videatur Magnus Crusius. *De mysterio silentii et clamoris* ad locum Ignatii eum oraculis Apostoli (Rom. XVI, 25; Coloss. I, 25) collatum. Gottingæ, 1738, 4.

(3) Hæc et sequentia quæ S. Ignatius de stella magorum profert, a Syro abbreviata, et ita cum antecedentibus Θεοῦ ἐπράχθη conjuncta sunt, ut nil habeat nisi hoc, *per stellam.* Clare hic apparet, eum Græca abbreviasse.

(5) Similia leguntur in *Protoevangelio* Jacobi, § 21. Jac.

(6) Αὐτὸς... ἀνόμοιος αὐτοῖς deest apud Syrum.

(7) Lyrus legisse videtur: Πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο, (καὶ) παλαιὰ βασιλεία (καὶ) ἄγνοια κακίας διεφθείρετο.

(8) Syrus legisse videtur: τοῦ Υἱοῦ φανεροαμένου.

(9) I. e. *adventus Christi in terris.*

(10) Παρὰ θεῷ ἀπηρτισμένον. Hic desinit versio Syriaca, a qua, ut clare apparet, quælibet formula, quibus alias epistolæ concludi solent, abest Nec mirum. Monachus enim ille non integras Ignatii epistolas in linguam Syriacam transvertere, sed ea tantum exscribere voluit, quæ ipsi præcipue notatu digna videbantur.

(11) I. e. *in regno Satanæ.* Smith.

XX. *Iterum vobis scribam.*

(12) Ἐάν με καταξιώσῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν, καὶ θέλημα ᾖ, ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλιδίῳ, ὃ μέλλω γράφειν ὑμῖν, προσδηλώσω ὑμῖν, ἧς ἠρξάμην οἰκονομίας εἰς (13) τὸν καινὸν ἄνθρωπον Ἰησοῦν Χριστόν, ἐν τῇ αὐτοῦ πίστει καὶ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀγάπῃ, ἐν πάθει αὐτοῦ καὶ ἀναστάσει· (14) μάλιστα ἐὰν ὁ Κύριός μοι ἀποκαλύψῃ, ὅτι οἱ κατ' ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν Χάριτι (15) ἐξ ὀνόματος συνέρχεσθε ἐν μιᾷ πίστει καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβίδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου καὶ Υἱῷ Θεοῦ, εἰς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ἀπερισπάστῳ διανοίᾳ, ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅς ἐστιν φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ χριστῷ διὰ παντός. A B

Si me dignatus fuerit Jesus Christus propter orationem vestram et voluntas sit, in secundo libello, quem scripturus sum vobis, declarabo vobis quam incœperam formationem in novum hominem Jesum Christum, per fidem in eum et per ipsius dilectionem, per passionem et resurrectionem ipsius; maxime, si Dominus mihi revelaverit, quod vos ad unum omnes nominatim per gratiam convenitis in una fide et in uno Jesu Christo (qui, secundum carnem ex genere David, filius est hominis et Filius Dei), ut obediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum, ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo.

XXI. *Orate pro me et valete.*

(16) Ἀντίψυχον ὑμῶν ἐγὼ, καὶ (17) ὃν ἐπέμψατε εἰς Θεοῦ τιμὴν εἰς Σμύρναν, ὅθεν καὶ γράφω ὑμῖν, εὐχαριστῶν τῷ Κυρίῳ, ἀγαπῶν Πολύκαρπον ὡς ὑμᾶς. Μνημονεύετέ μου, ὡς καὶ ὑμῶν Ἰησοῦς Χριστός. Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῆς Ἐκκλησίας, τῆς ἐν Συρίᾳ, ὅθεν δεδεμένος εἰς Ῥώμην ἀπάγομαι, ἔσχατος ὢν τῶν ἐκεῖ πιστῶν, (18) ὥσπερ ἠξιώθην εἰς τιμὴν Θεοῦ εὑρεθῆναι. Ἔρρωσθε ἐν Θεῷ Πατρὶ καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῇ κοινῇ ἐλπίδι ἡμῶν. C

Vicissim recreationem habeatis in me et in eo, quem ad honorem Dei misistis Smyrnam, unde et scribo vobis, gratias agens Domino, diligens Polycarpum, ut et vos. Memineritis mei, sicut et vestri Jesus Christus. Orate pro Ecclesia, quæ est in Syria, unde vinctus Romam abducor, novissimus fidelium eorum, qui ibi sunt, cum dignus sim habitus inveniri ad honorem Dei. Valete in Deo Patre et in Jesu Christo, communi spe nostra.

Vetus interpres.

CAPUT XX.

Si me dignificet Jesus Christus in oratione vestra, et voluntas sit; in secundo libello que scripturus sum vobis, manifestabo vobis quam inceperam dispensationem in novum hominem Jesum Christum, in ipsius fide et in ipsius dilectione, in passione ipsius et resurrectione, maxime si Dominus revelet mihi; quoniam qui secundum virum communiter omnes in gratia ex nomine convenitis in una fide, et in Jesu Christo (secundum carnem ex genere David, filio hominis et Filio Dei) inobedire vos episcopo et presbyterio indiscerpta mente; unum panem frangentes, quod est pharmacum immortalitatis, antidotum ejus quod est non mori, sed vivere in Jesu Christo semper.

CAPUT XXI.

Unanimis vobiscum ego, et quem misistis in Dei honorem in Smyrnam; unde et scribo vobis gratias agens Domino, diligens Polycarpum ut et vos. Mementote mei, ut vestri Jesus Christus. Orate pro Ecclesia quæ in Syria; unde ligatus in Romam abducor, extremus exsistens eorum qui ibidem fidelium; quemadmodum dignificatus sum in honorem Dei inveniri. Valete in Deo Patre, et in Jesu Christo communi spe nostra.

ΜΑΓΝΗΣΙΕΥΣΙΝ (19).

Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ εὐλογημένῃ ἐν χάριτι Θεοῦ Πατρὸς, ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ Σωτῆρι ἡμῶν, ἐν ᾧ ἀσπάζομαι τὴν Ἐκκλησίαν

AD MAGNESIOS

Ignatius, qui et Theophorus, benedictæ in gratia Dei Patris in Jesu Christo Salvatore nostro, in quo saluto Ecclesiam, quæ Magnesiæ est ad Mæan-

(12) Capp. 20 et 21 apud Syrum non exstant.

(13) Scribam vobis, quomodo Christus spiritualiter formetur in nobis. Alia monet Smithius, putans, Ignatium in promissa secunda epistola de Incarnatione Christi (— de novo homine) disputare voluisse.

(14) Scribam vobis, præsertim si, Deo favente, nuntius mihi contigerit, vos perseverare in unitate cum episcopo. Alii (e. g. Wocherus in versione epistolarum S. Ignatii germanica) post ἀποκαλύψῃ punctum ponunt, et apodosin ad ὅτι, etc., initio capitis sequentis quærunt — « quia vos uniti estis, et ea re me recreatis, — ideo et ego vos recreem. »

(15) I. e. *omnes singuli*, ut ad Polyc., c. 4, et ad Smyrn. c. 13.

(16) Cfr. ad Smyrn. c. 10; ad Polyc. c. 2 et 6. *Ego vicissim, recreem, reficiam vos.* Cfr. Wocherum, l. c.

(17) F. ὧν vel οὕς. Cor.

(18) Conjunge hæc cum δεδεμένος.

(19) Hujus epistolæ versio Syriaca non exstat; citationes autem nonnullas ex operibus scriptorum

drum, optoque in Deo Patre et in Jesu Christo plurimam salutem.

A τὴν οὖσαν ἐν Μάγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ, καὶ εὔχομαι ἐν Θεῷ Πατρὶ καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ πλεῖστα χαίρειν.

I. *Causa epistolæ et pia vota.*

Cum charitatem vestram religiosam perbene ordinatam cognovissem, exsultans vos in fide Jesu Christi alloqui decrevi. Ornatus enim honorificentissimo nomine Dei, in vinculis, quæ circumfero, laudo Ecclesias,quibus unionem opto cum carne et spiritu Jesu Christi.qui sempiterna est vita nostra, et unionem in fide et charitate,cui nihil præferendum ; maxime vero unionem cum Jesu et Patre, in quo, omnem principis hujus sæculi vim sustinentes et evadentes, Deo potiemur.

Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἀπὸ Σμύρνης,ἅμα ταῖς συμπαρούσαις (18) μοι Ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ, (19) οἵ κατὰ πάντα με ἀνέπαυσαν σαρκί τε καὶ πνεύματι. Παρακαλεῖ ὑμᾶς τὰ δεσμά μου (20) ἃ ἕνεκεν Ἰησοῦ Χριστοῦ B περιφέρω, αἰτούμενος Θεοῦ ἐπιτυχεῖν· διαμένετε ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ τῇ μετ' ἀλλήλων προσευχῇ. Πρέπει γὰρ ὑμῖν τοῖς καθ' ἕνα, (21) ἐξαιρέτως καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀναψύχειν τὸν ἐπισκοπον εἰς τιμὴν Πατρὸς, Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἀποστόλων. Εὔχομαι ὑμᾶς ἐν ἀγάπῃ ἀκοῦσαί μου, ἵνα μὴ εἰς (22) μαρτύριον ὦ ἐν ὑμῖν γράψας. Καὶ περὶ ἐμοῦ δὲ προσεύχεσθε, τῆς ἀφ' ὑμῶν ἀγάπης χρῄζοντος ἐν τῷ ἐλέει τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸ καταξιωθῆναί με τοῦ κλήρου, οὗ (23) περίκειμαι ἐπιτυχεῖν, ἵνα μὴ ἀδόκιμος εὑρεθῶ.

XIII. *Valete, orate pro Ecclesia Syriæ*, etc.

Salutat vos charitas Smyrnæorum et Ephesiorum.Memores estote in omnibus orationibus vestris Ecclesiæ quæ est in Syria; de qua et non sum dignus qui dicar,qui sim eorum ultimus. Valete

C Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἀγάπη Σμυρναίων καὶ Ἐφεσίων. Μνημονεύετε ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑμῶν τῆς ἐν Συρίᾳ Ἐκκλησίας· ὅθεν καὶ οὐκ ἄξιός εἰμι λέγεσθαι, ὢν ἔσχατος ἐκείνων. Ἔρρωσθε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ,

Vetus interpres.

CAPUT XI.

Fugite ergo malas propagines, generantes fructum mortiferum ; quem si gustet quis, statim moritur. Isti enim non sunt plantatio Patris. Si enim essent, apparerent utique rami crucis,et esset utique fructus illorum incorruptibilis : per quem, in passione ipsius, advocat vos, exsistentes membra ipsius. Non potest igitnr caput nasci sine membris ; Deo unionem repromittente, quod est ipse.

CAPUT XII.

Saluto vos a Smyrna, cum compræsentibus mihi Ecclesiis Dei : qui secundum omnia me quiescere fecerunt carne et spiritu. Deprecantur vos vincula mea, quæ pro Jesu Christo fero, petens Deo frui. Permanete in concordia vestra, et ea quæ cum adinvicem oratione. Decet enim vos singulos, præcipue et presbyteros, refrigerare episcopum, in honorem Patris, Jesu Christi, et apostolorum. Oro vos in charitate audire me, ut non in testimonium sim in vobis scribens. Sed et pro me orate ea, quæ a vobis, charitate indigente in misericordia Dei, ad dignificari [in] hæreditate, qua conor potiri, ut non reprobus inveniar.

CAPUT XIII.

Salutat vos charitas Smyrnæorum et Ephsiorum. Mementote in orationibus vestris ejus quæ in Syria Ecclesiæ ; unde non dignus sum dici, exsistens extremus illorum. Valete in Jesu Christo, subjecti episcopo,ut Dei mandato, similiter et presbyterio.Et singuli adinvicem diligite in impartibili corde.Castificate

(16) Cfr. Matth. xv, 13.

(17) Ita ms., testimonium doctrinæ de divinitate Christi exhibens. Vet. interpres, *quod* ; sed non est, quod cum Vossio mutemus ὅ, vel cum Aldrichio ἥ.

(18) Ita recte habent interpolator et vet. interpres. Ms., μου.

(19) Melius αἵ, sed non est mutandum. Ignatius enim ad *missos* Ecclesiarum illarum advertit. Vetus

D interpres, *qui*.

(20) Cfr. Ephes. vi, 20 ; Coloss. iv, 3.

(21) Legendum videtur καὶ ἐξοιρέτως. Jac.

(22) Cfr. Ep. ad Philad., c. 6.

(23) Ita ms. Nonnulli mutarunt. Vedelius legit παράκειμαι, i. e. *propinquus — sum quam propediem consequar* ; Smithius, ὑπόκειμαι, *cui subjaceo*, Jac.

est principium, si gratiam consequar, sortem meam sine impedimento accipiendi. Timeo enim vestram charitatem, ne ea mihi noceat. Vobis enim facile est, quod vultis facere; mihi vero difficile est Deo potiri, si vos mihi parcere studetis.

A οἰκονόμητός ἐστιν, (35) ἐὰν περ χάριτος ἐπιτύχω, εἰς τὸ τὸ κλῆρόν μου ἀνεμποδίστων ἀπολαβεῖν. (36) Φοβοῦμαι γὰρ τὴν ὑμῶν ἀγάπην, μὴ αὐτή με ἀδικήσῃ. Ὑμῖν γὰρ εὐχερές ἐστιν, ὃ θέλετε ποιῆσαι· ἐμοὶ δὲ δύσκολόν ἐστι τοῦ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν, ἐάνπερ ὑμεῖς (37) φείσησθέ μου.

II. *Nolite me martyrio eripere.*

Nolo enim vobis tanquam hominibus placere, sed Deo placere, quemadmodum et vos ei placetis. Nec enim ego unquam tale tempus Deo potiendi attingam; nec vos, si silueritis, meliori operi inscribi poteris. Si enim de me silueritis, ego Dei fiam; i autem carnem meam amaveritis, denuo mihi erit urrendum. Nolite plus mihi præbere, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est; ut B in charitate chorus effecti canatis Patri in Christo Jesu, quod Deus episcopum Syriæ dignum judicaverit, qui ab Oriente in Occidentem accessitus inveniretur. Bonum est, a mundo occidere ad Deum, ut in ipso oriar.

(38) Οὐ γὰρ θέλω ὑμῖν ἀνθρωπαρεσκῆσαι, ἀλλὰ Θεῷ ἀρέσαι, ὥσπερ καὶ ἀρέσκετε. Οὐ γὰρ ἐγώ ποτε ἕξω καιρὸν τοιοῦτον Θεον ἐπιτυχεῖν· οὔτε ὑμεῖς, ἐὰν σιωπήσητε, κρείττονι ἔργῳ ἔχετε ἐπιγραφῆναι. Ἐὰν γὰρ σιωπήσητε (39) ἀπ' ἐμοῦ, (40) ἐγὼ γενήσομαι. Θεοῦ· ἐὰν δὲ ἐρασθῆτε τῆς σαρκός μου, πάλιν ἔσομαι (41) τρέχων. Πλέον μοι μὴ παράσχησθε τοῦ (42) σπονδισθῆναι Θεῷ, ὡς ἔτι θυσιαστήριον ἕτοιμόν ἐστιν. Ἵνα ἐν ἀγάπῃ χορὸς γενόμενοι ᾄσητε τῷ Πατρὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, (43) ὅτι τὸν ἐπισκοπον Συρίας ὁ Θεὸς κατηζίωσεν εὑρεθῆναι εἰς δύσιν ἀπὸ ἀνατολῆς (44) μετακεμψάμενος. Καλὸν τὸ δῦναι ἀπὸ κόσμου πρὸς Θεὸν, ἵνα εἰς αὐτὸν ἀνατείλω.

III. *Rogate potius Deum, ut ad martyrium mihi vires suppeditet.*

Nulli unquam invidistis; alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quæ docetis et præcipitis. Vires tantum mihi et internas et externas petite, ut non solum loquar, sed et velim; ut non solum dicar Christianus, sed et inveniar. Si enim inventus fuero, etiam dici potero Christianus, et tunc fidelis esse valebo, cum mundo amplius C

Οὐδέποτε (45) ἐβασκάνατέ τινα· ἄλλους ἐδιδάξατε· (46) Ἐγὼ δὲ θέλω, ἵνα κἀκεῖνα βέβαια ᾖ, ἃ (47) μαθητεύοντες ἐντέλλεσθε. Μόνον μοι δύναμιν αἰτεῖσθε ἔσωθέν τε καὶ ἔξωθεν, ἵνα μὴ μόνον λέγω, ἀλλὰ καὶ θέλω, ἵνα μὴ μόνον λέγωμαι Χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εὑρεθῶ. Ἐὰν γὰρ (40) καὶ εὑρεθῶ, καὶ λέγεσθαι δύναμαι, καὶ τότε πιστὸς εἶναι, ὅταν κόσμῳ μὴ φαίνω-

Vetus interpres.

mento lucrari. Timeo charitatem vestram, ne ipsa me lædat. Vobis enim facile est, quod vultis facere; mihi autem difficile est Deo potiri; siquidem vos non parcitis mihi.

CAPUT II.

Non enim volo vos hominibus placere, sed Deo placere, quemadmodum et placetis. Neque enim ego habeo aliquando tempus tale Deo potiendi; neque vos, si taceatis, meliori operi habetis inscribi. Si enim taceatis a me, ego ero Dei; si autem desideretis carnem meam, rursus factus sum vox. Plus autem mihi non tribuetis, quam sacrificari Deo, dum adhuc sacrificatorium paratum est, ut in charitate chorus effecti cantetis Patri in Jesu Christo, quoniam episcopum Syriæ dignificavit Deus inveniri, in Occidentem ab Oriente transmittens. Bonum occidere a mundo in Deum, ut in ipso oriar.

CAPUT III.

Nunquam invidistis in aliquo; alios edocuistis. Ego autem volo, ut et illa firma sint, quæ docentes præcepistis Solum mihi potentiam petatis ab intra et ab extra, ut non solum dicam, sed et velim; non ut solum dicar Christianus, sed et inveniar. Si enim inveniar, ut dici possum; et tunc fidelis esse, quando utique mundo non appareo. Nihil apparentia bonum est. Deus enim noster Jesus Christus in Patre exsi-

(35) Syrus, qui hoc caput habet, legisse videtur: Ἐάνπερ ἐπιτύχω τὸν κλῆρόν μου εἰς πέρας ἀνεμποδίστως ἀπολαβεῖν.

(36) Ignatius verebatur ne Romani, vel precibus ad Deum et homines, vel pecunia, aut per vim eum a supplicio eximerent. Cot.

(37) I. e. *si vos impedimento mihi estis conatu vestro, me liberandi.* Interpolator et versio antiqua, ab Usserio edita, nec non Syrus male exhibent μὴ ante φείσεσθε.

(38) Initium capitis secundi Οὐ γὰρ θέλω . . ἀρέσκετε deest in Syro.

(39) I. q. περὶ ἐμοῦ. Smith.

(40) Syrus legit: Ἔσομαι λόγος Θεοῦ, quod sensu caret.

(41) Syrus et vetus interpres Latinus legerunt ἔσομαι ἠχώ, *factus sum vox*, ut interpres reddit. D Multo præferenda est lectio Græci textus. Sensus est: *Denuo mihi erit currendum in hoc studio vitæ, cujus metam pene attigi.* Cfr. I Cor. IX, 24.

(42) Cfr. II Tim. IV, 6.

(43) Syrus legisse videtur: ὅτι τὸν ἐπίσκοπον κατηξίωσεν τοῦ Θεοῦ εὑρεθῆναι.

(44) Aut medium pro passivo positum putes, aut vertas: *Quod Deus episcopum Syriæ inveniri dignatus est, ab Oriente in Occidentem eum arcessens.*

(45) I. e. *nulli invidistis gloriam, pro Christo moriendi.* Smith.

(46) Ἐγὼ — ἐντέλλεσθε deest in Syro.

(47) I. e. Exemplum et adhortatio, quibus alios ad martyrium subeundum animare soliti fuistis. Smith.

(48) Particula καί, nec a vetere interprete, nec a Syro agnita, delenda est.

μαι. Οὐδὲν φαινόμενον (49) αἰώνιον. (50) Τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα · τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια [7]. Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν Πατρὶ ὢν μᾶλλον (51) φαίνεται. (52) Οὐ σιωπῆς μόνον τὸ ἔργον, ἀλλὰ μεγέθους ἐστὶν ὁ Χριστιανισμός.

A non apparebo. Nihil, quod apparet, æternum est. « Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ vero non videntur, æterna sunt. » Namque ipse Deus noster Jesus Christus, iterum in Patre exsistens, magis manifestatur. Non silentii tantum, sed magnitudinis opus est Christianismus.

IV. *Sinite me ferarum dentibus moli, ut panis Christi inveniar.*

(53) Ἐγὼ γράφω ταῖς Ἐκκλησίαις, καὶ ἐντέλλομαι πᾶσιν, ὅτι ἐγὼ ἑκὼν ὑπὲρ Θεοῦ ἀποθνήσκω, ἐάνπερ ὑμεῖς μὴ κηλύσητε. Παρακαλῶ ὑμᾶς, μὴ εὔκαιρος γένησθέ μοι. Ἀφετέ με θηρίων εἶναι βορὰν, δι' ὧν ἔνεστιν Θεοῦ ἐπιτυχεῖν. (54) Σῖτός εἰμι Θεοῦ, καὶ δι' ἀδόντων θηρίων ἀλήθωμαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ τοῦ Χριστοῦ. Μᾶλλον κνλακεύσατε τὰ θηρία, ἵνα μοι τάφος γένωνται, καὶ μηδὲν καταλίπωσι τοῦ σώματός μου, ἵνα μὴ κοιμηθεὶς βαρύς τινι γένωμαι. Τότε ἔσομαι μαθητὴς ἀληθῶς τοῦ Χριστοῦ, ὅτε οὐδὲ τὸ σῶμά μου ὁ κόσμος ὄψεται. Λιτανεύσατε τὸν Χριστὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα διὰ τῶν (55) ὀργάνων τούτων θυσία εὑρεθῶ. Οὐχ ὡς (56) Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν. Ἐκεῖνοι ἀπόστολοι, ἐγὼ κατάκριτος· ἐκεῖνοι (57) ἐλεύθεροι, ἐγὼ δὲ μέχρι νῦν δοῦλος. Ἀλλ' ἐὰν πάθω, (58) ἀπελεύθερος Ἰησοῦ, καὶ ἀναστήσομαι ἐν αὐτῷ ἐλεύθερος. Νῦν μανθάνω δεδεμένος μηδὲν ἐπιθυμεῖν (59) κοσμικὸν ἢ μάταιον.

Ego Ecclesiis scribo, omnibusque mando, quod lubens pro Deo moriar, siquidem vos me non impediatis. Obsecro vos, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei, et per ferarum dentes molar, ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant, nihilque mei corporis relinquant; ne postquam obdormiero, gravis alicui fiam. Tunc vere Christi discipulus ero, cum neque corpus meum mundus videbit. Christum pro me supplicate, ut per hæc instrumenta hostia inveniar. Non ut Petrus et Paulus vobis præcipio. Illi apostoli, ego condemnatus ; illi liberi, ego usque nunc servus. Sed si patiar, libertus Jesu ero, et in ipso resurgam liber. Nunc vinctus disco nihil mundanum vel vanum concupiscere.

V. *Mori cupio.*

(60) Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης (61) θηριομαχῶ, διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, νυκτὸς καὶ ἡμέρας, δεδεμένος

A Syria Romam usque cum bestiis pugno, terra marique, noctu et interdiu, alligatus ad decem

Vetus interpres.

stens magis apparet. Non suasionis opus, sed magnitudinis est Christianus ; quando utique oditur a mundo.

CAPUT IV.

Scribendo Ecclesiis, et præcipio omnibus, quoniam volens pro Deo morior ; siquidem vos non prohibeatis. Deprecor vos, non concordia intempestiva fiatis mihi. Dimittite me bestiarum esse cibum : per quas est Deo potiri. Frumentum sum Dei, et per dentes bestiarum molar, ut mundus panis inveniar Christi. Magis blandite bestiis, ut mihi sepulcrum fiant, et nihil derelinquant eorum quæ corporis mei ; ut non dormiens gravis alicui inveniar. Tunc ero discipulus verus Jesu Christi, quando neque corpus meum mundus videbit. Orate Christum pro me, ut per organa ista Dei sacrificium inveniar. Non ut Petrus et Paulus præcipio vobis. Illi apostoli, ego condemnatus : illi liberi, ego usque nunc servus. Sed si patiar, manumissus fiam Jesu Christi, ut resurgam liber. Et nunc disco vinctus, nihil concupiscere.

CAPUT V.

A Syria usque Romam cum bestiis pugna, per terram et per mare, nocte et die ; vinctus decem leopar-

[7] II Cor. IV, 18.

(49) Vetus interpres et Syrus simulque fragmentum Syriacum (apud Curetonum) legebant ἀγαθόν, quod restituendum esse puto.

(50) Hæc verba, e sacra Scriptura desumpta, nec a veteri interprete Latino, nec a Syro, nec a fragmento Syriaco agita sunt.

(51) I. e. *magis glorificatur.*

(52) Sensus : *Christus post ascensionem suam magis glorificatur* : Christiani enim non solum in silentio vitam degunt, sed magnificis quoque factis splendent, iis Christum laudantes. — Duce veteri interprete Smithius et Ruchatus locum ita refinxunt : Οὐ πεισμονῆς τὸ ἔργον· ἀλλὰ μεγέθους ἐστὶν ὁ Χριστιανὸς, μάλιστθ ὅταν μισῆται ἀπὸ κόσμου. Bene vetus int. : « Non suasionis opus, sed magnitudinis est Christianus, quando utique oditur a mundo. » Cum interprete Latino concordat Syrus, qui legit πεισμονῆς, simulque posteriora verba : *Quando [utique]* oditur *a mundo* (=μάλιστα ὅταν, κ. τ. λ.), quæ in codice Græco non exstant, agnoscit.

(53) Caput quartum pene integrum etiam apud Syrum legitur.

(54) Hunc locum præstantissimum laudat Irenæus Adv. hær, v. 28. (Euseb., *H. c.*, III, 36.)

(55) I. e. *dentes fera.um*. RUCHAT.

(56) Horum meminit, quippe qui ex sanctis apostolis soli Christianis Romanis interfuerint. JAC.

(57) I. e. *liberi ab infirmitate humana*. RUCHAT.

(58) Cfr. I. Cor. VII, 22.

(59) Κοσμικὸν ἢ μάταιον. Hæc verba, nec a vetere interprete, nec a Syro agnita, dilenda videntur.

(60) Citatur integrum hoc caput ab Eusebio. *H. e.*, III, 36, et Hieron., *Catal.*, c. 16. Exstat etiam illud pene integrum apud Syrum.

(61) Cfr. I Cor. XV, 32, ubi quoque ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ de certatione cum hominibus belluinis explicandum est. JAC.

leopardos, quæ est militum turma; qui etiam beneficio accepto pejores sunt. Illorum autem injuriis magis erudior, *sed propter hoc non justificatus sum.* Utinam fruar bestiis mihi præparatis, quas et opto mihi promptas inveniri; quibus et blandiar, ut cito me devorent, non ut quosdam veritæ non tetigerunt. Si autem illæ repugnantes noluerint, ego eas vi impellam. Veniam mihi date; quid mihi prosit, ego novi. Nunc incipio discipulus esse. Nemo visibilium et invisibilium mihi invideat, ut Jesum Christum assequar. Ignis et crux, ferarum catervæ laceratione, distractiones, disjunctiones ossium, concisio membrorum, totius corporis contusiones dira diaboli tormenta in me veniant; solummodo ut Jesum Christum consequar.

A δέκα (62) λεοπαρδοις δ' ἐστι στρατιωτῶν τάγμα· οἳ καὶ (63) εὐεργετούμενοι χείρους γίνονται. Ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μᾶλλον μαθητεύομαι, ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο δεδικαίωμαι [8]. (64) Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων, καὶ εὔχομαι ἕτοιμά μοι εὑρεθῆναι· ἃ καὶ κολακεύσω, συντόμως με καταφαγεῖν, οὐχ ὥσπερ τινῶν δειλαινόμενα οὐχ ἥψαντο. Κἂν αὐτὰ δὲ ἄκοντα μὴ θελήσῃ, ἐγὼ προσβιάσομαι. Συγγνώμην μοι ἔχετε· τί μοι συμφέρει, ἐγὼ γινώσκω. (65) Νῦν ἄρχομαι μαθητὴς εἶναι. Μηδέν με ζηλώσῃ τῶν ὁρατῶν καὶ ἀοράτων, ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. Πῦρ καὶ σταυρὸς, θηρίων τε συστάσεις, (66) ἀνατομαὶ, διαιρέσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπὴ μελῶν, ἀλησμοὶ ὅλου τοῦ σώματος, κακαὶ κολάσεις τοῦ διαβόλου ἐπ' ἐμὲ ἐρχεσθωσαν, μόνον ἵνα
B Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω.

VI. *Morte mea veram vitam assequar.*

Nihil mihi poderunt mundi voluptates, neque hujus sæculi regna. Præstat mihi in Jesu Christo mori, quam finibus terræ imperare. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Illum quæro qui pro nobis mortuus est; illum volo, qui propter nos resurrexit. Hoc mihi lucrum impendet. Ignoscite mihi fratres! Ne me vivere impediatis; ne velitis me mori; me Dei esse cupientem mundo ne tradatis. Sinite me purum lumen percipere ubi illuc advenero, homo Dei ero. Concedite mihi imi-
C

(67) Οὐδέν μοι ὠφελήσει τὰ τερπνὰ τοῦ κόσμου, οὐδὲ αἱ βασιλεῖαι τοῦ αἰῶνος τούτου. (68) Μᾶλλόν μοι ἀποθανεῖν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, ἢ βασιλεύσεις τῶν περάτων τῆς γῆς. (69) Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, ἐὰν κερδήσῃ τὸν κόσμον ὅλον, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ [9]; Ἐκεῖνον ζητῶ, τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα· ἐκεῖνον θέλω, τὸν δι' ἡμᾶς ἀναστάντα. Ὁ δὲ (70) τοκετός μοι ἐφίκειται. Σύγγνωτέ μοι, ἀδελφοί· μὴ ἐμκοδίσητέ μοι ζῆσαι, μὴ θελήσητε (71) με ἀποθανεῖν, τὸν τοῦ Θεοῦ θέλοντα εἶναι, κόσμῳ μὴ (72) χαρίσησθε (73). Ἄφετέ με καθαρὸν φῶς

Vetus interpres.

dis, quod est militaris ordo: qui et beneficiati deteriores flunt. In injustificationibus autem ipsorum magis erudior; *sed non propter hoc justificatus sum.* Sortiar bestiis mihi esse paratis; et oro promptas mihi inveniri: quibus et blandiar cito me devorate; non quemadmodum quosdam timentes non tetigerunt. Sed et, si ipse volentem non velint, ego vim faciom. Veniam mihi habete: quid mihi confert, ego cognosco. Nunc incipio discipulus esse; nihil me zelare visibilium et invisibilium, ut Jesu Christo fruar Ignis et crux, bestiarumque congregationes, dispersiones ossium, concisio membrorum, molitiones totius corporis, male punitiones diaboli in me veniant; solum ut Jesu Christo fruar.

CAPUT VI.

Nihil mihi proderunt termini mundi, neque regna sæculi hujus. Bonum mihi mori propter Jesum Chri-

[8] I Cor. IV, 4. [9] Matt. XVI, 26.

(62) Voce λεόπαρδος affenderunt Basnagius, Baurius et alii vocabulum illud ante Constantini ætatem obtinuisse negantes. Sed jam Pearsonus (Vindiciæ Ignatianæ, II, p. 92) clare demonstravit, ante Constantini tempora hoc vocabulum non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos in usu fuisse. Arctior provinciarum Romani imperii nexus effecit ut multa vocabula Latina a Græcis reciperentur. Cfr. Ignat. ad Polyc, c. 6. Huther. « Die wichtigsten Bedenken gegen die Aechtheit der Ignatian. Briefe in Illlgenii: » Zeitschrift *fur Histor. Theol.*, t. XI, p. IV, p. 54 sq., et Düsterdieck, *l c.*, p. 66. Cfr. Steph. thes. l. Tr. ed. Hase s. v. λεόπαρδος.

(63) Fortasse milites isti a Christianis dona acceperunt, ut mansuetiores erga Ignatium essent.

(64) Hæc laudat Chrysost. in Ignatii Encomio. Opp., t. II, p. 599, ed. BB.

(65) Νῦν ἄρχομαι μαθητὴς εἶναι: apud Syrum non legitur.

(66) Ἀνατομαὶ, διαιρέσεις. Hæc cum apud Syrum æque ac apud Eusebium et Hieronymum, qui hunc locum laudarunt, desint, delenda videntur.

(67) Caput TI deest in versione Syriaca, excepta unica sententia, ὁ δὲ τοκετός μοι ἐπίκειται, quod Syrus cum celeberrimis illis verbis e cap. NII; ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, κ. τ. λ. conjungit. Exstat autem caput VI pene totum Syriace in fragmento Timothei Alexandrini (Cureton, *l. c.*, pp. 42, 43).

(68) Legendum esse καλόν, vetus interpres Latinus, interpolator, Metaphrasta et fragmentum Timothei (vide supra) suadent.

D (69) Verba hæc sacræ Scripturæ, nec in veteri versione Latina, nec in fragmento Timothei exstant.

(70) Cfr. Phil. I, 21. Sæpissime τοκετός pro *lucro* sumitur. Toupio et Wochero est τοκετός — *partus.* Jac.

(71) Με, non μοι legendum esse monet Smithius.

(72) Legendum esse puto κόσμῳ μὴ χαρίσησθε, i. e. *me Dei esse volentem mundo tradere nolite.* Χαρίζεσθαι=*in gratiam alicujus* (e. g. *mundi*) *aliquid facere, tradere.* Hæc lectio χαρίσησθε nor solum optimum sensum præbet, sed etiam cum fragmento Timothei Syriaco concordat, in quo legitur: *Nolite efficere, ut in mundo degam.* Codex Crœcus (Colbertinus) habet χαρήσησθε=*mundo ne gaudeatis*, quod arctiori cum antecedentibus nexu caret. Vetus interpres Latinus legit: Διὰ κοσμου οὖ με χωρίζησθε, *per mundum ne separetis me*, sc. a Deo.

(73) In versione Latina sequitur: *neque per ma-*

λαβεῖν· ἐκεῖ παραγενόμενος, ἄνθρωπος Θεοῦ ἔσομαι. (74) Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ Θεοῦ μου. Εἴ τις αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ ἔχει, νοησάτω, ὃ θέλω, καὶ συμπαθείτω μοι, εἰδὼς τὰ συνέχοντά με.

A tatorem esse passionis Dei mei. Si quis illum in seipso habet, intelligat, quid velim, et commisereatur mei, sciens quæ me coaretent.

VII. *Mori desidero, nam amor meus crucifixus est.*

(75) Ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου διαρπάσαι με βούλεται, καὶ τὴν εἰς Θεόν μου γνώμην διαφθεῖραι. Μηδεὶς οὖν τῶν παρόντων ὑμῶν βοηθείτω αὐτῷ· μᾶλλον ἐμοῦ (76) γίνεσθε, τουτέστιν τοῦ Θεοῦ. Μὴ λαλείτε Ἰησοῦν Χριστὸν, κοσμον δὲ ἐπιθυμεῖτε. Βασκανία ἐν ὑμῖν μὴ κατοικείτω. Μηδ' ἂν ἐγὼ παρὼν παρακαλῶ ὑμᾶς, πείσθητέ μοι· τούτοις δὲ μᾶλλον πείστητε, οἷς γράφω ὑμῖν. Ζῶν [(77) γὰρ] γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν. (78) Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ (79) φιλόϋλον· (80) ὕδωῶ δὲ ζῶν καὶ λαλοῦν ἐν ἐμοὶ, ἔσωθέν μοι λέγον· Δεῦρο πρὸς τὸν Πατέρα. Οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς, οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου. (81) Ἄρτον Θεοῦ θέλω, ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς, ὅς ἐστιν σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ γενομένου ἐν ὑστέρῳ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ καὶ Ἀβραάμ· καὶ πόμα (82) Θεοῦ θέλω, τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος, καὶ ἀένναος ζωή.

Princeps hujus sæculi rapere me vult, meamque erga Deum voluntatem corrumpere. Nemo ergo vestrum, qui adestis, illum adjuvet; potius, id est Dei, efficiamini. Non loquimini Jesum Christum, mundum cencupiscentes. Invidia in vobis ne habitet. Neque, si ergo præsens vos orarem, credatis mihi; his potius, quæ vobis scribo, credatis. Vivens enim scribo vobis, mori desiderans. B Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis materiæ amans; sed vivens et loquens aqua in me est, mihi interius dicens: Veni ad Patrem. Non delector alimento corruptibili, neque voluptatibus hujus mundi. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Jesu Christi, Filii Dei, qui posteriori tempore ex semine David et Abraham factus est; et potum Dei volo, sanguinem ipsius, qui est charitas incorruptibilis et vita perennis.

VIII. *Faveatis mihi.*

(83) Οὐκέτι θέλω (84) κατὰ ἀνθρώπους ζῆν. Τοῦτο

Nolo amplius secundum homines vivere. Id au-

Vetus interpres.

stum, quam regnare super terminos terræ. Illum quæro qui pro nobis mortuus est; illum volo qui propter nos resurrexit. Ille lucrum mihi adjacet. Ignoscite mihi, fratres; non impediatis me vivere, non velitis me mori. Dei volentem esse, per mundum non separetis me, neque per materiam seducatis. Dimittite me purum lumen accipere; illuc adveniens, homo ero. Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei. Si quis ipsum in seipso habet, intelligat quod volo; et compatiatur mihi, sciens quæ continent me.

CAPUT XII.

Princeps sæculi hujus rapere me vult, et eam quæ in Deum meum sententiam corrumpere. Nullus igitur præsentium de vobis adjuvet; ipsi autem magis mei flatis, hoc est Dei mei. Non loquimini Jesum Christum, et mundum concupiscatis. Invidia in vobis non inhabitet; neque utique ego vos præsens deprecor, credite mihi. His autem magis credite quæ scribo vobis. Vivens enim scribo vobis, desiderans mori. Meum desiderium crucifixum est; et non est in me ignis amans aliquam aquam; sed vivens et loquens est in me; intus me dicit: Veni ad Patrem. Non delector cibo corruptionis, neque delectationibus vitæ hujus. Panem Dei volo; quod est caro Jesu Christi, ejus qui ex genere David: et potum volo sanguinem ipsius; quod est charitas incorruptibilis.

CAPUT VIII.

Non amplius volo secundum homines vivere; hoc autem erit, si vos velitis. Velite autem, ut et vos

teriam seducatis. Hæc in codice Græco desunt; sed legebantur olim a Timotheo Alexandrino, ut ex fragmento ejusdem (Cureton *l. c.*) perspicitur.

(74) Ἐπιτρέψατε... Θεοῦ μου. Hæc non solum in fragmento Timothei, sed etiam in Syriacis Severi Antiocheni fragmentis exstant. Cureton, *l. c.*, pp. 28, 40, 50.

(75) Major pars capitis hujus, præsertim initium C usque ad ὁ ἐμὸς ἔρως κ. τ. λ., apud Syrum non exstat. Phrasis ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου ex Evangelio S. Joan. XVI, 11 desumpta videtur.

(76) Sc. βοηθοί, CLERICUS.

(77) Addend. est γάρ ex veteri interprete. SMITH.

(78) Hic locus exstat apud Syrum et in Syriaco fragmento Dionysii Areopagitæ *De divinis nominibus*, lib. III, c. 4; Cureton. l. c., p. 54. Hunc locum Origenes quoque laudat, Opp. t. III, p. 30, ed. Ruæ. Alii in hoc loco explicando per *amorem* intelligunt *Christum*; alii *concupiscentiam rerum mundanarum.*

(79) Ita habet codex Colbertinus eum Simeone Metaphrasta et *Menæis Græcis.* Interpolator exhibet φιλοῦντι, cui respondet vetus interpretatio Latina: *Non est in me ignis amans aliquam aquam* (*aquam* autem pertinet ad sequentia). His ducibus Pearsonus, Smithius et Jacobsonus legendum esse suas dent: φιλοῦντι — ἐρῶντι, *in me amante non est ignis, sed aqua*, etc. Syrus vertit, *nec est in me ignis in alio amore;* quo fit, ut Curetonus (p. 99, n. 34) eum quoque φιλοῦντι legisse putet.

(80) Cfr. Joan. VII, 38. Ὕδωρ λαλοῦν est Spiritus sanctus, monitor ad martyrium. Ὕδωρ — τὸν πατέρα deest in versione Syriaca.

(81) Hunc locum Grabius et Wocherus de sacramento eucharistiæ explicant; de ipsius Dei fruitione in cœlo, seu de æterna visionis Dei beatitudine, Usserius et Halloixius. JAC. Cfr. Joan. VI, 32 seqq, 51. Syrius legit: Ἄρτον Θεοῦ θέλω, ὃς ἐστιν σαρξ Χριστοῦ, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ. Πόμα θόλω, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος. Aliis igitur Syrus usus est signis interpunctionis, nec non omisit ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς, et τοῦ υἱοῦ — Ἀβραάμ.

(82) Θεοῦ post πόμα, et paulo infra καὶ ἀένναος ζωή nec in Syro, nec in veteri versione Latina exstat.

(83) Caput octavum apud Syrum non legitur.

(84) Κατὰ ἀνθρώπομαι κατ' ἄνθρωπον, phrasis

tem fiet, si vos voluerit[is]. Velitis, precor, ut et vos benevolentiam inveniatis. Paucis litteris peto a vobis; credite mihi Jesus Christus vobis hæc patefaciet, quæ I vera loquar; ipse os verax, in quo Pater vere locutus est. Petite pro me, ut consequar. Non secundum carnem, sed secundum mentem Dei vobis scripsi. Si patiar, bene mihi voluistis; sin rejiciar, odistis.

A εἰ ἔσται, ἐὰν ὑμεῖς θελήσητε. Θελήσατε, ἵνα καὶ ὑμεῖς εὑρεθῆτε. Δι' ὀλίγων γραμμάτων αἰτοῦμαι ὑμᾶς· πιστεύσατέ μοι. Ἰησοῦς δὲ Χριστὸς ὑμῖν ταῦτα φανερώσει, ὅτι ἀληθῶς λέγω· τὸ ἄφευδές στόμα, ἐν ᾧ ὁ Πατὴρ ἐλάλησεν ἀληθῶς. Αἰτήσασθε περὶ ἐμοῦ, ἵνα ἐπιτύχω. Οὐ κατὰ σάρκα ὑμῖν ἔγραψα, ἀλλὰ κατὰ γνώμην Θεοῦ. Ἐὰν πάθω, ἠθελήσατε· ἐὰν ἀποδοκιμασθῶ, ἐμισήσατε.

IX. *Orate pro Ecclesia Syriæ. Salutatio.*

Memores estote in precibus vestris Ecclesiæ Syriæ, quæ mei loco Deo pastore utitur. Solus Jesus Christus illam vice episcopi reget, atque vestra charitas. *Ego* autem erubesco, ex eorum numero diei; non enim sum dignus, utpote qui sim ultimus eorum et abortivus. Verum misericordiam consecutus sum, ut essem aliquis, si Deum consequar. Salutat vos meus spiritus et charitas Ecclesiarum, quæ me exceperunt in nomine Jesu Christi, non ut transeuntem. Etenim Ecclesiæ, quæ nihil ad me pertinebant, in via, quæ secundum carnem est, me per civitates comitabantur.

85 Μνημονεύετε ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν τῆς ἐν Συρίᾳ Ἐκκλησίας, ἧς ἀντὶ ἐμοῦ ποιμένι τῷ Θεῷ χρῆται. Μόνος αὐτὴν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐπισκοπήσει, καὶ ἡ ὑμῶν ἀγάπη. Ἐγὼ δὲ αἰσχύνομαι ἐξ αὐτῶν λέγεσθαι· οὐδὲ γὰρ ἀξιός εἰμι, ὢν ἔσχατος αὐτῶν καὶ ἔκτρωμα. Ἀλλ' ἠλέημαί τις εἶναι, ἐὰν Θεοῦ ἐπιτύχω. Ἀσπάζεται ὑμᾶς τὸ ἐμὸν πνεῦμα καὶ ἡ ἀγάπη τῶν Ἐκκλησιῶν τῶν δεξαμένων με εἰς ὄνομα Ἰησοῦ Χριστοῦ, 87 οὐχ ὡς παροδεύοντα. Καὶ γὰρ αἱμὶ 88 προσήκουσί μοι, τῇ ὁδῷ, (89) τῇ κατὰ σάρκα, κατὰ πόλιν με (90) προῆγον.

X. *Conclusio.*

Scribo autem hæc vobis e Smyrna per Ephesios dignissimos, qui beati prædicentur. Mecum etiam est cum aliis multis Crocus, desideratum mihi nomen. De his qui me a Syria Romam usque præcesserunt ad gloriam Dei, credo, vos eos cognovisse; annuntiate quoque iis, me prope esse. Omnes enim Dei et vestrum digni sunt, et eos in omnibus recreare vos decet. Hæc scripsi vobis ante diem IX Kalendas Septembris [hoc est vicesima tertia Augusti]. Valete, fortes usque in finem, sustinentes pro Jesu Christo. Amen.

(91) Γράφω δὲ ὑμῖν ταῦτα ἀπὸ Σμύρνης δι' Ἐφεσίων τῶν ἀξιομακαριστων. Ἔστιν δὲ καὶ ἅμα ἐμοὶ σὺν ἄλλοις πολλοῖς (92) Κρόκος, τὸ ποθητόν μοι ὄνομα. Περὶ τῶν προελθόντων με ἀπὸ Συρίας εἰς Ῥώμην εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ, πιστεύω ὑμᾶς ἐπεγνωκέναι, οἷς καὶ ὑπολώσατε ἐγγύς με ὄντα. Πάντες γάρ εἰσιν ἄξιοι τοῦ Θεοῦ καὶ ὑμῶν· οὓς πρέπον ὑμῖν ἐστιν κατὰ πάντα ἀναπαῦσαι. Ἔγραψα δὲ ὑμῖν ταῦτα τῇ πρὸ ἐννέα Καλανδῶν Σεπτεμβρίων (93) τουτέστιν Αὐγούστου εἰκάδι (94) τρίτῃ. Ἐρρώσθε εἰς τέλος, ἐν ὑπομονῇ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἀμήν.

Vetus interpres.

acceptemini. Per paucas litteras deprecor vos: credite mihi. Jesus autem Christus vobis manifestabit hæc, quoniam vero dico; non mendax os, in quo Pater vere locutus est: Petite pro me, ut attingam. Non secundum carnem vobis scripsi, sed secundum sententiam Dei. Si patiar, voluistis; si reprobus efficiar, odivistis.

CAPUT IX.

Memento in oratione vestra ejus, quæ in Syria, Ecclesiæ; quæ pro me, pastore Deo utitur. Solus ipse Jesus Christus vice episcopi sit, et vestra charitas. Ego autem erubesco ex ipsis dici. Non enim sum dignus, exsistens extremus ipsorum, et abortivum; sed misericordiam consecutus sum aliquis esse, si Deo fruar. Salutat vos meus spiritus, et charitas Ecclesiarum quæ receperunt me in nomine Jesu Christi ut non transeuntem. Etenim non advenientes mihi in via quæ secundum carnem, secundum civitatem me præcesserunt.

CAPUT X.

Scribo autem vobis hæc a Smyrna per Ephesios digne beatos. Est autem et simul mecum cum aliis multis et Crocus, desideratum mihi nomen. De advenientibus mecum a Syria in Romam ad gloria[m] Dei, credo vos cognovisse; quibus et manifestatis, prope me existentem. Omnes enim sunt digni D[eo] et vobis: quos decens est vos secundum omnia quietare. Scripsi autem vobis hæc, in ea quæ ante [I] Kal. Sept. Valete in finem, in sustinentia Jesu Christi.

apostolica. Pearson. Cfr Rom. III, 5, I Cor. IX, 8; Gal. III, 15.

(85) Initium hujus capitis usque ad ἐπιτύχω in versione Syriaca deest.

(86) Cfr I Cor. XV, 8, 9.

(87) I. e. « non tanquam advenam, Ecclesias illas in itinere festino prætergredientem, sed tanto cum amore et zelo, ac si essem illarum episcopus. Smith. Οὐχ ὡς παροδεύοντα apud Syrum non legitur »

(88) I. e. « non ad viam sitæ erant. » Aliter Pearsonus, « ad meam jurisdictionem non spectantes. »

(89) Voces τῇ κατὰ σάρκα Ruchatus librarii assumentum esse censet, Jac. Mihi videtur. τὴν ὁδὸν κατὰ σάρκα — *viam terrestrem*, opponi viæ illi, qu[am] Ignatius per martyrium ad Deum pervenire sperabat.

(90) Προήγειν — προπέμπειν. Til. III, 13. Prors.

(91) Loco hujus capitis Syrus capp. 4 et 5 epistolæ ad Trallianos versioni suæ addidit; e capite vero nostro nil elegit, nisi verba ultima; ἐρρώσθε εἰς τέλος ἐν ὑπομονῇ Ἰησοῦ Χριστοῦ [θεοῦ ἡμῶν].

(92) Cfr. supra ad Epiies., c. 2.

(93) Glossema, quod nec vetus interpres Latinus nec interpolator agnovit

(94) Leg. τετάρτῃ, *quarta*. Hic enim videtur designari ipsa dies IX Kal. Septemb., id est 24 Augu-

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΥΣΙΝ. (95)

Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, Ἐκκλησίᾳ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῇ οὔσῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ τῆς (96) Ἀσίας, ἠλεημένῃ καὶ ἠδρασμένῃ ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ, καὶ ἀγαλλιωμένῃ ἐν τῷ πάθει τοῦ Κυρίου ἡμῶν (97) ἀδιακρίτως, καὶ ἐν τῇ ἀναστάσει αὐτοῦ πεπληροφορημένῃ ἐν παντὶ ἐλέει· ἣν ἀσπάζομαι (98) ἐν αἵματι Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἥτις ἐστὶν χαρὰ (99) αἰώνιος καὶ παράμονος, μάλιστα ἐὰν ἐν ἑνὶ ὦσιν σὺν τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ἀπαδεδειγμένοι; (1) ἐν γνώμῃ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὓς κατὰ τὸ ἴδιον θέλημα ἐστήριξεν ἐν βεβαιοσύνῃ, τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ Πνεύματι.

A AD PHILADELPHENSES.

« Ignatius, qui et Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris et Domini Jesu Christi, quæ est Philadelphiæ in Asia, misericordiam consecutæ, et firmatæ in concordia cum Deo, et exsultanti passione Domini nostri inseparabiliter, ac per resurrectionem ejus plene instructæ de omni misericordia; quam saluto in sanguine Jesu Christi; quæ Ecclesia est gaudium meum sempiternum et stabile, maxime, si uniti sunt cum episcopo et presbyteris ejus et diaconis, juxta sententiam Christi designatis, quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate, per sanctum suum Spiritum ».

I. *Laus episcopi.*

(2) Ὃν ἐπίσκοπον ἔγνων, (3) οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, οὐδὲ δι' ἀνθρώπων κεκτῆσθαι τὴν διακονίαν, τὴν εἰς τὸ κοινὸν ἀνήκουσαν, οὐδὲ κατὰ κενοδοξίαν, ἀλλ' ἐν ἀγάπῃ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ· οὗ B καταπέπληγμα τὴν ἐπιείκειαν, ὃς (4) σιγῶν πλείονα δύναται τῶν μάταια λαλούντων. (5) Συνευρύρμισται γὰρ ταῖς ἐντολαῖς, ὡς χορδαῖς κιθάρα. Διὸ μακαρίζει μου ἡ ψυχὴ τὴν εἰς Θεὸν αὐτοῦ γνώμην, ἐπιγνοὺς ἐνάρετον καὶ τελείαν οὖσαν, τὸ ἀκίνητον αὐτοῦ καὶ τὸ ἀόργητον αὐτοῦ ἐν πάσῃ ἐπιεικείᾳ Θεοῦ ζῶντος.

Hunc episcopum cognovi, non a seipso, neque per homines, neque ob inanem gloriam, sed charitate Patris et Domini Jesu Christi obtinuisse ministerium regendi cœtum. Valde admiratus sum ejus modestiam, qui silendo potentior est, quam qui vana loquuntur. Consonus enim est mandatis, ut cithara chordis. Quapropter beatam prædico mentem ejus piam, eam virtutibus ornatam et perfectam sciens, et immobilitatem ejus ac lenitatem instar mansuetudinis Dei vivi.

II. *Tenete unionem cum episcopo, et fugite pravas doctrinas.*

Τέκνα οὖν φωτὸς (6) καὶ ἀληθείας, φεύγετε τὸν μερισμὸν καὶ τὰς κακοδιδασκαλίας. Ὅπου δὲ ὁ ποιμήν ἐστιν, ἐκεῖ ὡς πρόβατα ἀκολουθεῖτε. Πολλοὶ γὰρ (7) λύκοι (8) ἀξιόπιστοι ἡδονῇ κακῇ (9) αἰχμαλωτίζουσι τοὺς (10) θεοδρόμους· ἀλλ' ἐν τῇ ἑνότητι ὑμῶν οὐχ C ἕξουσιν τόπον.

Filii itaque lucis et veritatis, fugite divisionem et pravas doctrinas; ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini. Multi enim lupi, fide digni habiti, perniciosis voluptatibus eos capiunt, qui ad Deum currunt; sed in vestra concordia non habebunt locum.

Vetus interpres.

« Ignatius, qui et Theophorus, Ecclesiæ Dei Patris et Jesu Christi, quæ est in Philadelphia Asiæ, habenti propitiationem, et firmate in concordia Dei, et exsultanti in passione Domini Jesu Christi inseparabiliter, et in resurrectione ipsius certificatæ in omni misericordia: quam saluto in sanguine Jesu Christi, qui est gaudium æternum, et incoinquinatum, maxime si in uno sumus cum episcopo, et eis qui cum ipso presbyteris et diaconis manifestatis in sententia Jesu Christi, quos secundum propriam voluntatem firmavit in firmitudine sancti Spiritus ipsius.

CAPUT I.

Quem episcopum cognovi, non a seipso, neque per homines possedisse administrationem in commune convenientem, neque secundum inanem gloriam, sed in charitate Dei Patris et Domini Jesu Christi. Cujus obstupui mansuetudinem; qui silens plura potest his qui vana loquuntur. Concordes enim estis mandatis, ut chordis cithara. Propter quod beatificat mea anima eam quæ in Domini ipsius sententiam; cognoscens virtuosam et perfectam exsistentem, immobile ipsius et inirascibile in omni mansuetudine Dei viventis.

CAPUT II.

Filii igitur lucis et veritatis, fugite partitionem, et malas doctrinas: ubi autem pastor est, illic ut oves sequimini. Multi enim lupi fide digni delectatione mala captivant in Deum cursores; sed in unitate vestra non habent locum.

ti, cum hæc verba *ante diem* IX *Kal.* nihil aliud D ndicent. Ruinart.

(95) Hæc epistola apud Syrum non legitur.

(96) Philadelphia Lydiæ, eadem Ecclesia, ad quam etiam S. Joannes scripsit Apoc. I, 11; III, 7.

(97) I. e. *quæ inseparabilis adhæret passioni Christi*. Cfr. ad Ephes., c. 3; Magn., 15; Trall., 1 ad Rom. inscr.

(98) I. e. *in Christo, Salvtore nostro; qui sanguinis effusione Salvator noster est factus.*

(99) Sc. μου.

(1) I. e. διὰ γνώμης, *juxta sententiam et ordinationem Christi per apostolos factam*. Smith. Cfr. Ep. ad Magn., c. 15, ἐν τιμῇ.

(2) I. e. *episcopum supra in inscriptione memoratum.*

(4) Cfr. Gal. I, 1.

(4) Cfr. supra ad Ephes., c. 6 et 15. Hic illius episcopi modestiam laudat et admiratur S. Ignatius, qui se mitem ac mansuetum erga immorigeros gessit, et tacuisse visus est, isthoc tamen silentio potentior, potestate episcopali tempore commodo majori cum fructu usurus. Smith.

(5) Cfr. supra ed Ephes., c. 4.

(6) Καὶ inserendum est ex vet. int. Smith.

(7) Cfr. Act. XX, 29.

(8) Vox ἀξιόπιστοι non tantum accipitur de illis qui fide digni sunt, sed etiam de iis qui tales videntur. Voss. Cfr. ad Trall., c. 6: ad Polyc., c. 3.

(9) Cfr. II Tim. III, 6.

(10) J. Conr. Schwarz, *Observ. de* θεοδρόμοις *Ignatii*, in *Miscell. Lips. nov.*, I, 223.

III. *Fugite schismaticos.*

Abstinete ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris. Non quod apud vos divisionem invenerim, sed puritatem. Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot pœnitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur, regni divini hæreditatem non consequitur; si quis ambulat in aliena doctrina, is non assentitur passioni.

A Ἀπέχεσθε τῶν (11) κακῶν βοτανῶν, ἅστινας οὐ γεωργεῖ Ἰησοῦς Χριστὸς, διὰ τὸ μὴ εἶναι (12) αὐτὰς φυτείαν Πατρός. (13) Οὐχ ὅτι παρ' ὑμῖν μερισμὸν εὗρον, ἀλλ' (14) ἀποδιϋλισμόν. Ὅσοι γὰρ Θεοῦ εἰσιν καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτοι μετὰ τοῦ ἐπισκόπου εἰσίν. καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν (15) ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς Ἐκκλησίας, καὶ οὗτοι Θεοῦ ἔσονται, ἵνα ὦσιν κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ζῶντες. Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομεῖ· εἴ τις ἐν (16) ἀλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, οὗτος (17) τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται.

IV. *Utamini una eucharistia.*

Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut, quod faciatis, secundum Deum faciatis.

B (18) Σπουδάζετε οὖν μιᾷ (19) εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι· μία γὰρ σὰρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος, ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις, τοῖς συνδούλοις μου· ἵνα, ὃ ἐάν πράσσητε, κατὰ Θεὸν πράσσητε.

V. *Orate pro me, qui confugio ad Evangelium et apostolos. Honorate etiam prophetas V. T.*

Fratres mei, valde effusus sum in amorem vestri, et valde lætatus roboro vos; non ego vero, sed Jesus Christus, cujus gratia vinctus plus timeo, quia nondum sum perfectus. Sed oratio vestra ad Deum me perficiet, ut sorte per misericordiam mihi assignata potiar, confugiens ad Evangelium tanquam ad

C Ἀδελφοί μου, λίαν ἐκχέχυμαι ἀγαπῶν ὑμᾶς, καὶ ὑπεραγαλλόμενος ἀσφαίζομαι ὑμᾶς· οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' Ἰησοῦς Χριστὸς, ἐν ᾧ δεδεμένος φοβοῦμαι μᾶλλον, ὡς ἔτι ὢν (20) ἀναπάρτιστος. Ἀλλ' ἡ προσευχὴ ὑμῶν εἰς Θεόν με ἀπαρτίσει, ἵνα, ἐν ᾧ κλήρῳ ἠλεήθην, ἐπιτύχω (21), προσφυγὼν τῷ Εὐαγγελίῳ ὡς σαεκὶ Ἰησοῦ,

Vetus interpres.

CAPUT III.

Recedite a malis herbis, quas non colit Jesus Christus: propter non esse ipsas plantationem Patris. Non quoniam apud vos partitionem inveni; sed abstractionem. Quotquot enim Dei sunt et Jesu Christi, isti cum episcopo sunt; et quotquot utique pœnitentes veniunt in unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt; ut sint secundum Jesum Christum viventes. Non erretis, fratres mei. Si quis schisma facientem sequitur, regnum Dei non hæreditat: si quis in aliena sententia circumambulat, iste passioni non concordat.

CAPUT IV.

Studete igitur una gratiarum actione uti. Una enim caro Domini nostri Jesu Christi, ut unus calix in unionem sanguinis ipsius; unum altare, et unus episcopus, cum presbyterio et diaconis conservis meis: ut quod facitis, secundum Deum faciatis.

CAPUT V.

Fratres mei, valde effusus sum diligens vos, et superexsultans corroboro vos: non ego autem, sed Jesus Christus, in quo vinctus timeo magis, ut adhuc exsistens imperfectus. Sed oratio vestra me perficiet, ut in qua hæreditate propitiationem habuero, potiar; confugiens Evangelio ut carni Jesu, et apostolis ut presbyterio Ecclesiæ. Sed et prophetas diligamus; propter et ipsos in Evangelium annuntiasse,

(11) Similem metaphoram de hæreticorum doctrina habes in ep. ad Trall., c. 6. Jac. Cfr. Matth. xv, 13.

(12) Ms. αὐτούς.

(13) Cfr. ad Trall., c. 8, et Magn., c. 11. Ex hoc loco et e capp. 7 et 8 Whistonus conjecit Ignatium ipsum aliquandiu Philadelphiæ commoratum fuisse; sed verisimilius est legatos tantum Philadelphensium ad ipsum Troade degentem venisse. More suo Ignatius ita loquitur, ac si in legatis totam Ecclesiam Philadelphensem conspexisset.

(14) Ms. ἀποδιϋλισμένον Cfr. ep. ad Rom. inscr.

(15) Cfr. Rothe, *Anf.*, p. 465.

(16) Ἀλλοτρία γνώμη idem, est quod ἑτεροδιξία. Vedel.

(17) I. e. non consentit huic veritati. Christum sanguine suo fundasse Ecclesiam, quam schismate evertere conatur. Smith.

(18) Ita Vossius. Ms. σπουδάσατε.

(19) I. e. *cœna Domini*, ut e sequentibus verbis

A σὰρξ τοῦ Κυρίου et ποτήριον, elucet. Etiam a S. Justino (*Apol.* 1, 66) cœna Domini εὐχαριστία vocatur. Cfr. ad hunc locum Rothe, *Anf.*, p. 470, Münscher, *Lehrbuch der Dogmeagesch.* I, 496. et Jo. E. Pfeiffer, *De Ignatio, communioni privatæ adverso.* Erlang. 1763, 4.

(20) Ita interpelator et vet. int. Ms. ἀνάρπαστος = *abductus e provincia.*

(21) H. A. Niemeyer in Fries et Lchroeter *Oppositionschrift* I, II, p. 14, hunc locum ita explicat: Εὐαγγέλιον est = *summa vitæ et actorum Jesu*; ἀπόστολοι = *narrationes apostolorum de Christo.* Sensus: *adhærea iis quæ Christus prædicavit et fecit, quasi adhuc ipse vivat; adhæreoque narratinnibus apostolorum, quasi ipsi adhuc ut quondam presbyterium Ecclesiæ constituant. Sed et prophetas. V. T. recipio, quippe qui Jesum anuuntiaverint.* Cfr. quoque Rot. e, *Anf.*, p. 732 et Giəseler, *Versuch über d. Entstehung der schriftl.chen Evangelien*, p. 157, qui ante Niemeyerum monuerat, Εὐαγγέλιον nostri loci non de

καὶ τοῖς ἀποστόλοις ὡς πρεσβυτερίῳ Ἐκκλησίας. Καὶ τοὺς προφήτας δὲ ἀγαπῶμεν, διὰ τὸ καὶ αὐτοὺς εἰς τὸ Εὐαγγέλιον κατηγγελκέναι, καὶ εἰς (22) αὐτὸν ἐλπίζειν, καὶ αὐτὸν ἀναμένειν· ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσώθησαν. ἐν ἑνότητι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὄντες ἀξιαγαπητοὶ καὶ ἀξιοθαύμαστοι, ἅγιοι, ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ μεμαρτυρημένοι, καὶ συνηριθμημένοι ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τῆς κοινῆς ἐλπίδος.

A corporaliter præsentem Christum, et ad apostolos tanquam ad præsens Ecclesiæ presbyterium. Sed et prophetas diligamus, quia et ipsi Evangelium annuntiaverint, et in Christum speraverint, et ipsum exspectaverint; per quem et credentes salutem consecuti sunt, Jesu Christo uniti; cum essent sancti, amore et admiratione digni, a Jesu Christo testimonium adepti, et connumerati in Evangelio communis.

VI. *Nec tamen Judaismum admittite.*

Ἐὰν δὲ τις Ἰουδαϊσμὸν ἑρμηνεύῃ ὑμῖν, μὴ ἀκούετε αὐτοῦ. Ἄμεινον γὰρ ἐστιν παρὰ ἀνδρὸς περιτομὴν ἔχοντος (23) Χριστιανισμὸν ἀκούειν, ἢ παρὰ ἀκροβύστου Ἰουδαϊσμόν. Ἐὰν δὲ ἀμφότεροι περὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ μὴ λαλῶσιν, οὗτοι ἐμοὶ (24) στῆλαί εἰσιν καὶ τάφοι νεκρῶν, ἐφ' οἷς γέγραπται μόνον ὀνόματα ἀνθρώπων. Φεύγετε οὖν τὰς κακοτεχνίας καὶ ἐνέδρας τοῦ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου, μήποτε θλιβέντες τῇ γνώμῃ αὐτοῦ ἐξασθενήσητε ἐν τῇ ἀγάπῃ. Ἀλλὰ πάντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνεσθε ἐν ἀμερίστῳ καρδίᾳ. Εὐχαριστῶ δὲ τῷ θεῷ μου, ὅτι εὐσυνείδητός εἰμι ἐν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἔχει τις καυχήσασθαι, οὔτε λάθρα, οὔτε φανερῶς, ὅτι (25) ἐβάρησά τινα ἐν μικρῷ ἢ ἐν μεγάλῳ. Καὶ πᾶσι δὲ, ἐν οἷς ἐλάλησα, εὔχομαι, ἵνα μὴ εἰς (26) μαρτύριον αὐτὸ κτήσωνται.

B C

Si quis autem vobis Judaismum prædicet, ne audiatis eum. Melius est enim, a viro circumciso Christianismum audire, quam ab habente præputium Judaisnum. Si autem utrique de Jesu Christo non loquantur, isti mihi columnæ sepulcrales et mortuorum sunt monumenta, quibus hominum nomina duntaxat inscripta sunt. Fugite igitur malas artes et insidias principis sæculi hujus, ne quando prudentia ejus oppressi in charitate langueatis. Sed omnes uniti sitis indivulso corde. Gratias autem ago Deo meo, quod quoad vos bona gaudeam conscientia, nec possit quisquam gloriari, vel secreto vel palam, a me quemquam gravatum esse aut in parvo, aut in magno. Et omnibus, ad quos locutus sum, opto, ne in testimonium id cedat contra ipsos.

VII. *S. Spiritu impellente vos ad unitatem adhortatus sum.*

Εἰ γὰρ καὶ κατὰ σάρκα μέ τινες ἠθέλησαν πλανῆσαι, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα οὐ πλανᾶται, ἀπὸ θεοῦ ὄν. (27) Οἶδεν γὰρ, πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει, καὶ τὰ κρυπτὰ ἐκέγχει· Ἐκραύγασα μεταξὺ ὤν, ἐλάλουν μεγάλῳ φωνῇ (28)· Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις. Οἱ δὲ (29) ὑποπτεύσαντάς

Quanquam enim nonnulli secundum carnem me decipere voluerunt, Spiritus tamen non decipitur, a Deo ortus. Novit enim unde veniat, et quo vadat, et secreta coarguit. Clamavi, cum præsens essem, locutus sum magna voce: Episcopo obedite et presbyterio et diaconis. Quidam autem suspicati sunt,

Vetus interpres.

et in Christum sperare, et ipsum exspectare: in quo et credentes salvati sunt, in unitate Jesu Christi existentes digne dilecti, et digne admirabiles sancti, a Jesu Christo testificati et connumerati in Evangelio communis spei.

CAPUT VI.

Si autem Judaismum interpretetur vobis, non audiatis ipsum. Melius est enim a viro circumcisionem habente, Christianismum audire, quam ab habente præputium, Judaismum. Si autem utrique de Jesu Christo non loquantur, isti mihi columnæ sunt et sepulcra mortuorum, in quibus scripta sunt solum nomina hominum. Fugite igitur malas artes, et insidias principis sæculi hujus, ne forte tribulati sententia ipsius, infirmemini in charitate. Sed et omnes in idipsum flatis, in impartibili corde. Gratias autem ago Deo meo, quoniam bonam habens conscientiam ego sum in vobis; et non habet aliquis gloriari neque occulte neque manifeste, quoniam gravavi aliquem in parvo vel in magno. Sed et omnibus, in quibus locutus sum, oro, ut non in testimonium ipsum possideant.

CAPUT VII.

Si enim et secundum carnem me quidam voluerunt seducere; sed spiritus non seducitur, a Deo existens. Novit enim unde venit, et quo vadit, et occulta redarguit. Clamavi in intermedio exsistens, locutus sum magna voce, [Dei voce:] Episcopo attendite, et presbyterio, et diaconis. Quidam autem suspi-

scripto *Evangelio* asse accipiendum. Lessinguis (Op. ed. Lachmann., t. XI, p. 567) ita scribendum esse putat: Προσφυγὼν τῷ ἐπισκόπῳ ὡς σαρκὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις Ἐκκλησίας ὡς ἀποστόλοις. Alii Εὐαγγέλιον de scriptis Evangeliis, ἀπόστολοι de scriptis apostolorum, προφῆται de scriptis prophetarum seu de V. T. accipiunt. Male Eichhornius de prophetis *novi* foeceris seu doctoribus Christianis somniat.

(22) Vet. int. legit Χριστὸν.

(23) Χριστιανισμόν. Quære, an ut Antiochiæ primo nomen Χριστιανός, ita ab Ignatio, Antiochiæ episcopo, primum usurpata vox Χριστιανισμός? PEARSON.

(24) Στῆλαι, *columnæ sepulcrales.*

(25) I. e. *nemini jugum Judaismi imponere studui.* Cfr. quoque II Cor. XII, 13.

(26) Cfr. ad Trall., c. 12.

(27) Cfr. Joan. III, 8.

(28) Vet. int. addit, *voce Dei*

(29) Participium pro modo finito. Ms. πτίσαναες.

me, ut præscium schismatis quorumdam, hæc dixisse. Testis autem mihi is est, pro quo vinctus sum, quod a carne humana id non cognoverim. Sed Spiritus annuntiavit, dicens: Sine episcopo nihil facite, carnem vestram ut Dei templum custodite, unionem amate, dissidia fugite, imitatores este Jesu Christi, sicut et ipse Patris sui.

A μί, ὡς προειδότα τὸν μερισμόν τινων, λέγειν ταῦτα. Μάρτυς, δέ μοι, ἐν ᾧ δέδεμαι, ὅτι ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων. Τὸ δὲ πνεῦμα ἐκήρυσσεν, (30) λέγον τάδε· Χωρὶς τοῦ ἐπισκοπου μηδὲν ποιεῖτε, τὴν σάρκα ὑμῶν ὡς (31) ναὸν Θεοῦ τηρεῖτε, τὴν ἕνωσιν ἀγαπᾶτε, τοὺς μερισμοὺς φεύγετε, μιμηταὶ γίνεσθε Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς καὶ αὐτὸς τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ.

VIII *Studete unitati. Christus loco documentorum est.*

Ego itaque, quod meum erat, feci, ut homo ad unionem destinatus. Ubi autem divisio est et ira, ibi Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus remittit Deus, si se convertant ad unionem cum Deo et ad communionem cum episcopo. Credo gratiæ Jesu Christi, qui solvet a vobis omne vinculum. Obsecro autem vos, ut nihil contentiose agatis, see B juxta Christi doctrinam. Cum audirem quosdam dicentes: Nisi invenero in antiquis vaticiniis, Evangelio non credo, et dicente me ipsis: Scriptum est, responderunt mihi: Hoc demonstrandum est. Mihi vero loco antiquitatis est Jesus Christus, incorrupta et antiqua dogmata mihi sunt crux ejus, et mors et resurrectio ejus, et fides quæ per ipsum: quibus justificari volo per preces vestras.

Ἐγὼ μὲν οὖν τὸ ἴδιον ἐποίουν, ὡς ἄνθρωπος εἰς ἕνωσιν κατηρτισμένος. Οὗ δὲ μερισμός ἐστιν καὶ ὀργή, Θεὸς οὐ κατοικεῖ. Πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ Κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεοῦ καὶ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου. Πιστεύω (32) τῇ χάριτι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς λύσει ἀφ' ὑμῶν πάντα δεσμόν (33). Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, μηδὲν κατ' ἐριθείαν πράσσειν [10], ἀλλὰ κατὰ χριστομαθίαν. Ἐπεί ἤκουσά τινων λεγόντων, ὅτι Ἐὰν μὴ ἐν τοῖς (34) ἀρχαίοις εὕρω, ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω· καὶ λέγοντός μου αὐτοῖς, ὅτι, Γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι (35) Προκειται. Ἐμοὶ δὲ (36) ἀρχαῖά ἐστιν Ἰησοῦς Χριστὸς, τὰ (37) ἄθικτα ἀρχαία ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ (38) πίστις ἡ δι' αὐτοῦ· ἐν οἷς θέλω ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν δικαιωθῆναι.

IX. *Bonum est V. T., melius novum fœdus,*

Boni quidem sunt sacerdotes, præstantior autem est summus pontifex, cui credita sunt Sancta sanctorum, cui soli secreta Dei sunt tradita; qui ipse est C

(39) Καλοὶ καὶ οἱ ἱερεῖς, (40) κρεῖσσον δὲ ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ πεπιστευμένος τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων, ὃς μόνος πεπίστευται τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ· αὐτὸς ὢν (41) θύρα

Vetus interpres.

cati sunt me, ut præscientem divisionem quorumdam, dicere hæc. Testis autem mihi, in quo vinctus sum, quia a carne humana non cognovi. Spiritus autem prædicavit, dicens hæc: Sine episcopo nihil faciatis; carnem vestram, ut templum Dei, servate; unitatem diligite; divisiones fugite; imitatores estote Jesu Christi, ut et ipse Patris ipsius.

CAPUT VIII.

Ego quidem igitur prorium faciebam, ut homo in unitatem perfectus. Ubi autem divisio est et ira, Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus; si pœniteant ut unitatem Dei, et concilium episcopi. Credo gratiæ Jesu Christi, qui solvet a vobis omne vinculum. Deprecor autem vos nihil secundum contentionem facere, sed secundum Christi disciplinam. Quia audivi quosdam dicentes: Quoniam si non in veteribus invenio, in Evangelio non credo: et dicente me ipsis, quoniam scriptum est: responderunt mihi, quoniam præjacet. Mihi autem principium est Jesus Christus; inapproximabilia principia, crux ipsius et mors, et resurrectio ipsius, et fides quæ per ipsum: in quibus volo in oratione vestra justificari.

CAPUT IX.

Boni et sacerdotes, melius autem princeps sacerdotum, qui credita sunt Sancta sanctorum, cui soli credita sunt occulta Dei; qui ipse est janua Patris, per quam ingrediuntur Abraham et Isaac et Jacob, et prophetæ, et apostoli, et Ecclesa Omnia hæc in unitatem fidei. Præcipuum autem aliquid habe

[10] Phil. II, 3.

(30) Ms., λέγων.

(31) Cf. I Cor. III, 16; VI, 19.

(32) Sc. quod vos attinet.

(33) Interpolator addit ἀδικίας. Jac.


(19) *Etiam alias.* Edit. Paris. « et etiam alias, » vel, « aliis; » ut in ms. Magdalen., Cantabrig., et Montacut. Vid Prolegomen. Ibid.

(20) *Neophyti.* Edit. Paris. « tui neophyti » Ibid.

(21) *Amen* Non habetur in ms. Magdalen. et Cantabrig. Ibid.

BEATISSIMÆ VIRGINIS AD HANC EPISTOLAM RESPONSIO (22).

dilecto condiscipulo (23), *humilis ancilla Christi Jesu.*

su quæ a Joanne audisti et didicisti, vera a credas, illis inhæreas; et Christianitasusceptæ votum firmiter (25) teneas, et A mores et vitam voto conformes (26). Veniam autem una cum Joanne, te et qui tecum sunt visere. *Sta in fide, et viriliter age* [24]: nec te commoveat persecutionis austeritas; sed valeat et *exsultet spiritus tuus in Deo salutari tuo* [24]. Amen.

S. IGNATII ELOGIUM

Ipsius in sede Antiochena successori Heroni falso attributum (28).

nis [24*], *in B. Ignatium, discipuli ejus et soris, qui ei per revelationem fuerat ostenod esset sessurus in cathedram ipsius.*

los et assertor [25] (29) sapientissimi Dei, Ignati lata stola indute, perenni fonte saturate, B cum angelis laudem canens, Primogeniti certe amice, a peccatis liberate, a diabolo separate, agonista constitutus in stadio veritatis; acquisisti pretiosam salutem; confudisti Trajanum. et senatum Romæ (30) prudentiam nunc non habentem; do-

or. XVI, 13. [24] Luc. I, 47. [24*] al. *Hironis* l. s. tit. *Epist. ad Heron.* [25] *al.* assessor.

An beata Virgo aliquid scripserit, non con-
.m epistola quædam ad Ignatium quæ ejus
circumfertur incertæ auctoritatis est. Si
:t eam a B. Virgine scriptam, nemo, ut
), dubitaret, quin inter canonicas Scripturas
meranda, » inquit Franciscus Suarez, in III,
om. qu. 37, art. 4, disp. 20. Quanquam
iinem prudentem dubitaturum existimave-
vatas beatissimæ Virginis litterulas longe C
endas fuisse loco, quam divinum ipsius
a in sacrum canonem relatum, Luc. I, 46,
mpostor postremam epistolæ hujus claumendicavit; « et exsultet spiritus tuus in
ıtari tuo; » sicut et ex Paulina Epistola,
tum Virginis scripta, paræsesim illam:
de, et viriliter age (I Corinth. XVI, 13). Ut
n omnino esse oporteat, qui non in plumbea
egenda (cui eam Jacobus Genuensis curavit
lam) quam in aureo divinarum Scripturaıone, epistolium istud collocandum esse
:rit. USSER.

ondiscipulo. Ita ex prima editione et mss.
ıs exhibuimus; ubi vulgati libri legunt « di-
» Magdalen. codex habet « et condiscipulo. »

hristianitatis. « Susceptæ, » additur in prione, anni 1495; pro quo in ms. Lincoln.,
ig. et Montacut. male legitur « ejus ceptæ. » D

irmiter. Ms. Magdalen. « firmum. » IBID.
onformes. Edit. Paris. an 1495 et Colon.
« confirmes. » Ista vero locutio, « de movita voto confirmandis, » Magdeburgensibus
is (centur. I, lib. I, c. 10) a Christi et
rum verbis videtur alienior. IBID.
ta in fide, et viriliter age. Ita legit P. Halqui has epistolas edidisse se dicit, « prout
rimis reperiuntur exemplaribus. » In aliis
m ordo paululum habetur inversus. In Anquidem (parte I *Chronic.* tit. 7, cap. 1, § 11)
a editione Parisiensi an. 1495 cum mss.
n. Lincoln. Cantabrig. et Montacut.: « Sta
:er age in fide; » in editione vero Colon. an.
1557 et aliis: « Sta, et in fide viriliter age. »

(28) Ad calcem veteris vulgatæ Ignatii Epistolarum versionis adjectum habebatur hoc illius elogium: indeque ex Vaticano primum codice a Cæsare Baronio (ad annum Christi 110, § 9) et cum aliis tribus mss. collatum, Baliolensi, Magdalensi et Petaviano, nunc denuo a nobis editum. Ut et hujus elogii, et litterarum Mariæ Castabalitæ, et sex Græcarum epistolarum Ignatio afflictarum, idem omnino artifex fuisse videatur; ideinque interpres, qui secundæ interpolatæ Ignatianarum Epistolarum sylloges, ex tribus illis mss. multo quam antea integrior et correctior a nobis est hic exhibitus. Et in Petaviano quidem codice, post Epistolam ad Romanos, majusculis litteris apposita sunt ista: *Expliciunt Epistolæ sancti Ignatii martyris Antiocensis. Incipit laus, Hironis discipuli sui atque successoris, in eum*; in Baliolensi vero, titulus hic, miniatis litteris descriptus, legebatur: *Laus Yronis, in beatum Ignatium, discipuli ejus et successoris; qui ei per revelationem fuerat ostensus, quod esset sessurus in cathedram ipsius.* Cujus Heronis dies natalitius, sive martyrii memoria, in Bedæ Martyrologio ad XVII, in Romano, Usuardi, Adonis, et Notkeri, ad XVI Kalend. Novembris, celebratur. IBID.

(29) *Assertor.* Ms. Petavian. « assessor. » IBID.

(30) *Confudisti Trajanum, et senatum Romæ.* Improbata illa Acta secutus fuisse videtur auctor, in quibus (contra historiæ fidem) Ignatius Romæ ante martyrium prolixa disputatione cum Trajano et senatu concertavisse fingitur. Sic enim in iis legimus: Παραγίνονται ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ προσήνεγκαν τῷ αὐτοκράτορι Τραιανῷ τὴν ἄφιξιν αὐτοῦ. Καὶ ἐκέλευσεν ὁ αὐτοκράτωρ εἰσαχθῆναι αὐτὸν, παρούσης τῆς συγκλήτου. « Pervenerunt ad urbem Romam: et nuntiaverunt imperatori de adventu ejus. Et jussit imperator adduci eum, præsente senatu. » Tum longi sermones inter eos ibi habiti (cum tamen Trajanus longissime abesset, in partibus Orientis) et varia cruciatuum genera Ignatio imposita, commemorantur. Quæ fabula inde non in alia solum Latinorum Martyrologia est traducta, sed etiam in novissimum Romanum, in quo (ad Kalend. Februar.) Ignatius. « Romæ, præsente Trajano, circumsedente senatu, immanissimis pœnarum sup-

mesticus factus es (31) Christo, in dilectione et fide et vita. Memor esto mei, filii tui Heronis : ut et ego de hac vita exiens sancte (32), sanctis connumerer, et dignum (33) nomen merear adipisci,et de injusta statione atque a Deo aliena extraneus inveniar (34). Ter quaterque beate, qui ad talia pervenisti, pater Ignati ; *currus Israel et auriga* [26] (35) *ejus* [27]. Evasisti mortem fugiendo [28] (36), et de terris [29] (37) ad cœlestia evolasti.Coronam deificam et magnam meruisti, et in amabili Dei agone vicisti. Memento ejus quem nutristi, beate martyr ; et præsta mihi colloquium, sicuti prius (38) faciebas'

FRAGMENTA.

Seu sententiæ sancti Ignatii, quæ in ejus Epistolis non exstant.

(Galland., *Vet. Patr. Biblioth. I*, 287.)

I.

Apud Joann. Chrysostomum *homil.* de Anathemate, *num.* 3, *Ex edit. BB. Paris. tom.* I, *pag.* 693. C.

Vultis discere, quid dixerit vir quidam sanctus, qui ante nos et de successione apostolorum fuit,ac martyrio dignatus est? Ut hujus verbi molestiam indicaret, hoc usus exemplo est: « Quemadmodum si quis, privatus cum sit, regiam purpuram induerit, tum ipse ; tum commilitones ejus, quasi tyranni e medio tolluntur : sic qui Dominico utuntur decreto,et hominem Ecclesiæ anathema faciunt, in extremam se perniciem abducunt, dignitatem Filii usurpantes. »

Βούλεσθε μαθεῖν οἷά τις ἐφθέγξατο ἅγιός τις πρὸ ἡμῶν τῆς διαδοχῆς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, ὃς καὶ μαρτυρίου ἠξίωτο; Δεικνὺς τούτου τοῦ λόγου τὸ φορτικὸν, τοιούτῳ ἐχρήσατο ὑποδείγματι· « Ὃν τρόπον ὁ περιθεὶς ἑαυτῷ ἁλουργίδα βασιλικὴν ἰδιώτης τυγχάνων, αὐτός τε καὶ οἱ αὐτῷ συνεργήσαντες, ὡς τύραννοι ἀναιροῦνται· οὕτως, ἔφη, οἱ τῇ δεσποτικῇ ἀποφάσει χρησάμενοι, καὶ ἀνάθεμα τῆς Ἐκκλησίας ποιήσαντες ἄνθρωπον, εἰς παντελῆ ὄλεθρον ἀπάγουσιν ἑαυτοὺς, τὴν ἀξίαν τοῦ Υἱοῦ ἁρπάζοντες. »

Videsis Epist. *ad. Smyrn.* interpol., cap. 9.

II.

Apud eumdem Chrysostomum *homil.* xi *in* Epist. ad Ephes.. *tom.* XI, *pag.* 86. C.

Dixit autem sanctus quispiam vir quiddam quod magnam præ se fert audaciam : sed tamen est elocutus. Quid hoc est autem? « Ne quidem sanguinem martyrii delere posse hoc peccatum [schisma]. »

Ἀνὴρ δέ τις ἅγιος εἶπέ τι, δόκουν εἶναι τομηρὸν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο. Τί δὲ τοῦτό ἐστιν ; « Οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλείφειν τὴν ἁμαρτίαν. »

III.

Ex Joannis Antiocheni *Orat.* In donat. monaster., *etc. Apud* Cotelerium, Monum. Eccl. Gr. *tom.* I, *pag.* 176.

Ei qui Ecclesiam Dei offenderit, neque martyrii sanguis, juxta Ignatium Theophorum, ad veniam sufficit.

Τῷ δὲ Ἐκκλησίαν Θεοῦ σκανδαλίσαντι οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα, κατὰ τὸν Θεοφόρον Ἰγνάτιον, ἀρκεῖ εἰς συγχώρησιν.

[26] *al.* equester. [27] IV Reg. xiii, 14. [28] *f.* cupiendo *vel* non fugiendo. [29] *al.* terrenis.

pliciis primo affectus, leonibus dehinc objectus » fuisse legitur. Usser.

(31) *Factus es.* « Nunc factus es ; » apud Baronium. Ibid.

(32) *Sancte.* Deest hæc vox in Baronio. Ibid.

(33) *Et dignum.* Baron. « ut dignum. » Ibid.

(34) *Atque a Deo aliena extraneus inveniar.* Ms. Baliol.: « non inveniar alienus a Deo. » Petavianus: « atque a Deo alienus inveniar. » Ibid.

(35) *Auriga.* Ms. Magdalen. « equester. » Ibid.

(36) *Fugiendo.* Ita Vaticanus, et tres nostri Mss., pro quo, ex conjectura, « cupiendo, » substituit P. Halloixius ; in Vita Ignatii, cap. 16. Ibid.

(37) *Terris.* Baron. « terrenis. » Ibid.

(38) *Sicuti prius.* Ms. Magdalen. « sicut et prius. » Ex Halloixio, vox « prius, » per incuriam excidit. Ibid.

IV.

Apud JOANNEM DAMASCENUM *in* Sacr. Parallel. *litt.* α *tit.* XXI. *Ex edit. Paris.* 1712, *tom.* II, *pag.* 358. D.

Τῷ Καίσαρι ὑποτάγητε, ἐν οἷς ἀκίνδυνος ἡ ὑποταγή.

Εὐεργεσία τοῖς ὑποδεεστέροις, καὶ ἄρχειν ἑαυτῶν μὴ ἐπισταμένοις, τὸ δουλεύειν τοῖς κατ' ἐπιστήμην ἄρχουσιν.

A Cæsari subjecti estote in iis rebus, in quibus ei parere periculo caret.

Inferioribus et iis qui sibi ipsis imperare nesciunt, beneficii pars est, ut iis serviant qui recte et scite præsunt.

Adi, si placet, Epist. *ad Philadelph.* interpol. cap. IV.

V.

IBID. *litt.* γ, *tit.* XVII, *pag.* 777. B.

Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου.

B *Sancti* IGNATII *Theophori.*

Μόνους ἄνδρας τοὺς ὁμοζύγους εἶναι νομιστέον ταῖς γυναιξίν, οἷς καὶ ἡνώθησαν κατὰ γνώμην Θεοῦ.

Solos viros conjuges esse suos existiment mulieres, quibus et unitæ sunt secundum consilium Dei.

VI.

IBID. *litt.* π, *tit.* X, *pag.* 642, C.

Ἰγνατίου.

IGNATII

Παρθενίας ζυγὸν μηδενὶ ἐπιτίθει. Ἐπισφαλὲς γὰρ τὸ κτῆμα καὶ δυσφύλακτον, ὅταν κατ' ἀνάγκην γίνηται.

Τοῖς νέοις ἐπίτρεπε γαμεῖν, πρὶν διαφθαρῶσιν εἰς ἑτέρας. (*f.* ἑταίρας.)

Virginitatis jugum nemini impone. Periculosa quippe res est, et servatu difficilis, quando necessitate fit.

C Junioribus ante nubere permitte, quam com scortis corrumpantur.

Hæc Melissa perinde Ignatio tribuit; nec aliunde accipi potuerunt quam ex alterutra *Epistola ad Polycarpum*, cum tamen in neutra occurrant. Sed nec in *Epistola ad Antiochenos*, ad quam pertinere feruntur in cod. Rupefulcad. LEQUIN. — Videsis Grabium in *Spicil.* tom. II, pag. 24, ubi eadem exhibentur nonnihil diversa.

VII.

IBID. *litt.* ε *tit.* XVII, *pag.* 515. B.

Τοῦ αὐτοῦ.

D *Ejusdem.*

Χρὴ τὸν πρωεστῶτα ἀνεπίληπτον μελετᾷν, καὶ ἀσκεῖσθαι βίον, καὶ μηδὲν ἀνεπιτήδευτον ἔχειν τῶν ἀρεσκόντων Θεῷ.

Præsulem oportet ab omni reprehensione alienum esse, et vitam exercitationibus excolere; nec ullius rei quæ Deo grata sit, studium prætermittere.

Apud Cl. LEQUIEN, ex cod. Rupef. hic locus dicitur Κυρίλλου, ἐκ τοῦ ιζ' βιβλίου τῶν κατὰ Ἰουλιανόν. Quod pridem monuerat GRABIUS l. c. pag. 25.

FRAGMENTA.

Epistolarum genuinarum sancti Ignatii, ex Parallelis Damascenicis Rupefucaldinis, potissimum descripta: quibus quamplurimæ lectiones ms. *Medicei* vel confirmantur, vel in primis emendantur.

JOANNES DAMASCENUS *in* Sacr. Parallel. *Litt.* ε, *tit.* XLVII, *ex edit. Paris.* 1712, *tom.* II, *pag.* 779, B.

Τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ τοῦ Θεοφόρου, ἐκ τῆς πρὸς ΣΜΥΡΝΑΙΟΥΣ.

Sancti IGNATII *Theophori, ex Epistola ad* SMYRNENSES.

Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε ὡς Ἰησοῦς Χρι-

Omnes episcopum sequimini ut Jesus Christus

Patrem, et presbyterium ut apostolos; diaconos autem ut Dei mandatum. Nemo sine episcopo aliquid agat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Illa eucharistia firma censeatur, quæ ab episcopo fit, aut cui ipse permiserit. Ubi apparuerit episcopus, illic multitudo sit; quemadmodum ubi est Jesus Christus, illic est Ecclesia catholica. Non licet sine episcopo, neque baptizare, neque agapas facere; sed quod ille probaverit, hoc Jesu Christo complacitum est, ut tutum firmumque sit omne quod agitur. De cætero æquum est ut evigilemus, quando tempus habemus, ut nos Dei causa pœniteat. Optimum est, Deum atque episcopum nosse. Qui honorat episcopum, a Deo honoratur; qui inscio episcopo aliquid agit, hic diaboli cultor est. *Epist. ad* Smyrn. *capp.* 8 *et* 9.

A στὸς τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε ὡς Θεοῦ ἐντολήν. Μηδεὶς χωρὶς ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων ἐν Ἐκκλησίᾳ. Βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω ἡ τοῦ ἐπισκόπου οὖσα, ἢ ᾧ ἐὰν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος· ὥσπερ ὅπου ἐὰν ᾖ Ἰησοῦς Χριστὸς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία. Οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπας ποιεῖν, ἀλλ' ὃ ἐὰν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ Ἰησοῦ Χριστῷ εὐάρεστον, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ πράσσεται. Εὔλογόν ἐστι λοιπὸν ἀνανῆψαι ἡμᾶς, ὡς καιρὸν ἔχομεν εἰς Θεὸν μετανοεῖν. Καλῶς ἔχει Θεὸν καὶ ἐπίσκοπον εἰδέναι. Ὁ τιμῶν ἐπίσκοπον, ὑπὸ Θεοῦ τετίμηται· ὁ λάθρα ἐπισκόπου τι πράσσων, τῷ διαβόλῳ λα-

B τρεύει.

Ibidem pag. 514, eadem occurrunt in *Parallel. Vatic.*, alicubi tamen diversa nonnihil a *Rupefucaldinis* hic descriptis.

IDEM *ibid.*, *litt.* α, *tit.* II, *pag.* 747, C.

Sancti IGNATII.

Qui perfecti estis, perfecta sapite. Illis enim qui bene agere volunt, Deus ad dandum præsto est. *Ad* Smyrn. *cap.* 11.

Τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ.

Τέλειοι ὄντες, τέλεια φρονεῖτε. Θέλουσι γὰρ ἡμῖν εὖ πράττειν, θεὸς ἕτοιμος εἰς τὸ παρέχειν.

Ibidem pag. 314, *Parallela Valic.* exhibent tantum posterius membrum.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XVII, *pag.* 515, A.

Ejusdem Epist. ad POLYCARPUM *Smyrn.*

Omnes supporta, quomodo et te Dominus. Omnes suffer in dilectione: orationibus assiduis vaca. Ampliorem quam habeas intelligentiam postula. Vigila, oculum non dormientem possidens. *Ad* Polycarp. *cap.* 1.

C Τοῦ αὐτοῦ πρὸς ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΝ Σμύρνης.

Πάντας βάσταζε, ὡς καὶ σε ὁ Κύριος. Πάντων ἀνέχου ἐν ἀσάπῃ· προσευχαῖς σχόλαζε ἀδιαλείπτοις. Αἴτου σύνεσιν πλείονα ἧς ἔχεις. Γρηγόρει, ἀκοίμητον ὄμμα κεκτημένος.

Ejusdem.

Omnium ægritudines porta, veluti perfectus athleta. Ubi major fuerit labor, ibi et majus lucrum est. Bonos discipulos si diligas, non est tibi gratia: magis fac ut contumaciores in lenitate subjicias. Non omne vulnus eodem emplastro curatur. Acredines perfusionibus seda. Propterea carne simul et spiritu constas, ut quæ conspectui tuo manifesta sunt, blande corrigas; quæ autem aspectum tuum fugiunt, pete ut tibi retegantur, ut in nullo deficias. *Ad* Polycarp. *capp.* 1 *et* 2.

Τοῦ αὐτοῦ.

Πάντων τὰς νόσους βάσταζε, ὡς τέλειος ἀθλητής. Ὅπου πλείων κόπος, πολὺ κέρδος. Καλοὺς μαθητὰς ἐὰν φιλῇς, χάρις σοι οὐκ ἔσται· μᾶλλον τοὺς ἀπειθεστέρους ἐν πραότητι ὑπότασσε. Οὐ πᾶν τραῦμα τῇ αὐτῇ ἐμπλάστρῳ θεραπεύεται. Τοὺς παροξυσμοὺς ἐμβροχαῖς παῦε. Διὰ τοῦτο σαρκικὸς εἶ καὶ πνευματικὸς, ἵνα τὰ φαινόμενά σοι εἰς πρόσωπον κολακεύῃς· τὰ δὲ ἀόρατα, αἴτει ἵνα σοι φανερωθῇ, ἵνα μηδενὸς λείπῃ.

IDEM *ibid.*, *litt.* υ, *tit.* XVII, *pag.* 788. B.

Sancti IGNATII, *ex Epistola ad* POLYCARPUM.

Sta velut incus quæ percutitur. Magni athletæ est verberari et vincere. Maxime autem propter Deum omnia nos sustinere oportet, ut et ipse nos sustineat. *Ad* Polycarp. *cap.* 3.

D Τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ, ἐκ τῆς πρὸς ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΝ Ἐπιστολῆς.

Στῆκε ὡς ἄκμων τυπτόμενος. Μεγάλου ἀθλητοῦ ἐστι δέρεσθαι καὶ νικᾷν. Μάλιστα δὲ ἕνεκεν Θεοῦ, πάντα ἡμᾶς ὑπομένειν δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομείνῃ.

IDEM *ibid.*, *litt.* δ, *tit.* XXXIV, *pag.* 778, C.

Sancti IGNATII, *ex Epistola ad* POLYCARPUM.

Servi non desiderent a communi liberi fieri;

Τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ, ἐκ τῆς πρὸς ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΝ Ἐπιστολῆς.

Οἱ δοῦλοι μὴ ἐράτωσαν ἀπὸ κοινοῦ ἐλευθεροῦ-

σθαι, ἀλλ' εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ τὸ πλεῖον δουλευέτωσαν, ἵνα κρείττονος ἐλευθερίας ὑπὸ Θεοῦ τύχωσιν. A sed ad gloriam Dei magis serviant, ut potiorem libertatem a Deo consequantur. *Ad* Polycarp. *cap.* 4.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XLII, *pag.* 779, D.

Ἐκ τῆς πρὸς ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΝ.

Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὑμῖν ὁ Θεός. Ἐγὼ ἀντίψυχον τῶν ὑποτασσομένων ἐπισκόπῳ, πρεσβυτερίῳ, διακόνοις· μετ' αὐτῶν μοι τὸ μέρος γένοιντο ἐν Θεῷ.

Ex Epistola ad POLYCARPUM.

Episcopo attendite, ut et Deus vobis. Unanimis ego sum cum iis qui subjecti sunt episcopo, presbyterio, diaconis: cum his pars mihi sit in Deo. Ad Polycarp. *cap.* 6.

IDEM *ibid.*, *litt.* υ, *tit.* XVII, *pag.* 788, B.

Ἐκ τῆς αὐτῆς.

Μακροθυμεῖτε μετ' ἀλλήλων ἐν πραΰτητι, ὡς ὁ Θεὸς μεθ' ὑμῶν διὰ παντός. B

Ex eadem.

Patienti animo invicem vos ferte cum mansuetudine, uti Deus vos semper. *Ad* Polycarp. *cap.* 6.

IDEM *ibid.*, *litt.* χ, *tit.* IV, *pag.* 724, E.

ΙΓΝΑΤΙΟΥ.

Χριστιανὸς ἑαυτοῦ ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ τῷ Θεῷ σχολάζει.

IGNATII.

Christianus sui ipsius potestatem non habet, sed Deo vacat. *Ad* Polycarp. *cap.* 7.

IDEM *ibid.*, *litt.* α, *tit.* LXXVI, *pag.* 772, D.

Ἐκ τῆς πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ Ἐπιστολῆς τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ τοῦ Θεοφόρου.

Μηδεὶς πλανάσθω. Ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ. Εἰ γὰρ ἑνὸς καὶ δευτέρου προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, πόσῳ μᾶλλον ἥ τε τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης τῆς Ἐκκλησίας; Ὁ οὖν μὴ ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ αὐτό, οὗτος ἤδη ὑπερηφανεῖ, καὶ ἑαυτὸν διακρίνει. Γέγραπται δέ· Ὑπερηφάνοις ὁ Θεὸς ἀντιτάσσεται. C

Ex Epistola ad EPHESIOS *sancti* IGNATII *Deiferi.*

Nullus erret. Si quis non est intra altare, Dei pane privatur. Si enim unius et alterius oratio tantum virtutis habet, quanto magis episcopi et omnis Ecclesiæ? Qui ergo simul non convenit, hic jam superbus est, ac se ipsum dijudicat. Scriptum est enim: *Deus superbis resistit.* *Ad* Ephesios, *cap.* 5.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XLVIII, *pag.* 779, D.

Πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ.

Σπουδάσωμεν μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ ἐπισκοπῳ, ἵνα ὦμεν Θεῷ ὑποτασσόμενοι. Καὶ ὅσον βλέπει τις σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλέον αὐτὸν φοβείσθω. Πάντα γὰρ ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμποντα. Τὸν γοῦν ἐπίσκοπον, ὡς αὐτὸν τὸν Κύριον δεῖ προσβλέπειν.

Ad EPHESIOS.

Operam ponamus, ut non episcopo resistamus, ut simus Deo subjecti. Et quo magis episcopum tacentem quis videt. eo plus ipsum timeat Omnem enim quem paterfamilias ad suam dispensationem mittit, sic nos oportet recipere velut ipsum a quo mittitur. Episcopus itaque aspici debet uti Dominus ipse. *Ad* Ephes. *capp.* 5 *et* 6.

Hic locus, nonnullis demptis, aliisque leviter immutatis, occurrit ibidem, pag. 750, D.

IDEM *ibid.*, *litt.* α, *tit.* LXXVI, *pag.* 772, C.

Ἐκ τῆς πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ Ἐπιστολῆς τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ τοῦ Θεοφόρου. D

Ex sancti IGNATII *Deiferi Epistola ad* EPHESIOS.

Τοὺς μερισμοὺς φεύγετε, ὡς ἀρχὴν κακῶν. Εἰώθασί τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα Χριστοῦ περιφέρειν, ἄλλα τινὰ πράσσοντες ἀνάξια Θεοῦ, οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς θηρία ἐκκλίνειν. Εἰσὶ γὰρ κύνες λυσσῶντες λαθρόδηκται· οὓς δεῖ ὑμᾶς φυλάσσεσθαι, ὄντας δυσθεραπεύτους.

Fugite divisiones, uti malorum initia. Solent aliqui malo dolo Christi nomen circumferre, alia quædam indigna Deo factitantes; a quibus vos oportet tanquam a feris declinare. Sunt enim rabiosi canes clam mordentes: a quibus vos debetis cavere, ceu qui difficile mansuescant. *Ad* Ephes. *cap.* 7.

Ad hunc locum Cl. LEQUIEN adnotat minus recte, verba ista, τοὺς μερισμοὺς φεύγετε, ὡς ἀρχὴν κακῶν,

neque in sinceris, neque in interpolatis Ignatii epistolis legi. Exstant enim in fine cap. 7 *Epist. ad Smyrnæos*, ut jampridem monuit doctissimus Cotelerius ad cap. 7 *Epist. ad Ephesios*, ad quod pertinent reliqua iis subjecta; licet omnia isthæc velut ex *Epistola ad Ephesios* descripta nobis obtrudere auctori *Parallelorum* placuerit.

IDEM *ibid.*, *litt.* σ, *tit.* XI, *pag.* 687, A.

Carnales spiritualia operari non possunt, neque spirituales carnalia. *Ad* Ephes. *cap.* 8.

Οἱ σαρκικοὶ τὰ πνευματικὰ πράσσειν οὐ δύνανται, οὔτε οἱ πνευματικοὶ τὰ σαρκικά.

IDEM *ibid.*, *litt.* π, *tit.* XXV, *pag.* 785, C.

Fides autem nostra, dux noster est: charitas autem, via nos sursum ad Deum provehens. *Ad* Ephes. *cap.* 9.

Ἡ πίστις ἡμῶν, ἀναγωγεὺς ἡμῶν· ἡ δὲ ἀγάπη, ὁτὸς ἡ ἄνω φέρουσα πρὸς Θεόν.

IDEM *ibid.*, *litt.* δ, *tit.* XII, *pag.* 777, E.

Sancti IGNATII *Theophori, ex Epistola ad* EPHESIOS.

Novissima tempora sunt, fratres. Cæterum pudeat nos ac vereamur patientiam Dei, ne in judicium nobis convertatur. Vel enim futuram iram timeamus, vel præsentem gratiam diligamus, modo saltem in Christo Jesu reperiamur. *Ad* Ephes. *cap.* 11.

B Τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ τοῦ Θεοφόρου, ἐκ τῆς πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ Ἐπιστολῆς.

Ἔσχατοι καιροί, ἀδελφοί. Λοιπὸν αἰσχυνθῶμεν· φοβηθῶμεν τὴν μακροθυμίαν τοῦ Θεοῦ, μὴ εἰς κρῖμα ἡμῖν γένηται. Ἢ γὰρ τὴν μέλλουσαν ὀργὴν φοβηθῶμεν, ἢ τὴν ἐνεστῶσαν χάριν ἀγαπήσωμεν ἐν τῷ νῦν βίῳ, μόνον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εὑρεθῶμεν.

IDEM *ibid.*, *tit.* XXX, *pag.* 778, B.

IGNATII *Theophori ad* EPHESIOS.

Quando crebro convenitis, virtutes Satanæ destruuntur. Deletur interitus ejus per concordiam fidei vestræ. *Ad* Ephes. *cap.* 13.

ΙΓΝΑΤΙΟΥ τοῦ Θεοφόρου, πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ.

Ὅταν πυκνῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνησθε, καθαιροῦνται δυνάμεις τοῦ Σατανᾶ. Λύεται ὄλεθρος αὐτοῦ ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν τῆς πίστεως.

IDEM *ibid.*, *litt.* β, *tit.* I, *pag.* 775, A.

S. IGNATII, *ex Epistola ad* EPHESIOS.

Nihil pace præstantius, in qua bellum omne exstinguitur. *Ad* Ephes. *cap.* 13.

C Τοῦ ἁγίου ΙΓΝΑΤΙΟΥ ἐκ τῆς πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ Ἐπιστολῆς.

Οὐδέν ἐστιν ἄμεινον εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς πόλεμος καταργεῖται.

Exstat hoc dictum et in *Parrallelis Vatic.* ibid., pag. 354. C, ubi minus recte notatum, illud ex *Epist. ad Ephesios interpolata* desumptum.

IDEM *ibid.*, *litt.* π, *tit.* XXV, *pag.* 785, B.

Sacrosancti martyris IGNATII *Theophori ex Epistola ad* EPHESIOS.

Nihil vos latet, si in Christum Jesum fidem et dilectionem habeatis, quæ sunt vitæ principium et finis. Ac fides quidem principium est; finis vero charitas. Hæc autem duo in unitate conjuncta, Deus est; cætera vero omnia ad eximiam bonitatem consectaria sunt. Nemo fidem habere promittens, peccat. Nemo dilectionem possidens, odit. Manifesta D est arbor a fructu suo. Sic qui promittunt se Christi futuros, ex his quæ agunt, videbuntur. Non enim nunc est repromissionis opus, sed in virtute fidei, si quis inveniatur in finem. *Ad* Ephes. *cap.* 13.

Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος ΙΓΝΑΤΙΟΥ τοῦ Θεοφόρου, ἐκ τῆς πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ αὐτοῦ Ἐπιστολῆς.

Οὐδὲν λανθάνει ὑμᾶς, ἐὰν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἔχητε τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος. Ἀρχὴ μὲν ἡ πίστις· τέλος δὲ ἡ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα, Θεός ἐστι. Τἄ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκαγαθίαν ἀκολουθά εἰσιν. Οὐδεὶς πίστιν ἐπαγγελλόμενος ἔχειν, ἁμαρτάνει. Οὐδεὶς ἀγάπην κεκτημένος, μισεῖ. Φανερὸν τὸν δένδρον ἀπὸ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ. Οὕτως οἱ ἐπαγγελλόμενοι Χριστοῦ εἶναι δ' ὧν πράσσουσιν ὀφθήσονται. Οὐ γὰρ νῦν ἐπαγγελίας τὸ ἔργον, ἀλλὰ δυνάμει πίστεως, ἐάν τις εὑρεθῇ εἰς τέλος.

IDEM *ibid.*, *litt.* α, *tit.* LXXVI, *pag.* 772, D.

Ex Epistola ad EPHESIOS.

Nolite errare, fratres mei: corruptores domo-

Ἐκ τῆς πρὸς ΕΦΕΣΙΟΥΣ Ἐπιστολῆς.

Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου· οἰκοφθόροι βασιλείαν

Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. Εἰ οὖν οἱ κατὰ σάρκα ταῦτα πάσχοντες ἀπέθνησκον, πόσῳ μᾶλλον ἐὰν πίστιν ἐν κακοδιδασκαλίᾳ φθείρει [leg. φθείρῃ], ὑπὲρ ἧς Ἰησοῦς Χριστὸς ἐσταυρώθη; Ὅτι οὕτος ῥυπαρὸς γενόμενος, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον χωρήσει, ὁμοίως καὶ ὁ ἀκούων αὐτοῦ.

A rum regnum Dei non possidebunt. Si ergo qui hæc secundum carnem patiuntur, mortui sunt; quanto magis si fidem aliena doctrina labefactet, propter quam Jesus Christus crucifixus est? Quoniam hic contracta sorde, in ignem inextinctum abibit, quemadmodum ei qui ipsum ausculat. *Ad* Ephes. *cap.* 16.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XLVIII, *pag.* 779, E, 780, A.

Τοῦ αὐτοῦ πρὸς ΜΑΓΝΗΣΙΟΥΣ.

Εἰς τιμὴν Θεοῦ τοῦ θελήσαντος ἡμᾶς, πρέπον ἐστὶν ὑπακούειν τῷ ἐπισκόπῳ κατὰ μηδεμίαν ὑποκρισιν. Ἐπεὶ οὐχὶ τὸν ἐπισκόπον τοῦτον τὸν βλεπόμενον πλανᾷ τις, ἀλλὰ τὸν ἀόρατον παραλογίζεται Θεόν. Τῷ δὲ τοιούτῳ, οὐ πρὸς σάρκα ὁ λόγος, ἀλλὰ πρὸς Θεὸν τὸν τὰ κρυπτὰ εἰδότα. Πρέπον οὖν ἐστι, μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι· ὥσπερ καί τινες ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσιν, χωρὶς δὲ αὐτοῦ πάντα πράσσουσιν. Οἱ τοιοῦτοι οὐκ εὐσυνείδητοί μοι φαίνονται, διὰ τὸ μὴ βεβαίως κατ' ἐντολὴν συναθροίζεσθαι.

Ejusdem ad MAGNESIOS.

In honorem Dei qui nos vult, decens est nos episcopo sine simultatione obedire, Quia nequaquam episcopum hunc qui oculis videtur, seducit quispiam, sed invisibilem Deum fallere putat. Tali autem viro, non ad carnem sermo est, sed ad Deum qui occulta cernit. Quocirca consentaneum C est, ut non solum Christiani vocemur, verum etiam simus; quo nempe modo aliqui episcopum quidem vocant, cuncta vero sine ipso peragunt. Tales autem mihi bonæ conscientiæ non esse videntur, quia non firmiter secundum mandatum congregantur *Ad* Magnes. *capp.* 3 *et* 4.

IDEM *ibid.*, *cap.* Περὶ φιλαδελφίας.

Πάντες ὁμοήθειαν Θεοῦ λαβόντες, ἀλλήλους ἐντρέπεσθε, καὶ μηδεὶς κατὰ σάρκα βλεπέτω τὸν πλησίον, ἀλλ' ἐν Χριστῷ ἀλλήλους διαπαντὸς ἀγαπᾶτε.

Omnes acceptis iisdem divinis moribus, vos mutuo revereamini; et nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Christo vos invicem semper diligite. *Ad* Magnes. *cap.* 6.

Hæc recitat COTELERIUS in notis ad hunc locum, ex *Parallelis Rupefucaldinis*, tunc adhuc ineditis, descripta; quæ tamen omisit in præclara sua editione Cl. LEQUIEN.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XLVIII, *pag.* 780, A.

Ἐκ τῆς αὐτῆς.

Μηδὲν ἔστω ἐν ὑμῖν ὃ δυνήσεται ὑμᾶς μερίσαι, ἀλλ' ἑνώθητε τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς προκαθημένοις, εἰς τόπον καὶ διδαχὴν ἀφθαρσίας. Ὥσπερ οὖν ὁ Κύριος ἡμῶν ἄνευ τοῦ Πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν, οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων, οὕτως μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσετε, μηδὲ πειράσητε εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν.

Ex eadem.

Nihil sit in vobis quod vos disjungere queat, sed copulamini cum episcopo et iis qui præsident, secundum normam et doctrinam incorruptionis. Quemadmodum igitur Dominus noster nihil sine Patre gessit, neque per seipsum, neque per apostolos; sic neque vos sine episcopo et presbyteris quidquam agatis; neque tentetis quidpiam quod vobis seorsim æquum appareat. *Ad* Magnes. *cap.* 6 *et* 7.

IDEM *ibid.*, *litt.* π, *tit.* XXV, *pag.* 785, C.

Ἐκ τῆς πρὸς ΜΑΥΝΗΣΙΟΥΣ τοῦ αὐτοῦ Ἐπιστολῆς.

Μάθωμεν κατὰ Χριστιανισμὸν ζῆν. Ὅστις γὰρ ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλεῖον τούτου, οὐκ ἔστι τοῦ Θεοῦ.

Ex Epistola ejusdem ad MAGNESIOS.

Discamus secundum Christianismum vivere. Qui enim alio ultra nomine vocatur, non est Dei. *Ad* Magnes. *cap.* 10.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XLVIII, *pag.* 780, B.

Τοῦ αὐτοῦ.

Τέκνα φωτὸς ἀληθείας, φεύγετε τὸν μερισμὸν, καὶ τὰς κακοδιδασκαλίας. Ὅποῦ δὲ ὁ ποιμήν ἐστιν, ἐκεῖ ὡς πρόβατα ἀκολουθεῖτε.

Ejusdem.

Filii lucis veritatis, fugite divisionem et malas doctrinas. Ubi autem est pastor, illuc tanquam oves sequimini. *Ad.* Philadelph. *cap.* 2.

IDEM *ibid.*, *litt.* α, *tit.* LXXVI, *pag.* 773, A.

Ex Epistola ad PHILADELPHIENSES.

A malis herbis abstinete, quas Jesus Christus non colit, propterea quod non ipsi sunt plantatio Patris. Ne erretis, fratres mei; si quis eum qui scissionem facit sequitur, regnum Dei hæreditate non possidebit. *Ad* Philadel. *cap*, 3.

A Ἐκ τῆς πρὸς ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΟΥΣ Ἐπιστολῆς.

Ἀπέχεσθε τῶν κακῶν βοτανῶν, ὧν Χριστὸς Ἰησοῦς οὐ γεωργεῖ. διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτοὺς φυτείαν τοῦ Πατρός. Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου· εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομεῖ.

IDEM *ibid.*, *litt.* ε, *tit.* XLVIII, *pag.* 780, B, C.

Ejusdem.

Testis autem mihi est, in quo vinctus sum, quoniam a carne humana non cognovi. Spiritus vero hæc prædicavit: Sine episcopo nihil faciatis; carnem vestram tanquam Dei templum custodite; unionem diligite, scissiones fugite; imitatores estote Jesu Christi, velut et ipse Patris. *Ad* Philadelph. *cap*. 7.

Τοῦ αὐτοῦ.

Μάρτυς μου ἐν ᾧ δέδεμαι, ὅτι ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων. Τὸ δὲ Πνεῦμα ἐκήρυσσε τάδε· Χωρὶς ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε· τὴν σάρκα ὑμῶν ὡς ναὸν Θεοῦ τηρεῖτε· τὴν ἕνωσιν ἀγαπᾶτε· τοὺς μερισμοὺς φεύγετε· μιμηταὶ γίνεσθε Ἰησοῦ Χριστοῦ, B ὡς αὐτὸς τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ.

IDEM *ibid.*, B.

Ejusdem.

Quando subjecti estis episcopo, mihi videmini, non secundum hominem viventes, sed secundum Jesum Christum, qui nostri causa mortuus est. *Ad* Trall. *cap*. 2.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ὅταν τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε, φαίνεσθέ μοι, οὐ κατὰ ἄνθρωπον ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν δι' ἡμᾶς ἀποθανόντα.

IDEM *ibid.*, *lit.* α, *tit.* LXXVI, *pag.* 772, E.

Ex Epistola ad TRALLENSES.

Hortor vos, non ego, sed gratia Domini nostri Jesu Christi, solo Christianorum cibo uti, ab extranea vero herba abstinere, quæ est hæresis, Et venenum perperam implicant, cum juxta atque digni sunt, fidem habeant; utpote qui mortiferum pharmacum una cum mulso præbeant; quod qui nesciat, lubenter accipit, ut in delectatione mala moriatur. Observemini igitur a talibus. *Ad* Trall. *cap*. 6.

C Ἐκ τῆς πρὸς ΤΡΑΛΛΙΑΝΟΥΣ Ἐπιστολῆς.

Παρακαλῶ ὑμᾶς, οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μόνῃ τῇ Χριστιανικῇ τροφῇ χρῆσθαι, ἀλλοτρίας δὲ βοτάνης ἀπέχεσθαι, ἥτις ἐστὶν αἵρεσις. Καὶ παρεμπλέκουσιν Ἰησοῦν Χριστὸν (leg, cum interpol. καὶ πορ. τὸν ἰὸν) καταξιοπιστευόμενοι, ὥσπερ θανάσιμον φάρμακον διδόντες μετ' οἰνομέλιτος, ὅπερ ὁ ἀγνῶν, ἡδέως λαμβάνει, ἐν ἡδονῇ κακῇ τὸ ἀποθανεῖν. Φυλάσσεσθε οὖν τοὺς τοιούτους.

IDEM *ibid*, *litt.* υ, *tit.* XI, *pag.* 702, E.

IGNATII.

Nemo vestrum adversus proximum quidquam habeat, ne occasionem gentibus detis; ne paucorum stultorum culpa fiat, ut multitudo divina virtute prædita maledictis impetatur. *Ad* Trall. *cap*. 8.

ΙΓΝΑΤΙΟΥ.

Μηδεὶς ὑμῶν κατὰ τοῦ πλησίον ἐχέτω τι· μὴ ἀφορμὰς δίδοτε τοῖς ἔθνεσιν, ἵνα μὴ δι' ὀλίγους ἄφρονας τὸ ἔνθεον πλῆθος βλασφημῆται.

IDEM *ibid.*, *litt.* α *tit.* LXXVI, *pag.* 772, E.

Ex eadem.

Fugite malas propagines, quæ mortiferum fructum generant; quem si gustet aliquis, statim moritur. Isti enim non sunt plantatio Spiritus. *Ad* Trall. *cap* 11.

Ἐκ τῆς αὐτῆς.

Φεύγετε τὰς κακὰς παραφυάδας, τὰς γεννώσας καρπὸν θανατηφόρον, οὗ ἐὰν γεύσεταί τις παραυτίκα ἀποθνήσκει. Οὗτοι γὰρ οὐκ εἰσὶ φυτεία τοῦ Πνεύματος.

—

EXCERPTA.

Ex Epistolis S. Ignatii Syriace a cl. Cureton editis et ab eodem Latine redditis (39).

—

NOTA. Hanc versionem confecit cl. Cureton, ut inserviret editioni epistolarum Ignatianarum a Bunsenio adornandæ. Subjecimus ex opere majori Curetonii, cui titulus *Corpus Ignatianum*, variantes lectiones, tum ex codicibus Excerptorum, tum ex aliis fragmentis Syriacis, quæ, ut ostendimus, eamdem versionem Syriacam exhibent, ex qua Excerpta confecta sunt. Usus est autem Curetonius tribus Excerptorum codicibus : 1° codice *British Museum Additional MS.* 12175, descripto in priori parte sæculi VI, qui solam ad Polycarpum exhibet; hunc nota α signavit. 2. Codice altero sæculi VII vel VIII, qui tres epistolas continet. (*Brit. Mus. add. ms.* 14618) ; quem nota β insignivit. 3. Codice tertio γ, sæculi VI vel VII (*Brit. Mus. add. ms.* 17192), qui tres epistolas exhibet.

—

EPISTOLA AD POLYCARPUM (40).

Ignatius qui-is Theophorus Polycarpo episcopo Smyrnæ, illi quis-is potius visitatus a Deo Patre et-a Jesu Christo Domino nostro, multam pacem!

I. 1. Propter quod-accepta apud-me mens-tua, illa, quæ-in-Deo firmata ut super petra, quæ-non mobilis, maxime glorifico Deum (40*).quod-significatus-sum facie-tua, illa, quam-in-Deo desidero. Peto igitur a-te in-gratia illa quam induisti ut-addas super cursum-tuum et-petens pro omnibus filiis hominis (*i. e.* hominibus), ut-vivant (*i. e.* salventur), et vindicans decentia in-omni diligentia corporis et-spiritus. Super unanimitate curæ-sit tibi : quia non-est aliquid, quod-quam ea melius. Sustine omnem-hominem, quemadmodum te sustinet Dominus noster. Cum omni-homine protrahe spiritum-tuum in-charitate, sicut facis. In orationibus persevera. Roga intellectum ampliorem quam illum qui est tibi. Vigila, quia-spiritum, qui-non dormit, possides Cum omni-homine, ut voluntas Dei, loquere. Morbos omnis-hominis sustine, ut athleta perfectus ; ubi enim quod multus labor, multum etiam lucrum.

2. Si discipulos bonos amas tantum, gratia non (est) tibi: potius illos qui-mali subjice in-mansuetudine. Non omnia vulnera in-una medicina sanata. Abscissiones in lenitate quieta. Sis prudens ut serpens, in-omni-re, et simplex ad illa, quæ-requisita, ut columba. Propter hoc es e-corpore et-e spiritu, ut-illa, quæ-visa ante faciem-tuam allicias, et super illis, quæ-abscondita a-te, ores, ut-manifestentur tibi, ut-in-ulla-re non sis deficiens, et in-omnibus donis abundes. Tempus postulat, ut gubernator navem, et ut is qui-stat in procella portum, ut-dignificeris Deo. Vigila ut athleta Dei ; id quod-propositum nobis vita, quæ ad æternum (*i. e.* vita æterna), quæ incorruptibilis, quibus etiam tu persuasus. In omni re ego ero pro anima-tua, et-vincula-mea illa quæ-amasti.

3. Illi (41) qui-existimantur quod-sunt aliquid, et-docent doctrinas alienas, ne stupefaciant-te. Ita autem in-veritate, ut athleta, qui-percussus: athletæ id enim magni ut-percutiatur et-incat. Maxime (42) propter Deum omnem rem decet nos, ut sustineamus, ut-sustineat nos etiam ipse. Sis diligens plus quam id quod-es. Discernas in-temporibus : illum qui-altior quam tempora, exspectes, illum cui-non (sunt) tempora, qui non visus, illum, qui propter-nos visus fuit, illum qui-non palpatus, illum qui-non patiens, illum qui-propter-nos passus-est, illum qui omnem-rem omni modo sustinuit propter-nos.

II. 4. Viduæ ne negligantur : propter Dominum-nostrum tu sis curator earum ; neve quid fiat seorsum a mente-tua ; neve tu facias quid seorsum a mente Dei : neque quidem facis tu. Sta bene! Congregationes sint continuæ. Omnem hominem quæras e nomine-ejus. Servos et servas ne contemnas sed neve illi contemnant, sed velut ad gloriam Dei magis serviant, ut dignificentur libertate potiore, quæ-a Deo : ne ament, ut-e communi liberentur, ne inveniantur servi cupiditatum.

5. Ab artibus malis fuge ; magis autem loquaris propter eas. Sororibus meis dicas, ut-ament in Domino-nostro et sufficiant iis viri-earum in-corpore et-in-spiritu. Rursus autem etiam fratribus-meis præcipias in nomine Domini-nostri Jesu Christi ut-ament uxores-suas, ut Dominus-noster Ecclesiam-suam. Si homo potest in fortitudine manere in-castitate, in-honorem corporis Domini nostri, maneat sine gloriatione : si glorietur, perit ; si notus-fuerit seorsum ab episcopo, corruptus-est sibi (a se ipso)

(39) Vide supra Dissertationem quam de genuinitate textus recepti epistolarum S. Ignatii contra Curetonium scripsit Dr Henricus Denzinger, Wirceburgensis, theologiæ professor, qui ipse hæc nobis excerpta transmisit. EDIT. PATR.

(40) Inscriptio in codice α est hæc : *Epistola Domini mei Ignatii episcopi ;* β : *Epistola Ignatii ;* γ : *Epistola Ignatii episcopi Antiochiæ.*

(40*) Hanc vocem *Deum* addunt β et γ ; deest autem in Græco.

(41) Cod. canonum Syriacus (*Corp. Ign.* p. 198) addit : *autem.*

(42) Idem add. *autem.*

Decet igitur (43) viris et mulieribus,qui-conjuncti, ut-in-consilio episcopi sint conjuncti,ut-sit matrimonium in-Domino nostro,et-non-in-concupiscentia. Omnis-res igitur ad-gloriam Dei fiat.

III. 6. Spectetis in-episcopum, ut-etiam Deus spectet in vos.Ego ero pro animis illorum qui-subjecti episcopo et-presbyteris et-diaconis : cum eis sit mihi portio apud Deum. Laborate simul, facite agonem simul,currite simul, patimini simul, dormite simul (44), surgite simul. Sicut magni domuum (*i. e.* œconomi) Dei et-filii domus (*i. e.* domestici)-ejus et-ministri-ejus. Placete ei et-servite ei,ut-accipiatis ab eo obsonia.Ne homo e-vobis rebellet. Baptisma-vestrum sit vobis (45) ut armatura, et fides ut galea, et charitas ut lancea,et-patientia ut omnis armatura (*i. e.* panoplia). Thesauri vestri sint opera-vestra bona, ut-accipiatis donum Dei sicut justum. Sit patiens spiritus-vester ad (vos) invicem in-mansuetudine, sicut Deus ad-vos. Ego gaudeam in-vobis in-omni-tempore.

7. Christiano (46) non-est ei potestas super se-ipso, sed Deo paratus ut-subjiciatur (47). Rogo pacem illius (*i. e.* saluto illum) qui-dignificatus, ut-eat ad Antiochiam loco-meo,sicut præcepi (48)-tibi. Explicit (49).

EPISTOLA AD EPHESIOS.

Ejusdem secunda quæ-ad Ephesios (50).Ignatius, qui-is Theophorus, Ecclesiæ quæ-benedicta in-magnitudine Dei Patris et-perfecta : illi quæ separata a sæculis, ut-sit in-omni-tempore ad-gloriam quæ manens et non mutata, et-perfecta et-electa in passione (*emend. Cureton. Cod.* in proposito) veritatis, in-voluntate Patris Jesu Christi Dei-nostri : illi quæ-digna beatitudine,illi quæ est in Epheso in-Jesu Christo in gaudio quod-inculpabile multam pacem.

I. 1. Propter quod-acceptum apud-me in-Deo nomen vestrum,illud quod-multum amatum, illud quod-acquisivistis in-natura, in-voluntate proba et-justa, et-etiam in-fide et-in-charitate Jesu Christi Salvatoris-nostri, et-estis imitatores Dei, et-ferventes (51) in-sanguine Dei et-opus fraternum-vestrum in-festinatione perfecistis, cum (52) audivistis quod vinctus ego a Syria (53) (*cod.* actionibus) propter nomen et-spem communem, et-sperans ego in-orationibus-vestris ut devorer a bestiis in-Roma, ut-eo quod dignificatus ego, confirmer vi ut-sim discipulus Dei ; diligentiam-adhibuistis,ut veniretis et-videretis-me. Propter igitur quod abundantiam-vestram accepimus in nomine Dei in-Onesimo illo, qui-est episcopus vester in-charitate quæ ineffabilis;ille quem-oro-Jesu Christo Domino-nostro ut-diligatis-eum,et-omnes-vos sitis similitudine-ejus,benedictus is enim, ille qui-dedit vobis hujusmodi episcopum, velut digni vos. . .

. . . . . .

3. Sed propter quod-charitas non sivit me ut-silerem a-vobis, propter hoc præoccupavi ut orem a-vobis, ut-diligentiam-adhibeatis in voluntate Dei . . . . . .

. . . . . .

8. Dum enim non plantata in-vobis una e concupiscentiis, illa quæ potens crucians (cruciare) vos, ecce in-Deo vivitis. Gaudeo in-vobis et-supplico propter vos Ephesio (qui estis) Ecclesiam, quæ-celebrata in-omnibus sæculis. Illi enim quid-sunt carnales, spiritualia ut-faciant, non possunt, neque spirituales carnalia, quemadmodum neque fides illa quæ-sunt-aliena a-fide, neque defectus fidei quæ-fidei. Illa enim quæ in-corpore fecistis, etiam ea spiritualia, quod-in-Jesu Christo omnem rem fecistis, et parati vos . . . . . .

. . . . . .

9. Ad-ædificationem Dei Patris, et-sublati vos ad-excelsum in-machina Jesu Christi, quæ-est crux, et tracti (54)in-fune qui-est Spiritus sanctitatis, et-trochlea-vestra est fides-vestra, et-charitas-vestra via quæ-ascendere-facit ad-excelsum ad Deum. .

. . . . . .

II 10.Orate super omnibus filiis-hominis ; est eis enim spes pœnitentiæ ut-dignificentur Deo. Ex operibus-vestris potius fiant discipuli. . . . .

Contra verba-eorum dura in-mansuetudine mentis placate et-in lenitate, contra blasphemias

(43) In *Corpore Ignatiano* Cureton ex codd. β. γ. lectionem *autem*,quæ Græco magis consonat,usurpavit.

(44) Hæc verba ; *dormite simul* desunt in β.

(45) β et γ : *apud vos.*

(46) Cod. canonum Syr. *(Corp. Ign.*, p. 201*)* legit : *Christianus.. non est ipsi*, cum textus Curetonii habeat : *Christiano... non est ipsi.* Cod. can. porro add. *enim.*

(47) Idem legit : *Sed semper paratus est Deo.*

(48) γ legit : *Sicut præcepisti nobis.*

(49) β *Completum est* ; γ : *Completa est prima.*

(50) Ita β ; γ vero : *Altera epistola ad Ephesios.*

(51) γ : *Et fuistis ferventes.*

(52) γ : *enim.*

(53) γ : *visitatione :* est apertum mendum textus Syriaci ex similitudine vocabulorum ortum pro *a Syria.*

(54) γ addit : *vos.*

eorum vos sitis orantes, et-contra errorem- A
eorum armati-sitis in-fide, et-contra ferocitatem-
eorum sitis placantes et quieti . . . . . .
. . . . . .
neve sitis-similes (*emend. Cureton. cod.* obstupefacti sitis) in-eis. Simus igitur imitatores in-Domino-nostro in-mansuetudine. . . . . .
. . . . . .
et-quod-quis potius opprimatur et-fraudetur et-privetur . . . . . .
. . . . . .

14. Non suasionis id opus (non quod promissio ea opus); nisi quod-in-potestate fidei inveniatur homo usque ad-finem.

15. Melius hoc (55) ut-sit silens homo cum est aliquid, quam ut-sit loquens cum non est; . .
. . . . . B
ut-in-manu illorum (*i. e.* per illa) quæ loquitur operetur, et-per illa quæ-silet cognoscatur. . .
. . . . . .

18. Adorat spiritus-meus crucem, illa quæ-est scandalum illis qui-non persuasi, vobis autem ad-salvationem et-ad-vitam quæ-ad-æternum . . . . . .
. . . . . .

19. Latuit ab archonte sæculi hujus virginitas Mariæ, et-partus Domini-nostri (56) et (57) tria mysteria clamoris, quæ-facta-sunt in-lenitate Dei ab apud stellam : . . . . . .
. . . . . .
et-hic in-manifestatione Filii cœpit cessare magica et-omnia vincula soluta et-regnum antiquum et-error malitiæ perditus fuit. . . . . .
. . . . . .
Ex inde commota fuerunt simul omnia et-solutio mortis meditata fuit, etfuit initium illi quod in-Deo perfectum. Explicit (58).

EPISTOLA AD ROMANOS.

Epistola tertia ejusdem sancti Ignatii (59).

Ignatius, qui-is Theophorus, Ecclesiæ, quæ misericordiam-assecuta-est in-magnitudine Patris excelsi , ...
illi quæ-sedet in-capite in-loco regionis Romanorum, quæ-digna Deo et digna vita (60) et-beatitudine et-laude et-recordatione et-digna esse felix et-sedens in-capite in-charitate et perfecta in-lege Christi . . . . . .
quæ inculpabilis, multam pacem !

I. 1. Ex antiquo oravi Deum ut-dignificer ut- C
videam facies vestrum, illas quæ-dignæ Deo : nunc igitur cum vinctuo ego in-Jesu Christo, spero ut-occurram-vobis et-rogem in-pace vestra (61) (*i. e.* et salutem vos), si erit voluntas ut dignificer usque in-finem. Principium enim bene dicpensatum-est, si dignificer attingere ad finem, ut accipiam portionem-meam sine impedimento patienter (*i. e.* patiendo) (62). Timeo enim a charitate-vestra ne lædat-me (63): vobis quidem facile vobis-facere quod vultis ; mihi autem difficile mihi ut dignificer Deo, si quidem (64) vos non parcitis super-me.

2. Non (65) est enim tempus aliud hujusmodi ut-Deo dignificer, neque vos, si taceatis (66), in opere quod melius quam hoc inveniemini. Si relinquatis-me, verbum Dei ero : sin autem corpus-meum ame- D
tis, rursus factus ego mihi vox. Non dabitis mihi quidquam quod-melius, quam hoc ut-sacrificer Deo, dum paratum altare, ut-in charitate sitis, in-una concordia et-laudetis Deum Patrem in-Jesu Christo Domino-nostro, quod-episcopum (67) dignificavit ut-sit Dei, cum vocavit eum ab oriente ad-occidentem. Bonum (68) id ut-occidam a mundo in-Deo, ut-in-eo oriar in vita.

3. Non-unquam invidistis in-homine : alios docuistis ; solum fortitudinem rogate, ut-detur mihi ab intra et-ab extra, ut non solum dicam, sed etiam velim, et-non quod-Christianus sum vocatus (sim), ego solum, sed etiam inveniar quod-sum. Si enim inveniar quod-sum, etiam (ut) vocer potens ego. Tunc factus (ero) ego fidelis, cum in-mundo non-amplius visus-ego. Non (est) enim (69) quod-visum, quod-sit bonum. Neque persuasionis id opus, sed magna ea Christianitas, dum odit eam mundus.
. . . . . .

II. 4. Ego scribo omnibus Ecclesiis et-notifico omni-homini quod-cum volo (*i. e.* libenter) morior pro Deo, si-id (sit), quod-vos non impediatis-me (70). Peto a-vobis, ne sitis apud-me (71) in-amore qui-non in-tempore suo. Sinite-me ut-sim bestiarum ut-per-eas dignificer Deo. Triticum Dei sum, et-in-dentibus (72) bestiarum molitus ego, ut-inveniar panis purus Dei.

(55) *Hoc* additur a codice γ.
(56) γ addit : *et mors ejus.*
(57) Itg β, γ ; sed α omittit *et.*
(58) γ add. : *Finita est epistola secunda ;* β vero : *finitum est.*
(59) β : *Tertia epistola ejusdem Ignatii* ; γ : *Epistola tertia.*
(60) Legendum videtur : *digna decore,* ἀξιοπρεπῆς, cum illnd *digna vita* facile permutatis quibusdam litteris similibus oriri potuerit.
(61) γ : *Spero ut rogem pacem vestram.*
(62) γ : *Patiendo.*
(63) γ omittit *me.*
(64) γ omittit *quidem.*
(65) γ add. *mihi.*
(66) Syriace : *Si relinquatis me.*
(67) γ add. : *Syriæ.*
(68) γ add. : *mihi.*
(69) γ add. *quidquam.*
(70) Hæc verba : *si vos non impediatis me* desunt in fragmento *Corp Ign.* p. 201.
(71) Juid desunt hæc : *apud me.*
(72) Fragmentum *Corp. Ign.* p. 296, legit : *are.*

Provocando provocate illas bestias, ut-sint mihi sepulcrum (73), et-quidquam ne relinquat e corpore-meo, ut-neque cum occubuero, sim onus super homine. Tunc ipse factus ego eiscipulus in-veritate Jesu Christo, cum neque corous-meum videt mundus: Rogate a Domino-nostro pro-me, ut-per instrumenta hæc inveniar sacrificium Deo. Non factus ut Petrus et-Paulus præcipiens ego vobis : illi qui-sunt apostoli, ego autem (74) condemnatus : illi quidem (15) filii liberorum (liberi), ego autem servus usque ad-nunc ; sed si patior, manumissus Jesu Christi factus (ero) ego et-surgam in-eo ab inter mortuos filius liberorum (liber).

III. Et nunc cum vinctus ego, disco ut-quidquam ne cupiam. 5. A Syria et-usque ad-Romam inter bestias jactus ego, in-mari et-in-terra, in-nocte et-in-die, cum vinctus ego inter decem leopardos, qui-sunt ordo militum, qui-etiam dum bene-facio iis, magis male facientes mihi. Ego autem in-injuriis-eorum magis factus-discipulus ego. Non autem propter hoc justificatus-sum mihi. Gaudeo in-bestiis quæ-paratæ mihi, et-oro ut in-festinatione inventæ mihi, et-provocabo eas ut-in-festinatione devorent. me, et-non sicut id quod timet ab hominibus aliis et-non appropinquat ad-eos : etiam si illæ non velint appropiquare ad-me, ego in-violentia ibo super-eas.

IX. Noscite me a me ipso quod expedit mihi (76). Nihil invideat in-me quidquam ex iis quæ-visa et-quæ-non visa, ut-Jesu Christo dignificer. Ignis (77) et-crux et-bestiæ quæ-paratæ, amputatio membrorum, et-sparsio ossium et-molitiones totius corporis, tormenta dura (78) diaboli super-me veniant, et-solum Jesu Christo dignificer. . . . . .

. . . . . .

6. Dotores partus stant super me (79), ...

. . . . . .

7. et-amor-meus crucifixus: et-non (est) in-me ignis in-amore-alio (80). Non cupio cibum corruptionis neque concupiscentias mundi hujus. Panem Dei quæro, qui-est corpus Christi, et-sanguinem ejus (81) quæro potum, qui est charitas quæ-non corruptio (incorruptibilis) : . . . . . .

V. 9. Rogat pacem-vestram (*i. e.* salvare vos jubet), spiritus-meus-et-charitas Ecclesiarum quæ-acceperunt-me velut nomen Jesu Christi : etiam enim illi qui (82) propinqui ad-viam in-corpore in-omni-civitate, obviaverunt mihi. Nunc prope ego ipse, (ut) accedam ad-Romam (*Trall.* 4) : multa scio in-Deo, sed moderor meipsum, ut-ne peream in gloriatione. Nunc id enim decet me, ut-timeam abundantius, neve aspiciam in-illos qui-inflant mihi. Illi enim qui-dicunt mihi quæ-(sunt) sicut hæc, flagellant me. Amo enim ut-patiar, sed non scio, si dignus ego. Zelus enim multis non visus, mecum vero bellum est ei. Utilis ea mihi igitur mansuetudo, quod-in-ea dissolutus archon mundi hujus (*Trall.* 5). Potens ego (sum) ut scribam vobis cœlestia, sed timeo ne damnum faciam vobis. Noscite me a me-ipso : cautus ego enim ne non inveniatis sufficere et-impediamini. Etiam ego enim non propter quod-vinctus ego, et-possum scire cœlestia et (83) loca angelorum, et-stationes potestatum, quæ-visa et-quæ-non visa, propter hoc factus-sum (84) discipulus. Multum enim deficio a perfectione quæ-digna Deo (85) (*Rom.* 10). Sitis sani perfecte in-patientia Jesu Christi Dei nostri.

Finitæ sunt epistolæ tres Ignatii episcopi et martyris (86).

(73) Fragm *ibid.* p. 201, legit : *in sepulcrum.*

(74) Deest *autem* in fragmento *Corp Ign.* p. 296.

(75) γ omittit *quidem*, et ita quoque fragmentum *Corp. Ign.* p. 296.

(76) In versione Anglica *Corp. Ign.* p. 231, ita hæc reddidit Cureton : *Noscite mihi a me ipso Quid convenit mihi* ? Fragm. vero in *Corp. Ign.* p. 201 : *Noscite mihi a me ipso quid mandatum mihi.*

(77) Fragm *Corp. Ign.* p. 201 hæc ita legit : *Ignis et crux et bestiæ, quæ paratæ mihi. et divisio et sparsio ossium et amputatio membrorum et tormenta totius corporis et mali cruciatus diaboli.*

(78) Vox Syriaca ob similitudinem cum alia immutata videtur, ita ut genuina lectio Syriaca foret : *mala ;* ita revera legit fragmentum *Corp. Ignat* p. 201.

(79) Fragm. p. 201 *Corp. Ign. : et dolores mortis stant*, quæ vox *mortis* Syriace simillima est voci *partus*

(80) γ : *amoris alius.*

(81) Sic interpunctionem nabet γ ; al. est comma post *sanguinem ejus.*

(82) γ add. *non.*

(83) Coll. canonum Syriaca (*Corp. Ign.* p. 198, 15) legit : *etiam.*

(84 Idem codex legit : *facti estis*

(85) Idem legit : *Multum enim nobis deficit ne a Deo excidamus.*

(86) Ista verba cod. β non sunt ita vertenda, ut recte docuit Cl. Petermann. Voces Syriacæ hanc versionem non requirunt : *les trois lettres*, sed et istam admittunt : *la lettre trois*, b. c. epistola tertia vel *trois lettres*, sine articulo ; cod. γ habet : *finita est tertia.*

LITURGIA SANCTI IGNATII.

(RENAUDOT, *Liturgiarum Orientalium Collectio*, edit. 2, Francofurti, 1847, in-4°, t. II, p. 214.)

Longa oratione non opus est ad istius Liturgiæ novitatem probandam, cum satis ipsa se prodat. Stylus enim synonymis et epithetis inflatus ultra modum, natæ infelicibus sæculis eloquentiæ magis convenit, quam primævæ apostolicorum temporum simplicitatis, quam genuina Ignatii Martyris scripta repræsentant. Illa apud Syros vulgari sua lingua olim exstitisse docent nos multa ex illis testimonia, quæ in libris Theologicis occurrunt, sed præ cæteris excerpta ex ejus genuinis Epistolis non pauca, quæ Conciliorum Canonibus adjuncta reperiuntur in vetusta versione Syriaca, quam Codex Mediceus membranaceus repræsentat. Addidit interpres, illas sententias vulgo inter Canones non referri, verum ex nomine tanti viri, æqualem quodammodo habere auctoritatem. Factam esse ex optimis Codicibus interpretationem illam agnovimus, et ab auctore quicunque fuerit non imperito : tum illud etiam animadversione dignum observavimus, codices illum, similes Florentino illi celeberrimo quo Latinus interpres usus fuerat, serutum fuisse, nec alias, nisi veras Epistolas agnovisse. At nulla, præter Jacobiticam Antiochenam Ecclesiam, habuit hue usque Liturgiam Ignatio attributam : neque de ista quidquam aliud cogitare possumus, nisi quod ab aliquo scripta, cum singularem titulum non præferret, essetque Antiochenæ Ecclesiæ propria, Ignatii nomen, tanquam illius insignis Episcopi, acceperit. Potuit etiam ab aliquo Ignatio scripta fuisse, qui illam sedem tenuerit, aliquot enim ita appellati sunt; inter Jacobitarum Patriarchas, et librariorum culpa ad Martyrem referri, quæ novi hominis foret. Sed quid de istiusmodi titulis statuendum sit, quantum opus erat, dictum est alibi.

In ista quidem Liturgia Monophysitarum hæreseos ne levissimum quidem vestigium deprehenditur, quæ majoris, quam existimanus, antiquitatis nota, verisimilis videri aliquibus posset. Meminisse tamen oportet, quod alibi observatum est, raro inter Jacobitas Syros, Liturgicis precibus, ea quæ ad suæ de Incarnationis mysterio doctrinæ confirmationem pertinent, inseri solere. Solis Ægyptiis proprium illud fuit, qui Confessioni de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, alteram de una in Christo natura conjunxerunt. Itaque quod nihil ad eam pertinens in ista Ignatii Liturgia reperiatur, ad illius antiquitatem probandam nullius momenti est, cum recentioris ævi tam multa aliunde præferat indicia. Inter illa tamen commemoratio in Diptychis facta, sanctorum qui consumpto dudum per martyrium Ignatio in Ecclesia floruerunt censeri non debet : nomina quippe illa adjici potuerunt, ut in aliis observatur, quia tales commemorationes erant ex usu ecclesiastico. Quod vero Dioscorus et Severus nominatim commemorantur, illam Liturgiam Jacobitis propriam fuisse manifestum facit.

Primum Oratio ante Pacem.

Deus Pater sancte, genitor propaginis æternæ, largitor bonorum et dator tranquillitatis et pacis, qui ultra omnem comprehensionem mentium et animarum rationalium magnificus es in donis tuis divinis quæ nobis peccatoribus et filiis tuis concessisti, cum præstitisti nobis, ut ea quemadmodum æquum est et justum administraremus : præsta nobis, ut cum summa puritate et castitate, atque immunitate ab omni dolo, demus invicem pacem, cum amplexibus Spiritus sancti, et in vinculo veræ charitatis, ut in una concordia spirituali consistentes, et unanimitatem pacificam observantes, digni efficiamur convivio beato et sanctificatione unigeniti Filii tui, cum quo te decet gloria, honor et potestas, cum Spiritu tuo sanctissimo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Det unusquisque pacem.

Populus. Omnes.

Diaconus. Post.

Populus. Coram te.

Sacerdos. Bonus, beatus et demissor benedictionum es erga eos omnes qui credunt in te. Et nunc, Domine, ne aspicias quod indigni sumus, nec ob defectum fiduciæ nostrum, coram te, prives populum tuum fidelem, Domine, gratia tua divina, sed placide et benigne, mitte benedictiones tuas super congregationem hanc adorantium te : imple nos gratia et lumine scientiæ tuæ, et suscipe deprecationes gregis tui, ut in contemplatione pura, cum primitiis feracibus operum bonorum, festum agamus tibi simul, teque exaltemus et unigenitum Filium tuum et Spiritum tuum sanctum.

Populus. Amen

Sacerdos elevans vocem. Quis possit verbis explicare beneficia clementiæ tuæ, Domine ? aut quis possit narrare abundantiam amoris tui erga homines, o beate ? qui nos cum multitudine impietatum detineremur, et catenis peccatorum compediti essemus, dignos fecisti hujusmodi ministerio excelso et magno. Præsta nobis, ut abstersi a sordibus peccati, et purissime nos secundum corpus et animam habentes, digni efficiamur beatitudine illa quæ a te promissa est illis qui faciunt voluntatem tuam, et illuminatione atque illustratione Spiritus tui sancti, ut etiam functione sacerdotii unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Diaconus. Stemus, etc.

Populus. Misericordiæ, etc.

Sacerdos. Charitas, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sursum corda.

Populus Habemus ad Dominum.

Sacerdos. Gratias agamus Deo.

Populus. Dignum et justum est.

Sacerdos inclinatus. Vere decet tibi adorationem cum honore, laude et exaltat one. exhiberi ab omnibus creaturis tuis rationalibus, simulque unigenito Filio tuo, et Spiritui tuo sancto.

Elevans vocem Tu ille es qui a substantiis sub limibus. et immaterialibus, decore summo, et triumphaliter in excelsis, honoraris, laudaris et glorificatione perpetua celebraris, cantibus puris et sanctis, citharis suavibus, et jucundis, exaltationibusque et hymnis triumphalibus, festis indesinentibus, et canticis non cessantibus, per ora incorporea, per linguas non carneas, per præcona eximia spiritualium, per æqualem concentum igneorum, per puras voces thronorum, per sonum magnum cherubim, et sanctificationes purissimas seraphim, qui terribiliter alis plaudunt, volantesque ter sanctificant, clamant, vociferantur et dicunt :

Populus. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Sacerdos inclinatus. Sanctus enim es, Deus Pater, Sanctus etiam unigenitus Filius tuus. Sanctus etiam Spiritus tuus sanctus : qui similes cœlestibus per amorem tuum erga homines, nos fecisti, et tantopere dilexisti nos, ut etiam unigenitum Filium tuum tibi consubstantialem mitteres ad salutem nostram : qui incarnatus est, ineffabiliter, et factus est homo, quomodo voluit et novit et omnia quæ nostra erant, excepto peccato, pro nobis perfecit.

Elevans vocem. Qui totam dispensationem salutarem pro nobis perfecit et per passiones suas sanctas, adventus sui in carne, veritatem demonstravit. In nocte Paschatis in qua tradebatur pro vita et salute mundi, accepit panem in manus suas sanctas, sanctificavit eum †, et fregit † deditque † discipulis suis apostolis sanctis, dicens : Accipite, edite ex eo : Hoc est corpus meum quod vos et multos præparat ad remissionem peccatorum et vitam æternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Similiter etiam et calicem vitæ, vino et aqua cum miscuisset †, sanctificavit † eum, et dedit † discipulis suis sanctis dicens : Accipite, bibite ex eo vos omnes : Hic est sanguis meus, quem pro vita mundi do ego vos autem et multos præparat ad remissionem peccatorum, et ad vitam æternam.

Populus. Amen.

Sacerdos. Hoc facite in mei memoriam : quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem hunc bibetis, mortis meæ commemorationem agetis, et resurrectionem meam confitebimini donec veniam.

Populus. Mortis tuæ, etc.

Sacerdos inclinatus. Mente igitur recolentes ea omnia quæ pro nobis, et propter nos dispensatorie a te perfecta fuerunt nativitatem tuam salutarem, baptismum tuum divinum, sepulturam tuam vivificantem, resurrectionem tuam Dominicam, ascensionem tuam gaudii plenam, sessionemque tuam ad dexteram majestatis Dei et Patris : iterum etiam adventum tuum secundum timendum, et tremoris plenum commemorantes, quando exoriens cum gloria, terribiliterque conspiciendum te præbens vivos et mortuos judicabis ; quando Angeli a splendore judicii tui contremiscent, et Archangeli trement, Potestates concutientur, throni conturbabuntur, et Ordines cœlestes terrore obstupescent Tunc omnes homines in dolore stantes, judicem timendum et potentem exspectabunt, tunc cum justitiæ conveniens locus erit, gratia autem nullam præstabit misericordiam ; cum carbones ardentes, flamma comburens, gehenna inextinguibilis : quando preces repellentur, et deprecationes non acceptabuntur, orationes non audientur, et obsecrationes cujuscunque præcidentur : parce nobis, Domine, et extende dexteram tuam super nos omnes. Ne intres in judicium nobiscum, non reducas in memoriam iniquitates nostras, non ad examen strictum, voces nos et constituas : ne simus exsules a gratia tua, neque alieni ab hæreditate tua : ne diris cruciatibus tradamur, non ad vermem rodentem præcordia, cum impiis amandes nos ; non in parte eorum qui te crucifixerunt censeamur : non cum impiis statuamur : non participes iniquorum simus : non in supplicia et stridores dentium projiciamur : non abneges nos, veluti eos qui te non noverunt : neque perdas nos simul cum illis qui te non dilexerunt. Verum illucescere nobis fac salutem tuam ; parce nobis secundum amorem tuum erga homines. Mitte nobis divitias clementiæ tuæ, statue nos ad dexteram tuam ; memento omnium nostrum per misericordiam tuam : salva nos secundum multitudinem gratiæ tuæ, et adjuva nos per clementiam tuam. Adjunge nos gregi tuo, et numera nos inter ordines dilectorum tuorum, fac nos dignos regno tuo, et induc nos in thalamum tuum. Et propter hæc Ecclesia tua et grex tuus deprecatur te, et per te et tecum Patrem tuum, dicens :

Populus. Miserere.

Sacerdos. Nos quoque, etc.

Populus Te glorificamus.

Diaconus. Quam timenda est hæc hora, etc.

Sacerdos dicit invocationem Spiritus sancti.

Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, et mitte super nos Spiritum tuum sanctum qui omnia replet, Deusque est super omnia, tibique consubstantialis et unigenito Filio tuo ; qui omni hora dona distribuit ; dividitque et dat singulis, prout vult : qui omnibus præsens est, neque loco circumscribitur, qui vitam continet eorum qui vivunt, et perfector sanctitatis sanctorum est : ut illapsu suo sanctificans mysteria hæc pura, me quoque a sordibus mundum efficiat.

Sacerdos. Exaudi me, Domine.

Populus. Kyrie, eleison; Kyrie, eleison; Kyrie, eleison.

Sacerdos. elevans vocem. Ipseque illapsus et sanctificans, efficiat panem quidem istum, corpus sanctum et sanctificans; corpus purificans et propitiatorium; corpus donans incorruptionem: corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum et vitam æternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos. Et calicem hunc, efficiat sanguinem vivum et vivificum, sanguinem purum et sanctum, sanguinem purificantem et sanctificantem; sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, ad remissionem peccatorum et vitam æternam suscipientium.

Populus. Amen.

Sacerdos. Nos igitur illatione mysteriorum i-torum sanctorum digni effecti; et per veritatis agnitionem illuminatum habentes mentis oculum, rogamus et obsecramus, ut mysteria hæc proposita, sint nobis et illa suscipientibus, ad excitandam vigilantiam animæ, ad sanitatem corporis, ad participationem veram adoptionis filiorum, ac communicationem Spiritus sancti, ad hæreditatem regni cœlestis: ad remissionem delictorum et peccatorum, quia te decet bonitas et amor erga homines, tibique gloriam referimus et gratiarum actionem, simulque unigenito Filio tuo, etc.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Coram te, Domine, obsecramus, per hoc sacrificium quod perfectum et completum est per Spiritum sanctum, pro Ecclesia tua sancta Catholica et Apostolica, ut conservetur secure et inconcusse, nec portæ inferni prævaleant adversum eam. Et pro patribus nostris sanctis et rectoribus nostris, præcipue pro beatis, Patriarcha nostro D. N. et Episcopo nostro D. N. cum reliquis Episcopis Orthodoxis. Conserva eos ab incursionibus malis, et a pascuis perniciosis. Pro Sacerdotibus et Diaconis, omnique ordine ecclesiastico, unumquemque conservans in ea vocatione qua vocatus est, absque crimine, et accusatione. Miserere etiam tenuitatis meæ secundum misericordiam et clementiam neque simul perdas me cum iniquitatibus meis, sed exhibe erga me bonitatem tuam, quamvis sim indignus: salva me secundum multitudinem misericordiæ tuæ, ut per omnia glorificem te omnibus diebus vitæ meæ: ut a terrenis cogitationibus me removeas, purusque et nitidus, et absque macula sim, et sicut vigilantiæ in ministerio requisitæ convenit, sancte tractem hæc mysteria. Pro illis etiam qui infirmantur corpore, et anima, et pro illis reliquis qui in purgationibus timendis, periculis scilicet exsiliisque versantur, ut illis quidem sanitatem, et respirationem, istis vero libertatem et liberationem concedas. Benedic etiam coronæ anni per benignitatem tuam; aeris quoque et omnium terræ fructuum, perpetuo recordare.

Populus. Kyrie, eleison.

Sacerdos elevans vocem. Et conserva, Domine, populum tuum fidelem, et libera nos ab omnibus maculis et navis peccati, et ab omni genere afflictionis, et machinationibus malis et perniciosis dæmonum et hominum nequam, et ab omnibus doloribus intolerabilibus; a tyrannide capitibus nostris imposita, et tentationibus gravissimis nos eripe: et da nobis, ut cum ornatu operum honorum et beatorum, ingrediamur in sanctuaria tua sancta, et præclare gaudeamus donis spiritualibus, et simul sacrificemus tibi sacrificia acceptabilia, et indesinenter gratias agamus tibi et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento Domine, congregationis hujus benedictæ adorantium te, quæ cum timore et fide in te, stat coram te: et illorum, qui orationes infirmitatis nostræ postulant. Memento, Domine, omnium generaliter, et uniuscujusque singulariter, quod ipsis adjumento, necessariumque esse potest, concedens. Eorum etiam qui præclare agunt, et qui producunt fructus Ecclesiæ tuæ sanctæ! eorum etiam qui oblationes obtulerunt non oblivisci: et illorum, qui offerre voluerunt et non potuerunt, recordare.

Populus Kyrie, eleison.

Sacerdos elevans vocem. Suscipe, Domine, oblationes, decimas et primitias, fructusque pacis, sacrificiorum servorum tuorum in odorem suavitatis, et retribue atque mitte nobis, o retributor bone, gratiam donorum, amplitudinemque munerum quæ ad auxilium nostrum spectant, abundantiamque æternorum bonorum, divites nos et illos faciens operibus pietatis, et justitiæ: communiens nos custodiis angelicis, et per confessionem immaculatam et apostolicam: quia tu magnificus in muneribus es, tibique gloriam et gratiarum actionem referimus, et unigenito Filio tuo, et Spiritui sancto tuo.

Populus Amen.

Sacerdos inclinatus Memento, Domine, Regum fidelium Orthodoxorum, et pacifica imperium eorum, et da illis ut subditos sibi gubernent cum æquitate.

Populus. Kyrie, eleison.

Sacerdos elevans vocem. Defensor, et salvator esto Domine, Ecclesiæ tuæ sanctæ, et omnib-s ovibus spiritualibus pascuæ tuæ; et salva nos per fortitudinem tuam, cui nihil impossibile est, ab omni fame acerba, mortalitate perniciosa, a bellis et tumultibus, a persecutionibus exitialibus, et in tranquillitate et pace guberna nos cum cura, omnibus diebus vitæ nostræ, quia non est nobis spes alia salutem consequendi, nisi in te, Domine. Destrue etiam per potentiam tuam, potentiam illorum qui stant adversum imperium tuum, et unumquemque subjice servituti nominis tui sancti: quia tu victor es, et bellator solus, et tibi gloriam et gratiarum actionem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Commemorantes, memoriam agimus coram te, Domine, et ad obsecrandum te adducimus, primum quidem sanctam genitricem Dei Mariam, et præcursorem Joannem Baptistam, Stephanum primum Diaconorum, et proto-martyrem, agmenque sanctorum Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum et reliquorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.

Populus. Kyrie, eleison.

Sacerdos elevans vooem Ut deprecationes illorum tuorum, placide suscipiens, orationes eorum gratas pietati tuæ acceptes. Nos quoque conjunctim obsecrationem imperfectam nostram, coram te simul effundimus, rogamusque et deprecamur, et non avertas faciem tuam a nobis, neque in ira elongeris a nobis : non in furore tuo disperdas nos, verum secundum benevolentiam tuam posside nos, et per abundantiam bonitatis tuæ, parce nobis. Illumina vultum tuum super nos, et super omnem plebem hæreditatis tuæ, quia tibi placet salutem præstare, et tua est pax et salus : tibique gloriam et gratiarum actionem offerimus, et unigenito Filio tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos inclinatus. Memento etiam, Domine, Patrum electorum et sanctorum, Patriarcharum, et eorum qui interpretes et ministri fuerunt mysteriorum sacrorum Ecclesiæ tuæ sanctæ : maxime vero Ignatii, Dionysii, Julii, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dioscori, Severi, reliquorum Apostolorum et Pastorum, qui ad te migraverunt.

Populus. Kyrie' eleison

Sacerdos elevans vocem. Doctores, Episcopos, et rectores ovium spiritualium, gregum tuorum sacerdotalium suscipe, Domine, et eos qui cum sanctitate primitias, more apostolico, ceperunt hæreditatis pacificæ, Theologiam scilicet acquisitam sanguine salutari Christi unigeniti Filii tui : eorum qui in Ecclesiis tuis sanctis explicaverunt verbis, gloriam magnificentiæ regni tui gloriosi, et super fundamentum fidei ædificaverunt scientiam universam veræ religionis, salubremque doctrinam : ut per intercessiones eorum puras et acceptabiles, Domine, non reliquas nos expositos insidiis et decipulis erroris multiformis dogmatum reprobandorum : verum per dectrinam patrum illorum nostrorum beatorum, confirma nos, et fidem illorum funda in nobis, bonisque eorum eos dignos effice et cum illis referemus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Populus. Amen.

Saecrdos inclinatus. Ut etiam eorum memineris, qui ex hac vita ad te migraverunt, te deprecamur, Domine, Sacerdotum et Diaconorum, qui coram altari tuo, Sacerdotio et ministerio functi sunt, cum puritate et sanctitate : Subdiaconorum, Lectorum, Religiosorum, Monachorum, et omnium eorum, quos unusquisque animo suo designat.

Populus. Kyrie, eleison.

Sacerdos elevans vocem. Placide et tranquille suscipe per benignitatem tuam, Domine, animas et spiritus servorum et adoratorum tuorum qui ex hac præsenti vita ad te migraverunt : maxime vero illorum pro quibus et per quos sacrificium hoc oblatum et perfectum est. Memento eorum, quietem illis præsta, et colloca eos in habitaculis lucis, in locis spiritum beatorum, in Jerusalem cœlesti, in Ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis, memoriamque et quietem maxime felicem, per amorem tuum erga homines præstans illis, Domine, concede illis vitam senii expertem, bona non transcuntia, et delicias finem non habentes. Veniam obtineant per clementiam tuam : quietem consequantur per misericordiam tuam : abscondantur sub alis gratiæ tuæ, neque condemnentur ; quia speraverunt in te, et unigenitum Filium tuum, per quem nos quoque speramus misericordiam consequi, etc.

Populus. Quietem præsta.

Sacerdos inclinatus. Parce, Domine Deus, et dimitte omnes iniquitates nostras, et illorum, neque illas imputes, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens, neque ullus est purus a sordibus, et maculis peccati, nisi tu, Domine. Obsecramus et deprecamur abyssum imperscrutabilem clementiæ tuæ, ut nobis infirmis, et ad peccatum propensis, veniam concedas per misericordiam tuam, neque dimittas nos in manibus a quibus abripiamur in errorem perniciosum, qui nos ad interitum deducat. Sed concede ut gradiamur in viis tuis, et faciamus voluntatem tuam, inveniamusque misericordiam, finem tranquillum, fiduciamque tibi placentem, et consistentiam absque confusione coram solio terribili unigeniti Filii tui, ut in hoc, sicut et in omnibus, glorificetur et laudetur nomen tuum valde honorandum et benedictum, simulque Domini nostri Jesu Christi et Spiritus tui sancti, nunc, etc.

Populus. Ut.

Sacerdos. Pax.

Populus. Ut cum spiritu tuo.

Sacerdos. Misericordia Dei, etc.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus dicit Catholicam. Sacerdos frangit et signat Oblatam.

Diaconus. Angelus.

Sacerdos dicit Orationem ante Pater noster.

Vere enim et absque dubio, tu es Pater sanctus Filii sancti, qui sanctitate æqualis est cum Spiritu sancto : qui perfecte et cum summa potestate in sanctis requiescis, et perpetuo sanctificationes eorum qui te sanctificant suscipis. Tu es fons incolumitatis, et origo auxiliorum, tu es genitor misericordiæ, et pater clementiæ, miserator, fautor, adjutor et auxiliator, curam habens pauperum, et refugium afflictorum, comes itineris navigantium, portus et requies jactatorum, refugium peccatorum : medicus bonus infirmorum : qui amas lacrymas pœnitentium, emundator sordium, in illis

qui inquinati sunt, largitor donorum, thesaurus divitiarum. Tu ab initio, ab æterno, a sæculo et perpetuo,sanctus es, plenusque sanctitate, sanctificator et perfector sanctorum, et nos glorificationem, hymnorumque decantationem offerimus tibi eam ipsam quam a Filio sancto tuo, Filio tuo dilecto amanter didicimus : petimusque ut nobis omnibus præstes, ut corde puro, sed ardenter succenso per zelum laudabilem, orationes et deprecationes nostras coram te effundendo, cum mentium illuminatione,animorum castimonia,linguarumque triumphali laudatione, clamemus ad te, oremus et dicamus, Pater noster qui es in cœlis.

Populus. Sanctificetur nomen tuum.

Sacerdos elevans vocem. Ne, Domine, permittas nos jactari vexationibus mundanis, sive diabolicis, ultra id quod possumus, ita ut omnino in infirmitate, ægritudine et confractione cordis simus, et a domestica familiaritate tua alieni efficiamur, si nostri curam non habueris. Ne sis immisericors, Domine,neque avertas faciem tuam a nobis, neque procul facias auxilia tua ; sed aspice nos, et mitte gratiam tuam ad nostrum subsidium. Ab omnibus criminibus libera nos, neque inducas nos in tentationem, quia tibi est potestas, et imperium æternum, et tibi gloriam et gratiarum actionem referimus.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Diaconus. Ante susceptionem mysteriorum istorum sanctorum, quæ oblata sunt, iterum coram Domino misericordi capita nostra inclinemus.

Populus. Coram te, Domine.

Sacerdos elevans vocem. Cum omni natura et creatura cœlestium et terrestrium, quæ te adorat, Domine, ut animo concipimus, nos quoque adorationem veram cum cervicis demissione tibi offerimus ; et a summa charitate tua postulamus, ut illumines animas nostras veritate tua. Munda nos hyssopo tuo : sanctifica nos sanctitate tua : converte nos ad timorem tuum, placeat tibi ut mittas nobis benedictiones tuas,et in hunc modum atque talibus bonis locupletans nos,ne permittas, ut rei accedamus ad communionem hanc vivificam corporis et sanguinis unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria et imperium cum Spiritu tuo sancto.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos. Sit benedictio, etc.

Populus. Et cum, etc.

Diaconus. Cum timore.

Sacerdos. Sancta sanctis.

Populus. Unus Pater sanctus.

Diaconus. Stemus decenter.

Populus. Gratias agimus.

Sacerdos. Juste et secundum veritatem, valdeque rationabiliter, debentur magnificentiæ tuæ laudes omnes indesinentes, hymni et exsultationes triumphales,quia nos fecisti dignos per clementiam tuam dono hoc bono, et cœlesti, alimenti hujus incorruptibilis : rogamusque amorem tuum erga homines ineffabilem, ut non convertas festa nostra in luctum, neque cantica nostra in ejulatum,neque dejicias capita nostra coram judicio : neque erubescamus in die novissimo,in quo unusquisque congruam remunerationem accipiet ; cum Angeli in timore consistent, et unigenitus Filius tuus judicabit. Sed quemadmodum summe misericordem erga nos te exhibuisti, parce pusillanimitati nostræ, miserere infirmitatis naturæ nostræ, non in judicium, aut condemnationem reputans nobis hoc munus tuum,sed ad sanctitatem, et vigilantiam et viaticum salutis nostræ.Et te decet gloria, honor, et imperium, simulque unigenito Filio tuo et Spiritui sanctissimo tuo.

Populus. Amen.

Sacerdos. Pax.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Diaconus. Post, etc.

Populus. Coram te.

Sacerdos elevans vocem. Tibi qui genitus est ab æterno,ex lumine æterno, et incarnatus es absque ulla mutatione, ex utero virginali, gratias agimus, et ut requiescat dextera tua super nos omnes perpetuo, postulamus. Sacerdotes altaris tui gloria affice, et ministrantes tibi in honore constitue. Senes mansuetudine orna et adjuva ; impetus juvenum coerce ; pueros educa in modestia, et ad summum scientiæ apicem perducito.Sana,Domine, infirmos,ablue maculas peccatorum ; obsigna cruce tua virgines ; custodi lectum conjugatorum ; mitte egenis saturitatem ; esto orphanorum curator, et confortator viduarum. Parce illis qui acceperunt corpus tuum ; et eos qui biberunt ex sanguine tuo, perfecte purifica.Benedic illis qui per crucem tuam salutem consecuti sunt ; sanctifica etiam agnos gregis tui, oves tuas adduc ad ovile tuum : agnos tuos in doctrinis tuis confirma, uuumquemque in gradu et ordine suo visita,per misericordiam tuam. Nos autem, Domine, servos tuos,et sacerdotio fungentes tibi, dignos effice visione tui ; nos omnes adduc ad habitaculum tuum ; mentes nostras firmas effice in dilectione tua ; oculi nostri videant majestatem timendam tuam ; ora nostra repleantur sanctificationibus tuis ; labia nostra, Domine, laudes tuas pronuntient, Patrisque tui benedicti et beati, et Spiritus tui, vivi, sancti, vivificantis et tibi consubstantialis.

Populus. Amen.

Diaconus. Benedic, Domine.

Sacerdos. Benedic omnibus.

MARTYRION

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΙΓΝΑΤΙΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΦΟΡΟΥ (87)

—

MARTYRIUM

SANCTI HIEROMARTYRIS IGNATII THEOPHORI

(Hefele, *Patr. apost.*, ed. 3, Tubingæ 1847, in 8°.)

—

I. *Ignatii cura pastoralis et martyrii desiderium.*

Cum non ita pridem imperium Romanorum excepisset Trajanus, Ignatius. apostoli Joannis discipulus vir erat in omnibus apostolicus,et Ecclesiam Antiochenorum summa cura regebat, cum veteres procellas multarum sub Domitiano persecutionum ægre præteriisset ; quippe qui instar boni gubernatoris gubernaculo precum ac jejunii, et assiduitate docendi,et perpetua contentione spiritus,tempestati contrariæ restitit ; veritus,ne quem timidiorum aut simpliciorum amitteret.Quamobrem gaudebat quidem Ecclesiæ tranquillitate, quiescente ad breve tempus persecutione ; dolebat autem animo, quod nondum veram erga Christum charitatem,neque perfectum discipuli ordinem esset assecutus. Reputabat enim animo, confessione. quæ per martyrium fit,fore, ut ipse similior fieret Christo Unde paucis annis adhuc in Ecclesia moratus, et divinæ instar lucernæ [30] intellectum cujusque interpretatione [di inarum] Scripturarum illustrans, votorum suorum compos factus est.

A Ἄρτι διαδεξαμένου τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν Τραϊανοῦ (88), Ἰγνάτιος, ὁ τοῦ ἀποστόλου Ἰωάννου μαθητὴς, ἀνὴρ ἦν (89) τοῖς πᾶσιν ἀποστολικὸς, καὶ ἐκυβέρνα τὴν Ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἐπιμελῶς, τοὺς πάλαι χειμῶνας μόλις παραγαγὼν τῶν πολλῶν ἐπὶ Δομετιανοῦ διωγμῶν, καθάπερ κυβερνήτης ἀγαθὸς, τῷ οἴακι τῆς προσευχῆς καὶ τῆς νηστείας, καὶ τῇ συνεχείᾳ τῆς διδασκαλίας, τῷ τόνῳ τῷ πνευματικῷ (90), πρὸς τὴν ζάλην τὴν ἀντικειμένην ἀντεῖχεν· δεδοικὼς, μή τινα τῶν ὀλιγοψύχων ἢ ἀκεραιοτέρων ἀποβάλῃ. Τοιγαροῦν ἠύφραίνετο μὲν ἐπὶ τῷ τῆς Ἐκκλησίας ἀσαλεύτῳ, λωφήσαντος πρὸς ὀλίγον τοῦ διωγμοῦ· ἤσχαλλεν δὲ καθ' ἑαυτὸν, ὡς μήπω τῆς ὄντως εἰς Χριστὸν ἀγάπης ἐφαψάμενος, μηδὲ τῆς τελείας τοῦ μαθητοῦ τάξεως. Ἐνενόει γὰρ τὴν διὰ B μαρτυρίου γινομένην ὁμολογίαν πλεῖον αὐτὸν προσοικειοῦσαν τῷ Κυρίῳ. Ὅθεν ἔτεσιν ὀλίγοις ἔτι παραμένων τῇ Ἐκκλησίᾳ, καὶ λύχνου δίκην θεϊκοῦ τὴν ἑκάστου φωτίζων διάνοιαν διὰ τῆς τῶν [θείων (91)] Γραφῶν ἐξηγήσεως, ἐπετύγχανεν τῶν κατ' εὐχήν.

II. *Ignatius a Trajano condemnatur.*

Posthæc enim Trajanus, nono imperii sui anno victoria de Scythis et Dacis aliisque multis gentibus

Τραϊανοῦ γὰρ μετὰ ταῦτα ἐννάτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ βασιλείας (92), ἐπαρθέντος ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ κατὰ Σκυ-

[30] Joan. v, 35.

(87) Syriacam versionem capitum hujus martyrii 1-4 incl. nuperrime Curetonus e codice ms. Musei Londinensis typis vulgavit. Codex hic, paucos ante annos e bibliotheca Claudii Jacobi Rich,legati Britannici in urbe Bagdad, Londinum delatus, etiam fragmentum *Epistolæ* S. Ignatii *ad Romanos* continet. Versio autem martyrii Syriaca non ubique ad verbum textui Græco codicis Colbertini respondet, cum Syrus nonnunquam Græca male intellexerit, sæpissime autem paraphrasi sit usus. Cæterum omnes variæ lectiones,inde ortæ, nullius sunt ponderis.

(88) I. e. a. 98 p. Ch. n.

89) Lege cum veteri versione Latina, ab Usserio edita, ἐν pro ἦν, particula καί, quæ sequitur, deleta. Smith.

(90) Ms. τῷ πνεύματι, male. Legendum aut τοῦ πνεύματος, aut τῷ πνευματικῷ. Posterior emendatio præferenda est ; nam uterque vetus interpres Latinus habet : « spirituali. » Clerico placet τῷ ἐντόνῳ πνεύματι, « firmo et constanti ; » Smithio, πόνῳ πνευματικῷ. Jac.

(91) Neuter interpres Latinus θείων agnoscit Jac.

(92) I. e a. 107 p. Ch. Vet. uterpres habet.

θῶν καὶ Δακῶν καὶ ἑτέρων πολλῶν ἐθνων, καὶ νομίσαντος ἔτι λείπειν αὐτῷ πρὸς πᾶσαν ὑποταγὴν τὸ τῶν Χριστιανῶν θεοσεβὲς σύστημα, καὶ εἰ μὴ τὴν τῶν δαιμόνων ἔλοιντο λατρείαν μετὰ πάντων ὑπειπεῖναι τῶν ἐθνῶν, διωγμὸν ὑπομένειν ἀπειλήσαντος, πάντας (93) τοὺς εὐσεβῶς ζῶντας ἢ θύειν ἢ τελευτᾶν κατηνάγκαζεν. Τότε τοίνυν φοβηθεὶς ὑπὲρ τῆς Ἀντιοχέων Ἐκκλησίας ὁ γενναῖος τοῦ Χριστοῦ στρατιώτης, ἑκουσίως ἤγετο πρὸς Τραϊανόν (94), διάγοντα μὲν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, σπουδάζοντα δὲ ἐπὶ Ἀρμενίαν καὶ Πάρθους. Ὡς δὲ κατὰ πρόσωπον ἔστη Τραϊανοῦ τοῦ βασιλέως· « Τίς εἶ, κακόδαιμον, τὰς ἡμετέρας σπουδαζων διατάξεις ὑπερβαίνειν, μετὰ τὸ (95) καὶ ἑτέρους ἀναπείθειν, ἵνα κακῶς ἀπολῶνται; » Ἰγνάτιος εἶπεν· « Οὐδεὶς Θεοφόρον ἀποκαλεῖ κακοδαίμονα· ἀφεστήκασι γὰρ ἀπὸ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τὰ δαιμόνια. Εἰ δὲ, ὅτι τούτοις ἐπαχθής εἰμι, [καὶ (96)] κακόν με πρὸς τοὺς δαίμονας ἀποκαλεῖς, συνομολογῶ. Χριστὸν γὰρ ἔχων ἐπουράνιον βασιλέα, τὰς τούτων καταλύω ἐπιβουλάς. » Τραϊανὸς εἶπεν· « Καὶ τίς ἐστι Θεοφόρος; » Ἰγνάτιος ἀπεκρίνατο· « Ὁ Χριστὸν ἔχων ἐν στέρνοις. » Τραϊανὸς εἶπεν· « Ἡμεῖς οὖν σοι δοκοῦμεν κατὰ νοῦν μὴ ἔχειν θεοὺς, οἷς καὶ χρώμεθα συμμάχοις πρὸς τοὺς πολεμίους; » Ἰγνάτιος εἶπεν· « Τὰ δαιμόνια τῶν ἐθνῶν θεοὺς προσαγορεύεις πλανώμενος· εἷς γάρ ἐστιν Θεὸς, ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς· καὶ εἷς Χριστὸς Ἰησοῦς, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ μονογενὴς, οὗ τῆς βασιλείας ὀναίμην! » Τραϊανὸς εἶπεν· « Τὸν σταυρωθέντα λέγεις ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου; » Ἰγνάτιος εἶπεν· « Τὸν ἀνασταυρώσαντα τὴν ἐμὴν ἁμαρτίαν μετὰ τοῦ ταύτης εὑρετοῦ, καὶ πᾶσαν καταδικάσαντα δαιμονικὴν πλάνην καὶ κακίαν ὑπὸ τοὺς πόδας τῶν αὐτὸν ἐν καρδίᾳ φορούντων. » Τραϊανὸς εἶπεν· « Σὺ οὖν ἐν ἑαυτῷ φέρεις τὸν σταυρωθέντα; » Ἰγνάτιος εἶπεν· « Ναί· γέγραπται γάρ· Ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω. » Τραϊανὸς ἀπεφήνατο· « Ἰγνάτιον προσετάξαμεν, τὸν ἐν ἑαυτῷ λέγοντα περιφέρειν τὸν ἐσταυρωμένον, δέσμιον ὑπὸ στρατιωτῶν γενόμενον ἄγεσθαι παρὰ τὴν μεγάλην Ῥώμην, βρῶμα γενησόμενον θηρίων εἰς τέρψιν τοῦ δήμου (97). » Ταύτης ὁ ἅγιος μάρτυς ἐπακούσας τῆς ἀποφάσεως, μετὰ χαρᾶς ἐβόησεν· « Εὐχαριστῶ σοι, Δέσποτα, ὅτι με τελείᾳ τῇ πρὸς σὲ ἀγάπῃ τιμῆσαι κατηξίωσας, τῷ ἀποστόλῳ σου Παύλῳ δεσμοῖς συνδήσας σιδηροῖς. » Ταῦτα εἰπὼν, καὶ μετ' εὐφροσύνης περιθέμενος τὰ δεσμὰ, ἐπευξάμενος πρότερον τῇ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ταύτην παραθέμενος μετὰ δακρύων τῷ Κυρίῳ, ὥσπερ κριὸς ἐπίσημος, ἀγέλης καλῆς ἡγούμενος, ὑπὸ θηριώδους στρατιωτικῆς δεινότητος συνηρπάζετο, θηρίοις αἱμοβόροις ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἀπαχθησόμενος πρὸς βοράν.

A reportata elatus, ad subjectionem omnium sibi adhuc pium Christianorum corpus deesse ratus, persecutionemque, nisi dæmonum cultum cum omnibus gentibus amplecterentur, minatus, omnes religiose viventes aut sacrificare aut mori cogebat. Tum vero pro Antiochena Ecclesia pertimescens generosus Christi miles, sponte ductus est ad Trajanum, qui eo tempore Antiochiæ quidem morabatur, sed contra Armeniam et Parthos ire festinabat. Ut vero in conspectu Trajani imperatoris stetit: « Quis es, inquit, o cacodæmon, qui nostra mandata transgredi eniteris, simulque aliis suades, ut male pereant? » Ignatius respondit: « Nemo Theophorum vocet cacodæmonem; abscesserunt enim dæmonia a servis Dei. Sin vero, quia iis infestus B sum, me etiam malum in dæmonas vocas, assentior. Cum enim habeam Christum cœlestem regem, insidias illorum dissolvo. » At Trajanus: « Quis est, ait, Theophorus? » Ignatius respondit: « Is, qui habet Christum in pectore. » Tum Trajanus: « Annon videmur tibi, inquit, et nos in animo gestare deos nostros, quibus adversus hostes adjutoribus utimur? » Ignatius respondit: « Dæmonia gentium errans vocas deos; est enim unus Deus, qui cœlum et terram et mare et omnia quæ sunt in iis, fecit; et unus Christus Jesus, Filius Dei unigenitus, cujus regno utinam fruar! » Trajanus dixit: « Illum dicis, qui sub Pontio Pilato crucifixus est? » Ignatius respondit: « Eum, qui in crucem sustulit peccatum meum cum ejus inventore, et omnem errorem dæC moniacum omnemque malitiam damnans subjecit pedibus eorum, qui ipsum in corde gerunt. » At Trajanus: « Ergo, ait, geris in te crucifixum? » Ignatius respondit: « Imo; scriptum enim est: *Habitabo et ambulabo inter eos*[31]. » Trajanus sententiam tulit: « Ignatium, qui in se ipso circumferre crucifixum contendit, jussimus in vincula a militibus conjectum abduci Romam magnam, ut sit pastus ferarum ad delectationem populi. » Sententiam hanc cum sanctus martyr audisset, præ gaudio exclamavit: « Gratias tibi ago, Domine, quia me perfecta erga te charitate honorare dignatus es, qui me cum apostolo tuo Paulo in ferrea vincula conjeceris. » Hæc cum dixisset, et hilari animo vincula suscepisset, cumque prius orasset pro Ecclesia, et eam cum lacrymis Domino commendasset, D instar arietis insignis qui egregium gregem ducit, ferina et militari acerbitate correptus est, abducendus Romam ad pastum cruentarum ferarum.

[31] Levit. xxvi, 12; II Cor. vi, 16.

« anno quarto. » Grabius corrigit δεκάτῳ ἐνάτῳ ἔτει, i. a. 116.

(93) Ὁ φόβος ante πάντας in ms. male additum assumentum est, quod neuter vetus int. Latinus in codice suo legebat. Jac.

(94) Ignatius sponte se contulit ad Trajanum, ut eum placaret expositione doctrinæ Christianæ, aut, si minus eum placare posset, totam iram ejus ipse exciperet, Ecclesiamque Antiochenam sic metu liberaret. Cler.

(95) Melius τοῦ. Smith.

(96) Καὶ abundat Smith.

(97) Cfr. Ign. *ad Rom.* c. 6.

III. *S. Ignatius Smyrnam navigat.*

Cum multa ergo alacritate et lætitia, patiendi cupiditate, Antiochia Scleuciam descendit, et illinc navi vectus est; cumque post multos labores ad Smyrnensium urbem appulisset, multa cum lætitia e navi descendit, ac sanctum Polycarpum, Smyrnensium episcopum, quondam condiscipulum suum videre festinavit: fuerant enim olim sancti apostoli Joannis discipuli. Apud quem diversatus, cum eum spiritualium charismatum participem fecisset, suis etiam vinculis esset gloriatus, orabat eum, ut vellet propositum ipsius adjuvare; et maxime quidem hoc rogabat totam Ecclesiam (exceperant enim sanctum illum virum civitates atque Ecclesiæ Asiæ per episcopos et presbyteros et diaconos, cum omnes ad eum festinarent, si forte partem charismatis spiritualis ab eo acciperent [32]); ac præ cæteris sanctum Polycarpum, ut citius per feras, inconspicuus in mundo factus, coram Christo compareret.

A Μετὰ πολλῆς τοίνυν προθυμίας καὶ χαρᾶς, ἐπιθυμίᾳ τοῦ πάθους, κατελθὼν ἀπὸ Ἀντιοχείας εἰς τὴν Σελεύκειαν, ἐκεῖθεν εἶχετο τοῦ πλοός· καὶ προσχὼν μετὰ πολὺν κάματον τῇ Σμυρναίων πόλει (98), σὺν πολλῇ χαρᾷ καταβὰς τῆς νηός, ἔσπευδε τὸν ἅγιον Πολύκαρπον, τὸν Σμυρναίων ἐπίσκοπον, τὸν συναχροατήν, θεάσασθαι· ἐγεγόνεισαν γὰρ πάλαι μαθηταὶ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰωάννου. Παρ' ᾧ καταχθεὶς, καὶ πνευματικῶν αὐτῷ κοινωνήσας χαρισμάτων, καὶ τοῖς δεσμοῖς ἐγκαυχώμενος, παρεκάλει συναθλεῖν τῇ αὐτοῦ προθέσει (99), μάλιστα μὲν κοινῇ πᾶσαν Ἐκκλησίαν (ἐδεξιοῦντο γὰρ τὸν ἅγιον διὰ τῶν ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων αἱ τῆς Ἀσίας πόλεις καὶ Ἐκκλησίαι, πάντων ἐπειγομένων πρὸς αὐτὸν, εἴ πως μέρος χαρίσματος λάβωσι πνευματικοῦ) ἐξαιρέτως δὲ τὸν ἅγιον Πολύκαρπον, ἵνα, διὰ τῶν θηρίων θᾶττον ἀφανὴς τῷ κόσμῳ γενόμενος, ἐμφανισθῇ τῷ προσώπῳ τοῦ Χριστοῦ.

IV. *Ignatius scribit Ecclesiis, præsertim Romanæ.*

Atque hæc sic dicebat et sic contestabatur, usque adeo extendens amorem in Christum, ut per pulchram confessionem et studium eorum, qui pro ejus certamine simul Deum orabant, cœlum esset accepturus, utque Ecclesiis, quæ ipsi per rectores suos occurrerant, mercedem redderet, gratias agens litteris ad eas missis, e quibus gratia spiritualis cum votis et adhortationibus stillabat. Cum ergo omnes erga se benevole affectos cerneret, veritus est, ne fratrum charitas studium eundi ad Deum incideret, dum pulchra ipsi esset aperta martyrii janua. Quæ ad Ecclesiam Romanorum scripsit subjecta sunt.

Καὶ ταῦτα οὕτως ἔλεγεν, καὶ οὕτως διεμάρτύρατο, τοσοῦτον ἐπεκτείνων τὴν πρὸς Χριστὸν ἀγάπην, ὡς οὐρανοῦ μέλλων (1) ἐπιλαμβάνεσθαι διὰ τῆς καλῆς ὁμολογίας καὶ τῆς τῶν συνευχομένων ὑπὲρ τῆς ἀθλήσεως σπουδῆς, ἀποδοῦναι δὲ τὸν μισθὸν ταῖς Ἐκκλησίαις ταῖς ὑπαντησάσαις αὐτῷ διὰ τῶν ἡγουμένων, γραμμάτων εὐχαριστῶν (2) ἐκπεμφθέντων πρὸς αὐτὰς, πνευματικὴν μετ' εὐχῆς καὶ παραινέσεως ἀποσταζόντων χάριν (3). Τοιγαροῦν τοὺς πάντας ὁρῶν εὐνοϊκῶς διακειμένους περὶ αὐτὸν, φοβηθεὶς, μή ποτε ἡ τῆς ἀδελφότητος στοργὴ τὴν πρὸς Κύριον αὐτοῦ σπουδὴν ἐκκόψῃ, καλῆς ἀνεῳγθείσης αὐτῷ θύρας τοῦ μαρτυρίου, οἷα πρὸς τὴν Ἐκκλησίαν ἐπιστέλλει Ῥωμαίων, ὑποτέτακται.

C

Legitur hic Epistola S. *Ignatii ad Romanos. Vide supra* col. 685.

V. *Ignatius a Smyrna Romam dicitur.*

Postquam ergo, ut volebat, epistola sua repugnantes fratres Romanos composuisset, a Smyrna solvens (urgebatur enim a militibus Christophorus, ut ad publica spectacula magnæ Romæ properaret, quo præ oculis populi Romani feris bestiis traditus coronam certaminis consequeretur) appulit Troadem. Deinde illinc Neapolin ductus, per Philippos peragravit Macedoniam et ad eam Epiri partem, quæ ad Epidamnum sita est, in maritimis locis navi

Καταρτίσας τοίνυν, ὡς ἠβούλετο, τοὺς ἐν Ῥώμῃ τῶν ἀδελφῶν ἄκοντας διὰ τῆς ἐπιστολῆς (4), οὕτως ἀναχθεὶς ἀπὸ τῆς (Σμύρνης κατεπίγετο γὰρ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ὁ Χριστοφόρος (5) φθάσαι τὰς φιλοτιμίας (6) ἐν τῇ μεγάλῃ Ῥώμῃ, ἵνα ἐπ' ὄψεσι τοῦ δήμου Ῥωμαίων θηρσὶν ἀγρίοις παραδοθεὶς, τοῦ στεφάνου τῆς ἀθλήσεως ἐπιτύχῃ) προσέσχε τῇ Τρωάδι. Εἶτα ἐκεῖθεν καταχθεὶς ἐπὶ τὴν Νεάπολιν, διὰ Φιλίππων παρώδευεν Μακεδονίαν (7), καὶ περὶ (8) τὴν

[32] Rom. I, 11.

(98) Cfr. Ign. *ad Rom.* c. 5.

(99) I. e. precibus a Deo petere, ut Ignatium gloria martyrii donaret eique constantiam præberet. Cler.

(1) Ita Toupius et Jacobsonus. Ms. μέλλειν.

(2) Lege εὐχαριστικῶν. Grab., εὐχαρίτων. Toup.

(3) Similem fere locutionem habes in *Ep. ad Magn.* c. 14, δροσισθῆναι.

(4) I. e. componere animos aliter sentientium, eosque ad id probandum, quod ipse cupiebat, adducere. Cler.

(5) Cfr. Ign. *ad Eph.* c. 9.

(6) I. e. ludi, magno sumptu a candidatis magistratuum exhiberi soliti. Smith.

(7) Adde πεζῇ, ut legebat vet. int. Smith. Cfr. Act. xvi, 11, 12. Ignatius via Egnatia, Thessalonicam cum Dyrrachio (Epidamno) jungenti usus est. Cfr. Tafel, *Epistola gratulatoria ad universitatem Gotting.* 1837, pp. 3, 15, et *Dissert. de via Egnatia.* Tubing. 1841, p. 16 sqq.

(8) Ms. περὶ καί.

Ἤπειρον τὴν πρὸς Ἐπίδαμνον, ἐν τοῖς παραθαλατ- A
τίοις νηὸς ἐπιτυχὼν, ἔπλει τὸ Ἀδριατικὸν πέλαγος, κἀκεῖθεν ἐπιβὰς τοῦ Τυρρηνικοῦ, καὶ παραμείβων νήσους τε καὶ πόλεις, ὑποδειχθέντων τῷ ἁγίῳ Ποτιόλων, αὐτὸς μὲν ἐξελθεῖν ἔσπευδεν, κατ' ἴχνος βαδίζειν ἐθέλων τοῦ ἀποστόλου Παύλου. Ὡς δὲ ἐπιπεσὸν βίαιον πνεῦμα οὐ συνεχώρει, τῆς νηὸς ἐκ πρύμνης ἐπειγομένης, μακαρίσας τὴν ἐν ἐκείνῳ νῷ τόπῳ τῶν ἀδελφῶν ἀγάπην, οὕτω παρέπλει. Τοιγαροῦν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καὶ νυκτὶ τῇ αὐτῇ οὐρίοις ἀνέμοις προσχησάμενοι, ἡμεῖς μὲν ἄκοντες ἀπηγόμεθα, στένοντες ἐπὶ τῷ ἀφ' ἡμῶν μέλλοντι χωρισμῷ τοῦ δικαίου γίνεσθαι· Τῷ δὲ κατ' εὐχὴν ἀπέβαινεν σπεύδοντι θᾶττον ἀναχωρῆσαι τοῦ κόσμου, ἵνα φθάσῃ πρὸς ὃν ἠγάπησεν Κύριον. Καταπλεύσας γοῦν εἰς τοὺς λιμένας Ῥωμαίων, μελλούσης λέγειν τῆς ἀκαθάρτου φιλοτιμίας, οἱ μὲν B
στρατιῶται ὑπὲρ τῆς βραδυτῆτος ἤσχαλλον, ὁ δὲ ἐπίσκοπος χαίρων κατεπείγουσιν ὑπήκουσεν.

inventa, per Adriaticum mare navigavit; inde Tyrrhenum ingressus, insulas et civitates transiit, ostensisque sancto viro Puteolis, ipse quinem egredi cupiebat, cum vellet per vestigia Pauli apostoli incedere[83]. Cum vero irruens ventus vehementior id non pateretur nave a puppi impulsa, beatam prædicavit charitatem fratrum illius loci, et sic præternavigavit. Igitur uno die et nocte eadem secnndis ventis usi abducebantur, nos quidem inviti, gementes ob separationem justi illius a nobis mox futuram. At ei ex voto res contingebat, festinanti e mundo discedere ut ad dilectum Dominum perveniret. Quare cum navigando pervenisset in portus Romanorum, finisque immundi spectaculi immineret, milites tarditatem ægre ferebant; at episcopus gaudens urgentibus parebat.

VI. *Ignatius Romæ a bestiis devoratur.*

Ἐκεῖθεν οὖν ἐώσθησαν ἀπὸ τοῦ καλουμένου Πόρτου (6) διεπεφήμιστο γὰρ ἤδη τὰ κατὰ τὸν ἅγιον μάρτυρα)· συναντῶμεν (10) τοῖς ἀδελφοῖς φόβῳ καὶ χαρᾷ πεπληρωμένοις, χαίρουσιν μὲν ἐφ' οἷς ἠξίωντο τῆς τοῦ Θεοφόρου συντυχίας, φοβουμένοις δὲ, διότι περ ἐπὶ θάνατον ὁ τοιοῦτος ἤγετο. Τισὶ δὲ καὶ παρήγγελλεν ἡσυχάζειν, ζέουσι καὶ λέγουσι καταπαύειν τὸν δῆμον πρὸς τὸ μὴ ἐπιζητεῖν ἀπολέσθαι τὸν δίκαιον. Ὃς εὐθὺς γνοὺς τῷ πνεύματι. καὶ πάντας ἀσπασάμενος, αἰτήσας τε παρ' αὐτῶν τὴν ἀληθινὴν ἀγάπην, πλείονά τε τῶν ἐν τῇ ἐπιστολῇ διαλεχθεὶς (11) καὶ πείσας μὴ φθονῆσαι τῷ σπεύδοντι πρὸς τὸν Κύριον, οὕτω μετὰ γονυκλισίας πάντων τῶν ἀδελφῶν, παρακαλέσας τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ τῶν Ἐκκλησιῶν, ὑπὲρ τῆς τοῦ διωγμοῦ καταπαύσεως, ὑπὲρ τῆς τῶν ἀδελφῶν εἰς ἀλλήλους ἀγάπης, ἀπήχθη μετὰ σπουδῆς εἰς τὸ ἀμφιθέατρον. Εἶτα εὐθὺς ἐμβληθεὶς κατὰ τὸ πάλαι πρόσταγμα τοῦ Καίσαρος (12), μελλουσῶν καταπαύειν τῶν φιλοτιμιῶν (ἦν γὰρ ἐπιφανὴς, ὡς ἐδόκουν, ἡ λεγομένη τῇ Ῥωμαϊκῇ φωνῇ τρισκαιδεκάτη (13), καθ' ἣν σπουδαίως συνήεσαν), οὕτως θηρσὶν ὠμοῖς παρὰ τῷ ναῷ παρεβάλλετο (14), ὡς παρ' αὐτὰ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἰγνατίου πληροῦσθαι τὴν ἐπιθυμίαν (15), κατὰ το γεγραμμένον· Ἐπιθυμία δικαίου δεκτή· ἵνα μηδενὶ τῶν ἀδελφῶν ἐπαχθὴς διὰ τῆς συλλογῆς τοῦ λειψένου γένηται, καθὼς φθασας ἐν τῇ ἐπιστολῇ τὴν ἰδίαν ἐπεθύμει γενέσθαι τελείωσιν. Μόνα γὰρ τὰ τραχύτερα τῶν ἁγίων αὐτοῦ λειψάνων περιελείφθη, ἄτινα εἰς τὴν Ἀντιόχειαν D

Illinc ergo abierunt ab eo, qui dicitur Portus (jam vero sparsa erat sancti martyris fama); obviamus fratribus metu et gaudio repletis, gaudentibus quidem, quod congressu Theophori Deus ipsos esset dignatus, timentibus autem, quod talis vir ad mortem duceretur. Quosdam etiam monuit, ut quiescerent qui fervebant aiebantque, se populum esse sedaturos, ne virum justum ad necem quæreret. Qui cum confestim rem spiritu cognovisset et omnes salutasset, et ab iis verum amorem pluribus verbis, quam in epistola, petiisset, iisque persuasisset, ne sibi inviderent ad Dominum festinanti, C nunc, postquam cuncti fratres genua flexissent, ipseque Filium Dei pro Ecclesiis et pro cessatione persecutionis et pro mutuo fratrum inter se amore precatus esset, abductus est confestim in amphitheatrum. Dein illico in id immissus ex mandato Cæsaris pridem dato, fine spectaculorum imminente (erat enim solemnis, ut putabant, dies, qui dicitur Romana lingua tertius decimus, quo studiose convenerant), sic crudelibus feris juxta templum est objectus, ut illico sancti martyris Ignatii impleretur desiderium, prout scriptum est: *Desiderium justi est acceptum*[84]; ut nempe nulli fratrum gravis fieret ob suarum reliquiarum collectionem, quemadmodum prius in epistola optaverat, suam consummationem fieri. Solæ enim duriores sanctarum ejus reliquiarum partes relictæ, et Antiochiam D ablatæ sunt, atque in linteo depositæ, ut thesaurus

[83] Act. xxviii, 13, 14. [84] Prov. x, 24.

(9) Hodie *Il Porto* prope ostiam.

(10) Ita monente Smithio restituit Jacobsonus e codice Pariensi pro vulgata lectione σὺν αὐτῷ μέν.

(11) Sc. in Epistola sua ad Romanos.

(12) Sic loquitur Martyrii scriptor, quia ante aliquot menses sententiam pronuntiarat Trajanus Cler.

(13) Sc. ante Kalendas Januarias, ut ex cap. 7 apparet: Ἐγένετό δὲ ταῦτα τῇ πρὸ δεκατριῶν Καλανδῶν Ἰαννουαρίων. Die illo celebrabantur binis diebus Sigillaria, adjectA Saturnalibus.

(14) Erat amphitheatrum aut Jovi Latiari, aut Stygio, et Dianæ sacrum; quamobrem mirum non est, hic templi mentionem fieri. Cler. Vetus interpres non legit τῷ ναῷ, habet enim: *ab impiis*, fortasse legens: παπὰ τῶν ἀνοσίων sive ἀνόμων. Smith.

(15) Vide Ign. *ad. Rom.*

inæstimabilis, ob martyris gratiam sanctæ Ecclesiæ relictæ.

ἀπεκομίσθη, καὶ ἐν λίνῳ κατετέθη, θησαυρὸς ἀτίμητος, ὑπὸ τῆς ἐν τῷ μάρτυρι χάριτος τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ καταλειφθέντα (16).

VII. *Ignatius mortuus apparet dormientibus.*

Contigerunt vero hæc a, d. XIII Kalendas Januarias, hoc est, Decembris vigesima, consulibus apud Romanos iterum Sura et Senecione. Horum nos ipsi spectatores facti, cum in lacrymis totam noctem exegissemus, et genibus flexis multaque oratione Dominum ut nos infirmos de iis, quæ facta fuerant, certos faceret, essemus precati, ac paulum obdormissemus; alii statim astantem eum nosque complectentem vidimus, alii rursus pro nobis orantem beatum Ignatium conspeximus, alii vero sudore stillantem, tanquam a multo labore advenientem, atque astantem Domino. Cum ergo multo cum gaudio ista vidissemus, et somniorum visa contulissemus, Deum datorem bonorum laudavimus, sanctum virum beatum prædicavimus, vobis et diem et tempus significavimus, ut tempore martyrii ejus convenientes communionem nostram testificemur cum athleta et generoso martyre Christi, qui conculcavit diabolum, et desiderii sui, ex amore Christi profecti, cursum explevit, in Christo Jesu, Domino nostro, per quem et cum quo Patri sit gloria et potentia cum Spiritu sancto in sæcula. Amen.

Ἐγένετο δὲ ταῦτα τῇ πρὸ δεκατριῶν Καλανδῶν Ἰαννουαρίων, τουτέστιν Δεκεμβρίῳ εἰκάδι, ὑπατευόντων παρὰ Ῥωμαίοις Σύρᾳ καὶ Σενεκίου τὸ δεύτερον (17). Τούτων αὐτόπται γενόμενοι, μετὰ δακρύων κατ' οἰκόν τε πανυχίσαντες, καὶ πολλὰ μετὰ γονυκλισίας καὶ δεήσεως παρακαλέσαντες τὸν Κύριον πληροφορῆσαι τοὺς ἀσθενεῖς, ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς προγεγονόσιν (18), μικρὸν ἀνυπνώσαντες, οἱ μὲν ἐξαίφνης ἐπιστάντα καὶ περιπτυσσόμενον ἡμᾶς ἐβλέπομεν, οἱ δὲ πάλιν ἐπευχόμενον ἡμῖν ἐωρῶμεν τὸν μακάριον Ἰγνάτιον, ἄλλοι δὲ σταζόμενον ὑφ' ἱδρῶτος ὡς ἐκ κάματου πολλοῦ παραγενόμενον, καὶ παρεστῶτα τῷ Κυρίῳ. Μετὰ πολλῆς τοίνυν χαρᾶς ταῦτα ἰδόντες, καὶ συμβαλόντες τὰς ὄψεις τῶν ὀνειράτων, ὑμνήσαντες τὸν Θεὸν, τὸν δοτῆρα τῶν ἀγαθῶν, καὶ μακαρίσαντες τὸν ἅγιον, ἐφανερώσομεν ὑμῖν καὶ τὴν ἡμέραν καὶ τὸν χρόνον, ἵνα κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ μαρτυρίου συναγόμενοι (19), κοινωνῶμεν τῷ ἀθλητῇ καὶ γενναίῳ μάρτυρι Χριστοῦ, καταπατήσαντι τὸν διάβολον, καὶ τὸν τῆς φιλοχρίστου αὐτοῦ ἐπιθυμίας τελειώσαντι δρόμον, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, εἰς αἰῶνας. Ἀμήν.

MARTYRIUM SANCTI IGNATII

EPISCOPI ANTIOCHIÆ SYRIÆ

Ex vetere Interpretatione, in membranis Cottonianis reperta, atque a Jacobo Usserio primum edita.

(Galland., *V et. Patr. Biblioth.*, I, 299, Venetiis 1765, in-fol.

CAPUT I.

Cum Trajanus Romanorum suscepit imperium, Ignatius discipulus sancti Joannis apostoli et evangelistæ, vir in omnibus apostolicus, suscepit Ecclesiam Antiochenorum gubernandam; quæ olim a tempestatibus et persecutionibus agitabatur. Tanquam bonus gubernator, omnes infestationes suis orationibus repellebat et jejuniis, atque assidua doctrina et labore spirituali incumbentem tempestatem sua virtute avertebat; timens ne aliquem pusillanimum aut infirmum amitteret. Denique lætabatur de Ecclesiæ immobilitate, cum quiesceret paulum a persecutione. Considerabat etiam apud semetipsum, quod nunquam posset ad dilectionem Dei in plenum pertingere, neque perfectum ordinem doctrinæ obtinere, nisi per martyrii factam confessionem Domino appropinquaret. Unde paucis annis permanens in Ecclesia, lucerna deifica, singulorum corda illuminare per Scripturarum expositionem precibus assiduis meruit.

(16) Reliquias S. Ignatii ab urbe Roma relatas omnes ex ordine civitates susceperunt et humeris gestaverunt. Præterea Chrysostomi adhuc temporibus reliquiæ S. Ignatii magnopere Antiochiæ colebantur. Cfr. Chrysost. *orat. in S. Ignat.* c. 5, Opp. t. II, p. 660, ed. Montf.

(17) I. e. cum ambo conjuncti unacum secundo consules essent Primo illi unacum consules erant anno Christi 102, et quidem Senecio III, Sura II. Secunda vice ii juncti numere fungebantur anno Christi 107, et quidem Senecio IV, Sura III. Videatur Pagi *Critica* ad ann. 102 et 107.

(18) I. e. ut nos certiores faceret, num Ignatii martyrium Deo esset acceptum. Cler.

(19) I. e. ut τὰ γενέθλια sancti martyris celebremus. Ea Chrysostomi adhuc temporibus esse celebrata, ex sermone ejus in S. Ignatium perspicimus. Vide Chrysost. Opp. ed. Montf. t. II, p. 600 seqq.

CAPUT II.

Postea vero cum nono anno regni sui Trajanus remeasset de victoria Scytharum et Dacum et diversarum gentium ; et putaret quod posset suum imperium amittere, nisi Christianorum piissimum cultum ad idololatriam inclinaret; omnes Dei cultores aut sacrificare, aut certe mari compellebat. Tunc timens pro Ecclesia Antiochenorum fortissimus Christi miles Ignatius, ultro perrexit ad Trajanum, transeuntem illo tempore per Antiochiam, et festinantem ad Armeniam et Parthos. Cumque in faciem regis Trajani astitisset, Trajanus dixit : « Quis es tu, cacodæmon, qui nostra præcepta festinas transgredi, et aliis persuades ut male pereant ? » Ignatius dixit : « Nemo Theophorum cacodæmonem vocat ; longe enim a servis Dei recedunt dæmones. Scio quidem quia molestus eis sum ; propterea me male cacodæmenem vocasti. Confiteor enim me Christum regem habere : et dissolvo illorum consilia. » Trajanus dixit : « Et quis est Theophorus ? » Ignatius dixit : « Qui Christum habet in pectore. » Trajanus dixit : » Et nos non tibi videmur habere deos in pectore, quos habemus auxiliatores contra hostes ? » Ignatius dixit : « Et dæmonia gentium deos existimans, erras. Unus est enim Deus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt : et unus unigenitus Jesus Christus Filius ejus, cujus amicitiam acquisivi. » Trajanus dixit : « Crucifixum dicis a Pontio Pilato ? » Ignatius dixit : « Illum qui crucifixit peccatum, et inventorem ejus ; et qui non justificat idolorum servitorem, sed qui in corde suo hoc sapit. » Trajanus dixit : « Tu ergo in teipso Christum gestas ? » Ignatius dixit : « Utique. Scriptum est enim : *Habitabo in eis, et inambulabo.* » Trajanus dixit : « Ignatium censui, dicentem in seipso continere crucifixum, vinctum a militibus perduci ad magnam urbem Romam escam bestiis pro avocatione populi. » Hanc sententiam audiens sanctus martyr Ignatius, cum gaudio exsultavit, dicens : « Gratias tibi ago, Domine, quoniam me perfecte honorasti in tua dilectione, et dignum me fecisti cum apostolo tuo Paulo ferreis vinculis alligari. » Hoc dicens, et cum lætitia suscipiens vincula, et orans primo pro Ecclesia, et eam cum lacrymis commendans Domino ; sicut aries magnus boni gregis dux, a ferocissimis militibus ducebatur, crudelissimis manibus, Romam bestiis ad comestionem.

CAPUT III.

Tollentes igitur beatum Ignatium, pervenit ad Seleuciam ; unde et navigare habuerunt. Et respiciens sanctus Ignatius post multum laborem ad Smyrnæorum civitatem, cum multo gaudio descendens de navi, festinabat sanctum Polycarpum episcopum Smyrnæorum coadjutorem suum videre. Fuerunt autem ambo discipuli Joannis apostoli. Quem sibi adductum beatus Polycarpus videns, et spiritualiter ei communicans, et vinculis ejus coexsultans, rogat eum ire ad propositum suum. Magis autem communiter omnis Ecclesia rogat cum per sanctum episcopum Polycarpum, et per sanctos presbyteros et diaconos. Sed et omnes Ecclesiæ Asiæ festinabant ad eum, ut participarentur de spirituali ejus benedictione. Maxime autem et sanctum Polycarpum hortabantur, ut cum animaret, quo consummatus a bestiis, invisibilis mundo effectus, præsentaretur obtutibus Christi.

(20). . . . . .

E CAPITE V.

. . . . . Et exinde proficiscens, Trojæ appropinquavit. Adductus autem Neapolim, per Philippenses transiit Macedoniam pedibus, et Epirum quæ est juxta Epidamnium secus mare ; atque exinde navim conscendens, navigavit per Adriaticum pelagus. Et cum inde ascenderet ad Tyranicum (21), ostensum est sancto Pontiolo (22) episcopo, quod ipse transiturus esset. Et obviam ei exiens, festinabat sequi ejus vestigia tanquam apostoli Pauli. Et non potuit sequi, spiritu navis proræ incumbente. Et Ignatius, beatificans in eo loco fratrem suum in dilectione (23), ita navigavit. Denique una die et ea nocte prosperis ventis usi, pervenerunt ad urbem Romam (24).

(20) Integrum caput 4, cum parte proxime sequentis, abest a ms. Cottoniano ; quæ quidem e tertio Ignatianarum epistolarum collectore Usserius supplevit.

(21) Leg. « Tyrrhenicum. »

(22) Alter vetus interpres : « Ostensis sancto Pociolis, » ubi legendum « Puteolis. » Hic autem Cottonianus interpres. « Pontiolum episcopum » fabricavit, quem et sancto Ignatio obviam exisse finxit, Græcorum quæ vertebat Actorum minus recte percepta sententia. Usser.

(23) Exactior quidem alius vetus interpres.

(24) Reliqua horum Actorum similiter præstitissem, nisi interpretis obstitisset ἀκρισία, qui in rebus postquam Romam attigisset Ignatius exponendis, posthabita eorum qui agoni martyris præsentes adfuisse se dixerunt narratione, recentiorem biographum sequi magis voluit ; qui poetica plane fide longos sermones inter imperatorem et Ignatium ibidem intercessisse, et varia tormentorum genera, ante extremum supplicium, pertulisse martyrem commentus est ; cum cruciatuum illorum neque antiquiora Acta, neque ipse Metaphrastes mentionem ullam fecerit ; et post Parthicam expeditionem Trajanum nunquam Romam rediisse, ideoque rebus istis interesse omnino non potuisse, Romana nos docent historia. Usserius, in præfat.

Tiberiani, Palæstinæ Primæ præsidis, ad Trajanum imperatorem, de Christianis Relatio (25).

Imperatori invictissimo, Cæsari divinissimo, Trajano.

Defatigatus sum puniendo et neci tradendo Galilæos qui nobis veniunt sub nomine Christianorum) secundum vestra mandata. Illi vero non cessant ad cædem sese patefacere. Et licet tam adhortationibus, quam minis, multum laboraverim, ut dogmatis illius esse se professores indicare mihi non auderent; persecutionem tamen passi, non quiescunt. Quæ igitur imperio vestro visa fuerint, edicere mihi dignetur majestas vestra.

A Αὐτοκράτορι νικητῇ Καίσαρι, θειοτάτῳ Τραϊανῷ.

Ἀπέκαμον τιμωρούμενος καὶ φονεύων τοὺς Γαλιλαίους τοὺς τοῦ δόγματος τῶν λεγομένων Χριστιανῶν, κατὰ τὰ ὑμέτερα θεσπίσματα. Καὶ οὐ παύονται ἑαυτοὺς μηνύοντες εἰς τὸ ἀναιρεῖσθαι· ὅθεν ἐκοπίασα τούτοις παραινῶν, καὶ ἀπειλῶν, μὴ τολμᾷν αὐτοὺς μηνύειν μοι ὑπάρχοντας ἐκ τοῦ προειρημένου δόγματος· καὶ ἀποδιωκόμενοι οὐ παύονται. Θεσπίσαι μοι οὖν κατοξιώσατε τὰ παριστάμενα τῷ ὑμετέρῳ κράτει, τροπαιοῦχοι.

(25) Cum Troadem pervenisset Ignatius, Ecclesiæ suæ Antiochenæ pacem fuisse redditam intellexit: quod hujus Tiberiani Relationis occasione contigisse, ex Joanne Malela Antiocheno et Suida, nota in *Epistolam ad Philadelphenos* indicavimus, Suidæ de Trajano verba hæc sunt: Οὗτος τοῖς Χριστιανοῖς ἀνακωχήν τινα τῆς τιμωρίας παρέσχεν. Οἱ γὰρ κατὰ καιρὸν ὑπο τῶν Ῥωμαίων τὰς ἀρχὰς ὠνούμενοι, πρὸς θεραπείαν τῶν τότε βασιλέων, διαφόρους ἐπῆγον τοῖτ χριστιανοῖς κολάσεις. Ὅθεν καὶ Τιβεριανὸς, ἡγεμονεύων τοῦ πρώτου Παλαιστινῶν ἔθνους, ἀνήγαγεν αὐτῷ, λέγων ὡς οὐκ ἐπαρκεῖν λοιπὸν τρὸς χριστιανοὺς φονεύειν, ἐκείνων αὐτομάτως ἐπεισαγόντων ἑαυτοὺς τῇ κολάσει. Ἐντεῦθεν ὁ Τραϊανὸς πᾶσιν ἅμα τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀπηγόρευε τιμωρεῖσγαι τούτους. « Hic aliquas suppliciorum inducias Christianis concessit. Qui enim illis temporibus magistratus a Romanis redimebant, ad captandam gratiam imperatorum qui tunc vivebant, varia supplicia Christianis infligebant. Quamobrem etiam Tiberianus, qui primæ Palæstinorum genti præerat, ad eum retulit, se in posterum Christianis occidendis imparem fore, quod illi ultro ad supplicia seipsos offerrent. Quare Trajanus omnibus imperio suo subjectis simul interdixit, ne suppliciis eos afficerent. » Quam tamen indulgentiam ita universalem non fuisse, sed ad Palæstinam, Syriam, et eas Orientis partes, in quibus tunc agebat imperator, magis spectavisse; vel ex deprecatione illa Ignatii, in amphitheatrum jam producendi, « pro persecutionis quietatione, » cujus in Actis martyrii ipsius fit mentio, promptum fuerit colligere. Usser.

Ignatii martyrio, in Eusebii *Chronico*, Relationis hujus commemoratio statim subjungitur; eamque tum factam, ineditus Actorum ipsius scriptor ita enarrat: Ἦκει δὲ αὐτῷ γράμματα παρὰ Παιωνίου (pro Πλινίου) Σεκούνδου ἡγεμόνος, νικηθέντος [ἴσ. κινηθέντος] ἐπὶ τῷ πλήθει τῶν γινομένων μαρτύρων, καὶ ἅπως ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀδίκως ἀνῃροῦντο, ἅμα δὲ ἐν ταὐτῷ καὶ μηνύοντος μηδὲν ἀνόσιον μηδὲ παράνομον πράττειν αὐτοὺς, πλὴν τὸ ἅμα τῇ ἕῳ διεγειρομένους Χριστὸν τὸν μονογενῆ Υἱὸν τοῦ Θεοῦ προσκυνεῖν· ὑπὲρ τούτου μόνου δίκην ὑπέχειν. Τὸ δὲ μοιχεύειν καὶ φονεύειν, καὶ τὰ συγγενῆ τούτοις ἀθέμιτα πλημμελήματα, καὶ αὐτοὺς ἀπαγορεύειν πάντας. Πρὸς ἃ τὸν Τραϊανὸν ἔννοιαν λαβόντα τὰ [ἴσ. τῶν] κατὰ τὸν μακάριον Ἰγνάτιον (ἦν γὰρ πρόμαχος τῶν λοιπῶν μαρτύρων) δόγμα τοιοῦτον τεθεικέναι· τὸ τῶν Χριστιανῶν φῦλον ἐκζητεῖσθαι μὲν, εὑρεθὲν δὲ μὴ κολάζεσθαι. Quam narrationem cum ille ex *Ecclesiastica* Eusebii *historia* (lib. III, cap. λγ') mutuatus fuerit (ut ipsa verba inde transcripta evincunt), mirum profecto est, decretum imperatorium, quod ex Tertulliano recte ille proposuerat (τὸ τῶν Χριστιανῶν φῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι) in sententiam plane contrariam ab incerto isto biographo ita fuisse per-

versam. Hunc itaque errorem vetus Latinus ipsius interpres in sua versione corrigendum putavit; licet eum Metaphrastes (qui hunc tantum auctorem, non Eusebium, ob oculos habuit) retinuerit, et quibusdam, more suo, additis locupletaverit. Et Latini quidem interpretis versio ita sese habet: « Venerunt Trajano scripta a Plinio Secundo duce, permoto super multitudine quæ facta fuerat martyrum pro fide interemptorum; in quibus omnino nihil sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium legibus gestum; præter hoc solum, quod ante lucem surgentes causa Dei Christi hymnos canebant. Adulteria vero, vel cætera hujusmodi crimina, abominabantur; et omnia agebant legibus convenientia. Trajanus vero, his auditis, pœnitens de iis quæ in beatum et sanctum Ignatium ingesserat (erat enim propugnator cæterorum martyrum), tale decretum proposuit: ut Christianorum quidem gens non inquireretur; si quis tamen incideret, puniretur. »

Metaphrastes vero, tacito Plinii nomine (fortasse quod depravatum in Actis illis reperisset) ita rem totam proposuit: Βασιλεὺς δὲ Τραϊανὸς, τὰ κατὰ τὸν Θεοφόρον Ἰγνάτιον ὕστερον ἐκμαθὼν, ὅπως τε γενναίως τὸν τοῦ μαρτυρίου ἆθλον ἀνύσειε, καὶ ὅπως κατὰ τὸν ἐκείνου ψῆφον θηρίων βορὰ γένοιτο· ἀκούσας δὲ πολλὰ καὶ περὶ τῶν κατὰ χώρας Χριστιανῶν, ὡς ἄρα οὐδὲν παρὰ τοὺς νόμους πράττοιεν, ἀνόσιόν τε ὀρῶσιν οὐδὲν, ἀλλ' ἅμα ἕῳ διανιστάμενοι Χριστόν τε ὡς Υἱὸν Θεοῦ προσκυνοῦσιν, ἐγκράτειάν τε πᾶσαν ἀσκοῦσιν ἔν τε βρωτῶν ὁμοίως καὶ ποτῶν μεταλήψει, καὶ ὅσα νόμος ἀπαγορεύει τούτων οὐδενὸς ἅπτονται· ταῦτα ἐκεῖνον ἀκούσαντα, μετάνοιάν τε εἰσελθεῖν τῶν ἤδη γεγενημένων, καὶ δόγμα τοιοῦτον ἐκθεῖναι λέγεται· ὥστε τὸ Χριστιανῶν φῦλον ἐκζητεῖσθαι μὲν καὶ γνώριμον πανταχοῦ καθίστασθαι, εὑρισκομένους δὲ μὴ ἀναιρεῖσθαι μέν, πλὴν μηδὲ πάλιν ἀρχὰς ἤ δημοσίων πραγμάτων ἐγχειρίζεσθαι διοικήσεις. Οὕτως οὐχ ἡ ζωὴ μόνον Ἰγνατίου, ἤδη δὲ καὶ ἡ τελευτὴ πολλῶν πρόξενος ἀγαθῶν κατέστη. « Imperator Trajanus cum de divino Ignatio postea didicisset, et quam fortiter peregisset certamen martyrii, et quod ut ipse tulerat sententiam, a bestiis fuisset devoratus, et multa etiam audivisset de Christianis qui erant in regione, quod scilicet, nihil præter leges facerent, neque rem ullam agerent impiam; sed diliculo surgentes et Christum adorarent tanquam Dei Filium, et omnem exercerent abstinentiam in cibo et in potu, et nihil tangerent ex iis quæ lex prohiberet; cum ille, inquam, hæc audisset, ductus est pœnitentia eorum quæ facta fuerant; et dicit tale decretum proposuisse: ut gens quidem Christianorum exquireretur, et omnibus esset cognita, inventi autem non interficerentur; sed neque magistratus gererent, neque susciperent ullam reipublicæ administrationem. Sic non vita solum Ignatii, s

C. Plinii Secundi, Bithyniæ proprætoris, ad eumdem de eisdem, Relatio (26).

Solemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam : ideo nescio quid, et quatenus, aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum? an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant? deturne pœnitentiæ venia? an ei, qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit? nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur? Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani? confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus : perseverantes duci jussi, Neque enim dubitabam (qualecunque esset, quod faterentur) pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri.

Fuerunt alii similis amentiæ, quos (quia cives Romani erant) annotavi in Urbem remittendos : mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse, cum præeunte me deos appellarent, et imagini tuæ (quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo (quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani) : dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque; omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt, et Christo maledixerunt.

Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desiisse, post edictum meum, quo secundum mandata tua hetærias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri et per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam : ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri.

Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quæ videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas; quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

—

Trajani imperatoris, de Christianis, Rescriptum.

Trajanus Plinio S. Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt : ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit (id est supplicando diis nostris), quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri sæculi est.

—

jam mors etiam fuit multorum bonorum conciliatrix; » quia hoc, nimirum, decretum mitiorem effecisset persecutionem, τὸν διωγμὸν μετριώτερον, ut in Trajani historia habet Zonoras.

Sub tertio Trajani consulatu, qui in annum æræ Christianæ incidit centesimum, C. Plinium Kalendis Septembribus consulatum suum honorarium iniisse, in primorum annorum Trajani tabella chronologica jam indicavimus; quo ipso etiam anno et die insignem illum panegyricum ad Trajanum ab ipso fuisse habitum, in ejusdem argumento confirmat Lipsius. Sub quarto tamen Trajani consulatu factum hoc vult Baronius : qui et anno proximo Plinium provinciam suscepisse administrandam, atque has ad Trajanum litteras dedisse existimat; indeque « erroris redargui jure posse » Eusebium sibi videri significat, apud quem positæ eæ fuerint anno « undecimo » ejusdem imperatoris, vel « decimo » potius, ut ex emendatioribus Eusebiani *Chronici* codicibus Josephus Scaliger edidit. Videtur ipse Baronius, ad annum Christi 105 (num. 1 et 5), quem æræ Christianæ vulgaris 102 in *Chronico* suo recte numerat D. Petavius; licet ad eum historiam hanc non recte referat. Quam infirmis enim Baroniana, quam ille secutus est, sententia innixa fuerit fundamentis, a P. Halloixio pluribus jam pridem est ostensum, *Notat. in Vit. Ignatii*, cap. 14, quæst. 1. USSER.

(26) Plin. lib. x, epist. 97.

Tertulliani de hoc Trajani Rescripto sententia.

Plinius Secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret consuluit tunc Trajanum imperatorem : allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendam Christo, ut Deo, et ad confœderandum disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cætera scelera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse ; oblatos vero puniri oportere.

O sententiam necessitate confusam ! Negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et sævit : dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis ? Si damnas, cur non et inquiris ? Si non inquiris, cur non et absolvis ? Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur : in reos majestatis et publicos hostes omnis homo miles est ; ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur. Solum Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud actura esset inquisitio, quam oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum ; qui, puto, jam non ideo meruit pœnam, quia nocens est : sed quia, non requirendus, inventus.

S. POLYCARPUS

MARTYR

SMYRNÆORUM EPISCOPUS

—

PROLEGOMENA

—

(HEFELLE, *Patrum apostolicorum Opera*, ed. 3, Tubingæ 1847, in-8°.)

—

DE EPISTOLA S. POLYCARPI.

I. De patria, genere, loco ac tempore nativitatis S. Polycarpi nihil compertum habemus. Quæ autem de apostolici hujus viri vita ad nos pervenerunt, ea Gallandius bene congessit (1). « Ab apostolis eum edoctum, et cum multis, qui Dominum viderant, familiariter versatum esse testatur Irenæus (2), ejus discipulus, his verbis : Καὶ Πολύκαρπος ὑπὸ ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοὶς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν. Deinceps Smyrnæorum episcopum ab ipsis familiaribus ac ministris Domini constitutum, post Irenæum l. c. tradit Eusebius (3), sic scribens : Τῶν ἀποστόλων ὁμιλητὴς Πολύκαρπος, τῆς κατὰ Σμύρναν Ἐκκλησίας πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ Κυρίου, τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος. Ejus tamen Ecclesiæ episcopatum ab Joanne apostolo ipsum accepisse, prodit Tertullianus (4) : « Edant ergo, *inquit*, origines Ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita pes successiones ab *initio* decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolicis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem .. sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert. » Neque aliter sane Hieronymus (5) : « Polycarpus, Joannis apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus.

(1) *Bibl. vet, PP.*, t. Proleg., p. LXIII sq.
(2) *Ad. hær.* III, 3. Apud Euseb. *H. E*, IV, 14.
(3) *H. E.*, III, 36.
(4) *De præscript.*, c. 32.
(5) *Catal. script. eccl.*, c. 17.

Num præclarum illud testimonium, quod in Apocalypsi Joannis (II, 8, 11), « Angelo Smyrnæ Ecclesiæ » tribuitur, ad Polycarpum nostrum sit referendum jure dubitamus, cum nec annus nativitatis S. Polycarpi, nec tempus quo Apocalypsis conscripta est, nobis plane innotuerit.

« Ejus autem animi et corporis dotes, pietatem, doctrinam, morum gravitatem coram spectatus graphice depingit Irenæus (6), his verbis Florinum allocutus : « Vidi te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, et magnopere laborantem, ut te illi approbares. Etenim ea quæ tunc temporis gesta sunt, melius memoria teneo, quam illa quæ nuper acciderunt ; . . . adeo ut et locum ipsum possim dicere in quo beatus Polycarpus sedens disserebat ; processus quoque ejus et ingressus, vitæ totius formam et corporis speciem ; sermones denique quos ad populum habebat, et familiarem consuetudinem quæ illi cum Joanne, ut narrabat, et cum reliquis qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat ; et qualiter dicta illorum commemorabat ; et quæcunque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina, prout ab iis qui Verbum vitæ ipsi conspexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens. » Hactenus Irenæus, qui et alibi summatim in eamdem sententiam hæc tradit (7) : « Sed et Polycarpus... quem nos quoque adhuc adolescentes vidimus (vixit enim diutissime, et in ultima senectute, summa cum gloria illustre perpessus martyrium, excessit e vita), ea semper docuit quæ ab apostolis didicerat, et quæ etiamnum tradit Ecclesia, et quæ sola sunt vera. »

« His autem enarratis, paucisque interjectis, illud quoque refert S. Pater, memoratu dignum : « Ipse enim Polycarpus, *inquit*, cum ei aliquando Marcion occurrisset dixissetque, Ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς· respondit, » Ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ. »

Hæc Romæ flebant. Antonino enim imperante et Aniceto Ecclesiam gubernante, S. Polycarpus Romam est profectus, ut diversas de celebrando Paschate opiniones componeret. Sed neuter alteri, ut a more suo discederet, persuadere potuit. In pace igitur, vinculo charitatis minime rupto, Polycarpus a S. Aniceto discessit, postquam non paucos, desertis Valentini et Marcionis erroribus, ad Ecclesiam reduxerat.

(6) *Ep. ad Florin.* apud Euseb. *Hist. eccl.* v, 20.
(7) *Adv. hær.* III, 3, apud Euseb. *Hist eccl.* IV, 14.
(8) *Biblioth. veterum Patrum*, t. I, Proleg., p. XC sq.
(9) Stierenius (*Uberdas Todesjahr Justin's d. Mart.* in Illgenii *Zeitschrift für die hist. Theol.* 1842, fasc. I, p. 34) conjicit Polycarpum anno 161 martyrio esse coronatum, quia Eusebius (*Hist. eccl.* IV, 15) narrationem de martyrio Polycarpi cum fine capitis 14 arctissime conjungit ubi de morte Antonini Pii et de initio imperii Marci Aurelii verba fecerat. Cf. *Tübinger theol. Quartalschrift* 1843, p. 144.
(10) Vide Jacobson. edit. *Patrum apostol.*, ed. II, t. I, p. LVIII.
(11) *Ep. ad Florin.*, apud Euseb. *Hist. eccl.* V, 20.
(12) Apud Euseb. *Hist. eccl.* IV, 14.

A Mortem S. Polycarpi Acta martyrii ejus nobis tradunt. Quo autem anno præsul optimus e vita discesserit, inter doctos et rerum chronologicarum magistros disputatur. Polycarpum anno 147 passum esse vult Pearsonius, quem sequuntur Dodwellus, Caveus, Lardnerus et Gallandius (8). Secundum Baraterium et Stierenium (9) Polycarpi martyrium referri debet ad annum 161 ; juxta Norisium et Tillemontium ad annum 166 ; juxta Scaligerum, Valesium, Gieselerum et Neandrum, ad annum 167 ; Baronius denique, Usserius, Nourrius et alii, anno 169 Polycarpum martyrio coronatum fuisse statuunt. Petitum si audias, Polycarpi passio ad annum 175 pertinet ; Basnagius in annum 178 mortem ejus rejicit (10).

B II. « Neque solum verbo et exemplo gregem suum instituit pastor optimus, verum etiam scriptis erudivit sacra doctrina refertis, atque viro apostolico plane dignis. De his hæc habet in epistola modo laudata Irenæus (11) : Καὶ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν δὲ αὐτοῦ, ὧν ἐπέστειλεν ἤτοι ταῖς γειτνιώσαις Ἐκκλησίαις, ἐπιστηρίζων αὐτὰς, ἢ τῶν ἀδελφῶν τισι, νουθετῶν αὐτοὺς καὶ προτρεπόμενος, δύναται φανερωθῆναι. Ex variis tamen epistolis Polycarpianis ad nos una pervenit quæ est ad Philippenses ; *luculentissima* scilicet, judice ipso Irenæo (12), « ex qua, quicunque salutis suæ curam gerunt, poterunt, si volent, et formam fidei illius, et prædicationem veritatis cognoscere ; » adeo ut haud miram subeat, si apud primævos Christianos tanto in pretio et honore fuerit
C habita, ut in sacris eorum cœtibus legi consueverit, quemadmodum ad usque Hieronymi (13) ætatem factitatum fuisse novimus. »

III. De epistolæ nostræ *authentia*, a Centuriatoribus Magdeburgensibus. Dallæo et aliis (14) in dubium vocata, optime disputavit vir doctissimus Nicolaus le Nourry (15), cujus verba referens, lectoribus grati aliquid facere puto : « Nemo est, inquit, qui hac in epistola omnes scriptoris apostolici notas et characteres facile non animadvertat. Ubique enim verba, stylus, ingenium, aliaque omnia illam a viro vere apostolico, imo et ab ipsomet Polycarpo scriptam esse aperte produnt.

« Neque vero ipsa tantum epistola, sed testes etiam locupletissimi, omnique exceptione majores, illud
D idem firmissime asseverant. Horum agmen ducit Irenæus, Lugdunensis episcopus, et Polycarpi no-

(13) *Catal. script. eccl.* c. 17.
(14) Dallæum maxime secuti sunt Semlerus (ad Baumgarten, *Untersuchnng theol. Streit* II, 36 sq.) et Roster, *Bibliothek d. K. Vater* I, 93 sq. Nuperrime epistolam S. Polycarpi in dubium vocavit Schweglerus, Tubingensis (*Das nachapostol. Zeitalter*, t II, p. 134 sqq).
(15) *Appar. ad Biblioth. max. Patrum*, t. I. Præter Nourrium cfr. Pearson. *Vindic. Ignat.*, p. II, cap. 5 (supra) ; Mosheim, *Comment. de reb. Christ*, p. 162 ; Tillemont, *Mémoires*, II, 327 ; Ittig, *Diss. de hæresiarchis apostolicæ ætatis*, p. 186 et in Appendice, p. 75 sq ; Lucke, *Commentar über d. Briefe des Evang. Johannes*, p. 3, 4 ; Mohler, *Patrolog.*, t. I, p. 155—163.

stri discipulus,qui in agnoscendis vel designandis magistri sui epistolis falli non poterat. Is enim de hac Polycarpi epistola hæc memoriæ tradidit (16) : Ἔστι δὲ καὶ ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη, ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, οἱ βουλόμενοι,καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας, δύνανται μαθεῖν. . . . Irenæi sententiæ subscripsit Eusebius. Ac ne quis,de qua Polycarpi epistola loquatur, ullam unquam litem movere posset, ille plures ex eadem epistola locos, qui in ea etiam nunc reperiuntur,fideliter transcripsit.Sic autem ille(17): Καὶ ὁ Πολύκαρπος δὲ τούτων αὐτῶν (epistolarum S. Ignatii) μέμνηται ἐν τῇ φερομένῃ αὐτοῦ πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῇ, φάσκων αὐτοῖς ῥήμασι, κ. τ. λ. (Sequuntur verba Polycarpi ex cap. 9 et 13). Et in alio libro Eusebius (18) : Ὁ μέν τοι Πολύκαρπος ἐν τῇ δηλωθείσῃ πρὸς Φιλιππησίους αὐτοῦ γραφῇ, φερομένῃ εἰς δεῦρο κέχρηταί τισι μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Πέτρου προτέρας ἐπιστολῆς (e. g. c. 1, 2, 5, 7, 8, 10). Eusebio accedit Hieronymus, qui eidem epistolæ suum quoque dedit testimonium(19) : « Polycarpus,Joannis apostoli discipulus,et ab eo Smyrnæ episcopus ordinatus ; totius Asiæ princeps fuit, *etc.* Scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam,quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur. » Ex quibus Hieronymi verbis discimus.non solum ab illo hanc epistolam Polycarpo ascribi,sed eam insuper,summa cura in ecclesiis asservatam, ibi maximo fuisse in pretio.

« His autem tribus locupletissimis testibus innumerabiles alios,si quid opus esset, adjungere possemus,Photium, Maximum, Theodoretum cæterosque omnes, qui de hac Polycarpi epistola aliquid deinceps scriptis mandaverunt. Sed cum illorum quos jam citavimus, diligentia et fide nulla major desiderari queat,inutili aliorum nominatim appellandorum opera lubenter supersedemus.

« Constat itaque,hanc epistolam non alium quam Polycarpum habuisse auctorem.Mirandus ergo Dallæus, qui omnes ingenii sui vires eo intendit, ut aliquam hujusce epistolæ, quam falsis opinionibus suis non favere sentiebat, dubitationem,vel saltem suspicionem quocunque tandem modo injiciat. Nullo enim alio ad id probandum nititur firmamento, quam Stichometria, quæ in calce Chronographiæ Nicephori Constantinopolitani adjecta est (20). » Hoc autem fragmentum a Nicephoro nequaquam scriptum fuisse, eique perperam a Dallæo ascribi, invictis rationum momentis docuerunt Nourrius et Pearsonius (21).

Præterea Nourrius adjicit, « opinionem Dallæi suis ipsis sodalibus, ejusdem sectæ viris a vero ita alienam videri,ut Moynius(22)de ea sic aperte pronuntiet : « Nunquam potui pedibus nec animo ire in sententiam celeberrimi Dallæi,qui hanc Polycarpi epistolam tam celebrem, ac ubique terrarum ita prædicatam, suspectam reddere conatus est. . . . Neque enim video quomodo opus tantum,omnibus ita notum, vel minimam de se possit excitare suspicionem.Nullum quippe exstat opus cujus certiora animadvertantur veritatis argumenta,quam epistola ad Philippenses ; ac si de illa dubitare liceret, nullum esset antiquitatis monumentum cujus fides etiam incerta ac dubia non labasceret. » »

IV. Jam de *integritate* dicendum. Dallæus, cum totam epistolam rejicere se posse non speraret,ultima certe ejus partem Polycarpo suppositam contendit, assentiente Moynio. Sed.

a) Jam Eusebius (*Hist. eccl.* III, 36) posteriorem hanc epistolæ partem citat, atque ex ea (c. 13), ut ex præcedentibus, quædam Polycarpi verba transcripsit.

b) Eusebius ut bene Pearsonius docet (23-24), nec falli,nec fallere potuit.Erat enim tota epistola omnibus exposita ; erat in Ecclesiis Asiaticis tunc temporis, cum scriberet Eusebius publice lecta ; norat eam Hieronymus, cujus versioni, nisi aliis occupatus, incubuisset, et tamen Eusebiana nunquam recusavit. De illa igitur particula quam exscripsit Eusebius,dubitari non potest, nisi etiam de tota epistola simul absque ulla ratione dubitemus.

Quæ Dallæus ex epistola ipsa contra integritatem profert, nullius momenti esse, facile perspicies.

a) Decentissimam epistolæ clausulam c. 12 inveniri,reliqua igitur postea adjecta esse, contendit vir criticus. Sed clausulis ejusmodi *ante* finem totius epistolæ S.Paulus quoque et Clemens Romanus usi sunt ; cfr. ad Rom. XX, 33 ; ad Ephes. III, 21 ; I Clem. *ad Cor.* capp. 20, 38, 45, 50, 50.

b) Impostor, si Dallæum audias, ita loquitur, ut Ignatium,quo tempore hæc scripta sunt, adhuc superesse significet.*De ipso*,inquit c. 13, « Ignatio, et de his,qui cum eo sunt,quod certius agnoveritis, significate. »Prioris autem partis auctor (c. 9) apertissime affirmat,Ignatium jam fuisse mortuum.Futile hoc argumentum. Si enim verba illa c. 13, mendacii accusata, Græca adhuc exstarent (καὶ περὶ Ἰγνατίου καὶ περὶ τῶν μετ' αὐτοῦ), nemo certe contenderet,Ignatium *adhuc vivum* illis significari aut innui.

V. Epistolam S. Polycarpi paulo post martyrium S. Ignatii exaratam esse, ex epistola ipsa erudimur, c. 13. Cfr. supra, quæ de tempore mortis S.

(16) *Adv. hær.* III, 3. Apud Eusebium *Hist. eccl.* IV, 14.
(17) *Hist. eccl.*, III, 36.
(18) *Hist. eccl.*, IV, 14.
(19) *Catal. script. eccl.*, c. 17.
(20) Quisquis auctor sit Stichometriæ, ille non pronuntiat, epistolas S.Ignatii et Polycarpi esse supposititias.Nuda enim hic Ignatii et Polycarpi nomina ponuntur,neque vel de epistolis vel de suppositione quidquam affirmatur.E contextu potius patet,duos hos Patres a canone solum S. Scripturæ arceri.
(21) *Vindiciæ Ignatianæ*, p. I, c. 4 (supra).
(22) Proleg. ad *Varia sacra.*
(23-24) *Vindic Ignat.*, p. II, cap 5.

Ignatii disputavimus (in præfatione ad ejus Epistolas).

VI. Hæc epistola manca habetur in omnibus Græcis codicibus motis. Ubi autem codices deficiunt, ibi continenter subnectitur epistola Barnabæ, sed capite truncato (25).

Totam vero Polycarpi epistolam vetus notis servavit versio, quam primus 1298 Parisiis, ab ipso inventam, evulgavit Jacobus Faber Stapulensis.

Græce et Latine primus epistolam in lucem protulit Duaci 1633 Petrus Halloixius, ex apographo Francisci Turriani, a viro doctissimo Jacobo Sirmondo S. J. ad illum transmisso (26). Post annos 14 Jacobus Usserius aliud nactus exemplar, quod ex Andreæ Schotti apographo Claudius Salmasius manu sua descriptum cum Isaaco Vossio communicaverit, illud contulit cum edito Halloixiano, atque hanc Polycarpianam epistolam cum vetere interprete Londini evulgavit 1647; quam deinde nova interpretatione adornatam exhibuit Cotelerius. Anno 1709 prodiit Thomæ Smithii editio præstans, eamque secutus est Gallandius. Novam denique editionem 1838 et 1840 (edit. II) adornavit Guilielmus Jacobsonus, codicibus Vaticano, Parisino et Mediceo Laurentiano usus.

VII. De Polycarpi *doctrina* disputaverunt Lumperus (27), Heynsius, Junius ac van Gilse (28), Mœhlerus (29) et alii.

DE MARTYRIO S. POLYCARPI.

I. « Inter præclariora ecclesiasticæ antiquitatis monumenta merito recensetur Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi, adeo, ut illam pene integram Eusebius *Historiæ* suæ *necessario inserendam* existimaverit (30). Quinimo illustris ejus interpres Valesius eo processit, ut affirmarit (31), Polycarpi ejusque sociorum martyrium litteris traditum esse omnium primum, Actaque martyrum nulla exstare antiquiora; nec dubitarit proinde, quin illa Smyrnensium epistola primo loco posita fuerit ab Eusebio, in libro quem inscripsit Ἀρχαίων μαρτυρῶν συναγωγή. Molliter tamen excipiendus vir doctissimus; nondum quippe detecta, quo tempore ille sic sentiebat, Acta martyrii S. Ignatii sincera. » Ita Gallandius (32).

II. Insignis hæc de martyrio S. Polycarpi epistola rectissime, ut Smithius docet (33), « dici potest ἐγκύκλιος si *encyclica*, ut ex imscriptione patet; utpote ad varias Ecclesias, tam in Asia minori vicina, quam alibi in aliis provinciis, κατὰ πάντα τόπον transmissa; quæ de iis solis, quæ κατὰ Πόντον, *juxta Pontum* sitæ erant, male interpretatur Eusebius (34), pro πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον, cum ad omnes Ecclesias, ubi Christianæ religionis professio vigebat, per Orientem præcipue sparsas, debeat propagari et extendi ab ipsis Philadelphensibus (35), quantum in ipsis erat, τοῖς ἐπέκεινα ἀδελφοῖς communicanda (36); eadem verborum serie in omnibus retenta, soloque particularis Ecclesiæ, ad quam dirigitur, nomine mutato. »

III. Hanc epistolam non continuo post Polycarpi martyrium, sed aliquanto post tempore a Smyrnæis scriptam fuisse contendit Valesius (37), dicens: « Cum Philomelienses de Polycarpi martyrio fama tantum ac rumore tenus audiissent, litteras dederunt ad Smyrnæorum Ecclesiam, rogantes, ut cuncta, quæ in beatissimi viri passione gesta fuerant, singillatim perscripta ad ipsos mitterentur. Quod quidem libentissime præstiterunt Smyrnæi, scripta ad ipsos epistola, quam in manibus habemus. Id autem subindicant his verbis (c. 20): ὑμεῖς μὲν οὖν ἠξιώσατε διὰ πλειόνων δηλωθῆναι ὑμῖν τὰ γενόμενα. » Sed *primo* anno post mortem S. Polycarpi acta hæc conscripta esse inde ex eo apparet, quod primus dies anniversarius hujus martyrii nondum celebratus fuit, ut ex cap. 18 perspicimus.

IV. Epistolam de martyrio Polycarpi, nomine Ecclesiæ Smyrnensis ab Evaresto conscriptam, Marcus quidam, seu Martianus (38), ad Philomelienses pertulit (39). Exemplar autem hujus epistolæ habuit Irenæus, quod Gaius ejus discipulus descripsit, et post eum Socrates quidam Corinthius, atque alius, Pionius nomine (40).

V. Epistolæ Smyrnensis Ecclesiæ optimum Eu-

(25) Vide Proleg. ad epist. S. Barnabæ, hujusce *Patrol.* t. II. Edit.
(26) Cfr. Proleg. ad S. Barnabam.
(27) *Hist. theol. crit.* t. I, p. 351-346.
(28) *Commentationes de theologia Patrum apost. morali*, p 60-69, p. 78-84, p. 75-78.
(29) *Patrolog.* t. I, p. 159-162.
(30) *Hist. eccl.* IV, 15.
(31) *Ibid.* not. 1.
(32) *Biblioth. veterum Patrum* l. c. p. LXXXIX.
(33) *Schol. in Ep. Smyrn. Eccl.*, p. 113.
(34) *Hist. Eccl.* IV, 15.
(35) Non *Philadelphensibus*, sed fidelibus *Philomelii* epistolam nostram inscriptam fuisse statuit Jacobsonus, quem nos secuti sumus. Cfr. quæ infra ad inscriptionem hujus Epistolæ adnotavimus.
(36) Ep. Eccl. Smyrn., c. 20.
(37) Not. 1 ad Euseb. *Hist. eccl.* IV, 15.
(38) Ita exhibet vetus interpres.
(39) Vide Martyr. Polycarpi, c, 20.
(40) Ibid. c 22. Acta quædam S. Polycarpi spuria, Pionio huic auctori falso tributa, Petrus Halloixius in *Vitis Patrum Oriental.*, t. I, post eum Bollandus edidit in *Actis Sanctorum*, ad diem 26 Januar.

sebius præbuit testimonium, qui potiorem ejus partem *Historiæ* suæ inseruit, hisce verbis (41): Ἐν τούτῳ δὲ (tempore) ὁ Πολύκαρπος, μεγίστων τὴν Ἀσίαν ἀναθορυβησάντων διωγμῶν, μαρτυρίῳ τελειοῦται. Ἀναγκαιότατον δὲ αὐτοῦ τὸ τέλος, ἐγγράφως ἔτι φερόμενον, ἡγοῦμαι δεῖν μνήμῃ τῆς ἱστορίας τῆσδε καταθέσθαι. Ἔστι δὲ ἡ γραφὴ ἐκ προσώπου ἧς αὐτὸς Ἐκκλησίας ἡγεῖτο, ταῖς κατὰ Πόντον παροικίαις τὰ κατ' αὐτὸν ἀποσημαίνουσα διὰ τούτων, κ. τ. λ. Sequuntur verba Epistolæ nostræ.

Ibidem, postquam Eusebius multa protulit ex ea epistola, concludit his verbis ; Τὰ μὲν δὴ κατὰ τὸν θαυμασιον καὶ ἀποστολικὸν Πολύκαρπον, τοιούτου κατηξίωτο τέλους, τῶν κατὰ τὴν Σμυρναίων Ἐκκλησίαν ἀδελφῶν τὴν ἱστορίαν, ἐν ᾗ δεδηλώκαμεν αὐτῶν Ἐπιστολῇ, κατατεθειμένων.

De martyrio S. Polycarpi Irenæus (42) quoque verba fecit : Ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε (Polycarpus)· καὶ πάνυ γηραλέος, ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου.

Similiter Hieronymus (43) ; « Postea vero, regnante M. Antonino et L. Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ, sedente proconsule, et universo populo in amphitheatro adversus eum personante, igni traditus est. »

VI. Totam Ecclesiæ Smyrnensis epistolam nemo, quem sciam, in dubium vocavit, ipsique critici rigidissimi laudem ei tribuerunt (44). Iis, quæ supra (n. 1) ex Valesio protulimus, ea addemus, quæ illustrissimus Scaligerus in Anid madversionibus suis Eusebianis (p. 121) effatus est. « Hæc sunt, *inquit*, vetustissima illa Ecclesiæ martyria, quorum lectione piorum animus ita afficitur, ut nunquam satur inde redeat; quod quidem ita esse, unusquisque pro captu suo et conscientiæ modo sentire potest. Certe ego nihil unquam in historia ecclesiastica vidi, a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar. »

Nostris temporibus præsertim Mœhlerus epistolæ hujus causam egit (45).

Nonnullas lacinias, præsertim fabulam de columba c. 16, Epistolæ nostræ a posterioribus additas esse, contenderunt Heumanus (46) et alii ; non plane, ut videtur, injuste.

Equidem ultimam capitis 22 particulam, quæ de Piono loquitur, spuriam censeo et ab illo confectam, qui suppositicia ista S. Polycarpi acta, quorum supra mentionem fecimus, quæque Pionio false ascribuntur, genuinæ Smyrnæorum epistolæ mala fraude adjunxit. Verbis enim καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς Pseudo-Pionius indicat, *sequentibus* (i. e. Actis spuriis adjectis) se declaraturum esse, quæ Polycarpus per revelationem ipsi manifestaverit.

VII. Epistolam Ecclesiæ Smyrnensis primus Græce et Latine (sed Græce non integram) edidit Petrus Halloixius in *Vitis Patrum Orient.*, t. I (47). Integram autem eam anno 1647 Londini ex Menologio Græco mss. Barocc. evulgavit Usserius, Parisiis Cotelerius. Eamdem deinde *Actis martyrum sinceris* Ruinartus intexuit, et Smithius editioni Epp. Ignatii et Polycarpi addidit 1709. Smithium secutus est Gallandius. Novissimam et elegantissimam editionem 1838 et 1840 (edit. II) Oxonii evulgavit Jacobsonus, tribus codicibus, Barocciano, Parisino et Cæsareo-Vindobonensi usus.

VIII. *De doctrina* hujus epistolæ cfr. Lumper., *Hist. theol. crit.*, t. III p. 453-459.

IX. Addamus denique quæ Thomas Smithius, testis αὐτόπτης, de Smyrnensi amphithartro, quo S. Polycarpus martyr gloriosus obiit, deque ejus sepulcro enarrat his verbis (48) : « Ad latera, anquit, alterius portæ arcis, quæ ad orientem est, adhuc visuntur duæ aquilæ, Romanorum insignia, largiusculæ et belle quidem delineatæ. Hinc inter descendendum, amplum amphitheatrum ad Notapeliotem, quo S. Polycarpus martyrio coronatus est, intravimus. gradibus saxeis a Turcis ad ornandas ædes illinc sublatis. In cujus lateribus duæ cavernæ, quibus claudebantur leones, sibi invicem opponuntur. Sepulcrum S. Polycarpi, quod in latere montis adversus Euro-austrum adhuc conservatur. Græci die festo, ipsius memoriæ consecrato, pro more. qui apud ipsos obtinet, solemniter invisunt. Situm est in quadam ædicula, ecclesiæ forte sacello, alii, per quam illuc transeunduum est contigua. In hoc monumento instaurando, si ab impressionibus aeriis, si a Turcis, si a Christianis Occidentalibus, qui fragmenta marmoris quasi tot reliquias exinde tollunt, lædatur temeretur-que ; laudabilis illorum collocatur opera, olla fictili quoque illic apposita, in quam quisque fere præ veneratione, qua erga τὸν Μεγαλομάρτυρα pro Christo invicta animi præsentia mori sustinentem fertur, illic ductus pauculos aspros conjicit, ut in omne ævum perennet. « Hæc Smithius.

(41) *Hist. eccl.* IV, 15.
(42) *Adv. Hær.* III, 2. Apud Euseb. *Hist. eccles.* IV, 14.
(43) *Catal. script. eccl.* c. 17.
(44) Vide Tillemont, *Mémoires*, etc., t. II, p. 341 seqq., edit. Veneta, 1732 et Fabric. *Bibl. Gr.*, edit. Harles., t. VII, p. 51.
(45) *Patrolog.*, t. I. p. 410. Cfr. Neander, *Kirch. Gesch.* t. I, p. 739.
(46) Vide not. ad c. 16.
(47) Duæ exstant versiones antiquæ, quarum altora *metaphrasis* potius quam *versio* est.
(48) *Notit. sept. Asiæ Eccl.*, p. 164, edit. Oxon., 1672. Lumper. I. c., t. II, p. 461.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΣΜΥΡΝΗΣ ΚΑΙ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΠΡΟΣ ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗ

—

SANCTI POLYCARPI

SMYRNÆORUM EPISCOPI ET HIEROMARTYRIS

EPISTOLA

AD PHILIPPENSES

—

Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ Φιλίππους (49)· ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη παρὰ Θεοῦ παντοκράτορος καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν πληθυνθείη.

A Polycarpus et qui cum eo presbyteri Ecclesiæ Dei, quæ peregrinatur Philippis : misericordia vobis et pax a Deo omnipotente, et a Domino Jesu Christo Salvatore nostro multiplicetur.

I. *Laus ob benignitatem erga fratres vinctos et ob firmam fidem.*

Συνεχάρην ὑμῖν μεγάλως ἐν Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, δεξαμένοις τὰ μιμήματα τῆς ἀληθοῦς ἀγάπης, καὶ προπέμψασιν, ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν, τοὺς ἐνειλημμένους τοῖς ἁγιοπρεπέσι δεσμοῖς, ἅτινά ἐστι διαδήματα τῶν ἀληθῶς ὑπὸ Θεοῦ καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων· καὶ ὅτι ἡ βεβαία τῆς πίστεως ὑμῶν ῥίζα, ἐξ ἀρχαίων καταγγελλομένη χρόνων, μέχρι νῦν διαμένει, καὶ καρποφορεῖ εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς ὑπέμεινεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἕως θανάτου καταντῆσαι, « ὃν ἤγειρεν ὁ Θεὸς, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου. Εἰς ὃν οὐκ ἰδόντες πιστεύετε, πιστεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ· » εἰς ἣν πολλοὶ ἐπιθυμοῦσιν εἰσελθεῖν, εἰδότες ὅτι « χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, οὐκ ἐξ ἔργων, » ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Magnopere congavisus sum vobis in Domino nostro Jesu Christo, quod veræ charitatis imagines suscepistis, et quod prout decuit vos, comitati estis eos, qui implicati sunt vinculis, quæ sanctis conveniunt, quæque diademata sunt eorum, qui vere sunt a Deo et Domino nostro electi ; et quod firma fidei vestræ radix, ab antiquis temporibus annuntiata, usque adhuc [1] permanet ac fructum affert in B Domino nostro Jesu Christo, qui pro peccatis nostris usque ad mortem devenire sustinuit, « quem resuscitavit Deus, solutis doloribus inferni [2]. In quem non videntes creditis, credentes autem exsultatis lætitia inenarrabili et glorificata [3]; » in quam multi desiderant introire, scientes, quod « gratia estis salvati, non ex operibus [4], » sed voluntate Dei per Jesum Christum.

II. *Adhortatio ad virtutem.*

(50) « Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας ὑμῶν (51) δουλεύσατε τῷ Θεῷ ἐν φόβῳ » καὶ ἀληθείᾳ, ἀπολιπόντες τὴν κενὴν ματαιολογίαν καὶ τὴν τῶν πολλῶν πλάνην, « πιστεύσαντες εἰς τὸν ἐγείραντα τὸν Κύ-

« Propter quod succincti lumbos vestros [5] servite Deo in timore [6] » et veritate, relinquentes inane vaniloquium et vulgi errorem, « credentes in eum, qui Dominum nostrum Jesum Christum e mortuis

[1] Philipp. I, 5. [2] Act. II, 24. [3] I Petr. I, 8. [4] Ephes. II, 8,9. [5] I Petr. I,13; Ephes. VI, 17. [6] Psal. II,11.

(49) Ita Jacobsonus e cod. Vat. Alii Φιλίπποις. Cfr. I Clem. 1, et inscriptionem Epist. Eccl. Smyrn. de martyrio Polycarpi.

(50) Similia leguntur apud Clementem, Epist. » C *ad Corinth.* c. 9. Cfr. Prolegomena nostra ad epistolas S. Clementis, n. 3 (*Patr. Gr.* t. I).

(51) Pronomen restituit Jacobsonus ex codd.

suscitavit, eique gloriam dedit [7] » ac sedem ad dextram suam ; cui subjecta sunt omnia cœlestia et terrestria : cui omnis spiritus servit ; qui venit judex vivorum et mortuorum [8] ; cujus sanguinem Deus requiret ab iis qui non credunt in illum. Is vero, qui ipsum suscitavit e mortuis, et nos suscitabit [9], si fecerimus voluntatem ejus et in ipsius mandatis ambulaverimus, ac dilexerimus ea quæ ipse dilexit, abstinentes ab omni injustitia, fraudatione, avaritia, obtrectatione, falso testimonio [10] ; « non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto [11], » nec pugnum pro pugno, nec exsecrationem pro exsecratione ; memores autem eorum, quæ dixit Dominus docens : « Nolite judicare, ne judicemini [12] ; dimittite, et dimittetur vobis [13] ; miseremini, ut misericordiam consequamini [14] ; [in] qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis [15] ; » et : « Beati pauperes, et qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum Dei. »

ριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ δόντα αὐτῷ δόξαν (52) » καὶ θρόνον ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ· ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα ἐπουράνια καὶ ἐπίγεια· ᾧ πᾶσα πνοὴ λατρεύει· ὃς ἔρχεται κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν· οὗ τὸ αἷμα ἐκζητήσει ὁ Θεὸς ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων αὐτῷ. Ὁ δὲ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ ἡμᾶς ἐγερεῖ, ἐὰν ποιῶμεν αὐτοῦ τὸ θέλημα, καὶ πορευώμεθα ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, καὶ ἀγαπῶμεν ἃ ἠγάπησεν, ἀπεχόμενοι πάσης ἀδικίας, πλεονεξίας, φιλαργυρίας, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας· « μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας· » ἢ γρόνθον ἀντὶ γρόνθου, ἢ καταραν ἀντὶ κατάρας· μνημονεύοντες (53) δὲ ὧν εἶπεν ὁ Κύριος διδάσκων· (54) « Μὴ κρίνετε ἵνα μὴ κριθῆτε· ἀφιετε, καὶ ἀφεθήσεται ὑμῖν· ἐλεεῖτε, ἵνα ἐλεηθῆτε· [ἐν (55)] ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν· » καὶ ὅτι « Μακάριοι οἱ πτωχοὶ (56) καὶ οἱ διωκόμενοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. »

III. *Non arroganter hæc scribo. Paulus præceptor vester est.*

Hæc, fratres, non quod mihi arrogem, scribo vobis de justitia ; sed quia vos provocastis me. Neque enim ego, neque alius mei similis beati et gloriosi Pauli sapientiam assequi potest [16] ; qui cum esset apud vos, coram hominibus tunc viventibus perfecte ac firmiter verbum veritatis docuit ; qui et absens vobis scripsit epistolas in quas si intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ vobis est data, « quæque est mater omnium nostrum [17], » subsequente spe, præcedente charitate in Deum et in Christum et in proximum. Si quis enim intra hæc fuerit, mandatum justitiæ implevit ; nam qui charitatem habet, longe est ab omni peccato.

Ταῦτα, ἀδελφοί, οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας γράφω ὑμῖν περὶ τῆς δικαιοσύνης (57). ἀλλ' ἐπεὶ ὑμεῖς προεπεκαλέσασθέ με. Οὔτε γὰρ ἐγὼ, οὔτε ἄλλος ὅμοιος ἐμοὶ δύναται κατακολουθῆσαι τῇ σοφίᾳ τοῦ μακαρίου καὶ ἐνδόξου Παύλου· ὃς γενόμενος ἐν ὑμῖν, κατὰ πρόσωπον τῶν τότε ἀνθρώπων ἐδίδαξεν ἀκριβῶς καὶ βεβαίως τὸν περὶ ἀληθείας λόγον· ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολὰς (58), εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοδεῖσαν ὑμῖν πίστιν, « ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν (59), » ἐπακολουθούσης τῆς ἐλπίδος, προαγούσης τῆς ἀγάπης, τῆς εἰς Θεὸν καὶ Χριστὸν καὶ εἰς τὸν πλησίον. Ἐὰν γάρ τις τούτων ἐντὸς ᾖ (60), πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης· ὁ γὰρ ἔχων ἀγάπην, μακρὰν ἐστι πόσης ἁμαρτίας.

IV. *Fugiamus avaritiam ; doceamus nos ipsos, uxores et viduas.*

« Principium autem omnium malorum est habendi cupiditas [18]. » Scientes ergo, quod « nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid valemus [19], » armemur armis justitiæ [20], et doceamus primum nos ipsos, ambulare in mandato Do-

« Ἀρχὴ δὲ πάντων χαλεπῶν φιλάργυρία. » Εἰδότες οὖν ὅτι « οὐδὲν εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, ἀλλ' οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι ἔχομεν, » ὁπλισώμεθα τοῖς ὅπλοις τῆς δικαιοσύνης, καὶ διδάξωμεν ἑαυτοὺς πρῶτον, πορεύεσθαι ἐν τῇ ἐντολῇ τοῦ Κυρίου (61)· ἔπειτα καὶ

[7] I Petr. I, 21. [8] Act. XVIII, 31. [9] I Cor. VI, 14 ; II Cor. IV, 14 ; Rom. VIII, 11. [10] I Thess V, 22. [11] I Petr. III, 9. [12] Matth. VII, 1. [13] Luc. VI, 37 ; Matth. VI, 12, 14. [14] Luc. VI, 36. [15] Matth. VII, 2 ; Luc. VI, 38. [16] II Petr. III, 15. [17] Gal. IV, 26. [18] I Tim. VI, 10. [19] Ibid. 7. [20] Ephes. VI, 11.

(52) Cfr. Ign. *ad Smyrn.*, c. 6, *ad Trall.* c. 9, *ad Smyrn.* c. 2 : ὡς . . . ἑαυτὸν ἀνέστησεν.

(53) Ita Jacobsonus ex codd., pro vulg. μνημονεύσαντες.

(54) Simili fere modo varia loca ex Evangeliis in unum contraxit Clemens Romanus ep. I, c. 13. Confer Proiegomena nostra ad Epistolas S. Clementis, n. 3.

(55) Præpositionem ἐν, quam deletam vult Smithius non agnoscunt codd. Laur. Vat. JACOBSON.

(56) Smithius et Ruchatus addunt ex veteri interprete et e S. Matth. V, 3, τῷ πνεύματι (post πτωχοί), quam quidem vocem omittit S. Lucas VI, 20. Quid autem vetat, S. Patrem locum parallelum S. Lucæ in animo habuisse ? Crednero, qui (*Beitrage zur Einleitung in die bibl. Schriften* I, 21) videtur suspicari, τῷ πνεύματι apud S. Matthæum assumentum esse recentioris ævi, neutiquam assentiri possum. ID.

(57) Similiter loquitur S. Ignatius in *Epist ad Ephesios* c. 3· Οὐ διατάσσομαι ὑμῖν ὡς ὤν τις.

(58) Epistolas de « una epistola dici monet Cotelerius, qui et plura exempla afferi. Consentit ei De Wette, *Einl. in d. N. T.* edit. tertia, § 150, not. d.

(59) Ita Jacobsonus ex tribus codd. Alii ὑμῶν.

(60) Addendum πλήρης. ROUTH.

(61) Similia leguntur in epistola I Clem. Rom.

τὰς γυναῖκας ὑμῶν ἐν τῇ δοθείσῃ αὐταῖς πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγνείᾳ, στεργούσας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας ἐν πάσῃ ἀληθείᾳ, καὶ ἀγαπώσας πάντας ἐξ ἴσου ἐν πάσῃ ἐγκρατείᾳ, καὶ τὰ τέκνα παιδεύειν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ Θεοῦ (62)· τὰς χήρας σωφρονούσας περὶ τὴν τοῦ Κυρίου πίστιν, ἐντυγχανούσας ἀδιαλείπτως περὶ πάντων, μακρὰν οὔσας πάσης διαβολῆς, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας, φιλαργυρίας καὶ παντὸς κακοῦ· γινωσκούσας ὅτι εἰσὶ θυσιαστήριον (63) Θεοῦ, καὶ ὅτι πάντα μωμοσκοπεῖται (74), καὶ λέληθεν αὐτὸν οὐδέν, οὔτε λογισμῶν, οὔτε ἐννοιῶν, οὔτε τι τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας. A

mini, deinde et vestras uxores, ambulare in fide ipsis tradita et in charitate et castitate, amantes viros suos in omni veritate, ac diligentes cunctos æqualiter, in omni continentia, et erudire filios in disciplina timoris Dei ; viduas vero doceamus, esse prudentes circa fidem Domini, interpellantes sine intermissione pro omnibus [21], longe recedentes ab omni calumnia, detractatione, falso testimonio, avaritia et omni malo ; cognoscentes, quod altare Dei sint, et quod ille omnia clare perspiciat, nihilque eum lateat, nec ratiociniorum, nec cogitationum, nec quidquam occultorum cordis.

V. *Officia diaconorum, juvenum et virginum.*

Εἰδότες οὖν ὅτι « Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, » ὀφείλομεν ἀξίως τῆς ἐντολῆς τοῦ καὶ δόξης περιπατεῖν. Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης, ὡς Θεοῦ καὶ Χριστοῦ (65) διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων· μὴ διάβολοι, μὴ δίλογοι (66), ἀφιλάργυροι, ἐγκρατεῖς περὶ πάντα, εὔσπλαγχνοι, ἐπιμελεῖς, πορευόμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Κυρίου, ὃς ἐγένετο διάκονος πάντων· ᾧ ἐὰν εὐαρεστήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἀπολήψόμεθα καὶ τὸν μέλλοντα, καθὼς ὑπέσχετο ἡμῖν ἐγεῖραι ἡμᾶς ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι ἐὰν πολιτεύσώμεθα ἀξίως αὐτοῦ, « καὶ συμβασιλεύσομεν (67) » αὐτῷ, εἴγε πιστεύομεν. Ὁμοίως καὶ νεώτεροι ἄμεμπτοι ἐν πᾶσι, πρὸ παντὸς προνοοῦντες ἁγνείας, καὶ χαλιναγωγοῦντες ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς κακοῦ. Καλὸν γὰρ τὸ ἀνακόπτεσθαι (68) ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν (69) ἐν τῷ κόσμῳ, ὅτι πᾶσα « ἐπιθυμία κατὰ τοῦ πνεύματος στρατεύεται· » καὶ « οὔτε πόρνοι, οὔτε μαλακοὶ, οὔτε ἀρσενοκοῖται βασιλείαν Θεοῦ κληρονομήσουσιν, » οὔτε οἱ ποιοῦντες τὰ ἄτοπα. Διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων, ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ (70)· τὰς παρθένους ἐν ἀμώμῳ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει περιπατεῖν. B

Scientes ergo, quod « Deus non irridetur [22], » debemus digne mandato ac voluntate ejus ambulare. Similiter diaconi in conspectu justitiæ ejus inculpati esse debent, sicut ministri Dei et Christi, non hominum ; ne calumniatores sint, ne bilingues [23], nec avari ; sed continentes in omnibus, misericordes, seduli, incedentes juxta veritatem Domini, qui omnium minister factus est [24] ; cui si in hoc sæculo placuerimus, recipiemus et futurum, quemadmodum pollicitus est nobis, quod resuscitabit nos e mortuis, quodque, si digne ipso vivamus [25], « etiam cum eo regnabimus [26], » siquidem credimus. Simili modo et juvenes in omnibus inculpabiles sint, ante omnia solliciti de castitate, ac se ab omni malo refrenantes. Bonum enim est, abscindi a cupiditatibus hujus mundi, quia omnis « cupiditas militat adversus spiritum [27], » et « neque fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt [28], » neque qui absona faciunt. Quare oportet ab his omnibus abstinere, subjici autem presbyteris et diaconis, tanquam Deo et Christo ; virgines vero oportet in immaculata et casta conscientia degere. C

VI. *Officia presbyterorum et officia communia.*

Καὶ οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες, ἐπιστρέφοντες τὰ ἀποπεπλανημένα (71), ἐπισκεπτόμενοι πάντας ἀσθενεῖς, μὴ ἀμελοῦντες χήρας, ἢ ὀρφανοῦ, ἢ πένητος· ἀλλὰ « προνοοῦντες ἀεὶ τοῦ καλοῦ ἐνώπιον Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, » ἀπεχόμενοι πάσης ὀργῆς, προσωπολημψίας, κρίσεως D

Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, aberrantia reducentes, visitantes infirmos omnes, non negligentes viduam, aut pupillum, aut pauperem ; sed « solliciti semper de bono coram Deo et hominibus [29]. » abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, judicio

[21] I Thess. v, 17. [22] Gal. vi, 7. [23] I Tim. iii, 8. [24] Matth. xx, 28. [25] Philipp. i, 27. [26] II Tim. ii, 12. [27] I Petr. ii, 11. [28] I Cor. vi, 9, 10. [29] Rom. xii, 17 ; II Cor. viii, 21.

ad Corinth., capp. 1 et 21. Cfr. Prolegomena nostra ad Epistolas. S. Clementis, n. 3.

(62) Sc. διδάζωμεν ἑαυτούς.

(63) Ita Jacobsonus ex tribus codd. et vet. interprete. Alii θυσιαστήρια. *Constitutiones apostolorum* lib. II, c. 26, hanc comparationem viduarum cum altaribus a Polycarpo mutuatæ esse videntur.

(64) Ita Jacobsonus ex cod. Vatic. Alii ἡμῶν σκοπεῖται. Cfr. I Clem. *ad Cor.*, c. 41.

(65) Ita Jacobsonus cum tribus codd. et vet. interprete. Huic lectioni etiam Syriacum hujus Epistolæ fragmentum favet, quod Curetonus, p. 34, (cfr. sup. p. 154) nobiscum communicavit. Alii legerunt ἐν Χριστῷ.

(66) Ita Jacobsonus e tribus codd.

(67) Legendum βασιλεύσομεν cum codd., non βασιλεύσωμεν eum libris impressis. Jac.

(68) Ita Jacobsonus ex tribus codd. et vet. interprete. Male alii ἀνακύπτεσθαι, *emergere*.

(69) Addidit Jacobsonus τῶν ex cod. Vatic.

(70) Polycarpus episcopi non facit mentionem, quippe qui, verecundia impeditus, eum nollet cohortari. Vide Rothe, *Anf.* p. 409 sq.

(71) Lege τοὺς ἀποπεπλανημένους, nisi forte πρόβατα intelligatur. Jun.

injusto ; longe recedentes ab omni avaritia ; non cito credentes adversus aliquem ; non severi nimium in judicio, scientes, nos omnes debitores esse peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat, debemus et nos dimittere [30] ; nam coram Domini et Dei oculis sùmus, et « omnes ante tribunal Christi stare, et unumquemque pro se rationem reddere oportet [31]. » Sic itaque serviamus illi cum timore et omni reverentia, sicut præcepit ipse, et apostoli, qui nobis Evangelium annuntiarunt, et prophetæ, qui Domini nostri adventum præsignificarunt ; studiose, quod bonum est, sectantes, abstinentes a scándalis et a falsis fratribus et ab iis qui in hypocrisi nomen Domini ferunt, qui vanos homines in errorem inducunt.

A ἀδίκου· μακρὰν ὄντες πάσης φιλαργυρίας· μὴ ταχέως πιστεύοντες κατὰ τινος· μὴ ἀπότομοι ἐν κρίσει, εἰδότες ὅτι πάντες ὀφειλέται ἐσμὲν ἁμαρτίας. Εἰ οὖν δεόμεθα τοῦ Κυρίου ἵνα ἡμῖν ἀφῇ, ὀφείλομεν καὶ ἡμεῖς ἀφιέναι· ἀπέναντι γὰρ τῶν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἐσμενόφθαλμῶν, καὶ « πάντας δεῖ παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι. » Οὕτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας, καθὼς αὐτὸς ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι ἡμῖν (72) ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν· ζηλωταὶ περὶ τὸ καλόν, ἀπεχόμενοι τῶν σκανδάλων καὶ τῶν ψευδαδέλφων καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα (73) τοῦ
B Κυρίου, οἵτινες ἀποπλανῶσι κενοὺς ἀνθρώπους.

VII. *Fugite Docetas, et perseverate in jejuniis et oratione.*

« Omnis enim qui non confessus fuerit Jesum Christum in carne venisse, Antichristus est [32] ; » et qui non confessus fuerit martyrium crucis, ex diabolo est ; et qui Eloquia Domini ad desideria sua traduxerit, dixeritque nec resurrectionem nec judicium esse, hic primogenitus est Satanæ. Ideo relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur [33], « vigilantes in orationibus [34] » et perseverantes in jejuniis, precibus rogantes omnium conspectorem Deum, « ne nos inducat in tentationem [35], » sicut dicit Dominus : « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma [36]. »

« Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, Ἀντίχριστος ἐστι· » καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί· καὶ ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ Λόγια τοῦ Κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ, μήτε ἀνάστασιν μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. Διὸ ἀπολείποντες (74) τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας (75), ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν, « νήφοντες πρὸς τὰς εὐχὰς, » καὶ προσκαρτεροῦντες νηστείαις, δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην Θεὸν, « μὴ εἰσενεγκεῖν ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, »
C καθὼς εἶπεν ὁ Κύριος· « Τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής. »

VIII. *Perseverate in spe et in patientia.*

Indesinenter ergo perseveremus in spe nostra et pignore justitiæ nostræ, quod est Christus Jesus, « qui peccata nostra in corpore suo super lignum pertulit [37], qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus [38] ; » sed propter nos, ut in ipso vivamus [39], omnia sustinuit. Imitatores igitur simus patientiæ ejus ; et si patiamur propter nomen ejus [40], gloria illum afficiamus. Hoc enim exemplum nobis posuit in se ipso, et nos id credidimus.

Ἀδιαλείπτως οὖν προσκαρτερῶμεν τῇ ἐλπίδι ἡμῶν καὶ τῷ ἀρραβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὃς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, « ὃς ἀνήνεγκεν ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας τῷ ἰδίῳ σώματι ἐπὶ τὸ ξύλον, ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ· » ἀλλὰ δι' ἡμᾶς, ἵνα ζήσωμεν ἐν αὐτῷ, πάντα ὑπέμεινε (76). Μιμηταὶ οὖν γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ· καὶ ἐὰν πάσχωμεν διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, δοξάζωμεν (77) αὐτόν. Τοῦτον γὰρ ἡμῖν τὸν ὑπογραμμὸν ἔθηκε δι' ἑαυτοῦ, καὶ ἡμεῖς τοῦτο (78)
D ἐπιστεύσαμεν.

IX. *Exerceatis patientiam exemplo Ignatii*, etc.

Rogo itaque vos omnes, ut obediatis verbo ju-

(79) Παρακαλῶ οὖν πάντας ὑμᾶς πειθαρχεῖν τῷ

[30] Mtth. VI, 12, 14. [31] Rom. XIV, 10, 12. [32] I Joan. IV, 3. [33] Jud. 3. [34] I Petr. IV, 7. [35] Matth. VI, 13 ; XXVI, 41. [36] Matth. XXVI, 41 ; Marc. XIV, 38. [37] I Petr. II, 24. [38] Ibid., 22. [39] I Joan. IV, 9. [40] Act. V, 41 ; I Petr, IV, 16.

(72) Ms. ἡμᾶς.

(73) Cfr. Ign. *ad Eph.* c. 7 : δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν. Jac.

(74) Ita ex tribus codd. restituit Jacobsonus pro vulg. ἀπολιπόντες. Polycarpus respexisse videtur locum S. Clementis, ep. I *ad Corinth.*, c. 7.

(75) Cfr. supra c. 2.

(76) Cfr. Ign. *ad Polyc.* c. 3 : τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα.

(77) Ita Jacobsonus e cod. Medico-Laurentiano. Vulg. δοξάζομεν.

(78) L τούτῳ· vel, si retineatur τοῦτο, subintellige εἶναι Smith.

(79) Totus hic locus usque ad ἀναστάντα est ab Eusebio repetitus, *Hist. eccl.* III, 36.

λόγῳ (80) τῆς δικαιοσύνης, καὶ ἀσκεῖν πᾶσαν ὑπο- A stitiæ, et omnem patientiam exerceatis, quam et μονήν, ἣν καὶ (81) ἴδετε κατ' ὀφθαλμοὺς, οὐ μόνον ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ καὶ Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ (82), ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν, καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ καὶ τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις· πεπεισμένους (83), ὅτι οὗτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δικαιοσύνῃ· καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ Κυρίῳ (84), ᾧ καὶ συνέπαθον. Οὐ γὰρ τὸν νῦν ἠγάπησαν, αἰῶνα, ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα, καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ [τοῦ Θεοῦ ἀναστηθέντα (85)] (86).

oculis ipsis vidistis. non solum in beatis Ignatio et Zosimo et Rufo, sed etiam in aliis, qui ex vobis, ac in ipso Paulo cæterisque apostolis ; utque sitis persuasi, quod hi omnes in vacuum non cucurrerint [41], sed in fide ac justitia ; et quod in debito ipsis loco sint apud Dominum, cum quo et passi sunt. Non enim præsens sæculum dilexerunt, sed eum,qui pro nobis mortuus est,ac propter nos a [Deo est resuscitatus].

X. *Adhortatio ad virtutes.*

(Desiderantur Græca, quæ sequentibus respondeant, præter pauca, quæ servavit Eusebius, quæque ad caput XIII pertinent. Latina autem exstant in veteri a Jacobo Faber Stapulensi a. 1498 *Parisiis evulgata.)*

In his ergo state, et Domini exemplar sequimini, firmi in fide et immutabiles, fraternitatis amatores (87), diligentes invicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini (88) alterutri præstantes, nullum despicientes. Cum potestis benefacere, nolite differre, quia « eleemosyna de morte liberat [42]. » Omnes vobis invicem subjecti estote, « conversationem vestram irreprehensibilem habentes in gentibus [43], » ut ex bonis operibus vestris et vos laudem accipiatis, et Dominus in vobis non blasphemetur. Væ autem illi, per quem nomen Domini blasphematur [44]. Sobrietatem ergo docete omnes ; in qua et vos conversamini.

XI. *Contristatus sum pro Valente ; cavete vobis ab avaritia.*

Nimis contristatus sum pro Valente,qui presbyter factus est aliquando apud vos ; quod sic ignoret is locum, qui datus est ei. Moneo itaque vos ut abstineatis ab avaritia (89), et sitis casti et veraces. Abstinete vos ab omni malo. Qui autem in his non potest se gubernare,quomodo alii (90) hoc pronuntiat ? Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur, et tanquam inter gentes judicabitur. Qui autem ignorant judicium Domini ? « An nescimus,quia sancti mundum judicabunt [45] ? » sicut Paulus docet (91). Ego autem nihil tale sensi in vobis,vel audivi,in quibus laboravit beatus Paulus (92),qui estis [laudati (93)] in principio epistolæ ejus.De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognoverant ; nos (94) autem nondum noveramus.Valde ergo,fratres,contristor pro illo et pro conjuge ejus ; quibus de Dominus pœnitentiam veram.Sobrii ergo estote et vos in hoc ; « et non sicut inimicos tales existimetis [46], » sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate,ut omnium vestrum corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis [47].

XII. *Ignoscite ei. Deus vobis virtutes tribuat. Orate pro omnibus, etiam pro inimicis.*

Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris litteris,et nihil vos latet ; mihi autem non est concessum modo (95).Ut his Scripturis dictum est : « Irascimini et nolite peccare [48], » et : « Sol non occidat

[41] Philipp. II, 16 ; Gal. II, 2. [42] Tob. IV, 11 ; XII, 9. [43] I Petr. II, 12. [44] Isai. LII, 5 et Ign. *ad Trall.* c. 8. [45] I Cor. VI, 2. [46] II Thess. III, 15. [47] I Cor. XII, 26. [48] Psal. IV, 5.

(80) I. q. « mandato. » WOCHER.

(81) Καὶ ex tribus codd. restituit Jacobsonus.

(82) Teste Martyrologio Romano, Philippis in Macedonia 18 Decembris celebratur natalis SS. martyrum Rufi et Zosimi.

(83) Conjunge hæc cum παρακαλῶ.

(84) Cfr. I Clem. Rom. *ad Cor.*, c. 5.

(85) Ita leg. pro ἀναστάντα, quod Eusebius habet. USSER.

(86) Hæc posteriora verba, uncinis inclusa, ex Eusebii et Nicephori citatione supplevit Usserius. Codices mss., nulla interposita distinctione post ὑπό, exhibent τὸν λαὸν κενὸν [i. e. καινὸν] ἑτοιμάζων, κ. τ. λ., a quibus scilicet verbis incipiunt Barnabæ quæ Græce supersunt. JAC.

(87) Cfr. I Petr. II, 17 ; τὴν ἀδελφότητα ἀγαπᾶτε. JAC.

(88) « Domini » restituit Jacobsonus ex cod. Laur.

(89) Presbyter iste pecunias pauperum avertisse C videtur,cujus facinoris uxor ejus particeps fuerat. WOCH. — Jacobsono autem et aliis ὁ πλεονέκτης est « adulter, » quia sua uxore non est contentus ; ut docet Suicerus e Clem. Alex. *Strom.* III, p. 552 ; « avaritia, » πλεονεξία, « adulterium, » cujus flagitii et presbyter Valens et ejus uxor accusari videntur.

(90) L., « aliis. » GALL.

(91) Verba : « sicut Paulus docet, » Crednero (*Einl. i. d. N. T.* p. 445) suspecta sunt, quia Polycarpus nusquam nomen scriptoris ab ipso citati proferat.

(92) Similia apud Ign. *ad Magn.* c. 11 et *ad Trall.* c. 8.

(93) Hanc vocem addendam suadet Smithius. Laus ea reperitur Philipp. I, 5 sq.

(94) Per « nos » Polycarpum ipsum intelligit Usserius ; rectius forsitan « Smyrnenses » Cotelerius, Smith, Ruchat. Cfr. Act. XVI, 6, 12, cum XIX, 10. JAC.

(95) Varie hunc locum explicuerunt viri docti.

super iracundiam vestram [49]. » Beatus qui meminerit (96) ; quod ego credo esse in vobis. Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi,et ipse sempiternus pontifex, Dei Filius Jesus Christus, ædificet vos in fide et veritate, et in omni mansuetudine,et sine iracundia,et in patientia et longanimitate et tolerantia et castitate ; et det vobis sortem et partem inter sanctos suos,et nobis vobiscum et omnibus qui sunt sub cœlo,qui credituri sunt in Dominum nostrum Jesum Christum et in ipsius Patrem, qui « resuscitavit eum a mortuis [50]. » Pro omnibus sanctis orate.Orate etiam pro regibus et potestatibus et principibus [51], atque pro persequentibus et odientibus vos [52], et pro inimicis crucis : ut fructus vester manifestus sit in omnibus, ut sitis in illo perfecti.

XIII. *Epistolas vestras Antiochenis tradam. Vobis epistolas Ignatii mitto.*

Scripsistis ad me et vos et Ignatius, ut, si quis forte [e Smyrna] in Syriam proficisceretur, vestras quoque litteras eo deferret; quod quidem perficiam, si tempus opportunum nactus fuero ; vel ego ipse, vel per alium quempiam. quem legatum et pro vobis mittam.Epistolas Ignatii, quas ad me misit, et cunctas alias quas habemus,ad vos misimus, sicut mandastis; quas quidem huic epistolæ subjecimus. Ex eis magnum fructum percipere vobis licebit. Continent enim fidem et patientiam et ædificationem omnem,ad Dominum nostrum pertinentem.

A (97) Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος (98), ἵνα, ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν (99), καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα· ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου (1) τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε· αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ· ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.

(2) Et de ipso Ignatio (3), et de his, qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate.

XIV. *Commendo vobis Crescentem. Valete.*

Hæc vobis scripsi per Crescentem,quem in præsentem (4) diem commendavi vobis,et nunc commendo. Conversatus est enim nobiscum inculpabiliter ; credo quia et vobiscum similiter. Sororem autem ejus habebitis commendatam, cum venerit ad vos.Incolumes estote in Domino Jesu Christo. Gratia cum omnibus vobis (5). Amen.

ANTIQUA VERSIO

EPISTOLÆ S. POLYCARPI AD PHILIPPENSES.

(Cotelerius, *Patres apostolici*, ed. Amstelod. 1724, t. I, p. 190.)

Polycarpus, et qui cum eo sunt presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ est Philippis, misericordia vobis, et pax a Deo omnipotente, et Jesu Christo Salvatore nostro abundet.

I. Congratulatus sum vobis magnifice in Domino

B nostro Jesu Christo, suscipiens imitabilia verba dilectionis quam ostendistis in illis, qui præmissi sunt, viris sanctis, decorosis [53] vinculis connexis, quæ sunt coronæ electæ Deo, illius veri regni, per Dominum nostrum Jesum Christum ; et quia firmi-

[49] Ephes. IV, 26. [50] Gal. I, 1. [51] I Tim. II, 2. [52] Matth. V, 44. [53] *al.* decoris.

Mihi sensus esse videtur : « Vos librorum sacrorum scientia polletis, qua ego adhuc non gaudeo. Igitur, ut in his libris dictum est, nolite ita irasci, ut peccetis. »

(96) Sc. « hujus Scripturæ sacræ mandati. » Alii legunt : « crediderit. »

(97) Habentur hæc Græca apud Eusebium *Hist. eccl.*, III, 36. Cfr. supra c. 10. Cfr. de hoc capite Rothe, *Anf.*, p. 483.

(98) Vide Ign. *ad Polyc.*, c. 8.

(99) I. e. « Antiochiam. » Ignatius (c. 7) Polycarpo mandaverat, ut ipse legatum ad Ecclesiam Antiochenam mitteret, ob pacem restitutam, et (c. 8)huic legato simul epistolas aliarum Ecclesiarum gratulatorias traderet.Præter hoc Ignatii mandatum Philippenses quoque ipsi Polycarpum precibus adierant,ut ipsorum epistolam suo legato traderet ad Antiochenos perferendam. His votis se responsurum esse Polycarpus pollicetur.

(1) Designantur duæ Ignatii Epistolæ ; una ad Polycarpum, altera ad Polycarpi seu Smyrnensem Ecclesiam. Cot.

(2) Hæc iterum apud solum veterem interpretem exstant.

(3) Polycarpus de morte Ignatii jam certior factus erat (vide c. 9) ; sed circumstantias,dicta, etc., ut videtur, ignorabat. Jac.

(4) Ita Jacobsonus. Vulg. « in præsenti. » Fortasse Polycarpus scripsit : ἀεὶ μέχρι τοῦ παρόντος, « semper, usque ad hanc diem. »

(5) Ita Jacobsonus. Vulg. « in gratia cum omnibus vestris. »

tas fidei vestræ a principio usque nunc permanet, et fructificat in Domino Jesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem : « quem resuscitavit Deus, dissolvens dolores inferni [54] : quem cum non videritis, nunc diligitis ; in quem nunc non aspicientes, creditis ; credentes autem gaudebitis gaudio inenarrabili,et glorificat [55] ; » in quod multi desiderant introire ; scientes quia « gratia salvi facti estis, » non ex operibus [56], sed in voluntate Dei, per Jesum Christum.

II. « Propter quod succincti lumbos vestros [57], servite Deo cum timore [58], » et in veritate ; dimisso inani vaniloquio et multo [59] errore. « Credite ergo in illum qui resuscitavit Dominum nostrum Jesum Christum ex mortuis, et dedit ei gloriam [60], » et sedem in dextera sua : cui subjecta sunt omnia cœ lestia, et terrestria, et subterranea [61] : cui omnis spiritus servit ; qui venturus est judicare vivos et mortuos : cujus sanguinem requiret Deus ab eis qui non crediderunt in eum : qui et resuscitavit eum a mortuis : qui et nos resuscitaturus est in vita [62], si fecerimus voluntatem ejus, et ambulaverimus in mandatis ipsius, et dilexerimus quæ ipse dilexit : abstinentes nos ab omni injustitia,hoc est, a concupiscentia, ab avaritia, a detractione, a falso testimonio : « non reddentes malum pro malo, aut injuriam pro injuria [63], » aut contumeliam pro contumelia, aut maledictum pro maledicto. Mementote quod Dominus docens dixit : « Nolite judicare,ne judicemini ; dimittite, et dimittetur vobis : » miseremini, et Dominus miserebitur vestri. « Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur eadem vobis [64]. » Et quod dictum est : « Beati pauperes spiritu, et qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum [65]. »

III. Hæc autem, fratres mei, non a meipso imperans [66], scribo vobis de justitia ; sed quoniam vos provocastis. Propter quod neque ego, neque similis alius mei, poterit sequi sapientiam beati et gloriosi Pauli ; qui fuit apud vos, et visus est secundum faciem illis, qui tunc erant, hominibus : qui docuit certissime atque firmissime verbum veritatis : qui et absens scripsit vobis epistolas ; ad quas deflectamini, ut possitis ædificari in fide quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum, subsequente spe, præcedente dilectione, quæ est in Deo, et in Christo, et in proximo. Si enim quis horum intrinsecus repletus fuerit mandatis justitiæ, et habuerit dilectionem, longe est ab omni peccato.

IV. Principium autem omnium malorum est avaritia. Scitote ergo, quia « nihil intulimus in hunc mundum,neque auferre possumus [67]. » Armemur armis justitiæ ; et doceamus nosmetipsos primum, ambulare in mandatis Domini ; et post hoc etiam mulieres vestras, in fide quæ data est eis, et dilectione, et castitate ; amantes suos viros in omni veritate et charitate, diligentes omnes æqualiter in omni continentia. et filios erudire in disciplina et timore Dei. Viduæ vero pudicæ circa fidem Dei interpellent incessanter pro omnibus : elongantes se ab omnibus diabolicis [68] detractionibus,et falso testimonio, et ab omni malo ; cognoscentes seipsas, quia sunt sacrarium Dei ; quoniam omnia Deus prospicit, et nihil eum latet ; neque cogitatio, neque conscientia, neque aliquod abditum cordis.

V. Scientes ergo quia « Deus non deridetur [69], » debemus digne in mandatis ejus, et gloria ambulare. Similiter diaconi inculpabiles sint in conspectu justitiæ ejus, sicut Dei et Christi ministri, et non hominum ; non criminatores, neque detractores, neque avari ; sed omnia tolerantes, in omnibus misericordes, diligentes in omnibus,ambulantes in veritate Domini, qui factus est minister omnium ; cui si complaceamus [70] in hoc sæculo, percipiemus ea quæ futura sunt ; secundum quod repromisit resuscitare nos a mortuis, et si digne eo conversati fuerimus, et si crediderimus, conregnabimus cum eo. Juvenes similiter inculpabiles sint in omnibus ; omnem ignorantiam [71] prævidentes, refrenantes se ab omni malo. Bonum est enim abscindi ab omnibus concupiscentiis mundi.Quoniam omnis concupiscentia « adversus spiritum militat [72] ; » quia « neque fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt [73], » neque illicita facientes. Propter quod abstineri oportet ab omnibus his. Subjecti estote presbyteris et diaconis,sicut Deo et Christo. Virgines, immaculata et casta conscientia ambulate.

VI. Presbyteri simplices sint, in omnibus misericordes, omnes ab errore convertentes, omnes infirmos visitantes, viduas et pupillos et pauperes non negligentes ; sed semper « providentes bona coram Deo et hominibus [74]. » Abstinete vos ab omni iracundia, a judicio injusto, longe ab omni avaritia estote : non cito consentiatis adversus aliquem, ne prævaricemini in judicio ; scientes quia debitores sumus peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat ; debemus etiam nos dimittere [75]. Ante conspectum enim oculorum Domini sumus ; et « omnes oportet astare ante tribunal Christi, et unumquemque pro se rationem reddere [76]. » Sic ergo serviamus ei cum timore, et omni reverentia ; secundum quod evangelizaverunt nobis apostoli Domini, et prophetæ annuntiaverunt adventum Domini nostri Jesu Christi : zelantes bona ; abstinentes a scandalis, et falsis fratribus, et qui in hypocrisim portant nomen Domini, qui aberrare faciunt inanes homines.

[54] Act. II, 24. [55] I Petr. I, 8. [56] Ephes. II, 8, 9. [57] I Petr. I, 13. [58] Psal. II, 11. [59] *f.* multorum. [60] I Petr. I, 21. [61] Philipp. II, 10. [62] *al.* ad *vel* in vitam. [63] I Petr. III, 9. [64] Matth. VII, 1 ; Luc. VI, 37. [65] Matth. V, 3, 10 ; Luc. VI, 20. [66] *f.* impetrans. [67] I Tim. VI, 7. [68] διαβολικῆς. [69] Gal. VI, 7. [70] *al.* huic si placemus. [71] ἀγνοίας. [72] I Petr. II, 11. [73] I Cor. VI, 9. 10. [74] II Cor. VIII, 21 ; Rom. XII, 17. [75] Matth. VI, 12, 14. [76] Rom. XIV, 10, 12 et II Cor. V, 10.

VII. « Omnis enim qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est [77]; » et qui non confitetur martyrium crucis, ex diabolo est; et qui deviaverit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit neque resurrectionem, neque judicium esse; hic primogenitus est Satanæ. Propter quod relinquentes vanitatem multorum, et falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis a principio verbum revertamur. Sobrii simus in orationibus [78], jejunia tolerantes; et supplicationibus petentes omnium perspectorem Dominum, « ne nos inducat in tentationem [79]; » secundum quod dixit Dominus: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma [80]. »

VIII. Indeficienter ergo toleramus propter spem nostram et pignus justitiæ, quod est Jesus Christus; « qui sustulit peccata nostra in corpore suo super lignum; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus [81], » sed propter nos omnia sustinuit, ut vivamus in ipso. Imitatores ergo efficiamur tolerantiæ ejus: et, si passi fuerimus pro nomine ejus, glorificemus eum. Hoc enim nobis indicium posuit de seipso; et nos hoc credidimus.

IX. Rogo igitur vos omnes insistere verbo justitiæ et patientiæ, quam et oculata fide vidistis, non solum in beatissimis illis Ignatio et Zozimo et Rufo, sed et in aliis qui ex vobis sunt, et in ipso Paulo, et cæteris apostolis: confidentes quia hi omnes non in vacuum cucurrerunt [82], sed in fide et justitia; et ad debitum sibi locum a [83] Domino, cui et compassi sunt, abierunt; quia non hoc sæculum dilexerunt, sed eum qui pro ipsis et pro nobis mortuus est, et a Deo resuscitatus.

X. In his ergo state, et Domini exemplar sequimini; firmi in fide et immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes invicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini alterutri præstantes [84], nullum despicientes. Cum potestis benefacere, nolite differre: quia « eleemosyna de morte liberat [85]. » Omnes vobis invicem subjecti estote; « conversationem vestram irreprehensibilem habentes [86] in gentibus [87]; » ut ex bonis operibus vestris et vos laudem accipiatis, et Dominus in vobis non blasphemetur. « Væ autem illi, per quem nomen Domini blasphematur [88]. » Sobrietatem ergo docete omnes, in qua et vos conversamini.

XI. Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos; quod sic ignoret is locum qui datus est ei. Moneo itaque vos ut abstineatis ab avaritia, et sitis casti et veraces. « Abstinete vos ab omni malo [89]. » Qui autem in his non potest se gubernare, quo modo alii pronuntiat hoc? Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur [90], et tanquam inter gentes judicabitur. Qui autem ignorant [91] judicium Domini? « An nescimus, qui sancti mundum judicabunt [92]? » sicut Paulus docet. Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus, qui estis in principio epistolæ ejus [93]. De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognoverant; nos autem nondum noveramus (6). Valde ergo, fratres, contristor pro illo et pro conjuge ejus, quibus det Dominus pœnitentiam veram [94]. Sobrii ergo estote et vos in hoc, et non sicut inimicos tales existimetis, sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate, ut omnium vestrum corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis.

XII. Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris litteris, et nihil vos latet, mihi autem non est concessum modo. Ut his Scripturis dictum est: « Irascimini, et nolite peccare [95]. » Et; « Sol non occidat super iracundiam vestram [96]. » Beatus qui meminerit [97], quod ego credo esse in vobis. Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi, et ipse sempiternus Pontifex, Dei Filius, Christus Jesus, ædificet vos in fide et veritate, et in omni mansuetudine, et sine iracundia, et in patientia et longanimitate et tolerantia et castitate; et det vobis sortem et partem inter sanctos suos, et nobis vobiscum, et omnibus qui sunt sub cœlo, qui crediturі sunt in Dominum nostrum Jesum Christum et in ipsius Patrem, « qui resuscitavit eum a mortuis [98]. » Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro regibus et potestatibus et principibus [99], atque pro persequentibus et odientibus vos [1], et pro inimicis crucis; ut fructus vester manifestus sit in omnibus, ut sitis in illo perfecti.

XIII. Scripsistis mihi et vos et Ignatius, ut si quis vadit ad Syriam, deferat litteras meas, quas fecero ad vos, si habuerimus tempus opportunum, sive ego, seu legatus quem misero pro vobis. (7) Epistolas sane Ignatii, quæ transmissæ sunt vobis [2] ab eo, et

Apud Rusebium, Hist. eccl. III, 36. — Ἔγραψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν (Nicephorus I, cap. 19, ἡμῶν) ἀποκομίσῃ γράμματα· ὅπερ ποιήσω (8), ἐάν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ

[77] I Joan. IV, 3. [78] I Petr. IV, 7. [79] Matth. VI, 13. [80] Matth. XXVI, 41. [81] I Petr. II, 24, 22. [82] Philipp. II, 16. [83] *al.* cum. [84] *al.* præsentantes. [85] Tob. XII, 9. [86] *al.* considerantes. [87] I Petr. II, 12. [88] Isa. LII, 5; I. Ignat. *ad Trall.* 8. [89] I Thess. V, 22. [90] Ephes. V, 5; Col. III, 5. [91] *al.* Quis ignorat. [92] I Cor. VI, 2. [93] Philipp. I. [94] *al.* vestram. [95] Psal. IV, 5. [96] Ephes. IV, 26. [97] *al.* crediderit. [98] Gal. I, 1. [99] I Tim. II, 2. [1] Matth. V, 44. [2] *f* nobis.

(6) *In omnibus Ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognoverant; nos autem nondum noveramus.* Per *nos* Polycarpum intelligit Usserius. Ego Smyrnenses. Vide cap. 3. Cot. — *Nos autem nondum noveramus.* Vixisse his verbis se innuit, cum suas Paulus ad Ecclesias scripsit epistolas, licet nondum Christo nomen dedisset. A quo tempore, cum ad annum usque Christi 169, quo martyrium subiit, vitam ille produxerit; admodum longævum illum fuisse necesse est, de quo in Præloquio, Smyrnæorum de excessu ipsius Epistolæ præfixo, diximus. Usser.

(7) Photius, *Biblioth.*, cod. 126.

(8) Τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα, ὅπερ ποιήσω. Pro ὑμῶν, in Nicephoro et quibusdam Eu-

alias quantascunqueapud nos habuimus, transmisimus vobis, secundum quod mandastis : quæ sunt subjectæ huic epistolæ, ex quibus magnus vobis erit profectus. Con-

περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ (9), καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν (10), ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε· αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ· ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονήν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.

tinent enim fidem, patientiam et omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.

Et de ipso Ignatio (11), *ut supra in fine epistolæ.*

MONITUM IN SUBSEQUENTIA FRAGMENTA.

(GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, I, Proleg., p. LXV.)

I. Exstant fragmenta V *Responsionum Capitulorum S. Polycarpi Smyrnensis episcopi*, quæ circa sæculi VI medium Victor Capuanus e Græco Latine reddita, *Catenæ in* IV *Evangelia* intexuit. Ea primus edidit Parisiis 1575 Franciscus Feuardentius in calce Adnotationum ad Irenæi lib. III, cap. 3, ex ms. codice Virduni reperto ac vetustissimis characteribus exarato, ut ipsemet testatur. Eadem deinceps evulgarunt Halloixius (12), Usserius (13) aliique.

De horum fragmentorum sinceritate, varia circumfertur virorum eruditorum sententia. Tanquam legitima videtur agnoscere Grotius (14), dum excitans *Polycarpum interprete Victore Capuano*, integrum fragmentum V exscribit. Neque aliter illustris Huetius (15) : siquidem inter antiqua monu- A menta quorum maximam partem vetustas consumpsit, recenset etiam *Responsionum Polycarpi* librum, unde quinque illa fragmenta quæ a Feuardentio edita sunt, Latine reposuit Victor Capuanus. Ita quoque Georgius Bullus (16) qui ex aliis Polycarpi Epistolis Irenæo memoratis quæ interciderunt, esse desumpta ejusmodi fragmenta non aspernanda, omnino verisimile arbitratur : adeo ut ex eorum tertio, velut Polycarpiano, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ argumentum depromat.

II. Dubitant vero alii, quos inter Halloixius et Usserius. Et ille quidem nonnulla forte iis fragmentis assuta existimat ; cujusmodi est illud, quod sub finem secundi occurrit : *Legitur et in dolio ferventis oleï, pro nomine Christi, beatus Joannes* B *fuisse demersus.* « Neque enim, inquit, Polycarpus,

sebii exemplarib. legitur ἡμῶν, quod et Ruffinus secutus fuisse videtur, cum reddidit, « deferat litteras ad vos, » et Polycarpi vetus interpres cum vertit : « Deferat litteras meas, quas fecero ad vos; » ita enim illud, ὅπερ ποιήσω, exprimere volebat : quod non animadvertens Jacobus Faber, « quas et dedero ad vos, » hic substituit; contra manuscriptorum fidem. Ubi tamen et nostrum hunc Polycarpi et Eusebii interpretem Rufinum deceptum fuisse apparet, de litteris ad Philippenses deferendis ista accipientem cum ad Antiochenos dandæ litteræ intelligantur ; vel ab ipsis Philippensibus, si παρ' ὑμῶν, vel a Polycarpo, et Smyrnæis suis, si παρ' ἡμῶν hic legendum fuerit ; quod posterius ex Ignatii verbis illis, in *Epistola ad Smyrnæos*, firmamentum accipit : Ὅ ἐφανη μοι ἄξιον, τοῦτό ἐστιν, ὥστε πέμψαι τινὰ τῶν ὑμετέρων μετ' ἐπιστολῆς, ἵνα συνδοξάσῃ τὴν κκτὰ Θεὸν αὐτοῖς γενομένην εὐδίαν. « Quod mihi dignum factu est visum, hoc est : ut aliquem vestrum mit- C tatis cum Epistola (ad Antiochenos videlicet in Syria), ut una cum illis glorificet Deum de tranquillitate, quam in Deo consecuti sunt. » USSER.

(9) Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ. Ita locum hunc citant Eusebius, Nicephorus, et Græcus Actorum Ignatii scriptor anonymus : quam legitimam esse lectionem, agnoscit etiam Baronius, pro qua vetus Latinus Polycarpi interpres hic habet : « Epistolas Ignatii, quæ transmissæ sunt vobis ab eo, » ubi illud, » ab eo » (Græco ὑπ' αὐτοῦ respondens) ex Magdalenensis collegii exemplari restituimus ; quod alii codices in « habeo » transmutarunt. ID.

(10) Καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν. Vide nostram de Ignatii et Polycarpi scriptis dissertationem, cap. 2. In eo vero quod sequitur : Ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε, anonymus martyrii B. Ignatii descriptor legit ὠφεληθήσεσθε, quomodo et vetus Polycarpi interpres reddidit : « Ex quibus magnus vobis erit profectus. » ID.

(11) *Et de ipso Ignatio*, etc. Hujus ita in *Bibliotheca* sua, de Polycarpi hac *ad Philippenses Epistola* agens, meminit Photius : Λέγει καὶ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῖς Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου ἀπεσταλκέναι, καὶ αἰτεῖται ἀναδιδαχθῆναι παρ' αὐτῶν, εἴ τι περὶ ἐκείνου διακούσαιεν. « Dicit et epistolas Ignatii Theophori ad eos se misisse ; petitque ab illis, si quid de eo inaudierint, edoceri. » In Halloixii tamen editione verba ista sunt omissa : quæ docent circa annum Dom. 106, eodem videlicet tempore, quo a Syria ad martyrium Romam abductus est Ignatius scriptam a Polycarpo istam fuisse epistolam, « in qua, inquit idem Halloixius, cum color et lineamenta, quibus eam Irenæus, Eusebius, et Photius describunt, reperiantur ; quin ipsius martyris germana sit, dubitari non potest. Nam et forma fidei ejus, atque prædicatio veritatis (quam Irenæus inde posse addisci admonet), clare in ea elucet ; et testimonia, quæ illic citari e priore Petri Epistola Eusebius docet, multa comparent : et frequentes commonitiones cum perspicuitate sermonis atque simplicitate, juxta ecclesiasticam interpretandi formam (quibus eam abundare Photius profitetur), passim sese offerunt atque ostentant : ita ut ad perfectam ejus recognitionem vix desiderari amplius quidquam possit. » Hæc ille. In Datino vero codice D. Alexandri Petavi, tota Epistola ita concluditur : « Incolumes estote in Domino Jesu Christo, et gratia ipsius cum omnibus vobis. » ID.

(12) Halloix., *Vit. PP. orient.*, tom. I, p. 322.

(13) Usser. in Append. Ignat., post Smyrn. epist.

(14) Grot. *in Joan.* XVII, 4. *Critic. sacr.* tom. VI, col. 289.

(15) Huet. *De interpr.* lib. II. cap. 7, § 2, p. 195.

(16) Bull *Defens. fid. Nic.*, sect. II, cap. 3. § 7, p. 52.

qui omnia a B. Joanne acta, tanquam ejus discipulus, vel videbat ipse, vel ex eo audiebat, vel ex comitibus addiscebat, scripsisset, *legitur*, quasi scilicet, id non aliunde quam ex libris sciret ; sed potius simpliciter atque absolute dixisset : *Idem Joannes in dolio ferventis olei, Christi nomine demersus fuit :* quod longe majorem vim haberet, quam istud *legitur*.Est enim hæc vox de rebus ante nostra tempora præteritis,non vero de iis quæ nostra memoria,nobisque viventibus et fere videntibus, circa amicos nostros et magistros accidunt. » Hæc Halloixius. Et recte sane. Hinc locus ille vel ex Tertulliano (17), vel ex Hieronymo qui ab hoc scriptore Africano eam narrationem accepit (18), videtur adjectus. Quid vero si membrum illud, ab aliena manu oræ codicis Græci quo usus est Victor additum, interpres exinde aliud agens in suam versionem intulerit ? Quid si librarius, *Catenam* a Victore Latine redditam exscribens, atque idem membrum quod aliquis eruditus margini adjecerit, pertinere ad suum textum existimans, in suum exemplar conjiciendum putarit ?

Aliud insuper censura notandum in his fragmentis detexisse sibi videtur Usserius, eorumque auctorem ἀκυρολογεῖν pronuntiat, dum in quinto Christum *crucis vexillum conscendisse* scribit.«Nam, ait, *gestari* quidem vexillum crucis non semel audivimus ; sed *conscensum* a Christo fuisse vexillum illud, nullibi adhuc invenimus. » At hoc demum tanti non est, ut ea de causa fragmenta illa penitus rejicienda quis jure definiat.Nullam certe ἀκυρολογίαν ibidem advertit Grotius vir summus. Quid porro si Græce scripserit σημεῖον Polycarpus, *crucem* intelligens, atque huic voci verbum consentaneum aptarit ? Sic sane locutus est Barnabas in Epist. cap. 12. Sic item Ignatius in Epist. ad Smyrn. cap. 1, ubi phrasin αἴρειν σύσσημον usurpat S. Martyr : σύσσημον, inquam, quod Hesychio et Suidæ est σημεῖον. Hoc itaque fortasse imitatus sanctus Smyrnensis antistes, pari loquendi ratione usus fuerit, quam minus apposite reddiderit vetus interpres.

Verum, his missis, ad illud potius, et quidem gravius, accedamus, quod in fragmento secundo notat Tillemontius [19) ; ubi fertur Jacobus Joannis frater, *novissimus* martyrio sublatus; qui tamen *primus* inter apostolos pro Christo sanguinem fudisse perhibetur : ut proinde sententia ejusmodi Polycarpo prorsus indigna videatur. Verum ne ista quidem objectio negotium ullum facessere comperitur ; Agesis, fac demum, in suo textu ἔσχατον legisse interpretem ; quam quidem vocem obvio sensu acceptam, *novissimum* Latine reddendam duxerit ; an ideo statim erroris arguendus Fragmentorum auctor ? Imo vero ille rectissime scripserit, Jacobum ἔσχατον martyrio consumptum,eaque vox vertenda fuerit *primum*, non autem *novissimum*. Vadem ultro hic sese mihi offert Hesychius: Ἔσχατον = πρῶτον. Glossam Hesychianam confirmaturus eruditus Abreschius in *Miscell.* Pindarum excitat sic loquentem (20) :

ἁμιλλᾶται περὶ

Ἐσχάτων ἀέθλων πορυφαῖς

Videsis præstantem Hesychii editionem, a cl. Joanne Alberti adornatam (21). Ex quibus libet, horum fragmentorum auctoritati parum aut nihil officere quæ objiciuntur ; eaque demum ut vim haberent aliquam, e Græco potius textu quam ex versione essent definienda.

Cæterum si quid adhuc animadvertere liceat, putaverim equidem fragmenta illa esse *Responsionum* excerpta, ut fert quidem inscriptio, quas Polycarpus, a suis interrogatus,sive præsentibus sive absentibus,edere consueverat; quæque proinde ab aliquo vel auditorum vel eorum quibus ejus epistolæ inscribebantur, deinceps exceptæ fuerintac litteris traditæ. Siquidem beatus ille antistes plerumque *sedens disserebat, atque ad populum sermones habebat* : : Καθεζόμενος διελέγετο, καὶ τὰς διαλέξεις ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος, ut nos edocet Irenæus αὐτόπτης (22) ; qui et ipsum ad quosdam ex fratribus epistolas missitasse ibidem refert.Accedit, fragmenta illa sæculi apostolici genium exprimere, eamque simplicitatem sapere quam ipsamet Polycarpi Epistola spirare dignoscitur.

(17) Tertull. *De Præscript.*, cap. 36.
(18) Hieron. *adv. Jovin.*, lib. I, cap. 26.
(19) Tillem. *Mém. eccl.*, tom. II, p, 645, not. 4.
(20) Pind. *Nem.* od. x, 59.
(21) Hesych. edit. Alb. tom. I. col. 1475, not. 1.
(22) Iren. *epist. ad Florin.*, apud Euseb., *H. E.*, lib. v, cap. 20.

FRAGMENTA

E RESPONSIONUM CAPITUL'S S. POLYCARPO ASCRIPTIS,

Victoris episcopi Capuani Catenæ in IV *Evangelistas inserta.*

I.

ıs Dominum dixisse testatur [3], quod :ribit Adam locutum fuisse hoc modo : ıc os ex ossibus meis, et caro ex carne pter hoc relinquet homo patrem et ma- etc. Sed concordant Domini verba cum nonibus ; qui Adam præbens officium, A inspiratione divina prophetavit, ipse a Moyse hoc dixisse refertur. Deus vero qui per inspirationem divinam in corde Adam ista verba formavit, ipse Pater a Domino recte locutus fuisse refertur. Nam et Adam hanc prophetiam protulit ; et Pater qui eum inspiravit, recte dicitur protulisse,

II.

IDEM, *ad hæc verba Christi :* « *Calicem meum bibetis,* etc. (*Matth.* XX, 23.)

usmodi potum, significat passionem. Et quidem novissimum martyrio consum- ; fratrem vero ejus Joannem transiturum artyrio : quamvis et afflictiones plurimas, oleraverit;sed præparatam martyrio men- stus martyrem judicavit [5]. Nam apostolus Quotidie (inquit) morior [6] : » dum impos- sibile sit quotidie mori hominem ea morte, qua semel vita hæc finitur. Sed quoniam pro Evangelio ad mortem jugiter erat præparatus, se mori quotidie sub ea significatione testatus est. Legitur et in dolio ferventis olei, pro nomine Christi, beatus Joannes fuisse demersus.

III.

IDEM, *De initio Evangelisi secundum Marcum.*

ıbiliter evangelistæ principiis diversis u- amvis una eademque evangelizandi eorum intentio. Matthæus, ut Hebræis scribens, æ Christi ordinem texuit : ut ostenderet, ristum descendisse progenie, de qua eum m universi prophetæ cecinerant.Joannes Ephesum constitutus,qui legem tanquam ıs ignorabant, a causa nostræ redemptio- ;elii sumpsit exordium : quæ causa ex eo quod Filium suum Deus pro nostra salute arnari. Lucas vero a Zachariæ sacerdotio B incipit : ut ejus filii miraculo nativitatis, et tanti prædicatoris officio, divinitatem Christi gentibus declararet. Unde et Marcus antiqua prophetici mysterii competentia adventui Christi declarat; ut non nova, sed antiquitus prolata ejus prædicatio probaretur. Aut per hoc evangelistis curæ fuit, eo uti proœmio, quod unusquisque judicabat auditoribus expetere. Nihil ergo contrarium reperitur,ubi licet diversis scriptis, ad eamdem tamen patriam pervenitur.

IV.

IDEM, *in illud :* « *Noli vocare amicos tuos, sed pauperes et debiles,* » etc. (*Luc.* XIV, 12.)

it, non amicos, sed infirmos quosque vo- l prandium. Quod si claudus aut quilibet amicus, sine dubio talis pro amicitia st rogandus ; unde ipsa quasi videntur se e mandata. Nam si non amici,sed claudi ınt invitandi, ipsosque quoque amicos ingat, nequaquam rogare debemus. Sed C amicos, arbitror, intelligi hoc loco debemus illos, quos pro mundi hujus terrena consideratione diligimus, non pro divinæ contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi. Denique, ideo debilium exempla proposuit,quos pro nullius possumus appetere necessitate negotii, nisi tantum pro fructu retributionis æternæ.

ı. XIX, 5. [4] Gen. II. 24. [5] Act. XII, 2, [6] I Cor. XV, 31.

V.

IDEM, *in illud : « Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facitam. »* (*Joann.* XVII, 4.)

Quomodo opus salutis humanæ adimplesse commemorat, cum necdum crucis vexillum conscenderat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta venerandæ passionis insignia adire decreverat, jure se opus perfecisse significat, etc.

VI-VII.

Spicilegium Solesmense (23), t. I, p. 266. Ex codice olim Sangermanensi sub n. 60, nunc in bibliotheca nuper Regia Parisiensi sub n. 838 asservato, sæculi plus minus decimi, titulum hunc præ se ferente : *Expositum Johannis Romanæ Ecclesiæ diaconi in Genesim.* — « Hæc ex libro *Responsorum* frustula, inquit « doctissimus Editor *Spicilegii Solesmensis* (Proleg. p. LI) præclare confirmant sinceritatem quinque alio« rum fragmentorum ejusdem libri quæ primus edidit Feuardentius ad calcem adnotationum in Ire« næum. Collata enim codicis nostri inscriptione : *In libro Responsorum capitula* XXII, cum titulo codicis « Feuardentii : *Ex Responsione capitulorum sancti Polycarpi*, simulque altero per alterum correcto, autu« mavi eumdem esse Polycarpi, forsitan discipulis interrogantibus respondentis librum sæculo VI adhuc « exstantem ; nostra vere desumi e capitulo 21, totumque opus inscriptum fuisse : *Liber Responsorum « S. Polycarpi Smyrnensis episcopi et martyris.* »

—

« S. Polycarpus cuidam discipulo, ex more veterum, magistrum sciscitanti de hominis opificio, respondet in homine primigenio coaluisse, plasmante Deo, quatuor elementa ; mulierem vero ex pulvere et costa in Ecclesiæ typum efformatam ».

I. « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ (*Gen* II, 7).

Victor (24) episcopus Capuæ in libro *Responsorum*, capitulo vigesimo primo, secundum Hebræam translationem.

Refert Scriptura divina quod humanum corpus assumpto Deus limo terræ plasmaverit ; quo limo nomine (25) humidam voluit significari substantiam. Ergo duo elementa evidenter ostendit, terræ simul et aquæ. Sed ex horum quibusdam qualitatibus reliqnorum duorum introducitur intellectus, id est aeris ex humore qui communis est ei, et aquæ ; dehinc etiam ignis ex siccitate quæ ei terræque communiter inest.

II. « Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus et replevit carnem pro ea, et ædificavit Dominus Deus costam » (*Gen.* II, 21).

Nos nascimur (26), quia ille ex alia natura producitur ; mulier ex costa jam hominis facti, nos autem ex semine. Quare tria colliguntur esse principia hominum creandorum : pulvis, costa et semen. Et causa lateris sui, id est uxoris, Adam de paradiso projicitur. Et sacramento lateris Christi, de quo manavit sanguis martyrii et aqua baptismatis, Ecclesia recipit paradisum.

(23) « Spicilegium Solesmense, complectens sanctorum Patrum scriptorumque ecclesiasticorum anecdota hactenus opera, selecta e Græcis Orientalibusque et Latinis codicibus, pubiici juris facto, curante Domno J. B. PITRA, O. S. B. monacho e congregatione Gallica, nonnullis ex abbatia Solesmensi opem conferentibus. Parisiis, ap. Firmin Didot fratres. » MDCCCLII, in-4.

(24) Inseritur fragmentum illud in cod., fol. 13 (*b*).

(25) *Quo limo nomine* Appositionis casu, Latinis et Græcis familiari.

(26) Exstat locus ille in cod. fol. 18 (*b*).

—

ΤΗΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ

ΠΕΡΙ ΜΑΡΤΥΡΙΟΥ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΥ

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΕΓΚΥΚΛΙΟΣ (28.)

—

ECCLESIÆ SMYRNENSIS

DE

MARTYRIO SANCTI POLYCARPI

EPISTOLA CIRCULARIS

—

Ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, ἡ παροικοῦσα Σμύρναν (29), τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ (30), καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις (31). Ἔλεος, εἰρήνη καὶ ἀγάπη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη.

A Ecclesia Dei quæ Smyrnæ peregrinatur, Ecclesiæ Dei quæ Philomelii peregrinatur, et omnibus ubique terrarum sanctæ et catholicæ Ecclesiæ parœciis : misericordia, pax et charitas a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo multiplicetur.

I. *De martyrio Polycarpi et sociorum scribimus.*

Ἐγράψαμεν ὑμῖν, ἀδελφοί, τὰ κατὰ τοὺς μαρτυρήσαντας, καὶ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὅστις ὥσπερ ἐπισφραγίσας τῇ μαρτυρίᾳ αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν. Σχεδὸν γὰρ πάντα τὰ προάγοντα ἐγένετο, ἵνα ἡμῖν ὁ Κύριος ἄνωθεν ἐπιδείξῃ τὸ κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον μαρτύριον. Περιέμενεν γάρ, ἵνα παραδοθῇ, ὡς καὶ ὁ Κύριος, ἵνα μιμηταὶ ἡμεῖς αὐτοῦ γενώμεθα, μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ' ἑαυτούς, ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ τοὺς πέλας. Ἀγάπης γὰρ ἀληθοῦς καὶ βεβαίας ἐστίν, μὴ μόνον ἑαυτὸν θέλειν σώζεσθαι, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς ἀδελφούς.

Scripsimus vobis, fratres, de martyribus et de beato Polycarpo, qui martyrio suo, velut signaculo quodam, persecutioni finem imposuit. Fere enim cuncta, quæ præcesserunt, ideo evenerunt, ut nobis Dominus desuper ostenderet martyrium, Evangelio congruum. Exspectavit enim tradi, sicut et Dominus, ut et nos ipsius essemus imitatores, non solum C nostra considerantes, sed et ea, quæ ad proximos pertinent. Charitatis enim veræ ac solidæ est, non modo se ipsum velle servari, sed etiam omnes fratres.

II. *Martyrum mira constantia.*

Μακάρια μὲν οὖν καὶ γενναῖα τὰ μαρτύρια πάντα τὰ κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ γεγονότα. Δεῖ γὰρ (23) εὐλαβεστέρους ἡμᾶς ὑπάρχοντας, τῷ Θεῷ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν ἀνατιθέναι (33). (34) Τὸ γὰρ γενναῖον αὐτῶν

Beata et generosa fuerunt cuncta martyria, quæ juxta voluntatem Dei evenerunt. Cum enim nos religiosiores simus, Deo omnium rerum potestatem ascribamus oportet. Quis enim generosita-

(28) Cfr. Neander, *Kirchen Gesch.* t. I, p. 107, sqq. et Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, c. 15.

(29) Vide quæ ad epist. I Clem. *ad Corinth.* c. 1, not. 3 adnotavimus.

(30) Ita legendum cum cod. Vindob., cum vet. int. et Euseb. *Histor. eccl.* IV, 15. Reliqui codd. Φιλαδελφίᾳ, Jac. Philomelium est urbs Phrygiæ.

(31) Cfr. Ign. *ad Smyrn.* c. 8.

(32) Ita Jacobsonus e codice Vindob. Male Editi: καὶ γάρ, sensu plane nullo. Cotelerius e conjectura χρή ad oram libri posuerat. Sensus est : « Cum Dei voluntate omnia regantur, etiam Polycarpus et socii juxta divinam voluntatem martyrio sunt coronati. »

(33) Ita Jacobsonus, qui multis locis textum e codice Vindobonensi emendavit.

(34) Probatur nunc, quod initio capitis dictum est, martyria illa fuisse beata et generosa.

tem eorum et patientiam et erga Dominum charitatem non admiretur, qui flagellis adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis structura cerneretur, tamen sustinuerunt ; ita,ut etiam astantes miserarentur et plangerent, ipsi vero eo fortitudinis venirent, ut nemo illorum neque murmuraret neque ingemisceret,omnibus ostendentes, quod martyres Christi hora ista qua torquebantur, extra carnem fuerint, aut potius,quod Dominus assistens cum ipsis esset collocutus ? Atque ad Christi gratiam attendentes mundana tormenta spernebant, unius horæ spatio se ab æterna pœna redimentes.Frigidusque ipsis videbatur ignis crudelium carnificum. Præ oculis enim habebant fugam illius ignis, qui æternus est et nunquam exstinguetur, et oculis cordis respiciebant ad ea bona,quæ reservantur sustinentibus, « quæ nec auris audivit nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt [7], » quæ vero a Domino monstrata sunt iis, utpote qui non homines amplius, sed jam angeli essent. Similiter qui ad bestias erant condemnati, graves cruciatus pertulerunt, super murices prostrati, variisque aliis tormentis excruciati, ut, si fieri potuisset, tyrannus eos assiduitate supplicii ad negationem Christi adduxisset.

A καὶ ὑπομονητικὸν καὶ φιλοδέσποτον τίς οὐκ ἂν θαυμάσειεν ; οἳ μάστιξι μὲν καταξανθέντες, ὥστε μέχρι τῶν ἔσω φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν θεωρεῖσθαι, ὑπέμειναν, ὡς καὶ τοὺς περιεστῶτας ἐλεεῖν καὶ ὀδύρεσθαι· τοὺς δὲ καὶ εἰς τοσοῦτον γενναιότητος ἐλθεῖν, ὥστε μήτε γρύξαι μήτε στενάξαι τινὰ αὐτῶν, ἐπιδεικνυμένους ἅπασιν ἡμῖν, ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ βασανιζόμενοι, τῆς σαρκὸς ἀπεδήμουν οἱ μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, μᾶλλον δὲ, ὅτι παρεστὼς ὁ Κύριος ὡμίλει αὐτοῖς ; Καὶ προσέχοντες τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι τῶν κοσμικῶν κατεφρόνουν βασάνων, διὰ μιᾶς ὥρας τὴν αἰώνιον κόλασιν ἐξαγοραζόμενοι. Καὶ τὸ πῦρ ἦν αὐτοῖς ψυχρὸν τὸ τῶν ἀπηνῶν βασανιστῶν. Πρὸ ὀφθαλμῶν γὰρ εἶχον φυγεῖν τὸ αἰώνιον καὶ μηδέποτε σβεννύμενον πῦρ, καὶ τοῖς τῆς καρδίας ὀφθαλ-
B μοῖς ἀνέβλεπον τὰ τηρούμενα τοῖς ὑπομείνασιν ἀγαθὰ, « ἃ οὔτε οὖς ἤκουσεν, οὔτε ὀφθαλμὸς εἶδεν, οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη, » ἐκείνοις δὲ ὑπεδείκνυτο ὑπὸ τοῦ Κυρίου, οἵπερ μηκέτι ἄνθρωποι, ἀλλ' ἤδη ἄγγελοι ἦσαν. Ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὰ θηρία κριθέντες ὑπέμειναν (35) δεινὰς κολάσεις, κήρυκας μὲν ὑποστρωννύμενοι, καὶ ἄλλαις ποικίλαις βασάνοις κολαφιζόμενοι, ἵνα, εἰ δυνηθείη ὁ τύραννος διὰ τῆς ἐπιμόνου κολάσεως εἰς ἄρνησιν αὐτοὺς τρέψῃ.

III. *Germanici constantia. Polycarpi mors postulatur.*

Multa enim adversus illos diabolus machinatus est. Sed gratia sit Deo ; nam neminem iste vincere potuit. Fortissimus enim Germanicus eorum timiditatem constantia sua corroboravit ; quippe qui splendide cum bestiis pugnaverit. Nam cum proconsul eum flectere vellet diceretque, ut suam ipse ætatem miseraretur, ille bestiam ultro ad se attraxit eique vim intulit, cupiens velocius ex injusta et iniqua illorum hominum vita effugere. Exinde autem universa multitudo, fortitudinem pii ac religiosi Christianorum generis admirata, exclamavit : « Tolle impios ; Polycarpus requiratur ! »

C Πολλὰ γὰρ ἐμηχανᾶτο κατ' αὐτῶν ὁ διάβολος. Ἀλλὰ χάρις τῷ Θεῷ· κατὰ πάντων γὰρ οὐκ ἴσχυσεν. Ὁ γὰρ γενναιότατος Γερμανικὸς (36) ἐπερρώννυεν αὐτῶν τὴν δειλίαν διὰ τῆς ἐν αὐτῷ ὑπομονῆς· ὃς καὶ ἐπισήμως ἐθηριομάχησεν. Βουλομένου γὰρ τοῦ ἀνθυπάτου πείθειν αὐτὸν (37), καὶ λέγοντος (38), τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ κατοικτεῖραι, ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο τὸ θηρίον προσβιασάμενος, τάχιον τοῦ ἀδίκου καὶ ἀνόμου βίου αὐτῶν ἀπαλλαγῆναι βουλόμενος. Ἐκ τούτου οὖν πᾶν τὸ πλῆθος, θαυμάσαν (39) τὴν γενναιότητα τοῦ θεοφιλοῦς καὶ θεοσεβοῦς γένους τῶν Χριστιανῶν, ἐπεβόησεν· « Αἶρε τοὺς ἀθέους· ζητείσθω Πολύκαρπος. »

IV. *Quintus apostata.*

Quidam vero, nomine Quintus, natione Phryx, qui nuper ex Phrygia advenerat, cum vidisset bestias, timore perculsus est. Hic autem erat, qui se ipsum et alios quosdam impulerat, ut ultro accederent. Huic proconsul multis obsecrationibus persuasit jurare ac sacrificare. Propter hoc igitur, fratres,non laudamus eos, qui sponte sese offerunt; quandoquidem non ita docet Evangelium.

D Εἷς δὲ, ὀνόματι Κόϊντος, Φρὺξ, προσφάτως ἐληλυθὼς ἀπὸ τῆς Φρυγίας, ἰδὼν, τὰ θηρία ἐδειλίασεν. Οὗτος δὲ ἦν ὁ παραβιασάμενος ἑαυτόν τε καὶ τινας προσελθεῖν ἑκόντας (40). Τοῦτον ὁ ἀνθύπατος, πολλὰ ἐκλιπαρήσας, ἔπεισεν ὀμόσαι καὶ ἐπιθύσαι. Διὰ τοῦτο οὖν, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσδιδόντας ἑαυτούς (41)· ἐπειδὴ οὐχ οὕτως διδάσκει τὸ Εὐαγγέλιον (42).

[7] I Cor. II, 9.

(35) Ita Jacobsonus e codd. Vindob. et Paris. In Editis pro ὑπέμειναν legitur χρόνον.

(36) Ejus memoriam Jan. 19 Latinorum celebrant Martyrologia. Usser.

(37) Nomen proconsulis, Lucii Statii Quadrati, habes infra c. 21.

(38) Ita dedit Jacobsonus e cod. Paris. Editi : λέγειν.

(39) Ita Jac. e codd. Vindob. et Paris. reposuit pro vulg. θαυμάσας.

(40) I. e. « sponte se persecutoribus offerrent. »

(41) Ita Jacobsonus. Editi : προσιόντας ἑαυθοῖς.

(42) Jubet enim potius Evangelium, fugere ad aliam civitatem (Matth. x, 25) ; ita tamen ut, si fugere non liceat, mors constanter feratur. Cler.

VI. *Polycarpi secessus et visio.*

Ὁ δὲ θαυμασιώτατος Πολύκαρπος, τὸ μὲν πρῶτον ἀκούσας οὐκ ἐταράχθη, ἀλλ' ἐβούλετο κατὰ πόλιν μένειν· οἱ δὲ πλείους ἔπειθον αὐτὸν ὑπεξελθεῖν. Καὶ ὑπεξῆλθεν εἰς ἀγρίδιον, οὐ μακρὰν ἀπέχον ἀπὸ τῆς πόλεως· καὶ διέτριβε (45) μετ' ὀλίγων, νύκτα καὶ ἡμέραν οὐδὲν ἕτερον ποιῶν, ἢ προσευχόμενος περὶ πάντων, καὶ τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἐκκλησιῶν· ὅπερ ἦν σύνηθες αὐτῷ. Καὶ προσευχόμενος ἐν ὁπτασίᾳ γέγονε πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ συλληφθῆναι αὐτόν· καὶ εἶδεν προσκεφάλαιον αὐτοῦ ὑπὸ πυρὸς κατακαιόμενον. Καὶ στραφεὶς εἶπεν πρὸς τοὺς συνόντας αὐτῷ προφητικῶς· « Δεῖ με ζῶντα καυθῆναι (44). »

A Polycarpus autem, vir maxime admirabilis, primum, re audita non turbatus, in urbe permanere volebat : plerique tamen ei persuaserunt, ut secederet. Et secessit in villam, non multum ab urbe dissitam ; ubi cum paucis mansit, diu noctuque nil aliud agens, nisi quod oraret pro universis et pro omnibus per orbem Ecclesiis ; quod ipsi erat solemne. Et cum oraret, triduo antequam comprehenderetur, visio ei obtigit, viditque cervical suum incendio conflagrans. Et conversus ad socios prophetice dixit : « Oportet me vivum comburi. »

VI. *Polycarpus a servulo proditur, Herodes irenarcha.*

Καὶ ἐπιμενόντων τῶν ζητούντων αὐτὸν, μετέβη εἰς ἕτερον ἀγρίδιον· καὶ εὐθέως ἐπέστησαν οἱ ζητοῦντες αὐτὸν. Καὶ μὴ εὑρόντες, συνελάβοντο παιδάρια δύο, C ὧν τὸ ἕτερον βασανιζόμενον ὡμολόγησεν. Ἦν γὰρ καὶ ἀδύνατον λαθεῖν αὐτὸν, ἐπεὶ καὶ οἱ προδιδόντες αὐτὸν οἰκεῖοι ὑπῆρχον (45). Καὶ ὁ εἰρήναρχος (46), ὁ καὶ κληρονόμος (47), τὸ αὐτὸ ὄνομα (48), Ἡρώδης ἐπιλεγόμενος, ἔσπευδεν εἰς τὸ στάδιον αὐτὸν εἰσαγαγεῖν· ἵνα ἐκεῖνος μὲν τὸν ἴδιον κλῆρον ἀπαρτίσῃ, Χριστοῦ κοινωνὸς γενόμενος· οἱ δὲ προδόντες αὐτὸν τὴν αὐτοῦ (49) τοῦ Ἰούδα ὑπόσχοιεν τιμωρίαν !

Instantibus autem iis qui quærebant eum, in aliam villam migravit ; et statim aderant exploratores Cumque illum non reperissent, duos servulos comprehenderunt, quorum alter, tormentis subditus, confessus est. Impossibile autem erat latere ipsum, cum proditores domestici ejus essent. Irenarcha vero, vel cleronomus, quod idem munus est, nomine Herodes, in stadium illum ducere properabat, ut hic sortem suam impleret, Christi consors factus ; proditores autem ejus Judæ pœnas subeant !

VII. *Polycarpus a persecutoribus invenitur.*

Ἔχοντες οὖν τὸ παιδάριον, τῇ παρασκευῇ, δείπνου ὥρᾳ, ἐξῆλθον διωγμῖται καὶ ἱππεῖς, μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς ὅπλων, « ὡς ἐπὶ λῃστὴν τρέχοντες. » Καὶ ὀψὲ τῆς ὥρας συνεπελθόντες (50), ἐκεῖνον μὲν εὗρον ἔν τινι δωματίῳ κατακείμενον, ἐν (51) ὑπερῴῳ· κἀκεῖθεν ἠδύνατο εἰς ἕτερον χωρίον ἀπελθεῖν, ἀλλ' οὐκ ἐβουλήθη, εἰπών· « Τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ (52) C γενέσθω [9]. » Ἀκούσας δὲ αὐτοὺς παρόντας (53), καὶ καταβὰς, διελέχθη αὐτοῖς· θαυμαζόντων τῶν παρόντων τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ καὶ τὸ εὐσταθὲς, καὶ ὅτι τοσαύτῃ σπουδῇ ἐχρήσαντο τοῦ συλληφθῆναι τοιοῦτον πρεσβύτην ἄνδρα (54). Εὐθέως οὖν αὐτοῖς ἐκέλευσε παρατεθῆναι φαγεῖν καὶ πιεῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ὅσον ἂν βούλωνται· ἐξῃτήσατο δὲ αὐτοὺς, ἵνα δῶσιν αὐτῷ ὥραν πρὸς τὸ προσεύξασθαι ἀδεῶς. Τῶν δὲ ἐπιτρεψάντων, σταθεὶς προσηύξατο, πλήρης ὢν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, οὕτως, ὥστε ἐπὶ δύο ὥρας μὴ δύνασθαι σιωπῆσαι, καὶ ἐκπλήττεσθαι τοὺς ἀκούοντας, πολλούς τε μετανοεῖν ἐπὶ τῷ ἐληλυθέναι ἐπὶ τοιοῦτον θεοπρεπῆ πρεσβύτην.

Habentes ergo puerulum, feria sexta, sub horam cœnæ, egressi sunt persecutores et equites cum consuetis armis, « tanquam adversus latronem proficiscentes [8]. » Et sub vespertinum tempus advenientes, illum in superiori cubiculo parvæ cujusdam domus discumbentem invenerunt ; unde in aliud prædium abire poterat, sed noluit, dicens : « Fiat voluntas Dei [9]. » Cum vero eos astantes audisset ac descendisset, cum eis collocutus est, mirantibus iis, qui aderant, ætatem ejus et constantiam, quodque ipsi tanto studio usi fuerint ad hujusmodi virum senem comprehendendum. Statim nunc illa hora iis cibum et potum apponi jussit, quantum vellent ; petiit autem ab illis, ut ipsi darent horæ spatium ad libere orandum. Quod cum concessissent, stans orabat, plenus gratia Dei ; adeo ut per duas horas tacere non posset, ac obstupescerent auditores, multosque eorum pœniteret, quod adversus senem, Deo tantopere gratum venissent.

[8] Matth. XXVI, 55. [9] Matth. VI, 10 ; Act. XXI, 14.

(43) Ita Jacobsonus e cod. Paris. Editi ἔτριβε.

(44) Ita Jacobsonus e codicibus Vindoh., Paris. et Barocc. Editi : κατακαυθῆναι.

(45) Ἦν γὰρ... ὑπῆρχον ex interpolatoris manu esse censet Dalrymplius. JAC.

(46) Irenarchæ munus erat, seditiosos homines et pacis publicæ turbatores comprehendere. VALES.

(47) Κληρονόμοι sunt « magistratatus, » sorte electi. COT. Mihi idem magistratus tum εἰρήναρχος, tum κληρονόμος vocatus fuisse videtur.

(48) Ὄνομα, ut sæpius, « munus, officium, honor. »

(49) Lege αὐτὴν. JAC.

D (50) Ita Usserius et Smithius ex Eusebii (*E. H.* IV, 15) lectione ἐπελθόντες corrigendum esse putant. Editi : συναπελθόντες.

(51) Præpositionem ἐν ab aliis omissam reposuit Jacobsonus e cod. Vindob.

(52) Ita Jacobsonus e tribus codd. ; Vulg. Kυρίου.

(53) Ita Jacobsonus e codd. Vind. et Paris. Vulg. ἀκούσας οὖν τοὺς παρόντας.

(54) Ita Jacobsonus e cod. Paris Vulg. : εὐσταθὲς, τινὲς ἔλεγον· Ἡ τοσαύτῃ σπουδῇ, ἡ τοῦ τοῦ συλληφθῆναι τοιοῦτον πρεσβύτην ἄνδρα ἦν ;

VIII. *Polycarpus in urbem ducitur.*

Cum autem precationem finiisset, in qua mentionem fecerat omnium qui aliquando cum ipso congressi fuerant, parvorum quidem et magnorum, clarorum et obscurorum, totiusque per orbem terrarum catholicæ Ecclesiæ : cumque hora proficiscendi venisset, asino eum imponentes, in urbem duxerunt die magni Sabbati. Et occurit ei Herodes irenarcha, ac pater ejus Nicetas, curru vecti, qui et eum in carrucam suam transtulerunt, assidentesque hortabantur, dicentes : « Qui enim mali est, dicere « Domine Cæsar, » et sacrificare, atque ita salvum evadere ? » Ille autem primum quidem eis non respondit ; sed cum instarent, dixit : « Facturus non sum, quod suadetis mihi. » Tum illi, frustrati spe flectendi eum, contumeliosa ei verba dixerunt, et cum vehementia dejecerunt eum e curru, adeo ut e carruca exiens tibiam distraheret. Sed nequaquam commotus, et quasi nihil mali passus esset, alacriter et propere pergebat, ductus ad stadium. Tantus vero erat in stadio tumultus, ut nemo posset audiri.

A Ὡς δὲ κατέπαυσε τὴν προσευχὴν, μνημονεύσας ἁπάντων καὶ τῶν πώποτε (55) συμβεβηκότων αὐτῷ, μικρῶν τε καὶ μεγάλων, ἐνδόξων τε καὶ ἀδόξων, καὶ ἁπάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς Ἐκκλησίας, τῆς ὥρας ἐλθούσης τοῦ ἐξιέναι, ἐν ὄνῳ καθίσαντες αὐτὸν, ἦγον εἰς τὴν πόλιν, ὄντος Σαββάτου μεγάλου (56). Καὶ ὑπήντα αὐτῷ ὁ εἰρήναρχος Ἡρώδης καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Νικήτης ἐπὶ τὸ ὄχημα (57), οἳ καὶ μεταθέντες αὐτὸν ἐπὶ τὴν καροῦχαν, ἔπειθον παρακαθεζόμενοι καὶ λέγοντες· « Τί γὰρ κακόν ἐστιν εἰπεῖν· Κύριος (58) Καῖσαρ, καὶ ἐπιθῦσαι, καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα, καὶ διασώζεσθαι ; » Ὁ δὲ τὰ μὲν πρῶτα οὐκ ἀπεκρίνατο αὐτοῖς· ἐπιμενόντων δὲ αὐτῶν, ἔφη· « Οὐ μέλλω ποιεῖν, ὃ συμβουλεύετέ μοι. » Οἱ δὲ ἀποτυχόντες τοῦ πεῖσαι αὐτὸν, δεινὰ ῥήματα ἔλεγον αὐτῷ, καὶ μετὰ σπουδῆς καθῆρουν αὐτὸν ἀπὸ B τοῦ ὀχήματος (59), ὡς καὶ κατιόντα ἀπὸ τῆς καρούχας ἀποσυρῆναι τὸ ἀντικνήμιον. Καὶ μὴ ἐπιστραφεὶς, ὡς οὐδὲν πεπονθὼς, προθύμως μετὰ σπουδῆς ἐπορεύετο, ἀγόμενος εἰς τὸ στάδιον, θορύβου τηλικούτου ὄντος ἐν τῷ σταδίῳ, ὡς μηδὲ ἀκουσθῆναί τινα δύνασθαι.

IX. *Polycarpus Christo Domino suo non maledicit.*

Polycarpo autem, intranti in stadium, vox e cœlo contigit : « Fortis esto et viriliter age, Polycarpe! » Et eum quidem, qui vocem emisit, nemo vidit; vocem autem ii audierunt, qui ex nostris præsentes erant. Cæterum introducto illo magnus erat tumultus eorum, qui Polycarpum comprehensum esse audierunt. De cætero adductum eum interrogavit proconsul, an ipse esset Polycarpus. Cumque annueret, hortabatur ille ut negaret, dicens : « Reverere ætatem tuam, » aliaque his consentanea, quæ isti proferre solent : « Jura per fortunam Cæsaris, resipisce, conclama : *Tolle impios.* « Tunc Polycarpus gravi ac severo vultu turbam omnem sceleratorum, qui in stadio erant, gentilium contuens, manumque in eos porrigens, simulque gemens ac cœlum suspiciens dixit : « Tolle impios. » Urgente vero proconsule atque dicente : « Jura, et dimitto te, maledic Christo; » Polycarpus respondit : « Octoginta et sex anni sunt, ex quo servio ei, nec me ulla affecit injuria ; et quomodo possim maledicere regi meo, qui salvum me fecit ? »

Τῷ δὲ Πολυκάρπῳ, εισιόντι εἰς τὸ στάδιον, φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ ἐγένετο· « Ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου, Πολύκαρπε. » Καὶ τὸν μὲν εἰπόντα οὐδεὶς εἶδεν· τὴν δὲ φωνὴν τῶν ἡμετέρων οἱ παρόντες ἤκουσαν. Καὶ [λοιπὸν (60)] προσαχθέντος αὐτοῦ, θόρυβος ἦν μέγας ἀκουσάντων, ὅτι Πολύκαρπος συνελήπται. Λοιπὸν προσαχθέντα αὐτὸν ἀνηρώτα ὁ ἀνθύπατος, εἰ αὐτὸς εἴη Πολύκαρπος. Τοῦ δὲ ὁμολογοῦντος, ἔπειθεν ἀρνεῖσθαι, λέγων· « Αἰδέσθητί σου τὴν ἡλικίαν, » καὶ ἕτερα τούτοις ἀκόλουθα, ὡς ἔθος αὐτοῖς λέγειν (61)· « Ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, μετανόησον, εἰπέ· Λῖρε τοὺς ἀθέους (62). » Ὁ δὲ Πολύκαρπος ἐμβριθεῖ τῷ προσώπῳ εἰς πάντα τὸν ὄχλον τῶν ἐν τῷ σταδίῳ ἀνόμων ἐθνῶν ἐμβλέψας, καὶ ἐπισείσας αὐτοῖς τὴν χεῖρα, στενάξας τε καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπεν· « Αἶρε τοὺς ἀθέους (63). » Ἐγκειμένου δὲ τοῦ ἀνθυπάτου καὶ λέγοντος· « Ὄμοσον, καὶ ἀπολύω σε, λοιδόρησον τὸν Χριστόν· » ὁ Πολύκαρπος ἔφη· « Ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη ἔχω δουλεύων αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησεν· καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου, τὸν σώσαντά με ; »

X. *Polycarpus se Christianum profitetur, et de Christo loqui vult.*

Urgente rursus illo et diceate : « Jura per fortunam Cæsaris, » respondit : « Si vanam ex eo quæris gloriam, ut ego per Cæsaris fortunam, ut tu ais, jurem, simulas autem nescire quis sim : palam audi: Christianus sum. Si vero Christianæ doctrinæ rationem vis discere, da diei spatium et audi. »

D Ἐπιμένοντος δὲ πάλιν αὐτοῦ καὶ λέγοντος· « Ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, » ἀπεκρίνατο· « Εἰ κενοδοξεῖς, ἵνα ὀμόσω τὴν Καίσαρος τύχην, ὡς σὺ λέγεις, προσποιεῖ (64) δὲ ἀγνοεῖν με, τίς εἰμι· μετὰ παῤῥησίας ἄκουε, Χριστιανός εἰμι. Εἰ δέ μαθεῖν θέλεις τὸν τοῦ Χριστιανισμοῦ λόγον, δός ἡμέραν, καὶ ἄκουσον. »

(55) Ita Jacobsonus e tribus codicibus. Vulg. πετέ.
(56) I. e. Vigilia Paschatis.
(57) Ἐπὶ τὸ ὄχημα glossema esse videtur. Jac..
(58) Codices omnes habent Κύριε. Editi : Κύριε. Jac.
(59) Ἀπὸ τοῦ ὀχήματος glossema esse videtur. Jac.
(60) Vocem λοιπὸν, quæ statim recurrit, uncinis inclusit Jacobsonus.
(61) Ita Jacobsonus e cod. Vindob. Editi : λέγων.
(62) I. e. « Una cum paganis Christianorum optes interitum. »
(63) I. e. paganos persecutores. »
(64) Ita Jacobsonus e codd. Barocc. et Vindob. Editi : προσποιεῖς, male.

Ὁ ἀνθύπατος ἔφη· « Πεῖσον τὸν δῆμον (65). » Ὁ δὲ Πολύκαρπος εἶπεν· « Σὲ μὲν καὶ λόγου ἠξίωσα· δεδιδάγμεθα γὰρ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναις τιμὴν κατὰ τὸ προσῆκον, τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς, ἀπονέμειν· ἐκείνους δὲ οὐχ ἡγοῦμαι ἀξίους τοῦ ἀπολογεῖσθαι αὐτοῖς. »

A Proconsul dixit : « Persuade populo. Polycarpus respondit : « Te quidem sermone dignum puto ; edocti enim sumus, principibus et potestatibus a Deo ordinatis, prout decet, honorem nobis non nocentem deferre ; illos vero indignos puto, quibus rationem reddam [10]. »

XI. *Nec bestiarum, nec ignis minæ Polycarpum perterrent.*

Ὁ δὲ ἀνθύπατος πρὸς αὐτὸν εἶπε· « Θηρία ἔχω, τούτοις σε παραβαλῶ, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς. » Ὁ δὲ εἶπεν· « Κάλει, ἀμετάθετος γὰρ ἡμῖν ἡ ἀπὸ τῶν κρειττόνων ἐπὶ τὰ χείρω μετάνοια· καλὸν δὲ μετατίθεσθαί με ἀπὸ τῶν χαλεπῶν ἐπὶ τὰ δίκαια. » Ὁ δὲ πάλιν πρὸς αὐτόν· « Πυρί σε ποιῶ δαπανηθῆναι, εἰ τῶν θηρίων καταφρονεῖς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς. » Ὁ δὲ Πολύκαρπος· « Πῦρ ἀπειλεῖς τὸ πρὸς ὥραν καιόμενον, καὶ μετ' ὀλίγον σβεννύμενον· ἀγνοεῖς γὰρ τὸ τῆς μελλούσης κρίσεως καὶ αἰωνίου κολάσεως τοῖς ἀσεβέσι τηρούμενον πῦρ. Ἀλλὰ τί βραδύνεις ; Φέρε, ὅ βούλει. »

Б At proconsul ad ipsum dixit : « Bestias habeo ; his te objiciam, nisi convertaris. » Ipse vero respondit : « Arcesse eas, nos enim mutari non possumus conversione a melioribus ad deteriora ; bonum autem est, me a malis] ad justa transire. » Rursus iste ad Polycarpum : « Quandoquidem bestias spernis, igni te tradam consumendum, nisi sententiam mutes. » Cui Polycarpus : « Ignem minaris, qui ad horæ spatium ardet, ac paulo post exstinguitur ; ignoras enim illum futuri judicii et æternæ pœnæ ignem, qui impiis reservatur. Verum quid moraris ? Profer, quodcunque volueris. »

XII. *Polycarpus ad rogum damnatur.*

Ταῦτα δὲ καὶ ἄλλα πλείονα λέγων, θάρσους καὶ χαρᾶς ἐνεπίμπλατο, καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ χάριτος ἐπληροῦτο, ὥστε οὐ μόνον μὴ συμπεσεῖν, ταραχθέντα (66) ὑπὸ τῶν λεγομένων πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ τοὐναντίον τὸν ἀνθύπατον ἐκστῆναι, πέμψαι τε τὸν ἑαυτοῦ κήρυκα, ἐν μέσῳ τῷ σταδίῳ κηρύξαι τρίτον· « Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι. » Τούτου λεχθέντος ὑπὸ τοῦ κήρυκος, ἅπαν τὸ πλῆθος ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων τῶν τὴν Σμύρναν κατοικούντων, ἀκατασχέτῳ θυμῷ καὶ μεγάλῃ φωνῇ ἐπεβόα. « Οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀσεβείας (67) διδάσκαλος, ὁ πατὴρ τῶν Χριστιανῶν, ὁ τῶν ἡμετέρων θεῶν καθαιρέτης, ὁ πολλοὺς διδάσκων μὴ θύειν, μηδὲ προσκυνεῖν τοῖς θεοῖς. » Ταῦτα λέγοντες ἐπεβόων καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην (68) Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. Ὁ δὲ Φίλιππος ἔφη, μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει (69) τὰ κυνηγέσια. Τότε ἔδοξεν αὐτοῖς ὁμοθυμαδὸν ἐπιβοῆσαι, ὥστε τὸν Πολύκαρπον ζῶντα (70) κατακαυθῆναι. Ἔδει γὰρ τὸ τῆς φανερωθείσης ἐπὶ τοῦ προσκεφαλαίου ὀπτασίας πληρωθῆναι, ὅτε ἰδὼν αὐτὸ καιόμενον προσευχόμενος, εἶπεν ἐπιστραφεὶς τοῖς σὺν αὐτῷ πιστοῖς προφητικῶς· « Δεῖ με ζῶντα κατακαυθῆναι. »

C Hæc vero atque alia plura cum diceret, fiducia et gaudio replebatur, illiusque vultus plenus gratiæ erat, adeo ut non solum non concideret, ipso per dicta conturbato ; sed contra proconsul stuperet, suumque mitteret præconem ter in medio stadio proclamaturum : « Polycarpus confessus est, Christianum se esse. » Quod ubi pronuntiasset præco, universa multitudo gentilium ac Judæorum, qui Smyrnam incolebant, effrenata ira et magna voce conclamabat : « Hic impietatis est præceptor, pater Christianorum, deorum nostrorum eversor, qui multos docet, ne sacrificent, neve deos adorent. » Hæc dicentes clamabant rogabantque Philippum Asiarcham, ut leonem adversns Polycarpum emitteret. At Philippus id sibi licere negavit, quia ludum bestiarum jam explevisset. Tunc placuit illis, uno consensu clamare, ut Polycarpus vivus combureretur. Necesse enim erat, ut visio illa de cervicali impleretur, quæ ei ostensa fuerat cum inter orandum illud ardens videret, et conversus ad fideles astantes prophetice diceret : « Oportet me vivum comburi. »

XIII. *Rogus exstruitur.*

Ταῦτα οὖν μετὰ τοσούτου τάχους ἐγίνετο, θᾶττον τοῦ λεχθῆναι, τῶν ὄχλων παραχρῆμα συναγόντων ἔκ

Hæc porro citius peracta sunt, quam pronuntiata ; cuncta plebe confestim ex officinis ac balneis ligna

[10] Rom. XIII, 1, 7 ; Tit. III, 1.

(65) I. e. « audire te volo, si a populo prolationem supplicii poteris impetrare. » Neandro proconsul Ignatium servare voluisse videtur. Vide ejus *Historiam eccles.* I, p. 107-110.

(66) Ita Jacobsonus e codd. Vindob. et Paris.

(67) Pro ἀσεβείας restituendum esse Ἀσίας, Eusebii, Rufini et veteris interpretis consentiens hic evincit auctoritas. USSER.

(68) Asiarchæ erant, qui ludos sacros in honorem deorum pro salute provinciæ suæ statis temporibus procurabant. Quod vero spectacula, quæ ab illis dabantur, sacra erant, inde sacerdotes sunt D appellati. MADER. Valde oncrosum erat hoc sacerdotium, atque idcirco nonnisi opulentiores ad id gerendum eligebantur. Hinc est, quod Strabo observat, Asiarchas fere ex Trallianis desumptos fuisse, propterea quod ejus urbis cives totius Asiæ opulentissimi essent. VALES. Idem iste Philippus infra c. 21 ἀρχιερεὺς Τραλλιανός appellatur. JAC.

(69) Ita codices, testes Jacobsono, omisso augmento plusquamperfecti, quod sæpius fieri testatur Winer Gramm.. § 12, n. 8. p. 69, ed. IV.

(70) E codd. Vind. et Parisiensi Jacobsonus reposuit ζῶντα.

et sarmenta congerente ; præcipue Judæis, alacri animo, ut solent, ad ista juvantibus. Cum autem rogus apparatus esset, Polycarpus, sibi detractis omnibus vestimentis et cingulo soluto, conabatur etiam se excalceare ; quod prius non faciebat, quia semper cuncti fideles contendebant, quisnam celerius corpus ejus tangere ; omni enim bono propter sanctos mores suos ille etiam ante martyrium ornatus erat. Illico nunc ille omnibus instrumentis circumdabatur, quæ pro rogo parata erant. Cum vero et clavis ipsum affigere vellent, dixit : « Sinite me sic ; qui enim mihi dat ignem pati, dabit, et sine vestra ex clavis cautione, immotum in pyra permanere. »

A τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ βαλανείων ξύλα καὶ φρύγανα· μάλιστα Ἰουδαίων προθύμως, ὡς ἔθος αὐτοῖς, εἰς ταῦτα ὑπουργούντων. Ὅτε δὲ ἡ πυρκαϊὰ ἡτοιμάσθη, ἀποθέμενος ἑαυτῷ πάντα τὰ ἱμάτια, καὶ λύσας τὴν ζώνην αὐτοῦ, ἐπειρᾶτο καὶ ὑπολύειν ἑαυτόν· μὴ πρότερον τοῦτο ποιῶν, διὰ τὸ ἀεὶ ἕκαστον τῶν πιστῶν σπουδάζειν, ὅστις τάχιον τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ ἅψηται· παντὶ (71) γὰρ καλῷ, ἀγαθῆς ἕνεκεν πολιτείας, καὶ πρὸ τῆς μαρτυρίας ἐκεκόσμητο. Εὐθέως οὖν αὐτῷ περιετίθετο τὰ πρὸς τὴν πυρὰν ἡρμοσμένα ὄργανα (72). Μελλόντων δὲ αὐτῶν καὶ προσηλοῦν (73), εἶπεν. « Ἄφετέ με οὕτως· ὁ γὰρ δούς μοι ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας, ἀσάλευτον ἐπιμεῖναι τῇ πυρᾷ. »

XIV. *Polycarpi precatio.*

Illi ergo non quidem clavis defixerunt, sed ligaverunt eum. Hic vero manibus in letgum rejectis ac vinctus, tanquam aries insignis ex magno grege ad oblationem, victima acceptabilis Deo præparata, cœlum intuitus dixit : « Domine Deus omnipotens, Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus, Deus angelorum et virtutum, ac universæ creaturæ, totiusque generis justorum in conspectu tuo viventium ; benedico tibi, quoniam me hac die alque hac hora dignatus es, ut partem acciperem in numero martyrum tuorum, in calice Christi tui [41], ad resurrectionem in vitam æternam, animæ et corporis, in incorruptione per Spiritum sanctum ; inter quos utinam suscipiar hodie coram te in sacrificio pingui et accepto, quemadmodum præparasti et mihi præmonstrasti et nunc adimplevisti, Deus, mendacii nescius ac verax. Quapropter de omnibus laudo te, benedicto tibi, glorifico te, cum sempiterno et cœlesti Jesu Christo, dilecto tuo Filio, cum quo tibi et Spiritui sancto gloria, et nunc et in futura sæcula. Amen. »

B Οἱ δὲ οὐ καθήλωσαν μὲν, ἔδησαν δὲ αὐτόν. Ὁ δὲ ὀπίσω τὰς χεῖρας ποιήσας καὶ προσδεθεὶς, ὥσπερ κριὸς ἐπίσημος ἐκ μεγάλου ποιμνίου εἰς προσφορὰν (74), ὁλοκάρπωμα (75) δεκτὸν τῷ Θεῷ ἡτοιμασμένον, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπε· « Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ Παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ Πατήρ, δι' οὗ τὴν περὶ σοῦ ἐπίγνωσιν εἰλήφαμεν, ὁ Θεὸς ἀγγέλων καὶ δυνάμεων, καὶ πάσης τῆς κτίσεως, καὶ παντὸς τοῦ γένους τῶν δικαίων, οἳ ζῶσιν ἐνώπιόν σου· εὐλογῶ σε, ὅτι ἠξίωσάς με τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας ταύτης, τοῦ λαβεῖν με μέρος ἐν ἀριθμῷ τῶν μαρτύρων σου, ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ σου εἰς ἀνάστασιν ζωῆς αἰωνίου, ψυχῆς τε καὶ σώματος, ἐν ἀφθαρσίᾳ Πνεύματος ἁγίου· ἐν οἷς προσδεχθείην ἐνώπιόν σου σήμερον ἐν θυσίᾳ πίονι καὶ προσδεκτῇ, καθὼς προητοίμασας καὶ προεφανέρωσας καὶ ἐπλήρωσας (76), ὁ ἀψευδὴς καὶ ἀληθινὸς Θεός. Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε, σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, ἀγαπητῷ σου Παιδί· μεθ' οὗ σοι καὶ Πνεύματι ἁγίῳ ἡ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας. Ἀμήν. »

XV. *Polycarpus igne non læditur.*

Et postquam «Amen» emisisset, precationemque complevisset, ministri ignis ignem accenderunt. Cum vero ingens flamma émicasset, grande miraculum vidimus, nos, quibus illud spectare concessum fuit qui et ideo reservati sumus, ut aliis, quæ contigerunt, annuntiaremus. Ignis enim fornicis speciem præbens, tanquam navis velum a vento repletum, in circulo corpus martyris circumdedit ; quod, in medio positum, non ut caro assa videbatur, sed veluti panis coctus, vel sicut aurum et argentum in

Ἀναπέμψαντος δὲ αὐτοῦ τὸ « Ἀμὴν, » καὶ πληρώσαντος τὴν εὐχὴν, οἱ τοῦ πυρὸς ἄνθρωποι ἐξῆψον τὸ πῦρ. Μεγάλης δὲ ἐκλαμψάσης φλογὸς, θαῦμα μέγα εἴδομεν, οἷς ἰδεῖν ἐδόθη· οἳ καὶ ἐτηρήθημεν, εἰς τὸ ἀναγγεῖλαι τοῖς λοιποῖς τὰ γενόμενα. Τὸ γὰρ πῦρ καμάρας εἶδος ποιῆσαν, ὥσπερ ὀθόνη πλοίου ὑπὸ πνεύματος πληρουμένη, κύκλῳ περιετείχισε τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος· καὶ ἦν μέσον οὐχ ὡς σὰρξ καιομένη, ἀλλ' ὡς ἄρτος ὀπτώμενος, ἢ ὡς χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἐν καμίνῳ πυρούμενος (77). Καὶ γὰρ εὐωδίας

[41] Matth. xx, 22 ; xxvi, 39 ; Marc. x, 38.

(71) Præpositio ἐν, quæ legitur in éditis, abest a ms. et plane mihi redundare videtur. Jac.

(72) E. g. « palus, catenæ, funes, » etc.

(73) Non videntur hæc ita intelligenda, quasi Polycarpi manus clavis transfixuri essent, et palo affixuri ; non fuisset enim hæc exigua pars supplicii [quam carnifices non remisissent]. Crediderim ergo, catenas, quibus revinctæ erant ad tergum manus, palo clavis affixas fuisse ne moverentur. Cler.

(74) Similia in *Martyrio Ignat.* c. 2.

(75) A græcis interpretibus Hebræorum עלה non per ὁλοκάυτωμα solum redditur, sed interdum etiam per ὁλοκάρπωμα, ut Lev. i, 14, xvi, 24. Usser.

(76) Patefecerat enim ei Deus ignem martyrii. Cfr. supr. c. 5.

(77) Quod ignis fornicis præbens speciem steterit, id causis physicis tribui posse censet Dalrymplius. Jac.

τοσαύτης ἀντελαβόμεθα, ὡς λιβανωτοῦ πνέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν τιμίων ἀρωμάτων (78).

A fornace candens. Tantam autem nos percepimus suavitatem odoris, ac si thus aut aliud quoddam pretiosorum aromatum oluisset.

XVI. *Polycarpus pugione transfigitur.*

Πέρας οὖν ἰδόντες οἱ ἄνομοι, οὐ δυνάμενον αὐτοῦ τὸ σῶμα ὑπὸ τοῦ πυρὸς διαπανηθῆναι, ἐκέλευσαν προσελθόντα αὐτῷ κομφέκτορα (79) παραδῦσαι ξιφίδιον. Καὶ τοῦτο ποιήσαντος, ἐξῆλθε περιστερὰ (80) καὶ πλῆθος αἵματος, ὥστε κατασβέσαι τὸ πῦρ, καὶ θαυμάσαι πάντα τὸν ὄχλον, εἰ τοσαύτη τίς διαφορὰ μεταξὺ τῶν ἀπίστων καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ὧν εἷς καὶ οὗτος γεγόνει (81) ὁ θαυμασιώτατος μάρτυς Πολύκαρπος, ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις διδάσκαλος ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς γενόμενος, ἐπίσκοπός τε τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς Ἐκκλησίας. Πᾶν γὰρ ῥῆμα, ὃ ἐξαφῆκεν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἐτελειώθη καὶ τελειωθήσεται.

Tandem igitur cernentes improbi, corpus ejus ab igne non posse consumi, jusserunt confectorem propius accedere pugioneque eum transfigere. Quod cum ille fecisset, evolavit columba et effluxit tanta sanguinis copia, ut ignem exstingueret, utque universa plebs miraretur, tantum esse discrimen inter infideles et electos ; quorum unus hic fuit maxime admirandus martyr Polycarpus qui nostris temporibus apostolicus et propheticus doctor exstitit, atque catholicæ Ecclesiæ Smyrnensis episcopus. Omne enim verbum, quod ore suo emisit, aut impletum est aut implebitur.

XVII. *Polycarpi corpus Christianis non traditur.*

Ὁ δὲ ἀντίζηλος καὶ βάσκανος καὶ πονηρὸς, ὁ ἀντικείμενος τῷ γένει τῶν δικαίων (82), ἰδὼν τὸ τε μέγεθος αὐτοῦ τῆς μαρτυρίας, καὶ τὴν ἀπ' ἀρχῆς ἀνεπίληπτον πολιτείαν, ἐστεφανωμένον τε τῷ τῆς ἀφθαρσίας στεφάνῳ, καὶ βραβεῖον ἀναντίῤῥητον ἀπενηνεγμένον, ἐπετήδευσεν, ὡς μηδὲ τὸ λείψανον αὐτοῦ ὑφ' ἡμῶν ληφθῆναι (83), καίπερ πολλῶν ἐπιθυμούντων τοῦτο ποιῆσαι, καὶ κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ. Ὑπέβαλε γοῦν Νικήτην τὸν τοῦ Ἡρώδου πατέρα, ἀδελφὸν δὲ Ἄλκης (84), ἐντυχεῖν τῷ ἄρχοντι, ὥστε μὴ δοῦναι αὐτοῦ τὸ σῶμα ταφῆ· « Μὴ, φησὶν ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξωνται σέβεσθαι. » Καὶ ταῦτα εἶπον, ὑποβαλλόντων καὶ ἐνισχυόντων τῶν Ἰουδαίων, οἳ καὶ ἐτήρησαν, μελλόντων ἡμῶν ἐκ τοῦ πυρὸς λαμβάνειν· ἀγνοοῦντες, ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα [ἄμωμον ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν (85)], οὔτε ἕτερόν τινα σέβεσθαι. Τοῦτον μὲν γὰρ, Υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς καὶ μιμητὰς τοῦ Κυρίου, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον· ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνοὺς (86) τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι.

Sed cum æmulus ille et invidus et malus, justorumque generi adversus, insigne illius martyrium cerneret, moresque ab ineunte ætate irreprehensos et eum corona immortalitatis coronatum, præmiumque sine controversia reportantem ; operam dedit, ne reliquiæ ejus a nobis auferrentur, quamvis multi id facere et sancto illius corpore participes fieri cuperent. Suggessit ergo diabolus Nicetæ, Herodis patri, fratri autem Alces, adire proconsulem, ne corpus illius ad sepeliendum traderet : « Ne, inquit relicto crucifixo, hunc colere incipiant. » Atque hæc dicebant, suggerentibus et instantibus Judæis, qui quoque observaverant nos, ex igne eum extracturos ; ignari, quod nec Christum, qui pro salute omnium, qui in toto mundo salvi fient, passus est [inculpatus pro peccatoribus], unquam derelinquere poterimus, neque alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium Dei adoramus ; martyres vero tanquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus, propter illorum eximiam erga regem ac magistrum suum benevolentiam ; quorum utinam et nos fiamus consortes ac condiscipuli.

(78) Inter ligna, e balneis et officinis comportata fortasse nonnulla fuisse odorata et aromatica suspicatur Jacobsonus.

(79) Confectores, qui bestias in amphitheatro conficiebant ; si quando enim bestiæ efferatæ stragem populo minarentur, ii immittebantur, qui eas conficerent et occiderent. Jac.

(80) De hac columba ne verbum quidem legitur apud Eusebium, Rufinum et Nicephorum ; quo fit, ut falsa a multis lectio codicum sit putata. Moynius pro περιστερά conjecit ἐπ' ἀριστερᾷ, « a sinistra. » Ipsi accesserunt complures viri docati. Ruchatus scribendum censuit περὶ στέρνα, Editor *Bibliothecæ Bremonsis* cl. III, p. 429, conjicit περὶ στέρνου vel περὶ στέρνων. Heumanas in *Exam. fabulæ de columba et Polycarpi rogo evolante*, statuit monachos hoc prodigio Acta nostra auxisse. Mihi quidem longe verisimilius videtur, lectorem quempiam in animo habuisse, ad oram codicis notare locum epistolæ, ubi animam suam efflavit B. Polycarpus ; ideoque, mori Ecclesiæ veteris obsecutum, vocem περιστερά margini ascripsisse, qua scilicet significaret, animam B. martyris illo temporis momento e corpore liberatam, sub columbæ specie ad cœlum evolasse. Columbarum enim imagines etiam Christianorum sepulcris frequenter exsculptæ sunt. Jac.

(81) Ita Jacobsonus e codicibus. Plusquamperf. sine augmento ut c. 12. Vulg. γέγονεν.

(82) Cfr. 1 Clem., c. 51.

(83) Ita Jac. e cod. Paris. Vulg. λῃφθείη.

(84) « Alce » notum est mulieris inter Smyrnæos nomen. Cfr. Ignat. *ad Smyrn.* c. 13, *ad Polyc.* c. 8.

(85) Parenthesis ista neque in Eusebio habetur, neque in Rufino, neque in vetere nostro interprete. Usser. — Interpolata fuisse videtur a librario quopiam, qui in animo habebat I Petr. III, 18. Jac.

(86) Ita Jac. e. cod. Paris. Vulg. κοινωνούς.

XVIII. *Polycarpi corpus comburitur. Reliquiæ.*

Videns autem centurio a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis positum exussit. Atque ita nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exsultatione et gaudio congregatis, Dominus præbebit, natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui certamina pertulerunt, tum ut posteri exercitati sint et parati [ad eadem sustinenda].

A Ἰδὼν οὖν ὁ [ἑκατόνταρχος (87)] κεντυρίων τὴν (88) τῶν Ἰουδαίων γενομένην, φιλονεικίαν θεὶς αὐτὸν ἐν μέσῳ τοῦ πυρὸς ἔκαυσεν. Οὕτω τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ, ἀπεθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τὴν τῶν ἠθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν.

XIX. *Laus Polycarpi martyris.*

Hæc de beato Polycarpo, qui cum iis, qui ex Philadelphia, duodecimus Smyrnæ martyrium est passus, sed solus ob omnibus celebratur, ita ut a gentilibus quoque ubique locorum memoretur; qui non solum doctor insignis exstitit, sed etiam martyr B eximius, cujus martyrium, Evangelio Christi congruum, omnes imitari desiderant. Postquam enim sustinendo injustum præsidem vicit, sicque immortalitatis coronam recepit, cum apostolis omnibusque justis exsultans, Deum ac Patrem glorificat, et benedicit Domino nostro Jesu Christo, animarum nostrarum Salvatori, et corporum nostrorum gubernatori, nec non pastori catholicæ in toto orbe Ecclesiæ.

Τοιαῦτα τὰ κατὰ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὃς σὺν τοῖς ἀπὸ Φιλαδελφίας δωδέκατος (89) ἐν Σμύρνῃ μαρτυρήσας, μόνος ὑπὸ πάντων (90) μνημονεύεται, ὥστε καὶ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ἐν παντὶ τόπῳ λαλεῖσθαι· οὐ μόνον διδάσκαλος γενόμενος ἐπίσημος, ἀλλὰ καὶ μάρτυς ἔξοχος, οὗ τὸ μαρτύριον πάντες ἐπιθυμοῦσιν μιμεῖσθαι, κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον Χριστοῦ γενόμενον. Διὰ τῆς ὑπομονῆς γὰρ καταγωνισάμενος τὸν ἄδικον ἄρχοντα καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβών, σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος, δοξάζει τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν (91), καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς Ἐκκλησίας (92).

XX. *Mittite hanc epistolam fratribus.*

Vos quidem petieratis, ut cuncta, quæ gesta sunt C fusius vobis exponerentur; nos vere impræsentiarum summatim iudicavimus per fratrem nostrum Marcum. Quæ quidem cum legeritis, epistolam fratribus remotioribus transmittatis, ut et ipsi glorificent Dominum, qui ex suis famulis delectum facit. Ei, qui omnes nos gratia sua atque indulgentia in regnum suum æternum potest inducere per unigenitum Filium sunm Jesum Christum ipsi sit gloria, honor, imperium, majestas in sæcula. Amen. Salutate omnes sanctos. Vos, qui nobiscum sunt, salutant, et qui scripsit hæc, Evarestus cum omni domo sua.

Ὑμεῖς μὲν οὖν ἠξιώσατε διὰ πλειόνων δηλωθῆναι ὑμῖν τὰ γενόμενα· ἡμεῖς δὲ κατὰ τὸ παρὸν ἐπὶ κεφαλαίῳ μεμηνύκαμεν διὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Μάρκου. Μαθόντες οὖν ταῦτα, καὶ τοῖς ἐπέκεινα ἀδελφοῖς τὴν ἐπιστολὴν διαπέμψασθε (93), ἵνα καὶ ἐκεῖνοι δοξάζωσιν τὸν Κύριον, τὸν ἐκλογὰς ποιοῦντα ἀπὸ τῶν ἰδίων δούλων (94). Τῷ δυναμένῳ (95) πάντας ἡμᾶς εἰσαγαγεῖν ἐν τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ δωρεᾷ εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ βασιλείαν, διὰ τοῦ Παιδὸς αὐτοῦ τοῦ μονογενοῦς Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ ἡ δόξα, τιμή, κράτος, μεγαλοσύνη, εἰς αἰῶνας. Ἀμήν. Προσαγορεύετε πάντας τοὺς ἁγίους. Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ σὺν ἡμῖν προσαγορεύουσιν, καὶ εὔαρεστος, ὁ γράψας, πανοικεί.

XXI. *Martyrii tempus.*

Martyrium autem passus est beatus Polycarpus D Xanthici mensis ineuntis die secundo, ante septimum Kalendas Maias, magno Sabbato, hora octava. Captus

Μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου (96), πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Μαΐων (97) Σαββάτῳ μεγάλῳ (98), ὥρᾳ ὀγδόῃ (99).

(87) Codex Vindob. vocem ἑκατόνταρχος non agnoscit. Jac.

(88) Articulum e codice Vindobonensi restituit Jacobsonus.

(89) Eusebius habet δώδεκα. Apud Eusebium Strothius et Henichenius exhiqent δώδεκα τοῖς ἐν Σμύρνῃ μαρτυρήσασι. Jac.

(90) Eusebius addit μᾶλλον.

(91) Ἰησοῦν... ψυχῶν ἡμῶν e codice Parisiensi restituit Jacobsonus.

(92) Codex Vindob. addit: καὶ τὸ παντάγιον καὶ ζωοποιὸν Πνεῦμα. Jac. In veteri int. legitur: « et Spiritus sanctum, per quem cuncta cognoscimus. »

(93) Usserius et Smithius mallent διαπέμψατε, Jac.

(94) I. e. « qui nonnullos e numero fidelium ad martyrium vocavit. »

(95) Τῷ... ᾧ. Simili constructione utitur D. Paulus Rom. xvi, 25-27. Jac.

(96) Smyrnæi a 25 die Martii Xanticum suum incoharunt. Usser. De chronologia hujus capitis cfr. Ideler.. *Hanab. der Chronol.* t. I, p. 419, 430.

(97) Longe meliori codice usus est Constantinopolitanus.

(98) I. e. Sabbatum, quod Paschalem solemnitatem antecedit, Sabbatum sanctum. Pagi.

(99) I. e. ante meridiem non enim de Romana, sed de Astatica horas computandi ratione hic est sermo, eadem scilicet, qua nos hodie utimur. Jac.

Συνελήφθη δὲ (1) ὑπὸ Ἡρώδου, ἐπὶ ἀρχιερέως (2) Φιλίππου Τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος Στατίου (3) Κοδράτου, βασιλεύοντος δὲ εἰς τοὺς αἰῶντας Ἰησοῦ Χριστοῦ ᾧ ἡ δόξα, τιμὴ, μεγαλοσύνη, θρόνος αἰώνιος, ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάν. Ἀμήν. A

est autem ab Herode, sub pontifice Philippo Tralliano, proconsule Statio Quadrato, regnante autem in sæcula Jesu Christo; cui sit gloria, honor, majestas, thronus sempiternus, a generatione in generationem. Amen.

XXXII. *Salutatio. Epistolæ transcriptores.*

Ἐῤῥῶσθαι ὑμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοὶ, στοιχοῦντας τῷ κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον λόγῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ· μεθ' οὗ δόξα τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν· καθὼς ἐμαρτύρησεν ὁ μακάριος Πολύκαρπος, οὗ γένοιτο ἐν τῇ βασιλείᾳ Ἰησοῦ Χριστοῦ πρὸς τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι ἡμᾶς!

Ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος (4), ἐκ τῶν Εἰρηναίου, μαθητοῦ τοῦ Πολυκάρπου, ὃς καὶ συνεπολιτεύσατο τῷ Εἰρηναίῳ. Ἐγὼ δὲ Σωκράτης ἐν Κορίνθῳ ἐκ τῶν Γαΐου ἀντιγράφων ἔγραψα. Ἡ χάρις μετὰ πάντων. B

Optamus, fratres, vos valere ac incendere in evangelico sermone Jesu Christi; cum quo gloria sit Deo, et Patri et Spiritui sancto, ob sanctorum electorum solutem; quemadmadum beatus Polycarpus martyrium pertulit, ad cujus vestigia utinam inveniamur in regna Jesu Christi!

Atque hæc ex codice Irenæi, discipuli Polycarpi, descripsit Caius, qui et ipse cum Irenæo conversatus est. Ego vero Socrates Corinthi et Caii exemplari hæc descripsi. Gratia sit cum omnibus.

Ἐγὼ δὲ πάλιν Πιόνιος ἐκ τοῦ προγεγραμμένου ἔγραψα, ἀναζητήσας αὐτὰ, κατὰ ἀποκάλυψιν φανερώσαντός μοι τοῦ μακαρίου (5) Πολυκάρπου· καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς· συναγαγὼν αὐτὰ ἤδη σχεδὸν ἐκ τοῦ χρόνου κεκμηκότα, ἵνα κἀμὲ συναγάγῃ ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, εἰς τὴν οὐράνιον βασιλείαν αὐτοῦ (6), ᾧ ἡ δόξα, σὺν Πατρὶ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Et posthæc ego Pionius ex suprascriptis hæc exaravi, postquam illa perquisivissem, et beatus Polycarpus ea per revelationem mihi manifestasset, ut in sequentibus declarabo, collegi ea, propemodum ex temporis diuturnitate fatiscentia, ut me quoque cum electis suis in regnum suum cœleste colligat Dominus Jesus Christus, cui sit gloria, cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

politanus Chorographus *Siculorum fastorum* auctor qui legit Ἀπριλλίων. Verum enim Polycarpi natalem in 26 Martii esse statuendum, et Asiani anni ratio et magni Sabbati character evincit, licet apud Latinos 26 Jan., apud Græcos 23 Febr. celebretur. Ex quibus etiam characteribus manifeste deprehenditur anno vulgaris æræ Christianæ 169, et imperii M. Aurelii nono passionem ejus contigisse. Usser. cui antipulatur Pagius ad ann. 167, n. 3, et 4. Anni 161 rem agit Stieren, *Ueber das Todesjahr Justin's*, in Illegenii, *Zeitschrift fur die histor. Theol.* 1842, fasc. 1, p. 34. C

(1) Particulam δὲ addit Jac. e cod. Paris.

(2) Qui prius (c. 12) Ἀσιάρχης, nunc ἀρχιερεύς appellatur. Usser.

(3) Ms. male Σταρτίου.

(4) Fortasse Caius, presbyter ille Romanus.

(5) Hæc verba τοῦ μακαρίου e codd. Paris. et Barocc. restituit Jacobsonus.

(6) Verba εἰς τὴν.... αὐτοῦ prætermiserat Usserius. Jac.

EVARISTUS PAPA

—

NOTITIA

(Ex libro pontificali Damasi papæ, ap. Mansi, *Concil.*, I, 621. — Varias lectiones et notas ad hunc locum Libr Pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* tom. CXXVII, col. 1135).

Evaristus natione Græcus, ex patre Judæo nomine Juda, de civitate Bethlehem, sedit annos novem, menses decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani et Nervæ Trajani, a consulatu Valentis et Veteris, usque ad Gallum et Braduam consules. Martyrio coronatur. Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris. Et septem diaconos ordinavit, qui custodirent episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros sex, diaconos duos, episcopos per diversa loca quinque. Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano sexto Kalendas Novembres. Et cessavit episcopatus dies XVIII.

EVARISTI PAPÆ

EPISTOLÆ [1]

(MANSI, *Concil.*, *collect.*, t: I, col. 623.)

EPISTOLA PRIMA.

AD OMNES EPISCOPOS AFRICANOS.

De ordine diaconorum et legitimo conjugio, atque de fide et non [1] *injuriandis episcopis aut lacerandis.*

Dilectissimis fratribus universis Africæ regionis episcopis, Evaristus.

Consulentibus vobis, fratres charissimi, [2] quid super his quæ in vestris continebantur scriptis visum nobis esset,vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid a beatis apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret,optantes,ut retulistis, nostris institui [3] documentis,hæc vero rescribimus : Siquidem dilectio vestra normam secuto prudentium,ad sedem apostolicam referre maluit,quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire, potius quam usurpatione præsumerit.

I.

Quot in civitate diaconi esse debeant

[4] Diaconi,qui quasi oculi videntur esse episcopi in unaquaque civitate,juxta apostolorum constituta septem debent esse, [5] qui custodiant episcopum prædicantem,ne aut ipse ab insidiatoribus quoque modo infestetur, aut lædatur a suis, aut verba divina, detrahendo aut insidiando, polluantur vel despiciantur,sed veritas spirituali redoleat fervore, et pax prædicata labiis,animi cum voluntate concordet.

II.

De uxore ducenda.

[6] Similiter custoditum et traditum habemus, ut A uxor legitime [7] viro jungatur. Aliter enim legitimum (ut a patribus accepimus, et a sanctis apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus), non sit conjugium [8], nisi ab his (2) qui super ipsam fœminam dominationem videntur habere, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus aut propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur [9], et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur,et a paranymphis,ut consuetudo docet, custodita et consociata a proximis, tempore congruo petita legibus dotetur [10],et solemniter accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent, et castitatem custodiant,ut bonæ soboles generentur,et Domino in actibus suis placeant. [11] Taliter enim et Domino placebunt,et filios non spurios,sed legitimos atque hæreditabiles generabunt [12].Quapropter, filii charissimi et merito illustres, fide catholica suffragante,ita peracta legitima [13] scitote esse connubia. Aliter vero præsumpta, non conjugia, sed aut adulteria,aut contubernia,aut stupra, vel fornicationes,potiusquam legitima conjugia esse non dubitate [14], nisi voluntas [15] propria suffragata fuerit [16], et vota succurrerint legitima. Nam fructus divinus est,præcepta divina custodire. Ea quoque deserere, præsumptionem fieri, nulli dubium est. Cur ergo indignum est,unitatem Ecclesiæ custodire ? Idemque omnes pariter et sentiamus, et pronuntiemus.Si enim aliter præsumpta fuerint, perdunt profecto ipsi transgressores seipsos,qui semet-

[1] In ms. collectionis Isidori Paris. soc. Jesu desunt quæ sequuntur ; *et de non*, etc. [2] Innoc. ep. III,4, 22. [3] *instrui*. [4] 93, distinct. : *Diaconi, qui quasi oculi*. [5] Neocæs. 14, ex versione Dionysii. [6] 30, quæst. 5 : *Aliter legitimum non* ; Et in Decr.Ivo. lib.VI. [7] ms.*legitimo*. [8] Hincmar. *de divortio Lotharii*. [9] *detur*. [10] *detur*. [11] 30, quæst. 5 : *Taliter legit*, § *Ita peracta*. [12] ms. *generantur*. [13] ms. ms. *legitime*. [14] ms. *dubitantur*. [15] Ita libri omnes mss. et editi, cum Gratiano, Magistro sentent. IV, dist. 25. Ivone in *Decr.* et *Pannom.*, aliisque. Nec Contio credimus ad edictum Henrici II, pag. 14 et alibi, legi dicenti in suo ms. *etiamsi voluntas... vel vota*, etc. HARDUINUS. [16] ms. *suffragaverit*.

(1) Supposititicæ Contio aliisque eruditis catholicis.

(2) « Aliter enim legitimum non fit conjugium nisi ab his.» Qua ratione Evaristus hac epistola sequentibus verbis, ad legitimum matrimonium requirit, ut sponsa a paranymphis ad ecclesiam deducatur, uxor cum precibus et eblationibus a sacerdote benedicatur,et ut postea biduo aut triduo vacent orationi, etc.,eadem ratione consensum parentum ad legitimum et verum connubium exigit ; scilicet, quod in foro externo licitum ac validum esse non debeat præsumi, sed potius pro adulterio haberi, nisi cum prædictis conditionibus sit contractum. Cum igitur ipsis hæreticis testantibus certum sit in foro conscientiæ,ad veritatem et essentiam matrimonii duas prædictas conditiones non requiri; etiam certum esse fateri debent,quod consensus parentum ad verum matrimonium contrahendum non sit ita necessarius, quasi sine hoc, matrimonium inter duas personas habiles contractum, in foro conscientiæ nullum sit. Evaristus igitur hoc decreto hujus epistolæ non voluit significare prædictas omnes conditiones esse necessarias,ita ut, si una vel altera desit,irritum sit matrimonium ; sed ita legitimum esse conjugium, si illa omnia adhibentur; contra autem,si nulla earum adhibita sit, et conjugium occulte sine testibus, et sine illa celebritate contrahatur,legitimum haberi non possit,non quidem in conscientia,sed in foro externo,et apud Ecclesiam,quæ de occultis non judicat.Contractum itaque matrimonium, non ex necessitate sacramenti,sed tantum ex honestate et pietate,qua per legem Dei parentibus suis obstringitur, parentum suorum consensum requirant.Ita Bellarminus « De sacramento matrimonii,» lib.I,c.20, et communiter omnes scholastici, hunc locum Evaristi interpre-

ipsos decipiunt. Hæc cunctis [17] recitanda per omnes Ecclesias Africanas, scripta dirigite, et istis connectite quas adjunximus litteras præfectorum [18], ut de his [19] quæ inique laudantur, si quid tale, probari poterit, judicium fiat, et inhibita coerceantur, et præterita mala et illicita conjugia, si doceantur admissa, digna severitate corripiantur. De cætero vero caveantur talia per omnes Ecclesias, ne Ecclesiæ sanctitas, per nostram fatigata negligentiam, perdat privilegia quæ est per viros venerabiles consecuta.

De his vero, quibus ab insidiatoribus fatigamini, unde et nos consulere, et a nobis edoceri inter cætera voluistis, eo quod sint quidam qui arbitrantur de Patre solo dictum esse (3), « quia ipse solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem [20] ; » ita eos apostolicis percutite ferulis, et divinis redarguite præceptis [21]. Non enim solus Pater sine Filio lucem inaccessibilem habitat ; quia ubi Pater est, ibi etiam Filium esse indubitabili fide credendum est. Nam si solus Pater sine Filio, quod dicere nefas est, lucem habitat inaccessibilem, necesse est, ut sequestratam Pater a Filio habeat mansionem,

Quod si ita est, quonam modo idem Filius ad dexteram Patris astans a beato martyre Stephano dicitur conspici, si Pater secundum eos solus dicitur sedibus lucis contineri. Absit hoc a sensu fidelium Christo in unitate fidei adhærentium ; quoniam, sicut non obest Filio, cum solus dicitur Pater lucem inaccessibilem habitare, ita non obest Patri, cum Sapientia, quæ est Filius dicitur gyrum cœli sola circuire. Pater itaque, cum sit invisibilis et ingenitus in se, in Filio, a se inenarrabiliter genito, mansisse ac requievisse monstratur, ipso Filio in propheta loquente : « Qui me genuit, requievit in tabernaculo meo [22]. » Et in Evangelio : « Pater in me manens, facit opera hæc [23]. » Et : « Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris [24]. » Si enim in sinu Patris erat Filius ab initio, et ex corde Patris verbum bonum eructatum est, quomodo non in corde paterno consistens, lucem cum eodem inaccessibilem habitasse credendus est ? Nunquid Pater absque ulla luce in Filio potuit commanere, aut in tabernaculo Filii sine eadem potuit requiescere, eum idem Filius « candor sit æternæ lucis, et speculum sine macula deitatis [25] » Salomon superquam salutem suam dilexisse se dicit, in cujus specie semper delectari gestivit ? « Su-

A per salutem et speciem, » inquit, « dilexi illam, et pro luce proposui habere eam, quoniam inexstinguibile est lumen ejus [26]. » Hanc ergo David propheta lucem desiderans, anxius proclamat, dicens : « Emitte lucem tuam et veritatem tuam [27]. » Iterum : « In lumine tuo videbimus lumen [28]. » In hujus igitur luminis claritate Filius seipsum in monte tribus discipulis præostendit ; qui, metu mortis perterriti, prostratique in faciem, sibi vitæ finem adesse senserunt [29]. Hanc (inquam) lucem in se fuisse demonstrans Filius proclamabat, et, ut in eadem incederent, discipulos prænonebat : « Cum lucem habetis, » inquit, « ambulate in luce [30]. » Et iterum : « Ego sum lux hujus mundi : qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen B vitæ æternæ [31]. » Et evangelista : « Erat lux vera, ait, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [32]. » Si hæc lux, quæ credentibus promittitur, in Filio esse probatur, et cum æterno æterna esse dicitur, quomodo a vobis ab inaccessibili luce Patris Filius separatur ? Si enim Filius, « Deus verus et vita æterna est [33], » sine dubio in hac luce simul cum Patre habitare credendus est, quam nullus modo nostrum, in hoc mortali corpore constitutus, potest aliquatenus contueri ; sed dum apparuerit, tunc vere illum videbit sicuti est, qui ejus cnspectibus fuerit dignus coaptari. Et non sicut Moyses cæterique prophetæ per ænigmata et figuram, sed ipsam veraciter in Filio, secundum Apostolum, contuebitur deitatis imaginem. Nam si hunc eumdemque prophetæ sub testimonio, subsequente sereno mentis intuitu, investigare volueris, C invenies Filium non posse ab hac luce Patris penitus separari ; quoniam cum solum Filium dixerit in terra cum hominibus conversatum, Patrem ab illo, non est credendum fieri alienum. « [34] Si testimonium enim hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Quoniam hoc est testimonium Dei quod majus est, quia testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet, testimonium Dei in se. Qui non credit in Filium, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, et hæc vita est in Filio ejus. Qui habet Filium, habet vitam ; qui non habet Filium Dei, non habet vitam. D Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam qui creditis in nomine Filii Dei. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.

[17] Innoc. ep. 12 *ad Aurelium Carthag.* ep. sub finem : « Unde plagii merito arguas Mercatorem, eumve a quo delusus est. » [18] *prophetharum* iu qq. cc. [19] ms. *unde his.* [20] I Tim. VI, 16. [21] Ithac. ad vers. Uvar. 66. [22] Eccli. XXIV. 12. [23] Joan XIV, 10. [24] Joan, I, 18. [25] Sap. VII, 26. [26] Ibid, 10. [27] Psal. XLII, 3. [28] Psal. XXXV, 10. [29] Matth, XVII. [30] Joan. XII. 35. [31] Joan. VIII, 12, [32] Joan. I, 9. [33] I Joan. V, 20. [34] Hactenus verca ipsissima resp. Ithacii sive Idacii Clari adversus Warimadum Arianum, cui fabricator hujus epistolæ laciniam pro more attexit ex ep. I Joan. V.

tantur. Sev. Bin. — De hoc loco, qui certe lubricus est vide decr. concil. Trid. *De reformatione matrimonii.*

(3) *Quod sint quidam qui arbitrantur de Patre solo dictum esse.* Basilidem. Saturninum, aliosque ejus sectatores intelligit ; de quibus Baronius anno Domini 120, num. 5, et sequentibus, ubi impura et scelestissima eorum dogmata recenset. Ib.

Et scimus quia audit nos, quidquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna. » Hæc, fratres, prædicate, hæc omnibus nuntiate. Vos vero invicem exhortamini, perfecti estote, semperque gaudete; pacem autem sectamini in omnes, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum, Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen,

Data IX Kalendas Aprilis, Valente et Vetere viris clarissimis coss. [35].

EPISTOLA II.

De episcopis ejectis, et aliis loco eorum subtitutis, vel, ut habet ms. Just.: *Quod Christus sit caput et sponsus Ecclesiæ, et sacerdotes qui ejus vice legatione funguntur, similiter sint Ecclesiis suis: et qualiter sacerdotes suas Ecclesias et eorum Ecclesiæ eos debeant diligere.*

Evaristus, urbis Romæ episcopus, omnibus per Ægyptum Domino conglutinatis fratribus in Domino, salutem.

Unum nos, fratres, [36] sentire oportet et agere, ut, sicut legimus [37], in nobis unum cor et una anima esse probetur. Scimus namque, sicut et a patribus, accepimus, Christum esse caput, cujus et membra sumus. Ipse enim est sponsus, et Ecclesia sponsa, cujus filii nos sumus: et ideo unum Patrem habemus Deum in cœlis. Sacerdotes vero vice Christi legatione [38] funguntur in Ecclesia. Et sicut ei sua conjuncta est sponsa, id est Ecclesia [39], sic episcopis junguntur Ecclesiæ, unicuique pro portione sua. Et sicut vir non debet negligere uxorem suam, sed diligere et caste custodire et amare atque prudenter regere: sic episcopus et multo magis custodire et amare atque prudenter regere debet Ecclesiam. Et velut uxor, quæ sub manu est viri, obedire debet viro suo, eumque diligere et amare, ita potius etiam Ecclesia episcopo suo in omnibus obedire, eumque diligere et amare ut animam suam debet, quia illud fit carnaliter, istud spiritualiter. [40] Et sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus Ecclesiam suam; id est ut illam dimittat, ad quam sacratus est absque inevitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione, et alteri se ambitus causa conjungat. Et sicut uxori non licit dimittere virum suum, ut alteri se, vivente eo, matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed, juxta Apostolum, « aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta [41]; » ita Ecclesiæ non licet dimittere episcopum suum, aut ab eo se segregare ut alterum, vivente eo, accipiat; sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est alterum episcopum, suo vivente, non accipiat, ne fornicationis aut adulterii crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est si se alteri episcopo junxerit, aut super se alterum episcopum adduxerit, aut esse fecerit, vel desideraverit: per acerrimam pœnitentiam aut suo reconcilietur episcopo, aut innupta permaneat. Unde et Dominus loquitur in Evangelio, dicens: « Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [42]. » [43] Episcopum vero oportet opportune et importune atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eamque prudenter regere et amare, ut a vitiis se abstineat, et salutem consequi possit æternam. Et illa cum tanta reverentia ejus doctrinam debet suscipere, eumque amare et diligere, ut legatum Dei et præconem veritatis; quia, testante Veritate: « Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo [44]. » Nimis timenda est, fratres, hæc sententia, et prævidendum vobis, ne offendatis eos qui tantam a Domino habent potestatem. Et ideo potius obediendi, diligendi et summopere venerandi sunt, non detrahendi, vel lacerandi aut ejiciendi, sed portandi et amandi, ipso dicente Domino: « Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit [45]. » Ideo hæc vobis et omnibus fidelibus scribimus, fratres, ut ab his vos caveatis, et posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis; quoniam injuria episcoporum ad Christum pertinet, cujus vice funguntur. [46] Audivimus enim quosdom a vobis infamatos et dilaceratos episcopos, ac e civitatibus propriis pulsos, quia alibi episcopi constitui non possunt, nisi in civitatibus non minimis; et alios in eis, ipsis viventibus, constitutos. Ideo hæc vobis scribimus, ut sciatis hoc fieri non licere, sed proprios revocari, et integerrime restitui debere. Illos vero qui adulterina fœditate sponsas suas, quas et uxores eorum, præfixo tenore. esse intelligimus, tenent; ejici ut adulteros atque infames fieri, eosque ab ecclesiasticis honoribus arceri jubemus. Si autem adversus eos aliquam qnerelam habueritis, his peractis, inquirendum erit, et auctoritate hujus sanctæ sedis terminandum [47]. Et ne omnia nunc singulatim dicamus, omne bonum, si ipsa per se in vobis fuerit, charitas facere docebit, sicut et e contrario eos qui a

[35] Coss. fuerunt anno Christi 96, quo nondum obierat S. Clemens. [36] S. Leo. eo 18. [37] Act. IV, 32. [38] S. Greg. XII, 32. [39] S. Ambr. *De dignit sacerd.* IV. [40] 7, q. 1: *Sicut vir non.* [41] I Cor. VII. 11. [42] Matth V, 28, [43] 7, q. 1: *Sicut vir* § *Episcopum vero.* Et in epist. 1 Clementis *ad Jacobum.* [44] Matth. XVI, 19. [45] Luc. X, 16. [46] 3, q. 2; *Audivimus quosdam;* et in ep. 1 Clementis *Ad Jacobum.* [47] Clemens epist. 1, ex Ruffini interpretatione, qui post trecentos annos ab Evaristi electione vixit. Vide *Patr. Gr.* t. I. EDIL.

salute alieni sunt, omne malum facere,odium docet. Unde et vos, qui veri Dei estis discipuli abjicite a cordibus vestris ante omnia discordias et animorum dissensiones, ex quibus omne malnm opus procedit, et benignitatem ac simplicitatem tota mente servate.[48] Verumtamen scitote cuncti, quod supra omnes vos laboret episcopus;quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille vero et suum, et singulorum. Et ideo sicut ille pro vobis omnibus, ita et vos omnes summopere laboraro pro eo debetis, in tantum,ut, si etiam necesse fuerit, animas vestras pro eo ponatis, sicut et ipse animam suam pro vobis, si necesse fuerit, ponere debet,ipso dicente Salvatore : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis[49].Vos vero obedite eis, et vigilate pro eis, quia ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes[50] ». [51] Non est itaque a plebe aut vulgaribus hominibus arguendus vel accusandus episcopus, licet sit inordinatus ; [52] quia pro meritis subditorum, disponitus a Deo vita rectorum, exemplo David peccantis, ac comparatione principum, qui ex merito plebis prævaricantur. Sacerdotes enim exquirere debent peccata populorum, et sagaci sollicitudine unumquemque probare, juxta testimonium Domini ad Jeremiam loquentis : « Probatorem, » inquit, « dedi te populo meo robustum, et scies, et probabis viam eorum[53].» Ideo ista dico, quia insidiator bona sæpissime solet convertere in malum, et in electis ponit maculam[54]. Unde si qui sunt vituperatores aut accusatores episcoporum, vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a judicibus Ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur æstimationis suspicio vel opinio, qua intentione, qua fide,qua temeritate, qua vita,qua conscientia, quove merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitia, vel odio, aut cupiditate, ista præsumpserint, necne.

Hæc omnia fideliter sunt perscrutanda,et diligenter pertractanda[55]. Nam sunt nonnulli qui præpositos suos perverse reprehendunt,si vel parum ipsis molesti exstiterint. Idcirco recto oculo primates Ecclesiarum utiliter prævideant, ne quisquam eorum innocens vexetur aut scandalizetur, intendentes sententiæ Domini, qua ait ; « Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis,melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris[56],» etc.[57] Deus autem omnipotens,ut nos a præcipitatæ sententiæ prolatione compesceret(cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus),mala tamen Sodomæ noluit audita[58] judicare,priusquam manifeste agnosceret quæ dicebatur.Inde ipse ait; « Descendam, et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint ; annon est ita, ut sciam[59]. » Deus omnipotens, cui nihil absconditum est,sed omnia ei manifesta sunt, etiam antequam fiant,non ob aliud hæc et alia multa (quæ hic, prolixitatem vitantes, non inseruimus) per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in discutiendis et judicandis negotiis essemus, et ne mala quorumdam prius præsumamus credere, quam probare. Cujus exemplo monemur[60],ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus,aut temere indiligenterque indiscussa quæque quoquo modo judicemus, dicente Veritatis voce : « Nolite judicare,ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini[61] », et reliqua.[62] Nam mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione, quisquam unquam credat,sed ante audita diligenter inquirat, ne præcipitando quidquam aliquis agat. Si enim Dominus omnium[63] Sodomorum mala,quorum clamor ad cœlum usque pervenerat,omnia sciens, prius nec credere nec judicare voluit,quam ipse ea cum fidelibus testibus diligenter investigans[64],quæ audierat, opere[65] veraciter cognosceret : multo magis nos humani et peccatores homines quibus incognita sunt occulta judicia Dei,hæc præcavere,et nullum ante veram justamque probationem judicare aut damnare debemus[66], manifeste apostolo dicente Paulo,qui ait: « Tu quis es,qui judicas servum alienum ? Suo enim domino stat, aut cadit[67]. » Unde et per prophetam David Dominus loquitur,dicens : « Nolite extollere in excelsum cornu vestrum,loquentes in cervice veteri; quia neque ab oriente, neque occidente, neque a solitudine montium,sed Deus judex hunc humiliabit, et hunc exaltabit, quia calix in manu Domini est, vino meraco ad plenum mixtus, et propinabit ex eo. Verumtamen fæces ejus potabunt bibentes omnes impii terræ. Ego autem annuntiabo in sempiternum, psallam Deo Jacob[68]. » Et alibi idem ait propheta : « Ab increpatione tua,Deus Jacob, consopitus est et currus et equus.Tu terribilis es,et quis stpbit adversum te ? Ex tunc ira tua.De cœlo annuntiabis judicium,terra timens tacebit, cum surrexerit ad judicandum Deus ut salvos faciat omnes mites terræ[69]. » Et Apostolus ait : « Mihi vindicta, ego retribuam[70].» Et alibi inquit idem apostolus:«Sufficit unicuique objurgatio,quæ fit a pluribus,ita ut magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur is qui in angustia est.Propter quod obsecro vos,ut confirmetis in illo charitatem[71].» Et Dominus in Evangelio ait : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota

[48] Idem. Vide ibid. [49] Joan. x, 11. [50] Heb. xiii, 17. [51] 2. q. 7 : *Non est a.* Et in *Decr.* Ivon. lib. iv. [52] Isid. sentent. 39 et 46. [53] Jer. vi. 27. [54] 2. quæst. 7 : *Si qui sunt.* Et in *Decr.* Ivo lib. iv. [55] 2. quæst. 7 : *Sunt nonnulli qui.* [56] Mati. xviii, 6. [57] 2, quæst. 1 : *Deus omnipotens, ut.* et in *Decr.* Ivo, lib. iv. [58] S. Greg. xix. *Moral.* 14, concil. Aquisgr. 37. [59] Genes. xviii, 21. [60] Gregor. *ibidem.* [61] Matth. vii, 1, 3. [62] 30, quæst. 5 : *Nullum ante.* [63] *hominum.* [64] *utrum.* [65] *complevissent.* [66] 30, quæst. 5 : *Nallum ante.* [67] Rom. xiv, 4. [68] Psal. lxxiv, 6-18, ex interpretatione S. Hieronymi qui trecentis post Evaristum annis vixit. [69] Psal. lxxv, 7-10, eodem interprete Hier. [70] Rom. xii, 19. [71] II Cor. ii, 6 8.

anima tua,et ex omnibus viribus tuis,et proximum tuum sicut teipsum [72].» Dilectio enim proximi malum non operatur [73].« Propter quod, juxta Apostolum,inexcusabilis es, o homo omnis,qui judicas.In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas, eadem agens quæ judicas. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo omnis, qui judicas eos qui talia agunt,et facis ea, quia tu effugies judicium Dei ? An divitias bonitatis ejus et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus ; his quidem,qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem, quærentibus vitam æternam ; his autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio ; tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum,Judæi primum et Græci ; gloria autem et honor et pax omni operanti honum [74]. » Et alibi idem ait Apostolus : « Causati enim sumus,omnes sub peccato esse sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam,non est intelligens,non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum,non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum,linguis suis dolose agebant.venenum aspidum sub labiis eorum.Quorum os maledictione et amaritudine plenum est,veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.Contritio et infelicitas in viis eorum,et viam pacis non cognoverunt,et non est timor Dei ante oculos eorum.Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo ; quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt. Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum,in sustentationem Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore,ut sit ipse justus,et justificans eum,qui ex fide est Jesu Christi[75].»Item idem : « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit,qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an periculum an gladius ? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita. neque angeli, neque principatus,neque virtutes,neque instantia,neque futura, neque fortitudo,neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro [76].»Debemus autem nos,ut ait idem apostolus, firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,et [77] nobis placere.Unusquisque vestrum [78] proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum est, improperia improperantium tibi,ceciderunt super me [79]. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum,et Deus totius consolationis,qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,ut possumus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo ; quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive exhortamur pro vestra exhortatione,quæ operatur tolerantiam earumdem passionum,quas et nos patimur,et spes nostra firma est pro vobis,scientes quoniam sicut socii passionum estis,sic eritis, et consolationis [80]. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari super id quod potestis,sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere [81]. » [82] Propter quod, charissimi, sectamini charitatem, et æmulamini meliora et spiritualia [83], et adjuvate vas invicem, ut Deo semper in omnibus placere valeatis. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

Data Kalend. Novemb. [84], Gallo et Bradua viris clarissimis coss.

EX DECRETIS EVARISTI PAPÆ (4).

Secundum codicem librorum quinque (5) lib. v. c. 8. Tamen secundum Decretum Gratiani, est constitutio Hygini papæ.

[72] Matth. xxii, 37. [73] Rom. xiii, 10. [74] Rom. ii, 1-10. [75] Rom. iii, 9-26. [76] Rom. viii, 33, usque ad finem. [77] *non*. [78] *nostrum*.. [79] Rom. xv, 1-3. [80] II Cor. i, 3-7. [81] I Cor. x. 13. [82] Clem. ep. 3, *Patr.* t. I. Edit. [83] I Cor. xiv, 1. [84] an. Christi 108, adhuc vivente Anacleto.

(4) Vetus collectio ms. librorum quinque cap. 8. tribuit præterea Evaristo decretum quod consarcinatum

(5) Duæ sunt adhuc ineditæ collectiones canonum,quorum altera in quinque libros, et altera in sexdicim

Ut sine missa ecclesia dedicari non debeat.

Omnes basilicæ cum missa semper debent consecrari, altaria vero placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. Si vero altaria non fuerint lapidea, ad celebranda divina officia, non consecrentur. Ubi etiam ecclesia est, de cujus ambigitur consecratione, a vicinis presbyteris et parochianis fideliter requiratur. Hi ergo cum cæteris omnibus in synodali concilio ab episcopo pro suo sunt contestandi sacerdotio, si illorum temporibus vel antecessorum suorum sciant ecclesiæ illius dedicationem, die vel officio unquam fuisse celebrem. Quod si affirmando in hoc concordant, non fiat injuria ecclesiæ legitimæ vel suo defensori; sin autem, in arbitrio sit episcopi, claudere seu aperire eam (6).

Ex decretis Evaristi, cap. 5[85].

Ut presbyteri de occultis peccatis jussione episcopi pœnitentes reconcilient et sicut supra scripsimus infirmantes absolvant [86] et communicent.

[85] Ex nov. suppl. P. Mansi pag. 6. [86] Ex veter. pœnitentiali apud Canis. Vet. lect. tom. II, p. II, pag, 130. edit. Basnag.

(6) Usque ad verbum *consecrari* apud plerosque collectores citatur ex Evaristo: reliqua aliter habentur apud Grat., *De consecr.*, dist. 1, cap. *Omnes basilicæ*. cap. *Altaria*, cap. *Altaria placuit*, ex diversis conciliis. Sev. Bin.

ALEXANDER I PAPA

NOTITIA.

Ex Libro pontificali Damasi papæ, ap. Mansi, *Concil*, I, 633. — Varias lectiones et notas ad hunc locum Libri Pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1145,)

Alexander natione Ramanus, ex patre Alexandro, de regione Caput tauri, sedit annos 10, menses 7, dies 2. Fuit autem temporibus Trajani usque ad Ælianum et Veterem consules. Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum quando missæ celebrantur. Martyrio coronatur, et cum eo Eventius presbyter et Theodulus diaconus. Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum, Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros sex, diaconos duos, episcopos per diversa loca quinque. Qui et sepultus est uia Numentana, ubi decollatus est, ab urbe Roma non longe, milliario 7, quinto Nonas Maias. Et cessavit episcopatus dies XXV.

ALEXANDRI I PAPÆ

EPISTOLÆ.

Mansi *Concil. collect.*, t. I, col. 663.

EPISTOLA PRIMA (7)

AD OMNES ORTHODOXOS.

De sacerdotibus non vexandis, etc. (8).

Alexander episcopus, omnibus orthodoxis per diversas provincias Christo Domino famulantibus.

Cogitantibus[87].[88] nobis metum divini judicii, fratres charissimi, et post vitam hanc unumquemque prout gesserit, recepturum, quid veniat in querelam, tacere non licuit; sed nobis, vobis loqui, necessitas imperavit, dicente propheta: « Exalta ut tuba vocem tuam[89]. » Et cui omnium Ecclesiarum commissa reddemus, [89] Isa. LVIII, 1.

[87].[88] Idem initium ep· 3 Siricii papæ ut suo loco reddemus. [89] Isa. LVIII, 1.

natum est ex cap. 3, *De consecrat.*, distinct. 1, *Omnes basilicæ*. Quod Hygino Gratianus asserit, ex cap. 32, *Altaria placuit*; ex concil. Agathensi anni 596, cap. 14, et ex cap. 31, *Altaria si*; ex concil. Epaunensi anni 517, cap. 26 et 27. Harduin.

sexdecim digestæ sunt. Hoc binos sodices mss. passim citant, et ex illis canones quosdam referunt conciliorum collectores. Verum sero tandem intellectum est hos codices sexdecim, quatuordecim, et quinque librorum nihil esse aliud, quam varios codicis canonici a Buchardo editi mss. codices mutilos, prout in nonnullis bibliothecis hodie pariter visuntur Mansi.

(7) Hæc et duæ sequentes viris apprime catholicie νοθεῖαι suspectæ sunt.

(8) Titulus integer: *De sacerdotibus non vexandis, nec scriptis ab eis per metum, aut aliquam fraudem exigendis: et de pasione Domini in consecratione corporis ejus miscenda, et de aqua cum sale populis benedicenda: et de fide sanctæ Trinitatis.*

est cura, si dissimulem. audiam Domino dicente : « Rejecistis mandatum Dei, ut statuatis traditiones vestra [90]. » Quid enim aliud est rejicere mandatum Dei, quam privato consilio judicio humano, novis rebus constituendis liberius delectari? Unde et alibi scriptum est: « Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui [91]. » Terminos indubitanter transgreditur, qui statuta patrum postponit atque confundit. Pervenit [92] namque ad conscientiam apostolicæ sedis, quod nonnulli sunt tam stolidi, qui Dominica præcepta, et apostolorum, eorumque successorum statuta minime observant, et eos de quibus Dominus ait: « Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei [93] ; » non solum tangere minime dubitant, sed etiam persequi non formidant. Et licet nos persequatur, quia nec nos sine illis, nec illos sine nobis persequi possunt, quoniam illius sumus discipuli, qui animas pro fratribus præcepit ponere [94]; tamen eis pericula et perditiones eorum non sumus aussi celare, ne prophetica (quod absit) damnemur sententia, quæ ait: « Si annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam tuam liberasti: si autem non annuntiaveris ei, sanguinem ejus de manu tua requiram [95]. » [96] Est etiam et hoc ad hanc sanctam sedem perlatum (quod pudet dicere, et non solum sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini est inimicum), id est quod nonnullos [97] episcopos vel sacerdotes, aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suæ in alteram partem quam debeant, aut pro suarum non requisitione rerum [98], aut, quod deterius est, pro alieni erroris secta scripturas facere, et propriis manibus roborare, et coram populis recitare atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus et ergastulis recludi, ut saltem his territi insidiis, devient Domini sacerdotes, et suis faveant voluntatibus [99]. [1] Relatum insuper est ad hujus sanctæ et apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, et omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad capat, ipso dicente principi apostolorum Petro: « Tu es Petrus, et super hanc petram Ecclesiam meam ædificabo [2] : » quod quidam æmuli Christi, ejusque sanctæ Ecclesiæ insidiatores, sacerdotes Dei ad judices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolus Christianorum causas [3] ad Ecclesias deferri, et ibidem terminari præcipiat [4]. Taliter prævaricates; prævaricati sunt in Deum suum, et non obediunt præceptis ejus. De quibus Dominus per prophetam Osee loquitur, dicens: « Quasi vaccæ lascivientes declinaverunt, et dilexerunt afferre ignominiam protectoribus suis [5]. » Et idem: « Væ eis, quoniam recesserunt a me. Vastabuntur, quia prævaricati sunt in me ; et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis. Super triticum et vinum ruminabant, et reeesserunt a me. Et ego erudivi, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt, ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus [6]. Abjiciet eos Dominus, ait idem propheta. quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus [7]. »

I.

De iis qui sacerdotes accusant, vel persequuntur.

De his enim, clericis et laicis, qui episcopos vel reliquos sacerdotes, tam ad primates eorum quam ad reliquos accusant judices, prius quam auribus eorum, a quibus se læsos æstimant, inculcent. ut ab eis aut jus suum, aut justam recipiant apologiam, item per eumdem ait Dominus prophetam : « Audi, domus Israel. et domus regis, ausculta, et attendite, sacerdotes, quia vobis, judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, victimasque declinastis in profundum : et ego eruditor omnium vestrum [8]. » Et alibi : « Omnes calefacti estis quasi clibanus. quia devoratis judices vestros [9], ipsi autem declinant victimas Domini in profundum [10], » qui eos devorant vel injuste lacerant qui oculi Domini dicuntur. Nam si modo quisquam principis sæcularis oculos laceret aut amoveret, esset reus criminis majestatis, an non? Profecto aut morti traderetur, aut perpetua notasetur infamia. Si pro sæculi potestatibus talia ab hominibus fiunt, quid pro his fieri putatis, de quibus Dominus ait : « Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei [11]? » [12] Procul dubio hi qui eos persequuntur, et amovere nituntur injuste contra apostolicam actoritatem, etsi a morte proibentur, dicente Domino : « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat [13]; » perpetua tamen notantur infamia, et exsilio digni judicantur finitimo. De quibus, a temporibus apostolorum, et infra, ista tenemus, atque decreta habemus quibus eorum accusandi episcopos, vel testificandi in eos vocem obstruimus, quos non humanis, sed divinis actibus mortuos esse scimus. De quibus Dominus loquitur per eumdem prophetam : « Calumniam patiens Ephraim, fractus est judicio, quoniam cœpit abire post sordem. Et ego quasi tinea Ephraim. et quasi putredo domui Juda. Et vidit Ephraim languorem suum, et Judas vinculum suum. Et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem ; et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum [14]. » Qui enim sacrilega persequuntur persuasione et lacere nituntur episcopos, vel eos qui

[90] Marc. VII, 9. [91] Prov. XXII, 28. [92] Perlatum est. [93] Zach. II, 8. [94] I Joan, III, 16. [95] Ezech. III, 18. [96] 15, quæst. 6 : *quandoquidem a sacerdotibus.* [97] *nonnulli.* [98] *causarum.* [99] *voluptatibus.* [1] 11, quæst. 1 : *Relatum est.* [2] Matth. XVI, 18. [3] concil. Carth. III, 9. [4] I Cor. VI, 6. [5] Ose. IV, 16. [6] Ose. VII, 10-16. [7] Gse. IX, 17. [8] Ose. V, 1, 2. [9] Ose. VII, 7. [10] Ose. V, 2. [11] Zach. II 8. [12] 3, quæst. 4 : *Hi quis epicopos.* [13] Ezech. XVIII, 23. [14] Ose. V 11.

Domino recte sacrificant,indubitanter eum persequuntur et dilaniant, cujus vice funguntur. Unde ait Dominus per Joel prophetam : « Nunquid ultionem reddidistis mihi ? Et si ulciscimini vos contra me, cito, velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum [15]. » Et per Osee prophetam Dominus inquit: « Quis sapiens,et intelliget ista ? intelligens,et sciet ea ? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis ; prævaricatores vero corruent in eis [16]. » Et ipsa per se Veritas ait : « Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit [17]. » His et aliis fulti quamplurimis Dominicis præceptis,vitantes hominum perditiones,cum omnibus hujus sanctæ sedis, quam Dominus caput totius Ecclesiæ constituit,membris,talia fieri prohibemus,ne confundatur populus Domini in æternum.Nam et a prædecessoribus nostris inhibitum legimus,ut nemo contristet doctores, neque accusationem adversus eos suscipiat. [18] Ipse namque apostolorum princeps in ordinatione beati Clementis populum instruens. ait ; « Quicunque contristaverit doctorem veritatis, peccat in Christum, et Patrem omnium exacerbat Deum,propter quod et vita carebit.» Et Doctor gentium inquit: « Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,vos qui spirituales estis,sustentate illum in spiritu lenitatis, considerans teipsum,ne et tu tenteris.Alter alterius onera portate,et sic adimplebitis legem Christi [19]. » Has considerantes pietates et pericula vitantes animarum,una cum omnibus Domini sacerdotibus,qui nobiscum in hanc sacram convenerunt urbem, et cum omnibus hujus capitis membris,sicut a beatis apostolis, et a reliquis sanctis Patribus, et a successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui sanctos Patres persequuntur, aut amovere vel dilacerare manifeste nituntur,infames esse et alienos a liminibus Ecclesiæ usque ad satisfactionem fieri, quia sic odit Deus eos qui adversus [20] Patres armantur,ut Patrum invasores vel destructores. Qui ideo infames efficiuntur, quia Patres persequuntur. Quod si nec loqui eis licet, quibus doctores summi, quos Episcopos vocamus, propter eorum scelera adversantur ; quanto magis eis qui eos infestant, nec consentiendum est, nec loquendum,ne participes eorum inveniantur sceleribus,quia non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, rei sunt ? [21] Unde et beatus princeps apostolorum Petrus, qui in ordinatione sancti prædecessoris nostri Clementis, instruens clerum et populum,ait: « Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite exspectare, ut ipse vobis dicat : Cum illo nolite amici esse ; sed prudenter observare debetis, et voluntati ejus absque commonitione obsecundare,et avertere vos ab eo,cui ipsum sentitis adversum ; » [22] sed nec loqui his quibus ipse non loquitur,et unusquisque qui in culpa est, dum omnium vestrum cupit amicitias ferre, festinet citius reconciliari et qui omnibus præest,ut per hoc redeat ad salutem.cum obedire cœperit monitis præsidentis.Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse amicus non est, et locutus fuerit his quibus ipse non loquitur,unus est et ipse ex illis qui exterminare Ecclesiam Dei volunt ; et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et, animo contra vos est.Et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt,et evidenter inimici sunt. Hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit, et Ecclesiam dispergit ac vastat.

II.

De scriptura vel confessione per vim extorta.

[22] Similiter si hujusmodi personis quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint,vel ut se liberare possint, quocunque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum pervenire [24] censemus,neque ullam eis infamiam vel calumniam, aut a suis sequestrationem bonis, unquam, auctore Deo, et sanctis apostolis,eorumque successoribus,sustinere permittimus. Confessio vero in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet,ipso attestante qui ait: « Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes,blasphemiæ [25],» et cætera quæ sunt ad hæc pertinentia.Nec tantum attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant,quorum exempla si omnia scribere cœperimus,ante dies quam exempla deficient.Unde et illud est,quod Dominus ad munera Abel respexit,et non ad Cain ; quia magis intendit ad offerentis animum,quam ad ea quæ offeruntur.Inde et Dominus per Prophetam inquit: « Dominus scit cogitationes hominum [26].» Et per Osee ait : « In gutture tuo sit tuba,quasi aquila super domum Domini [27],» et reliqua.Et Dominus ait in Evangelio : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum : et clauso ostio, ora Patrem tuum [28]. » Omnis enim confessio, quæ fit ex necessitate, fides non est. Et Apostole, ait : « Corde enim creditur ad justitiam,ore autem confessio fit ad salutem [29].» Amplius autem respicit Deus ad cogitationes et spontaneas voluntates, quam ad actus,qui per simplicitatem, aut per necessitatem fiunt.Confessio ergo in talibus non extorqueri debet, sed potius sponte profiteri. Pessimum est enim de suspicione aut extorta confessione quemquam judicare, cum magis inspector cordis sit Dominus,quam operis ; et potius requirit Dominus cogitationes puras et voluntates bonas, quam labia mendacia. Unde et Dominus per prophetam

[15] Joel. III, 4. [16] Ose. XIV, 16. [17] Luc. X, 16. [18] in epistola Clementis ad Jacobum. circa initium. ex interpr. Buffini : *Patr.* t. I. EDIT. [19] Gal. VI, 1,2. [20] Procli ep. ad Domnium Antioc. episc. [21] in 1 Clementis epistola, et in epist. Anacleti papæ, et similiter Fabiani papæ. [22] ex vers Ruffini ejusdem ubi supra. [23] 13, q. 6 ; *Si quandoque a sa.* Et in *Decr.* Ivo lib. IV. Hincmar. de divortio Lotharii et Thentbergæ. [24] *provenire.* [25] Matth. XV, 19. [26] Psal. XLIII, 11. [27] Ose. VIII, 1. [28] Matth. VI, 6. [29] Rom. X, 10.

loquens, ait: « Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me [30]. » Pejus malum fore non æstimo quam Christianos suis invidere sacerdotibus. Novit enim Dominus qui sunt ejus. [31] Non potest autem humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit judicio. Si omnia namque in hoc sæculo vindicata essent, [32] locum divina non haberent judicia.

III.

Si quis adversus episcopum vel actores Ecclesiæ querelam habuit.

Quod autem ad alios judices prius non debeant, quam ad sacerdotes (9) vel auditores [33] Ecclesiæ accusari, ita a tempore apostolorum et infra, observatum et diffinitum invenimus. [34] Si quis erga episcopum, [35] aut auctores [36] Ecclesiæ, quamlibet querelam vel actionem juste se habere crediderit, ipse Redemptoris sui (cujus actio nostra est institutio) viarum non immemor, sed sectator egregius, qui cum malediceretur, non maledicebat, sed tanquàm ovis coram tondente se obmutuit [37], ac pro suis persecutoribus in cruce prudens, apud Patrem intercessit [38], non prius primates aut alios judices adeat, quam ipsos a quibus se læsum æstimat, conveniat familiariter, et non semel, sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam accipiat, aut justam excusationem. Boni nempe et vere Christiani hominis est, rem ipsam omnibus a micitiæ ac pacis legibus prius tentare, quam in judicio (ubi frequenter amarissimus animæ rancor innascitur) suum jus pertinaciter experiri. Si quis enim cum Deo, qui pacis est auctor, habitare cupiat, ei necesse est, ut pacem inquirat. Si autem secus egerit, et ab ipsis et ab aliis communione privetur, tamquam apostolorum, Patrumque aliorum contemptor. De quibus ait propheta : « Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt vobis [39]. »

IV.

Ut in oblatione sacramentorum commemoretur passio Christi, et ut panis tantum et vinum aqua mistum offeratur.

[41] In sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus corpus et sanguis conficitur, passio celebretur, ita ut, repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum et vinum aqua per mistum in sacrificio offerantur. Non debet enim (ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum (10), quia utrumque ex latere ejus in passione suo profluxisse legitur. Ipsa vero Veritas nos instruit calicem et panem in sacramento offerre, quando ait : « Accepit Jesus panem, et benedixit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite et manducate, hoc est enim [41] corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter, postquam cœnavit, accepit calicem, deditque discipulis suis, dicens : Accipite, et bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum [42]. » [43] Crimina enim atque peccata, oblatis his Domino sacrificiis, delentur. Idcirco et passio ejus in his commemoranda est, qua redempti sumus, et sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostiis delectabitur et placabitur Dominus, et peccata dimittet ingentia [44]. [45] Nihil enim in sacrificiis majus esse potest quam corpus et sanguis Christi. Nec ulla oblatio hac potior est

[30] Isa. XXIX, 13; Matth. XV, 8. [31] Const. imp. ad Patres Nicænos. Vide coll. Hard. 41. [32] Enn. II, ep. 19. [33] *actores*. [34] 2, q. 7 : *Si quis erga*. Et in decr. episc. Sixti II; et in decr. Julii papæ; et in *Decr.* Ivon. lib. IV. [35] ms. Paris, collegii soc. Jesu, a quo et sequentes variæ lectiones : *Quam ad se sacerdotes, vel actores Ecclesiæ accusare*. [36] *actores*. [37] I Petr. II. 23; Isa. LIII, 9. [38] Luc. XXIII, 34. [39] Isa. XLI, 11. [40] *De consecr.* dist. 2, *In sacramentorum*. concil. Bracar. III, c. 4. [41] in ms. deest *enim*. [42] Matth. XXVI, 26, 28. [43] [44] ms. *dimittit indulgentia*. [45] *De consecr.* dist. 2 : *Nihil in sacrificiis*.

(9) *Ad sacerdotes*. Turrianus cap. 22, lib. I *adversus Magdeburgenses* in vetusto exemplari Vaticano, sic legi scribit : *Quod autem ab alios judices prius non debeant quam ad se. sacerdotes, vel actores Ecclesiæ (id est episcopi) accusari, ita a tempore apostolorum, et infra, observatum et definitum invenimus. Si quis erga episcopum, vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam vel actionem juste se habere crediderit*, etc. Dicuntur autem episcopi Ecclesiæ actores, quia ipsis lege apostolica (de qua supra in Canonibus apostolorum) rerum ecclesiasticarum cura ac dispensatio commissa est. Nam ut ex collatione Græci et Latini contextus sacri, Lucæ c. XII, et Pauli ad Galatas cap. IV patet, qui Græcis dicitur οἰκονόμος, eum Latini interpretantur dispensatorem, et actorem. *Quanto tempore hæres parvulus est*, habet Latina interpretatio, *sub tutoribus, et actoribus est*, Græce est οἰκονόμους. Sev. Bin.

(10) *Utrumque permistum*. Hanc mysticam et sacram vinum cum aqua miscendi cæremoniam a Christo Domino in ultima cœna (ut ex liturgia S. Jacobi, Clemente lib. VIII *Constitut.* c. 12, alias 17; Irenæo lib. IV, cap. 57; Cypriano lib. II, epist. 3, alias 63, constat) mystice usurpatam apostolica Ecclesia exemplum Christi imitata, apostolica lege deinceps semper observari præcepit. Ideoque certissimum est Alexandrum pontificem non fuisse hujus præcepti auctorem, sed id potius ab apostolorum temporibus manasse. Quod non modo ex liturgia S. Jacobi apostoli, conciliorum ac Patrum testimoniis, verum etiam ex hæc ipsa Alexandri epistola aperte colligitur. Dicit enim infra se « tradere, quod a Patribus acceperat; » et alibi dicitur Romanam Ecclesiam hoc ab apostolis didicisse, ac perpetuo observasse. Restat igitur ut credamus hanc cæremoniam a Christo usurpatam, ab apostolis observari præceptam, ab Alexandro pontifice, scripto et promulgato decreto, corroboratam esse. Cyprianus præallegata epistola hunc ritum appellat divinum mandatum, quia a Christi Domini facto et exemplo, tanquam a causa exemplari, et ab aqua quæ ex latere ejus manavit, tanquam a causa finali originem duxii. Vide Baron. anno Christi 57, num. 143, et anno Christi 132, num. 7: Bellarm. *De sacram euchar.*, lib. IV, cap. 10 et 11 ; Suarez tom. II, disp. 45, sectione secunda. In.

sed hæc omnes præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, et pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est cæteris, ita potius excoli et venerari debet.

V.

De benedictione salis et aquæ, sive cæterorum elementorum.

[46] Aquam enim sale conspersam populis benedicimus (11),ut ea cuncti aspersi, sanctificentur ac purificentur; quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa,divinisque precibus sacrata,populum sanctificat atque mundat.Et si sale asperso per Elisæum prophetam, sterilitas aquæ sanata est [47] : quanto magis divinis precibus sacratus, [48] sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos sanctificat, atque mundat, et expurgat, et cætera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit,et a phantasmatis versutiis homines defendit? Nam si tactu [49] fimbriæ vestimenti Salvatoris, salvatos infirmos esse non dubitamus,quanto magis virtute sacrorum ejus verborum divinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis et animæ humana percipit fragilitas ? His ergo et aliis instructi documentis, vota singulorum, Domini sacerdotes, respicite, et in virtute Spiritus sancti divinis precibus. per ministerium vobis divinitus collatum, perficere certate. Elementa quoque, tam ea quæ prædiximus, quam cætera divinis apta usibus, et humanis necessaria infirmitatibus,sacrate ; infirmos curate, et cætera quæ ad vos pertinent, diligenter perficite.Ipse enim Salvator, tribuendo nobis exemplum, discipulis suis ait : « In nomine meo dæmonia ejicite, infirmos curate, ægros sanate, leprosos mundate [50], » etc. « Super infirmos etiam manus imponite,et bene habebunt [51], »

VI.

De trinitate et unitate deitatis

[52] Fidem quoque sanctæ Trinitatis (12) sic docendam a patribus accepimus,vobisque tradendam subditis destinamus.Isaias namque propheta ait : « Vidi Dominum Sabaoth sedentem super thronum excelsum,et seraphim stabant in circuitu ejus ; sex alæ uni, et sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus,et duabus velabant pedes ejus, duabus volabant, et clamabant ad alterutrum, dicentes : Sanctus, sanctus,sanctus, Dominus Deus Sabaoth [53].» [54] Si Trinitas non est, quare tertio, « sanctus, » dixerunt ? Aut si unitas non est, quare sub trina repetitione unum Deum ac Dominum intimaverunt ? Si Trinitas non est, cur in Geneseos libro dicitur: «Dixit Deus,fecit Deus,et benedixit Deus? » Si unitas non est, quare tertio dixit, « Deus, » et deos plurali numero non commendavit ?Si Trinitas non est, quare in Exodo dictum est tertio : « Domine, Domine, Domine, miserator et misericors [55] ? » Si unitas non est, quare cum tertio, « Domine, » diceret, postea singulariter,« miserator, » dixit, et non, miseratores, ut plures ostenderet, intimavit ?Si Trinitas non est, cur Abraham ad ilicem Mambre sedens tribusque occurrens, uni [56], « Domine, « dixit, et non, ut viderat, tribus salutationis obsequium reddidit [57] ? Si unitas non est, cur cum Moysi « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob » tertio doceret [58], unitatem ostendens : « Hoc mihi nomen est, dixit [59], » et non : Hæc sunt nomina nostra, designavit ? Si Trinitas non est, quare David tertio dixit : « Benedicat nos Deus,Deus noster, benedicat nos Deus [60]?» Si unitas non est, quare, cum tertio Deum nominasset, « benedicat, » dixit, et non, benedicant, adjunxit ? Si Trinitas non est, cur et Isais denuo dixit : « Dominus Deus Sabaoth, Deus Israel qui sedes super cherubim [61] ? » Si unitas non est, cur, « qui sedes, » dixit, et non, qui sedetis, astruxit? Si Trinitas non est, cur in libro Regum dicitur : « Domine, Deus omnipotens, Deus Israel, sermones tui fideles sunt [62] ? » Si unitas non est, cur, « tui, » dicitur, et non, vestri, intimatur? Si Trinitas non est, cur in psalmo LVIII [63] canta-

[46] *De consecr.* dist. 3 : *Aquam sale conspersam.* Hebr. IX, 13. [47] IV Reg. II, 22. [48] *Sacramentarium* S Gregorii aliique rituales Ecclesiæ libri. [49] *tactione.* [50] Matth. X, 8. [51] Marc, XVI, 18. [52] Vide hinc etiam unicam epistolam Benedicti I, quæ itidem conficta est ab eodem plagiario. [53] Isa. VI,1-3. [54] Ithacius sive Idacius Clarus Hisg. *Ep. adv. Varimadum* c.1, ipso fere operis initio. Vixit autem exeunte sæculo Christi quarto, vel potius quinto, aut sexto,si idem cum Vigilio Tapsensi ep. [55] Exod. XXXIV, 6. [56] ms. *uno.* [57] Gen. XVIII, 1-3. [58] ms. *diceretur.* [59] Exod. III, 15. [60] Psal. LXVI, 7, 8. [61] Isa. XXXVII, 16, ubi LXX : *Domine Sabaoth.* [62] II Reg. VII, et III Keg. VIII, per totum. [63] in ms. LIX.

(11) *Aquam sale conspersam populis benedicimus.* Vide quæ diximus in notis ad Vitam Alexandri, verbis hisce : « Hic constituit aquam,»etc.Sev. Bin.

(12) *Fidem quoque sanctæ Trinitatis.* Quod hoc loco tam distincte Trinitatis unitatem hæc epistola prædicet, quasi in Ecclesia hoc novum fuerit, a novatoribus nostri temporis injustam calumniam patitur. Nam antiquitus in catechizandis fidelibus mysterium gloriosissimæ Trinitatis, quantum homini licuit, a catechistis insinuatum esse adeo certum est,ut idem impius Lucianus,scriptor gentilis, in *Philopatre* aperte confiteatur. Ut autem orthodoxi episcopi, ac potissimum Romanus pontifex, summo conatu id præstarent, divinitas Christi, ab hujus sæculi hæreticis impugnata,flagitabat. Unde S. Athanasius ad episcopos Africanos scribens,hæc ait : « Prisci episcopi abhinc annis centum et triginta,qui tum Romæ, tum in nostra civitate episcopatum gesserunt, accusaverunt eos, qui filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum consubstantialem Patri, » etc. Et quanquam hæc intelligi velit de duobus illis Dionysiis Romano et Alexandrino episcopis, qui hoc ipsum egregie præstiterunt, tamen non nisi majorum exemplo,traditione atque doctrina eos hæc operatos esse, nemo jure dubitare. poterit. Baron. prædicto anno num. 6. Id.

tur : « Domine Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes ? » Si unitas non est, cur, « intende, » posuit, et non, intendite, ut prædicatus [64] est, intimavit ! Si Trinitas non est, cur in Apocalypsi tertio dixit : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat [65], » etc. Si unitas non est, quare, « qui est, » et non, qui sunt, pluraliter designatur ? Si Trinitas non est, quare in Deuteronomio dictum est : « Dominus Deus tuus misericors est, et audiet vocem tuam [66] ? » Si unitas non est, quare posuit, « audiet, » et non, audient, intimavit ? Si Trinitas non est, quare in Jesu Nave [67] dicitur libro : « Dominus Deus deorum [68] est [69] ? » Si unitas non est, quare « est, » dixit, et non, sunt, more locutionis induxit ? Si Trinitas non est, quare Elias loquendo in oratione : « Domine, Domine Deus Israel, ostende quia tu es Deus meus [70], » dixit ? Si unitas non est, quare « ostende, » posuit, et non, ostendite ? Si Trinitas non est, cur Mardochæus orando ? « Domine, Domine Deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt [71], » dixit ? Si unitas non est, quare « in tua, » posuit, et non, in vestra, signavit ? Si Trinitas non est, cur etiam Judith orando dixit : « Domine, Domine Deus omnium virtutum, respice in orationem meam [72] ? » Si unitas non est, quare, « respice, » et non, respicite, designavit ? Si Trinitas non est, quare in Jeremia dicitur : « Dominus Deus vester verax est [73] ? » Si unitas non est, quare, « verax est, » dixit, et non, veraces, potius intimavit ? Si Trinitas non est, quare in Apocalypsi scriptum est : « Dominus Deus et spiritus prophetarum [74], misit angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri cito [75] ? » Si unitas non est, cur cum Patrem et Filium et Spiritum sanctum nominasset, « misit, » dixit, et non, miserunt, sub prætaxato trium personarum et nominum numero introduxit ? Si Trinitas non est, quare in Deuteronomio dixit : « Dominus Deus vester hic est Deus [76] ? » Si unitas non est, quare, hic est, » dixit, et non : hi sunt, plurali numero designavit ? Si Trinitas non est, quare in eodem dicitur libro : « Dominus Deus tuus, Deus magnus et potens [77] ? » Si unitas non est, quare, « magnus et potens, » pluraliter non nominatur ? Si Trinitas non est, cur Tobias, cum filium suum in Rages civitatem cum Raphaele archangelo mitteret, benedicens eos, ita dixisse docetur : « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jocob, ipse impleat benedictionem suam in vobis [78] ? » Si unitas non est, quare, « ipse impleat, » dixit, et non, ipsi impleant, intimavit ? Postremo, si Trinitas non est, quare Dominus discipulos suos « in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [79] » A universas gentes misit baptizare ? Si unitas non est quare, « in nomine, » dixit, et non, in nominibus, præcipiendo perdocuit ? Si Trinitas non est, quare Paulus apostolus ait : « Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia [80] ? » Si unitas non est, quare, « ex ipso, » posuit, et non, ex ipsis, astruxit ? Si enim certo certius volueritis unitatem Trinitatis agnoscere, a sæpe dicto Doctore gentium Apostolo potestis universa condiscere, et sequi catholicam fidem, et [81] horum respuere pravitatem. « Gratia Domini nostri Jesu Christi, inquit, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, ipsa est Patris, et Filii [82] et Spiritus sancti gratia [83] ; » et sic fidem sanctæ Trinitatis et intelligere, et docere, Domino adjuvante, pleniter potestis.

B Idcirco igitur, charissimi, fidei regulas juxta hujus epistolæ finem posuimus, ut in ejus confessione fideliter perseveremus, et Domino auxiliante [84], bonam fidem habere mereamur. « Quicunque voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. An [85] putatis, quia inaniter Scriptura dicit : Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis, majorem autem dat gratiam ? Propter quod dicitur : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi igitur estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus [86], peccatores, et purificate corda, duplices animo. Miseri estote, et lugete, et plorate. Risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exal-
C tabit vos. Nolite detrahere alterutrum, fratres ; quia qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem, si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex ; unus enim est legislator et judex, qui potest perdere et liberare. Tu autem qui es, qui judicas proximum ? Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizatis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, vindictam poscens retenti
D laboris, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Addixistis et occidistis justum, et non restitit vobis [87]. » [88] Væ ! fratres, his qui tribulant vos. Vos vero quanto amplius tribulamini, tanto purgatiores atque beatiores efficiemini, si tamen ipsa tribulatio

[64] ms. *precatus*, [65] Apoc, IV, 8. [66] Deut. IV, 31. [67] in ms, deest *Nave*. [68] ms. *eorum*, [69] Jos. II, ubi LXX : *Dominus. Dominus vester Deus in cœlo supra, et in terra deorsum.* [70] III Reg. XVIII, 36. [71] Esth. XIII, 9. [72] Judit IX, 17. [73] Jer. X, 10. [74] ubi Vulgata : *Dominus Deus spirituum prophetarum.* [75] Apoc. XXII, 6. [76] Deut. XIX. [77] Deut. X, 17. [78] Tob. VII, 15. [79] Matth. XVIII, 19. [80] Rom. XI, 36. [81] Arianorum expunxit nomen, ut melius falleret incautos. [82] Hic desinunt Ithacii verba : paulo plura exhibet falsa Benedicti I epistola. [83] II Cor. XIII, 13. [84] *adjuvante*. [85] *aut*. [86] ms. *emendate vobis manus*. [87] Jac. IV, 4 15 ; V, 1-6. [88] Clemens, ep. 2 ; (*Patr. Gr. I*) et inde Felix I, ep. 1, quæ pariter νοθεύεται.

patienter fuerit supportata. Unde ipsa Veritas per se dixit : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam [89] ; » et alibi : « Beati eritis cum vos oderint homines, et persecuti vos fuerint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum. Gaudete in illa die, et exsultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo [90]. »

Data IX Kalend. Augusti. Trajano et [91] Æliano [92] viris clarissimis consulibus [93] (13).

EPISTOLA II.

De causis et gravaminibus sacerdotum.

Dilectissimis fratribus omnibus episcopis, per diversas constitutis regiones, Alexander episcopus.

[94] Nulli, fratres, dubium est quia boni a malis semper persecutionem patiuntur et tribulantur. Propter quod humiliemur [95] sub potenti manu Dei, ut liberet nos in tempore tribulationis. Nam sicut leo rugiens circuit quærens quem devoret, sic diabolus [96] non cessat circuire, et quærere quos ex fidelibus perdat, et maxime illos, quos ardentiores in servitio Salvatoris, eique familiariores invenerit : familiariores dico eos, quos sibi sacrari, et in ordine apostolatus constitui voluit [97]. « Ipsi enim pro populo interpellant, et populi peccata comedunt, quia precibus suis et oblationibus ea delent atque consumunt [98]. » Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur. « Multum enim, ut ait beatus Jacobus apostolus, valet deprecatio justi assidua [99]. » Qui enim vos persequitur, ipsum, cujus legatione [1] fungimini, persequitur ; quia sicut ipse Filius Dei mediator fuit Dei et hominum, ita et vos ejus vice in Ecclesia estis constituti, ut inter Deum et homines legatione fungamini. [2] Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit. Et sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, et bonorum societate arcendus. Et quia Dei causam impedit, et statum conturbat Ecclesiæ, ideoque ab ejus liminibus arceatur. Ab omnibus quoque talis est cavendus, et non in communionem fidelium usque ad satisfactionem recipiendus. Est enim statutum olim, ut qui statum conturbat Ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur ; nec cum fidelibus communicet, qui eorum bona avertit. Vos ergo si dilectionem habueritis ad invicem, et unanimes fueritis, facile tales superare poteritis. [3] Si vero, quod absit ! discordes fueritis, et canino dente vos derodere cæperitis, non solum eos non superabitis, sed et vobis ipsis nocebitis, atque ab eis superabimini, et innocenter forte peribitis. Qui autem ex vestro collegio fuerit, et ab auxilio vestro se subtraxerit, magis schismaticus quam sacerdos esse probabitur. « Ecce, inquit Propheta, quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum [4]. » Illi vero in unum non habitant, qui fratrum solatio se subtrahunt, aut, quod deterius est, fratribus insidias præparant, aut laqueos ponunt. De his enim et eorum similibus Dominus per Oseam prophetam loquitur, dicens : « Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cœli, sed et pisces maris congregabuntur. Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir ; populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti. Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum. Nocte feci tacere matrem tuam. Conticuit populus meus, eo quod non habuit scientiam. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego. Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi. Gloriam eorum ad ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Et erit, sicut populus, sic sacerdos. Et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. Et comedent, et non saturabuntur ; fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo [5]. » Hæc cavete, fratres, et bona semper agere festinate : « Quia in hoc cognoscent omnes, dicit Dominus, quoniam mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem [6]. » [7] Bonum namque est procul dubio et omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones et altercationes, fratribusque subvenire, et invicem non invidere, sed adjuvare. Nos ergo, qui discipuli Domini et dici et esse cupimus, portare crucem Christi et compati fratribus debemus, et non quascunque eis insidias aut foveas præparare, quia talionem meretur, qui fratribus foveam præparat. « Nolite errare, fratres, quia Deus non irridetur [8]. » Hujus rei gratia Dominus vobis commisit Ecclesiam suam, ut pro omnibus laboretis, et cunctis oppressis opem ferre non negligatis. Unde et Dominus per prophetam loquitur, dicens : « Hæc dicit Dominus : Judicate mane judicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur quasi ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat [9]. » Vos ergo, qui in summa specula a Domino constituti estis, attendere eos et opprimere oportet, qui in fratres seditiones et scandala excitant, ne simul cum eis per-

[89] Matth. v, 10. [90] Luc. VI, 22, 23. [91] *Julio Africano.* [92] *Heliano.* [93] mendosa subscriptio. [94] 3, quæst. 1 : *Nulli dubium.* [95] *oportet nos humiliari.* [96] I Petr. v, 8. [97] 1, q. 1 : *Ipsi sacerdotes.* [98] Ose. IV, 8. [99] Jac. v, 16. [1] *vice.* [2] dist. 94 : *Si quis autem legationem.* [3] 1, quæst. 1 : *Nulli dubium.* [4] Psal. CXXXII, 1. [5] Ose. IV, 3-10 Ex S. Hieronymi versione. [6] Joan. XIII, 35. [7] Syn. Later. sub S. Martino, consult 4, [8] Gal. VI, 7. [9] Jer. XXI, 12 et XXII, 3.

(13) *Trajano et Ælian viris clarissimis coss.* Scias, lector, ipsos pontifices nullos consules in fine epistolarum subjunxisse, sed potius aliunde subrepsisse. Itaque si a chronologia imperatorum superiorum, vel etiam posteriorum pontificum epistolis superadditos consulatus discrepare deprehendas, ne mireris. Sev. Bin.

eatis. Salutate omes qui recte laborant in Evangelio Christi, et juste gubernant navem ejus, ne cohabitantes in ea demergantur aut suffocentur. Salutat vos omnis apostolica Ecclesia in Domino. Amen.

Data septimo [10] Kalend. Novembris, Trajano [11] et Æliano [12] viris clarissimis consulibus [13].

In fine hujus epistolæ hæc addita reperi in Cod. Lucensi, quæ interpolatoris alicujus esse non dubito, sed tamen danda erant :

Præceptum Domini est, ut exceptacausa fornicationis, uxor a viro dimitti non debeat; et ideo quicunque citra culpam criminis suprascripti uxorem suam quacunque occasione dimiserit, quia quod Deus conjunxit, ille separare disposuit, tandiu ecclesiastica communione privetur, et cœtu omnium Christianorum maneat alienus, quandiu et ad societatem relictæ conjugis redeat, et partem sui corporis honesta lege conjugii sinceriter amplectatur et foveat.Hi tamen qui jam ante moniti a sacerdote semel, et his, tortioque, ut corrigantur, ad charum suæ conjugis redire noluerint consortium, ipsi se suis meritis, et a palatinæ dignitatis officio separabunt, et insuper generosæ dignitatis testimonium, quandiu in culpa fuerint, amissuri, quia carnem suam, dissidii jugulo tradiderunt.

EPISTOLA III.

Ut vitentur detractiones et injustæ pulsationes.

Alexander episcopus, omnibus divino sacerdotio fungentibus pax et misericordia multiplicetur, et sapientia atque bona voluntas in omnibus augeatur et fructificetur in Domino.

« Gratia Dei sumus, fratres charissimi, id quod sumus [14]. » Idcirco nobis providendum est, et oppido decertandum, ne in ea vacui inveniamur, sed, eadem nobis cooperante gratia, fructum Domino plurimum reportemus. Quod aliter fieri non potest, nisi sapientiam sectando [15],ejusque præcepta lectionibus et hymnis meditando,atque eo adminiculante implendo, orando, vigilando, voluntatem ejus, in quantum ipse largitus fuerit, perficere studeamus. Nec enim negligendam gratiam nobis Dominus dedit sed fideliter exercendam tribuit.Dilectio enim sine simulatione in nobis esse et apparere debet ; quia « omnis qui odit [16] fratrem suum, homicida est : qui vero diligit eum, in Deo manet, et Deus in eo [17]. » Unde et Apostolus ait : « Nolite judicare fratres invicem, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum [18]. » Et Dominus inquit : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias [19]. » Et alibi : « In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem [20]. » Et Salomon ait: « Sacrificium salutare est,attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate [21]. » [22] Summa enim iniquitas est, fratres, detrahere et accusare. Unde scriptum est : « Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est [23], » et omnis homicida non habet partem aut hæreditatem in regno Dei.Et alibi: « Cavete vos, fratres charissimi, ne participes efficiamini,quod absit ! malis eorum [24]. » Et non solum vos cavete a talibus, sed et cavere alios ab eis et avertere docete. De his enim Dominus ait per prophetam Michæam : « Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris ; in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt, et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus. Idcirco dicit Dominus hæc : Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra, et ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate, dicentium : Depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedis a me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat ? propter quod, non erit tibi mittens funiculum,fortis in cœtu Domini. Ne loquamini loquentes : Non stillabit super istos, non comprehendet confusio, dicit Dominus Jacob. Nunquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus ? Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte graditur ? et e contrario ; populus meus in adversarium consurrexit.Desuper tunica pallium sustulistis, et eos qui transibant simpliciter, convertistis in bellum [25]. » Et e contra, de his qui accusantur vel tribulantur, per Nahum prophetam confortans eos,sic loquitur Dominus : « Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum ? Consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio ; quia sicut spinæ se invicem complectuntur,sic convivium eorum pariter potantium : consumentur quasi stipula ariditate plena. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita plures : sic quoque attondentur, et pertransibit. Afflixi te, et non affligam te ultra [26]. » Facile est, fratres, verbo fallere hominem, [27] sed non Deum. Sapiens non est qui nocet, nec vir linguosus in malum se diriget in terra. Nihil vero mali vult, qui fidelis est. Malo enim et pravo ingenio fides aliena est. [28] Ait enim Apostolus de infidelium ignorantia : « Si enim cognovissent,nunquam Dominum gloriæ crucifixissent [29]. » Crucifigunt enim Dominum, qui eum in sacerdotibus suis persequuntur,quia crux a crucia-

[10] ms. XVIII, neque est in fastis sequens par consulum. [11] *Triano et Heliano.* [12] *Jul. Africano.* [13] mendosa itidem subscriptio. [14] I Cor. XV, 10. [15] *scrutando ita*, etc , ms. noster. [16] *detrahit.* [17] I Joan. III, 15. [18] Rom. XIV, 13. [19] Tob. IV, 16. [20] Joan. XIII, 35. [21] Eccli. XXXV, 2. [22] 6, quæst. 1: *Summa iniquitas.* [23] I Joan. III, 15. [24] Ephes. V, 7. [25] Mich. II, 1-8, ex interpr. S. Hier. [26] Nahum. I. 7-12, S. Hier. interpr. [27] Vide Sent. Sixti Pythag. ex Ruffini interpr. [28] conc. Hisp. II, c. 13. [29] I Cor II, 8.

tu dicitur. [30] Magnum vero cruciatum sustinet, ubi vim patitur. Sed tamen, « beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam [31]. » — « Ecce, ait Judas apostolus [32], veniet Dominus in millibus suis facere judicium, et perdere omnes impios, et arguere omnem carnem, de omnibus operibus impietatis eorum. » Hæc, fratres, valde timenda sunt et perpenA denda, ne veniens unusquisque ad judicium, pœnas cum impiis recipiat, sed cum justis gloriam. [33] Quod pius Dominus præstare dignetur, qui vivit et regnat per sæcula cuncta.

Data Kalend. Maii, Æliano et Vetere viris clarissimis consulibus [34].

Ex decretis Alexandri papæ I secundum testis ; ex codice quinque librorum lib. II, cap. C : ut presbyter ab incestuosis xenium non accipiat, ut eorum scelera reticeat.

Ut nullus presbyter xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, imo detrimentum spirituale, a quocunque publico vel incestuoso accipiat, B ut nobis vel ministris nostris peccatum illius reticeat; nec profecto cujuscunque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc nobis vel ministris nostris innotescere detrectet ; nec a quoquam pœnitente gratiam, aut favorem, vel munus suscipere præsumat, ut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat, et quocunque livore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat ; quia hoc Simoniacum, et Deo et bonis hominibus abominabile est.

[30] 3, q. 1 : *Nulli dubium*. [31] Matth. v, 8. [32] Henoch apud Judam, v, 14, 15. [33] Clausula sermonum S. Augustini. [34] an. 116, vivente adhuc Evaristo, consules fuerunt.

SIXTUS I PAPA

NOTITIA

(Ex Libro pontificali Damasi papæ, ap. MANSI, *Concil.*, I, 649. — Varias lectiones et notas ad hunc locum Libri pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1159.)

Sixtus natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via lata, sedit annos decem, menses tres, dies 21. Fuit autem temporibus Adriani, usque ad Verum et Anniculum : martyrio coronatur. Hic constituit, ut ministeria sacra non tangerentur, nisi a ministris sacratis. Hic constituit, ut quicunque episcopus evocatus fuerit ad sedem Romanam apostolicam, rediens ad parochiam suam, non susciperetur, nisi cum formatis salutationibus ad plebem a sede apostolica. (Et constituit, ut missarum actionem sacerdote incipiente, populus hymnum decantaret : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, » etc.) Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros undecim, diaconos tres, episcopos per diversa loca quatuor. Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano, VIII Idus Aprilis. Et cessavit episcopatus dies 2.

SIXTI I PAPÆ

EPISTOLÆ.

(MANSI, *Concil collect.*, t. I, col. 649.)

EPISTOLA PRIMA (14).

AD OMNES CHRISTI FIDELES.

De fide et accusatione episcopi.

Omnibus in Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo dilectis fratribus, in charitate Domini nostri Jesu Christi, Sixtus Romanæ Ecclesiæ archiepiscopus, salutem.

Charissimi, fideliter agite in omnibus, ut fideles C et non infideles inveniamini. Nolite imitari malum, sed quod bonum est agite : quia qui ex Deo est, bene facit ; qui autem male, non ex Deo, sed ex diabolo est. Fidem enim rectam vos tenere oportet, ut dissentientes ab apostolica non sitis doctrina. [35] Unum enim verum Deum Patrem et Filium, a prophetis et apostolis ostendimus prædicatum, a quibus etiam Spiritum sanctum credimus non esse discretum,

[35] Ithacius *contra Warim.*, c. 2.

(14) Hæc et sequens νοθεύονται. — *Epistola I.* Epistolas duas scripsit, quarum postrema, qua universalis Ecclesiæ apostolicæ episcopus inscribitur, novatoribus summopere displicet. Sub-

Isaia propheta dicente : « Ego sum Deus, et non est alius præter me. Et per meipsum juro, quia exivit ex ore meo veritas, et sermo meus non revertetur, quia mihi inclinabitur omne genu, et omnis lingua jurabit per Dominum, dicens : Justitia et gloria ad eum veniet [36]. » Et ut in hoc testimonio Patrem et Filium simul fuisse cognoscatis, Paulum apostolum audite dicentem : « Ut in nomine, inquit, Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris omnipotentis [37]. » Quod si, secundum aliquos, Filius est minor Patre suo, ergo minorata est et gloria Patris in Filio. Et ubi est, quod in Salomone Scriptura loquitur, dicens : « Sicut enim in conspectu eorum inquit, magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis, ut cognoscant te ; sicut et nos cognovimus : quoniam non est Deus præter te, Domine [38] ? » Diligenter attende, et agnosce Filium esse, qui magnificabitur in judicio, dum venerit vivos et mortuos judicare. Item Isaias : « Audite, domus Jacob, et residui domus Israel, qui egredimini ex utero, et erudimini a puero usque ad senectutem : Ab initio ego sum, et quousque senescatis, ego sum : ego vos feci, et ego sustineo : ego remittam, ego suscipiam, dicit Dominus [39]. » Et iterum : « Ego sum Dominus Deus, præter me non est alius Deus, annuntians novissima, priusquam fiant, et statim consummata sunt [40]. » Item alibi : « Audi me, Jacob et Israel, quoniam ego feci. Ego sum Dominus Deus primus, et ego novissimus : et in ea quæ superventura sunt in novissimis, ego sum [41]. » Item ibi : « Ego sum Deus, qui te creavi, qui te adjuvi, et communivi dextera mea [42]. » Et unitatem Patris et Filii assignans loquitur, dicens : « Ego testis vester, dicit Dominus Deus, et puer meus tu, quem ego elegi, ut sciatis et credatis quia ego sum, et ante me non fuit alius Deus, et post me non erit [43]. » Unum hi, qui non sane sapiunt, eligant ex duobus : aut fateantur Patrem et Filium Deum unum, aut si solum Patrem Deum esse contendunt, ergo illi Dominus noster Jesus Christus [44] Dei Filius non erit Deus, quia scriptum est : « Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit [45]. » Si secundum tales ita est, cur Apostolus talia prædicat, et eumdem Filium, Deum super omnia benedictum insinuat ? « Quorum patres, inquit, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula [46]. » Item Isaias ait : « Dominus Deus Israel, qui liberavit eum de Ægypto. Ego sum primus, et ego post hæc, et præter me non est Deus sicut ego sum, qui stet, et vocet, et præparet mihi, ex quo hominem feci in sæculo [47]. » Item alibi : « In te est Deus, et nesciebamus, et non est alius Deus præter te [48]. » Tu es enim Deus, et nesciebamus, Deus Israel Salvator. Unus Deus non sunt Pater et Filius ? Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus, præter quem alium deum non esse propheta sæpenumero protestatur ? Et Baruch : « Hic Deus noster, ait, et non applicabitur alter ad eum, qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et inter homines conversatus est [49]. » Et in Salomone habetur : « Miserere nobis, Deus omnium, et ostende nobis lumen miserationis, et immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est alius Deus, nisi tu [50]. » Item alibi : « Domine Deus Israel, non est tibi similis in cœlo sursum, neque in terra deorsum [51]. » Et in psalmo XVII : [52] « Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum ? » Et in Genesi [53] : Et pluit Dominus a Domino ignem et sulfur super Sodomam et Gomorrham, et evertit civitates illas. » Si solus Pater Deus est, qui pluit ignem et sulfura Domino supra prædictas civitates, ut eas everteret ? quæso, responde. Et in Deuteronomio [54] : « Dominus solus deducebat eos, et non fuit cum illis deus alienus. » Et Paulus apostolus : « Unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide et præputium per fidem [55] : » Et ad Corinthios : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi [56]. » Et iterum : « Non est Deus, nisi unus [57]. » Et ad Galatas [58] : « Mediator autem unius non est, Deus autem unus est : » Et unitatem Patris et Filii et Spiritus sancti demonstrans, Ephesiis scribens [59], ita confirmat : « Sufferentes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. » [60] Si non sane

[37] Isa. XLV, 22-25. [38] Philip. II, 10, 11. [38] Eccli. XXXVI, 4, 5. [39] Isa. XLVI, 3, 4. [40] Ibid., 9, 10. [41] Isa. XLIV, XLV, intermistim. [42] Isa. XLI, 10. [43] Isa. XLIII. 10. [44] *Deus*. [45] Isa. XLIII, 10. [46] Rom. IX. 5. [47] Isa. XLIII, 6, 7. [48] Isa. XLV, 18. [49] Baruch. III, 36-38. [50] Eccli. XXXVI, 1, 2. [51] II Reg. VIII, 23. [52] v. 32. [53] cap. XIX, 24, 25. [54] Deut. II. [55] Rom. III, 30. [56] II Cor. V, 10. [57] I Cor. VIII, 4. [58] cap. III, 20. [59] cap. IV, 3-5. [60] supra in epist. Evaristi papæ itidem supposita.

hujus Sixti papæ nomine, Sixti philosophi Pythagoræi, hominis ethnici ac infidelis, commentarium a se e Græco Latine translatum, Ruffinus Aquileiensis presbyter vulgavit ; de quo illum suo merito S. Hieronymus frequentissime redarguit. Ita enim ad Ctesiphontem scribens, ait : « Illam autem temeritatem, imo insaniam, quis digno poterit explicare sermone, quod librum Sixti Pythagoræi, hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris et Romanæ Ecclesiæ episcopi, prænotavit ? in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, et de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur : ut qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine libant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla prophetarum, nulla patriarcharum, nulla apostolorum, nulla fit Christi mentio, ut episcopum et martyrem sine fide Christi fuisse contendat. » Hæc ibi Hieronymus, qui alibi eadem ex causa in eumdem graviter invehitur. Baron. anno Christi 142, num. 3. SEV. BIN.

sapientes unitatem fidei voluerint simplici corde recipere, ex hoc itaque testimonio, in uno Spiritu poterunt simul Patris et Filii unitatem condiscere. Patrem igitur, ut superius comprehensum est, in divinis litteris, ingenitum, proprie positum, nec legere possunt penitus, nec probare. Sed quia idipsum fides exigit Christiana, absque ulla dubitatione ingenitus creditur, qui tamen secundum seriem Scripturarum, in Filio a se genito visus esse monstratur. De cætero placuit, [61] propter malorum hominum infestationes, ut in accusatione Domini ministrorum, primo persona,fides, vita,et conversatio blasphemantium enucleatim perscrutetur. Nam fides [62] omnes actus hominis præcedere debet; quia dubius in fide, infidelis est. Nec eis omnino credendum,qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt : quoniam tales facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Idcirco suspicio eorum discutienda est primum,et corrigenda,neque accusatoribus suspectis, vel de inimicorum domo prodeuntibus, est credendum. Erant enim quidam, qui prius videbantur esse ex nobis, « sed non erant ex nobis. Si vero fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum [63], » et non conturbassent fratres.« Exacuerunt enim,ut ait Propheta,linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum [64]. » Quapropter hi respuendi sunt, si incorrigibiles apparuerint,et vitandi, ne Domino famulantes decipiant. « State ergo, dilectissimi, super vias, aspicientes et interrogantes de semitis Domini antiquis, et videte quæ est via Domini bona et recta,et ambulate in ea. et invenietis requiem animabus vestris [65]. » Data XVI [66] Kalend. Maii, sub Adriano et Vero [67].

EPISTOLA II.

AD OMNES ECCLESIAS.

Sixtus, universalis apostolicæ (15) Ecclesiæ episcopus, omnibus episcopis in Domino, salutem

I.

De sacris vasis.

[68] Cognoscat vestra sapientia, charissimi fratres, quia in hac sancta sede apostolica a nobis et reliquis episcopis, cæterisque Domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quam a sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa,quæcunque sint,humanis usibus serviant, aut ab aliis quam a Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus, plagam [69] imponat populo suo, et hi etiam, qui non peccaverunt,mala patientur,aut pereant, quia perit justus sæpissime pro impio. Attendite, fratres, ne talia vestris in Ecclesiis permittatis deinceps fieri, ne grex pretioso Christi sanguine redemptus, in præcipitium, quod absit ! ruat.Propter quod « assumite armaturam Dei,» ut possitis resistere his qui contradicunt veritati : et « induite vos loricam justitiæ, calceati pedes in præparatione Evangelii pacis [70]. »

II.

De appellanda sede apostolica.

[71] Si quis vero vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate,licenter, hanc sanctam et apostolicam appellet sedem, et ad eam, quasi ac caput, suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.Si autem ei necesse fuerit [72] eamque appellare minime ausus fuerit, et vocatus tamen ab hac sancta sede fuerit,non renuat venire ; sed confestim,ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, et causas, pro quibus vocatus est, prudenter disponat,atque si necesse aliquid corrigere fuerit,cum his quos hic primos invenerit,corrigat. [73] Ad Ecclesiam tamen suam (16) non prius revertatur, quam litteris apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus sit, si fuerit unde, ut postquam domum reversus fuerit,cogno-

[61] Idem infra in epist. Julii papæ II, cap. 11, ad Hadr. coll. cap. 4. [62] ex *Enchiridio* Xysti philosophi desumpta sententia est 156, ex versione Ruffini qui 260 post Sixtum I papam annis vixit. [63] I Joan. II, 19. [64] Psal. CXXXIX, 4. [65] Jer. VI, 16. [66] XVII, [67] falsa consulatus nota. [68] *De consecr.* dist 1 : *In sancta apostolica.*Idem infra in decret. Stephani I, cujus initium est : *Quanquam sperem.* [69] *plagas.* [70] Ephes. VI, 11, 14, 15. — In Luc. additur : *Item Sixtus in secunda epistola.* [71] 2, q. 6 : *Si quis vestrum.* [72] *ei evenerit.* Luc. : *ei venire atque appellare minime fuerit.* [73] 8, q. 5 : *Quilibet fratrum.*

(15) *Universalis apostolicæ.* In hujus epistolæ titulo Sixtus pontifex, non, ut quidam novatores nostri temporis notarunt. fastu superbiæ,aut titulo inconvenienter usurpato se universalis Ecclesiæ episcopum nominat,sed jure ac titulo successoribus Petri, propter legem et institutionem Christi, justissime debito. Cui enim universi gregis Christiani pastoralis cura demandata est,Joann.cap.XXI, non iniique titulum sibi de jure divino convenientem usurpat.Quid ? quod Tertulliano libro *De pudicitia* capite primo attestante,Victor (*a*) papa se pontificem maximum et episcopum episcoporum nominet ? « Audio,inquit Tertullianus, etiam edictum propositum,et quidem peremptorium : pontifex, scilicet maximus, et episcopus episcoporum dicit : Ego et mœchis et fornicationis delicta,» etc. Quæ verba sive Tertulliani, sive, quod probabilius est, edicti sint, universæ Ecclesiæ regimen ac titulum Romano pontifici soli convenire evidenter convincunt. Ut reliquis Christianæ religionis episcopis, qui omnes æque summi sacerdotes atque pontifices dicebantur (ut Baron. multis exemplis in notis ad Rom. martyr. die 9 Aprilis declarat), Romanus pontifex, urbis et orbis totius episcopus, Petri in officiis et privilegiis successor, discerneretur,merito, propter prærogativas apostolorum principi a Christo concessas, pontifex maximus, episcopus episcoporum appellatus est. Iis titulis non omnibus in rebus uti consueverunt, sed tum demum cum quid publice in universali Ecclesia edicendum esset, ut accidit tempore Tertulliani in promulgando decreto de recipiendis in Ecclesiam fornicariis pœnitentibus. Vide Baronium anno Christi 142, n. 4 et 216,num. 4 et seqq usque ad 12. Sev. BINI

(15) *Ad Ecclesiam tamen suam.* Vide quæ habet Bellarm. lib. I *De Rom. pont.*, cap. 24., ubi intet

(*a*) Zephyrinum potius intelligit.

scant vicini sui,qualiter hic sua aliorumque causa discussa fuerit,quatenus eam absque aliqua ambiguitate nuntiare et prædicare omnibus possit;[74] ab hac enim sancta sede, a sanctis apostolis, tueri, defendi et liberari episcopi jussi sunt,ut sicut eorum dispositione,ordinante Domino,primitus sunt constituti,sic hujus sanctæ sedis,cujus dispositioni eorum causas et judicia servaverunt, protectione, futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi. Unde culpantur hi qui aliter circa fratres egerint,quam hujus sedis rectoribus placere cognoverint.

III.

De episcopis rebus spoliatis, vel a sede pulsatis.

His taliter consideratis, atque cum reliquorum episcoporum decretis, tanquam [75] omnium curam gerentes,propter sedis propriæ apicem decernimus, ut nemo pontificum, aliquem suis rebus exspoliatum episcopum, aut a sede pulsum, excommunicare aut judicare præsumat : quia non est privilegium, quo exspoliari possit jam nudatus. Si quis autem aliter agere præsumpserit, sciat censuram hujus sedis cum omnibus membris suis sibi venturam. Et sicut egerit, ita recipiet ; si bene, bene ; si grave,grave ; si pessime,pessime : « quoniam dignus est operarius mercede sua [76]. » Nos,fratres, nullum perdere volumus, sed ipse se perdit, qui pie considerata avertit, et qui apostolorum et hujus sanctæ sedis decreta libenter violat. [77] « Sed nunc, fratres, commendamus vos omnes Domino, et verbo gratiæ ejus, qui potest perficere et dare hæreditatem vobis cum omnibus sanctis [78]. » Ipse autem Deus pacis et consolationis, « det vobis idipsum sapere in alterutrum, » ut vobis invicem succurratis, et non sitis divisi, « ut unamines, uno ore et uno corde honorificemus eum in concordia [79] » et consolatione fratrum, « qui potens est confirmare secundum Evangelium ejus, juxta revelationem mysterii [80] » æterni, temporibus scilicet perpetuis, quibus vobis munera futurorum gaudiorum largienda sunt.

Data IX Kalend. Aprilis. Adriano et Vero viris clarissimis consulibus [81].

—

Decretum Sixti ex codice 16 librorum, lib. IV, cap. 5, dubium tamen, an primi, secundi vel tertii.

De presbyteris, per quorum negligentiam sine baptismate aliquis mortuus fuerit.

Perpendant presbyteri, 'quanti discriminis sit, animas innocentum per eorum negligentiam a regno Dei excludi. Si enim gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente [82] ; quid putas, quanta ira et indignatio super illum erit, qui per suam negligentiam januam paradisi innocentibus claudit ? Et ideo presbyteri summa diligentia caveant, ne animæ, pro quibus sanguis Christi effusus est, per suam incuriam a cœlesti beatitudine separentur ; sed si, quod absit ! evenerit,gravi pœnitentiæ luctui se submittat, per cujus neglectum evenerit.

[74] Et sententialiter in dec. Sixti II, et in decr, Julii papæ. [75] Verba *Tripartitæ* IV, 15, ex Soz. III, 7. Idem habetur infra in decr. Sixti II, cujus initium : *Magno mun.*. Et in decr. Julii contra Orientales. [76] Luc. X, 7. [77] Martinus I, e syn. Lateranensi unde et finis præcedentis epistolæ. [78] Act. XX. 32. [79] Rom. XV, 5. [80] Rom. XVI, 25. [81] falsa itidem subscriptio. [82] Luc. XV, 7.

prærogativas Petri recenset, quod in formata epistola, cujus formnlam ibidem descriptam habent, post Patris, Filii et Spiritus sancti nomen apostolorum principis Petri adjungebant. Sev. Bin.

TELESPHORUS PAPA

—

NOTITIA

(Ex Libro pontificali Damasi papæ, ap. Mansi, *Concil.* I, 655. — Vid. *Patrologiæ Latinæ* t.CXXVII,col.1175.)

—

Telesphorus,natione Crœcus, ex anachoreta, sedit annos 11, menses 3, dies 21. Fuit autem temporibus Antonini et Marci martyrio coronatus. Hic constituit ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur. Hic fecit, ut in Natali Domini nostri Jesu Christi noctu missa celebraretur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missas celebrare,quia ea hora Dominus noster ascendit in crucem ; et ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc est : « Gloria in excelsis Deo. » Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros 12,diaconos 8 episcopos per diversa loca 13. Qui etiam sepultus est juxta corpns beati Petri in Vaticano Nonis Januarii. Et cessavit episcopatus dies 7.

TELESPHORI PAPÆ [83]

EPISTOLA [17]

AD OMNES UNIVERSALITER CHRISTI FIDELES

De jejunio septem hebdomadarum ante Pascha: de missarum celebratione in nocte Natalis Domini: quo tempore aliis diebus missæ celebrentur, et de episcoporum defensione.

Charissimis fratribus et dilectissimis episcopis, Telesphorus Romanæ urbis archiepiscopus, salutem in Domino.

Credimus [84] sanctam fidem vestram, in apostolorum eruditione fundatam, hanc tenere, et hanc populis universis exponere, quæ videlicet a constitutis apostolorum, eorumque successorum, nulla ratione dissentit, per quos justum est cæteros erudiri.

I.

Ut septem hebdomadas ante Pascha cleri a carne jejunent, nec admittant laicos in accusationibus suis.

Quapropter cognoscite, a nobis et a cunctis episcopis in hac sancta et apostolica sede congregatis, statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha, omnes clerici in sortem [85] Domini (18) vocati, a carne jejunent; quia sicut discreta esse debet vita clericorum a laicorum conversatione ita et in jejunio debet fieri discretio. Et sicut laici et sæculares homines nolunt eos recipere in accusationibus et infamationibus suis, ita nec clerici debent eos recipere in impulsationibus suis; quoniam in omnibus discreta debet semper esse et segregata vita et conversatio clericorum, ac sæcularium [86] laicorum. Et sicut hi amplius sunt applicati divinis cultibus, et familiares Domini dicuntur Salvatoris, ita moribus et conversatione atque sanctitate debent esse distincti. [87] Has ergo septem hebdomadas omnes clerici a carne et deliciis jejunent, et hymnis et vigiliis atque orationibus Domino inhærere die noctuque studeant.

II.

De celebratione missarum, et hymno angelico recitando.

[88] Nocte vero sancta Nativitatis Domini (19) Solvatoris, missas celebrent (20), et hymnum angeli-

[83] ms. Irenæi lib. III, c. 3, *Telesiphorus*. Harduinus, qui e sæpe citato cod. colleg. Paris. soc, Jesu decerpsit sequentes varias lectiones. [84] Ipsissima verba epistolæ Dam. *ad ep. Illyrici* ex versione Epiphanii *Schol. Trip.* v, 25, vide Theodoreti et Sozomeni historias. Distinct. 4: *Statuimus ut septem.* Et in *Decr.* Iv., lib. II. [85] ms. *in sorte.* [86] ms. *ac sæcularia.* [87] Distinct. 4: *Statuimus ut septem.* Et in *Decr.* Iv., lib. II. [88] *De consecr.* dist. 1: *Nocte sancta.*

(17) Νοθεῖας suspecta

(18) *Ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini.* Quod supra diximus, quadragesimale jejunium, Clementi, Ignatio et Dionysio tempore et ætate prioribus cognitum, non a Telesphoro, sed potius ab apostolis institutum esse, a Telesphoro autem non nisi scripto decreto firmatum a clericis per septem integras hebdomadas observari exactum esse, hinc aperte constat. Non enim ait *statuimus*, ut male Gratianus dist. 4 allegat, sed *quapropter cognoscite*, etc Sev. Bin.

(19) *Nocte vero sancta Nativitatis Domini.* Cum in sacrificio missæ offeratur Christus, qui est candor lucis æternæ, juxta id quod de seipso dicit Joan. IX cap.: « Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est, » sitque hoc sacrificium legis gratiæ, in qua divina claritas illustrius communicatur; ordinarie ab aurora usque ad meridiem hoc sacrosanctum missæ sacrificium celebrare licet, ante auroram vero, vel post meridiem illud auspicari, omnium fere theologorum ac summistarum consensu vel ut illicitum improbatur. Ab hac lege tamen propter decretum et constitutionem Telesphori, toto terrarum orbe, nox sacratissima in qua Dominus noster Jesus Christus in hunc mundum homo natus est, singulari et mystico privilegio decorata, merito excipitur, quippe quæ propter Christi fulgorem ac claritatem, dies potiusquam nox ab Ecclesia reputata sit. Eodem privilegio noctem Christi resurgentis olim donatam fuisse, præter Walfridum Strabonem, *De officiis eccles.*, cap. 23, cap. *Solent. De consecr.* dist. 1. et cap. *Quod a patribus*, dist. 75, recte testantur. Hac enim nocte, circa vespertinum crepusculum, prophetiæ legebantur, ignis et cereus consecrabantur, cæteræque cæremoniæ solitæ fiebant; demum post medium noctis missa inchoabatur. Nunc autem illa consuetudo cessat, cum jam Sabbato sancto illa missa paulo ante meridiem celebretur. Quid de vespero cœnæ Dominicæ, et de nocte singularum vigiliarum olim receptum fuerit, videatur Walfridus prædicto loco, Baronius anno Christi 154, n. 2, Bellarm. lib. II *De missa*, cap. 14. Id.

(20) *Missas celebrent.* Communi ac ordinario jure nulli sacerdoti sæpius quam semel in die sacrificare licet, ut constat ex cap. *Suffic.*, *De consecrat.* dist. 1, ubi dicit Alex. papa II: « Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest. » Et infra: « Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium, una die præsumit plures facere missas, non æstimo evadere damnationem. » Ex quibus verbis posteriobibus patet Alexandrum hoc non consuluisse duntaxat, sed etiam sub pœna damnationis præcepisse. Confirmata est lex ista ecclesiastica per Innocentium III, cap. *Consuluisti*, et per Honorium III. cap. *De referente*, *De celebratione missarum.* Sicut igitur Natali Dominico ex privilegio singulari competit, quod nocte

cum in eis (21) solemniter decantent, quoniam et eadem nocte ab angelo pastoribus nuntiatus est, sicut ipsa Veritas testatur, dicens : « Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis supra gregem suum, Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et timuerunt timore magno, et dixit illis angelus : Nolite timere ; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis [89]. » [90] Reliquis enim temporibus, missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ (22), quia et eadem hora Dominus crucifixus est, et super apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur.

III.

De episcopis honorandis et non detrahendis.

[91] Ab episcopis autem idem angelicus hymnus (23) pro tempore et loco missarum solemniis celebrandus est atque solemniter recitandus. Ipsi enim qui proprio ore corpus Domini (24) conficiunt, ab omnibus sunt audiendi, obediendi, atque timendi et non

[89] Luc. II, 8-14. [90] In ms. Just. quem sequitur editio Merlini, inseruntur multa ex psalmo XXXVI et LI, quæ Crabbus et alii submoverunt. [91] *De consecr.* dist. 1 : *Nocte sanct.* Et in *Decr.* Iv. lib. II, ubi additur *Excepta nocte Nativit.* 6, quæst. 1 : *Sacerdotes qui.*

ejus dici sacratissima ante auroram missam celebrare liceat, ita etiam eidem diei singularis ista prærogativa Telesphori pontificis auctoritate concessa est quod liceat, non unam duntaxat, sed plures missas illo die offerre. Scribit enim in plurali numero, *missas celebrent*, Quare etiamsi de ternario numero sacrorum in die Natalis Domini faciendorum expresse nihil decretum esse reperiatur, ab ipso tamen auctore legem hanc conditam esse, inde non male colligitur, quod S. Gregorius in homilia *De Natali Domini* consuetudinis vel legis hujus meminerit, nullusque alius auctor hactenus nominari potuerit Qui ergo eodem die Natalis Domini sacrificii iterationem hac epistola expresse non sine causa mystica præcepit, ad certum mysterium certo numero repræsentandum, ternarium definivisse, non possum non sentire ac credere. Mysticas causas trium sacrificiorum hoc die offerendorum, alias S. Thomas III part., quæst. 83, art. 2 ad 2, alias Glossa in cap. *Nocte sancta, De consecrat.* distinct 1, recenset. Prima missa secundum Thomam significat æternam illam ac divinam generationem, de qua psalmo II : « Dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te, » et Joann. c. I, qua Pater suam essentiam ac naturam intelligendo producit Verbum, quod est Filius et perfectissima imago Patris. Secunda missa generationem Christi illam repræsentat, qua in utero B. Mariæ Virginis, virtute Spiritus sancti conceptus, carne humana indutus, in hunc mundum verus homo natus est ; de qua Lucas c. II, Joann. cap. I, « Verbum caro factum est, » etc. Tertia missa significat spiritualem illam generationem, qua velut Lucifer quidam in cordibus nostris oritur, de qua passim in Scriptura Glossa vero prædicto capite etiam non inconvenienter dicit, tres status hominum per tres missas repræsentari, ac significari statum naturæ ante legem, sub lege, et post legem vel sub lege gratiæ. Vide Glossam ipsam prædicto loco, Suar. t. III, disp. 80. s. 3. Sev. Bin.

(21) *Hymnum angelicum in eis.* Hymnum angelorum, qui verbis partim Luc. II, ab angelis Christo nato decantatis, partim ab Ecclesia superadditis continetur his : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis : laudamus te : benedicimus te, » etc , angeli inchoarunt, Ecclesia consummavit, totusque est plenus divinis laudibus, gratiarum actione et deprecatione. Angelica sunt : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis ; » reliqua quæ sequuntur a quo superaddita sunt, non satis liquide constat. Ex iis quæ lib. VII *Constit.* c. 57 et 58. Clemens Romanus scribit, si illis debita fides adhibeatur, ab apostolis fere totum compositum esse colligitur, totus enim fere hymnus ibidem a Clemente recitatur, A Telesphoro autem totum hymnum fuisse completum una cum pontificali auctore in Vita Telesphori, ejusque epistola decretali, asserit etiam Innocentius III, lib. II *De missæ sacrif.*, c. 20. A. Symmacho papa compositum esse sentit Berno, *De officio missæ* c. 25. Ab Hilario autem Pictaviensi hæc verba angelicis verbis superadditaesse asserunt Alcuinus lib. *De divinis officiis*, c. *De celebratione missæ* ; Hugo Victorinus, lib. II *De sacramentis.* Utcunque vero sit, constat eum morem et antiquissimum et sanctissimum esse. Dissidium auctorum sic conciliari posse existimo, ut hymnum angelicum apostoli ad gloriam totius S. Trinitatis prædicandam augere cœperint quidem, Telesphorus autem eum sicut nunc exstat compleverit, et demum Symmachus papa, ut is in die Dominico et Natalitiis martyrum decantaretur, præceperit. Ita fere Innocentius prædicto loco hanc auctorum discrepantiam conciliat. Vide Suarez tom. III, *De sacrament.*, disp. 83, sect. 1. Cur hymnus angelicus nunquam in missis defunctorum, in diebus luctus, jejuniorum, ac ferialium ordinarie decantetur, D. Thom. 4 sentent., dist 23, hanc rationem reddit : quod cum in hymno hoc commemoretur cœlestis gloria, in solemnioribus non communibus feriis, ad ostendendam differentiam cultus divini, cantetur, et dum propriam amicorum miseriam lugemus, merito intermittatur. Id.

(22) *Reliquis enim temporibus, missarum celebrationes ante horam dici tertiam minime sunt celebrandæ.* Totum hoc decretum exstat c. *Nocte sancta, De consecrat.* dist. 1. Hæc autem verba decreti vel exponenda sunt sic, ut de missis diei solemnibus, sive conventualibus tantum intelligantur : vel, si generatim intelligi velis, dicendum, est, hoc decretum nunc, ut ex iis quæ supra hac epistola ad verbum, *Nocte*, adnotavimus, aperte constat, per contrariam consuetudinem revocatum esse. Olim fortasse missæ tardius inchoabantur, quia minor erat sacerdotum numerus, major fidelium devotio, ut, etiamsi tardius inchoarentur, ipsi tamen postpositis privatis laboribus ad missam audiendam convenirent. Nunc autem et sacerdotum numerus major est, et aliæ circumstantiæ magna ex parte sunt immutatæ, ideoque mirum non sit, tempus dicendi missam anticipatum fuisse. Vide Suarez tom. III, disp. 80, sect 4. Id.

(23) *Ab episcopis autem idem angelicus hymnus.* Hoc loco non tantum episcopis, sed etiam sacerdotibus præcipitur ut solemne sacrum celebraturi, etiam extra diem Natalis Dominici hymnum angelicum in sacrificio recitent Solus autem episcopus hic nominatur, quia ad illum maxime spectat missas celebrare. Vide Suarez tom. III, disp. 83, sect. 1, Id.

(24) *Ipsi enim qui proprio ore corpus Domini.*

dilacerandi aut detrahendi : quia quibus se Domini populus benedici, salvari et instrui cupit, nullatenus debet eos arguere, nec vulgus in eorum accusatione suscipi. Populus enim ab eis docendus est, et corripiendus, non ipsi ab eo, quia « non est discipulus super magistrum [92]. » Nullo modo igitur Domini pontifices et reliqui sacerdotes, quibus Domini commissa est plebs, rite populum possunt corrigere, si deceptionis se cognoverint laqueo infestari. Unde justum est omnes in universo [93] orbe doctores legis, ea quæ legis sunt sapere, et non sacerdotes Domini labiis suis aut quibuslibet machinationibus maculare. Dum enim ipsos disponunt aut cupiunt maculare, potius seipsos maculunt et vulnerant. Dei ergo accusat ordinationem, qui eos, qui ab eo constituuntur, sacerdotes accusat, vel damnari [94] cupit. A quibus se omnes fideles cavere debent, quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, rei sunt. Christus enim Dei Filius, Dominus noster [95], humano generi salutem condonans plenam, de nobis ait : « Qui vos recipit me recipit ; et qui vos spernit, me spernit [96]. » Si ergo Dominus in eis recipitur et rejicitur, procul dubio ipsius sunt, qui in eis rejicitur vel suscipitur. « Et tu quis es, qui judicas servum alienum [97] ? » Procul dubio transgressor es legis Dei et apostolorum atque prophetarum : et non solum harum, sed etiam legum humanarum. Omnes enim leges tam divinæ quam et humanæ, alienum servum judicare prohibent. Quid putas erit de te, cum transgressores et conculcatores legis Dei damnabuntur ? Profecto et tu damnaberis, quia postposuisti mandatum Dei, et tuam adimplesti voluntatem. Quoniam sicut digni sunt vita, qui mandatum Dei adimplent atque custodiunt, ita rei et perdigni sunt morte, qui ea postponunt, et in vanum ducunt. Est enim in apostolicis scriptum institutis : [98] « Alterius vitam nemo laceret, et de malo alieno os suum non coinquinet. » Accusatores vero et accusationes, quas leges sæculi non admittunt, et nos submovemus.

IV.

De accusatoribus non recipiendis.

[99] Et accusatori omnino non credi decernimus, qui, absente adversario, causam suggerit ante utriusque partis justam discussionem. Nec hi, qui non sunt idonei, suscipiantur ad accusationem, et omnes qui adversus patres armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi aut [1] insidiandi [2]. [3] Hi vero qui cum inimicis morantur, aut qui suspecti habentur, minime recipientur ; quia eorum æmulatio lacerat etiam innocentes. Hunc murum firmissimum [4] statuerunt patres nostri, et nos cum eis, contra persecutores nostros [5], ut hoc remedio eorum pellantur machinamenta, et vos securiores et sanctiores famulari mereamini vestro Salvatori. Cæterum, « considerat impius justum, et quærit ut occidat eum. Dominus non derelinquet eum in manus ejus, et non condemnabit eum, cum judicabitur illi. Exspecta Dominum et custodi viam ejus : et exaltabit te ut possideas terram : cum interibunt impii, videbis. Vidi impium robustum et fortissimum, sicut indigenam virentem. Et transivi, et ecce non erat ; et quæsivi eum, et non est inventus. Custodi simplicitatem et vide rectum, quia erit in extremum viro pax. Prævaricatores autem interibunt pariter, et [6] novissimum impiorum peribit. Salus autem justorum a Domino, fortitudo eorum tempore tribulationis. Et auxiliabitur eis Dominus et liberabit eos ab impiis, et eripiet eos ab impiis, et salvabit eos, quia speraverunt in eo [7]. » Et alibi : « Quid gloriaris in malitia potens ? Misericordia Dei tota est die. Insidias cogitavit lingua tua, quasi novacula tua acuta faciens dolum. Dilexisti malitiam magis quam bonum, mendacium magis quam loqui justitiam. Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa. Sed Deus destruet te in sempiternum, terrebit te, et evellet te de tabernaculo tuo, et eradicabit te de terra viventium. Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt. Ecce vir qui non posuit fortitudinem suam in Deum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, confortatus est in insidiis suis. Ego autem sicut oliva virens in domo Dei, speravi in misericordia Dei in sæculum et in æternum [8]. Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum [9] tuorum [10]. De talibus enim insidiatoribus et accusatoribus servorum suorum loquitur Dominus per Prophetam dicens : « Os tuum dimisisti ad malitiam, et lingua tua concinnavit dolum. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et in filium matris tuæ fabricabaris opprobrium. Hæc fecisti, et tacui. Existimasti similem tui me futurum ? arguam te, et proponam te ante oculos tuos. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne forte rapiat, et non sit qui liberet [11]. » Languentes autem in isto conamine notandi sunt, et a talibus repellendi. Tales enim membra sunt diaboli, qui [12] sursum atque deorsum pervolans, quærit quos possit occidere, quos possit separare, quos possit devorare. Propter quam rem

[92] Luc. VI, 40. [93] Damasus citata ep. *Illyricos* inscrit verb. Romanorum, 6, quæst. 1 : *Sacerdotes qui.* [94] Isid. III, 39, et ex eo Hadr. coll. c. 1. [95] Rom. I, 3. [96] Matth. X, 9 ; Luc. X, 16. [97] Rom. XIV, 4. [98] Isid. *Synonymorum* II, 9. [99] 3 q. 8 : *Accusatores*, etc. Et in decr. Stephani papæ ac Julii, 3, q. 9 : *Accusatori omnino.* [1] Anianus const. 9, tit. 39, lib. XI, cod. Theod. [2] *incusandi.* [3] ita in ms. Just. et in edit. Merlini ; primus Crabbus alteram lectionem aut correctionem substituit. [4] *fortissimum* [5] *vestros.* [6] *Iniqui autem delebuntur pariter, et.* [7] Psal. XXXVI, 32. 49, ex vers. Hier. [8] *sempiternum* [9] ms. *misericordiam tuorum.* [10] Psal LI, per totum ex. vers. Hier. [11] Psal. XLIX, 19-22, ex vers. Hier. [12] Flavianus, *Epist. ad S. Leonem.*

Nihil hic concludit ut calumniantur Magdeburgenses, sed rationem reddit cur sacerdotes episcopi non sint temere a laicis accusandi ; scilicet, quia tantæ dignitatis sint, ut corpus Domini proprio ore consecrent et confirment. Sev. Bin.

vigilandum est, et armis cœlestibus sumus muniendi, ne in ejus compedes incidamus, aut ejus foveis illaqueemur [13]. Decet enim in talibus causis hoc maxime provideri, ut sine strepitu concertationum, et charitas custodiatur, et veritas defendatur, atque innocentes, et Domini ministri illæsi liberentur. De bonis ergo et legem Domini custodientibus, fratribusque [14] adjuvantibus, et non nocentibus, sed supportantibus, ait per Prophetam Dominus [15]: « Non sedi cum viris vanitatis, cum superbis non ingrediar. Odivi ecclesiam pessimorum, et cum impiis non sedebo. Lavabo in innocentia manus meas, et circuibo altare tuum. Domine, ut clara voce prædicem laudem, et narrem omnia mirabilia tua. Domine, dilexi habitaculum domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ. Ne auferas cum peccatoribus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus scelus est, et dextra eorum repleta est muneribus. Ego autem in simplicitate mea gradiar, redime me et miserere mei. Pes meus stetit in recto, in ecclesiis benedicam Dominum [16]. » Concordent igitur cum omnibus Dei sacerdotibus hæ charitatis sententiæ, in quibus vos fixos et firmos exsistere judicamus. Deus vos incolumes custodiat, filii charissimi.

Data decimoquinto Kalendas Martii, Antonino et Marco [17] viris clarissimis consulibus [18].

[13] S. Leo ep. 8. [14] Ita ms. pro *fratresque* [15] Psal. xxv, 4, usque ad finem, Hier. interpret. [16] Idem Damasus supra citatus, quibusdam identidem mutatis. [17] in ms. *Antonio et Martio;* sed absunt a fastis hi consules. [18] Falsa subscriptio.

HYGINIUS PAPA

NOTITIA

Ex Libri pontificali Damasi papæ, ap. MANSI, *Concil.*, I, 663.— Varias lectiones et notas ad hunc locum Libri pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1185.)

Hyginius natione Græcus, ex philosopho, de Athenis, cujus genealogiam non inveni, sedit annos quatuor, menses tres, dies quatuor. Fuit autem temporibus Veri et Marci, a consulatu Magni et Camerini, usque ad Orphitum et Priscum. Hic clerum composuit et distribuit gradus. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros quindecim, diaconos quinque, episcopos per diversa loca sex. Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano, tertio Idus Januarii. Et cessavit episcopatus dies tres.

HYGINII PAPÆ

EPISTOLÆ

(MANSI, *Concil. collect.*, t. I, col. 663.)

EPISTOLA PRIMA (25).

AD OMNES CHRISTI FIDELES.

De fide [19], et ut metropolitanus absque cæterorum episcoporum instantia non audiat causas.

Hyginius [20] in Christi nomine almæ urbis Romæ episcopus, cunctis in apostolica fide et doctrina degentibus, salutem.

I.

De missione Filii a Patre.

Charissimi, « Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia legis impleretur [21]. » [22] Filius non secundum deitatem solam a Patre missus est, sed secundum carnem, quam clementer et pie pro nobis assumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum, exinanita majestatis suæ potentia, idem se Filius miserit, Apostolus contestatur, et dicit: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis [23]. » Et Isaias: « Non legatus, neque angelus, sed Deus ipse veniet, et salvabit nos [24]. » Item alibi: « Pa-

[19] in ms. *De fide et religionis causis*. Hard. [20] in ms. *Viginus*; et apud Gratianum *Iginus;* alibi: *Higinius:* ubique recte. HARDUINUS. [21] Rom. VIII, 3, 4 [22] Ithacius *contra Warimadum* cap. 3. unde fraus patefit Mercatoris. [23] Philipp. II, 7, 8. [24] Isa. XXXIII, 22 et XXXV, 4.

(25) Suspecta cum sequenti dicitur VV, eruditis.

lam apparui non quærentibus me [25]. » Et Jeremias: « Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Veni, et factus sum illis in opprobrium [26]. » Et in Michæa : « Ecce Dominus veniet, et commovebuntur sub eo montes [27]. » Et in Zacharia : « Gaude et exsulta, filia Sion, quia ecce ego venio, et commorabor in medio tui, dicit Dominus [28]. » Et Apostolus ad Timotheum : « Humanus sermo, et omni acceptione dignus, quoniam Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere [29]. » Et Malachias : « Ecce subito veniet in templo suo Dominus, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis [30]. » In Evangelio : « Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam [31]. » Item alibi : « Quid nobis et quid tibi, Jesu Fili Dei? Venisti ante tempus perdere nos [32]? Venit Filius hominis salvare et quærere quod perierat [33]. » Item alibi : « Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant [34]. » Item alibi : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo [35]. » Nunquid in his tantis ac talibus testimoniis, quibus se Filius Dei a semetipso venisse testatus est, poterit quis dicere, ab alio, et non a semetipso, venisse? dum manifestum est, quod qui carnem nostram dignanter assumpsit, voluntarie, et non ab alio missus, venerit. Nam qui in Patre manens, ubique potentia sua consistit, ubi quo a Patre mitteretur, omnimodo non habuit, quoniam nulla pars cœlorum ac terræ a conspectu Patris excipitur, ubi secundum vos a Patre Filius mitteretur? Et Paulus : « Renovamini, inquit, spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis [36]. » Et ad Hebræos : « In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus est, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari [37]. » Unde, fratres sancti, vocationis semper cœlestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ, Jesum, fidelem exsistentem ei qui vocavit eum. Et ad Colossenses : « Nunc autem deponite et vos universa, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpiaque verba ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum [38]. » Nunquid is qui universam creaturam, visibilia et invisibilia propriæ potestatis virtute procreavit ac fecit, seipsum antea aut postmodum, quod dicere nefas est, creavit, vel facere potuit? Et Dominus in Evangelio ait : « Ego et Pater unum sumus [39]. » Et iterum : « Qui me videt, videt et Patrem [40]. » Et iterum : « Qui odit me, et Patrem meum odit [41]. » Et iterum : « Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem [42]. » Et iterum : « Ut sint in nobis unum, sicut et nos unum sumus ; tu in me, et ego in eis [43]. » Et iterum : « Omnia mea tua sunt [44]. » Et iterum : « Ego in Patre, et Pater in me [45]. » Et iterum : « Pater in me manens, facit opera hæc [46]. » Et Joannes evangelista ait : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum [47]. » Et iterum ipse ad Parthos : [48] « Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra : aqua, sanguis et caro : et tres in nobis sunt qui [49] testimonium perhibent in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus : et hi tres unum sunt [50]. » Nos itaque in natura divinitatis, quia unum sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec Patrem aliquo tempore credimus præcessisse, ut major sit Filio ; nec Filium postea natum esse, ut divinitate Patris minoretur.

A

B

C

D

II

De causis episcoporum.

[51] Cæterum, fratres, salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irritæ erunt, aliter actæ quam in conspectu eorum omnium ventilatæ ; et ipse, si fecerit, coerceatur a fratribus.

III.

De criminationibus majorum.

[52] Criminationes majorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, [53] si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis publicis docuerint omni se suspicione carere et inimicitia, atque irreprehensibilem fidem habere, ac conversationem ducere.

IV.

De peregrinis judiciis.

[54] Nec non et peregrina negotia et judicia prohibemus, quia indignum est, ut ab externis judicentur, qui provinciales [55] et a se electos debent habere judices. [56] Nos quidem, ex omni parte carpendo, occasiones abscindimus. Nos, supernæ memores disciplinæ, quibuscunque cadentibus dexteram porrigimus, et a ruinæ præcipitio, quos possumus, relevamus, et defensionis adminiculum totis viribus præbere cupimus. [57] Certe si vel mens sit recti con-

[25] Isa. LXV, 1. [26] Jer. XII, 7. [27] Mich. I, 3, 4. [28] Zach. II, 10. [29] I Tim. I, 15. [30] Malach. III, 1. [31] Luc. V, 32. [32] Matth. VIII, 29. [33] Luc. XIX, 10. [34] Joan. X, 10. [35] Joan. III, 13. [36] Ephes. IV, 23, 24. [37] Hebr. II, 18. [38] Coloss. III, 8-10. [39] Joan. X, 30. [40] Joan. XIV, 9. [41] Joan. XV, 23. [42] Joan. V, 23. [43] Joan. XVII, 21. [44] Ibid., 10. [45] Joan. XIV, 11. [46] Ibid., 10. [47] Joan. I, 1. [48] in ms. Just. deest Parthorum mentio et substituitur : *nec non Apostolus.* [49] ms. noster : *Et tres in nobis sunt, qui*, etc., ut habet Idacius Clarus, seu Vigilius Tapsensis lib. I *contra Warimadum*, seu *Marivadum* cap. 5. HARDUINUS [50] I Joan. V, 6, 7. [51] 9, quæst. 3 : *Salvo in omnibus*, Hadr. coll. 14. [52] 2, quæst. 7 : *Criminat.* Et in decret. Lucii et Julii. [53] Anianus const. 15, tit. 1, lib. IX. [54] 3, quæst. 6 : *Peregrina judicia.* Et in decr. Fel. I et Julii, et Sixti III. [55] *comprovinciales.* [56] Hadr. coll. 17. [57] Non nulla ex Ennodii præceptione de cellulariis episcoporum descripta. Vide pag. 450, edit. Sirm.

scia, vindicta dignus est, qui aliis exsistit causa periculi. Qui vero innocentem, vel fratrem quocunque ingenio persequitur, ipse in se jugulum mortis impingit, ut ait divinus et beatus præco : « Noli detrahere, ne eradiceris ; noli accusare, ne accuseris ; noli judicare, ne judiceris : quia in quo judicio judicaveris, judicabitur de te [59]. » Nemo [60] creditur nos odisse, quorum relatione non læditur. Dicit enim Dominus : « Omne regnum in se divisum, non stabit [61] ; » omnis scientia aut regula adversum se divisa, non stabit. Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis [62] hortatus, nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus pareatis.

Data XVII Kalendas Octobris, Magno et Camerino consulibus [63]

EPISTOLA II.

AD ATHENIENSES.

Adhortatur eos ne vitam cum infidelibus ducant.

Hyginius [63] papa, Atheniensibus, salutem.

« Multa mihi fiducia est apud vos, fratres, et multa gloriatio pro vobis. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra [64]. » Tribulor enim quando de vobis audio quod non oportet ; consolor vero, quoties ea inter vos fieri cognovero, quæ bonos Christianos decet implere. « Nolite, fratres, jugum ducere cum infidelibus [65]. » Unde Doctor gentium loquitur, dicens : « Quæ participatio justitiæ cum iniquitate ? Quis autem consensus templo Dei cum idolis ? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus [66]. » [67] Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit, in judicium cruciandos reservari, et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens, et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens ; quid, putatis, iniquis et impiis perseverantibus in nequitia eorum erit ? Justum vero Lot oppressum, a nefandorum injuria et conversatione [68] eruit : aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii cruciandos reservare ; magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes sectas non metuunt facere, blasphemantes. Unde alienis erroris socium [69] a sui [70] propositi tramite recendentem, aut apostolicæ sedis jussionibus inobedientem, suscipere non possumus ; nec impetero [71] recte credentes, vel sanctorum Patrum jussionibus obtemperantes permittimur, quia inter fideles et infideles magna debet esse discretio. Si Deus, fratres, justis [72] non pepercit, quid de nobis peccatoribus fieri putatis ? « Custodite vos ab omni inquinamento carnis et corporis, ut salvi sitis in die adventus Domini [73]. Unum autem hoc non lateat vos, » ut ait Apostolus, « charissimi, quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni, sicut unus dies. Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter exspectat propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti [74]. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient ; elementa vero calore solventur [75]. Cum hæc ergo omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Dei, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis calore tabescent ? Nos vero cœlos novos, et terram novam, et promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia inhabitat [76]. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit vos in æternam suam gloriam, in Christo Jesu modicum passos, ipse perficiet, confirmabit et solidabit. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen [77]. »

Data X Kalendas Martii, Magno et Camerino consulibus [78].

EX DECRETIS HYGINII PAPÆ SECUNDUM GRATIANUM.

Soboles ex secundi nuptiis genita, consanguineis prioris viri copulari non debet.

[79] Si qua mulier transierit da secundas nuptias, et ex eis prolem habuerit, ipsa proles non potest se copulare cognationi prioris viri usque ad quartam generationem.

EX EISDEM DECRETIS.

Ecclesiarum consecratio absque missa fieri non debet.

[80] Omnes basilicæ cum missa debent semper consecrari, et ecclesiæ destructæ. Ubi autem plures sunt,

[58] Luc. VI, 57 ; Matth. VII, 1 ; Rom. II. [59] Idem Ennodius *Apol. pro Symmacho* extremis verbis, p. 355, ubi *non*, legitur. [60] Matth. XII, 25 ; Marc. III, 24 ; Luc. XI, 17. [61] S. Leo ep. 87. [62] falsa consulum nota ms. *Higinus*. HARD. [64] I Cor. VII, 4. [65] II Cor. VI, 14. [66] Ibid., 16. [67] II Petr. II, quibusdam interpolatis. [68] *luxuriosa conversatione*. [69] 3, quæst. 4 : *Alieni err.* Et in decr. Dionysii papæ, et in decr. Julii. [70] ms. *societatem, vel a sui*. HARD. [71] *impedire*, ita et ms. [72] *eos utique pro levibus culpis puniens*. [73] II Cor. VII, 1. [74] II Petr. III, 8, 9. [75] I Thess. V, 2. [76] II Petr. III, 11. [77] I Petr. V, 10, 11. [78] falsa itidem temporis adnotatio. [79] 35, q. 10 : *Si qua mulier*. [80] *De consecr.* distinct. 1 : *Omnes basilicæ*. Et in *Decr.* Ivon. lib. II.

quam necesse sit,aut majoris magnitudinis quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi providentia modus inveniatur, qualiter consistere possint aut restaurari.

EX EISDEM DECRETIS.

Quæ ecclesia est iterum consecranda, et salibus tantum exorcizanda.

[81] Si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia. Si tantum parietes mutantur, et non altare, salibus tantum exorcizetur. Si homicidio vel adulterio ecclesia violata fuerit,diligentissime expurgetur, et denuo consecretur.

EX EISDEM.

In usus laicorum non licet converti ligna ecclesiæ dedicata.

[82] Ligna ecclesiæ dedicata, non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus. In laicorum vero usum non debent admitti.

EX EISDEM.

Necessitate cogente, in catechismo et confirmatione idem compater esse potest.

[83] In cathechismo et in baptismo et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt·

[81] *De consecr.* distinct 1 : *Si motum.* Et in *Decr.* Iv. lib. II. [82] *De consecr.* dist. 1 : *Ligna Ecclesiæ.* [83] *De consecr.* distinct. 4 : *In catechismo.* Et in *Decr.* Iv. lib. I.

PIUS I PAPA

NOTITIA

(Ex libro pontificali Damasi papæ,ap. MANSI, *Concil.*, I, 669. —Varias lectiones et notas in hunc locum Libri pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1213).

Pius natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia, sedit annos novemdecim. menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Antonini Pii. a consulatu Clari et Severi. Sub hujus episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit (26), in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu pastoris,ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur. Hic constituit,hæreticum venientem ex Judæorum hæresi, suscipi et baptizari. Et constitutum de Ecclesia fecit Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem presbyteros octodecim,diaconos viginti unum, episcopos per diversa loca duodecim. Qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano. quinto Idus Julii. Et cessavit episcopatus dies 14.

DISSERTATIO

DE VITA ET SCRIPTIS S. PII I PAPÆ

(GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, t. I, Venet., 1765, in-fol., ex Fontanini *Hist. Aquil.*)

SYNOPSIS

SECTIO I.

I. *Sanctus Pius I in Cathedra Romana sedit statim ab Hygino, ante et non post Anicetum.*
II. *Quandiu in pontificatu vixerit.*

SECTIO II.

III. *De duobus S. Pii epistolis ad Justum Viennensem episcopum. Variæ illarum editiones. Prior eidem pontifici vindicatur.*

(26) Vide Prolegomena ad Hermæ *Pastorem*, *Patrologiæ Græcæ* t. II. EDIT.

SECTIO III

IV. *Posterior quoque ipsi asseritur.*
V. *Primi Viennenses episcopi contra Tillemontium suæ sedi redduntur.*
VI *Colobium fuit tunica, solis episcopis propria.*
VIII. *Epittolæ sanctii Pii, a Blondello, Dallæo et Salmasio in suas sententias inique detortæ.*
VIII. *Permultis viris doctis probatæ.*

SECTIO I.

Quando et quandiu sederit S. Pius I.

I. De duabus S. Pii I Epistolis Justo Viennensi episcopo inscriptis, triplex circumfertur virorum eruditorum sententia. Eas enim alii sinceras, alii vero dubias, plerique supposititias agnoscunt. Iis postremis haud ita pridem accessit doctissimus *Epistolarum Romanorum Pontificum* editor, qui propterea easdem Pii Epistolas in appendicem rejecit (1); ubi monitum præmittens, potiores suppositionis causas, ut ipse quidem putat, ex Tillemontio in primis petitas (2) diligenter exponit. Novissimus omnium Justus Fontaninus, vir doctrina et eruditione præstans, Epistolas de quibus agimus, germanas esse atque integras luculentissime ostendit (2): cujus proinde argumenta in medium proferre operæ pretium duximus. Sed prius, quando et quandiu sederit sanctus pontifex, ex eodem V. C. inquirendum. Sic igitur ille (4):

« Sanctum Pium, quicunque summorum pontificum res gestas, patria illorum expressa, litteris consignarunt, *Aquileiensem* et *Rufini* filium uno ore dixerunt. *Pius natione Italus ex patre Rufino de civitate Aquileia*, inquit vulgatus Anastasius, cæterique pontificales nomenclatores. Utrum in Petri cathedra Anicetum vel Hyginum exceperit, non omnino inter se conveniunt auctores: quandoquidem apud Optatum summos pontifices enumerantem (5), *Hygino Aniceius, Aniceto Pius, Pio Soter* succedit. Hanc tamen Optati seriem vitio laborare dudum viderunt præstantes viri, Franciscus Balduinus et Gabriel Albaspinæus; propterea quod hæc verba, *Damasio Siricius* HODIE, scribere non potuerit Optatus, qui opus suum circa A. D. 370 perfecit: at Siricius non fuit pontifex ante A. D. 383. Quare *Siricii* nomen a librario qui ejus tempore Optatum exscripsit, irrepsisse notavit Baronius (6). Vulgatam Optati lectionem secutus videtur sanctus Augustinus (7); eamque Baronius fulciri putavit (28 a sancto Hieronymo in Catalogo cap. 21, ubi DECIMUS *post Petrum episcopus Anicetus* vocatur; qui numerus a Petro ductus, Pium Aniceti non decessorem, sed successorem facit.

« Verum nihil vetat, quin Anicetus et *decimus* post Petrum, et etiam Pii *successor*, non *decessor* exstiterit: nam Hieronymus non solum in Catalogo, sed etiam in Chronico Eusebiano, a se Latine expresso et aucto, Olympiade CCXXX *decimum* post Petrum episcopum Anicetum constituit; ubi ei Pium præponit, quem *Comæ* NONUM *episcopum* vocat, excluso nempe Anacleto vel cum Cleto confuso: non enim Hieronymum numerum init a Petro, sed ab ejus successore Lino, de quo ait in Chronico: *Post Petrum* PRIMUS *Romanam Ecclesiam tenuit Linus*: unde Soter Aniceti successor ab eodem Hieronymo pontifex *undecimus* appellatur. In Catalogo tamen cap. 15, Clemens qui post Linum Petri successorem, Cleto vel Anacleto succedit, vocatur *quartus post Petrum Romæ episcopus;* quod perinde est. Quare labitur Papebrochius (9), ratus Hieronymum circa Pii successionem in Optati et Augustini sententiam ivisse. Ut clarius res pateat, pontificum ordinem Hieronymianum, et vulgatum hic lectorum oculis subjiciam.

I. Pontificum series ex Hieronymo.	II. Pontificum series vulgata.
Petrus.	*Petrus.*
1. Linus.	2. Linus.
2. Cletus, *alius* Anacletus.	3. Cletus.
	4. Clemens.
3. Clemens.	5. *Anacletus.*
4. Evaristus.	6. Evaristus.
5. Alexander.	7. Alexander.
6. Sixtus.	8. Sixtus.
7. Telesphorus.	9. Telesphorus.
8. Hyginus.	10. Hyginus.
9. Pius.	11. Pius.
10. Anicetus.	12. Anicetus.
11. Soter.	13. Soter.

« Irenæus pontifices Romanos recensens (10), Hieronymianum ordinem tanto ante his verbis expresserat: *Valentinus venit Romam sub Hygino, increvit vero sub* Pio, *et prorogavit tempus usque ad Anicetum, Cerdon autem qui ante Marcionem, et hic sub Hygino qui fuit* OCTAVUS *episcopus.* Et paulo post: *Marcion autem illi succedens, invaluit sub Aniceto,* DECIMUM *locum episcopatus continente.* Ergo *nono* loco fuit Pius, et *decimo* Anicetus, secundum Irenæum et Hieronymum. Eadem ex Irenæo habet Eusebius (11); ubi tamen Hyginum *nonum* episcopum, non *octavum*, appellat. Ita pariter Cyprianus (12): quia uterque non a *Lino*, ut Hieronymus, sed a *Petro* numerum iniit. Hunc posteriorem ordinem alibi secutus videtur Irenæus (13). Sed Renatus Massuetus qui nuper Irenæum ab se egregie illustratum vulgavit, Hyginum semper *octavum*, Pium vero *nonum* ab apostolico Patre dictos contendit. Sane in duplici Indiculo Mabilloniano (14), utroque antiquissimo, si numerus ducatur a Lino qui in altero *primus* occurrit, Anicetus *decimus* erit Pioque successor. Astipulatur alius Indiculus (15), et hic vetustissimus, utpote ad sanctum Silvestrum usque perductus. His non animadversis, Emmanuel Schelstratius (16) Eusebium tanquam sibi non constantem arguit, quasi in Historia (17) Pio Anicetum, quem *decimum* pontificem vocat; deinde Aniceto Pium præposuisset in Chronico. Nimirum Schelstratius Eusebium legens, ulterius procedere ne-

(1) *Coutant.* Epist. Rom. Pont. Append. pag. 18, seq.
(2) *Tillem.* Mém. eccl. tom. II, pag. 614, not. 4.
(3) *Fontan.* Hist. Litter. Aquil. lib. II, cap. 4, pag. 82 seqq.
(4) Id. ibid. cap. 3, § 1, pag. 70, seqq.
(5) *Optat.* De schism. Donat. lib. II, cap. 3, pag. 37, edit. Paris., 1669.
(6) *Baron.* ad ann. 368, § 17.
(7) *Aug.* Epist. 53, al. 165, § 2, Opp. tom. II, pag. 120.
(8) *Baron.* ad ann. 158, § 3.
(9) *Papebr.* Propyl. part. I, pag. 22. ad Acta SS. Maii, tom. IV.
(10) *Iren.* adv. Hær. lib. III, cap. 4.
(11) *Euseb.* Hist. eccles., lib. IV, cap. 11.
(12) *Cypr.* Epist. 74.
(13) *Iren.* lib. I, cap. 27, al. 28.
(14) *Mabill.* Analect. tom. III. pag. 426.
(15) Inter Opp. *S. Athanas.* nov. edit. tom. I, pag. 90.
(16) *Schelstr.* Antiq. illustr., tom I, pag. 417.
(17) *Euseb.* Hist. eccl., lib. IV, cap. 11.

glexit; alias Pii defuncti *decimus* Pontifex successor, non decessor, Anicetus statim illi occurrisset.

« Hunc eumdem quem digessimus ordinem, testes æquales undequaque confirmant. Nam Hegesippus temporibus apostolicis proximus, de se ita loquitur (1) : Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος· καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτήρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος. Hunc locum sic vertit Joannes Pearsonius (2) : *Romæ vero cum essem, successionem composui usque ad Anicetum, cujus diaconus erat Eleutherus : et Aniceto successit Soter, post quem Eleutherus.* Pius ergo *præcessit*, non *successit* Aniceto. Eusebius ex Irenæo hæc de Valentino hæretico protulerat (3), secundum interpretationem Rufini quæ hic præ aliis arridet : *Valentinus venit Romam sub Hygino. Invaluit autem temporibus* Pii, *et ad Anicetum usque duravit*, Et post alia : Pius *vero in urbe Roma quindecim annis in sacerdotio expletis, Aniceto post tradidit sedem. Cujus* (Pii) *temporibus Hegesippus refert semetipsum Romam venisse, et permansisse inibi usque ad Eleutherum.* Rursus infra (4) : *Tum Hyginus deinde* Pius, *post Anicetus illo munere potiebatur.* Ex his Hyginum inter et Anicetum in cathedra pontificali sedisse Pium conspicimus : eamdemque seriem apud omnes Græcos haberi fatetur etiam Pearsonius (5). Idem constat ex subsequentibus verbis Irenæi (6) : *deinceps Hyginus, post* Pius, *post quem Anicetus.* Idem etiam ex fine libri III poematis in Marcionem ; quod viri docti jam memorati, quin sit Tertulliani, non ambigunt. Hanc eamdem sententiam fulcit auctoritas Epiphanii (7), Prosperi in Chronico apud Labbeum (8), et utriusque Nicephori, Cailisti (9) et Constantinopolitani (10). Nec certe dissentit Catalogus Bucherianus (11) : in quo tamen post Pium, vitio codicis abest Anicetus, Soterem inter et Pium, loco vacuo relicto Denique concinit duplex Indiculus Mabillonianus : *ut jam plane*, inquit nobiscum Baronius (12), *stultitia habeatur iis non acquiescere, qui eodem tempore quo iidem pontifices, in Ecclesia claruere, ut Hegesippus et Irenæus :* quorum alter *omnium doctrinarum curiosissimus explorator* dicitur a Tertulliano (13) ; ille vero a Hieronymo (14) *omnes a passione Domini ad suam ætatem ecclesiasticorum actuum historias texuisse.* Quare Pii et Aniceti successio, hujusmodi testium auctoritate firmata, qui Pii, Aniceti et Soteris æquales sub Eleuthero scripserunt, certissima haberi debet. »

II. His ita enarratis, aliisque in eamdem sententiam discussis, inquirit V. C. quando et quandiu sederit sanctus Pontifex (15). « Certus, inquit, annorum numerus quos Pius in pontificatu transegit ex recentium et paulo antiquiorum ecclesiasticis monumentis difficulter colligi potest. Nam Gilbertus Genebrardus (16), Baronius (17), Blondellus (18), Petavius (19) et Pagius (20), in spatio hujus pontificatus definiendo sibi non constant. Idem offenditur in vetustis Catalogis Henschenianis (21), Schelstratianis (22), Mabillonianis (23) et Pagianis (24). Anastasius etiam vel Damasus, Ado Rosweydi, Usuardus Florentinæ editionis et Martinus Polonus (25), plures aut pauciores annos Pio pontifici tribuunt. Ab his omnibus quam longissime abiit Pearsonius (26), qui unum Eutychium Alexandrinum sæculi decimi scriptorem cæteris monumentis præferens, Pium tradidit Romanam cathedram implevisse ab anno Domini 127 ad annum 142, et licet scriptores antiqui an unum omnes sub *Antonino* Pium claruisse testentur, ipse tamen ex suo illo Eutychio Pium retro ad imperium Hadriani detrusit, universa profecto antiquitate reclamante.

« Ex hoc opinionum dissidio nihil certi educi potest, cum antiqui Catalogi librariorum arbitrio aucti et immutati fuerint. Ego tamen dum Pii annos aliis augent, alii minuunt, Livianum illud recogito (27) : *Si aliquibus assentiri necesse est, media simillima veri sunt.* Quare in ea sum sententia, ut religio apud me sit recedere ab Eusebio, qui præ aliis diu noctuque versatus in tabulis ecclesiasticis, res Christianas, et singulatim Romanæ Ecclesiæ, centum et quinquaginta annos post Pium litteris consignavit, ob oculos habens certæ fidei scripta Hegesippi eidem Pio æqualis. Contra, Eutychius scriptor novus et externus, cujus Historiam Eduardus Pocockius an. D. 1658 ex Arabico ab se in Latinum sermonem translatam vulgavit Oxonii, veterum Romanorum Pontificum tempora scire non potuit ; cum etiam decessorum ejus gesta ignoraverit, quæ tamen ab Eusebio discere potuisset ; singulisque propemodum narrationibus crassos et fœdos errores chronologicos immiscuerit, ut bene annotat Pagius (28). Barbarum autem hujusmodi auctorem apud Pearsonium et Dodwellum fidem meruisse, eo magis mirari subit, quo ex ejus scriptis constat, non solum cujusque Pontificis tempora ab illo supine ignorata, sed et nomina ridicule corrupta fuisse : nam *Hyginum* vocat *Eugenium* et *Pium* mutat in *Marcum*. Itaque vero Guillelmus Cave (29) plurima apud Eutychium occurrere observat, *anilibus fabulis simillima ; quæ si non ex proprio cerebro finxerit, saltem ex futilibus Ecclesiæ suæ monumentis hausit.*

« Eusebius ergo *quindecim* annos Pio tribuit his verbis (30) : *Romæ cum Pius anno episcopatus sui* QUINTO DECIMO *vitam cum morte commutasset, Anicetus Ecclesiæ illius antistes factus est.* Eumdem numerum servat Eusebianæ historiæ interpres Rufinus, et exscriptor Joannes Zonaras (31). Item plerique omnes Eusebii codices editi et mss. melioris notæ, ut fatetur Dodwellus (32) : Chronicon etiam Eusebianum a Scaligero et Auberto Miræo vulgatum, sub Olympiade CCXXX, Nicephorus C. P. (33), Prosper (34) et Chronographus Saxo (35). Hæc produnt, Hen-

(1) *Heges.* apud *Euseb.* Hist. eccl., lib. IV, cap 22.
(2) *Pears.* Opp. posth., pag.
(3) *Euseb.* Hist. eccl. lib. IV, cap. 11.
(4) Id. ibid. lib. V, cap. 6.
(5) *Pears.* l. c., cap. 265.
(6) *Iren.* lib. III, cap. 3.
(7) *Epiphan.* lib. III. Hær. XXVI.
(8) *Labb.* Biblioth. mss. tom. I, pag. 32.
(9) *Niceph.* Call. Hist. lib. III, cap 25.
(10) *Niceph.* CP. Chronogr. pag. 411.
(11) *Bucher.* De doctr. tempor. pag. 270.
(12) *Baron.* ad ann. 158, § 3.
(13) *Tertull.* lib. contra Valentin. cap, 5.
(14) *Hieron*, De Vir illustr. cap. 22.
(15) *Fontanin.* l. c., cap. 3, § 5, pag. 78 seq.
(16) *Genebr.* Chronogr., lib. III, pag. 198.
(17) *Baron.* ad ann. 167, § 1.
(18) *Blond.* Apolog. pag. 18.
(19) *Petav.* De doctr. temp. lib. XIII.
(20) *Pagi.* ad ann. 150, § 20 et 165, § 3.
(21) *Hensch.* ad Act. SS. April., tom. I, init.
(22) *Schelstr.* Antiq. illustr., tom. I, pagg. 414, 333, 650.
(23) *Mabill.* Analect., tom. I, pag. 426.
(24) *Pagi.* Critic., tom. I, pag. 1 seqq.
(25) *Mart. Pol.* Chron., pag. 10, edit. Jo. Fabricii, edit. Colon., 1616.
(26) *Pears.* Opp. posth., pag. 271.
(27) *Liv.* lib. XXVI, cap. 49.
(28) *Pagi* ad ann. 167, § 3.
(29) *Cav.* Hist. litter., ad ann. 933.
(30) *Euseb.* Hist. eccl., lib. IV, cap. 11.
(31) *Zonar.* Annal., lib. XII, cap. 1, pag. 594, edit. Cangii.
(32) *Dodw.* ad Pears. opp. posth., pag. 38.
(33) *Niceph.* Chronogr., pag. 411.
(34) *Prosp.* Chron. Labb., pag. 32.
(35) *Chron. Sax.* Leibnit., pag. 26.

schenio recte visum, in suo Catalogo I, qui a Bucherianо differri non debuit, numerum annorum Pii corruptum, et pro XV olim scriptum fuisse XX, proclivi enim lapsu X pro V scribi potuit. Hoc idem amplius firmatur, quoniam *a consulatu Clari et Severi usque duobus Augustis*, sub quibus in Catalogo I pontificatum Pius tenuisse dicitur, non XX sed XV tantum annos præterlapsos, ipsa consulum collegia ibidem expressa certissimum reddunt : nempe ab A. D. 146 ad A. D. 161.

« Hunc calculum illi antefero qui arrisit Tillemontio (1), dum ab A. D. 142 ad annum 157 Pium vixisse falso arbitratur ex Chronico Eusebii. Cum enim in Catalogo Bucheriano Pius sedisse dicatur *a consulatu Clari et Severi* usque ad consulatum *duorum Augustorum* (seu *M. Antonini Veri* et *L. Aurelii Commodi*) ; recte inde consequitur Pium pontificatum rexisse ab A. D. 146 ad annum 161, ex Fastis Norisianis, sive ab anno IX imperii A Antonini Pii ad annum I. M. Aurelii Antoni Veri. Quare non video cur Bucherianus Catalogus sit abjiciendus, ubi in ordine successionis fideliter exprimit Hegesippum et Irenæum : in annorum numero tempus in Historia et Chronico per Eusebium Pio assignatum, undequaque confirmat : et duplex par consulum in eodem Catalogo expressum, vitium id annorum numero et termino cubans luculenter emendat. »

Huc usque vir eruditus de tempore quo sedit S. Pius, mox acturus de integritate duarum ejus Epistolarum ad Justum Viennensem episcopum. Quibus positis, easdem Epistolas (vel saltem harum alteram) circa Christi annum CLXI, scriptas existimamus ; siquidem in earum secunda hæc leguntur: *Revelatum mihi esse scias, collega beatissime, citius me finem hujus vitæ facturum.* Jam pergit Fontaninus (2).

SECTIO II.

De Epistola I S. Pii ad Justum Viennensem episcopum.

III. « Sancti Pii duas Epistolas sinceras et genuinas, ad Justum Viennæ Allobrogum episcopum scriptas, et nunquam ante Blondellum Pseudo-Isidorianis immistas, fusius a criticorum accusationibus eidem sancto pontifici vindicandas aggredior.

« Priorem ex veteri codice in Germania reperto, primus omnium eduxit Georgius Fabricius (3). Utramque sexennio serius Joannes Jacobus Grynæus prodire jussit in *Monumentis sanctorum Patrum orthodoxographis* (4). Idem quem dixi Fabricius, in epistola ad Joannem Haubitium iisdem *Monumentis* præfixa testatur illum, ut vocat, Scriptorum *thesaurum* (ubi est utraque epistola S. Pii) e *bibliothecis vetustissimis* erutum. Alteram Pii epistolam, Aviti versibus subjectam, se in codicibus mss. legisse affirmat Petrus Pithœus (5) : eamdemque laudari in duplici Martyrologio ms. Ecclesiæ Viennensis produnt Socii Bollandiani (6), ubi hæc leguntur : *Pridie Nonas Maii natalis sancti Justi martyris, sexti episcopi Viennensis, qui quo tempore Pius Papa I Romæ sederet, accepit epistolam consolatoriam ab eo de sacri pallii (quod colobium episcoporum vocat) dignitate et fidei fervore.* Primam earumdem epistolarum jam recitaverant laudati Bollandiani (7). Margarinus Bigneus utramque conjecit in suam Patrum bibliothecam (8) : non tamen ex editione Grynæi, neque ex tabulario Viennensi, ut memoriæ lapsu putavit Baronius (9), et ex eo Blondellus, Pagius aliique. Codicem unde illas Bigneus descripsit, vetustissimum fuisse, docet ipse l. c. his verbis : *Hæ duæ epistolæ his temporibus a Domino revelatæ sunt, et repertæ in sacrario basilicæ sancti Petri in urbe Lemovica, ubi hactenus latuerunt, defossæ in arca saxea sub terra, quæ præ nimia vetustate vix legi potuerunt.* Ergo palam est falli eos, qui ut epistolarum sinceritati detraherent, eas ex uno tabulario Viennensi emersisse commenti sunt, ut Blondellus, Pagius et alii.

« Omnes porro allati scriptores utramque *Justo episcopo* inscribunt : ita ut plane aberraverit Joannes a Bosco, priorem *Vero fratri* directam prodens (10). Annalium parens ut *plane aureas* commendat (11) ; ambasque *germanas et legitimas* censet (12), et censendas esse pronuntiat tum ob rerum argumentum et admirabilem quamdam cum rebus gestis ejus temporis convenientiam, tum ob simplicissimum illum antiquitatis candorem quem in omnibus præ se ferre noscuntur. Joannes Cardinalis Bona sic pariter judicat (13) : *Eas recipiunt orthodoxi, nec audent omnino reprobare sectarii.*

« Berte Blondellus, qui in Pseudo-Isidoro Genevæ impresso A. D. 1628, eas impostura accusaverat ; postea senior, adeoque prudentior factus, veterem hanc suam de iis sententiam omnino exuit, ut ex posterioribus scriptis A. D. 1641, 1646, 1649, manifestum fit. Siquidem in libris de Primatu, de Sibyllis et in Apologia, utriusque epistolæ tanquam ad illum cujus nomen præferunt certissime pertinentis, testimoniis abutitur ; quod etiam Claudium Salmasium et Joannem Dallæum, Henrico Hammondo reclamante, pridem fecisse inferius exponam. Cur ergo vel propter Blondellum nondum resipiscentem suspectiores nobis sint, nihil sane causæ est. Nec magis movere debet, qui priorem illam Blondelli censuram nuper improvide exscripsit Tillemontius, vir alias in his litteris eximie præstans. Quis enim sententiam amplectatur, quam auctor prudens abjecerit ? Tillemontio detractum minime cupio, dum hic aut alibi, ob unius studium veritatis, quam vir pius et doctus agnitam mirifice coluit, ei non accedo. Sed jam tandem quæ Criticis in Epistola I sancti Pii displicuerunt, additis responsionibus nostris, ordinatim recenseamus.

I.

« Primum itaque putant, Pii sæculo *Missæ vocabulum* in ea memoratum, *ad catechumenorum missionem subsequentemque sacramentorum administrationem significandam*, nondum inolevisse. Addit Tillemontius Tertullianum, Cyprianum et Cornelium nunquam illo usos, etsi alias uti debuissent ; ideoque Ambrosio minime antiquius videri. Sed Ambrosius uti jamdudum usitatum, non uti recens, illud vocabulum usurpavit. *Missa* enim ad omnia Ecclesiæ officia significanda olim adhiberi consuevit ceu vox Romanis frequentissima, cum a princi-

(1) *Tillem.* Mém. eccl. tom. II, pag. 312, et in not., pag. 654.
(2) *Fontan.* l. c., cap. 4, § 2, pag. 84 seqq.
(3) *Geoag. Fabr.* in not. ad Poet. Christ., pag. 102, edit. Basil. 1563, apud Jo. Oporin.
(4) *Gryn.* Orthod tom. I, port. II, pag. 3, edit. Basil. 1569, apud Henr. Petri.
(5) *Pith*, Advers. lib. I, cap. 16.
(6) *Bollandd.* tom. II Maii, pag. 99.
(7) Id. tom. III, Mart., pag. 477, § 2.
(8) *Bign* Biblioth. PP. tom. I, pag. 63, ed. Paris. 1575.
(9) *Baron.* ad ann. 166, § 4.
(10) *Jo. a Bosco* Biblioth. Floriac. part. III, pag. 22.
(11) *Baron.* ad ann. 112, § 4.
(12) Id. ad ann. 166, § 4.
(13) *Bona*, De reb. liturg. lib. I, cap. 3.

pum virorum basilicis et conventibus dimitterentur : unde ad ipsum etiam conventum indicandum *Missa* pro voce *missio* vulgo usurpabatur; quomodo *accessa* pro *accessio*, *ulta* pro *ultio*, *remissa* pro *remissio*, *offensa* pro *offensio* et id genus alia. *Missa* pro *missione*, hoc est præteritum passivum generis feminei pro nomine verbali apud Grammaticos frequens est, inquit Josephus Vicecomes (1) : *missio* autem pro *dimissione*, sumpta est ex re militari. Vide Barnabam Brissonium (2). Hinc Avitus (3) : *In ecclesiis, palatiis sive prætoriis* MISSA *fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur: nam genus hoc nominis etiam in sæcularibus auctoribus invenietis.* Hanc rem erudite pertractat Panvinius in opusculo ms. Vaticano 4975, quod est de Missarum et Liturgiæ vocibus. Vide etiam Baronium (4). Cangii Glossarium Latinum et Jacobum Benignum Bossuetum (5).

« Dum ergo Pius scribit ad Justum, se *Missas agere cum pauperibus in domo Euprepiæ*, de conventibus intelligit, non de simplici *missione catechumenorum* aut de *sacramentorum administratione*, ut viri docti putarunt. Notanda est etiam formula *agere missas*, quæ tanquam vetus communisque in re sacra, semel iterumque usurpatur apud Victorem Vitensem (6). Pearsonius ex hac eadem Epistola confectum existimat (7) decretum apud Gratianum (8), ubi altare cum quatuor linteis fieri statuitur : de quo Latinum Latinium, Franciscum Toletum et Franciscum Turrianum inter se disputasse colligimus ex Latinii lucubrationibus tom. I, pag. 369. Profecto si id verum est quod ait Pearsonius, decretum illud oportet esse antiquissimum, et ex sincero fonte deductum : illa enim Epistola sincera est et antiquissima.

II

« Vocem *superbeate* quam peculiari charactere signavit Blondellus, nec *simplicem* neque *Latinam* censuit Tillemontius. Ea tamen nihil ad purioris Latinitatis regulam exactius : nam *superbeate* idem est ac *valde beate ;* ut aurei sæculi scriptor Virgilius nos docet (9), ubi de Junone in Trojanos irata sic canit :

Iis accensa SUPER, *jactatos æquore toto*
Troas, etc.

nempe *valde accensa*. Et infra (10) Andromachen loquentem inducit, cum donis Ascanium oneraret :

..... *cape dona extrema tuorum.*
O mihi sola mei SUPER *Astyanactis imago.*

Ubi *super*, id est *valde, expresse, vehementer*, explicat Servius : quæ exempla in eamdem sententiam affert Nonius Marcellus. Ad hæc quis ignorat primos illos Ecclesiæ Patres non elegantiam sermonis, sed sanctam modestiam verbis et moribus exprimentes, vocabulis et dicendi modis a vulgo petitis sæpe usos ? Audiamus Hieronymum, de Hegesippo, sancto Pio æquali, scribentem (11) : *Ecclesiasticorum texens historias, quinque libros composuit* SERMONE SIMPLICI ; *ut quorum vitam sectabatur,* DICENDI *quoque* EXPRIMERET CHARACTEREM.

III.

« Viris doctis aqua hæret, ubi Pius Viennam *Senatoriam urbem* appellat. Blondellus enim hanc notulam ibidem appendit : *Cur vero* SENATORIA *Vienna dicatur, doceat qui potest.* Dodwellus item vel hinc utramque Epistolam respuens, hæc profert (12) : *Urbem Viennensem* SENATORIAM *appellat in utraque Epistola Pseudo-Pius ; quod quo jure fecerit, plane nescio.* Idem Blondellus in libro de Primatu, pag. 713, ubi a sua priore sententia recedens, utramque Epistolam sinceram agnovit, Viennam quidem *Senatoriam* antiquitus dictam fatetur : sed unde illi hoc nomen adhæserit, se nondum assecutum prodit, suggillatque Philippum Berterium quasi ab Adone illud primo inventum tradidisset : de quo tamen Berterius non cogitavit. Tillemontius vero idem vocabulum, Epistolæ nequaquam proprium, cuique Viennensi magis, quam pontifici secundi sæculi consentaneum pronuntiat. Sic critici, de rebus antiquis præpostere judicantes, per avia et devia feruntur Sed non ita quidem judicavit Claudius Drusi filius in oratione super civitate Callis danda apud Gruterum (13) : ubi ante Pium sæculo integro, et eo amplius, de eadem urbe Vienna sic loquitur imperator : *Ornatissima ecce colonia, valentissimaque Viennensium, cum longo jam tempore* SENATORES *huic curiæ confert.* Videntunde Vienna *Senatoriæ* cognomentum acceperit ? Gregorius Turonensis Viennensem civem et episcopum, nomine Virum, *Senatorem* appellat : *Obiit*, inquit (14), *Evantius Viennensis episcopus, in cujus sedem Virus presbyter de* SENATORIBUS, *rege eligente, substituitur.* Avitus Viennensis episcopus a Gregorio nequaquam abludens, hæc habet (15) ; *Viennensis* SENATUS, *cujus tunc numerosis Illustribus curia florebat.* Rursus in epistola ad Festum se vocat SENATOREM *Romanum*, cum esset civis Viennensis. Ad hæc in epitaphio dicitur sepultus *in monasterio sanctorum Petri et Pauli apud* SENATORIAM *Viennensium urbem.* Sic Avitus. *Senatoriæ* autem nomen a Romanis Viennæ inditum. quod ejus Senatus Gallias moderaretur, auctor est Ado in Chronico. Sed Philippus Berterius (16) Adonem errasse contendit. At erraverit ille in causa nominis assignanda : in nomine ipso quidem antiquitus assignato nequaquam erravit.

IV.

« Quod scribit Pius de presbyteris ab apostolis educatis : *Qui a Domino vocati in* CUBILIBUS *æternis clausi tenentur*, peculiari charactere tanquam obelo dignum notavit Blondellus. Hic tamen verba et sensus perpendi possunt. In verbis nemo non videt, Pium respexisse illud psalmi CXLIX, 5 : *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in* CUBILIBUS *suis* ; de quo Lucas XVI, 19, et Augustinus (17). Vide Ludovici Cappelli dissertationem, quam inscripsit *Mortuorum vitam* (18). In sensu perpendi potest celebris et olim pervulgata doctrina de *Receptaculis animarum*. De receptaculis animarum et statu post mortem antiqui Patres disputantes, ab ipsis apostolorum temporibus ad Gregorii XI pontificatum Florentinumque concilium, hoc est toto ferme quatuordecim sæculorum spatio, incerti interque se dissentientes fuerunt, veluti in re de qua Ecclesia catholica nondum quidquam definierat : singuli enim in suis sententiis principia sibi a divinis litteris suppeditari existimabant. Consulatur præfatio ad librum sancti

(1) *Vicecom.* lib. I, De Missæ ritib. cap. 5.
(2) *Brisson.* lib. IV, De formul. prope finem.
(3) *Avit.* Epist. 1.
(4) *Baron.* ad ann. 34, § 9.
(5) *Bossuet*, Expl. prec. miss. § 2.
(6) *Vict. Vit.* De persecut. Vandal. capp. 2 et 13.
(7) *Pears* opp. posth. pag 268.
(8) *Gratiam.* Distinct. II, de Consecr. C. *Si per negligentiam.*
Vide *Coutant.* Epist. Rom. Pont. pag 69, § 7.
(9) *Virgil.* lib. I Æneid. v, 29.
(10) Id. ibid. lib. II, v. 489.
(11) *Hieron.* De vir. illustr. cap. 22.
(12) *Dodw.* ad Pears. pag 90.
(13) *Gruter.* pag. 700. in tab. II. Lugdun.
(14) *Gregor. Turon.* Hist. lib. VIII, cap. 39.
(15) *Avit.* Hom. de rogat. apud Sirmond. tom. II, opp. pag. 136.
(16) *Berter.* Diatr. II, pag. 208.
(17) *Aug.* lib. II, quæst. XXXVIII, § 3 in Evangel.
(18) *Cappell.* opp. crit. 243 258, edit. Amstel 1689, ubi citata dissertatio inscribitur : *De statu animorum post mortem.*

Ambrosii *De bono mortis* (1). Nonnulli eorum, animas corporibus exutas et procul a visione Dei in quibusdam habitaculis conclusas, ad usque generalem resurrectionem servari putabant, ibi mercedem operibus suis debitam, hoc est divini conspectus fruitionem in die ultimo reddendam, exspectaturas: qua de re multa congerit clari ingenii et doctrinæ theologus Dionysius Petavius (2). Verum quidem est, inter hujus sententiæ sectatores, Millenariorum somniis quosdam imbutos fuisse, ut Irenæus, Tertullianus, Apollinarius, Lactantius, Victorinus et alii. Non omnes tamen Patres, qui ante magnum diem suspensam sanctorum felicitatem astruere visi sunt. Chiliastarum nugis adhæserunt: non quidem Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Chrysostomus, Bernardus et alii, quorum sententias digerit Sixtus Senensis (5) et Guillelmus Estius (6).

« Infinitus essem, si huc omnes adducerem qui in hac sententia fuerunt, antequam œcumenica synodus Florentina decerneret, animo nullo post baptismum peccato fœdatos, vel jam contracto omnino purgatos, *in cœlum mox recipi, et intuericlare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Ad quam quidem Florentini concilii sanctionem Sixtus Senensis facile reduci arbitratur nonnullas eorumdem Patrum sententias, si duplicem scilicet beatitudinis statum divino conspectu fruentium consideremus; unum animæ sine corpore usque ad universale judicium: quem statum veteres variis nominibus describentes, dixerunt *sinum Abrahæ, paradisum primis parentibus ademptum, Altare exterius, sub Altare Dei, Sanctorum vestibulum, Atria Dei, promptuaria animarum, secreta receptacula, animarum custodiam, servitutis requiem, adeptas repromissiones* et etiam *cubilia æterna*, ut noster pontifex Pius. Alter status animæ considerari potest, resumpto corpore post extremum judicium: quem statum similiter diversis appellationibus nuncuparunt, *domum Dei, Altare interius, super Altare, sublimiora cœlorum* et *consummationem gloriæ*. Proinde cum apud veteres Patres legimus justorum animas vivere aut *in sinu Abrahæ*, aut *in paradisi nemore*, aut *sub altare Dei*, aut *in abditis receptaculis*, aut *in cubilibus æternis*, ibique exspectare futuræ gloriæ præmia: non statim suspicari debemus, eos credidisse, animas sanctorum carere divini intuitus gloria, et nondum potiri perfecta illa et consummata felicitate, quam post corporis resurrectionem exspectant. Ita rem explicat etiam Magister Sententiarum (5), notans ex Augustino, *majus futurum gaudium Sanctorum in resurrectione, quam fuerit ante*: tunc enim consummabitur felicitas. Ideo Bernardus enarrans cap. VI Apocalypseos, docuit animas sanctorum *usque ad diem judicii quiescere sub altare Dei, id est in sola visione humanitatis Christi, donec veniat tempus in quo Filius Dei post universalem resurrectionem ostendat seipsum illi in forma Dei una cum Patre et Spiritu sancto.* Deinde alibi (6) tres animarum status recenset: I. in corpore corruptibili, II. sine corpore, III. in beatitudine consummata.

« Ex his nemo non videt germanam antiquitatem Epistolæ I sancti Pii vel illa phrasi invicte probari, quia *in cubilibus æternis* animæ Sanctorum *clausæ* TENERI dicuntur. Licet vero eadem phrasis illi persimilis videatur qua utitur Lactantius (7), ubi *animas* ait *in una communique custodia* DETINERI: quem loquendi modum S. Hieronymus ferre non potuit in Vigilantio, cui propterea exprobravit: *Tu apostolis vincula injicis, ut usque ad diem judicii* TENEANTUR *in custodia*: attamen S. Pius, veluti cæterorum magister, unus omnium tutiorem et faciliorem viam pressit, dum sanctorum animas non alibi quam in cœlesti beatitudine diserte collocavit, earum cubilia *æterna* appellans; non vero *corporeas*, non *subterraneas*, neque ad extremum usque judicium tantum duraturas habitationes, ut sensit Lactantius et Tertullianus (8). Hæc cubilia sunt *mansiones* illæ *in domo Patris*, quibus Christus varios gloriæ beatorum gradus designavit (9). Hinc piæ memoriæ cardinalis Thomasius, interioris ecclesiasticæ antiquitatis longe peritissimus, *cubilia* in psalmo CXLIX, *mansiones* interpretatus est (10). Atque hæc procul sunt ab erroribus, nullam animam ante diem judicii beatam esse dicentium, de quibus accurate agit Alphonsus a Castro (11). Sanctorum autem animæ dicuntur cubilibus clausæ teneri, vel ad introitum regni cœlestis per custodiam reservari, ut loquitur Hilarius Pictaviensis (12), quia ibidem protectione et societate Domini ab omni malo liberantur. Unde idem Hilarius (13) nihil nobis a sæculi violentia timendum docet, cum *Christi consortium mors acquirat.* Consule clarissimos et celeberrimos viros, qui Hilarium nuper ediderunt (14). Hæc satis pro *cubilibus æternis* sancti Pii vindicandis.»

Dum ista cl. Fontanini dictata exscribo atque ab eo Hilarium Pictaviensem excitatum video, præstans illa mihi succurrit dissertatio, qua celebris theologus Angelus Maria Feltrius ejusdem sancti Pictavorum antistitis sententiam *de Piorum statu in sinu Abrahæ ante Christi mortem* illustrat. In eo siquidem non minus diligenter elaborato quam elucubrato scripto, quo sibi ad illam satis implexam quæstionem enodandam viam sternat, demonstrat vir doctissimus (15) sanctum Patrem docuisse cœlestem gloriam non exspectata carnis resurrectione justi Novi Testamenti a Deo esse collatam. Cujus quidem Feltrianæ disputationis alibi opportunior usus. Cæterum Ecclesiæ catholicæ doctrinam qua erudimur, beatificam Dei visionem statim consequi justos quoscunque ab omni labis nexu liberos hinc emigrantes, hac nostra demum ætate contra Burnetum, Chandlerum atque Ruchatum, qui eos Britannos nuper est assectatus (16), strenue confutati sunt ex Patribus tum Græcis tum Latinis, Muratorius præ cæteris (17), Maffeius (18), Ballerinii (19) aliique: ut superiore sæculo Petavius (20), Thomassinus (21), Huetius (22). Sic porro pergit Fontaninus.

V.

« Aliud falsitatis argumentum Pii epistolæ objici video per hæc verba: *Salutant te Soter et Eleutherus*

(1) *Ambros.* Opp tom. I, cod. 85, edit. nov. BB.
(2) *Petav.* Dogm. theol. tom. I, cap. XIII, XIV, pagg. 503 seqq.
(3) *Sixt. Sen.* Bibl. sacr. lib. VI, adnotat. CCCXLV.
(4) *Est.* lib. IV. Sentent. distinct. XLV, § 6.
(5) *Pet. Lomb.* lib. IV distinct. XLV, § 1.
(6) *Bern.* Serm. 3, De fest. Omn. Sanctor.
(7) *Lactant.* divin. Institut. lib. VII, cap. 21.
(8) *Tertull* De anim. cap. 55.
(9) *Joan.* XIV, 2.
(10) *Thomas* Psalter. edit. II, ann. 1697, p. 644.
(11) *Alph. ad Castro* lib. III adv. hæres. pag. 221, opp. edit. Paris. 1571.
(12) *Hilar.* in psalm. CXX, 16.
(13) Id. in psalm. CXIX.
(13) *Coutant.* præfat. ad opp. Hilar. pag. 63, § 6, num. 203.
(15) *Feltr.* S. Hilar. sentent. de Pior. Stat. in sinu Abrah.
(16) *Ruchat*, Lettres et Monuments de trois Pères apostoliques, pagg. 74, 559, 658.
(17) *Murat.* De Paradis. regniq. cœl. glor., cap. 2, p. 8 seqq.
(18) *Maff.* Opusc. eccl., pag. 176.
(19) *Balierin* ad S. Zenon. Sermon. Dissertat. II, cap. 10, pag. 107.
(20) *Petav.* l. c
(21) *Thomass.* Theolog. dogm. tom. II, lib. IV, cap. 18, pag. 372.
(22) *Huet.* Origeniam. lib. II, quæst. XI, §§ 9 15, pag. 144 seq.

digni presbyteri. Nulla hic mentio Aniceti fieri putatur, propterea quod ab auctore epistolæ dudum ante Pium in Pontificatu mortuus existimaretur, errore ut creditur hausto ex Catalogo Henscheniano et ex Anastasio. Ita Pearsonius (1) : quo etiam judice, Eleutherus sub Pio presbyter esse non potuit, qui erat *diaconus* sub Pii successore Aniceto, ex Hegesippo teste oculato apud Eusebium (2). Sed nonne ex codicibus mss. Anastasii, et ex consulatibus Bucheriani Catalogi, ab Henschenio postmodum male habiti, Aniceto Pium,non Pio Anicetum præponi jam vidimus ? Qui ergo errorem modo excogitatum, inde olim haurire potuit auctor epistolæ ? At vero præteritus non fuit Anicetus, propterea quod reapse tunc amplius vivere non crederetur ; sed aliam ob causam nobis ignotam,vel quod Urbe tunc procul abesset dum verus Pius veram epistolam scripsit : etenim viri illi sanctissimi non semper una versabantur, sæpenumero huc et illuc magnis fidelium necessitatibus occurrentes. Pergo ulterius. Sicuti ex hac salutatione non sequitur, alios presbyteros et diaconos tunc Romæ non vixisse præter *Soterem* et *Eleutherum*, propterea quod Pius singulos non expresserit; eodem pacto futillissimum est affirmare, Anicetum ideo præteritum quod ab auctore epistolæ jampridem ante Pium mortuus crederetur, errore scilicet ex corruptis Pontificum nomenclatoribus hausto.Concordius in Actis apud Bollandum (3) quæ elegantiæ commendantur a Tillemontio (4), dicitur in subdiaconum consecratus a Pio nostro, qui tamen nullam ejus mentionem facit in Epistola I ad Justum.

« Quod *Eleutherum* spectat, a Pio cum Sotere *presbyterorum* nomine comprehensum,quem tamen Hegesippus sub Aniceto Pii successore *diaconum* dixerit, facillime respondetur. Etenim S. Joannes Chrysostomus ait (5), antiquitus nomine *presbyterorum* etiam *diaconos* venisse.Hoc præsertim factum ubi uterque simul contigit memorari,ut in epistola Pii, in qua *senioris* seu *presbyteri* nomen ad *diaconum* honoris causa extensum est. Imo non *diaconos* tantum, sed et reliquam cleri partem complexum idem *presbyteri* nomen,docet epistola IX S. Cornelii papæ (6). Pari pacto *diaconi* nomen in Ecclesia antiqua presbyteros complexum,viri docti ad Clementinam epistolam I ad Corinthios cap. 42 adnotaverunt,nempe ad ministerii nomen,non ad alter utrius gradum respicientes. Cum vero *diaconi* nomen *ministrum* denotet, fortasse Hegesippus *ministrum* generatim sumptum judicare voluit, ubi Eleutherum Aniceti *diaconum* dixit. *Minister* enim late sumptus,non unus *diaconus*, sed etiam *presbyter*. Cæterum reliqua in epistola Pii dum recte conveniunt unum *presbyteri* nomen Eleuthero *diacono* ascriptum nos remorari non debet, quominus hac una ex causa illam Pio adjudicemus.

VI.

« Blondello denique stomachum movet, a Pio palmam *perseverabilem* dici, et epistolam his verbis claudi : *Cerinthus primarches Satanæ multos avertit a fide.*Sed utrumque infeliciter : palmam enim *perseverabilem*, sive æternum duraturam, deduci a *persevero*, ut ejusmodi sexcenta alia, nemo nisi ca-

A villandi studio negaverit. Illud porro gravius,quod in *Cerintho* reprehenditur : scilicet plus æquo longævum fieri, qui *multos* adhuc *avertere a fide* sub Pio tradatur.At si auctore Baronio (7), Polycarpus apostolorum discipulus Pii tempora pertigit,*Cerinthus* etiam pertingere potuit ; præcipue ubi iis consenserimus,qui *Cerinthum* post Carpocratem hæreses suas sparsisse crediderunt. Carpocrates enim erroribus suis inclaruit imperante Hadriano. Sed hæc nihili facit Nicolaus Nurrius (8) : cum Irenæus, cujus vestigiis reliqui instituerunt, in sua hæreticorum recensione tempora invertens,chronologico ordini minime inhæreat. Polycarpus autem, *Cerintho* jam amoto cæterisque apostolis jam demortuis, Joannem valde senem audivit.Quare Epiphanius (9) scribit, *Cerinthum* et Ebionem antegressos *Valentinum*, quem illis posteriorem facit.

« *Cerinthus* ergo sub Pio superesse non potuit : proptereaque in alteram Baronii sententiam eundum B est ; ut non *Cerinthum viventem*, sed ejus hæresim in sectariis grassantem multosque avertentem a fide Pius innuere dicatur. Satis enim seducti a *Cerintho* videri poterant, qui a recto fidei instituto per ipsam ejus doctrinam abstrahebantur : quomodo *Tatianus* qui insanas *Valentini* de Æonibus opiniones animo imbiberat, ut docet Irenæus, cui Clemens Alexandrinus ejus æqualis suffragatur(10). Ait enim, hæresiarcham e *schola Valentini* prodiisse : non quod *Valentini* auditor fuerit unquam, sed quod ejus exceperit disciplinam, a qua totum habuit fere quidquid habuit. Hinc auctor appendicis ad Tertullianum *de Præscriptionibus* affirmat Tatianum *totum cum Valentino sapere*, observante *Longuerueo* (11). Gnostica errorum portenta quæ *Cerinthus* excogitavit, deinde per *Valentinum* primarium ejus sectæ discipulum in systema crevisse, egregio doctrinæ apparatu ostendit Georgius Bullus (12). *Valentinus* autem,pontifice Hygino Pii decessore, pravorum dogmatum plaustra Romam invexit, viguitque sub Pio usque ad Anicetum superstes,uti ex Irenæo et Eusebio in comperto est. Non ergo de *Cerintho* etiamnum vivo intellexit Pius,sed de eodem in *Valentino* contra Christi fidem grassante : neque verbum *avertit* pro tempore elapso accipiendum,ut accepit Labbeus (13) ; quippe insolens valde fuisset, de clade per *Cerinthum* ipsum catholicæ religioni olim allata, Justum episcopum tam sero a Pio certiorem factum : qui quidem Justus nuper aut paulo ante Roma discesserat.

« Censuram vero in vocem semigræcam *primarcha* seu *primarches*,qua Pius Cerinthum ornat.non moror : quo enim tempore cives Romani Græcis erant permisti, adeo familiaris fuit Romæ Græcus sermo, ut imperator M. Aurelius integros libros Græce conscripserit, et Christiani suas Apologias itidem Græce imperatori eidem obtulerint Quare, ut egregie adnotat V.C. Philippus Bonarotius (14), D nihil mirum si tunc in ore vulgi Græcus sermo cum Latino aliquando coaluit.Pari pacto ex eadem causa in Græcorum scripta Latina vocabula irrepserunt.In Epistolis genuinis Ignatii martyris legimus (15) ἐξεμπλάριον, *exemplarium* sive exemplar ; item (16) δεσέρτωρ, *desertor* ; ἐκπόσιτα. *deposita* ; ἄκκεπτα, *accepta* (17). In nummo etiam apud Gisbertum Cuperum (18), ΔΙΥΟΣ, *divus*. Non enim in

(1) *Pearson.* Opp. posthum. pag. 268 et Vindic. Ignat. part. II. cap. 13, pag. 169.
(2) *Euseb.* Hist. eccl. lib. IV, cap. 22.
(3) *Bolland* Act. SS. tom. I, Januar. pag. 286.
(4) *Tillemont.* Mém. eccl., tom I. pag. 286.
(5) *Chrysost.* in Epist. ad Philipp. I, 1.
(6) *Coutant.* Epist Rom. Pontif., pag 147. not. 6.
(7) *Baron.* ad an. 166, § 2.
(8) *Nourr.* Appar. ad bibl. PP., tom. I, p. 281.
(9) *Epiphan.* Hær. XXXI.
(10) *Clem. Alex.* Strom. lib. III, p. 465.
(11) *Longuer.* p. 13. Dissertat. in Tatianum ad calcem edit. Oxon. 1700, 8.
(12) *Bull.* Defens. fid. Nic. sect. 3, cap. 1, a p. 288.
(13) *Labb.* ad Concil. tom. I, p. 576.
(14) *Bonar.* Observ. ad sacr. Vitr. p. 203.
(15) *Ignat.* Epist. ad Smyrn. cap. 12, ad Ephes., cap. 2, ad Trall., cap. 3.
(16) Id. Epist. ad Polycarp., cap. 6.
(17) Vid. supra Prolegom., cap. 7, § 4, p. 49.
(18) *Cuper.* Apotheos. Homer., p. 243.

nostra Epistola, ut suspicatur Blondellus, antiqui codices *patriarcha* potius quam *primarcha* exhibuisse putandi sunt, cum *patriarchæ* nomen Pii tempore extra Hebræos non innotesceret. Nec alias Pius voce tam sacra in Cerinthi gratiam abusus fuisset.

« Præterea (1) veritati examussim cohæret et illud quod tradit Pius, presbyteros scilicet apostolorum alumnos, tunc diem suum obiisse. Prima enim apostolorum successio usque ad tempora M. Antonini producitur : quo imperante Polycarpus Joannis Apostoli discipulus coronam martyrii reportavit, ut in Eusebium notat Valesius (2). De sanctis autem Timotheo et Marco, qui in hac eadem epistola I, *per bonum certamen* transiisse dicuntur, mentio superest in tabulis ecclesiasticis die 24 Martii ; ubi ex veteri Martyrologio ms. S. Cyriaci, sub Antonino passos tradit Baronius : deque iis agunt Hagiologi Bollandiani (3). Alteram Pii epistolam vindicare pergamus. »

SECTIO III.

De Epistola II ejusdem S. Pii Justo Viennensi episcopo inscripta.

IV. « Multa in Epistola II, improbat Blondellus. Suntque hujusmodi.

I.

« *Gaudium inæstimabile facere* : qua tamen dictione vix quidquam magis Latinum afferri potest nisi Livium barbare scripsisse dicamus. Livius enim dixit (4) : *Inæstimabile gaudium*. Cicero (5) : *Recta et honesta quæ sunt, ea* FACERE *per se* LÆTITIAM. Sic *terrorem, pavorem, dolorem et luctum* FACERE, occurrit apud Ciceronem et Livium ; qui Circum Tiberi superfuso, *terrorem ingentem* FECISSE scribit (6). Sed nec verbum *recognoscet* arridet Blondello ; et tamen Livius ait (7) : *Biduum ad* RECOGNOSCENDAS *res datum*. Virgilius (8) :

Dona RECOGNOSCIT *populorum*.

Tacitus (9) : RECOGNOSCERE *spatia certaminum*. Atque iterum (10) : RECOGNOSCENDA *dona*.

II.

« Martyrum corpora cur *membra Dei* perperam dici putat Blondellus, si Paulus, *nescitis*, inquit (11), *quoniam corpora vestra* MEMBRA *sunt* CHRISTI ? *Tollens ergo* MEMBRA CHRISTI, *faciam membra meretricis* ? *Absit*. Et paulo post : *An nescitis, quia* MEMBRA *vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ? Empti enim estis pretio magno. Glorificate* et PORTATE DEUM *in* CORPORE *vestro* (12).

III.

« Negat apostolos Stephanum *curavisse*, quod Pius tamen affirmat. Sed Lucas rem ita narrat (13) : *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis : et omnes dispersi sunt per regiones Judeæ et Samariæ*, PRÆTER *apostolos*. CURAVERUNT *autem Stephanum* VIRI TIMORATI, *et fecerunt planctum magnum super eum*. Si *apostolos* Hierosolymis permansisse certissimum est ; cur ipsimet, *viri* profecto *timorati*, corpus Stephani *curare* non potuerunt ? quod quidem non tam a Luca, quam a majorum traditione Pius didicisse credendus est. *Curare* hoc loco pertinet ad rem funerariam ; unde Suetonius (14) : *Imperavit, aquam simul et ligna conferri* CURANDO *mox cadaveri*.

IV.

« Displicet etiam Blondello hæc clausula Epistolæ II : *Salutat te senatus pauper Christi, apud Romam constitutus*. Non dissimulat, in Constitutionibus apostolicis dictum (15) συνέδριον καὶ βουλὴν τῆς ἐκκλησίας, *Senatum et curiam ecclesiæ :* et ab Ignatio (16), εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, *in locum Senatus apostolorum*. Verum *an similia scripserit Pius, judicent pii*, inquit criticus. Sed cum sacra hac phrasi usus fuerit apostolus Paulus (17) ; cumque jam in Ecclesia invaluisset sæculi II initio, quo Ignatius martyr scripsit ; non video cur eamdem exinde usurpare non potuerit etiam pontifex Pius. Ea paulo post usus est Origenes (18) : Οὕτω δὲ καὶ βουλὴν ἐκκλησίας Θεοῦ βουλῇ τῇ καθ' ἑκάστην πόλιν συνεξετάζων, εὕροις ἄν τινες μὲν τῆς ἐκκλησίας βούλευται ἄξιοί εἰσιν, εἴ τίς ἐστιν ἐν τῷ παντὶ πόλις τοῦ Θεοῦ, ἐν ἐκείνῃ πολιτεύεσθαι. *Sic etiam* SENATUM *ecclesiasticum si componas ad Senatum singularum civitatum, invenies quosdam* SENATORES *ecclesiasticos dignos ubivis gentium administrare divinitus constitutam rempublicam*. In vetustissimis Liturgiis a Joanne Mabillonio illustratis (19), *Sacerdotes*, id est episcopos, *seniores*, id est presbyteros, antiqua phrasi dictos invenies.

« Sed Hermam audiamus ecclesiasticum sæculi apostolici scriptorem (20) : *Tu autem*, inquit, *leges in hac civitate cum* SENIORIBUS, *qui præsunt Ecclesiæ*, consilio tamen, non potestate clavium. Vide Petavii libros de ecclesiastica Hierarchia contra Salmasium. Apud Origenem (21), Rufino interprete, hæc leguntur : *Tu vero annuntiabis presbyteris Ecclesiæ*. Ergo *Seniores* et *Senatus*, sunt *presbyteri* et *presbyterium*. Quare *Senatum* et *Curiam*, ex episcopis, presbyteris et diaconis componi declarant Constitutiones apostolicæ (22). Hinc tres distinctos in Ecclesia gradus aut ordines sacros fuisse nos docent genuinæ epistolæ Ignatii, ante Pinm passi : I. *Episcopum* singularem ; II. *Presbyterium* seu presbyterorum Senatum ; III *Diaconos*. Singulos doctissime comprobat Henricus Hammondus (23). Pius ergo verbis illis, *Senatus pauper Christi*, suos presbyteros designavit : eamdemque phrasim postea usurparunt subsequentium etiam sæculorum scriptores nostri, Optatus (24), Ennodius (25) et Sidonius (26) ; apud quos Ecclesiæ *Senatus* seu *presbyterium* non semel occurrit. Hoc *presbyterium* Rufi-

(1) *Fontan.* l. c., § 4, p. 90 et § 6, p. 92.
(2) *Vales.* ad Euseb. Hist. eccl., lib. III, cap. 23, subinit.
(3) *Bolland.* Act. SS. Maii, tom. III. p. 477.
(4) *Liv.* lib. XXIX, cap. 32.
(5) *Cic.* de Finib., cap. 1.
(6) *Liv.* lib. VII, cap. 3.
(7) Id. lib. V, cap. 13.
(8) *Virg.* Æneid.. lib. VIII, v. 721.
(9) *Tacit.* Hist., lib. II, cap. 70.
(10) Id. Fit. Agric., cap. 6.
(11) I Cor. VI, 15, 19, 20.
(12) Vid, supra cap. 1, § VIII, ubi Clementis Rom, Epistolæ I ad Corinth. locus insignis de CHRISTI *divinitate* propugnatur.
(13) *Act.* VIII, 1, 2.
(14) *Sueton.* in Neron., cap.
(15) *Const. apost.* lib. II, cap. 28.
(16) *Ignat.* Epist. ad Magnes., cap. 6.
(17) *I Tim.* IV, 14.
(18) *Origen.* contr. Cels. lib. III, § 30, noviss. edit. Paris. et p. 129, edit. Cantabr. Spenceri, ex qua Græca apposita cum versione Tarini.
(19) *Mabill.* de Liturg. Gallic., p. 307, 337.
(20) *Herm.* Past lib. I, Vis. II, cap. 4 in fine.
(21) *Origen.* Pilocal., cap. 1, ex lib. IV, de Princip. cap. 2.
(22) *Const. apost.* lib, cap. 49 seqq.
(23) *Hammond.* pro episcopat. jurib. Dissert. II, cap 26, p. 117.
(24) *Optat.* Gest. Cæcil. et Felic.
(25) *Ennod.* Natal. Laurent.
(26) *Sidon.* lib. IX, epist. 3.

nus *cleri Romani Senatum* vocat (1) : quas voces apud Latinos *ab ætatis notione ad honoris et dignitatis appellationem* transiisse notat Petavius (2). Morem salutandi in fine litterarum, Christianis tunc fuisse acceptissimum, nos docet Ecclesia Smyrnensis in epistolo de martyrio sancti Polycarpi,qui fuit Pio æqualis : ibi enim sic legitur (3) : *Salutate omnes sanctos. Hi qui nobiscum sunt, omnes salutant :* qua in re magnum Ecclesiæ doctorem majores nostri imitari studebant.

« Hæc de stylo posterioris epistolæ, quam Beveregius *indubitatam* vocat (4), ejus testimonio usus, ut tres distinctos in Ecclesia ordines, episcopos, presbyteros et diaconos; A. D. 143, constitutos ostendat.

« V. Tillemontius post Blondelli et Pearsonii censuras a me hactenus refutatas, alteri epistolæ sancti Pii majus negotium facessere putat, quod in eadem traditur de Vero Viennensi episcopo e vita sublato, deque *Justo* in ejus locum *a fratribus constituto :* quæ quidem, inquit vir eruditus (5), in concordiam redigi neutiquam possunt cum Sulpicio Severo affirmante, nullum Christi martyrem ante M. Aurelium imperatorem, sive ante annum vulgarem 70 in Galliis obiisse. Ad hæc *Verum* hunc *episcopum* et *martyrem* vel nusquam, vel *confessoris*, non *martyris* titulo memorari contendit : ideoque non ad *secundum*, sed ad *quartum* sæculum pertinere, eoque interfuisse concilio I Arelatensi. Chronico autem Adonis episcopi Viennensis, *Crescentem*, *Zachariam* et *Verum* (quem postremum silet Ado ipse in Martyrologio) ab aliena manu insertos videri, minime vero ab Adone eorumdem sanctorum præsulum successore. Addit vir doctus, simplicem *Veri* memoriam superesse in tabulis ecclesiæ Viennensis, at *martyris* elogium deesse in Martyrologio Romano. Sic Tillemontius. Quare hic mihi præcipue laborandum ut *Verum episcopum et martyrem* ecclesiæ suæ Viennensi restituam : inde enim patebit sinceritas epistolæ sancti Pii.

« Porro difficile est creditu Adonem suæ ecclesiæ primordia tam supine ignorasse,ut ea Chronico suo non inseruerit, cum tamen de aliis ecclesiis id accurate præstiterit. Quamobrem Adonem ipsum, et non alium, seriem præsulum Viennensium a Crescente deductam, in Chronico suo digessisse autumo : consonat enim ipsemet Ado in Martyrologio (6), ubi hanc eamdem originem litteris consignavit hoc pacto : *Sanctus Crescens Viennæ, civitate Galliarum, per aliquot annos sedit, ibique Zachariam discipulum pro se episcopum ordinavit.* Ante Adonem eadem scripserat Paulus I Pontifex in epistola ad Carolum Magnum, ubi Ecclesiam Viennensem, *apostolorum collegam Crescentem, magistrum habere* meruisse affirmat (7). Crescentem Gallias religionem edocuisse, ex Pauli Epistola II ad Timotheum colligit Petrus de Marca (8). Neque ulla alia Galliarum Ecclesia præter Viennensem Crescente antistite gloriatur. Nam vir eruditus Nicolaus Serarius qui Crescentem, episcopum Moguntinum facere nititur (9), nullam ejus mentionem in illius ecclesiæ tabulis haberi fatetur : quod primo auctori non contigisset.Petrus Cluniacensis, Galliæ ecclesiarum conditores enumerans,ait (10) : *Irenæus Lugdunensis*, Crescens *Viennæ*, etc. Passus fuit sub Trajano, ex Baronio (11). Hoc eodem tempore martyrium subiisse traditur ejus successor *Zacharias*, quem excepit *Martinus* ; atque hunc sub eodem Trajano secutus est *Verus*, ut Ado auctor est. Quatuor autem episcopos brevi intervallo Viennensem ecclesiam rexisse.nemo mirabitur qui perpenderit in Hierosolymitana *quindecim* præsules *triginta* annis sedisse, teste Eusebio (12) : et in Romana ab A. D. 883 ad A. D. 912, nempe solis *triginta* annis *quatuordecim* pontifices numerari, ut constat ex Baronianis Annalibus. *Verus* ergo quem nihil vetat sedisse usque ad A. D. 146, quo universæ Ecclesiæ præesse cœpit Pius, non sub Trajano, sed sub Antonino Magno passus jure dicetur, salva auctoritate Sulpicii,cujus hæc sunt verba(13) : *Sub Aurelio Antonini filio, persecutio quinta agitata : ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.*

« Hunc Sulpicii locum critici recentiores, Sirmondus, Launoius et Tillemontius, interpretatione ex ipsius juris et rhetorum principiis petita, utinam cum diptychis ecclesiasticis in concordiam redigere maluissent : generi enim per speciem derogari docent jurisconsulti. Petrus de Marca jure quidem, mea sententia, arbitratur (14), Sulpicium loqui de martyriis *generalibus*, nimirum de cæde pontificum simul et plebis Christianæ, quemadmodum in Ecclesiis Viennensi et Lugdunensi sub M. Aurelio factum est ; cui cladi similis ante in Galliis nulla contigerat. Nec propterea hæc ipsa *generalis* clades impedit, quin antiquitus alii præsules pro Christo mortem obierint, puta Crescens, Zacharias cæterique Viennenses ; absque ullo tamen generali Christianæ plebis excidio, ut postea sub Decio pariter factum est, qui in solos episcopos sæviit. Non ideo tamen in rebus pertexendis erravit Sulpicius, qui summa tantum illarum capita libavit, præteriens Gallicanarum sedium origines, quas omnino intactas reliquit.

« Quod vero ait, *serius trans Alpes Dei religione suscepta*, hoc recte quidem ait comparatione habita partium orientalium ipsiusque Italiæ,quæ doctrina fidei prius imbuta est, proventuque uberiori, quam Galliæ, profanarum superstitionum tenaciores. Ad hæc Viennam *intra* provinciam Romanam potius quam *intra* Gallias stetisse constat : nam in lemmate Epistolæ *de martyribus Viennensibus* et *Lugdunensibus* apud Eusebium (15), *Lugdunum* vocatur urbs *Galliæ*, quæ postmodum devicta fuit, quæque tunc extra terminos provinciæ Romanæ censebatur. Non ita *Vienna*, quæ proprie erat in provincia Romana ; ideoque ad illa non extenditur locus Sulpicii : quod tamen de more audacter pronuntiavit Launoius. In eodem lemmate primum etiam locum habere Viennam propter ejus Ecclesiæ antiquitatem, auctor est Blondellus (16) ; non vero, quod honoris prærogativa in ordine civili tunc Viennæ præ Lugduno, ex instituto Galbæ competeret, ut visum est Petro de Marca (17) :

(1) *Rufin.* Apol. lib. III, p. 448, edit. nov. Hieron.

(2) *Petav.* de eccl. Hier., lib. I, cap. 12, § 16.

(3) *Smyrn. Eccl.* Epist. de martyr. S. Polycarp., cap. 20.

(4) *Bevereg.* in not. ad Canon, II apost., tom. I, PP. apost. p. 459, cod. 2, sub fin. edit. Amst. 1724.

(5) *Tillem.* Mem. eccl. tom. I, p. 584, t. II, p. 615, et tom. III, p. 621.

(6) *Ado.* Martyr. d. 27 Jun. p. 109, edit. Plantin.

(7) Apud *Jo. a Bosco* Biblioth. Floriac. part. III, pag. 45.

(8) *Marca* Epist. ad Henr. Vales. § 3, pag. 425. Exstat subjecta Dissertatt. *de Concordia.*

(9) *Serar.* Mogunt. cap. 2, pag. 231.

(10) *Petr. Clun.* lib. I, epist. 2.

(11) *Baron.* ad ann. 118, § 4, et in Martyrol. ad d. XXVII Junii.

(12) *Euseb.* Hist. eccl. lib. IV, cap. 5.

(13) *Sulp. Sev.* Hist. sacr. lib. II, cap. 32, pag. 246. edit. Lips. 1709.

(14) *Marca* Epist. ad Vales. § 23.

(15) *Euseb.* Hist. eccl. lib. V, cap. 1.

(16) *Blondel.* de Primat. pag. 714.

(17) *Marca* de Primatib. § 112.

nam in regimine ecclesiastico primis illis Ecclesiæ sæculis, civilis ejusmodi fastigii dignitatem minime attentam fuisse egregie ostendit Joannes Morinus (1).

« *Veri* ergo martyrium recte statuitur sub Antonino Pio, quamvis non eo anno quo illud locat Baronius, a quo vocatur (2) *primus Viennensis Ecclesiæ episcopus*, postquam ejus decessores jam memorasset; idque non errore, ut putavit Blondellus; neque consulto, quasi illum *primum* et non *quartum* Viennensem episcopum credidisset, ut sibi persuasit Tillemontius : sed propterea quod *tres*, vel saltem *duo Veri* eam sedem diversis temporibus implevissent, ut mox dicam.

« Nec obstat, ex Adonis Chronico (3) *Verum* ... D. CI sub *Trajano* floruisse, et A. D. CLXIII *Justum* ejus successorem martyrio coronatum : cum enim primis illis temporibus fatiscat chronologia Adonis, satis est rem ipsam ab eodem fuisse litteris traditam, licet non adeo certo tempori affixam, eo quod res chronologica esset luxata sæculo IX, quo scripsit Ado.

« Si autem *Verus* qui adest in Chronico Adonis, ab ejusdem Martyrologio abest ; non inde consequitur, ab aliena manu in Chronicon irrepsisse, quod Guillelmus Morellus typographus regius cum editione Jodoci Badii, et cum *antiquissimo* codice Viennensi collatum vulgavit Parisiis A. D. 1561, quippe neminem fugit librarios in Martyrologiis exscribendis alios sanctos addere, alios omittere consuevisse : unde quot sunt Martyrologii Usuardini codices calamo aut typis descripti, totidem spissa lectionum discrimina in iisdem occurrunt. Pari pacto Desiderius Veri II successor in eadem sede Viennensi, qui martyr obiit A. D. 607, memoratur in Chronico Adonis (4), reticetur in Martyrologio, quanquam ipsemet Ado seorsum ejus martyrium descripsit. Vide Cointium (5). Itaque suscipienda est traditio Ecclesiæ Viennensis quæ *Verum* tanquam *martyrem*, sive ut phrasi utar Adonis, *confessione fidei illustrem* colit die prima Augusti : *victor enim de mundi principe triumphavit*, teste Pio ; licet martyrii nota (quod alibi etiam sæpe contingit) desit in Bedæ, Galesinii et Baronii martyrologiis : in Usuardo quoque Carthusiano et Bruxellensi apud Sollerium (6), ubi tamen non *Verus*, sed *Severus* dicitur.

« Ex his patet, huic *Vero* martyri nihil esse commune cum *Vero* illo, qui A. D. 314 interfuit concilio I Arelatensi, in quo sic legitur (7) : *Verus episcopus, Beda exorcista, de civitate Viennensi :* ubi nihilominus non *Verum*, sed *Claudium* interfuisse ait Ado (8) : forte enim in concilio obiit *Claudius*, cui statim suffectus est *Verus :* quare uterque interesse potuit ; nisi idem fuerit binominis, vel Adonem ex Baronio (9) falsum esse malimus ; quemadmodum falsus est affirmando, illud concilium ex episcopis *sexcentis* coactum tempore *Nicæni*, cui tamen *undecim* annos præivit, *ducentisque* tantum episcopis constitit. Hic *Verus*, ut notat Baronius ad diem I Augusti, *secundus* est ejus nominis episcopus Viennensis : *tertius* enim qui rectius dicitur *Virus*, vixit A. D. 583, post Evantium et ante Desiderium, ex Adone in Chronico et Martyrologio die III Januarii. Hoc *Viri* nomen alias antiquis minime ignotum observat Petrus Franciscus Chiffletius (10). Trium *Verorum* distinctionem post Baronium olfecit etiam Bollandus (11).

« Jam ad *Justum* episcopum *Veri* I successorem descendamus. Ado in Chronico, nimirum in proprio, non in alieno opere, eum non semel quidem, sed iterum et tertium nominat. Nam sub Adriano, ait (12) : Hoc itidem tempore *Justus Viennensis Ecclesiæ episcopus, illustrissimus in confessione exstitit.* Sub Antonino de eodem sic scribit (13) *Viennensium episcopus Justus adhuc clarus habetur.* Et demum sub M. Aurelio (14) : *Justus Viennensis episcopus longo tempore exsilio maceratus, martyr gloriosus efficitur.* In appendice ad Martyrologium Adonis quod vulgavit Rosweydus, die IV Maii hæc de eo leguntur : *Memoria beatissimi Justi Viennensis episcopi :* et quasi hæc lectio sine expressione martyrii non esset satis genuina, eam Rosweydus asterisco signavit. *Justus* eadem die recensetur in Bedæ Martyrologio, et etiam apud Usuardum, editionum Lubecensis et Coloniensis A. D. 1475, 1490, et in codice Bruxellensi apud Sollerium (15). Rursus in duobus aliis Martyrologiis mss. Ecclesiæ Viennensis, in Kalendario antiqui Missalis in Floriano ms. Sanctorum tomo II Maii Bollandiani, et in catalogo ibidem exscripto, in quo passus traditur sub M. Aurelio. Rectius profecto ejus sedes inter Antoninum et Marcum arctatur : ut proinde illi tribuendi non sint tot anni, ac vulgo tribuuntur.

« Ex his quæ dicta sunt, existimo, epistolæ sancti Pii sinceritatem, iis quæ de Vero et Justo in ea memorantur, infirmari neutiquam posse. *Attalus* autem et litteras martyrum et nuntium de Veri triumpho ad Pium tulisse dicitur in hac ejusdem epistola ; quia moris fuit, cum episcopus ad episcopum scriberet, alicui tantum Ecclesiæ ministro litteras credere. Adi Baronium ad diem III Februarii. Neque is Attalus a celebri Pergameno diversus putandus est ; cujus postea et cæterorum agonem egregie toleratum, epistola ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad Asianos scripta testatur apud Eusebium (16). Tunc Viennam episcopum proprium, et quidem *Justum* de quo loquimur, habuisse concludit Henricus Valesius in notis ad eamdem epistolam : dum enim *ex* UTRAQUE *ecclesia præstantissimi quique detenti* dicuntur, manifesto apparet Viennam perinde ac Lugdunum, suum tunc episcopum habuisse, nempe A. D. 177, qui fuit XVIII imperii Marci ; quippe *Ecclesia* ab antiquis scriptoribus non dicitur nisi *matrix*, quam *cathedralem* vocamus. Valesio astipulatur Rumartius (12). Recte ergo sanctus Pius Justum recens electum sic alloquitur : *Tu vero apud Sematoriam urbem Viennensem ejus loco* (id est Veri) *a fratribus constitutus et colobio episcoporum vestitus, vide ut ministerium quod accepisti, in Domino impleas.* Hæc de re historica, in Pii litteris comprehensa.

VI. « Sed Blondellus et Tillemontius *colobium* istud Justo detrahere conantur, ceu vestimenti genus episcopo minime proprium. An jure id agant, jam a nobis quærendum est. Veteres tam Romani quam Græci duplicem *tunicam* exteriorem habuerunt : aliam manicatam et longam, quam *chiriodotum ;* aliam nec manicatam nec longam, quam *colobium* Græce, unicam Latine dixerunt. Consulantur de hoc Justus Lipsius (18) et Octavius Ferrarius (19). Tertullianus *tunicam* ejusmodi sive

(1) *Morin.* lib. I. Exercit. XVIII.
(2) *Baron.* ad ann. 166, § VII.
(3) *Ado.* Chron. ætat. V, pagg. 124, 127.
(4) Id. ibid , ætat. VI, pag. 189.
(5) *Coint.* Annal. Eccl Francor. tom. II pag. 576.
(6) *Bolland.* Act. SS. Junii tom. VII, pag. 441.
(7) *Labb.* Concil. tom. I, pag. 1429.
(8) *Ado.* Chron. A. D. 306. pag. 144.
(9) *Baron.* ad ann 314, § 49.
(10) *Chifflet.* Not. ad Fulgent. Ferrand., pag.269.
(11) *Bolland.* Act. SS. Jan, tom. I, pag. 822.
(12) *Ado.* Chron. ad ann. 120, pag. 125.
(13) Id. ibid. ad ann. 141, pag. 126.
(14) Id. ibid, ad ann. 163, pag. 127.
(15) *Bolland.* Act. SS. Jun. tom. VII, pag. 253.
(16) *Euseb.* Hist. eccl. lib. V, cap. 1.
(17) *Ruinart.* Act. martyr. pag. 63, edit. II.
(18) *Lips.* Antiq. lection. lib. IV, cap. 8.
(19) *Ferrar.* de re Vestiar. lib. III, cap. 8.

colobium, vestem tam gentilibus quam Christianis alias communem sic graphice delineavit (1) : *Neque trans crura prodige, nec intra genua invereconde, nec brachiis parce, nec manibus arcte.* Sed erat etiam aliud *colobium* a vulgari et communi diversum, quo uni episcppi in sacris utebantur, propterea dictum a Pio *colobium episcoporum.* De eo fit mentio in Actis Petri Alexandrini sub Maximino passi, quæ in suum Martyrologium transtulit Ado VII Kal. Decembris : ibi enim vir sanctissimus Christum sibi apparuisse memorans : *Erat autem*, inquit, *indutus* COLOBIO LINEO CANDIDO, *nimis conscisso a summo usque deorsum, et ambabus manibus conjungebat illud circa pectus suum, quodammodo cooperiens nuditatem suam : quem ut vidi, timore nimio correptus, tandem confortatus aio ad eum : Quid est, Domine, quod video* TUNICAM *tuam scissam a summo usque deorsum?* Eadem prostant in vulgato Martyrologio Bedæ, et in meo codice ms. Usuardi. Sic Petrus unum idemque vestimentum et *colobium* et *tunicam* vocat. His respondent Acta Græca edita a Francisco Combefisio, ubi legitur (2) Κολόβιον et Χιτῶνα : quod postremum Anastasius Bibliothecarius interpres, apud Baronium (3) generatim vertit *indumentum*, cum potius *tunicam* vertere debuisset.

« Auctor *De divinis officiis* cap. XXXIX (4), et Honorius Augustodunensis (5), *colobium* a B. Silvestro in *dalmaticam* versum affirmant : eamque ab eodem pontifice initium sumpsisse tradit etiam Walafridus (6) ; quorum dictis acquievit cardinalis Bona (7). Contra Anselmus Lucensis (8), Eusebio in testem abducto, Liberium *dalmaticæ colobii* Sylvestrum. auctores facit. Sed Anselmus dubio procul sua hausit ex Actis apocryphis S. Sylvesiri ; quæ ideo tribuit Eusebio, quod initio Prologi occurrant hæc verbo : *Historiographus noster Eusebius Cæsareensis, cum Historiam ecclesiasticam scriberet, prætermisit ea quæ se in aliis opusculis meminit scripsisse.* Hæc Hcta Latina, sexcentis ab hinc annis exscripta, quæ mecum olim communicavit doctissimus æque ac piissimus cardinalis Thomasius, *colobii* institutionem tribuunt Sylvestro, occasione, qua Euphrosynus episcopus ex Oriente Romam profectus, *accedens ad sacrificandum Christi mysteria,* CANDIDISSIMO COLOBIO *utebatur :* quod COLOBIUM *sancti Jacobi fuisse perhibebat. Dicebat autem justam esse reverentiam, ut dum divinis mysteriis sacerdos assistit, his utatur vestibus quæ habitum apostolorum in sacerdotibus exhibent.* Inde statim hæc subjunguntur : *Sicque factum est, ut a sancto Sylvestro et presbyteris ejus* COLOBIORUM *usus sumpsisset initium ; quo Marcus et Julius et Liberius eo ordine usi sunt. Post hos autem* COLOBIA *in dalmaticas commutata sunt.* Hæc eadem occurrunt in Actis Sylvestri Græce editis a Combefisio (9).

« Verum quæ de *colobiis* hic narrantur, omnino falsa esse colligimus ex genuinis Cypriani episcopi et martyris Actis proconsulsribus, in quibus cum ille duceretur ad supplicium, *colobium* seu *tunicam* dimisisse memoratur : *et cum se* TUNICA *exspoliasset, et diaconibus tradidisset, in linea stetit et cæpit speculatorem sustinere.* Ita habent antiqui codices mss., teste Baronio (10), Ruinartio (11) et Joanne Fello ad opera Cypriani : unde prorsus contemnenda est vulgata lectio, quæ loco *tunicæ* habet *dalmaticam.* Hanc lectionem librariorum audaciæ tribuit idem Fellus : cum enim officiosi homines *tunicam* dignitati episcopali respondere non crederent, *dalmaticam* substituerunt. In Adonem Rosweydi XVIII Kalendas Octobris *dalmaticam* manifesto irrepsisse comperimus. Ibi de Cypriano sic legitur : *Dalmaticam* TUNICAM *tulit, et diaconibus tradidit, stans in linea.* Vox *dalmaticam* inepte redundat. Papias et vulgatus Alcuinus *colobia* ideo in *dalmaticas* versa scribunt, quia *nuditas brachiorum culpabatur.* Sed hoc ingenium magis quam fidem historicam sapit. *Colobium* fuit *tunica* exterior : interior autem *subucula*, ut patet ex Actis S. Cypriani, qui deposito *colobio*, sive *tunica* exteriore, in interiore nempe in *linea* stetisse dicitur. Quare licet *colobia* manicis ultra cubitum protensis carerent, non ideo tamen *nuditas brachiorum* culpari poterat, quæ ab interiore tunica tegebatur. Non ergo in Ecclesia Latina *colobii* auctor fuit S. Sylvester, aut eo recentior pontifex : sed Apostoli in suos successores episcopos hujus vestimenti morem et formam transmiserunt.

« *Colobio* pallium superinjiciebatur : tantum abest ut *colobium* ipsum fuerit *pallium ;* quo tamen nomine perperam appellatur in Martyrologio Viennensi superius adducto. Hinc Christum Dominum et *tunicam* indutui, et *pallium* amictui habuisse, colligimus ex Joanne (12). Abdias fabulosus (13) de sancto Bartholomæo loquens : *Vestitus*, inquit, COLOBIO ALBO, *clavato purpura, induitur pallio albo, habente per singulos angulos singulas gemmas.* Vide Philippum Bonarotium (14). Eumdem morem nos docent Acta Sylvestri apud Combefisium. Et sane in Occidente diu post Silvestrum ipsumque Liberium, sexto etiam sæculo, episcopos *colobio* usos, duo luculenta testimonia confirmant. Unum est antiqui auctoris, qui descripsit miracula sancti Gibriani presbyteri, æqualis sancti Remigit Remensis episcopi, cujus hæc verba (15) : *Visum est in somnio cuidam ex nostris, sanctum Remigium de loco ubi jacet post altare* COLOBIO ALBO *indutum prodire.* Alterum est Gregorii Turonensis, qui hæc narrat (16) de sancto Nicetio Lugdunensi antistite, cum quo adhuc puer versatus fuerat : *Oram vestimenti sui articulis arripiens, ita se* COLOBIO *concludebat, ut nunquam artus mei beata ejus membra contingerent.*

« Quotquot autem auctores huc usque laudavi, *colobium* una voce *candidum* aut *album* dixerunt. Hoc ipsum confirmat Hieronymus, sacras hujus modi vestes criminantem (17) : *Quæ sunt royo,* ait, *inimicitiæ contra Deum, si* TUNICAM *habuero mundiorem : si episcopus, presbyter et diaconus, et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum* CANDIDA *veste processerint?* Ex his apparet sacrum *colobium* semper *album* fuisse : quod de colobio communi et vulgari non legimus, deque *dalmatica* multo minus ; quam *post alia indumenta sacerdotalia* inventam memorat Bruno Astensis (18) : ejusque usum a summis pontificibus nonnisi privilegio concessum sexto sæculo, docet Magnus Gregorius (19). Imo Hieronymus vestem *candidam* communiter induere, crimini vertit (20). Quare lapsus est Walafridus, sic scribens (21) : *Primis tem-*

(1) *Tertull.* de Pall. cap. 1.
(2) *Combef.* Illustr. triumph. pag. 197.
(3) *Baron.* ad ann. 380, § 5.
(4) Inter opp. Alcuini, 1091.
(5) *Honor. Aug.* Gemm. anim. lib. I, cap. 211.
(6) *Walafr.* De reb. eccl. cap. 24.
(7) *Bon.* Rer. liturg. lib. I, cap. 24, § 18.
(8) *Ansel. Luc.* in lib. ms. Decret. apud Ciacon. in not. ad Cassian. pag. 681, edit. II. Vatic. ann. 1588.
(9) *Combef.* Illustr. martyr. triumph., pag. 265.
(10) *Baron.* Notat in Martyrol. die XXXI Maii.
(11) *Ruinart.* Act. Mariyr. pag. 218, § 15.
(12) *Joann.* XIX, 23.
(13) *Abdias*, Hist. Apostol. lib. VIII.
(14) *Bonar.* Comment. ad sacr. Vitr. pag. 37.
(15) *Bolland.* Act. SS. Maii, tom VII, pag. 624, § 14.
(16) *Greg. Turon.* Vit. Patr. cap. 8, § 2.
(17) *Hieron.* lib. I, contr. Pelag.
(18) *Brun. Ast.* lib, de Sacram. bibl. PP. tom. XX, p. 1629. edit. Lugd.
(19) *Greg. M* lib. VII, Epist. 112.
(20) *Hieron.* epist. ad Nepotian.
(21) *Walafr.* De reb. eccl. cap. 24.

poribus, communi indumento vestiti, Missas agebant.

« Hæc a nobis fuse explicata pro *colobio* sacerdotali in epistola sancti Pii contra insignium criticorum animadversiones, evincunt episcopos a primis usque temporibus *colobium* sibi unis proprium et a communi diversum habuisse ; cui nihil fuit cam monachorum Orientalium colobio sive *lebitonario*, ut appellatur in Vita sancti Pachomii cap. XIV apud Isidorum (1), et apud Cangium in Glossario Græco. Hoc instar *sacci linei* fuisse tradit Rufinus (2). Episcopali *colobio* superiorem *tunicam* successisse puto, quam induunt episcopi subter casulam, ut est apud Amalarium (3), Rupertum (4) aliosque.

« Denique Pius noster epistolam II claudit, Justum hortando, ut inter persecutionum procellas forti animo religionem Christianam palam confiteatur : *Unum*, ait, *te rogabo : in communione sta, et mei ne obliviscaris.* Hæc displicent Tillemontio ægre ferenti. Pium sine causa dubitare de fide et constantia sancti Justi. Sed hæc censura tanto viro indigna est : quot enim orationes paræneticæ occurrunt, sanctissimis viris inscriptæ, ne flagellis et ærumnis a fidei confessione averterentur ? Ejusmodi vero temporibus Justum vixisse, huc usque probatum est, et ex ipsa epistola id satis clare cognoscitur.

VII. « Hactenus pro utriusque Epistolæ sancti Pii veritate pugnavimus. Nunc superest ut interpretationes illorum excutiamus, qui easdem pro genuinis a se receptas, in Calvinianæ sectæ commodum trahere conantur, novitatem quærentes in visceribus vetustatis. David Blondellus, qui pridem ut vidimus impostura suspectas esse pronuntiaverat, sagaciter postmodum ad hac sententia recedens, utramque probavit tum in opere *De Primatu* (5), tum in alio *De Sybillis* (6). Hæc Tillemontinm fugerunt. Blondello enim contrariam sententiam affingit, perinde ac Pii Epistolas cum judicio Baronii, in suo eodem libro de Primatu recitatas, explosisset : qua in re vir oruditus, ut multa scribentibus sæpe contigit, memoria lapsus est, volumen *de Primatu* cum *Pseudo-Isidoro* confundens Idem Blondellus suam hæresim antiquissimis testibus, si Deo placet, roboraturus, Pii epistolis tanquam veris alibi quoque abutitur (7). Presbyterorum enim et primæ sedis prærogativam, in alios jure electionis et suffragiorum sub pontifice Pio transferri cœpisse nobis obtrudit : inde factum ratus ut ad Justum, episcopum constitutum et Roma Viennam paulo ante profectum, idem Pius hæc scriberet : *Presbyteri et diaconi te observent.* Ne quis autem presbyteros episcopali gradu dejectos putaret, ob unum quem communia Ecclesiæ suffragia illis præposuisset Blondellus commiscitur, a Pio more majorum apostolicos viros, quotquot antea Dominicum gregem paverant, generali *presbyterorum* nomine nuncupatos his verbis : *Presbyteri illi qui ab apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum Dei partiti sumus, a Domino vocati, in cubilibus æternis clausi tenentur.* Ita quidem Blondellus.

« Quia vero novatorum studia semper in unam metam collineare noscuntur, hæc commenta avide arripuerunt Calvinianæ scholæ prima capita Joannes Dallæus (8), et Walo Messalinus, seu Claudius Salmasius (9). Sed longe falluntur illi. Tantum enim abest ut eorum causæ ulla in re suffragetur Pius ; ut maxime etiam penitus eampem evertat. Hoc paucis et nullo negotio demonstro. Pius monet Justum, dum ei gratulatur episcopatum, de munere diligenter implendo, ut cæteris inferioris gradus se præbeat exemplum : *Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu sancto proba. Ut perseverent in fide, eis incitator exsiste. Presbyteri et diaconi non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent. Plebs universa tua sanctitate protegatur.* Itaque Pius jubet, episcopum ita se exercerein operibus Christianæ pietatis, ut quanquam, ipsa episcopalis gradus prærogativa, suorum caput exsistat, modestia tamen, inferioris ordinis viros æquare studeat, ex more scilicet docirinæ apostolicæ sancti Pauli ad Timotheum. Apposite ergo Henricus Hammondus Blondellianæ argumentationis levitatem irridens, Justum episcopali charactere supra presbyteros efferri considerat (10), ut eum ipsi observare jubeantur ; quæque a Pio *de presbyterorum, eadem etiam de diaconorum observantia* dici : adeo ut non solum presbyteros episcopis, sed diaconos etiam presbyteris et episcopis æquatos, ex Pii verbis concludi possit, ubi fatua illa Calviniana expositio admittatur. De utriusque enim loquitur Pius : PRESBYTERI *et* DIACONI *non ut* MAJOREM, *sed ut* MINISTRUM *Christi te* OBSERVENT. Quibus verbis Pius respexit ad illud Domini (11) : *Qui major est vestrum erit minister vester.* Et iterum (12) : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.* Ubi dici videtur *præcessor*, qui in Ecclesia sublimiorem consecutus est gradum : ut *apostoli* erant consecuti, *et post eos episcopi*, inquit Hugo Grotius. Nemo autem ad Christi exemplum vitam suam efformasse censendus est, qui non *observantiam* omnem sibi ut ministro Christi, non certe ut majori, præstari velit. Huc facit quod Wibertus scribit (13) de sancto pontifice Leone IX : *Illud beati papæ Gregorii dictum præ oculis mentis videtur habere : Primus esse non audeat, qui subesse non didicerit.*

« Cætera examinare pergamus *Presbyteros ab apostolis educatos* de quorum dormitione loquitur Pius, Calviniani *episcopos* fuisse garriunt. Vellem equidem addidissent, unde hoc colligerent : nam Pius secundi ordinis sacros ministros, non certe *collegas*, aut *episcopos*, sed *presbyteros* vocat : *Salutant te Soter et Eleutherus digni* PRESBYTERI. Sed Verum, episcopum Viennensem allectum, *colleyam* suum non sane *presbyterum* appellat. Justumque ejusdem Veri *loco a fratribus constitutum et colobio episcoporum vestitum* agnoscit ; electione scilicet, non ordine antiquitatis. Quare *presbyteri ab apostolis educati* qui diem suum obierant, non sunt Ecclesiarum rectores qui in varias mundi regiones profecti, Dominicum gregem episcopi paverunt, ut Blondellus et Salmasius comminiscuntur ; sed sunt pauci illi *presbyteri* tunc superstites, quos Romæ et non alibi de facie noverat Justus, ut cum quibus sibi subjectis *verbum fidei*, se veluti summum episcopum *partitum fuisse* testatur Pius ; qui cum de clero sui temporis loqueretur, distinctionem ordinum et nominum accurate observavit, secus ac sectarii nugantur : quod adnotavit etiam Pearsonius (14), licet aureas hasce

(1) *Isidor.* Origin. lib. XIX, cap. 22.
(2) *Rufin.* de Vit. Patr. lib. II, cap. 3.
(3) *Amal.* de eccl. Offic. cap. 22.
(4) *Rupert.* lib. I, cap. 23.
(5) *Blondell.* de Primat. pag. 713.
(6) Id. de Sibyll. lib. II, capp. 6, 7, 9, pagg. 60, 62, 69.
(7) Id. Apolog. sect. 2, § IV, pag. 18.
(8) *Dallæus*, De script. Dionys. lib. II, cap. 26, p. 397.
(9) *Salmas.* De episc. et presbyt. cap. 4, pag. 275 et in appar. de Primat. Pap., pag. 60.
(10) *Hammond.* Diesertat. V, pro jurib. episcopat. c. X, § 5, pag. 286.
(11) *Matth.* XXIII, 11.
(12) *Luc.* XXII, 20.
(13) *Wibert.* Vit. S. Leon. IX, lib. I, cap. 6.
(14) *Pearson.* Vindic, Ignat. part. II, cap. 13, pag, 170.

Epistolas parvi fecerit,perperam sane,ut satis probatum. Salmasium Pii epistolis abutentem alia via refellit Petavius (1).

VIII. « Ex his patet Guillelmum Cave in Pearsonii et Dodwelli sententiam temere ivisse,his de suo præterea superadditis contra easdem epistolas (2) : *Communi fere doctorum consensu, tanquam spurias rejici ; nec ipsum Bellarminum qui ex iis testimonium citat* (3), *veluti indubitatæ fidei, defendere audere* Somniat Caveus : nam Bellarminus de litteris ad Justum Viennensem l.c.non loquitur,sed de epistola decretali Piummentiente,*omnibus Ecclesiis* inscripta : quas quidem epistolas decretales, non exspectato heterodoxorum judicio, inter spurias merces a nobis ultro rejici, ingenue fatetur Cardinalis Bona (4) ex ore Cardinalis Historici (3),quibus addatur Bellarminus l. c., tantosque triumviros nominasse, gratiam inire sit ab hostibus, qui crambem toties recoctam,nempe earumdem epistolarum falsitatem, identidem nobis objiciunt. Non moror Caveum, ubi Pii epistolarum fidem se imminuere arbitratur, propterea quod a veteribus memoratæ non fuerint : quot enim antiquissima monumenta superiore sæculo emerserunt,quorum tamen nulla exstabat memoria ? Neque sane opus fuit,binas epistolas,easque brevissimas, in Scriptorum catalogos conjici, alias non passim vulgatas, cum Ecclesiam universalem nequaquam respicerent. Sanctus Pontifex Leo Magnus quot epistolas scripsit ? Et tamen Gennadius, cæteris prætermissis, unam ad Flavianum contra Eutychen memorat (6). Idem auctor celebrem epistolam sancti Eucherii ad Hilarium Arelatensem *de Laude eremi* omnino reticuit (7). Reticuit etiam ejusdem Hilarii *expositionem Symboli* (8), ab Honorato Massiliensi in ejus Vita laudatam ; nullamque omnino mentionem fecit *Eusebii, Silvii* et *Domnoli*, illustrium Gallicanæ Ecclesiæ doctorum qui *scriptis meritissime claruerunt*,teste eodem Honorato in Vita Hilarii.

« Post Caveum dormitavit etiam Tillemontius,ratus a Natali Alexandro (9) et a Joanne Baptista Cotelerio (10) epistolas Pii ad Justum Viennensem reprobari : neuter enim loquitur de alia epistola, quam de illa,omnium criticorum calculis commentitia, quæ *omnibus Ecclesiis* directa est. Haud absimili errore captus est Pagius, a Labbeo non magis utramque probari scribens (11), quam duas decretales doctorum omnium consensu improbatas. Sed tantum abest hoc Labbeo in mentem venisse, ut econtrario nostras pro sinceris et genuinis receperit. Etiam Claudius Castellanus, *a nemine*, ait (12), *in dubium vocari quin epistolæ Pii ad Justum Viennensem sint suppositiliæ*. Hæc toties dicta ferri non possunt. Nunquid pro *nemine* habendi sunt tot viri doctissimi, qui easdem undequaque probarunt ? Georgius Fabricius in epistola a Joannem Haubitium, *thesauri et bibliothecis vetustissimis eruti* loco eas habuit. Joannes Jacobus Grynæus in præfatione ad Monumenta sanctorum Patrum orthodoxographa : *Pii*, inquit, *Romani episcopi duæ epistolæ ob oculos ponunt velut in tabula, illustria exempla vigilantis episcopi, liberalitatis erga Ecclesiam et constantiæ in martyrio*. Et paulo post : *Spirant autem ipsius epistolæ singularem quamdam erga Symmistas charitatem et curam de Ecclesia*. Margarinus Bigneus, Cæsar Baronius, Joannes a Bosco, Severinus Binius, Petrus Pithœus, Joannes Savaro (13) et Papirius Massonus (14), illas velut sinceras uno ore laudarunt. Henricus Spondanus (15) *plane aureas* (post Baronium) appellat. Josephus Vicecomes (16),Philippus Labbeus (17), Joannes Bona, Franciscus Maria Florentinius (18), Dominicus et Carolus Macri in Hierolexico, Carolus Cangius in Glossario Latino et Godefridus Henschenius die IV Maii, earumdem, utpote a sancto Pio scriptarum, sacram auctoritatem plurimi palam fecerunt : ne iterum memorem recentiores heterodoxos, Dallæum,Blondellum,Salmasium et Hammodum ; quorum hic utramque a se receptam contra presbyteriani dogmatis pravas interpretationes, catholice tuetur ; cæteri vero utraque, itidem a se recepta tanquam omni suspicione carente, ad suas impias sententias confirmandas de more abutuntur.

« Profecto nihil non vetustissimum et vere apostolicum in illis elucet. Ut unum adhuc alterumve insigniorem venerandæ antiquitatis characterem indicemus : *collegæ,fratres,plebs*,et reliqua Christiana et ecclesiastica nomina, passim occurrunt in genuinis Epistolis Ignatii et Cypriani ; eadem etiam aliquando structura verborum,ac in epistolis sancti Pii. Quod vero Pius jubet *de curandis martyrum corporibus*, omnino consonat epistolæ VIII, al. III, sancti Cypriani, illique quam Ecclesia Smyrnensis scripsit de martyrio sancti Polycarpi. Quod demum significat Pius,revelatum sibi fuisse, citius se diem obiturum, simile est exemplo Polycarpi, de quo scribit Ecclesia Smyrnensis (19) : *Signum, ante triduum quam comprehenderetur, revelationis accepit*. Sic etiam Cyprianus revelationes sibi a Domino ostensas amicis patefecit (20). Hæc fusius persequi oportuit, ut omnes suspicionum nebulas ab integerrimis epistolis amoliremur. »

Hactenus vir eruditissimus : qui et alibi (21) habet complura de *Hermete* S. Pii fratre, cui cognomentum *Pastor* ; eaque simul illustrat quæ de eodem *Pastore* in secunda epistola ad Justum episcopum Viennensem scribit sanctus pontifex : ubi et virorum illustrium de *Hermete* atque *Herma* eorumque libris disserentium lapsus detegit. Id autem admonuisse propterea oportuit,ne lectorem ea remorentur, quæ ad illum laudatæ epistolæ secundæ locum placuit cl. Coutantio adnotasse (22).

(1) *Petav.* de Eccl. Hier., lib. I, cap. 12, §§ 21 et 22.
(2) *Cav.* Hist. litter. ad ann. 158.
(3) *Bellarm.* De Rom. pontif. lib. II, cap. 14.
(4) *Bona*, De reb. liturg. lib. I, cap. 3, § 1.
(5) *Baron.* ad ann. 865, § 4.
(6) *Gennad.* Catal., cap. 70.
(7) Id. ibid., cap. 63.
(8) Id. ibid., cap. 69.
(9) *Nat. Alex.* Hist. eccl. sæc. I, cap. X, art. 7,
(10) *Cotel.* ad PP. Apost., pag. 42, edit. I.
(11) *Pagi* Crit. ad ann. 165, § 4.
(12) *Castell.* not. ad d. XIII Jan.
(13) *Savar.* ad Sidon, lib. IV, epist. 3, et lib. IX, epist. 3.
(14) *Masson.* De Episc. Urb. lib. I, pag. 11.
(15) *Spondan.* ad ann. 112. § 4.
(16) *Vicecom.* de Miss. ritib., lib. I, cap. 8, et de Miss. appar. lib. III, cap. 24.
(17 *Labb.* Conc. tom. I, pag. 576.
(18) *Florent.* ad Martyr. vet., pag. 715.
(19) *Eccl. Smyrn.* Epist. de martyr. S. Polycarpi, cap. 5.
(20) *Cypr.* Epist. 11 et 16, al. 8 et 10 et lib. de Mortal.
(21) *Fontan.* Hist. litt. Aquil., lib. II, capp. 1 et 2, pagg. 63, 67 seqq.
(22) *Coutant.* Append. ad Epist. Rom. Pontif., pag. 19.

PII I PAPÆ EPISTOLÆ

(Ap. MANSI *Concil. ampl. collect.*, I, 671.)

EPISTOLA PRIMA (23-27).

AD UNIVERSOS CHRISTI FIDELES.

Ut die Dominico Pascha celebretur: quod prædium Ecclesiæ subtrahens ut sacrilegus judicetur, et si quis ex ministris episcopo inobediens fuerit, aut contumeliam aut insidias aut calumniam paraverit, curiæ tradatur.

Omnibus Ecclesiis, in eadem qua sumus fide et doctrina manentibus, Pius apostolicæ sedis archiepiscopus.

Gratias agimus, fratres, Deo, quoniam crescit « fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque omnium vestrum in invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei [84]. » Videte, fratres, videte, ut « nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum (28) quæ non vidit (29), ambulans frustra, inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei [85]. Sed induite vos sicut electi Dei, sanctæ et dilecti, viscera misericordiæ, A benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Et sicut Christus donavit vobis, ita et vos. »

I.

Ut die Dominico Pascha celebretur.

[87] Cæterum nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum (30). Istis ergo temporibus [88] Hermes doctor fidei (31) et Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ angelus Domini B in habitu pastoris apparuit, et præcepit ei, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur. Unde et vos apostolica auctoritate instruimus, omnes eadem servare debere, quia et nos eadem servamus, nec debetis a capite quoquo modo dissidere. Cavete diligenter omnes « ne quis vos decipiat per

[84] II Thes. I, 3, 4. [85] Coloss. II, 18. 19. [86] Coloss. III, 12, 13. [87] *De consecr.* distinct. 3 : *Nosse vos volumus.* [87], Vide nostram diss. *De script. Eccles.* tom. I.

(23)-27) Nullius fidei apud eruditos.

(28) *Nemo vos seducat in religione angelorum.* Verba sunt apostoli Pauli ad Coloss. capite II scripta, non quod sensit Hieronymus epistola 251, quæst. 10, adversus Judæos cœlicolas, stellas cœli, angelos esse credentes, neque etiam adversus Simoniacos, ut sentit Bellarminus; sed potius contra Cerinthi perniciosissimum dogma hoc, quo adeo humiliter de Christo sentiebat, ut omnem ab eo divinitatem auferret, nudum hominem fuisse doceret, angelos omnes qui mundi opifices fuerant super eum extolleret. Ita Cerinthum sensisse non tantum ex Irenæo et Epiphanio, sed etiam Tertulliano *De præscript.*, cap. 28, constat. Cum igitur Cerinthus Christum deprimeret, et angelos exaltaret, merito Paulus epistola ad Colossenses, et Pius pontifex C omnes alias Ecclesias hac epistola admonet dicentes: *Nemo vos seducat in humilitate* (Christi scilicet, cum ob scandalum crucis illum nimis humilians, hominem tantum fuisse prædicaret) *et religione angelorum.* Naturæ enim ac mundi corporei opifices eos fuisse jactantes, religiose nimis deprædicabant. Theodoreti expositio hujus loci et censura canonis 35 concilii Laodiceni, præterquam quod periculosa sit, vera non est. Cerinthus enim angelos mundi opifices non modo non docebat esse colendos et adorandos, sed potius, tanquam malorum auctores, odio habendos esse. Vide Baronium anno Domini 60, n. 15 et sequentibus usque ad 20. Item notas nostras in canon. 35, concil. Laod. Cur Pius pontifex omnes Ecclesias hoc loco sicut Paulus Colossenses admonuerit, causa est, quod Cerinthus ejusque sectarii hoc tempore eadem perverse docentes, multos a fide averterint, ut patet ex epistola Pii pontificis ad Justum Viennensem scripta, quam nunc primum hic tertio loco et ordine subjicimus. Sev. BIN.

(29) *Quæ non vidit.* Videntur Paulus et Pius alludere ad id quod de eodem Cerintho Theodoretus lib. II, cap. 4, *Hæretic. fab.*, scripsit, dicens : « Confinxit autem etiam quasdam revelationes, tanquam ipse eas esset contemplatus. » Ad captandam enim audientium fidem, illis utebatur, multa se divinitus vidisse mentiens, quæ, ut inquiunt Paulus et Pius, non vidit. Baronius anno Christi 60, num. 18. ID.

(30) *Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum.* Ex verbis sequentibus : « Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, C quia tamen quidam inde dubitarunt, » etc., satis aperte constat, constitutionis illius (qua præcipitur, ut Christiani die Dominico tantum, post vernale æquinoctium occurrente, Pascha celebrent, ne scilicet Christianorum et Judæorum Paschalia festa unquam simul incidere possint) auctorem primum hunc pontificem Pium non fuisse, sed potius ab apostolis, quod prolixe satis supra ad canonem apostolorum 8 notavimus, institutum esse; Pium vero pontificem hanc traditionem apostolicam judaizantium Ecclesiarum consuetudine violatam, edito scripto, et renovato duntaxat decreto firmasse et stabilivisse. Vide Baron. anno Christi 159, num. 1 et seqq. Item ea quæ diximus supra ad canon. apostolorum 8 ID.

(31) *Istis ergo temporibus Hermes doctor fidei.* Quis et qualis fuerit Hermes, patet ex iis quæ diximus supra, in noctis ad Vitam Pii. ID.

aliquam astrologiam vel philosophiam (32) et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi,et non secundum Christum » et traditionem rectam ; « in Christo enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut sitis in illo repleti,qui est caput omnis principatus et potestatis [90], » qui et hanc sanctam sedem apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente principi apostolorum : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ; et tibi dabo claves regni cœlorum ; et quodcunque ligaveris super terram,erit ligatum et in cœlo ; et quodcunque solveris super terram,erit solutum et in cœlo [91]. » Sine dubio qui contra mandata Dei agit, peccat, et qui consensum præstat erranti. [92] Quid enim prodest illi,suo errore non pollui,qui consensum præstat erranti [93] ?

II.

A quibus non oporteat episcopos accusari, et de his qui transgrediuntur jussa apostolicæ sedis.

[94] Oves enim pastorem suum non reprehendant, plebs vero episcopum non accuset,nec vulgus eum arguat, quoniam « non est discipulus super magistrum, neque servus supra dominum [95]. » Episcopi autem a Deo sunt judicandi, qui eos sibi oculos elegit. Nam a subditis aut pravæ vitæ hominibus non sunt arguendi, vel accusandi, aut lacerandi, ipso Domino exemplum dante, quando per seipsum ejecit de templo,et mensas nummulariorum proprio evertit [96] flagello, et ejecit de templo [97]. Et sicut alibi per Prophetam loquitur, dicens : « Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos discernit [98]. »[99] Si quis vero a suo proposito retrorsum exorbitaverit,et jussum apostolicæ sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur. Reprobari ergo oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt. [1] Fides autem et conservatio primum scrutanda est denuo, qui irreprehensibiles apparuerint, sunt recipiendi,et non prius ; quia « bonus homo,testante Veritatis voce,ex bono thesauro cordis sui profert bona, et malus homo ex A malo thesauro eordis sui profert mala. Ex abundantia enim cordis os loquitur [2]. » Ideo persona et opinio ac vita unuscujusque in initio rimanda est, quia boni semper infestantur a malis. Boni enim cum malis,licet misti sint in Ecclesia,vix concordare inveniuntur,quoniam dissimilis est eorum cogitatio,voluntas et actus [3].Nihil enim prodest homini jejunare,et orare, et alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtrectationibus lingua cohibeatur.Unde ait Propheta : « Cohibe lingua tuam a malo, et labia tua de loquantur dolum.Diverte a malo,et fac bonum [4]. » Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult ; quantominus in [5] suspicionem debet venire fidelis homo, ut dicat aut faciat ea quæ pati non vult ? [6] Quia omnis suspicio potius repellenda est, quam B approbanda vel recipienda. « Charitas enim non quærit quæ sua sunt [7], » sed quæ aliorum ; quia unius causa, multorum non est præferenda : « Sectamini charitatem,æmulamini spiritualia [8]. Charitas enim patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam,non inflatur,non est ambitiosa,non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia credit,omnia sperat,omnia sustinet. Charitas nunquam excidit [9]. » Semper rogo vos, ut deteriora rejiciatis,et meliora præficiatis ; quia nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, et ea sectamini indifferenter.

C Data septimo Idus Aprilis [10], Claro et Severo viris clarissimis consulibus [11].

EPISTOLA II (33).

ITALICIS DIRECTA.

Quæ divinis sunt assignata usibus, ad humanos usus sine sacrilegio non posse transferri.

Pius Romanæ urbis archiepiscopus, Italicis fratribus salutem in Domino.

Scitis, fratres, quia « Dei agricultura sumus [12]; » ideo ejus adjutores esse debemus secundum gratiam,quam ipse dedit nobis. Si autem hoc esse ne-

[83] Euseb. in *Chron.* ad an. 145. [90] Colos. II, 8, 9. [91] Matth. XVI, 18, 19. [92] 8, distinct. : *Quid enim prodest.* [93] Horm ep. 25. [94] 6, q. 1 : *Oves pastorem.* Et in *Decr.* Ivon. lib. IV. [95] Matth. X, 24; Luc. VI, 50. [96] Isid. III, sent. 39. [97] Joan. II. [98] Psal. LXXXI, 1. [99] 3, q. 5 : *Si quis vero a.* [1] Hadr.coll. 4, 5, 15. [2] Matth. XII, 35; Luc. VI, 45. [3] Cæsar. hom. 23. *De pœnit* distinct. 3 : *Nihil prodest* ; et *De consecr.* distinct. 5 : *Nihil enim prodest.* [4] Psal.XXXIII, 14, 15. [5] Sixti phil.sent. 168 et 169. [6] 6. q. 1 : *Oves pastorem.* [7] I Cor. XIII, 5. [8] I Cor. XIV, 1. [9] Cor. XIII, 4, 8. [10] in ms. IX *Kal. Aprilis* HARD. [11] Consules hi notantur in fastis an. Christi 146. Ib [12] I Cor. III, 9.

(32) *Cavete diligenter,ne quis vos decipiat per aliquam astrologiam aut philosophiam.* Aquilam Ponticum credo,qui sub Adriano imperatore vixit ; ex judiciario astrologo Christianus, ex Christiano vicissim astrologus et apostata Judæus, ac demum sacræ Ecclesiæ hostis et inimicus est factus, notandum atque fugiendum admonet ; de quo Epiphanius libro *De mens. et pond.* hæc ait : « Aquila igitur mente compunctus (intellige ob miracula quæ per Christianos fieri videbat),Christianismo credidit,et cum petiisset progressu temporis signaculum in Christo, idipsum assecutus est. Cum autem a pristino suo habitu non discederet, a credendo videlicet vanæ astrologiæ,quam exacte edoctus erat ; sed quotidie positionem nativitatis suæ spectaret,redargutusque a doctoribus et increpatus ea gratia, se non corrigeret,sed potius contentiose opponeret,et non consistentia confirmaret,fatum videlicet et narrationes de ipso, expulsus est rursus ab Ecclesia, veluti nutilis ad salutem. Ex quo facto amarulentiam. veluti ignominia affectus, mente concepit, et ad emulationem elatus est ; et abnegato Christianismo ; psiusque vita, proselytus fit, et circumciditur Judæus ; atque

(33) Pariter suspecta.

glexerimus, nulli dubium est, quod damnabimur. Si vero in ejus servitio pro viribus laboravimus, verique ejus adjutores fuerimus, ejusque voluntatem implere studuerimus, profecto ab illo ditabimur, quia « uniuscujusque opus, quale sit, ut ait Apostolus, dies Domini declarabit et ignis probabit [13]. «

Ad sedem autem apostolicam perlatum est,quod sint inter vos contentiones et æmulationes : et [14] prædia divinis usibus tradita, quidam humanis [15] applicant usibus, et domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant.Quapropter ab omnibus illius [16] usurpationis contumelia depellenda est,ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata (34), a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, et sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos et Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addant, et deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, et crescit in templum Dei, [17] Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, et ejus præcia et donaria exspoliat et invadit, fit sacrilegus: sic et ille qui ejus sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit,et sacrilegus judicatur ; « Æmulamini, fratres, charismata meliora [18], » et nolite talia agere,nec eis commisceri aut consentire, qui talia agunt ; quoniam non solum,qui talia agunt, sunt hujus criminis rei, sed qui facientibus consentiunt [19]. » [20] Non ergo gravius peccatum est fornicatio, quam sacrilegium ; sed sicut majus est peccatum quod in Deum committitur,quam quod in hominem, sic gravius est sacrilegium agere, quam fornicari. De talibus enim ait Apostolus : « Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.Ego quidem absens corpore præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, in virtute Domini nostri Jesu Christi, hujusmodi tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesus Christi. Non est bona gloriatio vestra.Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Expurgate, inquit Apostolus, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.Scripsi vobis in epistola, ait idem ipse Apostolus, ne commisceamini fornicariis,non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris,aut rapacibus, aut idolis servientibus ; alioquin debuerjatis de hoc mundo exiisse.Nunc autem scripsi vobis,non commisceri. Si quis frater nominatus est fornicator,aut avarus,aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus,aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare ? Nonne dc his, qui intus sunt, vos judicatis ? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis. Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos,et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti Dei de mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis ? Nescitis quoniam angelos judicabimus ? quanto magis sæcularia ? Sæcularia igitur judicia si habueritis,contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare fratrem suum ? sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles ? Jam quidem omnino delictum est in vobis,quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis ? Quare non magis fraudem patimini ? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis,et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,

[13] I Cor. III, 13. [14] 12, q. 2 : *Prædia divinis.* [15] Hincmar. *De statu Ecclesiæ.* [16] Cod. Theod. lib. XVI, tit. 2, const. 40. [17] 17, q. 4 : *Sicut qui Ecclesiam.* [18] I Cor. XII, 31. [19] Rom. I, 32. [20] Hincmar. *ibidem.*

atque tunc laborioso studio tradidit seipsum ad discendum Hebræorum linguam, et ipsorum elementa. Ubi vero hanc summe didicisset, interpretatus est,non recta ratione usus, sed quo aliqua ex receptis libris perverteret,irruens in Septuaginta duorum interpretationem, ut testimonia de Christo in Scripturis probata aliter ederet. » Hæc Epiphanius de Aquila prædicto loco. Baron. anno 137, num. 8 et 9. SEV. BIN.

(34) *Ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata.* Hoc loco sacrilegia, quæ sunt furta aut rapinæ rerum Ecclesiæ acquisitarum, prohibentur,et possessio bonorum temporalium eidem conceditur.Nam sicut olim Levitis, quanquam decimis ditarentur, non erat omnino interdicta rerum possessio,quippe qui ex mandato Dei, Num. XXXV, in singulis tribubus urbes sacerdotales habebant ad habitandum,ita etiam nec Christianæ legis sacerdotibus eorumdem bonorum possesio interdicta probatur. Ecclesias enim Christianorum,possessiones olim sub gentilibus imperatoribus possedisse non tantum Pii papæ et Urbani I epistolæ ad omnes episcopos scriptæ declarant sed ipsa etiam imperatorum edicta,quibus eas illis ablatas reddi mandaverunt, evidenter demonstrant. In edicto enim Constantini atque Licinii hæc scripta leguntur : « At quoniam ipsi Christiani non solum ea loca in quæ convenire solent, sed etiam alia habuisse cognoscuntur, quæ non privatim ad singulos, sed ad jus totius ipsorum communitatis, id est Christianorum, spectabant; singulis qui ea possident, mandes velim, ut omnia per legem,quam supra posuimus,absque ulla controversia Christianis, id est societati ipsorum et conventui reddant. »Porro ea omnia loca, quæ ad Christianos spectare dicit, ecclesiastica fuisse, sequens eorumdem edictum ad Anulinum conscriptum declarat,his verbis : « Quare volumus ut simul ac hasce litteras a nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad catholicam Christianorum Ecclesiam in quibusque civitatibus aut aliis locis pertinent, » etc. Vide Baron. anni Christi 57, n. 82. SEV. BIN.

neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri [21]. » De cætero, salva in omnibus apostolica actoritate, quæcunque sunt ad religionis [22] observantiam pertinentia, locis suis, et a suæ diœceseos synodis audiantur. Et si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum,suo episcopo inobediens fuerit,aut insidias ei paraverit,aut contumeliam, aut calumniam, et convinci potuerit, mox curiæ tradatur. « Qui autem facit injuriam, recipiathoc quod inique gessit [23].Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala [24]. » Evigilate,justi, et nolite peccare.

Data Idibus Martii, Claro et Severo viris clarissimis consulibus [25].

EPISTOLA III (36).

DIRECTA JUSTO EPISCOPO VIENNENSI (37).

Antequam Roma exiisses, soror nostra Euprepia,sicut bene recordaris, titulum domus suæ (38) pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, missas agimus. De te autem, superbeate, postquam ad senatoriam urbem Viennensem perrexisti, quid factum sit, nosse cupimus, et ut sementem Evangelii jam sparseris, audire multum desideramus. Presbyteri illi qui ab apostolis educati usque ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum fidei partiti sumus,a Domino vocati in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus et Marcus (39) per bonum certamen transierunt. Vide, frater, ut illos imiteris sequendo, neque vinculis mundi illigeris. Festina palmam perseverabilem cum sanctis apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit et Petrus, cui crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutant te Soter et Eleutherius digni presbyteri.Saluta fratres qui tecum vivunt in Domino. Cerinthus primarches Satanæ multos avertit [26] a fide (40). Gratia Christi habitet in corde tuo.

EPISTOLA IV (41).

DIRECTA EIDEM JUSTO VIENNENSI EPISCOPO.

Attalus (42) epistolas martyrum portans ad nos venit, gaudium nobis inæstimabile faciens de triumpho eorum : qui dixit nobis sanctum Verum (43) collegam nostrum victorem de mundi principe triumphasse ; tu vero apud senatoriam urbem Viennensem ejus loco a fratribus constitutus et colobio episcoporum vestitus, vide ut ministerium quod accepisti, in Domino impleas ; cura autem sanctorum martyrum corpora sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt apostoli Stephanum. Carceres sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide. Martyria sancta Spiritu sancto proba ; ut perseverent in fide, eis incitator insiste. Presbyteri et diaconi non ut majorem, sed ut ministrum Christi te observent ; plebs universa sanctitate tua protegatur. Fratres nostri, quos per Attalum recognosces, de tyranni sævitia jam liberati requiescunt in Domino.Presbyter Pastor titulum condidit [27], et digne in Domino obiit. Revelatum

[21] I Cor. v, 2 usque ad finem. et vi, 1-11. [22] cod. Theod. lib. xvi, tit. 2, c. 23 et 39, 11, quæst. 1 : *Si quis sacerdotum.* [23] Coloss. iii, 25. [24] I Cor. xv, 3. [25] falsa temporis consignatio. [26] præsentis temporis verbum censent quidam, ego præteriti. [27] an. 160.

(35) *Epistola.* Duas perbreves epistolas Pii ad Justum Viennensem episcopum scriptas ex Viennensi archivo proditas, ex tomo primo *Bibliothecæ sanctorum Patrum* Parisiensis editionis, ubi exstant, huc consulto transtulimus. Hasce germanas esse ac legitimas, cum rerum argumentum, et admirabilis quædam cum rebus gestis hujus temporis convenientia, tum simplicissimus ille antiquitatis candor, cuivis facile persuadent. Priorem harum duarum Pium anno pontificatus sui penultimo,qui est Christi 166, posteriorem autem anno ultimo scripsisse,ipsæ epistolæ ostendunt.Baron.ann.166, n. 1 et 4. Sev. Bin.

(35) Hanc et seq. Baronius germanas agnoscit, aliis qq non probantibus.

(37) *Justo episcopo.* Justus Viennensis Ecclesiæ episcopus post longum exsilium, sub persecutione Marci Aurelii martyrium subiit Ita Ado ejusdem Viennensis Ecclesiæ episcopus in *Chron.*testatur.Id.

(38) *Titulum domus suæ.* Domus divino cultui dicatæ appellantur tituli. Id.

(39) *Sanctus Timotheus et Marcus.* Hunc Timotheum, cujus exitum nuntiat Pius pontifex, Novati germanum, Pudentianæ atque Praxedis fratrem, Pudentis vero atque Priscillæ filium fuisse (eumdemque esse, cujus in antiquis tabulis ecclesiasticis 24 Martii Natalis descriptus habetur, his verbis: « Romæ Natalis SS. martyrum Marci et Timothei, qui sub Antonino imperatore martyrio coronati sunt, ») Baronius sentit anno Christi 166, num. 2. Quod vero sub Aurelio passi, in Martyrologio sub Antonino imperatore martyrium subiisse dicantur, neminem movere debet ; nam Marcus Aurelius non tantum Antoninus, sed pluribus etiam aliis nominibus nominatus fuit, ut ostendit Baronius anno 163, n. 4 et 5. Id.

(40) *Cerinthus primarches Satanæ multos avertit a fide.* Cerinthus an vivus adhuc, vel potius in sectariis tantum hæresim ab eo acceptam propagantibus, multos a fide averterit, incertum est. Hoc certum est,absurdi nihil dici,si Cerinthum, quem viderunt apostoli, quique apostolorum tertiæ synodo interfuit, hoc tempore superstitem fuisse dicamus.Si enim Polycarpus discipulus Joannis attigit Anicetum pontificem,cujus anno tertio sub imperatore Aurelio martyrium subiit, si Hermas discipulus Pauli cum hoc pontifice simul vixerit, impossibile videri non debet, ut Cerinthus simul hoc et apostolorum tempore superstes adhuc fuerit,ac virus suum longe lateque per orbem terrarum evomuerit. Baron. ann. 166. num. 2 Id.

(41) *Epistola.* Hanc epistolam ultimo anno pontificatus Pii, paulo ante obitum ejus scriptam esse, ex ipsa epistola apparet. Id.

(42) *Attalus.* Attalus, cujus hic fit mentio, est genere Pergamenus, sed Romana civitate donatus, ac magni nominis vir. De cujus agone litteræ Viennensis et Lugdunensis Ecclesiæ, apud Eusebium lib. v, cap. 1, exstantes, scribunt. Id.

(43) *Sanctum Verum.* Verus, de quo hic, fuit

mihi esse scias, collega beatissime, citius me finem hujus vitæ facturum [28]. Unum flagitabo : in communione sta, et mei ne obliviscaris. Salutat te A senatus pauper (44) Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum, qui tecum sunt in Domino.

—

ETIS PII PAPÆ I.

Ante vicesimum quintum annum virgines non consecrentur.

[29] Virgines non velentur ante viginti quinque annos ætatis, nisi forte necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis. Et non sunt consecrandæ, nisi in Epiphania et in Albis Paschæ, et in apostolorum Natalitiis, nisi causa mortis urgente [30].

De illis qui per caput Dei vel capillum jurant, vel blasphemia contra Deum utuntur.

[31] Si quis per capillum Dei vel caput juraverit vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ecclesiastico ordine est, deponatur ; si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturas juraverit, accerrime castigetur, et juxta hoc quod synodus judicaverit, pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifestaverit, non est dubium quin divina condemnatione similiter coerceatur. Et, si episcopus ista emendare neglexerit, acerrime corripiatur [32].

De illis qui jubentibus dominis suis perjurium fecerint.

[33] Qui compulsus a domino, sciens pejerat, utri- C que sunt perjuri, et dominus et miles ; dominus, quia præcepit : miles, quia plus dominum, quam animam suam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat, et septem sequentes annos ; si servus est, tres quadragesimas et legitimas ferias pœniteat [34]

[35] Qui pejerat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat ; si vero in cruce non consecrata, annum unum pœniteat. Qui autem coactus fuerit, et ignorans, se pejeraverit, et post cognoscit, tres quadragesimas pœniteat [36].

De illo qui uxorem legitimam sine judicio interfecerit.

[37]. Quicunque propriam uxorem absque lege vel B sine causa et certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem, armis depositis, publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, et episcopo suo inobediens exstiterit, anathematizetur, quousque consentiat. Eadem lex erit illi qui suum seniorem interfecerit [38].

Pœnitentia ejus, cujus negligentia de sanguine domini aliquid stillat.

[39] Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur. Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, B locus corrodatur, et igne consumatur, et cinis intra altare recondatur, et sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, et linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice subterposito, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur [40].

Ut arreptitii sacris altaribus non ministrent.

[41] Communiter diffinimus, ut nullus de his, qui aut in terra arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel C sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti, sine hujusmodi passionibus in terra probantur elisi, qui tamen et ipsi tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio, per discretionem episcopi, inveniantur ab incursu dæmonum liberati [42].

De oblationibus populorum.

Ex codice 5 librorum, libro II. cap. 117.

Ut de oblationibus quæ offeruntur a populo, et consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat B in vase nitido et convenienti, ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, et in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat [43].

[28] an. 165. [29] 20, q. 1 : *Virgines non velentur* : et in *Decr.* Ivon. lib. III. [30] Hujus decreti prior pars est ex Carthag. III, can. 4 ; altera ex Milev. II, can. 26 ; tertia ex epist. XI Gelas. cap. 12. [31] 22, q. 1 : *Si qui per capillum Dei.* [32] Desumptum est ex *Novella* Justiniani. [33] 22, q. 5 : *Qui compulsus.* [34] Anselmus lib. XI, cap 63, hoc citat ex *Pœnitentiali* Theodori, ut Burchardus, et Ivo sequenti capite. [35] 22, q. 5 : *Qui pejera.* [36] Laudatur in collect. Anselmi tanquam ex *Pœnitentiali* Theodori. [37] 33, q. 2 *Quicunque propriam.* [38] *Capitular.* lib. I, c. 300. [39] *De consecr.* distinct. 2 : *Si per negligentium ;* et in *Decr.* Ivo. lib. I. [40] Ex *Pœnitential.* Theodori, cap. 51. [41] distinct. : *Communiter diffinimus, ut nullus*, etc. [42] Ivo p. II, c. 125, hoc tribuit Pio. [43] Pio tribuitur ab Ivono.

primus (a) Viennensis ecclesiæ episcopus, apostolorum discipulus, qui Trajani tempore episcopatum ejus Ecclesiæ accepit, et ad hæc usque tempora illi præfuit. Sev. Bin.

(44) *Senatus pauper.* Id est, sacrum collegium presbyterorum, ac cæterorum Romanæ Ecclesiæ clericorum. Id.

(a) Dele hanc vocem, si vera narravit Ado in Chronico.

De consuetudine servanda, quæ non est contra fidem.

Ex codice 16 librorum, libro III, cap. 19.

[44] Petistis per Hilarium chartularium nostrum, a beatæ memoriæ prædecessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, A quas a Petri apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem, juxta seriem relationis vestræ, [45] consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur.

[44] Est ex epist. S. Greg. lib, I, ep. 75. [45] distinct. 11: *Consuetudinem laud.* Et in *Decr.* Ivon. lib. II

ANICETUS I PAPA

NOTITIA

(Ex Libro pontificali Damasi papæ, ab. MANSI, *Concil.*, I, 681. Vide *Patrologiæ Latinæ*. CXXVII, col. 1203, in Anastasio Bibliothecario qui Anicetum ante Pium I ponit.)

Anicetus natione Syrus, ex patre Joanne de vico Humisia, sedit annos undecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem de temporibus Veri et Marci, a consulatu Gallicani et Veteris, usque ad Præsentem et Rufinum. Hic constituit ut clericus comam non nutriret, secundum præceptum Apostoli. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros septemdecim, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca novem. Qui etiam obiit martyr, et sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia, decimoquinto Kalend. Maias. Et cessavit episcopatus dies septemdecim.

ANICETI PAPÆ

EPISTOLA AD GALLIÆ EPISCOPOS [45]

(MANSI, *Concil.*, I, 683.)

De electione et ordinatione archiepiscopi et cæterorum episcoporum, et ut archiepiscopus absque consilio cæterorum nihil agere præsumat de causis eorum nisi tantum de sua speciali parochia.

[46] Anicetus [47] universis Ecclesiis per Galliæ provincias constitutis, in Domino salutem.

Bonorum operum et [48] spiritualium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes et adjuvat actiones. Quod nobis evidenter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum, unum corda vestra senserunt consilium, et quæ desiderabatis responsa, non unius sed plurimorum epistolæ intimarunt.

I.

De ordinationibus episcoporum, et de causis earum.

De ordinationibus vero episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti prædecessoris nostri Anacleti ordinationibus quædam jam decreta reperimus [49]. Scimus enim enim beatissimum Jacobum, qui dicebatur Justus, qui etiam secundum carnem frater Domini nuncupatus est, a Petro, Jacobo et Joanne apostolis, Hierosolymorum episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus apostolis tantus vir fuit ordinatus episcopus, patet profecto eos formam, instituente Domino, tradidisse, non a minus quam a tribus episcopis, episcopum ordinari debere. Sed crescente numero episcoporum, nisi necessitas intervenerit, debent etiam plures augeri, id est, si archiepiscopus diem obierit, et alter ordinandus archiepiscopus electus fuerit, [50], omnes ejusdem provinciæ episcopi ad sedem metropoleos conveniant, ut ab omnibus ipse ordinetur. [51] Oportet autem ut ipse, qui illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur et ordinetur. Reliqui vero comprovinciales episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, a tribus, jussu archiepiscopi, consecrari possunt episcopis. Sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est, elegerit, et cuncti pariter sacraverint pontificem. Et licet istud, necessitate cogente, concessum sit, illud tamen, quod de archiepiscopi consecratione prædictum est atque præceptum, id est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet; quia qui illis præest, ab omnibus episcopis, quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus

[46] in mss. sæpe *Anicitus* scribitur; in quibusdam *Anicius*, sic etiam recte. HARD. [47] in ms. nostro hoc loco *Anicius*, et in titulo. HARD. [48] S. Leo ep. 32. [49] Supra in 2 Anacl. epistola. [50] 66, distinct.: *Archiepiscopus ab omnibus.* [51] S. Leo ep. 89, cap. 5. Conc. III Aurel. c. 3.

(45) Supposititiam censent viri eruditi.

carere non dubium est, quia irrita erit ejus secus acta ordinatio. [52] Ipse autem archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de aliis communibus, juxta statuta apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio; nec illi, nisi quantum ad proprias, parochias pertinet, sine suo, quoniam: tali gaudet concordia Altissimus, et gloriatur in membris suis.

II.

De primatibus et metropolitanis.

[53] Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos apostoli et sucessores apostolorum regulariter [54] patriarchas et primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit, propter multitudinem eorum, primatem constitui. Reliqui vero, qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur.

III.

Si metropolitanus sine consilio egerit, vel si episcopi eum suspectum habuerint.

[55] Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit, et sine omnium comprovincialium præsentia vel consilio episcoporum, aut eorum, aut alias causas, nisi eas tantum quæ ad propriam suam parochiam pertinent, agere [56], aut eos gravare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem (cui omnia episcoporum judicia [57] terminare præcepta sunt) ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, et cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, grave ad hanc sedem ejus causam deferre fuerit, tunc ad ejus primatem causa deferatur, et penes ipsum hujus sanctæ sedis auctoritate judicetur, [58] Similiter, si aliquis episcoporum proprium metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem diœceseos, aut apud hanc apostolicam sedem audiatur. « Qui major est vestrum, secundum Dominicam jussionem, sit vester minister [59]. » Et: « Quanto major es in omnibus, humilia teipsum [60]. » Charissimi, nolite inter vos contendere, nec quærat aliquis major esse; sed, juxta apostolum, « diligite vos invicem, quia charitas ex Deo est: et omnis qui diligit fratrem, ex Deo natus est et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est [61]. » — « Pascite, inquit princeps apostolorum, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam [62]. » Et juxta alium apostolum: « Fratres, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria ambulantes impietatum. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos, illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore, odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam unicam [63]. »

IV.

De tonsura clericorum et habitu.

[64] Prohibete, fratres, per universas regionum vestrarum ecclesias, ut cleri, qui laicis et simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiæ et gravitatis exemplar esse debent, ac seipsos, tanquam signum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apostolum, comam non nutriant [65](46), sed desuper caput (47) in modum sphæræ

[52] 9, q. 3: *Archiepiscopus nihil.* [53] 99, distinct.: *Nulli, archiepiscopi* [54] Hadr. coll. c. 23. [55] 9, q. 3: *Si autem aliquis.* [56] ms. *tentare*. Hard. [57] Vigilius ep. 2. [58] Hadr. coll. 18, 26. [59] Matth. xx. 26; Marc. x, 43. [60] Eccli. iii, 20. [61] I Joan. iv, 7, 8. [62] I Petr. v. 2-4. [63] Jud. 17. 23. [64] distinct. 23: *Prohibete, fratres.* [65] I Cor. xi, 14.

(46) *Juxta Apostolum comam non nutriant.* Hoc decreto Anicetus pontifex confirmat id quod apostolica traditione ac constitutione in Ecclesiam derivatum est, ut scilicet eorum capita in modum sphæræ tondeantur desuper, qui a communi hominum vita recedentes, excultius vitæ genus sectantur: ita Isidorus *De divin. offic.* Hujus ritus mentio est apud Dionysium *De ecclesiastica hierarchia*, part. ii, cap. 3. In Ecclesia a primis sæculis usque huc prædictum ritum frequentatum esse constat non tantum ex Dionysio Areopagita supra allegato loco, ubi ait: « monachos tonderi solitos fuisse; » sed etiam ex Epiphanio hæres. 80, Augustino lib. *De operibus monachorum*, cap. ultim., ubi reprehendunt quosdam monachos, qui aliorum more tonderi nollent. Ex Hieronymo in epistola quadam ad Augustinum quæ est inter epistolas Augustini 26, ubi sic ait: « Evodium ut meo nomine salutes, precor coronam tuam. » Item ex Augustino epist. 147, ad Proculianum episcopum, quo loco hæc scribit: « Per coronam nostram, nos adjurant vestri; per coronam vestram, vos adjurant nostri. » Ex concilio Carthaginensi iv, canone 44, quod prohibet clericis comam et barbam alere. Ex concilio item Toletano iv, quod cap. 40 jubet ut omnes clerici, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant. Recte igitur hic Anicetus ait, secundum apostolos esse, comam non alere, sed caput demisse tondere. Nam quæ per universam Ecclesiam toto terrarum orbe recepta, ab apostolorum temporibus usu frequentata leguntur, ea secundum regulam S. Augustini, epist. 118, ad Januarium, ab apostolis protecta et constituta esse recte creduntur. Vide Baron. ann. 58, n, 112, et multis aliis sequentibus; Bellarmin. lib. ii *De monachis*, cap, 40. Sev. Bin.

(47) *Desuper caput radant.* Id est, demisse, tondeant. Sic enim olim fiebat, forficibus scilicet, non

radant (48); quia sicut discreti debent esse in conversatione, ita et in tonsura et omni habitu discreti debent apparere. Hæc vobis, fratres, ut petistis, custodienda mittimus, et custodire præcipimus, « ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris[66], » cui honor et imperium per æterna sæcula.

Data octavo Kalendas Junii, Gallicano et Ruffino viris clarissimis consulibus [67].

[66] Philipp. II, 10. 11. [67] mendax consulum nota.

autem novacula, ut colligimus ex Clemente Alexandr. lib. III *Pædagogi*, cap. 11, qui sic dicit: « Pili tondendi sunt, non novacula, sed tonsorum forficibus. » Item ex Optato Milevitano lib. II *Contra Parmenianum*, ubi arguit Donatistas, quod catholicis sacerdotibus per vim capita raserint: « Docete, inquit, ubi vobis mandatum sit radere capita sacerdotibus, cum e contrario tot sint exempla proposita fieri non debere. » Ex Hieronymo *in c.* XLIV *Ezch.*, ubi dicit sacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi, sed ita tonderi, ut cutis tecta maneat. Denique ex Dionysio, Epiphanio, Athanasio, Palladio, Augustino, Isidoro, Beda, concilio Carthaginensi IV et Toletano IV, idem colligitur; cum apud omnes illos tonsuræ quidem, non autem rasuræ mentio fiat. Prædicta igitur verba Aniceti pontificis modo illo quo supra, explicare, quam integram epistolam (quod facit Bellarm. *De monachis*, cap. 40), propterea in dubium vocare, convenientius est ac tutius. Vide Valent. tom. IV, disput. 9, quæst. 5, puncto 3, *De annexis sacramento ordinis*. ID.

(48) *In modum sphæræ radant*. Id est, coronæ vel circuli, quia Patres et concilia dum prædictis locis de tonsura clericorum aut monachorum loquuntur, eam communiter coronam nominant, propterea nimirum, quod tonsura coronæ figuram habeat. Causam et rationem hujus tonsuræ clericalis gestatæ, alii aliam assignant. Prima est Dionysii, ut illa nudatione capitis significetur vita aperta et pura cui ecclesiastici studere debent. Secunda est Bedæ, lib. V *Historiæ Anglic.*, c. 22, ut spinea Christi corona, quam clerici maxime in memoria habere debent, repræsentetur. Tertia est Isidori lib. *De offic. cleric.*, Rabani lib. II *De institut. cleric.* cap. 1, ut significetur regale esse Christi sacerdotium, cujus gubernatores tali corona redimitos esse oporteat, vel etiam ut significetur ecclesiasticum animum, qui est in homine sicut vertex in capite, debere esse nudatum a vitiis, spoliatum affectu superfluitatum, ac demum apertum et expeditum ad divinas inspirationes facile percipiendas. Valentia prædictis locis. Sed et alia ab his diversa de clericorum tonsura adducitur causa a Germano episcopo Constantinopolitano, his verbis: « Duplex corona circumposita capiti sacerdotis, capillorum significatione, imaginem refert venerandi capitis apostoli Petri: cui cum missus esset ad prædicationem Domini et magistri, ei tonsa est ab his qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus magister benedixit; et infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, et posuit super caput ejus coronam, » etc. Unde constat eam, quæ principi apostolorum derisionis et ignominiæ causa illata est nota infamiæ, totius Ecclesiæ honori cessisse Vide Baron., Bellarm., Valent, etc., allegatis locis. ID.

SOTER PAPA

NOTITIA

(Ex Libro pontificali Damasi papæ, ap. MANSI, *Concil.*, I, 687. — Vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1240.)

Soter natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, sedit annos 9, menses 7, dies 21. Fuit autem temporibus Veri et Marci, a consulatu Rustici et Aquilini, usque ad Cethegum et Clarum. Hic constituit, ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta ecclesia. Hic fecit ordinationes 3, per mensem Decembrem, presbyteros 18, diaconos 9, episcopos per diversa loca 11. Qui sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia, X Kalendas Maias. Et cessavit episcopatus dies 11.

SOTERIS PAPÆ

EPISTOLÆ

EPISTOLA PRIMA.

AD CAMPANIÆ EPISCOPOS.

De fide et incarnatione D. N. J. C.

Soter [68] apostolicæ sedis archiepiscopus, Campanis omnibus, salutem in Domino.

Gaudere vos oportet, fratres, quod, divina largiente gratia, familiares Domini vocamini, ejusque sacerdotii dignitate fungimini. Nunc autem rogo vos, ut circa plebes vobis commissas laborare dignemini, et fructuosos manipulos Domino reportare nitamini. [69] Paulus enim apostolus de fide ita

[68] in ms. *Sother*, et in gignendi casu *Sotheri*. HARD.

[69] Ithacius *adv. Varimadum* capp. 9 et 10.

loquitur, dicens : « Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem [70].» Item ipse ad Galatas : « Postquam autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, ex muliere factum, et factum sub lege [71]. » Et ad Philippenses : « In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo [72]. » Et in psalmo XXX [73] : « Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt et super inimicos meos factus sum opprobrium. » Item, ibi [74] : Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde. Factus sum tanquam vas perditum.» Et in LXX [75] : « Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis. » Et in LXXII [76] : « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. » Et in LXXXVI [77] : « Mater Sion dicet : Homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. » Et in LXXXVII [78] : « Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. » Et in CVIII [79] : « Et ego factus sum illis opprobrium, viderunt me, et moverunt capita sua. » Et in CI [80] : « Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto. » Et in Evangelio : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [81]. » Filius igitur secundum carnem dicitur. Nam secundum divinitatem, a Patre nusquam legitur factus, sed genitus. Dum enim Pater loquitur, Filius loquitur, et cum Filius loquitur, Patrem in illo esse loquentem, documentis cœlestibus comprobatur, Paulo apostolo attestante, qui ait: « Multifarie, multisque modis olim Deus locutus est patribus in prophetis, novissime autem locutus est nobis in Filio [82].» Et ut eumdem Filium, excepto Patris præcepto, doceam fuisse locutum, ex Isaiæ prophetæ volumine proferimus documentum ; « Hæc dicit Dominus : In illa die sciet populus meus, quoniam ego sum ipse, qui loquebar in servis meis prophetis, evangelizans auditum pacis, et ecce adsum [83]. » Item ibi : « Ego sum Dominus, qui loquor justitiam, et annuntio veritatem [84]. » Item ibi. « Ego cogitavi, et locutus sum, et adduxi, et creavi, et feci [85]. » Et Apostolus : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus [86]. » Et in psal CXVIII [87] : « Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. » Et ipse Dominus in Evangelio cæco a se illuminato dicit : « Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est [88]. » Et Samaritanæ mulieri ait : « Ego sum, qui loquor tecum [89]. » Et ad discipulos : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt [90]. » Et ad Patrem : « Ego ad te venio, et hæc loquor in mundo [91]. » Et iterum Judæis dixit : « Loquor vobis, et non auditis. Si autem venerit alius, illum audietis [92]. » Et iterum : « Hæc locutus est Dominus in gazophylacio, docens in templo : et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus [93]. » Ecce in his omnibus, quæ superius dicta sunt, non docetur Filius præcepto Patris fuisse locutus, sed magis proprium exercuisse in loquendo sermonem. Isaias quoque propheta ait : « Hæc dicit Dominus : Ego feci terram sensu meo, et hominem super eam : Ego solidavi cœlum manu mea, ego omnibus sideribus mandavi, ut lucerent in cœlo [94]. » Item ibi : « Ego omne consilium meum statui, et omnia quæcunque cogitavi, ego feci [95]. » Item ibi : « Sic dicit Dominus : Qui constituit cœlum et terram, et fecit eam, et fundavit [96] eam [97]. » Item ibi : « Ego primus, et ego in æternum : manus mea fundavit terram, dextera mea solidavit cœlum [98]. » Et in Jeremia : « Ego feci terram in fortitudine mea magna, et in brachio meo excelso [99]. » Item ibi : « Dominus fecit terram in virtute sua magna, et erexit orbem terræ in sapientia, et prudentia sua extendit cœlum, et posuit sonum aquæ in cœlo [1]. » [2] Defendite, charissimi, rogo vos, contra malevolos homines inconcussum Ecclesiæ statum, ut vos Christi dextera defendat in ævum.

Data Nonis Maii, Rustico et Aquilino viris clarissimis consulibus [3].

EPISTOLA II.

AD EPISCOPOS ITALIÆ.

Ne feminæ sacra vasa vel sacras pallas contingant vel altaria incendant [4].

Dilectissimis fratribus per Italiæ provincias sanctis constitutis episcopis, Soter papa.

Divinis præceptis [5] et apostolicis monitis informamur, ut pro omnium Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu ; ac si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia et præsumptionis usurpatione revocemus.

[6] Sacratas Deo feminas vel monachas, sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere, et incensum circa altaria deferre, perlatum est ad apostolicam sedem ; quæ omnia reprehensione et vituperatione plena esse, nihil recte sapientium dubium est. Quapropter hujus sanctæ sedis auctoritate, hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus ; et ne pestis hæc latius divulgetur per omnes provincias, abstergi citissime mandamus. Ait enim Apostolus : « Despondi enim vos uni

[70] Rom. I, 2, 3. [71] Gal. IV, 4. [72] Philipp. II, 7. [73] v. 11, 12. [74] v. 13, 14. [75] v. 7. [76] v. 23. [77] v. 5. [78] v. 6. [79] v. 25. [80] v. 8. [81] Joan. I, 14. [82] Hebr. I, 1, 2. [83] Isa. LII, 6. [84] Isa. XLV, 19. [85] Isa. XLVI, 11. [86] II Cor. XIII, 3. [87] v. 46. [88] Joan. IX, 37. [89] Joan. IV, 26. [90] Joan. VI, 64. [91] Joan. XVII, 13. [92] Joan. X, 25. [93] Joan. VIII, 20. [94] Isa XLV, 12. [95] Isa, XLVI, 10. [96] *divisit*, vel *finivit*. [97] Isa. XLV, 18. [98] Isa. XLVIII, 13. [99] Jer. XXVII, 5. [1] Jer. X, 12, 13. [2] S. Leo ep. 25. [3] Hæc quoque delirat temporis nota an. 162 congruens. [4] *Ut nullæ sanctimoniulium sacra vasa sacrataque linteamina contingere aut incensum circa altare deferre præsumant.* [5] S. Leo ep. 4. [6] 23 dist. : *Sacratas Deo feminas.* Conc. Laod. 44, Gel. ep. 10, c. 27.

viro, virginem castam exhibere Christo [7]. » [8] Illa est enim virgo Ecclesia, sponsa unius viri Christi, quæ nullo se patitur errore vel inhonesta reprehensione vitiari, ut per totum mundum una sit nobis uniuæ castæ communionis integritas. [9] Unde consurgite, charissimi, cum Deo, et assistite, induentes arma spiritus adversus malignantes contra fidem ejus, et probetur spiritus sapienter, id est, verba illorum, si ex Deo sunt. Scriptum est enim in Jeremia : « Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis viam illorum [10]. » Multum namque nobis necessaria est vigilantia tanti sacramenti sapientiæ discretionis, quæ occulta tenebrarum revelat, ad requisitionem hujusmodi rei et scrutationem, quoniam latet quodammodo et absconditur, vixque comprehenditur dolosa exsistens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiatur, ut valeat scrutantium mentem latere. Quod utique sciens beatus Apostolus, ait : « Nam hujusmodi pseudo-apostoli, operarii subdoli, transfigurant se in apostolos Christi. Sed non mirum, quando ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ, quorum finis est secundum opera eorum [11]. » Sed et Dominus in hoc præmuniens nos, ait : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces A fructibus eorum cognoscetis eos [12]. » Ergo in idipsum ex toto corde vestro referetis ante omnia super tali quæstione deprecationem, et dicetis cum David : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis [13]. » Quoniam, ut ait beatus Daniel propheta : « Sapientia et fortitudo ejus sunt. Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est. Quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi, et ostendisti mihi quæ rogavi te [14]. »

Data x Kalendas Junii, Cethego et Claro [15] viris clarissimis consulibus [16].

Decreta Soteris papæ, secundum Gratianum, quæ non habentur in prioribus decretalibus epistolis.

Juramentum malum quod incaute promittitur non est servandum.

[17] Si aliquid forte incautius nos jurasse contigerit, quod observatum in pejorem vergat exitum, illud salubri consilio mutandum noverimus, et magis instante necessitate perjurandum nobis, quam pro facto juramento, in aliud crimen majus divertendum.

Quisque sacrificans sacerdotem habeat, qui cæpta sacramenta expleat, si necessitas ingruerit.

[18] Ut illud divini oraculi monentis singuli præcaveant, quo scribitur : « Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem [19] ; » summopere verendum est nobis atque cavendum, ne horis illis atque temporibus, quibus Deo psallitur vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti, perniciosa passio, vel quælibet corporis invaletudo occurrat, quæ aut corpus subito subrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro hujusmodi ergo casibus præcaventes, necessarium duximus instituere, ut ubi temporis vel loci sive cleri copia suffragatur, habeat (quisquis ille) canens Deo et sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem, ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus, et officium inceptum adimpleat [20]. Censuimus ergo convenire, ut cum a sacerdotibus missarum tempore sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat quilibet eventus, quo cœptum nequeat expleri mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero vel alii, ut consecrationem expleat officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quam aut incipientis aut subsequentis explenda benedictio sacerdotis : quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur ; cum enim unum sumus omnes in Christo, nihil contrarium diversitas format, ubi efficscia prosperitatis unitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum, cuncti ordinis clerici indictum vel indultum esse sibi non ambigant, sed, ut præmissum est in præcedentibus, statim alii pro complemento succedant. Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum potumque, sive quodlibet minimum sumptum, missas facere, nullusque absque patentis molestiæ proventu minister vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerarie præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

[7] II Cor. xi, 2. [8] S. Leo epist. 40. [9] Martinus in syn. Lateranensi consult. 3. [10] Jerem. vi, 27. [11] II Cor. xi, 13-15. [12] Matth. vii. 15, 16. [13] Psal. cxviii, 18, 105. [14] Dan. ii, 20-23. [15] in ms. *Cetigo et Clero.* Hard. [16] Aberrat quoque hic consulatus an. 170 affixus. [17] 22, q. 4 : *Si aliquid.* Ita etiam cæteri collectores. Sed eadem causa et quæstione citatur ex Bedæ homilia 44, *In natali decoll. sancti Joannis.* [18] *De consecr.* distinct. 1 : *Ut illud*, et 7. quæst 1 : *Illud divin.* — Quod verius est ex concilio Toletano xi, cap. 14. Hard. [19] Eccle. iv, 10. [20] Hactenus tantum apud Gratianum.

Ut presbyter missam non cantet, nisi duobus præsentibus secum.

[21] Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, et ipse tertius habeatur; quia, cum pluralliter ab eo dicitur: « Dominus vobiscum; » et illud in secretis: « Orate pro me; » me aptissime convenit, ut et ipsius respondeatur salutationi.

Etiam in cœna Domini sacram communionem debemus accipere.

[22] In cœna Domini a quibusdam perceptio eucharistiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis iis, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis Dominici sacramenta reconcilientur.

[21] *De consecr.* distinct. 1: *Hoc quoque.* — Quod est in concilio Moguntino cap. 43. HARD. [22] *De consecr.* distinct. 2: *In cœna Domini.* — Quod est e concilio Cabillonensi secundo cap. 47, an. 813. HARD.

ELEUTHERIUS PAPA

NOTITIA

(Ex Libro pontificali Damasi papæ, ap. MANSI, *Concil.*, I, 693. — Vide *Patrologiæ Latinæ* t. CXXVII, col. 1249)

Eleutherius natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit autem temporibus Antonini Commodi, usque ad Paternum et Braduam. Hic accepit epistolam a Lucio Britannico rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum. Et hic constituit, ut nulla esca usualis, quæ tamen rationabilis et humana est, quam Deus creavit, a Christianis maxime fidelibus repudiaretur. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros duodecim, diaconos octo, episcopos per diversa loca quindecim. Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri, septimo Kalendas Junii. Et cessavit episcopatus dies quinque.

ELEUTHERII PAPÆ

EPISTOLÆ

(MANSI, *Concil. ampl. collect.*, I, 695.)

EPISTOLA PRIMA (49).

AD GALLOS.

De accusatione clericorum, ac defensione (50).

Eleutherius episcopus, universis Ecclesiis per Galliæ provincias Domino militantibus, in Domino salutem.

Magno [23] munere misericordiæ Dei totius Eccle-

[23] S. Leo ep. 54.

(49) Contio, Aug. Bar., aliisque viris eruditis adulterina.

(50) Hæc epistola responsoria est ad epistolam episcoporum ac martyrum Viennensis et Lugdunensis Ecclesiæ in carcere conscriptam. Cujus argumentum hoc est: (*a*) Alcibiades cum prædictis martyribus numeratus, sicut ante, ita etiam in vinculis exemplo Montanistarum, tres quadragesimas et illegitimas xerophagias observantium, vitam duriter et austere degebat, eoque multos alios fideles offendebat Consultus igitur hac de re Romanus pontifex, aliique aliarum ecclesiarum episcopi, Eleutherius respondit, ac xerophagias Montani velut illegitimas ac superstitiosas condemnat: utpote qui privatus homo non Paracletus sit, potestatem habens obligandi, ut intendebat, universam Ecclesiam ad nova jejunia, novas etiam jejuniorum leges observandas. Sev. BIN.

(*a*) Binium in pluribus errasse Blondellus arguit.

siæ catholicæ multiplicata sunt gaudia, cum multos populos ad Domini servitium festinare cognovimus (51).

I.

De escis irrationabiliter non vitandis.

Qua de re necessarium judicavimus vos instruere, ut escas, quas vitare vos audivimus irrationabiliter, non respuatis (52). Scitis, fratres, le-

(51) *Cum multos populos ad Domini servitium festinare cognovimus.* Vide Baron. ann. 183, n. 1. ID.

(52) *Ut escas quas vitare vos audivimus, irrationabiliter, non respuatis.* Sicut enim Marcionitæ, Encratitæ et Manichæi, de quibus est intelligendus Apostolus, I ad Timotheum, c. IV, ita etiam Priscillianistæ, Montani sectatores, a quibusdam cibis velut a malo principio conditis, abstinebant. Montanus vero, præterquam quod privata auctoritate tres quadragesimas instituerit, quibus nonnisi aridis cibis vescendum esse docuerit, nova jejunia et novum jejunandi modum instituit. Pontifex Eleutherius hac de re consultus, illorum tanquam superstitiosam et blasphemam sententiam, hujus autem velut illegitimam et irrationabilem condemnat, ut patet ex verbo *irrationabiliter*, et verbis sequentibus, *erant*, *valde bona*. ID.

gislatorem docuisse : « Omnia quæ creavit Deus, erant valde bona [24]. » Et ipsa per se Veritas ait : « Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod exit de ore [25]. » Unde constat non debere refutari escas communes, quas Deus ad cibos tribuit fidelibus suis. Et in Actibus apostolorum de mundis escis legitur ita : « Postera autem die iter illis facientibus domesticis, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem eis, cecidit super eum mentis excessus, et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ, et volatillia cœli.Et facta est vox ad eum : Surge,Petre, occide et manduca. Ait autem Petrus : Absit, Domine,quia nunquam manducavi omne commune et immundum ! Et vox iterum secundo ad eum : Quod Deus purificavit,tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter. Et statim vas receptum est in cœlum [26]. »

II.

De accusationibus episcoporum et clericorum.

De accusationibus ergo clericorum,super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad sedem apostolicam deferre, finitiva episcoporum tantum judicia huc deferantur,ut hujus sanctæ sedis auctoritate finiantur,sicut ab apostolis eorumque successoribus,multorum consensu episcoporum, jam definitum est. [27] Nec in eorum ecclesiis alii aut præponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum juste terminentur negotia. [28] Quoniam quamvis liceat apud provinciales et metropolitanos atque primates eorum ventilare accusationes vel criminationes, non tamen licet diffinire secus quam prædictum est. Reliquorum vero clericorum causas apud provinciales et metropolitanos ac primates, et ventilare et juste finire licet. [29] Judicantem tamen oportet cuncta rimari [30] (53), et ordinem rerum plena iuquisitione discutere, interrogandi ac proponendi, adjiciendique præbita patientia ab eo,ut ibi actio ambarum partium limitata [31] sit pleniter. [32] Nec litigantibus [33] judex prius sua velit sententia obviare, nisi quando ipsi, jam peractis omnibus, nihil habeant in quæstione quod proponant. Et tandiu actio ventiletur, quousque rei veritas inveniatur. Frequenter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum forte remaneat, quod annecti conveniat. [34] Induciæ enim non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, [35] ne aliquid præpropere agi a quacunque parte videatur ; quia per subreptionem multa proveniunt. Nihil tamen absque legitimo et idoneo accusatore fiat. Nam et Dominus noster Jesus Christus Judam [36] furem esse sciebat ; sed quia non est accusatus, ideo non est ejectus. Et quidquid inter apostolos egit, pro dignitate ministerii ratum mansit. Nam si leges sæculi accusatores requirunt, quanto magis ecclesiasticæ regulæ. Docent enim terrestria et humana, quæ sint ecclesiastica atque cœlestia.

III.

De accusationibus omnium comprovincialium.

De accusationibus vero comprovincialibus ita legitur esse statutum [37] : Si quis super quibuslibet criminibus quemlibet clericum pulsandum credideriit, in provincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerceat actiones, [38] nec æstimet [39] eum alibi aut longius ad judicium protrahendum [40]. Illi vero qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare. Caveant etiam judices Ecclesiæ, ne absente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, imo etiam et causam in synodo pro facto dabunt. [41] Proditoris vero nec calumnia, nec vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam illo, qui injuriam ejusque sustinuit nequitiam.Oppressus namque ab omnibus in cunctis subveniatur causis. Hæc omnia summopere sunt attendenda. Nec criminatio minorum, quanta magis episcoporum, facile est recipienda, dicente Domino : « Non sequeris turbas ad faciendum malum [42]. » Et alibi : « Non suscipias vocem mendacii [43]. » Et in Paralipomenon legitur : « Omnia corda scrutatur Dominus, et omnem cogitationem novit. Homo vero videt in facie, Deus autem in corde [44]. » Et alibi scriptum est : « Non potest humano condemnari examine,

[24] Gen. I, 31. [25] Matth. XV, 11. [26] Act. X, 9-16. [27] can. 4 conc. Sardicensis. [28] 3, q. 6 : *Quamvis liceat.* [29] 30, q. 5, can. 30 : *Judicantem oportet*, ubi plura Ant. Contius. [30] Cod. Theod. lib. II, tit. 18, const. 1. [31] *limata.* [32] Hadr. coll. 24. [33] Aniani interpretatio ad imp. Const. [34] 3, q. 3 : *Induciæ non modicæ.* [35] Felix II,ep. 4, c. 20 ; 2, q.1 : *Nihil contra.* [36] Ambrosiaster in I Cor. v. [37] A Sixto papa ex Gratiano 3, q. 6 : *Si quis clericus* ; ex Ivone part. VI, c. 318 ; ab Eleutherio. et cap. 329 a Felice. HARD. [38] Hadr. coll. 8. Anianus ad Novellam Valentiniani et Marciani neminem exhiberi, etc., 3, quæst. 9 : *Caveant judices.* [39] Gratianus, *existimet.* HARD. [40] Gratianus, *pertrahendum.* HARD. [41] Vide cod. Theod. et Aniani interpretationes. [42] Exod. XXIII, 2. [43] Ibid., 1. [44] I Paral. XXVIII, 9.

(53) *Judicantem tamen oportet cuncta rimari.* Horum verborum argumento post Contium etiam Baronius, hanc epistolam existimavit esse corruptam et adulteram, quod ea,quæ de judiciis in ipsa scribuntur, ex constitutione Constantini et interpretatione ad eam opposita, quæ in cod. Theod. lib. II, *De judiciis*, exstat, superaddita, exscripta et huc translata videantur.(*b*) Sed cum eadem infra in epistola decretali Julii papæ ad orientales, cap 31, et in canonibus Adriani cap. 26, verbis prope iisdem referatur, ideoque ipso cod. Theodosiano, qui post tempora Julii papæ compilatus est,antiquiora sint ; manifesto constat hanc de judiciis constitutionem ab Eleutherio Julium,(*c*) a Julio Theodosium adeoque a pontificibus imperatorem ; non contra ab imperatore pontificem hanc aliasque similes constitutiones mutuasse et accepisse. Et consequenter hac de causa non modo non velut spurium et illegiti-

(*b*) Errat hic quoque Binius, ut pluribus alii docent.

(*c*) Hanc prius a pontifice scriptam probare oportebat.

quem Deus suo reservavit judicio [45]. » Igitur omne pondus, et circumstantia adversariorum nocumenta, per patientiam, fratres, comprimere satagite ;. « scientes quia subversi sunt hujusmodi, et delinquunt proprio ore damnati [46]. » Quia qui fratres accusant vel infestant, non eos diligunt, sed magis negligunt, et peccant, dicente Apostolo : « Dilectio proximi malum non operatur [47]. » Et alibi : « Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere [48] ? » Nos [49] enim humiles corde, ad ea quæ recta sunt, adjutore Domino, sapienter vinculo charitatis vobiscum sumus constricti, et religionem catholicam in omnibus fortiter defensantes, improbis probe resistere non negligimus. Unde dictum est : [50] Negligere enim cum possis deturbare [51] perversos, nihil aliud est quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinoris desinit obviare. Hujus rei gratia universalis vobis a Christo Jesu (54) commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, et cunctis opem ferre non negligatis. « Frater autem fratrem adjuvans exaltabitur, et allidens dissipabitur [52]. » Quapropter relevate semper oppressos, corripite inquietos, ut zizania Dominicam messem non possit suffocare.

Data v Idus Julii, Paterno [53] et Bradua viris clarissimis consulibus [54].

EPISTOLA II (55).

RESCRIPTUM AD LUCIUM BRITANNIÆ REGEM.

Quomodo gerere se debeat in regno Britanniæ.

Petiistis a nobis leges Romanas et Cæsaris vobis transmitti, quibus in regno Britanniæ uti voluistis. Leges Romanas et Cæsaris semper reprobare possumus, legem Dei nequaquam. Suscepistis enim nuper miseratione divina in regno Britanniæ legem et fidem Christi. Habetis penes vos in regno utramque paginam ; ex illis Dei gratia per consilium regni vestri sume legem, et per illam Dei patientia vestrum rege Britanniæ regnum. Vicarius vero Dei estis in regno juxta Prophetam regem : « Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo [55] ; » et rursum juxta Prophetam regem : « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis [56] ; » et rursum juxta Prophetam regem : « Deus judicium tuum [57], » etc. Non enim dixit judicium, neque justitiam Cæsaris.

Filii enim regis gentes Christianæ, et populi regni sunt, qui sub vestra protectione et pace in regno degunt, et consistunt juxta Evangelium : « Quemadmodum gallina congregat pullos sub alis [58]. » Gentes vero regni Britanniæ et populi regni sunt ; quos divisos debetis in unum ad concordiam et pacem, et ad fidem, et ad legem Christi, et ad sanctam Ecclesiam congregare, revocare, fovere, manu tenere, protegere, tegere, et ab injuriosis et malitiosis et ab inimicis semper defendere.

« Væ regno cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt [59]. » Non voco regem, propter parvam et minimam ætatem, sed propter stultitiam et iniquitatem et insanitatem, juxta Prophetam regem : « Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos [60], » etc. Per comestionem intelligimus gulam, per gulam luxuriam, per luxuriam omnia turpia, et perversa, et mala, juxta Salomonem regem : « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis [61]. »

Rex dicitur a regendo, non a regno. Rex eris, dum bene regis ; quod nisi feceris, nomen regis non in te constabit, et nomen regis perdes : quod absit ! Det vobis omnipotens Deus regnum Britanniæ sic regere, ut possis cum eo regnare in æternum, cujus vicarius estis in regno prædicto.

[45] Const. M. ad PP. Nicænos in col. Hadr. c. 51 et 66 ex edit. Ant. Aug. [46] Tit. III, 11. [47] Rom. XIII, 10. [48] I Joan. IV, 20. [49] Victor. ep. Carthag. ad Theodorum papam, Con. Later. sub S. Martino consult. 2, anno 649. [50] Felix III, ep. 1. [51] *perturbare*. [52] Prov. XVIII, 9. [53] *Materno*. [54] Anno 185, Eleuth. Coss. Triarius Maternus et Aurelius Bradua. [55] Psal. XXIII, 1. [56] Psal. XLIV, 8. [57] Psal. LXXI, 1. [58] Matth. XXIII, 39. [59] Eccle. X, 16. [60] Psal. LIV, 24. [61] Sap. I, 4.

mum partum Ecclesiæ respuendum, sed potius tanquam matris germanæ fetum germanum plurimis posterorum pontificum scriptis quasi filiorum vultibus simillimum, ab injuriis inimicorum vindicatum obviis amplexibus esse acceptandum et fovendum. Sev. Bin.

(54) *Hujus rei gratia universalis vobis a Christo Jesu.* Id est dum hæretici, quorum hoc tempore magnus numerus erat, universam Ecclesiam oppugnant, non modo episcopis, sed unicuique Christiano ejus defendendæ cura et studium demandata sunt ; omnibus enim nobis a Deo præceptum est, Eccle. cap. IV, ut pro veritate ac justitia usque ad mortem certemus. Nec ob eam causam confunditur ordo hierarchicus a Christo in Ecclesia institutus. Nam sicut quodlibet membrum corporis suo munere fungens pro toto corpore laborare dicitur, adeo ut hac ex parte totius corporis, non partis tantum cura absque capitis injuria illi commissa merito dici possit ; eadem ratione dixit Eleutherius pontifex, omnibus et singulis membris jure meritoque universalis Ecclesiæ curam commissam. Novantes ergo hunc locum male intelligentes, ante victoriam triumphum canunt. Vide Turrianum, cap. 9, lib. II, *Pro epist. pontif.* Id.

(55) Produxit Usserius *De Britan. Eccles. primor.* cap. 6, sed spuriam judicat Coustant. in append. ad tom. I *Epist. Rom. pont.* pag. 22.

S. MELITO

SARDIUM IN ASIA EPISCOPUS

NOTITIA ET FRAGMENTA

(Carolus Christianus Wood, *De Melitone, Sardium in Asia episcopo*; Dissertatio I, *De vita et meritis S. Melitonis* Lipsiæ 1744; Dissertatio II, *De scriptis S. Melitonis*, cum fragmentis eorumdem, Lipsiæ 1751, in-4°).

I

DE S. MELITIONIS VITA ET MERITIS.

Institutum.

Inter præcipua sæculi post Christum natum secundi Ecclesiæ ornamenta haud ultimum locum meretur sanctus Melito, Sardium in Asia episcopus, vir vitæ sanctitate, præclara eruditione, mascula Christianæ religionis defensione, aliisque in Ecclesiam meritis longe celebratissimus; utpote quem Græci Latinique Patres, primi, medii, postremi, amice conspirantes, et pia quadam veluti æmulatione laudibus extulerunt, posteritatique venerabilem reddiderunt. Cogitans itaque quodnam potissimum argumentum hoc meletemate tractandum deligerem, cum inter alia et menti meæ sese offerret Melito, de eo etiam exponere non multum hæsitavi, sed eo citius inii consilium, tum quod magna utique viri hujus in rem Christianam merita esse cognoscebam, a nemine, quantum sciam ego, peculiari schediasmate enarrata; tum quod sic occasio mihi effloresçit anecdotorum nonnullorum, quorum in itinere meo condus fui, promum nunc agendi, atque beati hujus Patris fragmenta quædam in lucem protrahendi, in quæ volvens præstantissimos Bodleianæ potissimum bibliothecæ codices forte incidi. Operæ hinc pretium me facturum credo, si omnia quæ de Melitonis vita, scriptis et meritis reperire datum fuit, in unum congessero. Ut autem ordine pertractentur omnia, de nomine, patria, genere et ætate ejus, qua claruit, quædam primo statim loco in medium proferam; deinde de ejus ingenio, eruditione, castimonia, aliisque virtutibus, itemque de ejus, quo divinitus exornatus fuit prophetiæ dono agam. Porro de sedata per ejus apologiam sub Marco Aurelio et Lucio Vero imperatoribus Christianorum vexatione, de Ecclesiæ Laodicenæ reddita pace, de itineribus variis, ejusque circa Canonem, Veteris potissimum Testamenti, cura, uno verbo de ejus in Ecclesiam meritis largus dicendorum campus sese mihi offert. Longus scriptorum a Melitone exaratorum catalogus, quem Hieronymus, Eusebius, Rufinus, Nicephorus exhibuerunt, nostram quoque merebitur diligentiam. In primis autem in colligendis viri hujus sanctissimi fragmentis sedulus ero, quorum etiam quædam hactenus typis nondum exscripta adjiciam. Tandemque de hæresi, quæ ab eo nomen, ut in vulgus creditur, sortita est, dicam, eumque ex hæreticorum indice eximere allaborabo. Ut in pauca me contraham, ad tria hæc capita omnem tractationem revocabo: Primum Melitonis vitam meritaque enarrabit. In altero scripta ejus recensebuntur atque fragmentorum hinc inde exstantium diligens instituetur spicilegium. Tandemque ultimo loco de Melitonianorum hæresi agetur. Cum sub manibus et præter spem creverit elaboratio, ne lecturis nimis longa tractatio nauseam moveat, moleque sua laborare videatur dissertatio nostra, percurrendum campum in stadia dispescere liceat, et hac vice de Melitonis tantummodo vita exponere, eumque ut apprime doctum, virtutibus unum omnium sui temporis maxime florentem, et de Ecclesia Dei egregie merentem sistere; reliqua autem alii propediem insecturæ dissertationi reservare. Benevolum autem Lectorem majorem in modum rogo atque obtestor, ut conaminibus meis faveat, tenuemque huncce laborem æqui bonique consulat.

§ I. *De Melitonis nomine observatio.*

Circa ipsum Melitonis nomen statim in limine tractationis nostræ nonnulla erunt adnotanda et observatio quædam grammatica præmittenda erit, quæ, utut levis momenti res multis videri possit, silentio tamen vel ideo non prætereunda mihi videtur, quod, cum a quibusdam fuerit neglecta, errorem peperit in quem eruditorum nonnulli sese induci passi fuerunt, et qui confusionis multarumque tricarum parens

facile exsistere potest. Scilicet in Latine reddendo nostri confessoris nomine, quod origine Græcum est et Μελίτων audit, diversæ diversorum inveniuntur sententiæ. Aliis enim *Melitus*, aliis *Miletus* vel *Mileto*, aliis *Meliton*, aliis denique *Melito* effertur. Quæritur itaque quænam formatio alteri sit præferenda, et qua potissimum terminatione nomen istud Latine veniat? Facilis admodum ad hanc quæstionem erit responsio, dummodo et hic communem grammaticorum pharum sequi, nec ab analogia, seu similitudine aliarum vocum recedere velimus. Omnia autem nomina propria in syllabam των apud Græcos desinentia, Latine in το finire analogia docet: sic v. c. Πλάτων, Πλούτων Latine non dicuntur Platon aut Plutus, sed potius Plato, Pluto; hinc clarum quoque esse arbitror, Μελίτων Latine esse *Melito*. Recte itaque ab Halloixio (1) erroris arguuntur Petrus Equilinus et Philippus Bergomensis, quorum ille nostrum *Melitum*, hic vero eumdem *Miletum*, vel *Miletonen* vocavit. Hinc notandus quoque Philippus Labbeus (2), cui perinde est, sive *Melitonis*, sive *Mileti* nomine noster salutetur. Negare tamen non possum hunc errorem multis jamjam retro sæculis erratum, *Melitonem* que Latine *Miletum* quoque fuisse appellatum. Sic enim in codice antiquo satis, optimæque notæ, qui Parisiis in collegio Societatis Jesu Claromontano asservatur, quique Melitonis librum, *Clavim* dictum, continet, anterioris folii suprema parte hæc leguntur, eadem qua codex integer manu exarata: *Miletus, Asianus episcopus, hunc librum edidit, quem et congruo nomine* Clavim *appellavit*. Ut itaque Labbeus, si quidem errori antiquitas patrocinium afferre potest, excusandus quodammodo sit, quod nostrum quoque *Miletum* vocaverit.

§ II. *Varii hoc nomine clari.*

Non infrequens autem Melitonis in rerum gestarum monumentis est nomen, nec noster unice memoriæ posteritatique illud tradidit, sed in sacris æque ac profanis annalibus occurrunt et alii eodem, vel haud multum diverso nomine clari. Philippus Ferrarius (3), ordinis Servitarum generalis, vir omni eruditionis genere instructissimus, et de sanctorum potissimum Vitis, quorum nomina in Martyrologium Romanum non fuerunt relata, egregie meritus, Melitonis cujusdam Sulcitani, in Sardinia episcopi, mentionem facit, asseritque se ex tabulis et monumentis Ecclesiæ Sulcitanæ habere testimonium hujusmodi Melitonis, Sulci, seu Sulchi (4) in Sardinia episcopi et martyris, eumque primum hujus sedis præsidem statuit, et Bonifacii, Calaritani episcopi discipulum. Cl. J. A. Fabricius (5), quid enim hunc latere potuit? hujus quoque meminit, atque ad Hieronymi locum, ubi de nostro Melitone agitur, diligenter adnotavit, eum cum Sulcitano minime esse confundendum. In *Actis Sanctorum* (6), quæ multis voluminibus Antwerpiæ singulari J. Bollandi, Henschenii, Papebrochii aliorumque cura inde ab anno 1643 prodierunt et adhuc prodeunt, de Sulcitani hujus vita quædam memoriæ mandantur. Ecclesia Laodicena ejusdem nominis etiam episcopum habuit, cujus passio sancti Joannis evangelistæ celebratur, quæ Oxoniæ inter codices, quos indelebilis memoriæ vir Thomas Bodlæus bibliothecæ publicæ legavit, manuscripta exstat (7), et quam J. Maria Florentinius (8), et ex eo modo memoratus Fabricius (9) typis exscribendam curarunt, ast nescio ex quo codice, id tantum non ignoro, Beato Joanni Ernesto Grabio consilium fuisse denuo illam, si supervixisset, ex codice Anglicano edendi. Ita enim me docuerunt viri hujus optimi schedæ, post mortem ejus inter cimelia bibliothecæ Bodleianæ, ceu inter sidera relatæ, ibique diligenter asservatæ, quas non sine insigni emolumento volutare clarissimorum custodum humanitas mihi concessit. De hoc Melitone Laodiceno, videnda utique sunt ea quæ incomparabilis Fabricius (10) passim de eo annotavit. Inter quadraginta martyres Sebastæ in Armenia sub persecutione Licinii A. C. 320, frigore enecatos, de quibus Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Ephrem Syri, Gaudentii Brixiensis aliorumque insignes exstant orationes, celebratur et Melitonis nomine unus, quartus a principio, prout ex Bollandianis inter se collatis

(1) *In Illustrium Ecclesiæ Orientalis scriptorum, qui sanctitate juxta et eruditione sæc.* II *floruerunt Vitis et documentis*, fol. 838.

(2) Qui in *Nova Bibliotheca mss. librorum*, sive specimine antiquarum lectionum Latinarum et Græcarum in IV partes tributarum, Parisiis 1653, 4°, parte secunda, in qua biblica et theologica continentur, pag. 21, ita: *Clavis sacræ Scripturæ, Mileto seu Melitone, Asiano, ut volunt, episcopo auctore.*

(3) In Catalogo generali sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, Venetiis anno 1525, in Qu. ad Kalend. Aprilis.

(4) Urbs Sardiniæ notissima, cujus apud veteres frequens occurrit mentio. Miror Frid. Spanhemium in *Geographia sua sacra et ecclesiastica* nullam ejus mentionem injecisse, cum tamen fuerit sedes episcopalis. Confer., si placet, Cellarii *Geographiam antiq.* p. 51, editionis, quæ mihi ad manus est, Londinensis, quam Sam. Patrick, 1731, curavit.

(5) In *Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum*, fol. 93.

(6) Mensis April. tom. I, fol. 11.

(7) Vide Catalogos librorum manuscriptorum Angliæ et Hiberniæ in unum collectos et a Th. Hyde, bibliothecæ Bodleianæ protobibliothecario, Oxoniæ 1697, e theatro Sheldoniano duobus voluminibus in fol. editos, tom. I, pag. 125, codice 2432, Bodlei. F. 7. 4. 32, pag. 191, b, sq. Ejusdem fragmenta quædam in *Caten. Patrum* inveniuntur. Vide Montfaucon. *Biblioth. Bibliothecarum* p. 14, 142.

(8) Ad Martyrologium vetus S. Hieronymi, pag. 130.

(9) In codice apocrypho N. T. parte III, pag. 604.

(10) Citato lib. parte II, pag. 789, 790, et in *Bibliotheca Græca* lib. V, cap. 1, sect. 2, § 24, vol. V, pag. 185.

catalogis eorum nomina retulit Theodoricus Ruinartus (11). Hic martyrii hujus actis ita testantibus, eo in primis nomine præ reliquis memoriam meruit, quod eum mater sua, timens ne in cruciatibus deficeret, virili animo cohortata est hunc in modum :« Fili, modicum sustine, ecce Christus ad januam stat adjuvans te. Perfice cum tuis contubernalibus iter beatum ne unus desis illorum choro ! » Et cum sævitiæ ministri reliquorum jam mortuorum corpora plaustris imposita ad comburendum deportarent, hunc vero Melitonem prope exanimem relinquerent, mater ejus currum quanta poterat celeritate prosecuta, filium humeris suis gestatum in currum injecit ipsa, ut, quorum fuerat particeps pœnæ, eorum et socius esset gloriæ, nec reliquis serius martyrii corona a Domino exornaretur. Celeberrimus Nicolaus Lloydius (12), collegii Wadhami in academia Oxoniensi socius, Melitonis cujusdam meminit, qui de familiis Atheniensium commentarium fecit, a Valerio Harpocratione (13), rhetore Alexandrino, commemoratum, ast frustra abs me apud Fabricium in *Bibliotheca Græca*, et ap. G. I. Vossium in opere *De historicis Græcis* quæsitum. Arte quoque medica olim clarum fuisse quemdam Melitonem me non nescire facit ὁ πάνυ, Beatus J. A. Fabricius (14), qui in veterum medicorum, quem magna industrta elaboravit, Elencho suo, hujus quoque nomen retulit, eumque Galeno (15), communi medicorum parenti, laudibus fuisse commemoratum observavit. Inter Socratis porro accusatores Melitus nomine unus fuit, Xenophonte (16), Diogen. Laertio (17), Tatiano (18), aliisque ita testantibus. Orator hic exstitit atque poeta ; comœdiarum æque ac tragœdiarum conditor, accusato tamen Socrate quam scriptis suis notior. Frigido enim atque perplexo dicendi genere laboravit. Hinc Aristophanes (19), τὸ φλαττοθραττοφλαττόθρατ comici cujusdam perstringens, ex Meliti obliquis modis illud desumptum putat :

Οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων
Σκολιὸν (20) Μελίτου.

«Sed hic ab omnibus meretriculis sumpsit modos obliquos Meliti. » Suidæ (21) hinc atque Biseto (22) ut alios jam taceam, ψυχρὸς ἐν τῇ ποιήσει vocari suevit. Meletios quamplurimos rerum in Ecclesia Dei, gestarum monumenta celebrant ; lectoris autem patientia abuterer, si eos omnes viritim enumerare vellem. Patiatur itaque potius se ad præstantissimum Fabricium (23) ablegari, qui, ut in aliis omne semper punctum fert, ita et hac in re πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων conferri meretur. Hoc saltem vel tribus adhuc verbis addere liceat, Homerum carmine suo Melitidem quemdam nobilitasse, cujus stultitia in proverbium abiit : « Melitide stultior (24). »

(11) In *Actis primorum martyrum sinceris et selectis* p. 521, edit. secundæ, quæ Amstel. 1713 in fol. prodiit. Ubi contra Henr. Dodwellum multis disputat, qui in Dissertationum suarum Cyprianicarum 11, quæ de paucitate martyrum agit, § 91, pag. 540, post aliquot de Licinii persecutione præmissa, hæc subjungit : « Caveant itaque fabulatores, ne quos alios sub Licinio martyres faciant, præterquam episcopos. » Eorumdem martyrum memoria in veteri Martyrologio Romano, et in Adone ad 11 Martii, in aliis autem ad 9 ejusdem mensis adnotata est.

(12) Qui Caroli Stephani *Dictionarium historicum*, opus admodum utile et apprime necessarium, sub incudem revocavit, innumerisque locis ita auxit, et emaculavit, ut novus ac plane alius videri possit liber. In *Dictionario historico geographico-poetico*, quod in forma majori Londini prodiit an. 1686, parte prima, voce *Melito*.

(13) Vixit circa annum 360, atque ex optimis auctoribus consarcinavit Lexicon Græcum in decem oratores, a Manutio, Valesio, Maussaco, Gronovio editum. De Melitone mentio fit voce Κάθοιτὸς.

(14) In *Bibliotheca Græca* lib. VI, cap. 9, § 4, vol. XIII, p. 329.

(15) In *Medicamentis* κατὰ γένη, lib. VI et VII, citante Fabricio.

(16) In Σωκράτους ἀπολογίᾳ πρὸς τοὺς Δικαστάς, § 11 et 12, pag. 273, tomi IV Operum, quæ Oxoniæ e theatro Sheldoniano V voluminibus in-8, prodierunt Græce et Latine cura Eduardi Welsii.

(17) De Vitis, dogmatibus et apophthegmatibus clarorum philosophorum lib. II, p. 113, edit. quam Henr. Stephanus 1583, in-8, cum notis Isaaci Casauboni curavit.

(18) In *Oratione ad Græcos*, § 5, pag. 12, edit. præstantissimæ Oxoniensis, in theatro Sheld. 1700, in-8. Studio Willhelmi Worth, A. M. concinnate.

(19) In Βατράχοις act. V, scen. 2, pag. 164, ed. Kusteri. Amstel., 1710, fol.

(20) Σκολιόν erat carmen quoddam convivale, quod gesta fortium virorum complectebatur, atque a primo cani cœptum, non a secundo, sed ultro citroque ordine tortuoso excipiebatur : a σκολιός *obliquus*, *tortuosus*. Confer *Scholia* ad Aristophanis cit. loc. Σκολιά, οὕτω δὲ λέγεται, διὰ τὸ μὴ κατ' εὐθὺ μέλπεσθαι, ἀλλὰ σκολιῶς. Eustathius.

(21) In *Lexico*, vocibus Μέλιτος et Σκολιά.

(22) In *Scholiis* ad Aristoph. Προείρηται ὅτι τραγικὸς ποιητὴς ὁ Μέλιτος. Οὗτος δὲ ἐστιν ὁ Σωκράτη γραψάμενος κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὡς ψυχρὸς ἐν τῇ ποιήσει καὶ ὡς πονηρὸς τὸν τρόπον.

(23) Qui præter Meletium Meletinum alios decem commemorat in *Biblioth. Gr.* lib. V, cap. 24, vol. VIII, pag. 403 et sqq. Præter hos undecim a Fabricio l. c. laudatos, recentiores adhuc nonnulli commemorantur a Demetrio Procopio, Macedone Moschopolita in *Succincta eruditorum Græcorum superioris et præsentis sæculi recensione*, quam anno hujus ævi vicesimo conscripsit, atque Bucuresto transmisit ubique terrarum celebratissimo Fabricio, qui eam quoque in *Bibliotheca* sua *Gr.* vol. XI, p. 770, et seqq. cum versione Latina edidit. Hos inter et Meletium Pigam, et Syrigum inveni, quorum vitas ex instituto ante Procopium quoque dedit Euseb. Renaudotius in Observationibus ad Gennadii et aliorum recentiorum Græcorum *De sacramento eucharistiæ* homilias, Parisiis 1709, pag. 91 et 151.

(24) Hic jam eversa Troja, Priamo auxilium laturus venisse legitur, ut meminit Eustathius decimum *Odysseæ* librum enarrans. Numerare supra quinque non potuisse porro dicitur, ductaque uxore, novam nuptam non attigisse, veritus ne ipsum illa accusaret apud matrem. Aristophanes in Βάτραχοις act. IV, sc. 1, inter fatuos eum numeravit, quod et a Luciano, Suida, Apuleio, plurimisque comicis factum fuisse observavit Desider. Erasmus in *Adagiorum Chiliad.* in *stupidos*, p. m. 1023. Hæc

§ III. *Scriptores de Melitone conferendi.*

Hi, quotquot nominavi, omnes nominum quadam inter se affinitate tenentur. Ast dummodo a nostro sedulo secernantur, nihil negotii amplius mihi facessent, de Melitone unice acturo, qui superaddito cognomine Asiani et Sardensis, vel Rectius Sardiani ab hisce omnibus diversus esse atque distingui solet. Hujus nomen celebrandi, memoriamque conservandi studio haud pauci veterum fuerunt incensi ; et ut statim pateat, quantum sui sæculi lumen exstiterit, liceat hic saltem nominare scriptores antiquos, quos sui suarumque virtutum eximiarum nactus est laudatores. Ex illa ipsa, qua vixit ætate, nobilissimorum scriptorum deprehendi trigam, qui ejus fecernnt mentionem. Polycratem (25) scilicet, Ephesi episcopum et totius Asiæ primatem, qui in sua ad Victorem Romanum epistola synodica, Melitonis meminit, ejusque honorificentissimam memoriam injecit, Clementem porro Alexandrinum (26), atque Tertullianum (27). Sæculo sequente Origenes Melitonis nostri mentionem fecit, ejusque nonnulla dogmata, si Theodoreto (28) fides est habenda, retulit Ecclesiæ orthodoxæ suspecta.Sæculo quarto omnium optime de Melitonis nomine meruit Eusebius (29) Cæsariensis in Palæstina episcopus, qui non modo crebram laudibusque semper plenam ejus injecit mentionem, sed et ejusdem auro quovis chariora fragmenta quædam nobis conservavit auctor hac in re plane classicus atque cum ejus interprete Ruffino (30) atque continuatore Hieronymo (31) præ reliquis evolvendus. Eodem adhuc ævo commemoratur quoque Augustino (32), et Chronici Alexandrini auctori ignoto (33), cujus tamen ætatem in hoc sæculum mihi referre liceat, auctoritate Caroli du Fresne (34) maxime commoto. Nec Gennadius Massiliensis (35), qui sæc. v° floruit, nec Anastasius Sinaita (36), insequenti sæculo clarus, nec Venerabilis Beda

proverbia : Μωρότερος Μελιτίδου Μελιτίδην ἢ Κόροιβον οἴει με πρὸς θεῶν ; « Melitidem aut Corœbum me putas per deos ? »

(25) De eo vide Eusebium *Histor. ecclesiast.* lib. v, cap. 23, p. 243, edit. Cantabrigiensis, quam Guil. Reading 1720 curavit. Claruit circa annum 196 et inter episcopos sui temporis ob doctrinam et gravitatem, celeberrimus habebatur. Occasione controversiæ Paschalis inter Ecclesiam Occidentalem et Orientalem tunc agitatæ,synodum episcoporum Asianorum convocavit, quorum etiam nomine, ætate multum jam provectus,luculentissimam scripsit epistolam ad Victorem et ad Romanæ urbis Ecclesiam, cujus aureum fragmentum nobis servavit Euseb. *H. E.* lib. v, cap. 24, pag. 241.

(26) Hic in libro deperdito, quem de Paschate conscripsit, operis cujusdam Melitonis de eodem argumento elaborati meminisse dicitur Eusebio *H. E.* lib. iv, cap. 26, pag. 183.

(27) In septem quos pro Montano adversus Ecclesiam scripsit libris,qui quidem ætatem nostram non tulerunt. Fragmentum autem et de Melitone honorificum judicium ex iis nobis servavit suoque *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum* inseruit Hieronymus.

(28) Quæstione 20 in *Genesin*, tom. I *Opp.*, pag. 21, edit. præstantissimæ, quam superioris sæc.anno 42 Parisiis quatuor volum. in fol. dedit Jac. Sirmundus, Frontonis Ducæi adjutus laboribus,ubi Origenis adducit verba,quibus Melitonem iis accenset, qui imaginem Dei in corpore hominum consistere affirmabant,aitque eum Commentarium reliquisse Περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι τὸν θεὸν, *de eo, quod Deus sit corporeus* μέλη γὰρ θεοῦ ὀνομαζόμενα εὑρίσκοντες, κ, τ. λ., *membra enim Dei appellata cum inveniunt*, etc. De quo pluribus infra agam.

(29) In Chronico lib. posteriore ad Olympiadem ccxxxvii, p. 169, edit. Scaliger, Amst. 1658, pariter ac in *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 13, 21 et 26; lib. v, cap. 24 et 28. Præter duo Melitonis fragmenta, alterum ex *Apologia*, alterum ex ejus libro *De paschate*, exhibuit quoque scriptorum ab eo consignatorum exactum catalogum.

(20) Qui decem *Historiæ ecclesiasticæ* libros in Latinam linguam transtulit libere, additis detractis multis, dimidio libri octavi omisso,decimo vix tacto, ut adeo ex x Eusebii libris novem fecerit, quibus duos de suo adjecit. Evolvendus iisdem ac Eusebius locis.

(31) Hic Chronicon, quod Eusebius a mundi fabrica usque ad a. C. 326, contexuit, continuavit, Melitonisque vitam, laudes et scriptorum catalogum dedit in libro *De illustribus Ecclesiæ scriptoribus*, sive *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, qui Operum ejus tomo IV, parte II, exstat fol. 110, editionis Benedictinorum, quæ Martianæi cura Parisiis, 1703, seq. V volum. lucem vidit, et apud Fabricium in *Bibliotheca ecclesiastica*, fol. 93.

(32) *De hæresibus* cap. 76. Ast hæresim hanc benigne interpretatur atque excusat, *ibid.*, cap. 86 et alibi quoque, *De Genesi ad litteram*, lib. x, cap. 25.

(33) Ad Olympiadis ccxxxvi annum secundum, indictionem tertiam, pag. 258 edit. Parisinæ ; et in *Corpore scriptorum historiæ Bysantinæ*, editionis Venetæ tomo III, pag. 206. Hoc opus, quod obiter hic monere liceat, diversimode citatur ; primum *Fastorum Siculorum* nomine, deinde *Chronicæ temporum epitomes* titulo insigniebatur, Leunclavio et Daniel. Papebrochio *Annalium Constantinopolitanorum* nomine venit; Matth. Raderus, S. I. lemmate Chronici Alexandrini istud edidit. In *Corpore Bizantino* autem hoc frontispicio exstat: Πασχάλιον seu Chronicon Paschale a mundo condito ad Heraclii imp. annum vicesimum, juxta editionem Caroli du Fresne, dominus du Cange, qui post Raderum denuo Parisiis 1688, fol., illud prodire fecit, novamque Latinam versionem,notas chronologicas et historicas una cum præfatione eruditissima adjecit, in qua præter historiam hujus Chronici de aliis quoque maximi momenti argumentis exposuit. Cæteroquin in hoc ipso Chronico exhibetur quoque fragmentum quoddam, nescio e quo Melitonis libro.

(34) Qui non unum hujus operis exstitisse putat auctorem, eumque qui ab anno Constantii 17 opus ad Heraclium usque perduxit, continuatorem et interpolatorem fuisse censet, atque colligit, primum *Paschalii* auctorem vixisse circa tempora Constantii, quibus adhuc vigebat de paschalis festivitatis die controversia. Vide ejus præfationem.

(35) *De dogmatibus ecclesiasticis* cap. 4, pag. 4. Edit. Elmenhorstii. Hamb. 1614, 4.

(36) In Ὁδηγῷ seu *Duce vræ, adversus Acephalos*, cap. 13, pag. 260, quem librum Græc. Lat. edidit Jac. Gretserus Ingolstadii 1606, in-4. Egregium quemdam locum ex Melitonis libro Περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ affert de humanitate et divinitate Jesu Christi. Insigne hoc fragmentum ab Halloixio non fuit allegatum. J. Clerico in *Bibliothèque chois.* tom. XXVI, et in *Hist. eccles.*, pag. 561, ex

(37),Haymo Halberstadiensis (38),nec denique Nicephorus Calistus (39),sæculi decimi quarti Historiæ ecclesiasticæ conditor haud ignobilis,Melitonis nostri nomen laudesque reticuerunt.Hi ex superiori ætate mihi innotuerunt scriptores de beato isto Patre potissimum evolvendi; ast quæ et quanta nomina! sique a laudatis laudari demum laus est, nostro utique singulari hoc cedere potest honori, quod tot tamque insignes famæ suæ habuerit statores atque præcones. Imo vel exinde saltem unumquemque augurari statim posse arbitror, quanta ejus in rempublicam Christianam fuerint merita. Equidem deprehendi a nonnullis inter scriptores veteres de Melitonis vita conferendos provocari etiam ad Flavium Dextrum, gente Hispanum, et imperii Orientalis præfectum prætorium, qui sæculo quarto claruit atque Chronicon quoddam texuit a nato Christo ad annum 330 deductum. Ast ejus vel ideo nullam injeci mentionem, tum quod ad manus meas opus ipsum non pervenerit; tum quod in aprico sit, Chronicon,quod hodie sub ejus nomine circumfertur, quodque Fr. Bivarius Cistriensis in lucem protraxit (40), amplissimis commentariis illustravit, appendice et binis apologiis munivit,opus esse suppositititium,superiore demum sæculo ex cerebro notissimi falsarii Hieronymi Romani de la Huiguera conflictum, qui Cistriensi fumum vendidit, ita ut ille,umbram pro Junone captans, magno conamine nihil egisse jure sit censendus. Inter recentiores, quorum opera potissimum usus sum, præter Caveum (41), cujus De scriptoribus ecclesiasticis liber, censente Pfaffio (42), manuale historiæ sacræ studiosi esse debet, Sixtum Senensem (43), Trithemium (44), Tillemontium (45), du Pinium (46), Natalem Alexandrum (47), Papebrochium et Bollandum (48), Ittigium (49), Weismannum (50), Dodwellum (51), Nic. le Nourry (52), Wilh. Whistonum (53), Nathan.Lardnerum (54), aliosque,evolvendus est in primis Halloixius (55), qui omnium optime de eo egit,reliquisque palmam facile præripuit. Plura qui desiderat, adeat Fabricium (56), quem nominasse laudasse est, qui suo, quo solet, modo, eruditissime et copiose auctorum de Melitone evolvendorum dedit catalogum.

§ IV. *De Melitonis patria.*

Nominatis itaque scriptoribus,qui Melitonis nostri mentionem injecerunt,et indicatis sic simul fontibus ex quibus hanc nostram derivabimus narrationem, in ipsam ejus patriam nunc inquiramus. Tulit autem hunc palmitem Asia, ex qua secundo post Christum natum ævo præstantissimi viri atque de Ecclesia Dei optime merentes prodierunt potissimum, quemadmodum sæculo sequenti Africa eorum ditissimum ma-

præconcepta sua contra divinitatem Christi opinione hic locus interpolatus videtur, quem tamen infra contra eum pariter ac Guil. Whistonum vindicare allaborabo.

(37) *Retractat. in Acta apostol.*, cap. 8 et 13.

(38) *Histor. eccles.* lib. IV, cap. 22, pag. 44, edit. Helmestad. 1671 ; cura Joach. J. Maderi.

(39) *Histor. eccles.* lib. IV, cap. 10 integro, Operum quæ Frontonis Ducæi industria duobus vol. in-fol. Parisiis 1630 prodierunt, tom. I, pag. 294 seqq.

(40) Lugduni 1627, fol. Vid. Cave *Hist. litt.*, pag. m. 181, b.

(41) In *Scriptorum ecclesiasticorum Historia literaria*, fol. 42, edit. Coloniæ Allobrogum 1720, quæ id habet præcipui et commoditatis, ut, quæ duobus antea distincta tomis prodierat, uno volumine tantum sistatur, relatis singulis articulis posterioris partis, quæ Henr. Wartoni supplementa continet,in suam sedem.In Anglia cura beati Waterlandi nova prodit hujus libri editio tomis duobus, quorum primus jam lucem vidit,alter vero opera in Theatro Sheldoniano adhuc exercet. Caveus fragmentum ex Anastasio Sin. primus produxit.

(42) In *Institutionibus historiæ ecclesiasticæ*, pag. 7, edit. secundæ.

(43) *Bibliothecæ sacræ* lib. I, pag. 5, edit. Paris.

(44) Sæc. XV, pater et abbas Spanheimensis, in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* § 14, apud Fabricium in *Biblioth. ecclesiastica*, fol. 7.

(45) Dans les *Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique*, tom. II, p. 445, et in not. pag. 707.

(46) Dans la *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques*, tom. I, pag. 62.

(47) In absolutissimo opere, quo *Historiam ecclesiasticam V. et N. T.*, ab orbe condito ad annum Christi 1600 condidit, et cujus repetita editio prodiit Parisiis 1730, octo voluminibus in fol., tom. III, fol. 297, sqq.

(48) In *Actis Sanctorum*, Aprilis, tom. I, fol. 11, ad primum April.

(49) In *Selectis capitibus hist. eccles N. T.*, sæc. II, cap. 1, § 30, 31, 32, pag. 37 ; cap. 2, § 2. pag. 79 ; cap. 7, § 31, pag. 328. Idem *De hæresiarchis ævi apostolici*, sect. II, cap. 11, pag. 176, et in *Appendice* pag. 83.

(50) In *Introductione in memorabilia ecclesiastica hist. eccles. N. T.*, tom. I, pag. 114 et 133.

(51) In dissertationibus Cyprianicis, quæ Oxoniæ separatim 1684 prodierunt pag. 265. Easdem in Cypriani sua editione simul cudi fecit J. Fellus episcopus Oxoniensis, Oxonii 1682, fol.

(52) In excellentissimo et rarissimo opere, quod *Apparatum ad Bibliothecam Patrum maximam* inscripsit, quodque duobus voluminibus in fol. Parisiis 1703 prodiit, lib. II, diss. 5, cap. 5, pag. 558.

(53) In the *Dissertation upon the Epistles of Ignatius*, quæ tom. I Christianismi primitivi, *the primitive Christianity reviv'd*, exstat pag. 65, 66. Et in the *Account of the Faith of the first Centuries*, pag. 61, 69, 94, 120, 125, 184, 266, 283. Ejusdem libri tomo IV, Whistonus Arianæ, quam amplexus est, de divinitate Christi sententiæ non modo, sed et hypothesi suæ longiores Ignatii epistolas genuinas esse, ex fragmentis Melitonis patrocinium afferre conatus est.

(54) In libro Anglico, qui 5 vol. Londini 1730, 1740, in 8°, hoc frontispicio prodiit : *The credibility of the Gospel History*, part II, vol. I, pag. 326. Primus hujus operis tomus a Corn. Westerbæn Ultrajecti in linguam Belgicam fuit transfusus, idemque Latina civitate donatus Hamburgi prodit 1733, præfationem et observationes quasdam adjiciente S. R. J. Cph. Wolfio. Optandum esset ut reliqui quatuor tomi eamdem in linguam traducerentur.

(55) In *Illustrium Ecclesiæ Orientalis scriptorum, qui sanctitate juxta et eruditione sæc. II floruerunt, Vitis et documentis*, fol, 817., sqq. Vidit hic egregius et raro obvius liber lucem Duaci 1636 : sæculi I scriptores prodierunt ibid. 1633, plura sæcula viri hujus industria non tractavit.

(56) In *Biblioth. Gr.*, vol. V, pag. 184, et in *Syllabo Scriptorum de V. R. C.* pag. 160.

xime dedit proventum. Hinc cognomine Asianus salutatur Hieronymo (57) et Chronici Alexandrini auctori (58). Quam autem in specie provinciam Asiæ patriam habuerit, et quæ potissimum urbs ipsi natales dederit, tacentibus historiæ monumentis, definire non audeo. Halloixio (59) quidem verisimillimum videtur Sardibus eum fuisse natum, atque cognomen Sardensis, vel rectius Sardiani, tulisse non tantummodo ob habitationem et munus episcopi, quod in urbe Sardium gessit; sed etiam ob nativitatem et patriam. Ast cum conjecturam suam nulli alii fundamento superstruxerit, quam quod Sardensis cognominatus sit, ut ei subscribam nullo modo abs me impetrare possum, licet nec aperti erroris eum hanc ob causam arguere velim. Ejus tamen sententia cur infirma et precario asserta mihi videatur, sequentibus inducor rationibus. Primo quod nullibi nude appelletur Sardensis, sed ita semper ordinentur verba, ut nullo negotio statim pateat, eum non ob patriam, sed ob dignitatem unice ecclesiasticam hoc cognomen meruisse. Sic v. c. Eusebio vocatur : Τῆς ἐν Σάρδεσι παροικίας ἐπίσκοπος (60) : τῆς ἐν Σάρδεσιν Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος (61) : Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος τῆς Λυδίας (62), sic Ruffino « Sardensis antistes Ecclesiæ, episcopus Ecclesiæ Sardensis (63), » sic Hieronymo, Nicephoro aliisque. A nomine autem veterum scriptorum simpliciter Σαρδιανόν, « Sardensem sive Sardianum » eum appellatum inveni. Alterum quod me movet, hoc est, istis temporibus moris non tam fuisse Ecclesiæ doctoribus a patria cognomina imponere, sed eos ab Ecclesia potius, cui præerant, illa tulisse. Sic enim Ignatio, Nouræ in Sardinia nato (64), Antiocheni : Clementi (65), qui Italicam certe patriam non habuit, Romani ; Irenæo (66), cui Asia vitam dedit, Lugdunensis cognomina addita inveniuntur, certe non ob patriam, sed ob munus episcopi regionibus istis administratum. Econtra alii, quos rerum eventus in nullam cathedram evexit, utut de eorum patria certissime constet, nullum tamen ab ea cognomen acceperunt, ne scilicet pro episcopis falso haberentur. Sic Justinus, cujus terra mater Samaria fuit, non Samaritanus, sed κατ' ἐξοχήν martyr vocatur. Sic Origenes, Alexandriæ natus, a patria minime Alexandrinus, sed ob laborum patientiam Χαλκέντερος seu Adamantius cognominatur. Sic innumeri alii, quorum patriam compertam habemus, nullam ab ea gentilitiam accipiunt appellationem, Veteres potius, viri alicujus patriam expressuri, generaliori quodam et laxiori tantum cognomine Asiani vel Africani illam indicare sueverunt. Hoc et Melitoni nostro contigit, ita ut non sine magna probabilitatis specie asseruisse mihi videar, ex solo Sardensis cognomine Halloixium colligere prorsus non potuisse, Lydiam ejusque primariam urbem Sardes ei patriam exstitisse solum.

§ V. *Quando Melito floruerit.*

Ast relicta ejus, quam minus compertam habemus patria, ad alia transeamus, quæ magis sunt perspecta, atque de ætate, qua celebris exstitit noster jam disquiramus. In ea definienda, sequentia quibus tuto inniti, computationesque nostras non sine causa superstruere possumus deprehendimus momenta. Hieronymus (67), Eusebius (68) et Nicephorus (69) aliique coævos temporeque suppares ipsi faciunt Hegesippum, Dionysium, Corinthiorum episcopum, Pinytum, Cretensium episcopum, Philippum, Apollinarem, Musanum, Modestum, Irenæum ac Theophilum Antiochenum, qui omnes circa medium sæculi secundi floruerunt. Ex iisdem porro auctoribus (70) constat, Melitonem exortam suis temporibus in Ecclesia Laodicena dissensionem circa paschatos celebrationem composuisse feliciter. Hujus vero controversiæ tempus ipse in principio operis, hanc in causam de paschate exarati, his significavit

(57) In *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*,, cap. 24, pag. 110 : « Melito Asianus Sardensis episcopus. » Et antiqua Græca versio, quam Fabricius simul exhibet : Μελίτων Ἀσιανὸς, Σαρδέων ἐπίσκοπος.

(58) Ad Olympiad. CCXXXVI, pag. 206 : Ἀλλὰ καὶ Μελίτων Ἀσιανὸς, Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος κ. τ. λ.

(59) In *Illustrium Ecclesiæ Orient. scriptorum Vitis*, fol. 818.

(60) *Histor. ecclesiasticæ* lib. IV. cap. 26, fol. 188, edit. Read.

(61) *Ibid.*, lib. IV, cap. 13 et Nicephor. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 10, fol. 294. Front. Ducæi.

(62) In *Chronico ad Olump.* CCXXXVII : Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος τῆς Λυδίας κ. τ. λ.

(63) Ruff. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 25, fol. 93, edit. Beat. Rhenani.

(64) De patria B. Ignatii vide J. Ernestum Grabium in *Spicilegio SS. Patrum*, tom. II, pag. 1 seq., qui ex Gregorio Abulpharagii *Arabis dynastiarum historia*, dynast. VII, pag. 119, probavit eum Nuræ apud Sardos parente Judæo fuisse proseminatum, additque, ex conjectura Th. Heydii, forte ex patria quoque natum Latinum nomen Ignatii : quia *Núr* sive *Núra* Chaldaice ignem significet. J. Pearsonio tamen in *Adnotationibus ad Ignatii epistolas*, quas editioni suæ præstantissimæ Oxon. 1709, in-4°, e Th. Sheld. adjecit Th. Smithus, magis placet asserere Ignatium a Syris sua lingua Nuranum fuisse appellatum, quasi diceres « illustrem, splendidum, gloriosum ; » et ita Nurani cognomen non de loco unde ortus est, sed de cognomine, quo honoris causa vocatus fuit, interpretatur.

(65) De Clementis Romani patria altum apud omnes silentium.

(66) Smyrnæ hunc fuisse oriundum nonnulli perhibent.

(67) Epistola 83, tom. IV Opp., parte II, fol. 656.

(68) *Histor. eccles.*, lib. IV, cap. 21 : Ἤκμαζον δὲ ἐν τούτοις ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας Ἡγήσιππός τε ὃν ἴσμεν ἐκ τῶν προτέρων, καὶ Διονύσιος Κορινθίων ἐπίσκοπος, Πίνυτός τε ἄλλος τῶν ἐπὶ Κρήτης ἐπίσκοπος, Φίλιππός τε ἐπὶ τούτοις καὶ Ἀπολινάριος καὶ Μελίτων, Μουσανός τε καὶ Μόδεστος, καὶ ἐπὶ πᾶσιν Εἰρηναῖος.

(69) *Histor. eccles*,, lib. IV, cap. 19.

(70) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 26 ; Nicephor. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 10 ; Ruffin. lib. IV, cap. 26.

verbis : « Servilio Paulo Asiæ proconsule, quo tempore Sagaris martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali (71), » etc. In quem annum Servilii Pauli proconsularis dignitas inciderit, diligenti facta inquisitione invenire non potui. Sagaris autem episcopi Laodiceni martyrium a Ruinarto (72) ad tempora M. Aurelii Antonini imp. refertur, qui ab anno Christi 161 usque ad 176 imperio Romano præfuit, et sub quo quinta Christianorum agitata est persecutio. Huic itidem imperatori exhibuit noster pro Christianis libellum supplicem seu apologiam ; idque Olympiade CCXXXVI factum fuisse testatur Eusebius (73) et Chronici Alexandrini auctor (74) ; quæ debita chronologorum instituta computatione (75) annis post Christum natum 169-172 respondet. Ex his itaque omnibus non sine stringente veritatis luce colligere, tutoque pronuntiare possumus, Melitonem floruisse circa media sæculi secundi tempora, inclinante et ad finem jamjam vergente sæculo. Hinc recte ejus ætas 150 constituitur a Bellarmino (76), cui prorsus non contrariantur Caveus (77), Tillemontius (78), Le Sueur (79), qui ejus vitam ad annum 170 recensent, Baronius (80), qui anno 172, et Basnagius (81), qui anno demum 177 de eo exposuerunt, utpote qui ad ultima ejus potissimum respexerunt tempora. Probabilis porro in re haud prorsus certa conjectura est, Melitonem circiter annum centesimum, sub prima Trajani tempora in lucem fuisse editum, ex divino Davidis (82) effato et quotidiana experientia judicantes. Fuerunt tamen nonnulli, qui ejus natalem ad ipsum usque Neronis imperium retrotraxerunt, nimirum illi, qui per angelum Ecclesiæ Sardianæ, ad quem divus Joannes (83) epistolam suam direxit, Melitonem nostrum intelligunt. In horum sententiam ex instituto postea inquiram pluribus, atque ex difficultatibus tum chronologicis tum aliis, quibus hæc sententia premitur, commonstratum dabo, Melitonem tunc non fuisse Sardium episcopum, cum divinam suam revelationem B. Joannes litteris consignaret.

§ VI. *De parentibus et præceptoribus Melitonis.*

Qui parentes eum in mundum ediderint, et an Christiano, an gentili, an Judaico denique sanguine satus fuerit, prorsus est incompertum. Manet proinde æque dubium atque incertum utrum noster in vera fide sit educatus, utrum vero a gentilium vel Judæorum superstitione ad Christianos transierit. Quod si tamen conjecturæ locus est, ab ethnicis potius ad Christianorum castra transiisse mihi videtur, idque conjicio exinde, quia, si ex librorum ab eo conscriptorum titulis judicare fas est, in scholis philosophorum haud leviter versatus fuit, eorumque scita probe tenuit ; secus tamen sentientibus dicam hanc ob causam prorsus non scribam. An porro Onesimus ille, seu, ut Nicephorum eum vocat, Onesiphorus, quem fratris nomine salutavit, et cui celebratissimam illam epistolam scripsit, ab Eusebio nobis servatam (84), in quo Veteris Testamenti libros canonicos enumeravit, frater ejus ex utero germanus fuerit an vero ob arctum tantummodo, quod eos inter viguit, amicitiæ vinculum hanc tulerit compellationem, itidem quæstio est vix ac ne vix quidem solvenda (85). Uno verbo de Melitonis parentibus et familia nihil certi in tam semota antiquitatis memoria, deficientibus insuper monumentis, possumus definire. Ad præceptores ejus quod attinet eadem erit responsio, et omnia dixisse mihi videor, si modo observa. vero, eum neque ab apostolis, neque a Frontone quodam fuisse institutum. Utraque enim hæc, quam nonnulli de ejus præceptoribus fovent, sententia erronea est de proinde minus sectanda. Altera scilicet

(71) Apud Euseb. loco citato : Ἐν μὲν οὖν τοῖς περὶ τοῦ πάσχα τὸν χρόνον καθ' ὃν συνέταττεν, ἀρχόμενος σημαίνει ἐν τούτοις· « Ἐπὶ Σερουΐλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις κατρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ περὶ τοῦ πάσχα, ἐμπεσόντος κατὰ καιρὸν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις· καὶ ἐγράφη ταῦτα. »

(72) In *Actis martyrum sinceris*, fol. 29, et in præf. pag. LXIV.

(73) In *Chronico* loco citato, Claro et Cethego coss., sic notat . Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος, τῆς Λυδίας βίβλον ἀπολογίας Ἀντωνίνῳ ὑπὲρ Χριστιανῶν ἐπέδωκεν.

(74) In *Corpore Byzantino* tom. III, pag. 206 : σλς' ὀλυμπιάς, ς' Ἰνδ., γ' Ὑπ. Ὀρφίτου καὶ Ποὺδεντος. Postquam de Justini martyris et Crescentis apologiis dixerat : Ἀλλὰ καὶ Μελίτων, Ἀσιανὸς Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος, βιβλίον ἀπολογίας ἔδωκε τοῖς λελεγμένοις βασιλεῦσι, καὶ ἕτεροι δὲ πολλοί.

(75) Proposito enim quolibet anno Olympiaco, Olympiades multiplicandæ sunt in 4, producto addendi prætерlapsi insuper, si qui adsunt, Olympiadis datæ anni, aggregato adjiciendum 3938, et sic summa erit annus periodi Julianæ. Vid. Beveregii *Institutiones chronologicas* lib. II, cap. 15, reg. 6, pag. 150. Sic si scire cupias in quotum annum per. Jul. Oympias hæc, 236 concurrat, 236 ducas in 4, habebis 944 ; dictæ Olympiadis addendi nulli adsunt anni; hinc producto adjicias 3938 ; summa 4882 est annus per. Jul. quo currente nova Olympias incepit. Ex anno autem periodi Jul. annus Christi eruitur, auferendo 4713, et reliquus fit annus æræ Christianæ. *Idem*, lib. II, cap. 9, reg. 3, pag. m. 126. Sic ab anno per. Jul. 4882 aufer 4713, residuum est 169. Ergo annus Christi 169 fluxit una cum anno per. Jul. 4882. Ergo a C. 169, Olympias 257 incepit.

(76) *De scriptoribus ecclesiasticis*, pag. 65, edit. Paris. 1631.

(77) In *Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria*. fol. 42.

(78) Dans les *Mémoires pour servir à l'Histoire ecclesiastique*. tom. II, pag. 707, in not.

(79) *Histoire de l'Eglise et de l'Empire*, tom. I, pag. 622, edit. Genev.

(80) *Annalium* tom. II, ann, 172, sect. 5.

(81) *Annalium politico-ecclesiast.*, ann. 177. § 3. Credo. tamen Melitonem tunc fatis jamjam fuisse functum.

(82) Psal. XC, 10.

(83) Apocalyps. cap. III, 1-6.

(84) *Histor. ecclesiast.* lib. IV cap. 26 : Μελίτων Ὀνησίμῳ τῷ ἀδελφῷ χαίρειν.

(85) Tillemont, dans les *Mémoires pour servir à*

ex præconcepta et obiter jamjam notata opinione oritur, Melitonem esse angelum istum Ecclesiæ Sardianæ, quem divus Joannes reprehendit. Hinc apostolorum ætati æqualem necessario eum faciunt, virisque ab apostolis instructis, quos apostolicos vocarunt veteres, annumerant. Altera vero ex erroris gravi procedit, et eorum est, quos notavit Halloixius (86), qui Melitonem Frontonis, seu ut non sine vitio eum vocant, Frontonii discipulum fuisse somniant. Legerunt namque illi in Hieronymo (87) hæc verba : « Melito Asianus, Sardensis episcopus, librum imperatori M. Aurelio Vero, qui Frontonis oratoris discipulus fuit, pro Christiano dogmate dedit, » et quod tribuendum erat M. Aurelio tribuerunt Melitoni. Vere enim Frontonis discipulum M. Aurel. Antoninum fuisse, testatur non modo ipse verborum nexus, sed et veterum hanc in rem testimonia probant. Hieronymus (88) enim ipse alibi de Frontone memoriæ prodidit ita : « Fronto orator insignis habetur, qui Antoninum Verum Latinis litteris erudivit. » Et Jul. Capitolinus (89) imperatoris hujus magistros recensens, quos varia in facultate varios habuit, sic inter alia : « Oratoribus usus est Græcis, Annio Mario, Caninio, Celere et Herode Attico ; latino Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui et statuam in senatu petiit. » Quin et consulem eum fecit, ut fasti consulares testantur, et præter Ansonium (90) testis quoque est a Grutero (91) allata inscriptio vetus, e fano Fortunæ in littore Adriatico producta. Error itaque hic est insignis, qui a negligentioribus quibusdam chronographis acceptus, in alios atque alios est derivatus. Hæc de primis Melitonis nostri, omnibusque hominibus æque communibus vitæ fatis, dicta sunto. Hæc de patria, ætate, parentibus atque præceptoribus ejus in medium proferre potui, sed pauca me dixisse fateor, ast omnia quæ reperire potui.

§ VI, *De eruditione Melitonis in genere, et in specie de ejus oratoria.*

In animi vero ejus describenda indole amplissimus et vix emetiendus dicendorum campus se mihi offert. Naturam enim in tribuendis animi dotibus benignam prorsus atque faventem habuit non modo, sed et ipse donis a natura sibi concessis optime fuit usus. Felix enim ingenium variis artibus atque scientis ita perpolivit, et ad bona quævis propensissimam voluntaem ita assuefecit virtutum exercitio, ut eruditi non minus quam pii promeruerit commendationem. Quanto ardore meditationibus indulserit, quantaque laborum patientia et assiduitate studiis sese dederit, non modo insignes ejus in variis scientiis testantur progressus, sed et amplissimus librorum testatur numerus, quem indefessa viri hujus optimi post se reliquit diligentia, gravissimis insuper aliis quoque ecclesiasticis occupationibus oppressi. Horum librorum prolixum catalogum exhibuerunt Eusebius (92), Hieronymus (93), Ruffinus (94), Nicephorus (95), meritoque dolemus, quod temporis injuria perierint omnes isti ingenii ejus fetus egregii, quod que præter titulos et pauca quædam fragmenta, ast aurea et quantivis pretii, ætas nostra nihil tulerit (96). Melitonem ob eruditionem et scripta suis temporibus unum omnium maxime celebrem exstitisse, probant porro veterum hanc in rem testimonia. Ruffinus (97) fragmentum ex ejus apologia afferens, « hæc et multa alia nobiliter ab eo scripta fuisse » subjungit. Eusebius (98), contra Artemonis et Pauli Samosateni hæresin elaborata scripta enarrans, ita tandem exclamat : Τὰ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία ; hoc est, Ruffino interprete : « Irenæi vero et Melitonis cæterorum qui per idem tempus fuerunt, volumina quis ignorat ? » Et uterque (99) porro ita memoriæ quoque prodiderunt : « Melitonem Sardensis Ecclesiæ antistitem et Apollinarem (100) apud Hierapolim Ecclesiam regentem caleberrimos inter cæteros fuisse habitos. » Quæris qui fuerint isti cæteri viri, quos inter noster celeberrimus habebatur ; eos illos ipsos fuisse respondeo, quos tempore æquales ei antea nominaverat Eusebius (1). Hegesippus (2) scilicet, Dionysius (3), Pinytus, Philippus (4). Mysanus (5), Madestus, Irenæus et

l'histoire ecclésiastique, tom. II, pag. 445 : « Melito qualifie Onésime son frère, soit qu'il le fût effectivement, soit seulement parce qu'il était chrétien. C'était apparemment un simple laïque. »

(87) In *Vitis illustrium Ecclesiæ Orient. scriptorum*. fol. 838, tom. II.

(87) In *Catalogo script. ecclesiast.* cap. 24. Quæ verba Aubertus Miræus in suo ad h. l. scholio ita interpretatur, quasi ea non de imperatore Antonino philosopho, sed de Antonino Vero, quem is collegam imperii habuit, intelligenda sint. Sed manifeste reclamat differentia prænominis. Uti enim prior sine ulla controversia « Marcus Aurelius Verus Antoninus philosophus, » sic posterior constanter in omnibus antiquis numismatibus « Lucius Aurelius Verus Antoninus » nuncupatur.

(88) In Continuatione Chronici Eusebiani ad annum 4 M. Aurel. Ver.

(89) In ipsius imperatoris Vita.

(90) In gratiarum actione pro consulatu ad Gratianum imp. discipulum, pag. 195 Operum, edit. Jac. Tollii.

(91) *Inscriptionum Romanar.* pag. CCCLXIX.

(92) *Histor. ecclesiast.* lib. IV, cap. 26, pag. 188.

(93) *De scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 24, pag. 110, tom. IV Opp.

(94) *Hist. ecclesiast.* lib. IV, cap. 25, fol. 93, edit. Beat. Rhenani.

(95) *Histor. ecclesiast.* lib. IV, cap. 10, fol. 294.

(96) Obiter hic saltem librorum a Melitone conscriptorum injeci mentionem quia in altera diss. ex instituto de iis agere constitui.

(97) *Histor. ecclesiast.* lib. IV, cap. 25, fol. 95.

(98) *Historiæ ecclesiast.* lib. V, cap. 28.

(99) Ruffin. *Hist eccles.* lib. IV, cap. 25 ; Euseb., *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 26 : Ἐπὶ τῶνδε καὶ Μελίτων τῆς ἐν Σάρδεσι ἐπίσκοπος, Ἀπολλινάριός τε τῆς ἐν Ἱεραπόλει διαπρεπῶς ἤκμαζον.

(100). *Histor. eccles.* lib. IV, cap. 21.

(1) Cujus Vitam dat Euseb. l. c., cap. 27.

(2) Quem Euseb. *H. E.* IV, c. 22, laudavit.

(3) De hoc Dionysio vide eumdem l. c., cap. 23.

(4) De Philippo et Modesto idem egit ibidem, c. 24.

(5) Idem. l. c., cap 28.

Theophilus Antiochenus, viri de Ecclesia et fama et scriptis omnes atque singuli longe meritissimi. Lusco itaque inter cæcos minime regnavit, sed optimus inter optimos exstitit. In rem evestigio eamus, a.que palam jam quoque faciamus, in quibusnam potissimum studiorum generibus egregium se præstiterit noster. Optime perspiciens, quanta vis verborum ornatui insit, et quantopere conciliet animos compta oratio et mitis, in graviter dicendi facultate strenue sese exercuit. Fieri enim potest haud raro, ut quis recte sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit; hinc removendo huic impedimento noster quoque ante omnia operam navavit, et ita navavit feliciter, ut in rhetoricis et flexanimis artibus insignes prorsus fecerit progressus. Cumque, Tullio (6-64) teste, oratio debeat esse ornatior sententiis quam verbis, altioribus quoque vacavit disciplinis, philosophicisque pariter ac divinioribus totum sese sacravit scientiis, et utrasque felici connubio ita sibi junxit, ut egregii philosophi et consummatissimi theologi laudes fuerit consecutus. His scientiis instructus, poterat non modo ethnicorum allatas contra veritatem Christianam facili negotio contundere objectiones, sed et hæreticis obviam iro valebat, et rempublicam divinam ab omnibus tum externis tum intestinis defendere insultibus. Exstitisse itaque Melitonem commodum non modo oratorem, sed et eximium philosophum, nec minorem philosophum quam theologum probandum mihi incumbere video. Oratorem eum fuisse elegantem ex Tertulliani apud Hieronymum (65) auctoritate edocemur. Eximius enim hic sæculi secundi scriptor, qui postea tamen magno Ecclesiæ detrimento ad Montanistas abiit, elegans et declamatorium Melitonis ingenium laudavit in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano. Ejusdem porro ornatum dicendi genus vel ex unius orationis, quam pro fidei nostræ defensione composuit, superstite apud Eusebium (66) fragmento satis superque possumus perspicere, ex ungue leonem, quod in proverbio dici solet, judicantes.

§ VIII. *De philosophica Melitonis eruditione.*

Quantum in philosophia præstiterit, testantur libri de gravissimis hujus scientiæ momentis ab eo conscripti, quorum auctores modo nominati (67) titulos dederunt. Singulos scilicet et diversos edidit tractatus: *De universi hujus creatione*, Περὶ πλάσεως· *De hominis natura*, Περὶ φύσεως ἀνθρώπου· *De sensibus, de anima et corpore et mente*, Περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ καὶ νοός, etc. Ut autem harum rerum perfecta cognitio ad vitam æternam semper viam sternit, homines sensim sensimque ad altioris revelationis necessitatem deducendo, utque proinde earum tractatio omni tempore perutilis exstitit ac necessaria; sic de ejusmodi philosophiæ capitibus rite exponere istis temporibus maxime conducebat, quibus noster floruit, et quibus ethnici a sua superstitione abstrahendi erant, philosophisque, haud pauca contra religionis Christianæ veritatem excipientibus præpostereque multa de ejusmodi dogmatibus sentientibus, erat respondendum (68). Satis enim perspexit beatus Melito, quantum horum philosophorum scita quædam vim haberent ad religionis Christianæ vel retardandum progressum, vel structuram labefactandam, nisi prima ipsorum fundamenta suffoderentur. Hinc hoc sibi ultro suscepit negotii, ut hæc philosophiæ capita, quæ maximi ad fidem momenti sunt, et sine quibus non potest vera in Deum pietas surgere aut consistere, sedulo pertractaret, et pro virium facultate clarissimis rationibus suffulciret. Nam certe nisi constitutum sit, quisnam universi hujus

(6-64) In *Part. Orat.*, opp. t. I, fol.109. Edit. Froben. 1540, IV vol.

(65) In *Catalogo scriptorum ecclesiast.*, cap. 24: Τούτου τὴν εὐφυΐαν ἐπαινῶν Τερτουλλιανὸς ἐν τοῖς ἕπτα λόγοις, οὓς ἔγραψε κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ὑπὲρ Μοντάνου.

(66) *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 26.

(67) Euseb. scilicet *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 26, pag. 188. Hieronymus *De script, eccles.* cap. 24. Ruffinus *Hist. eccles.* lib. IV. cap. 25. Nicephorus Callisti *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 10, fol. 294.

(68) Tales qui istis temporibus contra Christianos egere, fuerunt, inter alios : I. Crescens, philosophus Cynicus, homo vitæ impurissimæ, qui Eusebio *Hist. eccles.*, lib. IV. cap. 16, audit φερώνυμος τῇ κυνικῇ προσηγορίᾳ βίον τε καὶ τρόπον, « qui vivendi rationem prorsus convenientem Cynicæ appellationis æmulabatur, » et Tatiano in *Apolog.* cap. 32, pag. 71, edit. Worthii, vocatur : Παιδεραστείᾳ πάντας ὑπερενεγκών, φιλαργυρίᾳ δὲ πάνυ προσεχὴς ὤν, « maxime omnium puerorum incesto amori deditus et pecuniæ studio addictissimus. » Hieronymus *De script. eccles.* cap. 30, eum multum adversus Christianos blasphemasse memorat. Justini martyris potissimum antagonista fuit, ejusque martyrii causa. Vide ejus *Apologiam secundam* (quæ alias prima vocari suevit), cap. 8, pag. 21, edit. splendidissima, quam ex schedis Grabianis Oxonii 1703, in-8, dedit Henr. Hutchin, et Euseb. l. c. II. Lucianus Samosatenus, celeberrimus ille Christianorum empæcta, cujus Vitam a Jo. Burdelotio ex ipsius Luciani scriptis compositam, notisque suis auctam dedit I. A. Fabr. in *Bibl. Gr.* lib. IV, cap. 16, pag. 485. Hunc falso primum quidem Evangelii ministrum Antiochiæ, postea παραβάτην et ἄθεον credunt Jo. Henr. Hottinger *Histor. ecclesiast.* N. T. parte I, pag. 55, et Jo. Ph. Treunerus in diss. *De theologia Luciani*, Ienæ 1697. Hic quidem justum opus adversus Christianos non scripsit, in dialogo tamen Περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς sacra eorum dogmata imo Christum et apostolos sacarsticis ludibriis perstrinxit, et in historiarum monumentis de eo memoriæ proditur, quod maxime καθάπτεται τοῦ Χριστιανισμοῦ, καὶ αὐτὸν βλασφημεῖ. Χριστόν. III. Celsus, qui opus suum contra Judæos et Christianos falso titulo inscripsit Λόγον ἀληθῆ, de quo videndus Euseb. *Hist eccles.* lib. VI, cap. 36, Opus ipsum Celsi libris octo confutavit Origenes, jam tum sexagenario major; qui nuper a Carolo de la Rue accuratius recensiti, et a summe venerab· Moshemio in Germanicam linguam translati notisque illustrati sunt.

exstiterit architectus, unde omnia, quæ vasto hoc continentur, ortum suum traxerint, quis solem, lunam, stellas cœlo affixerit; quis primum hominem efformaverit, quam ei naturam indolemque indiderit, cujus felicitatis participem eum reddere decreverit, cui fini corpus sensusque destinaverit, qua perpetuitate animam donarit, quod vinculum corpus inter et animam deprehendatur : nisi de his, inquam, constitutum sit, pauci ab incredulitate ad fidem perduci poterunt, et infirma erit contra secus sentientes disputatio. Animus potius fluctuans et incertus modo ad fortuitum atomorum concursum, modo ad, nescio quam, mundi animam æternam, modo ad animæ nostræ cum corpore interitum, modo ad alia atque alia his absurdiora rapietur (69). Amovendis itaque hisce aliisque hujus modi impedimentis operam noster feliciter navavit, sibique inter philosophos haud leve conciliavit nomen.

§ IX. *De theologica eruditione Melitonis*

Nihil aut parum præstitit viatori in devia delapso officii, qui ipsi saltem significat, eum a proposito diversas calcare semitas, rectam autem insuper viam non simul monstrat. Sic nec Melito in amoliendis tantummedo per scripta fidei obstaculis substitit, sed ad olios quoque hanc in rem edendos tractatus vertit animum, parum esse ratus, impedimenta removere, nisi et ipsa fides exponatur clare, et omnia ex rentur. Ergo edidit complures libros de diversis et gravissimis divinioris hujus disciplinæ mementis, et ejus præscriptis ad vitam et salutem æternam necessaria officia claris et perspicuis documentis declahaud obscurum esse sivit, quanta scientia et doctrina in rebus sacris et ad fidem spectantibus abundaverit. Cum animus mihi sit de scriptis ejus ex instituto pluribus infra agendi, ne postea dicenda mihi nunc præripiam, opus non esse arbitror, enumerare multis, quorum argumentorum tractationes susceperit, et de quibus in specie fidei capitibus, scriptis egerit. Fidem potius merebor, si ad probandam singularem Melitonis in sacris rebus dexteritatem ejus modo haud paucos in arte editos ingenii fetus testes poposcero, et lectorem ad Eusebium (70) ejusque sequaces iterum ablegavero. Perplacet cæteroquin scriptorum ejus de rebus theologicis elaboratorum divisio, quam in medium attulit sæpius jamjam citatus Halloixius (71), cui alia in gratiam gentilium, alia in gratiam Christianorum concinnata videntur. Sic in priorum gratiam inprimis editos fuisse libros *De fide*, *De veritate*, *De obedientia fidei*, ipsa præ se ferunt nomina et argumenta. Alii autem, quos etiam multos exaravit, magis ad eos spectant, qui vel jam in Christi castris versantur, vel dato ejus militiæ nomine, admissionem exspectant, et Ecclesiæ interim limen terunt. Tales sunt *De baptismo*, *De Ecclesia*, *De Christi generatione*, *De Verbo incarnato* et alii, quorum infra dabo catalogum. Quanta diligentia diurna nocturnaque manu Scripturas sacras tractaverit, et quam assiduus in carum lectione fuerit, non sine fundamento conjicere possumus ex Ἐκλογῶν libris, sive excerptis e sacris bibilis testimoniis, in sex libros divisis. In gratiam Onesimi potissimum hoc divinarum Scripturarum mel suxit, prout clarum est ex ipsa ejus *ad Onesimum* epistola (72). E crebra itaque sacrarum litterarum lectione, ceu optimo et omnis divinioris doctrinæ unico fonte et scaturigine, derivavit quoque in se egregiam illam, qua instructus erat scientiæ istius abundantiam ; et cum Jesum Christum Deum et hominem haud ignorare præcipuus sit fidei nostræ articulus, huic etiam veritati præcipue studuit, et deitatis pariter ac humanæ (θεανθρώπου) naturæ stator exstitit atque defensor fortissimus. Eusebius (73) hanc in rem evolvendus est, qui de eo memoriæ prodidit, quo scripta ejus ἐν οἷς θεολογεῖται, καὶ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος καταγγέλλεται ὁ Χριστός, « in quibus Christi divinitas astruitur, et in quibus eum Deum simul atque hominem prædicavit, » omnibus fuerint nota, quin notissima. Inprimis egregius Melitonis locus est de divinitate et humanitate Christi (74), quem Anastasius Sinaita produxit, et ex eo Caveus (75) et Whistonus (76), et quem contra Clericum vindicavit Weismannus (77). Suam porro in rebus divinioribus raram commontravit dexteritatem in eo, quod purioris doctrinæ adeo fuerit amans atque tenax, ut ea ne latum quidem unguem recedendum esse duxerit, sed hæreticis forti-

(69) Erroneas ejusmodi sententias enumeravit et refutavit Radulph. Cutworth in *Systemate intellectuali* tom. I, cap. 5, fol. 812, sqq., edit. Moshemianæ. Confer quoque si placet ejusdem abbatis summe rever. diss. *De creatione ex nihilo*, ibid., fol. 957. reperiendam.

(70) *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 36. Ruffin. *ibid.* ; Hieron. cap. 24. Niceph. *H. E.* lib. IV, cap. 10.

(71) In *Illustrium Ecclesiæ Orientalis scriptorum Vitis et documentis*, tom. II, fol. 821.

(72) Eusebius, *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 36, circa finem hanc nobis servavit epistolam.

(73) *Histor. eccles.* lib. V, cap. 28, contra hæresin Artemonis, quæ Christum merum hominem esse dicebat, disputans ita : Ἦν δ' ἂν τυχὸν πιθανὸν τὸ λεγόμενον, εἰ μὴ πρῶτον μὲν ἀντέπιπτον αὐτοῖς αἱ θεῖαι Γραφαὶ, καὶ ἀδελφῶν δέ τινων ἐστὶ A γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων, ἃ ἐκεῖνοι πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, καὶ πρὸς τὰς τότε αἱρέσεις ἔγραψαν. Λέγω δὲ Ἰουστίνου καὶ Μιλτιάδου καὶ Τατιανοῦ καὶ Κλήμεντος καὶ ἑτέρων πλειόνων, ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός. Τὰ δὲ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν ;

(74) In Ὁδηγῷ seu *Duce viæ* cap. 13, pag. 260.

(75) In *Histor. litteraria scriptorum ecclesiast.* pag. 20. Apud Halloixium hoc fragmentum non exstat.

(76) In *the dissertation upon the Epistles of Ignatius* pag. 65 et 66, quæ tomo I libri, quem *The primitive Christianity reviv'd* inscripsit, exstat.

(77) In *Introductione in memorabilia Ecclesiasticæ Historiæ S. N. T.*, tom. I, pag. 114.

ter restiterit, et in pravarum eorum opinionum potissimum origines de industria inquisiverit. Multum enim cum valeat ad abstrahendum ab errore animum, nosse erroneæ sententiæ causas ; noster quoque in eo operam suam egregie prorsus locavit, quod scripto quodam, ut auctor est Hieronymus (78), monstraverit, ex qua philosophorum secta singulæ in Ecclesia hæreses natalem traxerint atque originem. Vel unico itaque hoc opere satis superque evinci potest, eum in philosophicarum æque ac theologicarum rerum latifundiis, haud angusta instructum fuisse scientia. Meruit proinde, ob eruditionem prorsus singularem, perennem ad posteros memoriam. Meruit oratoris philosophi atque theologi nomen, et cum summa laude meruit.

§ X. *De Melitonis castimonia*

Quem hactenus argumentis gravissimis apprime doctum evici, idem nunc quoque pius et virtutibus maxime florens, sistendus mihi erit, nec infeliciori successu, nec levioribus argumentis id actum iri confido. Qui enim e diligenti variis artibus et scientiis ingeniorum cultura, et e sacrarum litterarum crebra lectione in hominum bene præparata pectora emanare solent fructus, ut scilicet emolliantur mores, nec sinantur homines esse improbi, ii tanto uberius in piissimam Melitonis animam emanarunt, quanto majori studio utrique operam navasse hactenus vidimus. Inde igitur exstitit animæ ejus morumque puritas, inde ejus cælibatus, et castimonia, qua inter alia virtutum exercitia conspicuus fuit, et ob quam eunuchi cognomen accepit. Ita namque vocatur a Polycrate (79) in epistola synodica ad Victorem papam : Τί γὰρ δεῖ λέγειν Σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα, ὃς Λαοδικείᾳ κεκοίμηται ; ἔτι γὰγ καὶ Παπείριον τὸν μακάριον, καὶ Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον, τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον ; κ. τ. λ. Id est ut divus Hieronymus (80) verborum Polycratis interpretem egit : « Quid necesse est Sagaris episcopi et martyris recordari, qui in Laodicea soporatur, et Papirii beati, et Melitonis in sancto Spiritu eunuchi, qui semper Domino servit ? » Audit itaque noster eunuchus. Cumque Servator optimus maximus in Evangelio [1] (81) tria eunuchorum constituat genera, aliud scilicet eorum, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω, « ab ortu » talium, qui ad Venerem inhabiles nati sunt ; aliud illorum, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, « qui ab hominibus tales effecti sunt ; » et aliud denique istorum, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, « qui se ipsos castrarunt propter regnum cœlorum ; » non abs re erit inquirere, ad quamnam eorum classem Melito noster sit referendus. Ultimæ autem eum adnumerandum esse, ex duabus rationibus haud obscure potest comprobari. Primo Polycrates nullam aliam ob causam eunuchi cognomine Melitonem insignire mihi videtur, quam ut simul aliquid in laudes atque existimationem ejus afferat ; et sic sententiæ suæ, quam contra Victorem tuebatur, haud leve pondus superaddat, utpote quæ tot sanctissimorum virorum auctoritate suffulciatur. Eamdem itaque ob causam, ob quam Sagarem μάρτυρα, et Papirium μακάριον vocaverat, Melitionem quoque eunuchum vocavit, alias sine ullo scopo hoc epitheton addidisset, quod sive ob naturæ vitium, sive ob aliorum hominum violentiam illi obtigisset, ad laudes ejus, et commendationem, imo et ad propositum nihil prorsus conferre potuisset. In ejusmodi autem epistola, quam privatus ad privatum minime dedit Polycrates, sed quam publico nomine, sed quam nomine omnium totius Asiæ Ecclesiarum ad Victorem Ecclesiamque Romanam, in re maxime seria, exaravit, et quam in synodo solemni tot episcopi comprobaverant, et subscriptione confirmaverant, aliquid temere et nihil ad rem adjectum fuisse, vix ac ne vix quidem mente possum concipere. Alterum argumentum ex Latina horum verborum versione Hieronymi atque Ruffini potest desumi, quorum alter (82) Melitonem in Spiritu sancto eunuchum vocavit, alter vero (83) Polycratis verba ita interpretatus est : « Sed et Papirium, Macarium (84) et Melitionem propter regnum Dei et eunuchum et Spiritu sancto repletum. » Ita ut clarissime exinde pateat, per Polycratis εὐνοῦχον τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον nullum aliud eunuchorum genus esse intelligendum, quam eorum οἵτινες διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐνούχισαν ἑαυτούς, « qui se ipsos castrarunt propter regnum cœlorum. » Ergo propter regnum cœlorum semetipsum eviravit Melito ? Ergo

[1] Matth. XIX, 12.

(78) Epistola 83, tom. IV *Opp.*, parte II, p. 656 : « Quid loquar de Melitone Sardensi episcopo ; quid de Apollinario Hierapolitanæ Ecclesiæ sacerdote. Dionysio Corinthiorum episcopo, et Tatiano et Bardesane qui origines hæreseωv singularum et ex quibus philosophorum fontibus emanarint multis voluminibus explicarunt ? »

(79) Apud Euseb. *Hist. ecclesiast.* lib. V, cap. 24, fol. 244.

(80) *De illustribus Ecclesiæ scriptoribus*, cap. 24.

(81) De triplici hoc eunuchismo confer Dougtæi *Analect. sacr.*, part. II, excurs. 50, p. 74 ; Melch. Inchoferi diss. *De eunuchismo* ; Seldenum *De jure naturæ et gentium*, pag. 658 ; Saldenum in *Otiis theolog.* p. 499 sqq. Plures auctores de hoc oraculo evolvendos dabit S. R. Wolfius in *Curis*, vol. I, pag. 281.

(82) Hieronym. I. c. cap. 24.

(83) Ruffinus in *Hist. eccles.* lib. V, cap. 24.

(84) Ruffinus, parum attendens, errorem hi-commisit, atque μακάριον viri nomen proprium putavit, et sic non ut Hieron. per « beatum, » sed per « Macarium » reddidit.

Servatoris verba proprie intelligens Origeni (85), Leontio (86), Valesianorum et eunuchorum (87) hæresi addictis præivit exemplum, quorum se ipsos cruenta manu mutilantium simplicitatem referunt et detestantur rerum gestarum monumenta? Miniæ. Sed sua potius voluntate ab omnibus conjugii, quamvis liciti, quamvis a Deo instituti, voluptatibus sese abstinuit propter imminentes tunc temporis ob religionem Christianam persecutiones. Illi enim proprie sunt eunuchi in Spiritu sancto, et de quibus ad castitatis commendationem loquitur in Evangelio Christus, non qui naturam ferro expellunt, et se ipsos exscindunt, sed qui, peculiari Spiritus sancti gratia, insigniori continentiæ dono ita sunt exornati, ut propter incomparabiles illas, quæ beatos in cœlo manent delicias, naturæ stimulos possint reprimere. Ita scilicet intelligendum ese divinum hoc oraculum, non modo ratio ipsa dictitat, sed et Patrum unanimis etiam (88) interpretatio probat, apud quos insuper εὐνουχία sæpenumero « castitatem » quoque significat, et verbum μακάριον etiam metaphorice pro « caste vivere » adhibitum invenimus (89). Ecclesiæ porro canones atque constitutiones (90) semetipsos mutilantes non modo nulli officio sacro admovendos, sed et, si clerici fuerint, ab eo iterum dejiciendos et a numero clericorum rescindendos statuerunt. Cum itaque Melito noster ad dignitatem episcopi fuerit elatus, se ipsum certe non castravit, sed ex eunuchorum potius laudatissimo genere fuit, quibus ob eximium castimoniæ studium tale cognomen additum fuit. Opportunam hac occasione quæstionem movet Halloixius, quidnam in causa fuerit, cum illo Melitonis sæculo tam multi exstiterint viri sancti et episcopi casti, cur hoc peculiare cognomen nostro potissimum fuerit tributum ; nec sine fundamento auguratur, debuisse certe rarum aliquod ab eo castitatis exemplum exhibitum fuisse.

§ XI. *De aliis Melitonis virtutibus.*

Eodem quo castimoniæ studuit ardore, et aliis quoque vacavit virtutum exercitiis, atque illustri in Ecclesia loco cum constitutum sese cerneret, egregium quoque suis, quod imitarentur præivit exemplum aliarum itidem quæ Christi cultores decent virtutum. Unica scilicet tantum virtus datur (91), est multa ejus sunt opera, exercitia et objecta, studiumque actiones suas omnes ad voluntatem Dei dirigendi in variis objectis unum prorsus manet idemque, nec eorum varietate diversum redditur. Melito itaque qui omnibus, quibus poterat, viribus appetitum suum Venereum ad voluntatem divinam felici et laudando successu unice temperavit, in aliis etiam propensionibus ad corruptam suam voluntatem, seu contra decreta divina agere non potuit, sed et in iis etiam Deo placendi studio teneri debuit, memor verborum divi Jacobi (92) : Ὁ εἰπών· Μὴ μοιχεύσῃς, εἶπε καί· Μὴ φονεύσῃς. Εἰ δὲ οὐ μοιχεύσεις, φονεύσεις δέ,

(85) Hic Alexandrinam scholam regens, cum non solum viri, sed et feminæ elegantes et juventute floridæ ad eum confluerent, sermones de rebus divinis audituræ, castitati suæ timuit, et seipsum eunuchum fecit. Euseb. *Hist. Eccles.* lib. VI, cap 8. Confer Petri Zornii diss. *De eunuchismo Origenis* ; Huetium *Origenianorum* lib. I, cap. 1, § 15 ; et Natal. Alex. *Hist. eccles.* sæc. III, cap. 3, artic. 12, fol. 597.

(86) Socrates *Hist. eccles.* lib. II. cap. 21 : Λεόντιος ἡνίκα πρεσβύτερος ἦν, ἀφῃρέθη τῆς ἀξίας, ὅτι τῶν γεννητικῶν ἐξέτεμεν ἑαυτόν. « Leontius cum presbyter esset, eo dignitatis gradu privatus est, quod genitalia sibi exsecuerat, » Theodoretus lib. II, cap. 24. Hunc causam constituendi primum concilii Nicæni canonem fuisse, suspicatur Laurent. Howel. in *Synopsi canonum et conciliorum æcumen.* Lond., 1708, duobus voluminibus in-fol., tom. I, fol. 14.

(87) Ili non modo se ipsos castrarunt, sed et hospitibus, amicis aliisque invitis idem fecerunt, asserentes, neminem nisi castratos salvari posse. De his Epiphanius hæresi 58 ; Augustin. lib. *De hæresibus*, num. 37 ; d'Ollincamp, *Traité des eunuques.*

(88) Chrysostomus ad h. l., homil. 62, p. 553, D, Opp. edit. Commel. 1603 : Οὐ τῶν μέλων λέγει ἐκτομήν, ἀλλὰ τῶν λογισμῶν τῶν πονηρῶν τὴν ἀναίρεσιν. Theophylactus in *Evangelia*, p. 111, ed. Paris. 1631 : Ἐνταῦθα δὲ οἱ ἑαυτοὺς εὐνουχίσαντες, οὐχ' οἱ ἐκτέμνοντες ἑαυτούς, ἀλλ' οἱ ἐγκρατευόμενοι. Clemens Alexandr. *Pædagogiæ* lib. III, cap. 4, p. 229, B, edit. Paris. 1641 : Εὐνοῦχος γὰρ ἀληθὴς οὐχ' ὁ μὴ δυνάμενος, ἀλλ' ὁ μὴ βουλόμενος φιλῆδεῖν. Et Niceph. *Hist. eccles.* lib. VIII. cap. 8, Origenis stultum reprehendit institutum, ἁπλούστερον λαβομένου τὴν Σωτῆριον ταύτην φωνήν, « quod proprie intellexerit hoc Servatoris salvificum præceptum. »

(89) Clemens Alexandr. *Stromat.* III, pag. 465 de Julio Castiano : Ἐν τῷ περὶ ἐγκρατείας, ἢ περὶ εὐνουχίας βιβλίῳ, « in libro *de continentia*, vel *de castitate.* » Idem *ibid.*, pag. 463 : Τόν τε εὐχαρίστως τῷ Θεῷ, γάμῳ κεχρημένον σωφρόνως, τόν τε εὐνουχίᾳ, ὡς ὁ Κύριος βούλεται, συμβιοῦντα, « et eum, qui Deo gratias agendo caste utitur matrimonio ; et eum, qui, ut vult Dominus, vivit in castitate. » Idem verbum εὐνουχίζειν metaphorice quoque usurpat lib. III *Strom.*, pag. 451 : Καλὸν διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐνουχίζειν ἑαυτὸν πάσης ἐπιθυμίας, et alio in loco : Εὐνουχίσαντες ἑαυτοὺς, ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας. Confer Jo. Casp. Suiceri *Thesaurum ecclesiasticum*, tom., I, fol. 1255.

(90) Canon SS. apostolorum 22 : « Qui se ipsum mutilavit ne sit clericus, est enim sui homicida et Dei opificii hostis. » Can. 23 : « Si quis cum sit clericus se ipsum mutilaverit, deponatur ; est enim sui homicida. » Eadem sanxit concilii Nicæn canon primus. Vide, si placet, Cph. justelli *Codicem canonum universæ Ecclesiæ*, Paris. 1610. pag. 131 seqq. ; et concil. Arelat. can. 8. Confer omnino Joseph Bingham's *Origines ecclesiasticas, or the Antiquities of the Christian Church*, vol. II, Boop IV, Chapt. 3, § 9, pag. 273. Editionis vero Grischovianæ pag. 133.

(91) De unitate virtutis dispexit Gottlob Frid. Jenichen peculiari schediasmate *De virtute non nisi una.* La Crosa *Traité du beau*, cap. 10, pag. 495 ; Chauvin in *Lexico philosophico*, tit. *Virtus*, aliique.

(92) Conf. clarissimus Schoetgenius in *Horis Hebraicis*, p. 1019, et summe reverendus Alberti *Observat. philolog. in sacros N. Fœderis libros*, p. 417, quorum prior eamdem sententiam ex codice Talmudico et Rabbinorum consensu eruditissime probavit, alter vero externorum non abludentium sententias hanc in rem attulit. Consultiss.

γέγονας παραβάτης νόμου [2]. Nec desunt hanc in rem veterum quoque testimonia. Scriptores enim qui Melitonem nostrum ob castitatis studium laudibus extulerunt, eumdem etiam ob aliarum virtutum exercitium posteritati venerabilem tradiderunt. Sic Polycrates (93) insigni illa laudis commemoratione eum quoque exornare haud dubitavit, qua πάντα ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολιτευσάμενον eum vocavit, h. e. virum Spiritus sancti afflatu omnia gerentem. Sic Hieronymus (94), Polycratis modo in medium prolata verba sua faciens, de Melitone ita porro memoriæ prodidit, « quod semper Domino serviverit. » Et Ruffinus (95) Eusebii notissimus interpres, unanimi quodam consensu de nostro quoque testatur, quod Spiritu sancto semper repletus fuerit; ita ut affatim me probatum dedisse credam, Melitonem, uti castimonia reliquis præstitit, ita et aliis virtutibus eminuisse.

§ XII. *De Melitonis dono prophetico.*

Totus itaque uni Deo intentus cum esset, contigit ipsi etiam peculiare aliquod gratiæ divinæ donum miraculi plenum, prophetiæ scilicet χάρισμα, quod, ut notabiliter dixit Origenes (96), divini semper sermonis character exstitit et vitæ Deo acceptæ familiaris socia comesque. Futura enim prænoscere, eaque sine falsi suspicione prænuntiare solius Dei virtus est et prærogativa, ad quam nullus vel mortalium vel dæmonum ascendere potest, nisi ipsius Dei indicio, falli atque fallere nescii. Θεοῦ enim, ut Chrysostomi (97) verba mea faciam, τοῦτο μάλιστα ἴδιον τὸ λέγειν τὰ μέλλοντα, « Deo maxime proprium est futura prædicere, » qui hoc ipso quoque charactere a falsis gentilium diis fictitiisque eorum idolis in sacris paginis [3] distingui maxime voluit. Ita ut mellitæ eloquentiæ pater, cujus modo in medium attuli verba eamdem quoque in rem egregie prorsus pronuntiaverit quando futura prædicendi facultatem ἔργον Θεοῦ appellavit (98(, ὅπερ οὐδὲ μιμήσασθαι δύναιντ' ἄν οἱ δαίμονες, κἂν σφόδρα φιλονεικῶσι, « Dei maxime opus, quod neque dæmones imitari possunt, quamvis majorem in modum nitantur. » Licet enim dæmones divinæ hujus virtutis imitatores agere sæpenumero per oracula inter gentiles tentaverint, infelices tamen et hac in parte Numinis æmulos egerunt adeo, ut falsi toties convicti ludibrium tandem suis etiam dederint cultoribus, Eorum enim revelationes partim falsis, partim flexiloquis et obscuris constitisse enuntiatis, ut interprete eguerint rerum futurarum interpretes, ipsi testantur et rident gentilium scriptores haud pauci (99). Quod itaque summum Numen Melitonem futurorum quoque notitia exornaverit, magnum utique effusæ in eum gratiæ documentum est. Certe autem eum prophetam fuisse testatur ipse Hieronymus (1) ita de eo scribens : « Hujus elegans et declamatorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, dicit eum a plerisque nostrorum prophetam putari. » Deum scilicet promissi, quo Joel [4] internuntio jam pridem sese obstrinxerat, memorem, nec a N. T. Ecclesia hoc prophetiæ charisma abesse prorsus, aut intra apostolici ævu angustias contineri voluisse, sed illud uni alterive, licet pro temporum ratione parcius, adhuc communicasse, negari non potest. Et quanquam « lex et prophetæ usque ad Joannem duraturi dicantur [5], » tamen verba ista mitiori interpretatione, quam ut omnem prophetiæ usum excludannt, accipienda esse, vel Agabi [6] aliorumque qui Hierosolymis Antiochiam profecti memorantur vatum exemplis, et bene multis aliis testimoniis, quæ ex tribus prioribus sæculis collegit Pfannerus (2), potest probari. Et certe inter reliqua Spiritus sancti dona, quæ in novi fœderis Ecclesia distribuit summum Numen, etiam prophetia Paulo (3) recensetur, qua, ut ut et alia contineantur, notitiam futurorum tamen maxime significari, ipsa verborum indoles ususque indicare videtur. Hoc ergo donum in beatum nostrum Melitonem quoque collatum fuisse, non est quod dubitemus. Ast charisma hoc, quod omni semper ætate a fidelibus utriusque

[2] Jac. II, 11. [3] Isaiæ cap. XLI, 22, 23 : XLII, 9, 12; XLIV, 6. 7. [4] Joel. cap. III, v. 1, 2. [5] Matth. XI, 13. Act. XI, 27, 28.

apud Gottingenses Fr. Cph. Neubour in bliblioth. Bremensi classe I, fasciculo 3, p. 203 edit. Amstelod. 1724, sqq. itidem ex Demosthene egregium quemdam eamdem in rem protraxit locum.

(93) Apud Euseb. *Hist. eccles.*, lib. v, cap. 24.

(94) In *De scriptoribus Ecclesiæ*, cap, 24.

(95) In *Hist. eccles.*, lib. v, cap. 24.

(96) *Contra Celsum*, lib. VI, num. 5.

(97) *In Joannem* homilia 77, p. 397.

(98) *In Joannem* homil. 17, p. 99.

(99) Chrysippi ingens volumen, in quo Apollinis oracula condidit, salse perstringit Cicero lib. II, *De divinatione*, cap. 56. Porphyrius, gentilium cæteroquin superstitionis acerrimus defensor, qui et de philosophia ex oraculis petitis librum scripsit, oracula vatesque sæpe mentiri fatetur apud Euseb. *Præparat. evangel.*, lib. IV, cap. 5. OEnomaum, philosophum Cynicum, Porphyrio paulo superiorem, Apollinis oraculis sæpius deceptum, ejus mendacia vaticinia in unum collegisse, atque librum *De falsitate oraculorum* edidisse refert Socrates, *Histor. eccles.*, lib. III, cap. 19. Idem institutum de Diogeniano commemoravit Theodoretus in Θεραπεία Ἑλληνικῶν παθῶν, *Opp.* tom. IV. Lucianus multis dialogis, v. c. *Concil. deorum*, Jun. et Latan., etc., oracula vanitatis convicit. Celso vero, eorum auctoritatem vindicanti, sese opposuit Origenes libris VII, quos edidit Guil. Spencer.

(1) In *Catalogo scriptorum ecclesiast.*, cap. 24, p. 110.

(2) *Diatribe de Charismatibus sive donis miraculosis antiquæ Ecclesiæ*, cap. 6, § 4, p. 297, seqq.

(3) I Corinth. XII, 7, 8, 9, 10 : Ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. Ὧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ Πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως, κατὰ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα. Ἑτέρῳ δὲ πίστις ἐν τῷ αὐτῷ Πνεύματι· ἄλλῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων, ἐν τῷ αὐτῷ Πνεύματι· ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων, ἄλλῳ δὲ προφητεία, κ. τ. λ.

fœderis tanquam maximi momenti fuit celebratum, magnum utique propensissimi in nostrum divini favoris documentum fuit, illique eo majorem auctoritatem conciliare debet, quoniam ipsi istis demum temporibus contigit, quibus summus rerum moderator in distribuendis ejusmodi donis parcior fuit (4). Miror propterea a Pfannero (5) et Grabio (6) inter exempla virorum prophetiæ dono exornatorum Melii tonem non fuisse commemoratum, cum nihil omnino videam, quod contra rei hujus veritatetem jure quodam possit excipi. Imo haud obscura potius providæ et pro Ecclesiæ suæ incolumitate vigilantis Dei curæ vestigia invenire mihi in eo videor, quod Melitonem vero prophetiæ dono instruxerit ea ipsa ætate, qua pseudopropheta Montanus (7) cum sua insanarum vatum biga, Priscilla et Maximilla, Ecclesiam turbare, et multos homines sub prophetiæ et magnarum virtutum specie ad sui sequelam trahere cœpit; quo scilicet affectatæ a Montano prophetiæ tenebræ ab oppositæ veræ prophetiæ clarissima luce, velut a sole nubes, potuerint dissipari. His itaque donis divinitus instructus, et Montani, quod valde probabile est, hæresi potissimum commotus, scripsit etiam libros *De prophetia* et *De prophetarum Vitis*, in quibus sine dubio quænam esset vera et divina prophetia, et quibus signis a fictitiis et falsis vaticiniis discerni debeat, monstravit noster, vivisque ac certis coloribus vitas prophetarum depinxit ita, ut si quis modo ad Montani et prophetissarum ejus mollem omnique voluptatum generi immersam vivendi rationem (8) attendere voluisset, nullo negotio internoscere potuisset, quid distarent æra lupinis. Benevolus Lector paucis adhuc monendus est, ne librum Gallice sub titulo *L'Apocalypse de Méliton* (9), Parisiis 1662, in-12 editum, pro genuino Melitonis nostri opere ejusque prophetiæ testimonio habeat, utpote qui liber satyram adversus monachos nostri ævi continere dicitur.

§ XIII. *Melito Sardium episcopus creatur.*

His igitur egregie instructus cum esset facultatibus et disciplinis, cumque morum insuper integritas et vitæ innocentia comites accederent, ad summam jure meritoque in Ecclesia dignitatem, evectus, et Sardibus, magna urbe (10) et ditissimi Crœsi olim regia, sacris Christianorum præesse jussus fuit,

(4) Origenes *contra Celsum*, lib. VII, cap. 2: « Signa autem Spiritus sancti exstiterunt sub initia Jesu prædicationis, sed plura post ejus assumptionem, postea rursum pauciora; verumtamen nunc quoque ejus sunt apud nos vestigia, qui purgatas habent animas verbo, et huic convenientes actiones. » Prophetiæ donum secundo tertioque sæculo Christiano floruisse probat quoque Franc. Buddeus *Theol. dogm.*, lib. I, cap. 2, pag. 223.

(5) Qui l. c. sequentia attulit exempla: Polycarpi, Euseb. *H. E.*, lib. IV, 14. Sixti Romani episcopi, Augustin. *Exposit. in Evangel. Joan.* tract. 27, in fin., tom. IX Opp., et Prudent. Περὶ στεφ. hym. 2. Alexandri Alexandriæ episcop., Sozom. *Hist. eccl.*, lib. II, cap. 16. Antiocheni cujusdam juvenis, Theodoret. *Hist. eccl.*, lib. III, cap. 18. Chrysostomi et Epiphanii, Socrat. *Hist. eccles.*, lib. VI, 13, Sozomen. *H. E.* l. VIII, 15. Attici Cplis episcopi, Sozom. VII, 25. Joannis Thebaidos monachi, Ruffin. *Hist. eccles.*, lib. II, cap. 32. Theodoret. *H. E.*, l. V, c. 24. Augustin. *De civit. Dei*, lib. V, cap. 26. Sozom. VII, 22 et 28. Isaacii Monachi, Sozom. VI, ult. Simeonis Stylitæ, Evagrius, *Hist. eccles.*, lib. VI, cap. 22. Antonii, Socrat. I, 13. Pachomii, Socrat. III, 13. Benonis et Theonis, Socrat. VI, 28, Zosimæ, Evagr. IV, 7.

(6) Jo. Ern. Grabe in *Hist. eccles.* trium priorum sæculorum ms., quæ Oxeniæ in Bibliotheca Bodlei. inter codices Grabianos num. 14, asservatur. cap. 7, quod de miraculis et prodigiis Ecclesiam N. T. attinentibus usque ad Constantin. M. agit, § 2, præter memoratos itidem Quadratum affert ex Euseb., lib. III, cap. 37, et Aminiam Philadelphenam, matrem, Euseb., lib. V, cap. 17, quorum Tob. Pfannerus etiam nullam fecit mentionem.

(7) De vera Montani ejusque hæreseos, ætate nondum certe constat. Euseb. ad ann. Domini 170, et M. Aurelii undecimum refert. Epiphanius vero ad ann. circiter 126. Utut sit, Melitonis tamen tempore agitata est, ejusque virus ipsam quoque Lydiam infecit, quod ex Epiph. lib. I, cap. 31, patet, qui Thyatiram, Lydiæ urbem Sardibus vicinam, annis circiter 93 post Christi resurrectionem hac hæresi prorsus inundatam fuisse, memoriæ prodidit. De Montano et Montanistis cæteroquin ex antiquioribus conferenda sunt fragmenta Apollinarii, Apollonii, Miltiadis et Serapionis, ab Eusebio collecta *Hist. eccles.*, lib. V, cap. 14 18, itemque Epiphan., hæresi 48. Ex recentioribus præter Fabricium ad Philastrium, p. 182, Ittigium *De hæresiarch.*, p. 219, et in app., p 86, et in *Selectis* capp. *Hist. eccles.*, sæc. II, p. 332; Tillemontium *Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique*, t. II, parte III, pag. 30, et in notis, p. 119; Natal. Alex. *Hist. eccles.*, sæc. II, cap. 3, art. 8, et in *Dissert.* selectis ad h. sæc. diss. tertia, palmam omnibus præripuit auctor quidam Anglus in *Historia Montanismi* Anglice edita Lond. 1709, in-8°: *The History of. Montanism, by a Lay Gentleman*, p. 352. Liber est valde rarus, paucisque notus, ast egregie scriptus, George Hickes istum edidit, libroque suo, quem *The spirit of enthusiasm exorcised* inscripsit, adjecit: « Auctor ob singularem modestiam sub nomine laici latitare voluit, ast compertum habemus, eum esse Franciscum Lee, M. D. Hickesii et Grabii intimum amicum, cujus posterioris etiam τῶν Ο' tomum II et III, cum prolegomensis eruditis edidit. Dignus utique est liber qui in aliam notiorem linguam transfundatur, et de ejus possessione mirifice mihi gratulor. »

(8) Montanum ejusque erroris socias voluptuariam egisse vitam, pecunias et munera undique corrogasse, et ex hoc capite falsæ prophetiæ convictos ab Apollonio fuisse, constat ex Eusebio *Hist. eccles.*, lib. V, cap. 18, Apollonii verba ita referente: « Dic mihi, prophetane comam coloribus tingit? prophetane stibio oculos oblinit? prophetane sumptuose et vestitu splendido ornatus incedit? prophetane tabulis et tesseris ludit? prophetane fenus exercet? Ista vero mihi fateantur, et dicant utrum liceat usurpare, an contra. Ego certe hæc apud illos factitata perfacile ostendam. »

(9) De hujus libri auctore vid. P. Baile, *Réponse aux questions d'un provincial*, tom. I, pag. 631.

(10) Ita Stephanus eam vocavit: Σάρδις πόλις Λυδίας μεγάλη, ὁ πολίτης Σαρδιανὸς καὶ Σαρδιανή·

cujus concinnam et brevem hanc dabimus descriptionem geographicam. Sardis, Sardium plurali tantum numero, fuit urbs Lydiæ (11), in Asia Minore, Pactolo (12) aurifero flumine notissima, quæ flexuosis Mæandri amnis recursibus perfusa, super Ioniam procedit, Phrygiæ ab exortu solis vicina, ad septentrionem Mœsiæ, meridiana parte Cariæ partem amplectens. Hujus ergo Lydiæ urbs et caput fuit Sardium civitas, aliis Σάρδις aliis vero Σάρδεις Græce vocata (13), inter Thyatiram et Philadelphiam (14) sita, Tmolo monti fortunato adjacens (15), cujus Strabo (16) hanc dedit descriptionem : Αἱ δὲ Σάρδεις πόλις ἐστὶ μεγάλη, νεωτέρα μὲν τῶν Τρωϊκῶν, ἀρχαία δὲ ὅμως, ἄκρα εὐερκῆ ἔχουσα, βασίλειον δὲ ὑπῆρξε τῶν Αυδῶν. « Sardis urbs est magna, posterior quidem urbibus Trojanis, vetusta tamen, arces habens munitissimas, fuitque olim Lydorum regia. » Unde quoque Horatius (17) :

Quid concinna Samos, quid Græci regia Sardis ?

Opibus atque divitiis hæc urbs, et omnis Lydiæ regio, valde abundavit, hinc et adagia innotuerunt, « Cræso ditior » et « Midæ opes. » Celebratur maxime ob purpura tingendi artem et ob tapetium præstantissimorum, quibus indormiebant veteres, texturam (18), unde illud Varronis (19) : « Cubo in Sardianicis tapetibus inter chlamides et purpurea amicula. » Hæc cæteroquin civitas cum Sardica urbe, quæ a Claudio Ptolomæo (20) inter Thraciæ civitates mediterraneas numeratur, et concilio Sardicensi, in causa Athanasiana celebrato, illustris est, non debet confundi, neque cum Sardinia insula, cujus incolæ Sardi, Sardoi et Sardenses quoque vocantur, et de quibus nota sunt duo proverbia, « Sardi venales, » scilicet de vilibus et contemptis, « Sardonius risus, » de risu ficto aut ei, qui ridet exitiali (21). Sardus itaque et Sardensis est e Sardinia, Sardicensis e Thracia, Sardianus vero e Lydia. Hinc, quod paulo superius in nota jamjam observavimus, Melito minus recte a dignitate ecclesiastica vocatur Sardensis ; hinc porro corrigendus, Chronici Alexandrini interpres, qui illud auctoris : Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπς vertit : « Melito Sardicensium pontifex, » dicendum erat Sardianorum. Hodie florentissima olim civitas, viculus est ignobilis, quem Turci tenent, et Sart vocant, ædes habet angustas et humiles, sine splendore, sine ornatu : nulla ibi ecclesia, nulli Christiani, nec alios fere incolas habet præter pastores et bubulcos, qui in ampla et jucundissima planitie, quæ vico huic prætenditur, gregum et armentorum ibi depascentium curam agunt. Publicum ibi quidem hospitium quoddam est, ast nullos nisi Persas mercaturam gregatim exercentes (Caravanis) recipit peregrinantes. In australi regione ingentes antiquæ urbis hodie adhuc exstant ruinæ, quibus visis facile quilibet animo concipere potest, quam magnifica olim fuerit, quam splendida et superba antequam verteretur. Debeo hanc relationem celeberrimo Th. Smitho (22)

τὸ κτητὸν Σαρδιανικός. « Sardis urbs Lydiæ magna, civis dicitur Sardianus et Sardiana, possessivum est Sardianicus. » Patet exinde Melitonem non sive vitio communissime Sardensis cognomine appellari, cum tamen Sardianus sit cognominandus. Vox enim Sardensis, recte observante Halloixio, magis eum significat qui e Sardinia est, quam qui e Sardibus. « Sardinia porro est in Africa, Sardis vero in Asia. Cum igitur Sardus sit is, qui e Sardinia, etiam *Sardensis* ex cognatione formationum recepta Sardiniensem designabit. » Hactenus ille. Tullio certe, Plinio et aliis Latine loquentibus Sardianus est, qui e Sardibus ; Sardus vero et Sardensis et Sardous qui e Sardinia. Sed hæc obiter.

(11) Plinius, *Historiæ naturalis* lib. v, c. 29 : « Lydia, inquit, celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui antea Timolus appellabatur, vitibus consitus, et ex eo profluente Pactolo, eodemque chrysorrhoa ; Sardiana nunc appellatur ea ditio, » etc.

(12) Strabo, in *Geographia sive de situ orbis*, lib. XIII, pag. 596, ed. Bas. 1549, fol. Gr. Lat. : Ῥεῖ δὲ ὁ Πακτωλὸς ἀπὸ τοῦ Τμώλου καταφέρων τὸ παλαιὸν χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ, ἀφ' οὗ τὸν Χρύσου λεγόμενον πλοῦτον, καὶ τῶν προγόνων αὐτοῦ διονομα σῶῆναί φασι. « A Tmolo autem fluit Pactolus, olim multa auri ramenta deferens, unde Crœci opes et majorum ejus celebratas ferunt. »

(13) Non desunt qui ænigmaticum nomen hariolantur ex שׂר « princeps, » aut שׂרר « amussis » aut שׂריד « superstes, » quibus cogitatis nullus hodie modus est. Spanh. *Geogr. sacræ et ecclesiast.* pag. 65. Operum tom. I.

(14) Præter has urbes in Lydia porro celebres fuerunt Philadelphia, Tripolis, Tralles, Magnesia ad Sipylum montem, et alia Magnesia ad Mæandrum, Hypœpa; Hierocæsarea Leucophrys, Nysa, Temenothyræ et Aureliopolis. Cell. *Geogr. antiq.* pag. 50, edit. Lond.

(15) Strabo : Ὑπέρκειται δὲ τῶν Σάρδων ὁ Τμῶλος εὐδαίμων ὄρος. *Geogr.* lib. XIII, pag. 596. Edit. Basil. 1549.

(16) Idem loco citato.

(17) *Epistolarum* lib. I, epist. 11.

(18) Confer hanc in rem Jac. Hasæi diss. de inquinatis Sardiensium vestimentis ad illustrationem Apocal. III, 4, quæ in *Bibliotheca Bremensi* tomo III, fasc. II, n. 4. pag. m. 253, exstat, et Christ. Biel diss. *De Purpura Lydia* ad Act. XVI, 14, *Bibl. Brem.* tom. II, fasc. III, n. 2, p. 331.

(19) Ex ejus *Hercule Socratico* apud Nonium, Hasæo citante, dicta diss. pag. 303.

(20) *Geographiæ* lib. III, cap. 11.

(21) Utroque usus fuit Cicero, priori quidem lib. VII *Epistolarum ad diversos*, ep. 24, ad Fabium Gallum : « Habes Sardes venales alium alio nequiorem ; » altero autem *Epistolarum* lib. citat. ep. 35, ad eumdem hunc in modum : « Videris enim mihi vereri, ne nisi illum caverimus, rideamus γέλωτα Σαρδώνιον. » Vide Lloydium in *Lex geogr.* voce *Sardinia*, Erasmum in *Chiliad.*, et Avrel. Victorem, *De viris illustribus* cap. 57, pag. 198, edit. Batavæ quæ 1696, Ultrajecti Sam. Pitisci cura cum variorum not. prodiit in-8.

(22) *In Septem Asiæ Ecclesiarum et Constantinopoleos notitia*, Trajecti ad Rhen. 1694, in-8, pag. 27. Et ante eum exactam quoque harum regionum descriptionem dedit Paul. Ricaut Esq. Anglorum apud Smyrnenses per longum temporis spatium consul in libro Anglico : *The present state of the Greek and Armeniam Churches, written at the command of his Maiesty*, Lond. 1679, in-8, 452 paginas impleus, quo libro Th. Smithus haud mediocriter quoque usus fuisse mihi videtur. Hodiernum Sar-

Qui septem Asiæ Ecclesiarum descriptionem dedit, et in has terrarum partes iter instituit ipse, ipsasque regiones oculorum aciei subjiciens, Sardes in Sardibus quæsivit et triste admodum habuit spectaculum, nec tantæ urbis ruinis illacrymari puduit. Floruit in hac urbe olim Christiana fides, omnem enim Asiam Minorem mature admodum Pauli et Petri prædicatione Evangelii illustratam fuisse, latere nos non faciunt Historiæ sacræ monumenta [7] (23). Præcipue vero sancto Joanni Asia obtigit, diu qui ibi commoratus est, Ecclesias constituit varias, ac Ephesi episcopus tandem obiit (24). Forte itaque et hic Sardianam Ecclesiam fundavit, cujus præsul constitutus postea fuit Melito. Cui autem in hac dignitate successerit, et quis eum insecutus sit, non possum definire ; id tantum non tacere debeo, Sardinam Ecclesiam unam ex septem istis Asiaticis esse, de quibus D. Joannes in Apocalypsi, ordineque quintam, quæ, observante Sphanhemio (25), primum in provincia ecclesiastica Lydiæ sibi vindicavit locum.

§ XIV. *An per angelum Ecclesiæ Sardis*, III, *Melito sit intelligendus.*

Sunt proinde inter eruditos nonnulli, qui cum in Apocalypsi a Joanne Sardianæ Ecclesiæ episcopi mentionem factam esse inveniant, Melitonem cum esse credunt, ad quem B. Joannes verba direxit [8] ; et qui per *angelum Ecclesiæ Sardis*, cui sacer propheta scripsit : *Novi tua facta, qui cum viventis nomen habeas, mortuus es*, etc., nullum alium intelligendum esse contendunt, quam nostrum. Hujus sententiæ patronos nominat Halloixius, Petrum Aureolum, Æneam Sylvium, Philippum Bergomatem et Antiochum Brondum.

Hos inter omnium confidentissime pronuntiavit Brondus (26) hunc in modum : « Melitonem Ecclesiæ Sardensi præfuisse tempore quo archiprophetæ Joannes hæc scribebat liquido constat ex Historia ecclesiastica. Quoniam Eusebius Cæsariensis lib. IV, cap. 13, de Melitone sic scribit : De his itaque gestis testatur etiam Melito Sardensis parochiæ episcopus, » etc. Hactenus ille. At infirma nullique emunctioris nasi erudito probata sententia. Quæris quid optimos hosce viros in hanc sententiam deduxerit ; respondeo, aliud nihil, quam quod præter Melitonem alius Sardiani episcopi in sacris annalibus nullam invenire potuerunt. mentionem. Quasi vero ille unicus, idemque primus et ultimus, hujus cathedræ exstitisset præsul! Si eos urgemus, rationes ut afferant, unde colligi possit, Melitonem tunc, cum Joannes hæc scriberet, Sardium fuisse episcopum, altum ubique silentium. Brondus quidem ad Eusebium, pro stabilienda sua opinione, provocavit, ast verba hujus scriptoris nil tale habent. En tibi ea : Τούτοις οὕτω χωρήσασιν, ἐπιμαρτυρῶν Μελίτων, τῆς ἐν Σάρδεσιν Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος, κατ' αὐτὸ γνωριζόμενος τοῦ χρόνου, δῆλός ἐστιν ἐκ τῶν εἰρημένων αὐτῷ ἐν ᾗ πεποίηται πρὸς τὸν αὐτοκράτορα Οὐῆρον ὑπὲρ τοῦ κατ' ἡμᾶς δόγματος χρησιμωτάτῃ ἀπολογία, i. e. « Hæc ita accidisse, Melito Sardianæ Ecclesiæ episcopus, qui eodem illo florebat tempore, manifeste testatur iis dictis, quæ in sua pro religionis nostræ dogmate ad imperatorem Verum utilissima apologia posuit. » At ne verbum quidem Melitonem tempore Joannis Sardianum fuisse episcopum. Tantum enim dicit, ea quæ ipse immediate ante attulerat de superiorem imperatorum in Christianos benevolentia, Adriani scilicet et Antonini Pii, ex ipsius quoque Melitonis ad Marc. Aur. Antoninum *Apologia* confirmari posse, qui Melito eadem, qua S. Justinus, de cujus *Apostologia* capite antecedente egerat, ætate vixisset et floruisset. Obstant porro huic sententiæ sequentes rationes. Primo, temporis ratio id non permittere videtur, nisi asserere velimus, Nostrum suam vitam ad unum et dimidium fere sæculum produxisse, et Ecclesiæ Sardianæ per octoginta et plures annos præfuisse ; quod ut in se omni probabilitatis specie caret, ita et a nemine scriptorum memoriæ mandatum aut litteris consignatum invenitur. Divus enim Joannes annos Domitiani 14, qui in annum Christi 95 incidit, e Patmo revelationem suam scripsit (27). Debuit itaque isto tempore Ecclesiæ suæ per aliquot annos jam præfuisse Melito, et antequam illi præficeretur, debuit quoque ætatem pontificiam, seu episcopo constitutam, attigisse. *Constitutiones* autem ita dictæ *apostolicæ* episcopum volunt annos quinquaginta vivendo transegisse (28), antequam ordinetur, et

[7] Act. XVIII, 19, 20 ; II Cor. II, 12. [8] Apocal. cap. III, 1, 6.

dium situm descripsit ille pag. 77, his verbis : *But whatsoever this city was in former Days, it is now only a poor habitation of Sheperds, living in low and humble Cottages ; howsoever the antient pillars and ruins lift up their heads, as unwilling to lose the memory of their antient glory, once the* Seat *of the rich Crœsus.*

(23) Hieronym. *De script. eccles.* cap. 1. Dorotheus in *Synopsi de vita et morte prophetarum et apostolorum*, tom. VII *Biblioth. Patrum maximæ* fol. 101, et apud Caveum *Hist. litt. script. Eccles.*, pag. III. 104. Isidorus *De vita et morte sanctorum*, cap. 69. Sophronicus *De laboribus, certaminibus et peregrinationibus SS. Petri et Pauli*, tom. VII *Biblioth. Patrum Max.*, fol. 108.

(24) Juxta Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 1. Gregor. Nazianz. orat. 25, tom. I *Opp.*, pag. 438. Chrysost. homil. *De* XII *discip.*, tom. VI *Opp.* pag. 269.

(25) *Geograph. sacræ et ecclesiast.* pag. 65.

(26) In comment. in *Apocalypseos* cap. III, disput. prima, quæstione unica.

(27) Ita testatur Irenæus lib. V ; Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 18, et S. Hieronymus in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum ;* Natal. Alexander. *Hist. eccles.* sæc. I, cap. 12, artic. 2, § 5, pag. III, 38 b.

(28) *Constitut. apostol.* lib. II, cap. 1, pag. 213, edit. Wistonianæ, *in the second vol. of primitive Christianity reviv'd :* Τὸν ποιμένα, τὸν καθιστάμενον ἐπίσκοπον'..... δεῖ ὑπάρχειν... οὐκ ἔλαττον ἐτῶν πεντήκοντα. « Oportet eum, qui pastor est et episcopus, esse non minorem natu quam annorum quinquaginta. » Quidquid eruditi contra harum *Constitutionum* genuitatem, hodiernæ potissimum editio-

sedi cuidam magnæ, qualis Sardiana erat, totius Lydiæ metropolis, præponatur (29). Ergo anno Christi 95 Melito sexagenarius circiter jamjam exstitisset; anno autem sequentis sæculi septuagesimo primo aut secundo apologiam M. Aurelio imperatori tradidit. Ergo quadraginta et centum circiter annos vivendo attigisset, cujus cum talis ætas a nullo scriptorum agnoscitur, merito quoque dubitamus, eum Joannis in Patmo exsulantis tempore, Sardium fuisse episcopum. Porro viris apostolicis seu ejusmodi viris, quos apostoli instruxerunt, a nemine adnumeratur, quod certe silentio non præterivissent veteres scriptores, utpote qui studiosissime hoc egerunt, ut quibus hic honor obtigisset, posteritatem non lateret, imo potius Irenæo aliisque (30) eum postponunt, quem ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων, γενόμενον, «non longe a temporibus apostolorum distantem,» vocarunt (31). Tandem quoque ipsa verba *scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es*, in Melitonem minime quadrant, bis enim indicari videtur illius episcopi, quisquis fuerit, miserrimus status et exitiali oppressa peccato conscientia; de Melitone autem supra audivimus, quantum virtutibus et vitæ Deo acceptæ vacaverit. Hoc itaque triste oraculum evincere potest, illud de alio, quam de nostro fuisse conscriptum.

§ XV. *De canone V. T. a Melitone enarrato.*

Ast relicta hac controversia, paucis adhuc videamus, quam egregie episcopi sibi mandatum munus gesserit, et quam mirifice suo præsidio Sardianæ non tantum. sed et universæ Ecclesiæ commoda promoverit. Haud ultimum verbi divini administratoris, et episcopi imprimis, officium est, sacri canonis accuratissimam curam habere, θείας παραδόσεις κατέχειν [9], et divinos in sacro canone contentos libros ita custodire, ut neque addatur neque detrahatur aliquid. Hoc istis potissimum temporibus, quibus interpelationis, suppositionis et adulterationis librorum sacrorum nullus fere finis fuit, maxime erat necessarium. Huic itaque officio nec se subduxit Melito noster, sed profectus est in Orientem, et ad locum ipsum iter instituit, in quo quæ in Scripturis narrantur, gesta olim fuerunt ut Veteris Testamenti libros diligenter comperiat, quorum etiam sequentem ad Onesimum fratrem, quem Onesiphorum Nicephorus (32) vocat, transmisit indicem, prout Eusebius ex proœmio libri cujusdam Melitonis quem *Excerpta* inscripsit, eumdem recitavit (3); « Moysis libri v : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium ; Jesus Nave, Judices, Ruth, Regum libri iv, Paralipomenon duo, Psalmi Davidis ; Salomonis Proverbia, quæ et Sapientia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Job, Prophetarum, nempe Isaiæ, Jeremiæ, et duodecim prophetarum, liber unus. Daniel, Ezechiel, Esdras. »

[9] I Cor. xi, 2 ; II Thess. ii, 15 ; iii, 6 ; Gal. i, 14.

nis, non sine fundamento excipiant, tamen negare non possunt, continere easdem veterum *Constitutionum* et Διατάξεων ἀποστολικῶν rudera, multis interpolationibus ab Ariano forte impostore intermista. Nullus itaque dubito, hanc *Constitutionum* legem ab apostolis ipsis latam et tempore isto, quo Melito vixit, observatam fuisse credere ; cum Arianus, aut cuicunque sectæ addictus alius, nullam habuerit causam adulteras manus huic loco inferre, utpote nullius cujuscunque demum sententiæ erroneæ patrocinium in eo invenire poterat. Wistonus singulari libro, quem *an Essay an the Apostolical Constitutions, wherein is proved, that they are the most sacred of the canonical Books of the New Testament* inscripsit, et qui tomum III *Christianismi primitivi* conficit, de iis egit, easque non modo genuinas, sed et canonicas maxime, et eadem divina, qua Novi Testamenti scripta θεόπνευστα auctoritate instructas esse probavit, et ita quidem probavit, ut.

.....Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Virg. *Æneid.* ii, 290, 291.

Clariss. et præcocis ingenii Baraterius, cujus præmaturam mortem orbis litteratus merito dolet, in binis de *Constitutionibus apostolicis* elaboratissimis dissertationibus earum non modo sinceritatem et antiquitatem ad Eusebii usque tempora multis rationibus asseruit, sed et earumdem ætatem ad sæculi ii prima initia retulit. Has dissertationes subjunxit suæ *Disquisitioni Chronologicæ de successione antiquissima episcoporum Romanorum inde a Petro usque ad Victorem*, quæ Ultrajecti 1740, in quarto prodiit. Et istæ Wistoni applausum adeo tulerunt, ut eas non modo in linguam Anglicanam transfusas denuo Londini ediderit, sed et ut Baraterium præceptorem suum vocare mihique plus simplici vice fateri haud erubuerit, se multa ex hoc scripto edoctum fuisse, quæ antea ignorasset ipse. Imo prorsus sibi persuasum habebat, Baraterio de *Constitutionibus* hisce eamdem ac sibi sedisse opinionem, eumque illam palam profiteri tantum non ausum fuisse. Hæc saltem eum in finem dicta sunto, ut pateat, me non omnino frivole ad interpolatum cæteroquin antiquitatis scriptum provocasse, utpote quod genuini auri non modo ramenta continet, sed et quod, si etiam totum opus suppositicium sit, sub sæculi secundi initia jamjam exstitisse, eruditorum nonnulli crediderunt.

(29) Aliter autem fieri poterat, in parva parœcia. Ita enim porro eædem *Constitutiones* l. c. pronuntiant : « Sin vero in parva quadam parœcia ætate provectus non reperiatur, et sit aliquis, cum quo qui versati sunt, testimonium dederint dignum esse qui fiat episcopus, qui in adolescentia mansuete et composite vivendo, senilem ætatem plane ostendat, si talium testimonio probatur, quod in pace fiat, esto episcopus. » Recentiora concilia in episcopo ordinando eamdem vel ad minimum triginta annorum ætatem requirunt, rationesque reddunt duas, quod ipse Servator noster docere non cœperit ante quam natus esset triginta annos, et quod hæc viri perfecti ætas sit. Conf. Binghamum in *Originibus sacr.* lib. ii, cap. 10, vol. I, pag. 142 sq.

(30) Quos supra § 3 nominavimus ex Hieron. epist. 83 ; Euseb. *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 19 ; Nicephoro lib. iv, cap. 9.

(31) Ita vocatur ab Augustin. *contra Julian*, lib. i, cap. 3 ; Basilio *De Spiritu sancto* cap. 29, citante Caveo *Hist. litt.* fol. 39.

(32) *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 10.

(33) *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 26.

Nehemiæ et Estheris libri ibi desiderantur. Verum ille continetur sub Esdræ nomine, quod familiare antiquis fuisse nonstrat summe venerabilis Carpzovius (34): hic vero et ab aliis est omissus, v. c. Athanasio (35), Gregorio Nazianzeno (36), et Leontio (37). Hujus rei causam conjicit Sixtus Senensis (38) in additamenta, 7 postrema capita absolventia, quæ magnam partem ex Josephi lib. XI *Antiquitatum Judaicarum* ab incerto sunt addita, et e Græcis codicibus in Vulgatam translata, auctoritate concilii Tridentini, ad canonem hodie quoque referuntur; ideo a Melitone et Greg. Nazianz. istum Esdræ librum præteritum, ab Athanasio vero tamquam spurium e catalogo sacrorum ejectum fuisse. Mihi tamen magis probabile videtur, eum incuria librarii omissum fuisse, sive quod festinaret, sive quod affinitas nominum Esdras et Esther fecerit, ut utrumque pro eodem habuerit. Melito enim hunc indicem a Judæis accepit; hi vero canonicos libros V. T. viginti et duos numerarunt, uti patet ex Josephi librorum V. T. canonicorum catalogo (39), quem etiam citat Eusebius (40), hujusque rei causam nobis aperit Origenes (41) ita scribens: « Ut duabus et viginti litteris Hebræorum introductio ad sapientiam his formis impressa hominibus esse videtur, sic ad sapientiam Dei et rerum divinarum notitiam fundamentum atque introductio sunt libri Scripturæ duo et viginti. » Eumdem itaque numerum et Melito sequi debuit. Cum autem unus et viginti libri tantum in recensione ejus ponatur, cumque in Judæorum indice Esdræ et Esther libri immediate sese excipiant, ita ut errori in describendo facillime locus esse potuerit, probabile admodum est, hunc librum incuria tantum scribarum ex catalogo Melitonis excidisse. Egregie autem prorsus hac sua opera de Ecclesia universa meruit episcopus noster, ut pote qui primus inter scriptores Christianos, accuratissimum V. T. canonem dederit (42).

Ex illo autem canone male concluderetur, S. Melitonem *Sapientiæ* librum inter canonicos Veteris Testamenti recensuisse. Eum enim per Sapientiam, quam Proverbiis Salomonis subjungit, non intellexisse librum Sapientiæ, Græco idiomate ab incerto auctore compositum, sed ipsa Proverbia Salomonis, sequentibus evincam rationibus. Primo genuina lectio adhibenda est, quæ non habet, uti editiones nonnullæ Eusebii legunt: Παροιμίαι καὶ ἡ Σοφία, sed ut ex fide præstantissimorum codicum a Valesio (43-44) restituitur: Παροιμίαι αἵ καὶ Σοφία, ita ut Proverbia Salomonis per appositionem grammaticam Sapientia quoque vocentur. Deinde toti antiquorum choro familiare fuit, Proverbia Salomonis Sapientiam vocare, teste Eusebio (45) et Lombardo (46), qui multis post Christum sæculis titulo Sapientiæ Proverbia citavit. Unde etiam ipsemet Valesius contra sodales agnoscit, Melitonem per Sapientiam Proverbia hoc loco indigitasse. Porro provoco ad Ruffini versionem, qui ita transtulit: « Salomonis Proverbia, quæ et Sapientia. » Et ut tandem penitus rem conficiam, omnemque scrupulum eximam, ex ipsius Melitonis libro, quem *Clavim* vocavit, afferam locum, in quo ex Sapientiæ libro citavit verba in Proverbiis reperienda. Est namque pretiosum hocce antiquitatis monumentum (47), quod *Clavim* vocavit, penes me, ex duplici codice Parisino descriptum, ibique in isto capite, quod *De variis ædificiorum vocabulis* agit, ad vocem *Domus* sequentem inveni explicationem: « Domus, caro Salvatoris assumpta. vel sancta Ecclesia; in Salomonis Sapientia: Ædificavit sibi domum sapientia; et in Psalmo: In domo Domini ibimus cum consensu. » Locus autem, de Sapientia sibi domum ædificante, Proverb. cap. IX, vers. 1. est inveniendus. Ergo luce meridiana clarius est, per Sapientiam Salomonis, Proverbia intellexisse Melitonem. Ergo non plures quam nos in canone enumeravit libros.

(34) In *Introductione ad libros canonicos Bibliorum V. T.* parte I cap. 19 § 5, pag. 345.

(35) In Epistola Festali 39, tom. II *Opp.*, pag. 44.

(36) In carmine *De genuinis scripturis*, tom. II *Opp.*, pag. 98.

(37) In lib. *De sectis*, act. 2, citante Gerh. v. Mastricht in *canone S. Scripturæ secundum seriem sæculorum N. T. collecto.*

(38) *Biblioth. sacræ* lib I, pag. 5 et pag. 20.

(39) *Contra Appionem*, pagin. 362, edit. Genev. 1611, fol.

(40) Lib. III, cap. 10 *Hist. eccles.* et lib. VI, cap. 25. Recentiores Judæi hunc quoque numerum observant, veluti R. David Ganz. in *Tzemach David*, parte II, pag. 10, aliique.

(41) In psalm. I, pag. 47 *Commentar. in sacram Scripturam*, Rothomagi 1668, fol., pag. 47, A, et in *Philocalia* cap. 3. Eamdem rationem dat Hieronymus in *Prologo Galeato* non multum ab initio.

(42) Alias canonis Scripturæ S. constitutiones scriptorum ecclesiasticorum studiose collegit, secundum seriem sæculorum N. T. disposuit, notisque illustravit πολυμαθέστατος Ictus et reipubl. Bremensis illustris quondam syndicus, Gerh. van Mastricht in diss. *De canone Scripturæ sacræ* quæ extat *Bibl. Brem.* tom. VII, fasc. I, pag. 1, et hac in re conferri vel maxime debet. Nec minus cum his contendi oportet quæ Humfr. Hodius *De bibliorum textibus originalibus* lib. IV, cap. 4, pag. 644, habet, ubi reperies 135 schemata, in quibus libri biblici diverso ordine exhibentur.

(43-44) In notis ad Euseb. libro IV, caput 26, pag. 74.

(45) Lib. IV, cap. 22, in fine: Παγκάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶντος παροιμίας ἐκάλουν.

(46) Lib. I distinct. 2, citante Gabrio in *H. E.* ms.

(47) Vide summe reverendi Crusii, Theologiæ apud Goettingenses profess. longe celeberrimi patroni atque præceptoris mei summo observantiæ studio ætatem devenerandi dissertationem epistolicam ad Chr. Wormium pag. 13, ubi hunc Melitonis librum quantivis pretii monumentum vocavit, et Fabricium in *Biblioth. med. et infimæ Latinitatis*, lib. XII, vol. V, pag. 204.

§ XVI. *De sedata in Ecclesia Laodicena circa Paschatos celebrationem controversia.*

Porro episcopi partibus egregie functus est noster in eo, quod paci in Ecclesia servandæ, et inter fidei domesticos exortis dissidiis sedandis omnem navaverit, operam. Hanc Melitonis prudentem curam experta est præcipue vicina Laodicena Ecclesia, in qua ob Paschatos celebrationem turbæ erant exortæ. Constat enim inter omnes, et Socratis (48) insuper testimonio probari potest, neque Christum, neque apostolos certa lege Paschatis celebrandi diem præcepisse, sed festivitatis hujus tempus Ecclesiarum arbitrio reliquisse. Aliæ itaque, ex magna nascentis Ecclesiæ cum Judaicis ritibus conformitate, eodem cum Judæis tempore illud celebrandum duxerunt, aliæ autem die Dominica istud festum agere maluerunt. Neque tamen ab initio hæc diversitas discordiam peperit, sed quælibet Ecclesia in ritu hoc adiaphoro libertate sua usa, aliis quoque suam libertatem non invidit, donec Laodiceæ magna controversia de solemnitate paschali excitata est. In persecutione scilicet M. Aurelii Antonini, Sagarim episcopum suum amiserant Laodiceni, et credibile est aliquos ibi exortos fuisse, qui aliam, quam vel Romæ, vel alibi viderant, et Asiæ ignotam et insolentem consuetudinem, introducere conarentur, Laodicenos autem, aliter a pueritia edoctos, illis restitisse, atque sic natam esse dissensionem. Interposuit igitur suam auctoritatem Melito atque ut refert Eusebius (49) ex ipso Melitonis opere, Servilio Paulo Asiæ proconsule, quo tempore Sagaris martyrium passus est, festinante calamo duos de Paschate exaravit libros, in quibus docuit, suam unicuique Ecclesiæ observandam esse consuetudinem, nec ab eo recedendum, quod ipsi a sancto suo antistite, nunc glorioso martyre, acceperint, traditumque antiquitus morem, Pascha die decima quarta observandi, constanter esse retinendum. Hoc enim Polycratis profitetur *Epistola Synodica* (50), cujus tempore sub Commodi imperio et Victoris pontificatu longe majores de solemnitate paschali exortæ fuerunt turbæ. Scriptis itaque suis de Paschate libris Melito omnem controversiam diremit, et Ecclesiæ unitatem pacemque reddidit. Addit Eusebius quod hujus scripti, a Melitone editi, etiam Clemens Alexandrinus (51) mentionem faciat, et quod hoc ipsum Melitonis scriptum Clementi Alex. occasionem præbuerit, ut et ipse librum *De Paschate* ederet, sed neutrum horum ætatem nostram tulit.

§ XVII. *De Melitonis Apologia pro Christianis.*

Nunc de ejus in sedanda Christianorum peracerba vexatione haud infeliciter adhibita industria paucis dicendum adhuc restat. Itaque non modo in pace et tranquillo Ecclesiæ statu fidem firmare et promovere studuit noster, sed et in bello et persecutionis cum ipso vitæ suæ periculo de cœtu Dei bene merere non desiit. Nam cum duobus Augustis fratribus M. Aurelio Antonino et Lucio Vero imperantibus atrox in Asiaticas Ecclesias incubuisset tempestas (52), inertes latebras noster minime quæsivit, sed haud fractus animo Deoque confisus, ad clavum Ecclesiæ stetit, et contra iniquorum magistratuum, seu proconsulum seu præfectorum, qui hanc tempestatem excitaverant maxime, insanos insultus fortiter depugnavit. Quemadmodum igitur inter furentes undas et fluctus maris boni gubernatoris ars se prodit: ita non alias magis beati Melitonis virtus, quam in mediis persecutionum turbinibus, emicuit. Doctæ enim atque elegantis orationis suæ præsidio, viam sibi ad imperatoris M. Aurelii Antonini aures fecit, suam fratrumque suorum causam apud eum egit, et *Apologiam* obtulit (53-54), qua demonstrabat imperatori, non nisi tyrannos et malos principes hucusque afflixisse Ecclesiam, et qua in memoriam ei revocabat

(48) *Histor. eccles.* lib. v, cap. 22.

(49) *Histor. eccles.* lib. iv, cap. 26.

(50) Hanc vide apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. v. cap. 26.

(51) In libro suo *De Paschate.*

(52) Quæ sub imperatoribus hisce agitata fuit, quinta est persecutio juxta Sulpic. Sev. lib. II *Histor. sacræ* cap. 32, pag. m. 246, a quo abeunt Hieronymus in *Catal. script. eccles.* cap. 17; Augustin. *De civitate Dei* cap. 52; Orosius in *Historia adv. paganos* lib. VII, cap. 15, eam quartam facientes, omissa ista, quæ sub Adriano cœpta et sub Antonino Pio continuata fuit. Sustulit hæc persecutio in Asia, præter Sagarim Laodiceæ episcopum, Polycarpum Smyrnæ episcopum, (*Euseb. lib.* IV, *cap.* 15); Justinum martyrem, quadriennio ante Polycarpum, (*Euseb. lib.* IV, *cap.* 16); Ptolomæum et Lucium, de quo Justin. M. in *Apologia* I, pag. 42, disserit et Euseb. lib. IV, cap. 17; Felicitatem, postquam septem filios martyres in cœlum præmiserat, de quibus vid. *Martyrol. Rom.* die 10 Jul., aliosque. De horrendis suppliciis in Gallia, Lugduni et Viennæ Christianis illatis refert Orosius l. c., Euseb. lib. v, cap. 1. Repressa aliquantum creditur hæc persecutio ob insigne beneficium a Legione fulminatrice præstitum, quod miraculum et ethnici et Christiani scriptores narrant. Et illi quidem aut mago cuidam Ægyptio tribuunt, ut Dio Cass. lib. LXXI, aut precibus imperatoris, ut Jul. Capitol. in *Vita Anton. Phil.* cap. 24, aut bonis ejus moribus, aut Claudianus in panegyri *De sexto consulatu Honorii*, versu 339, sq. Hi autem veluti Euseb. lib. v, cap. 5, et ab eo citati, precibus dictæ Christianorum legionis tribuunt, quam ab imperatore hanc ob causam *Fulminatricem* dictam fuisse aiunt. Addit Tertullian. cap. 5 *Apolog.*, imperatorem litteras dedisse, quibus hoc miraculum Christianorum precibus ascripserit; quæ tamen non amplius exstant: istas enim, quæ ad calcem *Apologiæ* II Just. Martyris leguntur, esse supposititias multis probavit Scaliger ad Euseb. n. 2189.

(53-54) Euseb. in *Chronico*, lib. post. pag. 214. edit.

majorum suorum erga Christianos benevolentiam, quorum elementiæ exempla potius quam istorum flagitia imitanda esse monebat. Cujus *Apologiæ* hic etiam erat exoptatissimus eventus, ut imperator paternam avitamque in Christianos humanitatem imitaretur. Ipsa quidem, quod utique dolendum est, periit lucubratio, illius tamen pauca fragmenta, quantivis omnino pretii, asservavit Eusebius (55), quæ ex eo etiam cum observationibus quibusdam alteri meæ dissertationi inseram. Olympiade CCXXXVII, quæ, ut supra observavimus, in annos Christi 169-172 incidit, *Apologiam* suam imperatori tradidisse Melitonem, refert Eusebius ; ulterius vero progressi sunt Dodwellus (56) et Ant. Pagi (57), qui anno 170 post prima vicennalia, Mart. 17 id factum fuisse docent, in quorum tamen rationes non inquiram. Valesius (58) porro Melitonis orationem nihil aliud fuisse, quam libellum supplicem, pro Christianis imperatori oblatum, ex ejus fragmento, quod protulit Eusebius conjecturat. Dederunt et alii eadem persecutione scriptas a se apologias eidem. M. Antonino imperatori, Justinus scil. martyr et philosophus, Apollinaris et Athenagoras sub titulo legationis pro Christianis, quos ejusdem certaminis participes, debitus idem in libris honos eademque in cœlo gloria manebit. Tillemontius (59) ex voce ἐπέδωκεν, qua usus est Eusebius in *Chronico*, et quam in versione sua quoque retinuit Hieronymus, colligit, Melitonem ipsum, itinere Romam instituto, imperatori obtulisse *Apologiam* suam, quod vel hanc quoque ob causam mihi non videtur improbabile, quoniam ex § 15 constat, eum ab itineris molestiis prorsus non abstinuisse.

§ XVIII. *De Melitonis morte.*

Tandem commune omnibus iter anno circiter 175 aggressus est, cunctisque calcandas, et ex hac ad alteram vitam ducentes semitas quoque calcavit. At vero Melitonem circa hoc ipsum tempus obiisse, hoc est quod mihi persuadet : Ex *Epistola* Polycratis *ad Victorem* (60) liquet, eum defunctum fuisse, cum hæc controversia de Paschate moveretur, et non multo ante mortuum fuisse inde concludo quod Polycrates illustriores doctores Ecclesiarum Asiaticarum recensens Melitonem ultimo loco collocet, indicio eum ultimum obiisse, nec post eum alios fama in Ecclesia celebres obiisse. Per multorum porro librorum auctor fuit Melito, adeoque non facile a libris scribendis quievit. Indicat tamen Eusebius (61) *Apologiam* ejus ultimum opus fuisse quod scripserit. Nam cæteris recensitis, ἐπὶ πᾶσι, inquit, *Apologiam*. Itaque circiter quinquennio priusquam lites de Paschate inter Victorem et Polycratem iterum agerentur, mortuus fuit. Sardibus e vita discessit, atque ibidem terræ quoque mandatus fuit. Τί δὲ δεῖ λέγειν, ait Polycrates (62), Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον, τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον· ὃς κεῖται ἐν Σάρδεσι, περιμένων τὴν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἐπισκοπήν, « qui Sardibus situs est, Domini de cœlis visitationem, in qua resurrecturus est, exspectans. » Utut martyris corona minime donatus fuerit (63), ejus tamen natalis in sacros Ecclesiæ fastos fuit relatus et nunc quibusdam in Martyrologiis ipsis Kalendis Aprilis (64) ascriptus deprehenditur. Hæc de vita et virtutibus beati Melitonis dicta sufficiant.

—

II

DE SCRIPTIS SANCTI MELITONIS.

Institutum.

Cœptam ante annos aliquot de Melitone, Sardium in Asia episcopo, telam hac scriptione pertexere atque continuare constitutum habeo. Superiori de hoc argumento meletemate de vita Melitonis ejusque in Ecclesiam meritis exposui ; magnus scriptorum ab eodem exaratorum numerus meam nunc merebitur diligentiam, hujusque scriptiunculæ constituet argumentum. Quod ne prorsus displiceat institutum, benevolum lectorem majorem in modum precor atque obtestor, spe fretus, me vel in eo de favore eruditorum sacræ antiquitatis indagatorum non male meriturum esse, si in colligendis undique viri hujus san-

Scalig. Amst. 1658. ΟΛ. ΣΑΖ. Ι. ΡΟΑ. ΚΑΛΡΟΣ ΤΟ Β, ΚΑΙ ΚΕΘΗΓΟΣ. Μελίτων Σαρδιανῶν Ἐπς τῆς Λυδίας βιβλίον Ἀπολογίας Ἀντονίνῳ ὑπὲρ Χριστιανῶν ἐπέδωκεν.

(55) *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 26.

(56) In *Dissertat Cyprianicis*, diss. 11, pag. 264.

(57) Critica in Baron. tom. I, pag. 178, § 3.

(58) In *Adnot. ad Euseb.* pag. 73.

(59) Dans *les Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésastique* pag. 444 : « Il composa une *Apologie*, qu'il adressa (προσεφώνησε) à M. Aurèle. La *Chronique* d'Eusèbe se sert du mot de donner, ἐπέδωκεν ; et S. Jérôme la suit tant dans sa traduction de la *Chronique*, que dans le *Traité des hommes illustres*, comme si S. Méliton l'avait présentée lui-même. »

(60) Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. V, cap. 24.

(61) *Histor. eccles.* lib. IV. cap. 26, item Hieronym. *De scriptorib.* cap. 24.

(62) Apud Euseb. l. c. et apud Hieron. cap. 24.

(63) Hoc ex silentio Polycarpi apud Euseb. *H. E.* lib. V, cap. 26, probavit Tillemontius citato loco.

(64) Sic in Maurolyci *Martyrologio*, perhibente Halloixio, factum fuit : sic quoque in *Actis sanctorum*, et in Ferrarii *Catalogo scriptorum*, qui non sunt in *Martyrologio Romano*, ad diem 1 Aprilis ejus vita recensetur.

ctissimi fragmentis sedulus insuper fuero, sique nonnulla eorum typis adhuc nondum exscripta in lucem publicam protraxero.

§ I. *Melito multa scripsit erudite. De ejus eruditione testimonia.*

Bene et sapienter dixit, qui dixit, eruditionem nec jactari debere, nec abscondi (65); poeticumque illud,

. . . . *bene qui latuit, bene vixit*, ...

Ovid. *Trist.* III, 25.

illos tantummodo potest juvare, quibus tenuitatis suæ conscientia altum semper in litteratorum societate imponit silentium. Nec suam eruditionem beatus Melito abscondidit, verum egregiis ingenii fetibus eamdem testatus est, et ad posteritatem propagavit ita, ut in eo quoque nominis sui nunquam intermorituram sibi fecerit celebritatem, quod a scribendis libris non abstinuerit. Utut enim quam plurimis, quæ præsulem Ecclesiæ decent bene merentem, oppressus erat occupationibus, a componendis tamen atque perpoliendis variis frugis optimæ libris animum manusque nunquam cohibuit, quin potiu-, amplissimo eorum numero, locum sibi fecit inter polygraphos usque adeo scriptores. Polygraphum quidem dici, haud magna semper laus est, nec quo quis plures grandioresque libros condidit, eo eruditior, reliquisque præstantior semper est censendus; haud pauci enim, quo tenet insanabile scribendi cacoëthes, ipsa operum suorum magnitudine fiunt minores. Prima igitur unicaque Melitonis laus hæc minime esto, quod multorum tantummodo librorum auctor exstiterit; sed hoc potius in honorem ejus vergat, quod elaboratissimorum scriptorum suorum copia polygraphis eruditissimi ingenii debeat adnumerari, qui multorum voluminum publicatione nomina sua reddiderunt illustria. In eo enim mire consentiunt omnes, quos prisca, quos media tulit ætas, scriptores, et uno quasi ore confitentur, Melitonem, ob insignem eruditionem et egregiorum scriptorum copiam, suis temporibus unum omnium maxime exstitisse celebrem, Polycrates (66), Ephesi episcopus, in sua ad Victorem epistola synodica honorificentissimam ejus injecit mentionem, eumdemque inter principes totius Asiæ ingenio doctrinaque viros numeravit. Ruffinus (67). fragmentum ex ejus *Apologia* afferens, « hæc et multa alia nobiliter ab eo scripta fuisse, » subjungit. Eusebius (68), contra Artemonem et Paulum Samosatensem edita scripta recensens, ita tandem exclamat, Τὰ δὲ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος, καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία ; « Irenæi vero et Melitonis, cæterorumque volumina quis ignorat ? » Idem Eusebius (69), præcipuos istius ætatis scriptores ecclesiasticos enumerans ; Melitonem quoque inter eos non reticuit, sed ita sub finem capitis addidit : Ὧν καὶ εἰς ἡμᾶς τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως ἡ τῆς ὑγιοῦς πίστεως ἔγγραφος κατῆλθεν ὀρθοδοξία, « quorum omnium libri, sinceram apostolicæ traditionis ac veræ fidei doctrinam continentes, ad nos usque pervenerunt. » Et alibi (70) : Ἐπὶ τῶνδε καὶ Μελίτων τῆς ἐν Σάρδεσι παροικίας ἐπίσκοπος, Ἀπολλινάριός τε τῆς ἐν Ἱεραπόλει διαπρεπῶς ἠκμαζον. « Iisdem temporibus Melito Sardianus et Apollinaris Hierapolitanus episcopi, summa laude viguerunt. » Tertulliano ornatum ejus dicendi scribendique genus mirum in modum arrisit, teste Hieronymo (71), qui elegans ejus et declamatorium ingenium laudasse Tertullianum memoriæ prodidit, et ipse de Melitone nostro ita quoque alibi (72) : « Quid loquar de Melitone, Sardensi episcopo, quid de Apollinario, etc., qui origines hæresium singularum, et ex quibus philosophorum fontibus emanaverint, multis voluminibus explicarunt? » Hæc satis jam jam superque evincunt, Melitonis scripta non proletaria, sed eximia prorsus fuisse, eumdemque inter cæteros suæ ætatis viros, de Ecclesia Dei et fama et scriptis longe meritissimos, maxime exstitisse celebrem. Possem præterea in commendationem scriptorum a Melitone exaratorum illud quoque Eusebii (73) curatius excutere, ubi generatim memoriæ de iisdem prodidit, « Christi divinitatem in iisdem astrui, eumdemque Deum simul atque hominem prædicari in iis, » ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός... βιβλία θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν. Possem insuper ad Anastasium Sinaitam (74) provocare, qui eumdem θεῖον καὶ πάνσοφον ἐν διδασκάλοις, divinum et sapientissimum inter doctores, θεόσοφον, cœlesti cognitione excellentem, vocavit. Possem Nicephori aliorumque recentiorum in medium proferre testimonia, quibus scriptis Melitonianis pretium statuatur haud vile.

§ II. *Librorum a Melitone scriptorum catalogum multi dederunt. Eusebii eorumdem catalogus.*

Sed mitto hæc, noloque diutius in ipso statim limine hærere, quin potius ad Melitonis recensenda scripta propero, quorum non unus alterve tantum, sed quamplurimi veterum exactum dare allaborarunt catalogum. Contexuit eorum indiculum non modo Eusebius (75), omnis historiæ sacræ fons atque scutu-

(65) Seneca epistol. 19.
(66) Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. v, cap. 24.
(67) Ruffin. *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 25.
(68) Euseb. *Hist. eccles.* lib. v, cap. 28.
(69) Idem *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 21.
(70) Idem *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 26. Confer Ruffin. *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 25.
(71) Hieronym. *Catalog. scriptor. eccles.* cap. 24.
(72) Idem epist. 83, tom. IV *Opp.*, part. II, fol. 656, edit. Martian.
(73) Euseb. *Hist. eccles.* lib. v, cap. 28, de quo loco pluribus infra.
(74) Anastasius in Ὁδηγῷ, seu *Duce viæ adversus Acephalos*, cap. 13, pag. 258, edit. Jacob. Gretseri.
(75) Euseb. *Hist. eccles.* lib. iv, cap. 26.

rigo ; sed et idem præstiterunt Hieronymus (76), Ruffinus (77), Honorius Augustodunensis (78), Nicephorus (79), Trithemius (80), Sixtus Senensis (81), aliique recentiores quos taceo. Cum autem isti fere omnes ex Hieronymo, Hieronymus vero ex Eusebio sua habeant, ad majorem rei perspicuitatem ipsa Eusebii verba apponam ; tum quod sit antiquissimus omnium scriptor, dulciusque ex ipso fonte bibantur aquæ ; tum quod sit locupletissimus exactissimusque ; tum demum ideo, quod catalogum suum ex ipsismet Melitonis libris, quos instructissima Cæsariensis servabat bibliotheca, confecisse videatur. Brevissimis insuper indicabo, quibus in rebus differant reliqui, et quid ab iisdem fuerit peccatum.

Sic igitur Eusebius : « Ex libris autem utriusque illorum (Melitonis scilicet Sardiani, et Apollinaris Hierapolitani episcopi), hi, quos infra subjecimus, ad nostram notitiam pervenerunt. Melitonis quidem sunt :

1. *Libri duo de Paschate.*	1. Τὰ Περὶ τοῦ Πάσχα, δύο,
2. *De recta vivendi ratione et de prophetis liber unus.*	2. Καὶ τὸ περὶ πολιτείας, καὶ προφητῶν.
3. *Alius item de Ecclesia.*	3. Καὶ ὁ περὶ Ἐκκλησίας,
4. *Alius de die Dominica.*	4. Καὶ ὁ περὶ Κυριακῆς λόγος.
5. *Est et de natura hominis liber unus.*	5. Ἔτι δὲ ὁ περὶ φύσεως ἀνθρώπου,
6. *Et de creatione unus,*	6. Καὶ ὁ περὶ πλάσεως,
7. *Alius de obedientia sensuum fidei,*	7. Καὶ ὁ περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθηρίων,
8. *Præterea et liber de anima et corpore.*	8. Καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος.
9. *Inter illos etiam erat de lavacro.*	9. Ἦν ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λουτροῦ,
10. *Et de veritate liber,*	10. Καὶ ὁ περὶ ἀληθείας,
11. *Et alius de conditu et generatione Christi.*	11. Καὶ περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ.
12. *Et liber ejus de prophetia.*	12. Καὶ λόγος αὐτοῦ περὶ προφητείας,
13. *Et unus de hospitalitate.*	13. Καὶ ὁ περὶ φιλοξενίας,
14. *Et alius qui Clavis inscribitur.*	14. Καὶ ἡ Κλείς.
15. *Alia item scripta de diabolo,*	15. Καὶ τὰ περὶ τοῦ διαβόλου,
16. *Et de Apocalypsi Joannis,*	16. Καὶ περὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου,
17. *Et de Deo corporato.*	17. Καὶ ὁ περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ.
18. *Postremus omnium est libellus ad Antoninum.*	18. Ἐπὶ πᾶσι καὶ τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον.

Quibus, interpositis fragmentis nonnullis, tandem sub finem capitis adduntur.

19. *Excerptorum libri sex.*	19. Ἐκλογῶν ἓξ βιβλία,

Hoc ordine hacque serie Cæsariensis Melitonis enumeravit scripta, quorum, ex eodem quoque auctore catalogum dedit Halloixius (82), ast valde diversum a nostro ; unum enim et viginti numerat, ita, ut prorsu nesciam, quamnam adhibuerit Eusebii editionem. Valesii et Readingii mihi ad manus fuit, a qua non nisi semel recessi.

§ III. *Eusebii Catalogus cum Hieronymiano confertur.*

Ab Eusebio in paucis diversus est Hieronymus. *Apologiam* enim primo loco recensuit, quam Eusebius ultimo, temporis non habita ratione. Deinde librum Περὶ φύσεώς ἀνθρώπου omisit. Porro librum Περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων, quem septimo loco ex Eusebio nominavimus, divisit in duos, ut unus sit *De fide*, alter *De sensibus*. Et tandem circa librum Περὶ προφητείας aliquantulum desciscit a verbis Eusebii. Reliquas minutias non curo, nec curabo apud reliquos.

§ IV. *Eusebius cum Ruffino collatus.*

Ruffinus in eo discrepat ab Eusebio quod librum, quem Cæsariensis secundum posuit, Περὶ πολιτείας καὶ προφητῶν, in duos divellat hoc modo : *De optima conversatione liber unus. Sed et De prophetis.* Deinde numero quinto, loco φύσεως legit πίστεως, et *De fide hominis* Melitonem librum scripsisse indicat. Porro ex septimo libro, cum Hieronymo, duos facit, et undecimum itidem dividit in binos, alterum *De fide*, alterum, *De generatione Christi et de prophetia ejus*, cum tamen Eusebius pariter ac Hieronymus *De prophetia* librum singularem faciant atque distinguant. Duodecimi loco, Περὶ προφητείας, ponit iterum librum *De anima et corpore*, quem tamen paulo ante jamjam nominaverat, tertiam hominis partem, *mentem*, addens. Hæc de Ruffino.

(76) Hieronymus in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, seu *De viris illustribus*, cap. 24.

(77) Ruffin. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 24.

(78) Honorius *De scriptoribus ecclesiasticis*, lib. I, cap. 25. Apud Jo. Alb. Fabricium, *Bibliothecæ ecclesiast.* fol. 75.

(79) Nicephor. *Histor. eccles.* lib. IV, cap. 10.

(80) Trithemius *De scriptoribus ecclesiast.* cap. 14, *Bibliothecæ ecclesiast. Fabricianæ*, fol. 7.

(81) Sixtus Senens. *Bibliothecæ sacræ* lib. I, pag. 5, edit. Paris.

(82) Halloixius in *Illustrium Ecclesiæ Orientalium scriptorum, qui sanctitate et eruditione juxta sæc. II floruerunt, Vitis et documentis*, fol. 828.

§ V. *Honorius cum Eusebio contenditur.*

Honorius autem, qui sæc. XII Augustodunensis claruit presbyter, eum non solum omisit, quem et Hieronymus, Περὶ φύσεως ἀνθρώπου, librum; sed et præterea ipsi adhuc plures reticuit, Περὶ Ἐκκλησίας nimirum, Περὶ Κυριακῆς, Περὶ πλάσεως, et Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ. Perperam igitur Halloixius asserit, eum, præter illum ab Hieronymo non commemoratum librum, Melitoni tantum unum sustulisse, Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ scilicet; quod forte ideo factum fuisse conjicio, quod dubius hæserit, quomodo Latine reddat libri hujus titulum. Insuper Eusebio septimo loco numeratum, Περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων, *De sensibus* tantum inscripsit.

§ VI. *Eusebii et Nicephori catalogi invicem comparantur.*

Nicephorus in omnibus fere cum Eusebio conspirat, nisi quod ex quinto et sexto unum videatur conflare librum, ἔτι δὲ, inquiens, ὁ Περὶ πίστεως ἀνθρώπου καὶ πλάσεως τὴν ἐπιγραφὴν εἰληφώς, nec male forsan; quod septimo loco dictum Eusebio librum, cum Hieronymo et Ruffino, in duos itidem distinguat; quodque præterea libros Περὶ προφητείας, Περὶ φιλοξενίας, et librum *Clavem* dictum omittat, idque de industria forte, nam omnes eum recensere voluisse Melitonis libros, mihi non videtur.

§ VII. *Trithemii et Eusebii collatio.*

Ad Trithemium, Melitonianorum scriptorum catalogum concinnantem, quod attinet, instituta cum Eusebio collatione, deprehendi, eum librorum Περὶ φύσεως ἀνθρώπου, Περὶ Θεοῦ ἐνσωμάτου, et Ἀπολογίας πρὸς Ἀντωνῖνον nullam omnino injecisse mentionem; eum librum Περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων divellere in binos, *De sensibus*, et *De fide*. Undecimum, Περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, dixit saltem *De generatione Christi;* atque in hoc insuper plus peccavit, partim, quod pro *De plasmate unum* scripserit *De lapsis lib.* I, partim, quod inter scripta Melitonis referat spurium opus *De transitu Mariæ*. A vero igitur alienum iterum est Halloixii judicium, eadem, quæ Honorius Augustodunensis, prætermisisse Trithemium; habet enim Περὶ Ἐκκλησίας, καὶ περὶ Κυριακῆς libros, quos Honorius non habet.

§ VIII. *Sixti Senens. catalogi cum Eusebiano assimilatio.*

Minime omnium accurata est Sixti senensis librorum a Melitone conscriptorum consignatio, quippe quæ ne quartam quidem eorum partem attingit, licet nihil omisisse velit videri. Meminit enim tantummodo *excerptorum*, libri *De vita prophetarum*, *De Apocalypsi*, et præterea duorum aliorum, in quibus tamen recensendis graviter hallucinatus est. Nam pro libro Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, dicit eum scripsisse, in illud Geneseos I: *Faciamus hominem*, *De Deo incorporeo* librum unum, quod plane diversum sonat ab Eusebio. Deinde in eo quoque errat, quod asserat, Sardium episcopum scripsisse *De catalogo divinorum utriusque Testamenti voluminum* ad Onesimum epistolam unam. Ast illa epistolam nil aliud est, quam proœmium sex ἐκλογῶν librorum, quos supra jamjam, *excerptorum* nomine, commemoraverat; hinc non debebat eamdem tanquam novum aliquod scriptum seorsim recensere; nec debebat porro dicere, *utriusque Testamenti*, sed *Veteris* tantum *Testamenti* ex eo enim solo dedit librorum canonicorum catalogum, ut mox ex ipsa, quam dedimus infra, epistolæ inspectione apparebit luce meridiana clarius.

§ IX. *Sandius notatur.*

Tribus adhuc verbis moneo, notitiam quam de operibus Melitonis dedit notissimus ille Christoph. Christophori Sandius (83) confusam prorsus, a vero alienam, et absonam esse adeo, ut integrum hoc de Melitone caput error mereatur dici, in quo summa imis sunt permista. Ex ungue leonem ut noscas, id saltem ex eo referam, omnia Melitonis opera Gelasio papæ esse apocrypha.

§ X. *An Melito præter libros Eusebio et Hieronymo commemoratos, alios adhuc scripserit?*

Priusquam circa singulos editorum a Melitone librorum titulos mea eruditorumque observata in medium proferam, operæ pretium me facturum credo, quæstionem expendere, an Eusebius, an Hieronymus omnium Melitonianorum scriptorum exactum dederit catalogum ita ut præterea nihil aliud litteris fuerit consignatum a Sardiano? anque argumentum, quia Eusebius, quia Hieronymus non habent, sufficiat, omnes reliquos ab aliis forte Melitoni tributos libros tanquam spurios rejicere? Videntur in hanc sententiam propendere Halloixius (84), Whistonus (85), Baraterius (86), Ceillierius (87), aliique. Veritatis quæ-

(83) Sandius in tractatu *De veteribus scriptoribus ecclesiasticis*, nucleo suo *Historiæ ecclesiasticæ*, præfixo, pag. 47.

(84) Halloixius, c. l. fol. 834.

(85) Whiston *in the Account of the Faith of the two first centuries, concerning the ever-blessed Trinity, and the Incarnation of our Lord*, tomo IV *Primævi Christianismi*, pag. 126.

(86) Baraterius in *Disquisitione chronologica de successione antiquissima episcoporum Roman.* pag. 220.

(87) Ceillier, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, tom. II, cap. 3, pag. 78.

dam species huic opinioni exinde affulget, quod Eusebius, resensitis omnibus, quos modo numeravi libris, dicat : Ἐπὶ πᾶσι καὶ τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον, « postremus omnium est libellus ad imperatorem Antoninum; » quodque allatis quibusdam scriptorum Melitonianorum fragmentis, sub finem capitis ita continenter subdat : Καὶ τὰ μὲν Μελίτωνος τοσαῦτα, « et libri quidem Melitonis tot sunt, » indicaturus, se omnes enumerasse. Secus tamen mihi videtur, rebus probe perpensis. Nullibi enim expressis verbis asseruit Eusebius, se omnium, quotquot Melito unquam scripserat, librorum daturum esse catalogum; quin potius alios forte adhuc ab eodem exaratos fuisse haud obscure significavit, sic ordiens librorum Melitonis catalogum : Τούτων εἰς ἡμετέραν γνῶσιν ἀφῖκται τὰ ὑποτεταγμένα, « ex libris autem utriusque illorum (Melitonis scilicet et Apollinaris) hi, quos infra subjecimus, ad nostram notitiam pervenerunt. » Idem testatur adhuc clarius S. Hieronymus his verbis : « Scripsit quoque et alia, de quibus ista sunt, quæ subjecimus. » Cumque præterea Anastasius Sinaita duorum aliorum, Eusebio et Hieronymo non memoratorum, librorum mentionem injiciat, Περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ scilicet (88), *De incarnatione Christi*, et Λόγου εἰς τὸ Πάθος Χριστοῦ (89), *Orationis in Passionem Domini*, prorsus non video, quare inter genuina Melitonis opera et hos quoque recipere sit dubitandum ; nisi forte quis, ex malo in orthodoxam nostram fidem animo, fragmenta, quæ ex iis attulit Anastasius, dubia velit reddere, quorum alterum quantivis pretii de divina pariter ac humana Christi natura continet testimonium. Eusebii verba, quibus asserit, tot esse Melitonis scripta, horumque postremum omnium esse *Apologiam*, commode de libris saltem, qui ad ejus notitiam pervenerunt, possumus et debemus interpretari.

§ XI. *De Melitonis libris de Paschate.*

Sed age, de uno alterove libro sigillatim nunc videamus. Ad libros *De Paschate* quod attinet, notamus, decantatissimam illam, prioribus post c. n. sæculis inter Ecclesiam Orientalem et Occidentalem magno animorum fervore agitatam, controversiam de die festivitatis Paschatis, horum scribendorum occasionem subministrasse. Quærebatur scilicet, an præcise cum Judæis, die 14 mensis Nisan, in quemcunque hebdomadis diem ille incideret ; an vero nullo alio, quam solis die, in memoriam Dominicæ resurrectionis, sacra paschalia sint celebranda. Priorem modum sequebantur Asiaticæ et Orientales Ecclesiæ ; at qui Romæ et in aliis regionibus ad solis occasum sitis Christum colebant, posteriorem. Utrique apostolicas urgebant traditiones ; illi se consuetudinem suam accepisse a S. Joanne et Philippo dicebant ; hi vero ad Petrum et Paulum provocabant. Neque ab initio hæc diversitas discordiam peperit, sed quælibet Ecclesia in ritu hoc adiaphoro sua utebatur libertate. Irenæus (90) refert, S. Polycarpum, Romam profectum, inter alia cum Aniceto, tunc Romano præsule, de tempore Paschatis colloquium instituisse, sed neutrum potuisse alteri persuadere, ut a pristino more recederet ; nihilominus tamen inter utrumque pacem conservatam fuisse. Melitonis ætate in Laodicena Ecclesia, sublato per martyrium Sagari sedis hujus episcopo, et succedentibus aliis, qui occidentalem consuetudinem introducere conabantur, hac de causa etiam exoriebantur dissensiones. Interponebat igitur sua officia noster, atque hac occasione binos, festinante calamo, ut ait Eusebius (91), exaravit libros, in quibus docuit, suam unicuique Ecclesiæ consuetudinem esse retinendam, Paschaque die 14 ex antiquo, esse celebrandum. Sic diremit omnem controversiam, o felicia ista tempora ! sicque Ecclesiæ pacem reddidit. Ita refert Polycrates (92) in *Epistola synodica ad Victorem*, cujus ætate ausuque nefando hæc denuo recrudult controversia, diu postea magna animorum contentione agitata, nec ante synodum Nicænam sopita. Melitonis *De Paschate* opus Clementi Alexandrino postmodum occasionem præbuit, ut ipse quoque conscriberet librum *De Paschate*, in quo honorificam Melitoniani operis injecit mentionem, ut tradit Eusebius (93) : Τούτου δὲ τοῦ λόγου, inquiens, μέμνηται Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ἰδίῳ Περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ, ὑφ' ἧς αἰτίας τῆς τοῦ Μελίτωνος γραφῆς φησὶν ἑαυτὸν συντάξαι. « Hujus autem libri mentionem facit Clemens Alexandrinus in opere suo de Paschate. Quod quidem ut conscriberet Melitonis librum causam sibi præbuisse testatur. » Utrumque tamen opus periit, et de Melitoniano superest tantummodo parvum fragmentum, quod posteritati servavit Eusebius, infra exhibendum.

§ XII. *De libro* Περὶ πολιτείας καὶ προφητῶν.

Circa alterum Melitonis libellum, quod τὸ Περὶ πολιτείας καὶ προφητῶν inscribitur, tenendum, nonnullos codices manu exaratos, quos Valesius, in notis ad Euseb. nominat legere τὰ Περὶ π. κ. π. ac

(88) Anastas. Sinaita, in Ὁδηγῷ, cap. 13, pag. 258.

(89) Idem, *ibid.*, cap. 12, pag. 216.

(90) Irenæus in *Epistola ad Victorem*, apud Euseb. *Histor. eccles.*, lib. v, cap. 24.

(91) Euseb. c. l. et Hieronymus in *Catalogo*, cap. 45.

(92) Apud Euseb. *Hist. eccles.*, lib. v, cap. 26 Ceillier, cit. libro pag. 75 : « Mais ces deux livres sont perdus, et nous n'en sçavons autre chose, sinon que le Saint suivoit la pratique de l'Asie, où l'on célébroit Pâque le 14 de la lune. »

(93 Euseb. cit. loc.

si noster plures de hoc argumento conscripserit libros, quod Hieronymi et reliquorum communi repugnat testimonio. Male porro Ruffinus Christophorsonus, elegans Eusebii, ante Valesium, interpres, atque Halloixius ex uno hoc libro duos fecerunt, alterum *De recta conversatione*, alterum *De prophetis*, quasi in Græco legeretur καὶ τὸ Περὶ προφητῶν, quam lectionem omnes constanter codices respuunt. Hieronymus præterea, Honorius, Trithemius et Sixtus Senensis omnes habent, *De vita prophetarum librum unum*, et Nicephorus insuper, λόγος δὲ ἕτερος τοῦ Μελίτωνος φέρεται, ὁ Περὶ πολιτείας καὶ προφητῶν. Hinc merito illorum sententiam rejicimus. Exposuit igitur noster in hoc opere de recta, quæ prophetas deceat, vivendi ratione vitæque consuetudine, scriptumque esse videtur contra Montanum ejusque asseclas Ecclesiam Dei istis temporibus mirum turbantes, et prophetiæ donum per affectatas exstases, varias corporis contorsiones, per atram melancholiam, et phreneticas convulsiones, Pythonissarum in morem, mentientes, multosque fidelium a recto tramite seducentes (94). Demonstravit in eo sine dubio, quod probabili valde conjectura licet divinari, prophetam Spiritu Dei vere actum non debere moribus suis externis in decori regulas impingere, sed utrumque, prophetam esse, decoreque vivere, et posse et debere consistere. Miltiadem, qui ætate non multum posterior fuit, ut incredibiles Montanismi sisteret progressus, idem habuisse institutum, et contra Montanum scripsisse librum, Περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν, *Non decere prophetam in exstasi loqui*, Eusebius (95) refert, qui et illum in compendio exhibet.

§ XIII. *De libro* Περὶ κυριακῆς.

Quem quarto numero posuimus librum, Περὶ κυριακῆς, *De die Dominica* exposuit. Κυριακή, in memoriam resurrectionis Dominicæ, commune apud primævos Christianos nomen fuit primæ hebdomadis diei (96). quam tamen nonnunquam, quando gentilibus scribebant, τὴν τοῦ ἡλίου ἡμέραν, « solis diem » etiam appellare non dubitabant (97). De hujus divina institutione multum disputatur. Sunt quidem nonnulli, qui post excidium Hierosolymorum, imo sub exitum demum sæculi primi, solis diem consecratum fuisse opinantur; verior tamen eorum, sine dubio, est sententia, qui non diu post sublatum ad cœlos Dominum ejus celebrationem institutam fuisse credunt, quod erudite, præter alios, tuetur Justus Henningus Bœhmerus (98). In sabbato, primaque feria sacrorum faciendorum causa publice convenisse Christianos primis statim illis temporibus, etiam ex fontibus sacris elucescit (99). In magnum utique sacræ antiquitatis detrimentum accidit, quod hic Melitonis liber pericrit, cujus scribendi occasionem forte dedit controversia de festivitate Paschali. Hic liber, quantum memini ego, primus super nobile hoc argumento fuit confectus ; in eo forsan legeremus Christi apostolorumque sancita de abrogando sabbato. Irenæus (1) solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium celebrandum esse, asseruit. De die Dominico, Περὶ τῆς ἡμέρας κυριακῆς, beatus Eusebius, episcopus Alexandrinus sæculo tertio clarus orationem conscripsit, quam ex mss. edidit, Latine vertit, et adnotationibus, potissimum ad sacra publica veteris Ecclesiæ spectantibus, illustravit beatus Jo. Guil. Janus, hic conferendam (2).

§ XIV. *De libro* Περὶ φύσεως ἀνθρώπου.

De libro sequenti, Περὶ φύσεως ἀνθρώπου, *De natura hominis* (de quo itidem argumento Nemesii, episcopi Emeseni, hodie adhuc exstat insignis certe liber Græco-Latinus, editus nitido Oxonii 1671, in 8, a Jo. Fello, Cistriensi episcopo), nihil quod moneam habeo, nisi quod eumdem ex catalogo scriptorum Melitonianorum omiserint Hieronymus, Honorius, Trithemius et Sixtus Senensis, Ruffinus Περὶ πίστεως ἀνθρώπου, *De fide hominis* legit. Nicephorus vero, ex hoc et statim insequente libro Περὶ πλάσεως, *De creatione*, unum facit (3) in quo posteriore hallucinatus insuper quoque est Trithemius, qui non de plasmate, sed *De lapsis*, Melitonem librum scripsisse, tradit. Forte uterque liber cum in finem a nostro

(94) Utut de vera Montani ejusque hæreseos ætate nondum certe constet, hoc tamen extra dubium est, eamdem Melitonis tempore maxime viguisse, ejusque virus ipsam adeo Lydiam, et inprimis Thyatiram, urbem Sardibus, in quibus episcopus erat noster, vicinam, infecisse. Ita testatur Epiphanius, *Advers. hæreses* lib. I, cap. 31. Confer Angli cujusdam anonymi, quem Francisc. Lee, M. D. esse, compertum habeo, *History of Montanism, by a Lay gentleman*, Lond. 1709, 8.

(95) Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 17.

(96) Vide Binghami *Origenes ecclesiasticas*, tom. IX, pag. 15.

(97) Justinus Mart. *Apolog.* I, pro Christianis, § 89, pag. 132, edit. Grabianæ : Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα.

(98) Illustr. Bœhmerus in singulari dissertat. *De statu die Christianorum*, quæ prima est in *Diss. Juris ecclesiastici antiqui*.

(99) Ita habetur Act. xx, 7, I Cor. xvi, 2, etc. Confer. inprimis *Wotton's miscellaneous discourses, relating to the Traditions and Usages of the Scribes and Pharisees in our bless'd Saviour's time*, vol. I, cap. 10, pag. 294, ubi omnia N. T. loca, de celebrando primo hebdomadis die agentia, accurate expendit.

(1) Irenæus apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 24.

(2) Prodiit hic Eusebii Alex. libellus Lipsiæ 1720, in-4.

(3) Quem secutus est Coillier, qui titulum hujus libri *De la formation de l'homme* reddidit.

fuit conscriptus, ut pravis hæreticorum istius sæculi obviam iret sententiis, duplex modo principium, alterum bonum, alterum malum statuentium; modo mundum malorum geniorum opus esse, dicentium; modo de natura et creatione hominis somniantium, hominem, per imbecillitatem geniorum illorum, non meliorem fieri potuisse, ac longe futurum fuisse deteriorem, nisi suprema virtus scintillam auræ vitæque divinæ immisisset, eumdemque, vermis instar humi prius repentem, erexisset; modo duplex hominum genus, bonum et pravum, imo triplex, pneumaticum, psychicum et hylicum seu χοϊκόν fingentium.

§ XV. *De libro* Περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων.

Sed transeant hæc, videamusque potius de libro, quem Περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων, *De obedientia sensuum fidei* inscripsit. Hunc Hieronymus, Ruffinus, Nicephorus, Trithemius constanter in duos diversosque dividunt, ita, ut peculiarem faciant, *De obedientia fidei*, peculiaremque iterum, *De sensibus* librum. Dubius diu hæsi, an cum Eusebio, an cum reliquis facerem. Ast cum, Valesio teste, in omnibus codicibus manuscriptis legatur, καὶ ὁ Περὶ ὑπακοῆς πίστεως αἰσθητηρίων, absque distinctione quam Rob. Stephanus, post vocem πίστεως, primus posuit; verba Eusebii utique pro titulo unius tantum libri habeo, qui *De obedientia sensuum fidei*, sive, quod idem est, de obedientia fidei quæ sit a sensibus, fuit inscriptus, Tillemontii (4) atque Dupinii (5) suffultus hac in re assensu, licet Halloixius aliique alteri potius subscribant sententiæ. Valesii et Dupinii probabilis admodum conjectura est, contra hæreticos quosdam istius ætatis et hunc quoque librum scriptum fuisse a Melitone, qui asseruerint, dari fidem quamdam naturalem eamdemque sensuum opera posse gigni. Quidam enim hæretici, verba sunt Valesii, aiebant, animales quidem, seu physicos homines sensuum opera credere: spirituales vero per rationem. Ita Heracleo explicabat locum illum ex Joannis Evangelio [10]: *Nisi signa et prodigia videritis, non credetis.* Quæ Christi verba, aiebat Heracleo, dici proprie ad eos qui per opera et sensus naturam habeant obediendi, non autem credendi per rationem. Refert hæc Origenes *Enarrationum in Joannis Evangelium* tomo XIII, ubi et refutat, docetque tam spirituales quam animales non posse nisi per sensum credere. Hæc Valesius.

§ XVI. *De libro* Περὶ ψυχῆς καὶ σώματος.

Proximi libelli quem lustrabimus, titulus est: Περὶ ψυχῆς καὶ σώματος, *De anima et corpore liber.* Hic ante omnia ratio mihi reddenda est, quare in exhibendo hujus libri titulo a lectione communi, quam Valesius et Readingus probant, recesserim paululum. Ita autem isti legunt: Καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοός. *Præterea liber de anima, corpore et mente,* ac si Melito in hoc opere de tribus hominis partibus exposuerit, animaque cogitata sua protulerit. Hanc communem lectionem probant codices Mazarinus, Medicæus ac Fuketianus. Eamdem quoque confirmare videtur Ruffini interpretatio, quæ ita habet: *De sensibus. De anima, et corpore et mente. De lavacro,* etc. In eodem tamen Ruffini librorum Melitonianorum indiculo, paucis interjectis aliis, recurrit denuo ejusdem operis titulus, hac forma: *De anima et corpore,* ita ut parum omnino præsidii ex Ruffini interpretatione inveniat communis lectio. Probant tamen eamdem recentiores fere omnes, Tillemontius, Nat. Alexander (6), Dupinius Caveus (7), Benthemius, Lardnerus (8), Bollandus (9), aliisque, præter unicum forte Halloixium, qui ita legit et distinxit: Καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἦν. Ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λουτροῦ. Sed displicet adhuc interpunctio. Omnino igitur facio quidem cum codice Regio, qui Valesio teste, ita legit, ut Halloixius exhibuit; ast mallem distinctionis signum ponere post verbum σώματος, hunc in modum: Καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος. Ἦν ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λουτροῦ, ita ut a verbis Ἦν ἐν οἷς (ex quibus, per librariorum oscitantiam, facile enasci potuit altera, quam rejicimus, lectio ἢ νοός) ordiatur nova periodus, in qua reliqui Melitonis recensentur libri. Hanc meam emendationem suffulcit egregie Nicephorus, qui ita habet: Ἐπὶ δὴ τούτοις, ὁ περὶ ψυχῆς αὐτῷ καὶ σώματος πεπονημένος ἐστίν. Ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λουτροῦ, κ. τ. λ. Cumque præterea Hieronymus, Honorius Augustodunensis et Trithemius unanimi consensu tradant, Melitonem *De anima et corpore librum unum* scripsisse, prorsus

[10] cap. IV, 48.

(4) Tillemont. in opere: *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique,* tom. II, pag. 415, titulum hujus libri ita reddidit Gallice: *De l'obéissance que les sens doivent à la foi.* Henr. Ludolph. Benthem vero, in *Vorstellung und Betrachtung der alten Kirchen-Lehrer,* pag. 71, commode in linguam nostram vernaculam ita transtulit: *Und eins vom dem Glaubens-Gehorsam der Sinnem.*

(5) Dupin. in opere: *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques,* tom I, pag. 63, not. 6: « Mais il est plus probable que c'était un même ouvrage intitulé *De l'obéissance des sens à la foi,* contre quelques hérétiques, qui disaient, qu'on croyait par les sens. ».

(6) Nat. Alex. in *Hist. eccles. Veteris Noviqu Testam.* tom. III, pag. 297.

(7) Cave in *Hist. litterar. scriptorum ecclesiastic.* pag. 42.

(8) Lardner in *the Credibility of the Gospel History,* part. II, vol. I, cap. 15, pag. 329.

(9) Bollandus in *Actis sanctorum,* mens. April. vol. I, fol. 11.

omnino non video, quare alteram præferre velimus lectionem, quæ insuper in mendo adhuc jaceret, nam non deberet esse ἤ, sed καὶ νοός ut recte observavit Whistonus (10). Cæteroquin eidem eruditissimo Anglo dicam : cum S. R. Wollio (11) nolueriм scribere, ideo quod triplicem istam hominis divisionem, quam tamen nec ipse probat, inter Christianos, qui sæculo primo et secundo vixerint, obtinuisse asserat ; licet eamdem ex Melitonis libro probari posse, constanter negem. Platonica sane philosophia mature satis a Patribus fuit adoptata ; Platonicamque hanc hominis divisionem admisit jamjam Philo (12), ex quo Patres primævi fere omnes sapiunt. Irenæus (13) certe disertissimis verbis dixit : « Tria sunt ex quibus perfectus homo constat, carne, anima, spiritu. » Rationem, quare forsan hic Melitonis liber vel perierit, vel suppressus fuerit, non meis, sed clarissimi editoris Nemesii, verbis discas velim ; quæ an valeat, uti valere videtur Whistono, ipse judicabis, benevole lector. Ita autem ille (14) : Postquam enim Apollinarii et ipsius sequacium Dimeritarum increbuit dogma, qui Dominum nostrum ex tribus partibus constitutum asserebant, ἐν σαρκὸς, καὶ ψυχῆς, καὶ θεότητος ἀντὶ τοῦ νοῦ. (Epiphanii sunt verba, pag. 1016), quo certius eos profligarent orthodoxi, deinceps receptæ prius sententiæ de tribus animæ partibus valedixerunt, licet ab Apostoli verbis, I Thess. v, 23, firmamentum sibi arrogare videatur ; et demum hæreseos cujusdam apud posteros arcessebatur, animam a spiritu secernere : simili plane lege, qua mersio in baptismate, nunc trina, dein una, denuo et trina placuit, pro dogmatum varietate, quæ Ecclesiam subinde lacessebant. Hactenus Cistriensis.

§ XVII. *De libro* Περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ.

Quoad librum undecimo sub titulo Περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, *De conditu et generatione Christi* commemoratum, observare liceat, vulgarem lectionem in editionibus Eusebianis esse, Περὶ πίστεως καὶ γενέσεως, quam et Ruffinus sequitur, qui insuper, contra Græci sermonis formam, duos diversos, ex unico hoc, fecit libros. In codice tamen Mazar., Medic., Fuketiano, et apud Nicephorum legitur Περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, quam etiam scripturam veram esse non dubitamus, Valesii hac in re adjuti approbatione. Hieronymus, et, qui pressius eum ut plurimum sequuntur, Honorius atque Trithemius uno « generationis » vocabulo contenti, in Latina interpretatione vocem κτίσεως prætermiserunt, tanquam duriorem, veriti sine dubio, ne Christum in ordinem creaturarum detrudere viderentur. Attamen hunc errorem non erravit Melito, incautius nonnihil ante notam controversiam locutus : Patres enim synodo Nicæna anteriores vocem κτίσεως adhibuerunt non modo de creatione ex nihilo, verum etiam de omni genere productionis, ipsaque adeo generatione τοῦ Λόγου æterna et œconomica. Hoc igitur et Melitoni in causa fuit, quare in titulo libri, in quo de æterna Christi, ejusque in tempore ex Maria, generatione edisseruit, durius vocabulum adhibuerit, respectu procul dubio habito ad illud, Proverb. VIII, 22 : Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, ut Caveus conjicit feliciter. Hunc enim locum, cum aliis ejusmodi, de generatione ista æterna exposuerunt Patres Antenicæni. Nihil igitur lucratur Whistonus (15), quando ex hoc Melitonis libro Ariano suo dogmati, Christum ante posita mundi fundamenta creatum fuisse a Deo Patre, præsidium quærit.

§ XVIII. *De libro* Περὶ προφητείας.

Qui sequitur proximo loco liber, Λόγος αὐτοῦ Περὶ προφητείας, est quem Ruffinus cum verbis posterioribus proxime antecedentis libri conjunxit hoc modo : *De generatione Christi et prophetia ejus*, ac si de optimi Servatoris munere prophetico exposuisset in eodem. Juxta Hieronymum quem et Augustodunensis sequitur, verba hujus tituli ita ordinanda forent : Λόγος περὶ τῆς αὐτοῦ προφητείας, ita enim vertit : *Item de prophetia sua librum unum*. Valesius hoc probat, cui tamen non assentior ; licet nullo modo velim negare, Melitonem prophetiæ charismate, quod prioribus tribus quatuorve sæculis uni alterive Christianorum communicatum adhuc a Deo novimus, fuisse exornatum. Certe eum prophetam a plerisque fuisse habitum, docet Tertulliani apud Hieronymum (16) testimonium : « Hujus elegans et declamatorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris, quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, dicit eum a plerisque nostrorum prophetam putari. » Ubi tamen observes velim, in nonnullis exemplaribus pro « dicit, » haberi « cavillatur. » De Melitonis dono prophetico confer, si lubuerit, dissertationis prioris § 12.

§ XIX. *De libro clavis dicto.*

Liber, qui Ἡ κλείς, *Clavis* (17), inscribitur, continebat explicationem variarum Scripturæ sacræ vocum

(10) Whiston. in *his primitive Christianity reviv'd*, vol. IV, pag. 266.

(11) In dissertat. Σῶμα, ψυχή, πνεῦμα, Lips. habita 1732, pag. 7.

(12) Philo, *De mundi opificio*, lib. I, pag. 14. Joseph. *Antiquit. Jud.* lib. I, cap. 5 : Ἔπλασε ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ, καὶ ψυχήν.

(13) Irenæus *Adversus hæreses*, lib. V, cap. 9. His similia reperire etiam est lib. V, cap. 6. Whistonus hæc loca non adduxit.

(14) Jo. Fellus, Cestriensis in Anglia episcopus, eruditione et fama maxime clarus, in *Adnotationibus in Nemesium, de natura hominis*, pag. 3 editionis Oxoniensis.

(15) Whiston. in *his primitive Christianity*, vol. IV, pag. 126.

(16) Hieronymus *De viris illustribus*, cap. 24.

(17) In *Actis SS.* Antwerpiensibus. Apr. 1, pag. 11, *Clavus* legitur, quem operarum errorem fideliter etiam repetit Veneta horum *Actorum* editio nova.

sensu improprio adhibitarum, ad eum fere modum, qualem in *Formula spiritualis intelligentiæ* S. Eucherii Lugdunensis, quæ inter Opera ejus, et in *Bibliotheca Patrum maxima*, tomo VI, exstat, legere licet. *Clavis* vocabuli, quod in inscriptione operis hujus adhibetur, significatum discas velim ex ipso Melitone, qui, *Clavis* suæ cap. 9, ita vocis hujus metaphoricæ explanavit sensum :

« *Clavis, adapertio spiritualis.* In Evangelio [11] : *Accepistis clavem scientiæ, ipsi non introistis ; et eos qui introibant prohibuistis.* Item *Claves, justitiæ, misericordiæ, pietatisque virtutes.* In Evangelio [12] : *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

« *Clavis, apertio sacrarum Scripturarum*, vel, *potestas ligandi atque solvendi* seu, *jus introducendi ad vitam, sive excludendi ad mortem.* Sicut per Isaiam [13] de Salvatore dicitur : *Dabo clavem domus David super humeros ejus, et aperiet, et non est qui claudat.* Et in Apocalypsi [14] : *Habeo claves mortis et inferorum.* »

Exstare enim adhuc,et in bibliothecis inedit:m delitescere hoc Melitonis egregium opus, *Bibliothecæ Patrum maximæ* (18) Lugdunensis editores pariter, ac Labbeus (19) testantur non modo ; sed et tuto asserere possum ipse, utpote qui pretiosi hujus antiquitatis monumenti, in itineribus meis factus sum compos, quique illud aliquando cum orbe litterato communicare constitutum habeo*, licet facile prævideam, malevolum atque immodestum censorem quemdam, qui symbolas suas ad *Bibliothecam Hallensem* confert, id mihi quoque oppositurum esse,quod inter alia injusta minusque fundata objecit nuper, cum presbyterorum et diaconorum Achaiæ epistolam encyclicam de martyrio S. apostoli Andreæ ex mss. ederem ; tanti scilicet vel ideo non esse opusculum, quoniam Grabius in *Spicilegio* suo in lucem publicam illud non protraxerit (20). Bella sane ratio, quasi vero unicus Grabius omnes in bibliothecis Anglicanis latentes thesauros eruere vel voluerit, vel potuerit. Claudantur igitur immensi isti manuscriptorum codicum, quibus bibliotheca Bodleiana superbit, thesauri a Grabio nunc penitus exhausti ; omnibusque harum deliciarum scrutatoribus post mortem eruditi hujus viri dictum nunc esto illud : *Non plus, non ultra.*Sed transeant hæc cum cæteris erroribus.Redeo potius ad Melitonis *Clavem*, addoque, me illius, aut Latinum saltem, servare exemplum, quod ex duplici codice, altero Claromontano, altero Mesmiano, ad calcem Bibliorum Theodulphi Aurelianensis episcopi, codice mille circiter annorum descripserat eruditissimus Mich. Lequien, Grabioque transmiserat. Editurum se hoc quantivis pretii monumentum, cum emendationibus Jac. Sirmondi, promiserat, a quo tam multa alia exspectabat orbis litteratus, nomine et omine Magnus Crusius (21), morte non ita pridem exstinctus, mihique post fata quoque colendus, præceptor, qui tamen jura sua, dum viveret, facile mihi cessit. Divisum autem est Melitonis hoc sat magnum opus in varia capita, quorum en tibi syllabum : cap. 1, sine titulo in utroque codice apparet, et membra Deo Patri in Scriptura S. per ἀνθρωποπάθειαν tributa quid significent, exponit, quod infra inter fragmenta, speciminis loco, dabo. Cap. 2, *de Filio Dei secundum carnem* inscribitur, et quid Christo ascripta membra notent, docet. Cap. 3, agit *de supernis creaturis.* Cap. 4, *de diebus, annis, et temporibus.* Cap. 5, *de numeris.* Cap. 6, *de mundo et partibus ejus.* Cap. 7, *de lignis infructuosis.* Cap. 8, *de diversis homi-*

[11] Luc. XI, 52, [12] Matth. XVI, 19. [13] cap. XXII, v. 22. [14] cap. I, v. 18.

(18) *Bibliothec. PP. maxim.*, tom. II, part. II, fol. 212, in addita notula : Liber etiam ejusdem, qui *Clavis* a S. Hieronymo inscribitur, manuscriptus reperitur in Bibliotheca PP. S. J. Parisiis, si tamen germanus sit fœtus. Ericus Benzelius in epistola quadam inedita ad Gabium : « Melitonis Asiani, secundi sæculi Patris, liber, *Clavis* dictus, ms. exstat in vetustissimo codice membranaceo collegii Ludovici Magni, vel si mavis Claromontani, PP. Jesuitarum ; illud enim nomen accepit collegium istud, postquam

Sustulit hinc Jesum, posuitque insignia regis
Impia gens, alium nescit habere Deum.

Describerem lubentissimus, nisi temporis angustia premeret. »

(19) Philipp. Labb., tom. II *Bibliothecæ*, p. 87, et in *Nova Bibliotheca mss. librorum, s. specimine antiquarum lectionum Latinarum et Græcarum in 4 partes tributarum*, Paris. 1653, 4, part. II, p. 21 : « *Clavis sacræ Scripturæ*, Mileto seu Melitone, Asiano, ut volunt, episcopo auctore. » Ex codice mss. collato cum appendice ad biblia fere aurea Theodulphi Aurelianensis episcopi, quæ quantivis pretii exstant in bibliotheca Memmiana ante octingentos, et quod excurrit, annos descripta elegantissimo charactere. In Catalogo tamen Bibliothecæ illustriss. domini de Mesmes, in senatu Parisiensi præsidis infulati, qui in Bern. de Montfaucon *Bibliotheca Bibliothecarum manuscriptorum nova*, tom. II, fol. 1326-1330, exstat, altum de Bibliis Theodulphi et Melitone silentium.Nec mirum : ab imperitissimo enim κονιστικῷ hæc manuscriptorum Memmianorum consignatio fuit confecta, quem non aliter versari deprehendes, quam ut talia dicat de codicibus : « Un livre sur velin ; deux volumes d'anciens poètes, velin ; un viel poète, in-4, velin ; cinq autres manuscrits in-4, papier ; quatre manuscrits in-folio, dont trois sur velin et un en papier, etc. » Ne Œdipus posset divinare. Debuisset et illud adhuc addere scilicet, an asseres, qui codices cohibent, abiegni an querceï, crassi an tenues sint : et ex quo corio, an bovino, an vitulino, an suillo, ligatura exterior constet, et sic dixisset omnia, quæ de codd. nosse parum refert.

(20) Vide *Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek*, 22 *stuck*, pag. 360, not. 1.

(21) Crusius in *Dissert. epistolica ad Chr. Wormium*, pag. 13.

* Hoc, morte præventus, non præstitit. *Clavis* textum integrum ex codice Argentinensi nuper edidit D. Pitra in tomo II *Spicilegii Solesmensis*. Paris., 1852, in-4, ap. Firmin Didot EDIT.

num appellationibus. Cap. 9, *de variis ædificiorum vocabulis* : in quo tamen capite longe plura tractantur. Cap. 10, *de metallis et aliis, sive his quæ ex metallis fiunt.* Cap. 11, *de instrumentis bellicis et militia.* Cap. 12 *de animalibus.* Cap. 13, *de bestiis et cæteris animantibus.* Huc usque cod. Mesmianus. Nota, ea, quæ hoc capite tractantur, in plures possunt adhuc dividi sectiones : agitur enim præterea quoque de aqua et mari, de nominibus provinciarum, regionum et civitatum de piscibus et fluminibus. In altero codice sequuntur adhuc alia capita : Cap. 14, *de civitatibus sive provinciis.* Cap. 15, *de fluminibus et piscinis.* Cap. 16, *de populis et gentibus.* Cap. 17, *de nominibus Hebraicis.* Sed hoc jam satis de hac *Clave.*

§ XX. *De libro* Περὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου.

Quid in libro Περὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου egerit noster, non constat tuto. Clarissimus Millius (22) credit, eum integro commentario illustrasse Apocalypsin, quæ probabilis admodum et mihi videtur conjectura. Poterit proin le vel ex titulo hujus libri Joannes verus Apocalypseos auctor Melitonis etiam testimonio, comprobari : constat enim de auctore Ἀποκαλύψεως multum jam dubitatum fuisse a veteribus, eamdemque a Cerintho, hæresiarcha, scriptam asseruisse vetustum apud Eusebium (23) auctorem, quem Dionysius (24) Alexandrinus refellit, dubitans tamen adhuc, utrum Joannes apostolus, an quisquis alius hujus nominis Apocalypseos auctor sit. Porro Justinum quoque et Irenæum, circa eadem tempora, Apocalypsin interpretatos esse, Hieronymus (25) testatur. Cumque ad divinam hanc revelationem crebro provocent Chiliastæ, non improbabile mihi videtur, Melitonem, in eamdem commentarium scribentem, cum aliis quoque hujus sæculi Patribus, Chiliasmum in eodem asseruisse, non illum quidem crassum, sed mitiorem. Ulterius exinde et hoc patere videtur, Melitonem per angelum Ecclesiæ Sardis, ad quem quintam Joannis epistolam, cap. III, 1-6, datam legimus, non posse intelligi, ut quidam, quos in priori dissertatione, § 14, aliis argumentis refutavi, contendunt ; quis enim credat, Melitonem in propriam turpitudinem commentarium condidisse ? Tandem hoc quoque moneo, in insigni Bibliotheca Ienensi *Commentarium Apocalypticum* nomine Melitonis perantiqua membrana scriptum haberi, quem illum ipsum librum *De Apocalypsi* putat Jo. Gottfr. Olearius (26).

§ XXI. *De libro* Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ.

De libro Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, qui inter omnes, quos noster scripsit, exsistit maxime celebris, plurima disserere possem, utpote qui in causa esse videtur, cur venerabile Melitonis nomen in catalogo hæreticorum compareat hodie. Ast cum peculiari schediasmate, de Melitonianorum hæresi, et Melitone ex hæreticorum classe eximendo, agere constituerim, hæc omnia jam mittam, illudque nunc unice notabo, auctores in Latine reddendo titulo hujus libri valde esse diversos. Ruffinus *De Deo corpore induto* vertit, seu, ut loqueretur fortasse Tertullianus, *corporato.* Sixtus Senensis, Περὶ ἀσωμάτου Θεοῦ legens, dixit, eum in illud Geneseos : *Faciamus hominem*, scripsisse librum unum *De Deo in corpore.* Valesius, Bollandus (27), Ceillier aliique reddiderunt *De Incarnatione*, Christophorsonus. Caveus (28), Dupinius (29), Steph. Lemoyne (30), Suicerus (31), *De Deo incarnato.* Versioni Valesianæ libens subscriberet Tillemontius, nisi Theodoreti et Gennadii obstaret auctoritas, quorum ille (32) ex Origene affert locum, ubi Melito iis diserte adnumeratur, qui imaginem Dei in corpore hominis consistere affirmarunt, diciturque eum commentarios reliquisse Περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεόν, *De eo quod Deus sit corporeus* : hic (33) vero tradit, Melitonem et Tertullianum corporeum quid in Trinitate credidisse, licet uterque ex classe Anthropomorphitarum eximatur expresse a Gennadio. Sed in hæc omnia jam non inquiram, id saltem adhuc addens, Hieronymum, in indiculo suo librorum a Melitone editorum

(22) Millius, *Prolegom. in N. Testam.* num. 226.

(23) Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 28.

(24) Apud eumdem Euseb. *Hist. eccles.* lib. VIII, cap. 25.

(25) Hieronymus in *Catalogo scriptorum ecclesiast.* cap. 9.

(26) Olearius in *Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum*, pag. 483.

(27) Bollandus in *Actis SS.* mens. April. tom. I, pag. 11 : « In libro Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, quem *De incarnatione Dei* cum aliis interpretati sumus, ostendit Dionysius Petavius, lib. II *Theologicorum dogmatum*, cap. 1, impingi ab Origene opinionem Melitoni, quasi senserit, aut saltem disputarit, Deum esse corporeum. »

(28) Caveus *Script. eccles. hist. litter.* pag. 42 : Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, *De Deo* (non corporeo, sed) *corporato*, seu *corpore indulo*, ut olim Ruffinus reddidit.

(29) Dupin in opere : *Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques*, pag. 63, not. c : *De Dieu incarné.* En grec Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ. D'autres expliquent ce passage autrement, et ont cru qu'il avait tenu que Dieu était corporel, mais la propre signification du mot grec est celle que nous lui avons donnée. Origène, cité par Théodoret, question 20 *in Exodum* (*in Genesin* debebat esse), dit que Méliton avait laissé un livre Περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι Θεόν, que Dieu était corporel, ce qui revient à l'autre sens. »

(30) Le Moyne in *Var. sacr.* pag. 199.

(31) Suicerus in *Thesaur. eccles.* tom. II, fol. 1122.

(32) Theodoretus, *Quæstion. in Genesin.* XX, operum tom. I, pag. 21. Edit. Sirmondi.

(33) Gennadius Massil. *De ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 4. *Nihil corporeum*, ut Melito et Tertullianus : *nihil corporaliter effigiatum* ut Anthropomorphus et Vadianus : *nihil sibi invisibile a creaturis*, ut Origenes.

retinuisse Græca Eusebii verba, incertum sine dubio, quomodo Melitonis mentem absque hæreseos suspicione exprimat Latine. Hæc omnia probare poterunt, nostrum ob hoc scriptum non fuisse statim a veteribus hæreticum reputatum. Quid si spem fecero, me his ipsis plagulis Melitonis libellum *De Deo corporato* forte exhibiturum, et ex ipsamet libelli inspectione benevolum Lectorem convicturum esse, Melitonem a gravi hoc errore abfuisse quam longissime.

§ XXII. *De Apologia S. Melitonis.*

Ad ejus *Apologiam*, seu τὸ Πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον nunc venio: sic videtur inscripta fuisse hæc Apologia pro Christianis ad imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, cognomine Philosophum, qui ab annis Christi 161 usque ad 180 imperio Romano præfuit, et per 9 priores annos cum Lucio Vero, fratre, imperium commune habuit. Βιβλίδιον dicitur ideo, quod proprie esset libellus precum et supplex imperatori oblatus, non vero longior integraque dogmatum Christianorum ab objectionibus et calumniis gentilium vindicatio, ut patet vel ex ipso illius fragmento, quod profert Eusebius: Ταύτην δέ σόι μόνην προσθέρομεν δέησιν. Idem etiam fuit titulus Apologiæ Justini Martyris, ut ex fine posterioris *Apologetici* ejus constat, ubi sic loquitur (34): Καὶ ὑμᾶς οὖν ἀξιοῦμεν ὑπογράψαντας τὸ ὑμῖν δοκοῦν, προθεῖναι τουτὶ τὸ βιβλίδιον, « Quapropter vos rogamus, ut superscribentes quod vobis placet, libellum hunc proponatis. » Occasionem hujus scribendæ Ἀπολογίας ipsi subministrabat quinta sub imperatoribus istis in Christianos agitata persecutio. Cum enim ab Hellade ab Asiam minorem transiisset tragœdiarum Gallicarum fama, et cum fama rabies in Christianos; nova regionibus istis, iniquorum magistratum et proconsulum furore, orta tempestas occasionem dedisse videtur *Apologiis* Melitonis et Apollinaris, uno eodemque scriptis. An ipse, itinere Romam instituto, imperatori obtulerit *Apologiam* suam Melito, quod ex phrasi ἐπέδωκε, qua usus est Eusebius in *Chronico*, et quam in versione sua pariter ac in *Catalogo virorum illustrium* retinuit quoque Hieronymus, colligit Tillemontius, certo non constat: id tamen extra dubitationem positum videtur, fuisse hoc ultimum Melitonis scriptum, quo bene de Ecclesia meruit; nam, cæteris recensitis libris ἐπὶ πᾶσι, inquit Eusebius, καὶ τὸ Πρὸς τὸν Ἀντωνῖνον βιβλίδιον; quod, quo demum imperatoris anno oblatum sit, paucis nunc erit videndum. Si *Chronicon* Eusebii evolvamus, sequentia ibi memoriæ tradita deprehendimus (35); ΟΛ, ΣΛΖ'. Ι. ΡΟΑ'. ΚΛΑΡΟΣ ΤΟ Β' ΚΑΙ ΚΕΘΗΓΟΣ, Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος τῆς Λυδίας βιβλίον Ἀπολογίας Ἀντωνίνῳ ὑπὲρ Χριστιανῶν ἐπέδωκε, eam scilicet traditam esse, Claro et Cethego coss. Olympiade ccxxxvii, quæ, debita chronologorum instituta computatione, annis post Christum natis 169-172 respondet, et in decimum Aurelii Antonini annum incidit. Eadem habet Chronici Alexandrini auctor (36). Quin ex ipsis, quæ supersunt hodie *Apologiæ* hujus fragmentis, cum veritatis quadam specie colligendum est, eam ante annum 170, qui est Aurelii Antonini 10, quo mortuus jam erat Lucius, non fuisse oblatam. Aliter enim certe illam Lucio pariter ac Marco Aurelio Antonino inscripsisset, præsertim cum in ea ageret imperii parte, quæ ad Lucii ditionem pertinebat potius, quam ad Antonini; nec dixisset, faustum Antonino imperium ominatus, μετὰ τοῦ παιδός, sed omnino μετά τοῦ ἀδελφοῦ. Porro, unius saltem filii imperatoris mentio fit; habuit autem Antoninus duos, Annium Verum, et Commodum, quorum prior anno 170 fatis cesserat. Rursus, Commodus, cui felix precatur imperium, tribunitiæ potestatis jam tum fuisse videtur, cum hæc scriberet Melito, quam demum obtinuit anno 170. Hæc, inquam, omnia probabili satis conjectura evincunt, hanc *Apologiam* non fuisse ante annum imperatoris decimum consignatam. An autem eum Tillemontio (37) ulterius procedendum, tempusque traditi libelli supplicis anno demum 175 figendum sit, in medio relinquam; attamen non videtur omni exceptione major sententia probe pensitata. Sane Commodus consors imperii nondum factus videtur cum hæc scriberet Melito, alias nomen ejus non prætermisisset in titulo; nec ipsi ominari potuisset imperium, quod jamjam tenuisset, si tuta foret Tillemontii conjectura; hoc autem cum faciat in *Apologia* sua noster, innuit simul, eum tunc nondum fuisse imperatorem. Dupinii (38) hic obiter notandus error, quem tamen typothetarum potius vitium credo, qui traditam nostri *Apologiam* fuisse scribit anno 182, quo dudum mortuus erat imperator. Referunt porro Historiæ sacræ scriptores, Marcum Antoninum, Melitonis aliorumque Christianorum supplicationibus permotum, scripsisse epistolam *ad commune Asiæ*, Πρὸς τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας, qua

(53) Justin. Martyr. *Apolog.* II *pro Christianis*, cap. 14, pag. 35, edit. Hutchin. seu potius Grabianæ, Oxon. 1703.

(35) Euseb. in *Chronico*, lib. post. pag. 214, edit. Scalig. Amst. 1658.

(36) In *Corpore Byzantino* obvius, tom. III, fol. 206, edit. Venet. Σλς' Ὀλυμπιὰς, ς'. Ἰνδ. γ'. Ὑπ. Ὀρφίτου καὶ Πούδεντος. Nota, nondum absolutam Eusebius, absolutam vero Olympiadem numerat Alexandrinus, atque ita subdit, postquam de Justini Martyris et Crescentis *Apologiis* dixerat: Ἀλλὰ καὶ Μελίτων, Ἀσιανὸς, Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος, βιβλίον Ἀπολογίας ἔδωκε τοῖς λελεγμένοις βασιλεῦσι, καὶ ἕτεροι δέ πολλοί.

(37) Tillemont, *Mémoires pour servir à l'Hist. ecclés.* cit. loc. nota 2: S. Méliton a écrit son *Apologie* après 169, et peut-être même après 175.

(38) Dupin, *Bibliothèque des auteurs ecclésiast.* tom. I, pag. 63: « Méliton fleurit sous l'empire de Marc-Antonin, il représenta sa Requeste la deuxième année de cet empereur, c'est-à-dire la 182 de la Naissance de Jésus-Christ. » Conf. Dan. Larroquani *Adversaria sacra*, pag. 646.

vetabat, ne quis imposterum Christianos religionis suæ causa calumniaretur. Exstat hujus epistolæ duplex versio Græca, altera apud Justinum Martyrem (39), altera apud Eusebium (40), uterque tamen eamdem Antonino Pio tribuit, quod Valesius (41) et Kortholtus (42) notarunt, Chronici Alexandrini auctorem laudantes, quippe qui recte animadverterit, epistolam illam non Antonino Pio, sed Marco potius esse tribuendam. Cæterum in ipso hujus epistolæ textu tanta inter Eusebii exemplar et illud Justini *Apologiæ* subnexum occurrit discrepantia, ut Jo. Clericus (43), pro more suo, totam rem pia fraude confictam credat. Duplex hujus *Apologiæ*, quæ ætatem nostram non tulit, exstat fragmentum : unum apud Eusebium, alterum apud Chronici Alexandrini sæpius jam citatum auctorem, quod utrumque apponam infra.

§ XXIII. *De* Ἐκλογῶν *libris sex.*

Superest ut de *Excerptorum* sive Ἐκλογῶν libris quædam adhuc dicam. Erasmus (44) ad titulum hujus operis observat, eum recte omnino scribi per κ, non per γ, *Eclogarum, Eglogarum*, quanquam in his parum conveniat inter exemplaria Latina. Precibus Onesimi cujusdam composuit hos libros Melito, qui pro amore ac studio suo erga verbum Dei, sunt verba Eusebii (45), sæpius a nostro postulaverat libros Veteris Testamenti accurate cognoscere ; quot numero, et quo sint ordine conscripti, quem præterea magno fidei ardore et magna discendi cupiditate flagrasse scribit, et de quo compertum habebat, quod ob amorem Dei ista rebus mundanis omnibus anteferat, salutisque æternæ obtinendæ causa fortiter decertet unice. Præclarum sane encomium : et, si a laudatis laudari demum laus est, non possumus utique aliter, quin de singulari pietate et egregia Onesimi indole sentiamus optima quævis, ejusque memoriam venerabundi semper recolamus. Itinere itaque in Orientem instituto, Veteris Testamenti libros diligenter non modo didicit Melito, eorumque indicem Onesimo suo misit ; verum etiam ex divinis istis scriptis excerpta insuper collegit, in sex libros distributa, ut ipe testatur apud Eusebium, ἐξ ὧν, inquiens, καὶ τὰς Ἐκλογὰς ἐποιησάμην, εἰς ἓξ βιβλία διειλών. Ex floribus mei sugunt apes, venenum viperæ ; quid igitur ex lege et prophetis excerpserit noster, si quæratur, ipsa iterum Sardiani verba responsioni inservire poterunt, quibus palam fit, eum τὰ περὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ πάσης τῆς πίστεως ἡμῶν, ea, quæ ad Servatorem et ad universam fidem nostram pertinent,in gratiam Onesimi sui collegisse, quem simplicem pauperemque laicum, non κράτιστον Θεόφιλον quemdam, fuisse, nonnulli (46) credunt ideo, ut promptum Melitonis infimæ etiam sortis hominibus inserviendi animum eo majoribus extollant laudibus. In medio tamen relinquimus horum conjecturam, id saltem adhuc addituri, hos *Eclogarum* libros mihi non videri ultimum a Melitone conscriptum opus, licet potiori loco in librorum serie ab Eusebio non fuerint comprehensi, sed post omnes, interjectis quibusdam aliis, recenseantur, appendicis quasi loco, cujus rei hanc fuisse causam conjicimus, quod non tam ingenii opus censuerit, quam laboris. Fragmentum insigne et in Historia sacra maxime celebre superest hodie ex libris hisce cæteroquin deperditis.

§ XXIV. *Observatio de libris Melitonis contra hæreses.De libro* Περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ.

Quando præter hos Eusebio commemoratos libros Hieronymus (47) præterea mentionem facit multorum voluminum, quibus origines hæresium singularum explicaverit, et ex quibus philosophorum frontibus emanaverint singulæ ; hoc non de peculiari quodam atque voluminoso opere intelligas velim, sed generatim de omnibus Melitonis scriptis dictum puta, utpote quæ fere omnia, ut vidimus hactenus, hæresi cuidam fuerunt opposita. Scripsit tamen præterea noster, ut observavimus supra, alios adhuc libros inter quos referendi sunt Anastasio Sinaitæ commemorati duo, alter *De passione Domini*, alter *De Incarnatione Christi* Περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ, quem posteriorem quoque inter scripta Melitoniana recepit Caveus (48), nonens insuper, opus istud a libro Melitonis, Περὶ Θεοῦ ἐνσωμάτου diversum esse censendum, utpote quod non in unum, ut ille, sed in plures divisum fuerit libros, et ex quorum tertio fragmentum attulit insigne, ab Anastasio asservatum. Contra Marcionem scriptus erat hic liber, qui divinitatem Christi in carne negavit, et Melitonis hac in parte doctrinam scripto edito oppugnaverat.

XXV. *De transitu Mariæ liber.*

Spurius tamen est liber, qui *De transitu beatæ Mariæ virginis* sub ejus nomine circumfertur, et qui

(39) Apud Justin. Mart. ad calcem prioris *Apologiæ*, pag. 135.

(40) Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 13, et in *Chronico Alex.* ad annum 169.

(41) Valesius in *Not. ad Euseb.* lib. IV, cap. 26.

(42) Kortholtus in *Adnotationibus quibus varia Justini M. dicta illustravit.* pag. 51.

(43) Clericus in *Historia eccles. duorum primorum sæculorum*, pag. 731, et dans la *Biblioth. ancienne et moderne*, tom. VI, pag. 412. Confer Barater. l. c. pag. 199.

(44) Erasmus in *Notis ad Hieronymi Catal.*

(45) Euseb. *Hist. eccles.* lib. (v, cap. 26.

(46) Tillemont (*Mémoires*, etc., c. l.) : « C'estoit apparemment un simple laïque, quoique le Saint voulût bien entreprendre de grands voyages et des ouvrages fort longs à sa considération ; parce que la charité, qui est toujours humble, est prête à obéir en tout aux moindres personnes.»

(47) Hieronym. *Epist.* 80. quem locum supra exhibuimus.

(48) Caveus, *Histor. litter.*, pag. 43.

in quibusdam codd. mss. etiam sub titulo *De assumptione Mariæ*, sive *De obitu Mariæ*, sive aliis adhuc titulis venire solet. Antiquus quidem est liber, ast certe adulterinus, et Gelasii jam censura in synodo Romana sic proscriptus (49) : « Liber, qui appellatur *Transitus*, id est *Assumptio beatæ Mariæ*, apocryphus. » Venerabilis Beda (50) illius tanquam spurii atque suppositilii scripti meminit multis, variaque contra veritatis speciem conficta exinde profert, hic omnino videndus. A quo fuerit scriptus libellus cum non dicatur, sine auctoris titulo ipsum editum fuisse existimanus cum Baronio (51), cui postea otiosus quispiam præfixerit speciosum titulum Melitonis Sardensis episcopi. Editus est sæpius Latine in Bibliothecis Patrum, v. c. : in *Bibliotheca Patrum et veterum auctorum ecclesiasticorum*, quæ Parisiis per Margarinum de la Bigne, D. Sorb., 1624, tomis X prodiit, et editio quarta dicitur, tomo VII, fol. 580 ; item in maxima illa collectione, quæ 27 voluminibus Lugduni 1677, post Bigneam et Coloniensem supra centum auctoribus et opusculis hactenus desideratis locupletata edita fuit, tom. II, parte II, pag. 212, et in *Bibliotheca concionatoria* Combefisii, tomo VII, pag. 646. Additur tamen semper, hunc libellum in Hispanico indice librorum expurgandorum (52) juberi expungi a cap. 8 ad finem, quia in eo scripta habeantur tanto viro indignissima, et ejusmodi, quæ apostolorum Actis repugnent, quod plurimus argumentis demonstrarunt ulterius Rivetus (53), Nourrius (54), Natal. Alexander (55), Lambecius (56), aliique ; ita ut mirum errorem erraverit omnino Trithemius, qui, ut vidimus supra, illum inter genuinas Melitonis lucubrationes adnumeravit.

OPERUM DEPERDITORUM S. MELITONIS FRAGMENTA.

Sed jam ad fragmenta, quorum hactenus memini obiter, recitanda progredior. Consentientibus omnibus æquis Christianæ antiquitatis censoribus, utile semper fuit reputatum eorum institutum, qui in colligendis deperditorum librorum fragmentis, hinc inde apud auctores obviis, fuerunt studiosi. Grabius hoc nomine *Spicilegio* suo *patrum, ut et Hæreticorum sæc.* I, II, III, de orbe litterato meruit egregie ; sed nihil apud eumdem de Melitone nostro occurrit. Laudanda hac ex parte maximopere est Halloixii opera, qui Melitonianorum fragmentorum diligentissimus omnium exstitit collector, eruditosque insuper omnes ita est obtestatus : Si quis præter hæc nancisci aliquid novum possit, det, amabo, in publicum, et bene de Ecclesia merebitur ; talium enim virorum scripta, sanctarum instar reliquiarum sunt. Cum igitur mihi liceat esse tam felici, ut longe plura, quam ille habet, hic apponere possim fragmenta, iisdem hic simul exhibitis claudam præsentem scriptiunculam, id diligenter adnotaturus, a quibus ista fuerint ab interitu servata, et quæ nova sint, quæ vero jamjam habeat Halloixius.

§ I. *Fragment. ex lib. De Paschate.*

Fragmentum primum ex ejus libris, quos *De Paschate.* confecit, desumptum est, atque apud Eusebium, *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 26, pag. 189, editionis Readingii, exstat. De eo ita præfatur Cæsariensis : Ἐν μὲν οὖν τοῖς περὶ τοῦ Πάσχα, τὸν χρόνον, καθ' ὃν συνέταττεν, ἀρχόμενος σημαίνει ἐν τούτοις· « In libro *De Pascha*, tempus ipsum, quo scribebat, in principio operis sui designat his verbis : »

Servilio Paulo Asiæ proconsule, quo tempore Sagaris martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Pascha-

Ἐπὶ Σερουϊλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σέγαρις (57) καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ Λαοδικείᾳ περὶ τοῦ Πάσχα (58), ἐμπεσόντος

(49) Vide Fontanium in *Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruscorum*, p. 328, ubi decretum istud Gelasii accurate exhibetur.

(50) Beda, in *Retractione in Acta apostol.* cap. 8. quem locum etiam exhibet Nat. Alex. c. I., p. 298.

(51) Baron. *Annal. ad ann.* 48, sect. 12.

(62) Ad manus fuit Antonii a Sotomaior *Index librorum prohibitorum et expurgandorum novissimus pro catholicis Hispaniarum regis Philippi IV*, qui Madriti 1667, in-fol. prodiit, ibique, B. III Class. p. 151, sequentia inveni : Col. 1511, post præfat. adde : « Opus apocryphum, et falso inscriptum Melitoni. » Col. 1514, littera B. post illa verba : « Cum eis Paulus, » dele usque ad « Ex circumcisione conversus, » exclusive. Col. 1515, litt. A, post illud : « Vos huc adduxit, » dele usque ad : « Nunc ergo deprecor, » exclusive. Eadem col. lit. D. dele cap. 8, et sequentia capita usque ad finem operis, exceptis adnotationibus. Citatur editio Parisiana 1589.

(53) Rivetus in *Critico sacro*, lib. II, cap. 7, p. 204, et in *Apologia pro virgine Maria*, lib. I, cap. 21.

(54) Nic. Le Nourry in *Apparatu ad Bibliothec. PP. max.*, lib. II, diss. 5, fol. 558.

(55) Nat. Alex., *Hist. eccles.* tom. III, p. 298, ubi erudita lectuque dignissima dissertatio *De libro Melitoni affecto, qui inscribitur, de transitu Virginis*, exstat, ob quam a censoribus suis multum fuit castigatus.

(56) Lambecius, *Bibliothecæ Vindobon.* tom. VIII, fol. 161 et 189.

(57) Sagaris, cujus hic mentio fit, episcopus Laodicenus fuit, et in persecutione M. Aurelii Antonini martyr obiit, de quo confer Ruinartum in *Actis martyrum sinceris*, p. 29. edit. Amstel. 1713, fol.

(58) De controversia ista supra, ad titulum libri *De Paschate*, nonnulla fuerunt dicta. Plura qui de ea scire voluerit, adeat Jacobum Usserium in *Diss. de Ignatii epistolis*, cap, 14, p. 95, quam editioni suæ longe rarissimæ Epistolarum Polycarpi et Ignatii, Oxon. 1644, in-4, præmisit ; Jos. Binghamum in *Originibus sive Antiquitatibus ecclesiasticis*, vol. IX, p. 89 ; Joh. Andr. Schmidium, in *Historia festorum et Dominicarum*, p. 123 ; Ge. Henr. Goe-

κατὰ καιρὸν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις (59) καὶ ἐγράφη ταῦτα.

A li, quæ tempestive in illos dies inciderat. Quibus etiam diebus hæc a nobis perscripta sunt.

Videtur hoc fragmentum, quod apud Ruffinum (60) et Nicephorum (61) quoque invenies, initium esse ipsius operis ; quo scribendi occasionem accurate exponit. Exhibent istud Halloixius, Tillemontius, Benthemius.

§ II. *Fragmenta ex Apologia Melitonis.*

Alterum fragmentum Eusebius cit. loc. iterum dabit, quod ex *Apologia* ad Marc. Aurel. Antoninum imp. nonnulla, ast quantivis pretii, κλασματα sistit, de quibus, ita Eusebius : Ἐν δὲ τῷ πρὸς τὸν αὐτοκράτορα βιβλίῳ τοιαῦτά τινα καθ' ἡμῶν ἐπ' αὐτοῦ γεγονέναι ἱστορεῖ· « Jam vero in eo libro quem imperatori nuncupavit, talia quædam adversus nos sub illo facta esse memorat. »

Τὸ γὰρ οὐδεπώποτε (62) γενόμενον, νῦν διώκεται τὸ τῶν θεοσεβῶν γένος, καινοῖς ἐλαυνόμενον δόγμασι (63) κατὰ τὴν Ἀσίαν (64). Οἱ γὰρ ἀναιδεῖς συκοφάνται καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρασταὶ τὴν ἐκ τῶν διαταγμάτων ἔχοντες ἀφορμὴν, φανερῶς λῃστεύουσι, νύκτωρ καὶ μεθημέραν διαρπάζοντες (65) τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας.

Quod enim nunquam antea factum fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores et alienarum opum cupidi, ex editis occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur spoliantque homines innoxios.

Καὶ μεθ' ἕτερα φησί·

Καὶ εἰ μὲν σοῦ κελεύσαντος (66) ταῦτα πράττεται, ἔστω καλῶς γενόμενον. Δίκαιος γὰρ βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀδίκως βουλεύσαιτο πώποτε· καὶ ἡμεῖς ἡδέως φέρομεν τοῦ τοιούτου θανάτου τὸ γέρας. Ταύτην δέ σοι μόνην προσφέρομεν δέησιν, ἵνα αὐτὸς πρότερον ἐπιγνοὺς τοὺς τῆς τοιαύτης φιλονεικίας ἐργάτας (67) δικαίως κρίνειας (68), εἰ ἄξιοι θανάτου καὶ τιμωρίας, ἢ σωτηρίας καὶ ἡσυχίας εἰσίν. Εἰ δὲ καὶ παρὰ σοῦ μὴ εἴη ἡ βουλὴ (69) αὕτη καὶ τὸ καινὸν τοῦτο διάταγμα· ὃ μηδὲ κατὰ βαρβάρων πρέπει πολεμίων· πολὺ μᾶλλον δεόμεθά σου, μὴ περιΐδεῖν ἡμᾶς ἐν τοιαύτῃ δημώδει λεηλασίᾳ.

Quod si hæc tuo jussu fiant, recte atque ordine facta sunto. Neque enim fieri potest, ut justus princeps aliquid unquam injuste constituat : et nos libenti animo ejusmodi mortis præmium ferimus. Unum illud a te petimus, ut cum ejusmodi pertinacia perditos homines per te ipse prius examinaveris, tum deinde pro tua æquitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi ac securi degere mereantur. Sin vero illud consilium atque edictum plane inauditum, quod neque adversus barbaros hostes sanciri decuerat, nunquam a te profectum est, obsecramus te multo magis, ne nos ejusmodi publico latrocinio diutius vexari permittas.

Τούτοις αὖθις ἐπιφέρει λέγων·

Ἡ γὰρ καθ' ἡμᾶς φιλοσοφία (70) πρότερον μὲν ἐν βαρβάροις (71) ἤκμασεν· ἐπανθήσασα δὲ τοῖς σοῖς

Hæc enim philosophiæ secta, quam profitemur, prius quidem viguit apud barbaros ; postea vero,

zium, in *dissertat. De Quartadecimanis ;* summe venerab. Deylingium in *Observat. Miscell.*, p. 41. De tempore litium harum in Ecclesia Laodicena motarum disquirit Baraterius, in *Disquisitione chronologica.* p. 220.

(59) Ita interpunxit et vertit Valesius. Mallem ego distinctionis signum ponere post κατὰ καιρόν, et verba, ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, ad ultima trahere, hoc sensu, controversiam Laodiceæ excitatam fuisse de solemnitate paschali, quæ tunc inciderat juxta antiquam consuetudinem ; hisque etiam diebus ipsis hæc a Melitone perscripta fuisse.

(60) Ruffinus, *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 24.

(61) Nicephorus *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 10, p. 294, tom. I Opp.

(62) Minus accurate in duas voces dividit Readingius οὐδὲ πώποτε. Id novum non dicit Melito, quod Christiani patiantur persecutionem ; sed de eo conqueritur, illudque antea nunquam factum asserit, quod privata inferioris urbium magistratus auctoritate, absque imperatorum aut præfectorum provincialium mandato piorum genus exagitaretur.

(63) Valesius δόγματα de jussis imperialibus interpretatur. Melius B. Schwrzfleischius, apud Fabr. *Biblioth. Gr.* vol. V, p. 184, per δόγματα hæc intelligit præfectorum provincialium edicta. Sed optime, mentique Melitonis maxime convenienter, ex sententia Henn. Dodwelli, in *Dissert. Cyprian.*, p. 265, per δόγματα intelligenda sunt urbium decreta.

(64) Quando in Asia hoc novum fuisse scribit, innuit simul, nec hoc quidem ipsum alibi caruisse exemplis.

(65) Pœnæ itaque capitalis nulla in hac Asiæ persecutione mentio, sed bonorum saltem confiscatio, nostram ulterius confirmat interpretationem.

(66) Quando Melito dubitat, num hæc persecutio ab imperatoribus emanaverit, de occultis procul dubio litteris intelligendus est : dubitare enim non potuisset, si per edicta illam jussisset imperator. Smyrnæ enim aut Ephesi, aut in alia primaria Asiæ civitate propositum fuisset, antequam illud proconsul exsequeretur, mandatum imperatoris.

(67) Hæc verba de calumniatoribus Christianorum non debere intelligi, sed de Christianis potius ipsis, recte observavit Valesius in not. ad h. l. quem vide.

(68) Æolice pro κρίναις.

(69) Urbium decreta in hanc formam concipi solebant : Ἐδόκει τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ.

(70) Φιλοσοφίας vocabulo religionem quoque Christianam a Patribus denominatam fuisse, observavit Suicerus in *Thésauro ecclesiastico*, tom. II, fol. 1441.

(71) Sic nominat Judæos, apud quos primum exorta est Christiana religio. Hinc est quod Porphyrius, apud Eusebium, *Hist. eccles.* lib. VI,

cum provinciarum tui imperii incolis, post principatum felicem Augusti, qui unus ex majoribus tuis fuit, effloruisset, faustum imperio Romano omen exstitit. Ex eo siquidem tempore maximis incrementis aucta est majestas imperii Romani, cujus tu exoptatus successor factus es, et eris una cum filio, si modo tueri velis sectam illam, quæ cum imperio educata, et cum Augusto simul inchoata est, quamque majores tui una cum cæteris religionibus coluerunt. Porro religionem nostram bono publico adolevisse una cum imperio, quod feliciter cœptum fuerat, illud certissimo argumento est, quod jam inde a principatu Augusti nil adversi, sed contra omnia prospera et magnifica ex animi sententia votoque omnium contigerunt. Soli ex omnibus Nero et Domitianus, malevolorum quorumdam consiliis inducti, religionem nostram criminari studuerunt. A quibus deinceps falsa illa adversum nos calumnia manavit ad posteros, ut mos est vulgi, absque ullo judicio hujusmodi rumoribus fidem habere. Verum imprudentiam illorum correxerunt piissimi parentes tui, frequentibus rescriptis objurgantes eos, qui adversus religionis nostræ homines novi quid moliti essent. Inter quos avus tuus Adrianus cum aliis pluribus, tum Fundano Asiæ proconsuli litteras dedit. Pater quoque tuus, quo tempore cuncta cum ipso administrabas, scripsit ad civitates, ne contra nos tumultus excitarent; nominatim ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, et ad universos denique Græcos. Te vero, quippe qui idem quod illi de nobis sentias, imo etiam longe humanius atque sapientius, tanto magis confidimus omnia esse facturum, quæ rogamus.

A ἔθνεσι κατὰ τὴν Αὐγούστου τοῦ σοῦ προγόνου, μεγάλην ἀρχὴν, ἐγενήθη μάλιστα τῇ σῇ βασιλείᾳ αἴσιον ἀγαθόν. Ἔκτοτε γὰρ εἰς μέγα καὶ λαμπρὸν τὸ Ῥωμαίων ηὐξήθη κράτος, οὗ σὺ διάδοχος εὐκταῖος γέγονάς τε καὶ ἔσῃ μετὰ τοῦ παιδὸς (72), φυλάσσων τῆς βασιλείας τὴν σύντροφον καὶ συναρξαμένην Αὐγούστῳ (73) φιλοσοφίαν, ἣν καὶ οἱ πρόγονοί σου (74) πρὸς ταῖς ἄλλαις θρησκείαις ἐτίμησαν. Καὶ τοῦτο μέγιστον τεκμήριον τοῦ πρὸς ἀγαθοῦ (75) τὸν καθ' ἡμᾶς λόγον συναυξάμενον τῇ καλῶς ἀρξαμένῃ (76) βασιλείᾳ, ἐκ τοῦ μηδὲν φαῦλον ἀπὸ τῆς Αὐγούστου ἀρχῆς ἀπαντῆσαι, ἀλλὰ τουναντίον ἅπαντα λαμπρὰ καὶ ἔνδοξα κατὰ τὰς πάντων εὐχάς. Μόνοι πάντων ἀναπεισθέντες ὑπό τινων βασκάνων ἀνθρώπων, τὸν καθ' ἡμᾶς ἐν διαβολῇ καταστῆσαι λόγον ἠθέλησαν Νέρων καὶ Δομετιανός (77). Ἀφ' ὧν καὶ τὸ τῆς συκοφαντίας ἀλόγῳ B συνηθείᾳ περὶ τοὺς τοιούτους ῥυῆναι συμβέβηκε ψεῦδος. Ἀλλὰ τὴν ἐκείνων ἄγνοιαν οἱ σοὶ εὐσεβεῖς πατέρες ἐπανωρθώσαντο (78), πολλάκις πολλοῖς ἐπιπλήξαντες ἐγγράφως ὅσοι περὶ τούτων νεωτερίσαι ἐτόλμησαν. Ἐν οἷς ὁ μὲν πάππος σου Ἀδριανὸς, πολλοῖς μὴν καὶ ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ (79) δὲ τῷ ἀνθυπάτῳ ἡγουμένῳ τῆς Ἀσίας γράφων φαίνεται. Ὁ δὲ πατήρ σου, καὶ σοῦ τὰ σύμπαντα διοικοῦντος αὐτῷ (80), ταῖς πολέσι περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ ἡμῶν ἔγραψεν (81). Ἐν αἷς καὶ πρὸς Λαρισσαίους καὶ πρὸς Θεσσαλονικεῖς καὶ Ἀθηναίους καὶ πρὸς πάντας Ἕλληνας (82). Σὲ δὲ μᾶλλον, περὶ τούτων τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἔχοντα γνώμην καὶ πολύ γε φιλανθρωποτέραν καὶ φιλοσοφωτέραν, πεπείσμεθα πάντα πράσσειν, ὅσα σου δεόμεθα.

Hæc itidem exhibent Ruffinus, Nicephorus. Ex recentioribus, præter Halloixium et Benthemium, illud quoque, Gallice versum, *Historiæ* suæ *generali de Scriptoribus ecclesiasticis* inseruit Ceillierus. Vel ex his deperditi *Apologetici* paucis fragmentis observanda est satis, quin admiranda est, viri sancti præclara modestia et prudentia, tam in judicio suo imperatoris voluntati submittendo et benigne rogando, quam in amolienda ab eodem tantæ in Christianos acerbitatis invidia, atque in alios, auri sacra fame actos, transferenda.

cap. 19, Christianorum sectam appellat Βάρβαρον τόλμημα.

(72) De Commodo loquitur, qui ex his ipsis verbis imperii socius nondum fuisse videtur, cum hæc scriberet Melito, licet contrarium videatur Tillemontio, cujus sententiam supra exposui.

(73) Valesius legit συναυξαμένην Αὐγούστου φιλοσοφίαν. C

(74) Forte designat Tiberii consilium de Christo inter deos referendo; de quo inter alios Tertullianus, in *Apologia*, cap. 5, et Euseb. *Hist. eccles.* lib. II, cap. 2. Conf. *Mystagogi*, i. e. Th. Woolstoni diss. *De Pontii Pilati ad Tiberium epistola, circa res Jesu Christi gestas*, Lond. 1720. Aut templa ex Adriani instituto sine imaginibus collocata, de quibus vide Spartianum in *Vita Alexandri Severi*, cap. 43.

(75) Alia lectio habet καλοκαγάθου.

(76) Male Valesiana editio ἠρξαμένῃ legit.

(77) Tertullianus in *Apolog.*, cap. 5, idem dixit: « Reperietis, inquiens, primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate. Cæterum de tot exinde principibus ad hodiernum, edite aliquem debellatorem Christianorum. Quales ergo leges istæ, quas adversus nos solum exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est: quas nullus Adrianus, nullus Pius, nullus Verus impressit. » Ceillier in not. ad h. l. conferatur, p. 77.

(78) Readingius legit ἐπηνωρθώσαντο, duplici augmento.

(79) Hoc Adriani ad Minucium Fundanum pro Christianis rescriptum legere est apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 8. Ad calcem *Apologiæ* primæ Justini Martyris exhibet illud quoque Grabius, in sua *Apologiæ* hujus editione, p. 134.

(80) Locum hunc ita scribi mavult Valesius: Ὁ δὲ πατήρ σου, καὶ σοῦ τὰ πάντα συνδιοικοῦντος αὐτῷ.

(81) Hoc rescriptum Antonini Pii pro Christianis hodie amplius non exstat. Quod enim Justini M. editores ad calcem *Apologiæ* I, et Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 13, exhibent sub Antonini Pii nomine, Marci Aurelii Antonini est, ut adnotavimus supra, non Pii; ejus tamen mentio fit in edicto Aurelii ad commune Asiæ. Confer omnino Baraterium in *Disquisit. chronol.*, p. 197, ubi novam opinionem circa controversiam de hoc edicto profert, istud scilicet a Pio et Marco conjunctim fuisse datum.

(82) Conf. Dodwellum in *Diss. Cyprian.*, p. 266,

§. III. *Fragm. ejusdem Apologiæ ex Chronico Alex.*

Huic statim subjungam fragmentum ex *Chronici Alexandrino*, quod et Πασχάλιον seu *Chronicon Paschale* vocatur, desumptum. Hujus *Chronici* auctor ad Olympiadis ducentesimæ tricesimæ sextæ annum secundum, indictione tertia, duorum Augustorum, M. Aurelii Antonini et L. Veri anno 6, Orphito et Pudente coss. inter alia hæc notat (83) :

σ λ ς' Ὀλυμπιάς.

ς', Ἰνδ. γ' Ὑπ. Ὀρφίτου καὶ Πούδεντος.

Ἀλλὰ καὶ Μελίτων Ἀσιανὸς Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος βιβλίον Ἀπολογίας ἔδωκε τοῖς λελεγμένοις βασιλεῦσι, καὶ ἕτεροι δὲ πολλοί, ὧν ὁ μὲν ὀηλωθεὶς Ἰουστῖνος μετά τινα ἄλλα, ὧν ἔγραψε, καὶ τοῦτο ἐνέθηκε· Κἀγὼ προσδοκῶ, κ τ. λ. ; et post satis longum ex Justino fragmentum, statim pergit : Μελίτων Σαρδιανῶν ἐπίσκοπος, μετὰ πολλὰ τῶν ἐπιδοθέντων παρὰ τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου, φησίν· « Melito Sardianorum episcopus, post multa ab eodem Justino tradita, sic ait : »

Οὐκ ἐσμὲν λίθων οὐδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταί, ἀλλὰ μόνου Θεοῦ, τοῦ πρὸ πάντων, καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐπὶ [ἴσ. ἔτι] τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ ὄντως Θεοῦ Λόγου πρὸ αἰώνων, ἐσμὲν θρησκευταί.

Non sumus lapidum sensu carentium cultores, sed solius Dei, qui est ante omnia, et in omnibus, et præterea Christi ejus, qui vere est Deus Verbum ante sæcula, adoratores sumus.

Habes hoc quoque fragmentum apud Halloixium, qui tamen incertum habet, e quo sancti viri libro sit. Mihi, antecedentia respicienti, nullum propemodum remanet dubium, quin ex *Apologia pro Christianis* illud credam, qua in conjectura video etiam Tillemontium et Dupinium esse. Observabis porro et hoc ex *Chronici Alexandrini* fide, Melitonem in sua *Apologia* eadem fere dixisse, ac Justinum martyrem in suo *Apologetico* ad Antoninum Pium. Provocat sæpe ad hoc fragmentum Whistonus (84), ob hæresin Arianam Ecclesia Anglicana et Academia Cantabrigiensi ejectus. Sic v. c. probare exinde studet, Deum Patrem unice adorandum, et primario solummodo esse colendum (85). Porro hoc quoque inde exsculpere vult, Christum quoad naturam, attributa et perfectiones divinas Deo Patri multum esse inferiorem(86). Sandius quoque (87) ex hoc loco aperte profitetur, Melitonem circa divinitatem Christi sensisse cum Ario, a quorum calumniis non opus esse censeo ut multis defendam nostrum, qui, Eusebio judice, Christi divinitatem potius in scriptis suis astruxit mirifice, Servatoremque nostrum Deum simul atque hominem verum demonstravit.

§ IV. *Fragm. ex* Ἐκλογῶν *libris.*

Proximum fragmentum, quod ex Ἐκλογῶν proœmio desumptum est, denuo dabit Eusebius, citato loco, ita de eodem præfatus : Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν τῷ δηλωθέντι τέθειται λόγῳ, ἐν δὲ ταῖς γραφείσαις αὐτῷ Ἐκλογοῖς ὁ αὐτὸς μετὰ τὸ προοίμιον ἀρχόμενος, τῶν ὁμολογουμένων τῆς Παλαιᾶς Διαθήκης Γραφῶν ποιεῖται κατάλογον· ὃν καὶ ἀναγκαῖον ἐνταῦθα καταλέξαι ἡγούμεθα, ἔχοντα ἐπὶ λέξεως οὕτως· i. e. « Hæc in supra dicto Melitonis libro (*Apologiæ* scil.) leguntur. Idem in *Excerptis*, ab ipso compositis, universos Veteris Testamenti libros, qui omnium consensu recepti sunt, statim in principio operis recenset. Quem quidem indicem hoc loco apponere necessarium putavi. Sic autem habet ad verbum : »

Μελίτων Ὀνησίμῳ (88(τῷ ἀδελφῷ (89) χαίρειν.

Ἐπειδὴ πολλάκις ἠξίωσας, σπουδῇ τῇ πρὸς τὸν λόγον χρώμενος, γενέσθαι σοι ἐκλογὰς ἔκ τε τοῦ νόμου, καὶ τῶν προφητῶν, περὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ πάσης τῆς πίστεως ἡμῶν, ἔτι τε καὶ μαθεῖν τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων ἐδουλήθης ἀκρίβειαν, πόσα τὸν ἀριθμὸν, καὶ ὁποῖα τὴν τάξιν εἶεν, ἐσπούδασα τό τοιοῦτο πρᾶξαι,

Melito Onesimo fratri salutem.

Cum pro amore ac studio tuo erga verbum Dei, sæpius a me postulaveris, ut excerpta quædam ex lege et prophetis, quæ ad Servatorem et ad universam fidem nostram pertinent, tibi componerem; cumque libros Veteris Testamenti accurate cognoscere concupiveris, quot numero et quo sint or-

ubi ex his ipsis Melitonis verbis probat, edictum sub Pii nomine apud Eusebium, ideo Pii esse non posse, quia sit inscriptum ad κοινὸν Ἀσίας, omnes Asiæ urbes, non vero ad Helladis civitates tantum.

(83) Editionis Parisianæ, quam studio et curæ Caroli Dufresne, Dom. Du Cange debemus, pag. 258, et in *Corpore Byzantino*, tom. III, pag. 206, edit. Venet.

(Whiston in *his Account of the Faith of the two first Centuries, concerning the over blessed Trinity, and the Incarnation of our Lord.*

(85) Artic. 2, pag. 69. Titulus hujus articuli est : *God the Father, and He* alone *is to beprimarily worshipp'd and adord'd ; or in the most propre sense, and in the highest manner : He only being the Objecto of the supreme degree of such divine worship and adoration through Jesus Christi.*

(86) Artic. 8, pag. 184, inscribitur hoc caput : *Jesus Christi, the Word, and son of God, is a divine Being, or Persan, far inferior to his Father in nature, attributes and perfections.*

(87) Sandius in *Nucleo hist. eccles.*, pag. 13.

(88) Nicephor. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 10, Onesiphorum vocavit.

(89) Fratrem vocat, sive quod erant iisdem parentibus nati, sive quod erat Christianus. Tillemontius et qui eum ut plurimum κατὰ πόδα sequitur, sæpe etiam exscribit Ceillier, ll. cc. Christianos primævos se invicem fratrum nomine appellasse, probat Bingham *Origin. sacr.* vol. I. lib. I, cap. 1.

dine conscripti, id perficere omni studio laboravi. Scio quippe quanto fidei ardore, et quanta discendi cupiditate flagres, teque præcipue ob amorem Dei ista omnibus rebus anteferre pro comperto habeo, et æternæ salutis obtinendæ causa decertare.

Ego igitur cum in Orientem profectus essem, et ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc et prædicata et gesta olim fuerunt, Veteris Testamenti libros diligenter didici, eorumque indicem infra subjectum ad te misi. Est autem ejusmodi:

Moysis libri quinque : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium ; Jesus Naves, Judices, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Davidis, Salomonis Proverbia, quæ et Sapientia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Job, prophetarum Isaiæ, Jeremiæ, et duodecim prophetarum liber unus, Daniel, Ezechiel, Esdras. Ex his igitur excerpta collegi, quæ in sex libros partitus sum.

A ἐπιστάμενός σου τὸ σπουδαῖον περὶ τὴν πίστιν, καὶ φιλομαθὲς περὶ τὸν λόγον· ὅτι τε μάλιστα πάντων πόθῳ τῷ πρὸς Θεὸν ταῦτα προκρίνεις περὶ τῆς αἰωνίου σωτηρίας ἀγωνιζόμενος.

Ἀνελθὼν οὖν εἰς τὴν ἀνατολὴν (90), καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενος, ἔνθα ἐκηρύχθη καὶ ἐπράχθη, καὶ ἀκριβῶς μαθὼν τὰ τῆς Παλαιᾶς Διαθήκης βιβία, ὑποτάξας ἔπεμψά σοι, ὧν ἐστι τὰ ὀνόματα.

Μωϋσέως πέντε· Γένεσις, Ἔξοδος, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον· Ἰησοῦς Ναυῆ, Κριταὶ, Ῥουθ, Βασιλειῶν τέσσαρα, Παραλειπομένων δύο, Ψαλμῶν Δαβὶδ, Σολομῶντος Παροιμίαι, αἵ καὶ Σοφία (91), Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ᾀσμάτων, Ἰὼβ, Προφητῶν Ἡσαΐου, Ἱερεμίου, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Δανιὴλ, Ἰεσκιὴλ, Ἔσδρας. Ἐξ ὧν καὶ τὰς ἐκλογὰς ἐποιησάμην εἰς ἓξ βιβλία διελών.

B

Hoc fragmentum vel ideo quantivis pretii est reputandum, quia exactum sacrorum librorum, in canone Veteris Testamenti receptorum, continet catalogum, qui omnium primus est, quem apud Christianos scriptores invenimus. Adornavit ex Patribus diversas canonis Scripturæ sacræ constitutiones illustris reipublicæ Bremensis quondam syndicus, Gehardus van Mastricht, in *Bibliothecæ Bremensis* classe VII, fasciculo I, postea recusas, quæ conferri poterunt cum 135 schematibus, in quibus libri biblici diverso ordine exhibentur, Humfr. Hodii, ad calcem peregregii libri *De bibliorum textibus originalibus*, qui Oxon. 1706, in primæ magnitudinis forma prodiit. Non prorsus spernenda ratio mihi videtur, quam Whistonus (92) reddidit, quare Melito, de canone librorum sacrorum quæsitus, opus habuerit Orientem prius adire, cum tamen receptum suæ Ecclesiæ canonem, utpote quo nec illam caruisse credendum, transcribere statim potuisset ; canonem scilicet librorum sacrorum una cum constitutionibus apostolicis non omnibus promiscue Ecclesiis fuisse concreditum, sed iis tantum quas apostoli ipsi plantaverint, quarum ille (93) 19 numerat, et inter quas Sardensis non apparet. Difficilius autem eidem viro eruditissimo assentior, quando contendit Melitonis canonem transcriptum fuisse ex canode isto, qui in libro, *Canones apostolici* dicto, cap. 86 occurrat, cujus γνησιότητα omnibus viribus, imo vel ev ipso hoc Melitonis librorum biblicorum catalogo, demonstrare operæ pretium duxit.

V. *Fragmentum ex catena in Genesin.*

Alia fragmenta, quæ nunc dabo, ex catena quadam manuscripta a Jacobo Sirmundo descripta atque Halloixio communicata fuerunt, qui illa quoque imprimi curavit ex parte. Eadem postea, et adhuc plura hactenus nondum edita, ex duplici codice in gratiam Jo. Ernest. Grabii descripsit eruditissimus Mich. Le Quien, ex cujus autographo hæc descripsi, verti, et variantes cum Halloixio adnotavi.

Μελίτωνος Σάρδεων.

Pro Isaaco justo apparuit aries in mactationem, ut vinculis Isaac exsolveretur. Ille mactatus redemit Isaacum : ita et Dominus morte sua nos salvavit, et vinculis suis nos liberavit, suaque immolatione nos redemit.

Ὑπὲρ Ἰσαὰκ τοῦ δικαίου ἐφάνη κριὸς εἰς σφαγὴν, ἵνα δεσμῶν Ἰσαὰκ λυθῇ . Ἐκεῖνος σφαγεὶς ἐλυζώσατο (94) τὸν Ἰσαὰκ, οὕτως καὶ ὁ Κύριος σφαγεὶς ἔσωσεν ἡμᾶς, καὶ δεθεὶς ἔλυσε, καὶ θυθεὶς ἐλυτρώσατο.

Et post pauca :

Erat enim Dominus agnus, ad instar arietis illius,

Καὶ μετ' ὀλίγα·

Ἦν γὰρ ὁ Κύριος ἀμνὸς, ὡς κριὸς, ὃν εἶδεν

(90) Whisthono conjiciente, *Primævi Christianismi* vol. III pag. 377, Ecclesias Hierosolymitanas et Cæsarienses adiit. Ab Adriano urbs Hierosol. hoc sæculo iterum exstrui, et Ælia Capitolin. vocari cœpit.

(91) Ita hunc locum ex fide optimorum codicum restituimus cum Valesio, quam lectionem et Ruffin. confirmat, ita vertens : *Salomonis Proverbia quæ et Sapientia* ; subscribit quoque Nicephor. qui ita habet : Σολόμωνος Παροιμίαι, ἥ καὶ Σοφία. Vid. diss. meam priorem *De Melitone Sardium episcopo*, § 15, supra.

(92) Whiston in *The Essay on the apostolical constitutions*, pag. 375.

(93) Idem *ibid.*, pag. 233.

(94) Lege ἐλυτρώσατο, ita quoque ex altero codice descripsit Le Quien, qui et præterea, loco σφαγεὶς, σφαγῆς habet, quam lectionem tamen non probo.

Ἀβραὰμ κατεχόμενον ἐν φυτῷ Σαβέκ (95). Ἀλλὰ τὸ φυτὸν ἀπέφαινε τὸν σταυρὸν, καὶ ὁ τόπος ἐκεῖνος, τὴν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ὁ ἀμνὸς, τὸν Κύριον ἐμπεπεδημένον (96) εἰς σφαγήν.

A quem vidit Abraham detentum in virgulto Sabec. Nam virgultum designat crucem, et locus ille, Hierosolymas, et aries, Dominum ad occisionem ligatum.

Τοῦ μακαρίου Μελίτωνος Σάρδεων (97).

Ὡς γὰρ κριὸς ἐδέθη, φησὶ περὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ (98), καὶ ὡς ἀμνὸς ἐκάρη, καὶ ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐστυσώθη, καὶ ἐβάστασε τὸ ξύλον ἐπὶ τοῖς ὤμοις (99), ἀναγόμενος σφαγῆναι, ὡς Ἰσαὰκ (1), ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Ἀλλὰ Χριστὸς ἔπαθεν, Ἰσαὰκ δὲ οὐκ ἔπαθεν· τύπος γὰρ ἦν τοῦ μέλλοντος πάσχειν (2). Ἀλλὰ καὶ ὁ τύπος τοῦ Χριστοῦ γιενόμενος, ἔκπληξιν καὶ φόβον παρεῖχεν ἀνθρώποις (3).

Sicut enim aries vinctus est, inquit de Domino nostro Jesu Christo, et sicut agnus tonsus est, et sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus crucifixus est, et portavit lignum humeris, adductus ut immolaretur, sicut Isaac, a patre suo. Sed Christus passus est, Isaac autem non est passus ; typus enim erat futuræ passionis Dominicæ. Attamen licet typus tantummodo Christi esset, tamen stupore et timore percussit homines.

Ἦν γὰρ θεάσασθαι μυστήριον καινὸν, υἱὸν ἀγομένον ὑπὸ τοῦ πατρὸς εἰ' ὄρος ἐπὶ σφαγὴν, ὃν συμποδίσας ἔθηκεν ἐπὶ τὰ ξύλα τῆς καρπώσεως, ἑτοιμάζων μετὰ σπουδῆς τὰ πρὸς τὴν σφαγὴν αὐτῷ (4). Ὁ δὲ Ἰσαὰκ σιγᾷ, πεπεδευμένος ὡς κριὸς, οὐκ ἀνοίγων τὸ στόμα, οὐδὲ φθεγγόμενος φωνῇ. Τὸ γὰρ ξίφος οὐ φοβηθεὶς, οὐδὲ τὸ πῦρ πτοηθεὶς, οὐδὲ τὸ παθεῖν λυπηθεὶς, ἐβάστασεν καρτερῶν τὸν τύπον τοῦ Κυρίου. Ἦν οὖν ἐν μέσῳ προκείμενος Ἰσαὰκ πεποδισμένος ὡς κριὸς, καὶ πατὴρ παρεστὼς, καὶ κρατῶν γυμνὸν τὸ ξίφος, μὴ αἰδούμενος φονεῦσαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ.

Spectanda enim erat res nova mysteriique plena, filius ductus a patre in montem ad occisionem, quem pater vinctis pedibus posuerat super ligna holocausti, parans cum festinatione ea, quæ ad immolationem ejus erant necessaria. Isaac autem silet, ligatus sicut aries, non aperiens os suum, nec vocem emittens. Dum enim sibi a gladio non timuit, neque ab igne perterrefactus fuit, neque ob cruciatus contristatus ; fortiter sustinuit typum Domini. In medio igitur positus erat Isaac, pedibus ligatus ut aries, et astabat pater, strictumque ensem tenebat manibus, filium suum interficere non timens.

Hæc hactenus exhibita ex Catenis in Genesin fragmenta videntur esse ex Melitonis Ἐκλογῶν libris desumpta. Dupinio (5) judice, hæc indigna videntur Melitoni, puerilibusque cogitationibus referta et recentiorum potius, quam veterum sapere ingenium. Sed perperam ita pronuntiasse mihi videtur Dupinius ; quod si enim Tertullianum (6) evolvere libuerit, eadem propemodum dicta invenies. Aliorum antiquorum Patrum loca, quibus Isaacum typum Christi exstitisse pronuntiant, reticeo, additurus saltem, Hugonem de Sancto Victore, qui sæculo duodecimo claruit, *Allegoriarum in utrumque Testamentum* (7) lib. II, cap. 7 integro. mysticum sensum immolationis Isaaci explicasse, hic prorsus conferendum.

(95) Genes. XXII, 13, de quo pluribus loquitur Melito in fragmento sequenti ex Bibliis Græcis afferendo.

(96) Ita apud Halloixium, præstat alterius cod. lectio ἐμπεποδισμένον, licet nec falsa sit prior.

(97) Alter codex ita saltem : Μελίτωνος, ἐπισκόπου Σαρδέων, absque μακαρίου epitheto, quo laudis præfamine raro in mss., catenis et martyrologiis venit ; idque ideo forte, ut conjicit Tillemontius, nota 3, quod ejus liber Περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, aut liber ipsi suppositus, *De transitu Mariæ*, hoc honore tituloque apud posteros cum privaverit.

(98) Ita vero alter codex habet : Καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὡς κριὸς ἐδέθη.

(99) Addit alter αὐτοῦ.

(1) Sequentia verba usque ad Ἰσαὰκ desunt in altero ms., nisi forte per incuriam Quienii omittentis integram lineam, similiter ac antecedentem incipientem, fuerint potius omissa.

(2) Χριστοῦ, addit Le Quien.

(3) Hic finit Halloixius, cum priore codice et ulterius non pergit ; sequentia autem, quæ nunc prima vice typis exscribuntur, adduntur in altero.

(4) Mallem legere αὐτοῦ.

(5) Dupin c. l. : « On lui attribue encore quelques passages tirés d'une chaîne grecque sur la Genèse, mais ils me semblent indignes de cet auteur. » *Et in nova addita* : « Le P. Halloix en parle ainsi : C'est une comparaison d'Isaac et de Jésus-Christ, pleine de pensées puériles, et plus digne des nouveaux que des anciens. » Dupinio astipulatur quoque Tillemontius, quem iterum exscripsit Ceillier,

(6) Tertullianus passim, v. c. in lib. *De patientia*, Opp. Froben. edit. pag. 10 : « Abraham Deo credidit, et fidem patientia probavit, quem filium immolare jussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem. » Et in lib. *Adversus Judæos*, pag. 134 : « Itaque inprimis Isaac cum a patre hostia ducereiur, lingnumque ipse sibi portans, Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi a Patre lignumque passionis suæ bajulantis. » Et pag. 139 : « Hoc lignum sibi et Isaac ad sacrificium portabat. Sed quoniam hæc fuerant sacramenta, quæ temporibus Christi perficienda servabantur, et Isaac cum ligno reservatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærente : et Christus suis temporibus lignum humeris suis portavit, inhærens cornibus crucis corona spinea in capite ejus circumdata. Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, et velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, » etc.

(7) Impressus est hic *Liber allegoriarum* Parisiis 1517, in-4, in officina Henr. Stephani. Ibi inter alia : « Abraham significat Deum Patrem, et Isaac Christum ; mons in quo sacrificandus erat, altitudinem exprimit Dominicæ charitatis ; duo juvenes, gentiles et Judæos non credentes et in mortem Domini consentientes. Ara, ligna, vepres, crucem Domini designant. Isaac qui mortem in sacrificio non gustavit, divinitatem exprimit, quæ pœnas aut dolorem in passione non sensit. Aries, qui mortem pertulit, humanitatem significat, quæ passionis amaritudines sustinuit, » etc.

VI. *Fragm. ex Bibliis Græcis* τῶν Ο'.

In Bibliorum Græcorum τῶν Ο' Romana editione, quæ ex antiquissimo et præstantissimo codice Vaticano, auspiciis Sixti V, pontificis Romani, cura cardin. Caraffæ prodiit Græce cum scholiis Græcis per codd. mss. collectis, Romæ, a. 1581, fol. typis perquam nitidis, ex typographia Franc. Zannetti, hoc frontispicio : Ἡ Παλαιὰ Διαθήκη κατὰ τοὺς Ἑβδομήκοντα, ὃ' αὐθεντίας Ξύστου ε', ἄκρου ἀρχιερέως, ἐκδοθεῖσα, fol. 15, ad locum *Gen.* xx, vers. 13, καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ, κ. τ. λ., duplex occurrii scholium, Melitonis nomine insignitum. Et primum quidem brevius, ad voces κατεχόμενος τῶν κεράτων.

Syrus et Hebræus *suspensus* dicunt, ut apertius præfigurarent crucem.

Ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραιος (8) κρεμάμενος φασὶ, ὡ σαφέστερον τυποῦν τὸν σταυρόν (9).

Alterum autem longius est, atque ad voces ἐν φυτῷ Σαβέκ.

Quidam τὸ Σαβέκ verterunt ἄφεσιν, *dimissionem, liberationem :* quidam vero ὀρθιος, *erectus*, ut idem valeat, ac si diceretur, hircus erectus incedens in virgulto, cornibus autem ibi detentus, ita ut sit manifestus typus crucis. Propterea vero in aliam linguam non convertitur, quoniam vox Hebræa, cum una sit, multa significat, si sit vertenda. Interrogantibus autem respondendum est, et dicendum, τὸ Σαβέκ *sublatum* vertendum esse.

Τὸ Σαβέκ, ἄφεσίν τινες ἐκδεδώκασιν (10). Οἱ δὲ ὀρθιος, ὡς εἶναι αὐτὸ τὸ λεγόμενον, τράγος ὀρθὸς ἐπαναβεβηκὼς φυτῷ· ἐνταῦθα δὲ ὀρθὸς τῶν κεράτων κατεχόμενος (11), ὡς εἶναι φανερὸν τύπον σταυροῦ (12). Διὰ τοῦτο δὲ οὐχ ἑρμηνεύεται, ὅτι ἡ Ἑβραϊκὴ μία οὖσα λέξις πολλὰ σημαίνει ἑρμηνευομένη. Ὑρὸς δὲ τοὺς πυνθανομένους δεῖ ἀποκρίνεσθαι καὶ λέγειν, ὅτι τὸ Σαβὲκ ἐπηρμένος ἑρμηνεύει (13).

Hæc itidem videntur esse ex Ἐκλογῶν libris, in quibus ea potissimum, quæ ad Servatorem nostrum pertinebant, collegit. Cohærent cum antecedentibus fragmentis ex Catena, atque Isaacum typum Christi fuisse monstrant. Hoc fragmentum Halloixius non habet, nec ulli scriptorum de Melitone commemoratur, præter Colomesium (14), qui digitum ad illud intendit.

VII. *Fragm. ex Anastasio Sinaita.*

Aliud fragmentum Melitonis quantivis pretii ab Anastasio Sinaita conservatum fuit in Ὁδηγῷ, seu *Duce viæ*, cap. 13, quo contra Acephalos, divinam incarnationem Christi Domini oppugnantes disputat, p. 260, edit. Gretseri, his verbis : Cum enim ostendere velitis, Christum totum, nihil aliud esse, quam divinitatem ; in ipsam divinitatem, instar Manichæorum et Arianorum, injuriosi et contumeliosi estis ; quia illam passionibus et mutationibus, more creatarum rerum, subjicitis. Certe divinus et sapientissimus inter doctores Melito, in tertio *De incarnatione* sermone, graviter invehitur in illos interpretes, qui comprobare nituntur ex factis Christi post baptismum veritatem corporis et animæ, itemque naturalium, et omnis peccati expertium operationum ejus, famis, inquam, sitis, somni, laboris, lacrymarum, sputi, sudoris, excretionis per nares, egestionisque corrupti et naturaliter concocti cibi ac potus; neque horum duntaxat, sed et eorum, quæ animæ nostræ a natura inesse solent, hoc est, tristitiæ, mœroris et dejectionis. Nam contra Marcionem disputans sic ait cœlesti cognitione excellens Melito : negabat enim etiam

(8) Origenes in *Hexaplis* sæpe ὁ Κύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος. Vide de simplice et antiqua ista versione V. T. Syriaca, quam nonnulli ad Salomonis referunt ævum, alii ad Abgari et apostolorum ætatem Montefalconium in *Prælimin. ad Hexapla Origenis*, cap. 1, § 8 et 9, pag. 19, et summe venerab. Carpzovium, in *Critica sacra*, pag. 622.

(9) In textu Hebræo est אַיִל כָּאחַז *aries detentus.* LXX reddiderunt κρεμάμενος· vox enim κρεμᾷν in ligno proprie notat suspensionem. Arrianus *De expedit. Alex. M.* lib. xvi, pag. 418, edit Blancard. refert de Musicano : Τοῦτον κρεμάσαι Ἀλέξανδρος κελεύει ἐν τῇ αὐτοῦ γῇ. « Hunc Alexander cruciligi in sua regione jubet, » quem Curtius, lib. ix, cap. 8, « in crucem sublatum » scribit. Sic quoque Diodorus Siculus, lib. xiii, in ejusdem Alexandri rebus de Tyro capta : Τοὺς δὲ νέους πάντας, ὄντας οὐκ ἐλάττους δισχιλίων, ἐκρέμασεν, quod Curtius iterum ita retulit : « Duo millia crucibus affixa, per ingens littoris spatium pependerunt. » Latinorum *suspendere* ad crucem quoque referendum. Seneca epist. 7 : « Latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit ? ut suspendatur. »

(10) Athanas. quæst. 98, *ad Antiochum* ita quoque somniavit : « Planta Sabec, inquiens, est veneranda crux. Juxta Hebræos videtur esse remissio et condonatio. Aries vero qui in Sabec hærebat ad plantam figuravit Christum pro nobis in cruce oblatum. » Atqui vero τὸ סבך Hebræis neque remissionem neque plantam notare observarunt alii. Excusavit tamen quodammodo veteres Jo. Js. Vossius *Dt translatione LXX*, cap. 12, pag. 38.

(11) Hebræi credunt, hunc arietem sponte quidem ad Abrahamum cucurrisse, sed diabolum eum arboribus implicuisse et immiscuisse, ut Abrahamus, ætate jam confectus fractusque nullo labore eum capere potuisset ; sed Dei potius providentiæ hoc tribui debet.

(12) Arietem in perplexitatibus detentum Christum significasse, ἐν τῷ σταυρῷ θάνατον ὑποστάντα ἕνεκεν ἡμῶν, Athanasius quoque in *Interpretatione parabolarum*, quæst. 66, asseruit, et ex Rabb. probavit Rochartus in *Hierozoico*, fol. 542.

(13) Confer omnino ad hoc Melitonis fragmentum Jo. Frichmuthi diss. 5, *De ligatione Isaaci*, cap. 5.

(14) Colomesius in *Opp.* a J. A. Fabricio editis, pag. 704.

Marcion, sicut Severus et Gaianus, divinam Christi incarnationem iisdem testimoniis Evangelii adversus Melitonem usus, quibus nunc isti Marcionis Pontici discipuli adversus nos utuntur. Cui valde scite et opportune respondit Melito in hunc modum :

Ὡς οὐδεμία ἀνάγκη τοῖς νοῦν ἔχουσιν, ἐξ ὧν μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ Χριστὸς ἔπραξε, παριστᾶν τὸ ἀληθὲς, καὶ ἀφάνταστον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ τοῦ σώματος τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνης φύσεως. Τὰ γὰρ μετὰ τὸ βάπτισμα ὑπὸ Χριστοῦ πραχθέντα, καὶ μάλιστα τὰ σημεῖα, τὴν αὐτοῦ κεκρυμμένην ἐν σαρκὶ θεότητα ἐδήλουν, καὶ ἐπιστοῦντο τῷ κόσμῳ. Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦτε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν· τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ, διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ, τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα· τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ, ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις, τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος, ἐν οἷς, διὰ τὸ ἀτελὲς τὸ κατὰ σάρκα, ἀπέκρυβε τὰ σημεῖα τῆς αὐτοῦ θεότητος, καίπερ Θεὸς ἀληθὴς προαιώνιος ὑπάρχων.

A Non est necessarium his, quos ratio non fugit, ex actionibus Christi post baptismum astruere et demonstrare animæ et corporis ejus, et humanæ naturæ nobiscum convenientis veritatem, et ab omni fictione remotionem. Nam quæ post baptismum a Christo gesta sunt, maxime miracula, latentem ejus in carne divinitatem potissimum mundo comprobabant et confirmabant. Cum enim idem Deus simul et homo perfectus esset, duas naturas suas nobis patefecit : divinitatem quidem per miracula triennio isto post baptismum patrata : humanitatem vero suam triginta illis annis baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat et abscondebat divinitatis signa, tametsi Deus verus esset et sempiternus. B

Hoc fragmentum Halloixius non habet, inseruit tamen istud Historiæ suæ litterariæ Caveus : Notent hæc sibi Eutychiani, subjungens, duarum in Christo naturarum oppugnatores ; notent Ariani, et qui, Socini de grege, Dominum nostrum Deum verum et sempiternum esse præfracte negare non verentur. Mirari igitur satis non poterit benevolus lector, qui Whistonus (15), pro Arianæ ex orco revocatæ hæreseos patrocinio, crebro ad hunc locum provocare potuerit. Sic v. c. probare hoc Melitonis testimonio contendit, Filium non essentia, sed voluntate saltem Dei Patris similem esse Patri ; esse primam creaturam a Deo Patre ante jacta mundi fundamenta productam ; esse natura, attributis et perfectionibus longe inferiorem, ut alia ejusmodi blasphema silentio prætream. Forte non deerunt, qui Melitoni a recentiori manu hæc supposita fuisse, vel conjicient, vel affirmabunt, ut fecisse etiam deprehendo Gallici cujusdam diarii eruditi auctorem (16). Sed istos ablegatos cupio ad beatum Weismannum (17), qui occasione hujus ipsius fragmenti, in temerarios ejusmodi criticos, temporisque nostri Anaxagoras, graviter invehitur, locumque hunc Melitonis contra eorumdem exceptiones vindicat. Ad Whistonum adhuc semel redeo, moneoque eum exinde quoque probare allaborasse, longiorem Epistolarum Ignatianarum editionem esse genuinam breviorique anteferendam (18), quam opinionem facillime ipsi permittere possumus.

VIII. *Fragm. ex orat. de passione Domini.*

Aliud Melitonis fragmentum, exiguum licet, servavit idem modo citatus Anastasius, dicto libro, cap. 12, pag. 216.

Μελίτωνος ἐπισκόπου Σάρδεων, ἐκ τοῦ λόγου, τοῦ εἰς τὸ πάθος.

Ὁ Θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξιᾶς Ἰσραηλίτιδος. Deus passus est a dextra Israelitica.

Monet Anastasius Theodosianos et Gaianitas, ut probent, ipsum etiam Deum Verbum (καὶ τὸν ἐν αὐτῷ Θεὸν Λόγον) cum carne sua passioni fuisse obnoxium, afferre solere hæc Melitonis verba, quibus tamen, ut in propatulo est, vim intulerunt ; noster etiam nunquam de hoc errore fuit suspectus. Non memini hoc fragmentum ulli fuisse observatum.

IX. *Fragm. ex Fabro Stapulensi.*

Miror tamen inter fragmenta Melitoniana commemorari a R. Ittigio aliquod, quod ex Jacobo Fabro Stapulensi, produxit Colomesius, qui ita præfatur : Vir optimus, ac pro tempore quo vixit varia eruditione excultus, Jacobus Faber Stapulensis, in libro de una ex tribus Maria, sequentia refert ex Melitone de Joanne apostolo : « Cum esset annorum nonaginta, apparuit ei Dominus Jesus Christus cum discipulis suis, et dixit ei : Veni ad me, quia tempus est, ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. » Desumpta hæc esse suspicatur Colomesius ex ejus libro de Apocalypsi Joannis, sed erravit eruditus vir, et cum eo beatus Ittigius. Hæc enim prorsus non sunt Melitonis Sardiani, sed Laodiceni, qui de passione S. Joannis Evangelistæ scripsit libellum, post alios a celeberrimo J. A. Fabricio quoque, *in Codice apocrypho N. T.* tom. III, editum, ubi pag. 620, eadem hæc verba legi poterunt.

(15) Whistonus c. l. tom. III *Primævi Christianismi*, pag. 64, 125, 283, etc.

(16) *Nouvelle Bibliothèque choisie, ou l'on fait connaître les bons livres en divers genres de littérature, et l'usage qu'on en doit faire.* Tom. II, p. 34, ubi Anastasii Ὁδηγοῦ editio Gretseriana recensetur.

(17) Weismanni *Introductio in memorabilia ecclesiastica Hist. S.*, tom. I, pag. 115.

(18) In his *Dissertation upon the Epistles of Ignatius*, pag. 65 seq.

X. *Ex Clave portiuncula.*

Agmen tandem claudat portiuncula ex libro ejus Clavis dicto, quæ sub initium operis sine titulo in utroque codice exstat, et in qua edenda id egi, ut loca diligenter in sacris paginis quæsiverim, atque infra in notis excitaverim.

Caput Domini, ipsa Divinitas. Eo quod principium et creator sit omnium rerum : in Daniele [15].

Capilli Domini candidi, eo quod Antiquus sit dierum, ubi et supra.

Oculi Domini, inspectio divina : eo quod omnia videat. Sicut est illud in Apostolo: « Omnia enim nuda et aperta sunt in oculis ejus [16]. »

Palpebræ Domini, occulta spiritualia in divinis præceptis mysteria. In psalmo [17] : « Palpebræ ejus interrogant, hoc est probant, filios hominum. »

Odoratus Domini, delectatio ejus in orationibus, sive operibus sanctorum. In Genesi [18] : « Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. »

Os Domini, Filius ejus, vel sermo ad homines. In propheta : « Os Domini locutum est [19] ; » et alibi : « Os ejus ad iracundiam provocaverunt [20]. »

Lingua Domini, Spiritus ejus sanctus. In psalmo : « Lingua mea calamus [21]. »

Facies Domini, ostensio ejus. In Exodo [22] : « Facies mea præcedet te ; » et in propheta : « Facies Domini divisit eos [23]. »

Verbum Domini, Filius. In psalmo : « Eructavit cor meum verbum bonum [24]. »

Brachium Domini, Filius, per quem omnia operatus est. In propheta Isaia [25] : « Et brachium Domini cui revelatum est ? »

Dextera Domini, id est Filius, qui et supra in psalmo : « Dextera Domini fecit virtutem [26]. »

Dextera Domini, electio omnis. Ut in Deuteronomio [27] : « In dextera ejus ignea lex. »

Alæ Domini, protectio divina. In psalmo [28] : « In umbra alarum tuarum sperabo. »

Scapula Domini, divina potentia, qua portare dignatur infirmos. In Deuteronomio [29] : « Suscepit eos et superposuit scapulis suis. »

Manus Domini, divina operatio. In propheta : « Nonne manus meæ fecerunt hæc omnia [30] ? »

Digitus Domini, Spiritus sanctus, cujus operatione tabulæ legis in Exodo [31] scriptæ referuntur : et in Evangelio [32] : « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia. »

Digiti Domini, legislator Moyses, sive prophetæ. In psalmo [33] : « Videbo cœlos, » hoc est libros legis et prophetarum, « opera digitorum tuorum. »

Sapientia Domini, Filius. In Apostolo [34] : « Christus Dei virtus et Dei Sapientia ; » et in Salomone [35] : « Sapientia Domini attingit a fine usque ad finem fortiter. »

Pedes Domini, stabilitas et æternitas. In psalmo [37] : « Et caligo sub pedibus ejus. »

Thronus Domini angeli, sive sancti, vel ipsa regnandi potestas. In psalmo [38] : Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi. »

Sedes, idem quod supra, angeli vel sancti, quod in his Dominus sedeat. In psalmo [39] : « Dominus sedit super sedem sanctam suam. »

Descensus Domini, visitatio ejus ad homines. Sicut in Michæa [40] : « Ecce Dominus egredietur de loco suo, descendet conculcans extrema terræ. » Item, in malam partem. In Genes. [41] : « Descendit Dominus ut videret turrim. »

Ascensus Domini, elevatio hominis assumpti a terra in cœlos. In psalmo [42] : « Qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem. »

Stare Domini, patientia divinitatis, per quam peccatores ad pœnitentiam sustinet. Sicuti in Habacuc [43] : « Stetit et mensus est terram ; » et in Evangelio [44] : « Stetit Jesus et jussit eum vocari, » hoc est cæcum.

Transitus Domini, assumptio carnis, per quam nascendo, moriendo, resurgendo, in cœlos ascendendo quosdam transitus fecit. In Cantico canticorum [45] : « Ecce iste venit saliens montes, transiliens colles. »

Gressus Domini, adventus vel visitatio ejus. In psalmo.

Vita Domini, operatio divinitatis. Sicut in Job pro diabolo [46] : « Ipse est principium viarum Domini. »

[15] Dan. VII, 9, 13, 22. [16] Hebr. IV, 13. [17] Psal. X, 5. [18] cap. VIII, v. 21. [19] Isa. I, 20. [20] Thren. I, 10. [21] Psal. XLIV, 2. [22] cap. XXXIII, v. 14. [23] Thren. IV, 16. [24] Psal. XLIV, 2. [25] cap. LIII, v. 1. [26] Psal. CXVII, 16. [27] cap. XXXIII, v. 2. [28] Psal. LVI, 2. [29] cap. XXXIII, 12, [30] Isa. LXVI, 2. [31] cap. XXXIV, v. 1. [32] Luc. XI, 20. [33] Psal. VIII, 4. [34] I Cor. I, 24. [35] Sap. VIII, 1. [36] Psal. CIX, 3. [37] Psal. XVII. 10. [38] Psal. XLIV, 7, confer psal. V, XXIX. [39] Psal. XLVI, 9. [40] cap. I, 3. [41] cap. XI, v. 3. [42] Psal. LXVII, 34. [43] cap. III, v. 6. [44] Marc. X, 49. [45] cap. II, v. 8. [46] cap. XL, v. 14.

Item : *Viæ Domini*, præcepta ejus. In Osee [47] : « Quoniam rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. »

Vestigia Domini, operum secretorum signa. Ut in psalmo [48] : « Et vestigia tua non cognoscentur. » *Cognitio Domini*, quod cognoscentes faciat. Ad Abraham [49] : « Nunc cognovi, quod timeas Dominum, » hoc est cognoscere te feci.

Nescire Dei, reprobare est. In Evangelio [50] : « Nescio vos. »

Recordatio Domini, misericordia ejus, per quam respuit et miseretur cui vult. Sic in Genesi [51] : « Recordatus est Dominus Noe ; » et alibi : « Recordatus est Dominus populi sui [52]. »

Pœnitentia Domini, rerum mutatio. Sicut in Libro Regum [53] : « Pœnitet me quod constituerim Saul regem. »

Ira et *furor Domini*, ultio Divinitatis in peccatores secundum vindictam patientis, et non secundum æquitatem judicantis. Ut in psalmo [54] : « In ira sua et in furore suo conturbabit eos. »

Dormire Domini, dum in quorumdam hominum cordibus fides ejus minime vigilat. In psalmo [55]. « Exsurge, quare obdormis, Domine ? »

Vigiliæ Domini, in electorum suorum custodia per præsentiam Divinitatis semper adest. In psalmo [56] « Ecce non dormitabit neque obdormiet. »

Sedere Domini, regnare. In psalmo [57] : « Dominus sedet super sedem sanctam suam. »

Scabellum Domini, homo assumptus a verbo, vel sancti ejus, a quibusdam putantur. In psalmo [58] : « Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. »

Ambulatio Dei, delectatio Divinitatis in operibus electorum suorum. In propheta [59] : « Et ambulabo in eis, et ero illorum Dominus. »

Tuba Dei, vox manifesta. In Apostolo [60] : « In jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo. »

Forte hic est ipse ille Melitonis maxime celebris liber Περὶ Θεοῦ ἐνσωμάτου, quam tamen conjecturam alio scripto alioque tempore diducam uberius, atque ex ipso etiam loco Theodoreti, qui tantopere, ut vidimus supra, premebat Melitonis orthodoxiam, idem confirmare allaborabo.

FRAGMENTUM.

Ex *Apologia* Melitonis ad Antoninum Cæsarem.

(Syriace et Anglice nuper edidit Dr Curetoninlibro cui titulus : *Spicilegium Syriacum*. Londini, 1855, p. 41-56. Hoc fragmentum hic exhibemus latinitate donatum.)

Verba Melitonis philosophi quæ facta sunt coram Antonino Cæsare. Et Cæsarem allocutus est ut ei Deum notum faceret, et ei indicavit viam veritatis, et sic locutus est.

Melito dixit : Difficile est in viam veritatis eum inducere qui a longo tempore in errore versatur : hoc tamen fieri potest : hominem enim errorem paululum agnoscentem continuo subit memoria veritatis. Quemadmodum dissipata caligine serenatur cœlum, ita homo, cum convertitur ad Deum, solvitur a facie ejus nebula erroris sub qua latebat verum. Morbo enim vel amentiæ similis est error, ægrum vel amentem ad tempus detinenti, veritas autem verbum adhibet sicut clavim [ad sanandum eos]. Dormientes expergefacit, et expergefacti in ipsa vident, intelligunt, et audiunt, et discernunt id quod est ab eo quod non est. Quidam enim injustitiam justitiam vocant et justitiæ jura salva esse putant si cum multis errent. Quos sic excusatos habere non possum. Si enim unius magna est stultitia, quanto major insania multorum. Ea vero stultitia est quam dico ut homo a veritate recedat et illud amplectatur quod vere non est. Id autem est quod est vere, et nominatur Deus, et est. Omnia virtute ejus exsistunt ; ipse nunquam factus est nec initium habuit, sed est ab æterno et usque in sæcula ; immutabilis manet dum cuncta mutantur : nec oculis videri, nec cogitatione comprehendi, nec verbo exprimi potest. Ab iis qui cognoscunt et amant eum vocatur Pater et Deus verus. Si quis ergo a luce recedens dicat esse Deum, alium, quodcunque intelligat, substantiam creatam vocat Deum. Si quis enim ignem aut aquam vocat Deum, non est Deus, quia ignis est aut aqua ; et si terram aut cœlum, solem aut lunam aut quamlibet ex his stellis, quæ sine intermissione præscriptum cursum absolvunt nec propria voluntate moventur ; et si quis aurum et argentum deos vocat, non sunt dii, quandoquidem eis utimur ad libitum nostrum ; et si lignum hoc quod comburitur, si lapides isti qui franguntur.

[47] c. XIV, v. 10. [48] Psal. LXXVII. 1, [49] Gen. XXII, 12. [50] Luc. XIII, 25 [51] c. VIII, v. 1. [52] Esther X, 12. [53] I Reg. XV, 11. [54] Psal 2, 5. [55] Psal. XLIII, 23. [56] Psal. CXX, 4. [57] Psal. XLVI, 9. [58] Psal. CIX, 1. [59] Ezech. XXXVII, 27. [60] I Thess. IV, 15.

quomodo hæc dii haberi possent,quandoquidem ad usus nostros adhibentur. Quam graviter ergo culpandi sunt illi qui Dei magni loco eas res ponunt quas creavit ! Ego vero dico : Quando homini non est revelatum, nec ipse deprehendit creaturas istas Domino subjacere,forsan culpa caret, nemini enim vituperandus cæcus quod titubans incedit ; ita homines cum quærerent Deum offenderunt in lapides et lignum ; et qui inter eos divitiis pollebant, offenderunt in aurum et argentum ; et sic quod quærebant non invenerunt. Nunc vero cum vox in universa terra circumsonuit esse Deum verum, et datus est omni homini oculus ut videret, ii non amplius sunt excusandi qui, quod multi cum ipsis errant, viam rectam ingredi, etsi volentes, erubescunt. Quapropter consilium damus eis ut aperiant oculos suos et videant ; ecce enim luce quæ non fallit illuminati sumus ut per eam videamus. Si vero post ortam lucem claudit homo oculos suos ne videat, ad fossam pergit quamvis rectam viam sequens. Quare enim homo in eis erubescit qui errant cum eo ? Potius eos inducat ut ipsum sequantur, et si non acquiescant, liberet animam suam e medio eorum. Terreni homines deos e terra matre sua constituunt sibi ; rei sunt judicio dum immutabile nomen rebus mutabilibus imponunt, et non erubescunt ut deos figmenta colere manu hominis facta,et audent imaginem efformare Deo quem non viderunt.

Ego vero rursus dicere non vereor quod jam dixi, ab eis imagines regum mortuorum adorari. Et reipsa nostro adhuc tempore imagines Cæsarum adorantur,et magis coluntur quam veteres dii patrii. Tributa etiam et census Cæsari solvuntur, quippe qui major est diis illis ; idcirco pariter morte plectuntur qui spernunt deos et decretis Cæsaris non obediunt.Alias etiam eodem decreto statutum est et quem censum gazophylacio regis pendant adoratores, et quid redditus afferant sacci pleni aqua ex mari. Hoc autem maxime dolendum quod illi qui colunt et verentur ea quæ sensibus non capiuntur (et hi maximi inter sapientes sunt), sive lucri,sive vanæ gloriæ, sive potentiæ amore, ab iisdem adorandis pusillanimes dehortantur. Ego vero ut sentio dicam et propalabo quomodo et quibus de causis erectæ sint imagines regibus ac tyrannis et ut dii habiti sint. Herculi sacrificaverunt Argivi, quia Argivus ipse,quod præterea magno corporis robore præditus, animalia nociva virtute sua occidit, sed multo magis quia timebant eum ; violentus enim erat et mulieres magnatum rapiebat ; valde enim libidinosus erat, sicut et Zarades Persa,amicus ejus. Dionysium regem coluerunt Actæi (1), quia in eorum regione vitem plantaverat, Ægypti Josephum Hebræum, qui et Serapis, quia suppeditavit illis frumentum in annis egestatis. Adoraverunt Athenienses Athenam filiam Jovis, regis insulæ Cretæ, quia ædificavit arcem Athenarum, et fecit ibi regem Archetypum filium suum, quem habuerat ex adulterio cum Hephæsto fabro, filio uxoris patris sui. Et omni tempore societatem habebat cum Hercule, quia frater ejus erat ex patre suo. Zeus enim rex amavit Alcumenam uxorem Alcumenis ex Argo, et genuit Herculem. Adoraverunt Phœnices Venerem,reginam Cypri, quia amavit Adonidem filium Cytheri, regis Phœnicum ; quæ, relicto regno suo, habitavit Gabalam arcem Phœnicum, et simul subjecit omnia oppida sua Cythero regi. Ante Adonidem vero amavit Arem, et deprehendit eam Hephæstus maritus ejus, et occidit Adonidem in monte Libano, Cyniram vero vertit in aprum. Postea mansit Venus in Gabala et mortua est in civitate Aphaca, ubi sepultus est Adonis. Adoraverunt Elamitæ Noe, filiam regis Elam ; quæ cum captiva ab hostibus ducta esset,fecit ei pater idolum et templum Susis, in arce quæ est in regione Elam.Adoraverunt Syri Ati Adiabensem, quæ misit filiam Balat medicam, et hæc sanavit Sime filiam Hadadi regis Syriæ ; et post temporis intervallum, cum lepra correptus fuisset Hadad,rogavit Ati Eliseum Hebræum qui venit et sanavit eum. Adoraverunt etiam gentes Mesopotamiæ Cuteban Hebræam quæ liberavit Bacru regem Edessæ de inimicis suis. De Nebo vero qui est in civitate Mabug,quid dicam vobis, quandoquidem omnes sacerdotes Mabugenses norunt eum esse idolum Orphei magi Thracis ; et Hedron idolum est Zoroastris magi Persici; qui duo magi spiritum impurum expulerunt qui planitiem Mabugeneem infestabat, et eorum jussu Sima filia Hadadi aqua e mari hausta hanc planitiem implevit ne deinceps exsurgeret spiritus ille nequam ad iterum infestandam regionem.Sic apud varias gentes regibus ab adoratoribus eorum statuæ positæ sunt ; sed de his amplius scribere supersedemus.

Tu vero qui mente libera gloriaris,si veri cognitor vis haberi, stude ut talis sis intus : etsi ornatum muliebrem indueris,memini te esse hominem; crede in eum qui vere Deus est et ad eum expande et commenda animam tuam ; et ipse potest tibi dare vitam æternam quæ non habet finem ; omnipotens enim est. Reliqua vero tibi sunt pro eo quod sunt æstimanda ; imagines ut imagines, sculptilia ut sculptilia ; et cave ne creaturam ponas loco Factoris. Deus omni tempore vivit, intellectum tuum implet : intellectus enim unus imaginem personæ ejus repræsentat ; ipse enim invisibilis est, immutabilis et incomprehensibilis, et ad ejus nutum omnia corpora moventur. Hoc ergo scias : si eum qui immutabilis est coluerís,sicut ipse æternus est,ita et tu, cum illud visibile et corruptibile exueris, ei in æternum astabis vivens et sciens, et opera tua erunt tibi divitiæ quæ non pereunt. Memineris autem operum tuorum bonorum initium esse et fundamentum Dei

(1) Athenienses.

cognitionem et cultum ; nec illum a te quærere quidquam de iis quæ non sunt necessaria cognitu. Quid est Deus ? Ille qui veritas est et verbum ejus veritas. Quid vero est veritas ? Illud quod increatum est et intellectum superat ; illud quod est sine initio et veritas appellatur. Ergo si homo creaturam adorat, veritatem non adorat neque verbum veritatis.

Multo plura de hac re dicerem, sed in illis erubesco qui non intelligere possunt seipsos majores esse operibus manuum suarum, et qui non animadvertunt seipsos dare aurum et argentum fabris, ut ipsis deum faciant ; et ex loco in locum transferunt divitias suas et eas adorant. Quid vero flagitiosius quam ut quis adoret divitias suas, ab illo recedens qui eas ipsi dedit ; hominem probris appetat, hominis vero imaginem adoret ; animalia occidat. similitudini vero animalis cultum reddat ? Patet eos opificium hominum adorare ; non enim aromata ipsa, sed eorum imagines ab artificibus factas adorant ; nec fragmentis auri et argenti sacrificant, sed imaginibus quas ex eis tornatores fingunt. Stulte, quid amplius habet aurum tuum ut nunc adores illud ? Num quia volueris figuram induit, vel feræ voracis ? Ecce fera ipsa, ecce volucer adest. Et si artificium miraris, quanto mirabilius opificium Dei qui cuncta creavit, et ad similitudinem suam ipsos artifices fecit, qui opera ejus imitari, sed frustra conantur. Dicesne : Cur talem non me creavit Deus, ut illi et non idolis servirem ? Sic te vas inutile confiteris dum homo vivus esse possis. Deus enim facit te prout ipsi optimum visum est et mente libera præditum : cuncta ante te posuit ; tuum est quod bonum est dignoscere et eligere. Posuit coram te cœlum, stellas, solem et lunam qui quotidianum motum adimplent in cœlo ; posuit coram te aquas multas quarum motum cohibet verbo suo ; coram te terra expanditur quæ eadem forma quiescit et stat. Et ne putes eam ex naturæ suæ legibus stare, ad ejus enim nutum commovetur. Posuit coram te nubes quæ, eo jubente, aquas interram sitientem immittunt, ut ex his intelligas eum ad cujus nutum hæc moventur, ipsis esse majorem, et memor sis benignitatis ejus qui intellectum in te excitavit, ut hæc capere possis. Te igitur hortor ut cognoscas teipsum et cognoscas Deum. Vide quid sit in te hoc quod nominatur anima : Per eam oculus videt, auris audit, os loquitur ; illi totum corpus inservit. Anima, Deo volente, sublata, corpus perit. Ex eo igitur quod in te est oculis incomprehensibili, intellige quomodo virtute Dei totus mundus moveatur, sicut corpus anima ; et quomodo, recedente virtute ejus, mundus sicut corpus deficiet.

Cur vero factus sit mundus hic, cur transiturus sit ; cur sit corpus, cur pereat et cur resurgat scire tibi non dabitur, nisi insaniam exueris in qua demergeris, et aperiens oculos intelligas unum esse Deum, Dominum omnium, et eum colas ex toto corde tuo ; tunc voluntates suas tibi cognitas faciet.

Is enim qui longe est a cognitione Dei vivi, jam mortuus et sepultus est. Dæmones et umbras precibus frustra prosequeris, qui nihil tibi dare possunt.

Non amplius ergo societatem habeas cum iis qui se humi prosternunt et lapides osculantur, et dant cibum suum escam igni, et admovent vestes suas idolis ; et qui, sensu præditi, sensu carentia adorant. ad Deum incorruptibilem preces incorruptas funde pro anima tua incorruptibili, et tunc liber apparebis. Deo gratias age, qui te mente libera præditum creavit, ut ad arbitrium tuum dirigaris. Quod si malum elegeris, damnationi subjacebis pro operibus malis : si bonum, bonis multis frueris cum vita æterna. Quid ergo impedit, cum liber sis, quin conversationi tuæ malæ valedicas, et quæras quis sit Dominus omnium, et invenias ? quærentibus enim se cognitionem sui non tegit, quantum quidem cognosci potest. Cave primum ne in anima tua falsus sis. Si quod non est Deus Deum dicis, in anima tua mentiris et coram Deo vero peccas. Stulte, Deum vis emere ? Num Deus egenus est ? Num Deus custoditur ? Emis eum sicut servum et adoras sicut Dominum ? Rogas eum ut divitem ut tibi largiatur, et das illi ut egeno. Quomodo confidis ut victoriam de hostibus tuis tibi concedat, dum inimici tui, te jam devicto, contemnunt eum ? Dicesne : Quoniam rex sum, multitudinis voluntati non possum quin assentiar ? Verba risu vere digna ! Cur enim rex populum sibi subjectum in viam rectam non inducat, et in se non proponat exempla bonorum operum ? Hoc ipsi laudi esset ; rationi enim contrarium est regem prave ambulantem judicare et damnare perversos. Hoc regnum puto pacifice gubernari posse, cujus rex cognoscit et timet Deum verum, ut intelligentes reddat populum suum, et semper recte judicet, sicut homo qui nunquam obliviscitur seipsum etiam coram Deo judicandum. Tunc etiam subjecti ejus propter Deum abstinent ab injuria regi suo et sibi invicem facienda. Ita per cognitionem et timorem Dei malum de regno eradicatur ; si enim rex juste regit subjectos suos, ipsi erga eum et inter se juste agunt, quod regionem certe indicat in pace degentem et multis bonis fruentem, quia omnes nomen Dei laudant. Si enim rex subjectos suos revocet ab errore, quid laude dignius ? Sic Deo placet, error enim omnia mala inducit. Fons vero erroris hic est, si homo Deum ignoret, et pro Deo illud quod non est Deus adoret. Quidam dicunt : Imaginem colendo Deum colimus ; nesciunt ergo Deum ubique præsentem, nunquam deficientem ; nesciunt ipso inscio nihil fieri. Tu vero, homo vilis, cui Deus adest in te, extra te, super te, pretio comparas apud fabrum ligna sculpta in injuriam Dei ; illis sacrificas, et nescis quod videt te oculus ejus quem nihil latet, et arguit te verbum veritatis dicens : Deus, quem nullius oculus vidit, quomodo sculpi potest ? Sed imaginem tui ipsius facis et colis. Lignum sculptum nonne semper lignum est ? Lapidis et auri pondus

idem in statera,idem nunc quod fabricasti idolum, cur pendis ? Aurum ergo,non Deum amas ? Sed si quid furatus est artifex,id non erubescis ab eo repetere.Oculos habes et non vides,intellectum et non intelligis. Cur humi provolveris et res insensibiles precaris ? Time eum per quem terra movetur, circumvolvitur cœlum,fluctus maris concitantur;illum qui ut ignis omnia comburere potest.

Rursus vero quidam dicunt:Quod transmiserunt nobis patres nostri colimus.Cur ergo pauperum vel illitteratorum parentum filii divitias vel eruditionem comparant ? Cur ergo filii cæcorum vident, et filii claudorum ambulant?Non enim rectum est ut homo sequatur majores suos qui prave ambulaverunt,sed ab eorum via recedat ne ut illi percat.Vide ergo si pater tuus viam rectam secutus fuerit,et tunc gressibus ejus insiste;si viam pravam, ab ea recede et viam rectam ingredere,et filii tui sequantur te;doleas etiam patrem tuum prave ambulasse, dolor enim tuus potest ei prodesse.Filiis tuis sic loquere: Deus est pater omnium ; Deus est sine initio, nec factus est:omnia voluntate ejus subsistunt.Ipse fecit luminaria ut videant se invicem servi ejus,et ipse ab oculis servorum suorum abscondit se : non enim possibile est creaturæ mutabili immutabilem videre.

A Qui vero sunt in statu illo qui mutabilitatem non amplius recipit,hi vident Deum sicut possent videre eum. His flamma parcet, cum diluvio ignis mundus subvertetur. Primum enim fuit diluvium venti et aquilo vehemens homines quosdam occidit,justis salvis remanentibus ad veritatem demonstrandam. Deinde vero fuit diluvium aquæ, et suffocati sunt omnes homines, et cuncta animalia, justis in arca lignea mandato Dei servatis.Nunc futurum est diluvium ignis : ardebit terra cum montibus, homines cum idolis et statuis quas fecerunt et adoraverunt; ardebit mare cum insulis, sed justi salvi erunt ab igne,sicut primi justi ab aquis.Tunc confundentur ii qui Deum nescierunt et idola coluerunt,cum auxilii spe destituti videbunt idola sua ardentia cum ipsis.

B Hæc cum didiceris, o Antonine Cæsar, et filii tui tecum,in hæreditatem transmittes iis opes æternas quæ non pereunt ; animam tuam et animam filiorum tuorum salvam facies ab eis quæ universæ terræ incolis in judicio vero et justo eventura sunt. Ibi enim cognoscet te Deus,si hic cognoveris eum. Si eum hic neglexeris, inter eos non computaberis qui cognoscunt eum et illi gratias agunt. Hæc Majestati tuæ sufficiunt, quin imo ampliora si vis.

SPURIA

SANCTI MELITONIS
DE TRANSITU VIRGINIS MARIÆ

LIBER

(*Bibliotheca Patrum maxima*, ed. Lugdun. II, II, 213. — Vide Caroli Woog Dissertationem, supra, col. 1205).

CAPUT PRIMUM.

Melito, servus Christi, episcopus Ecclesiæ Sardensis, venerabilibus in Domino fratribus, Laodiceæ constitutis, in pace, salutem. Sæpe scripsisse me memini de quodam Leucio, qui nobiscum cum apostolis conversatus, alieno sensu et animo temerario discedens a via justitiæ plurima de apostolorum Actibus in libris suis inseruit;et de virtutibus quidem eorum multa et varia dixit ; de doctrina vero eorum plurima mentitus est, asserens eos aliter docuisse, et stabiliens quasi ex eorum verbis sua nefanda argumenta. Nec solum sibi sufficere arbitratus est,verum etiam transitum beatæ semper virginis Mariæ Genitricis Dei, ita impio depravavit stylo, ut in Ecclesia Dei non solum legere, sed etiam nefas sit audire. Nos ergo, vobis petentibus, quæ ab apostolo Joanne audivimus,hæc simpliciter

C scribentes, vestræ fraternitati direximus;credentes, non aliena dogmata ab hæreticis pullulantia, sed Patrem in Filio, Filium in Patre, Deitatis et indivisæ substantiæ Trina manente persona ; neque duas hominis naturas conditas ; bonam scilicet et malam, sed unam naturam bonam a Deo bono conditam, quæ dolo serpentis est vitiata per culpam, et Christi est reparata per gratiam.

CAPUT II.

Igitur cum Dominus noster et Salvator Jesus Christus pro totius sæculi vita confixus clavis, crucis penderet in ligno;vidit circa crucem Matrem suam stantem, et Joannem Evangelistam, quem præ cæteris apostolis peculiarius diligebat,eo quod ipse solus ex ipsis virgo degeret in corpore.Tradidit igitur ei curam sanctæ virginis matris Mariæ, dicens ad eum : *Ecce mater tua*; et ad illam inquit :

Ecce filius tuus. Et ex illa hora sancta Dei Genitrix in Joannis cura specialius permansit, quandiu vitæ istius incolatum transegit. Et dum apostoli mundum suis sortibus in prædicatione sumpsissent, ipsa domo parentum illius, juxta montem Oliveti consedit.

CAPUT III.

Secundo itaque et vicesimo anno postquam Christus, devicta morte, cœlum conscenderat, dum die quadam desiderio Christi succensa Maria, sola intra domus istius receptaculum lacrymaretur: ecce angelus, magni luminis habitu resplendens, ante eam astitit, et salutationis verba persolvit, dicens: Ave, benedicta Domino; suscipe illius salutem, qui mandavit salutem Jacob, per prophetas suos. Ecce, inquit, ramum palmæ, de paradiso Dei attuli tibi, quem portare facies ante feretrum tuum cum in die tertia assumpta fueris de corpore. Ecce enim exspectat te Filius tuus, cum thronis et angelis, et universis cœli virtutibus. Tunc Maria dixit ad angelum: Peto abs te ergo, ut congregentur ad me omnes apostoli Domini mei Jesu Christi. Cui angelus dixit: Ecce, inquit, hodie per virtutem Domini mei Jesu Christi, omnes apostoli assumpti huc ad te venient. Et ait illi Maria: Rogo ut mittas super me benedictionem tuam, ut nulla potestas inferni occurrat mihi in illa hora, qua anima mea fuerit egressa de corpore, et ne videam principem tenebrarum. Ait autem angelus ad eam: Potestas quidem inferni non nocebit tibi; benedictionem autem æternam dedit tibi Dominus Deus tuus, cujus ego servus sum, et nuntius; non videndi autem principem tenebrarum, effectum non a me tibi dandum existimes, sed ab illo, quem tu in sancto tuo utero bajulasti; ipsius enim est potestas omnium in sæcula sæculorum. Et hæc dicens angelus, cum magno splendore discessit. Palma autem illa fulgebat nimia luce. Tunc Maria exuens se prioribus indumentis, induit meliora. Et accipiens palmam, quam susceperat de manu angeli, egressa est in montem Oliveti, et cœpit orare, et dicere: Non ego fueram digna, Domine, suscipere te, nisi tu misertus fuisses mei; sed tamen ego custodivi thesaurum tuum, quem commendasti mihi. Ideoque peto a te, Rex gloriæ, ut non noceat mihi potestas gehennæ. Si enim cœli et angeli ante te tremunt quotidie, quanto magis homo de terra conditus, cui nihil residet boni, nisi quantum acceperit a tua bonitate. Tu es enim Dominus Deus semper benedictus in sæcula! Et cum hæc dixisset, reversa est in hospitium suum.

CAPUT IV.

Et ecce subito, dum prædicaret beatus Joannes in Epheso, die Dominica, hora diei tertia, terræ motus factus est magnus; et nubes elevavit eum, et suscepit eum ab oculis omnium, et adduxit eum ante ostium domus, ubi erat virgo Deipara Maria. Et pulsans ostium, statim ingressus est. Cum videret autem eum sanctissima virgo Maria, exsultavit in gaudio, et dixit: Rogo te, fili Joannes, memor esto verborum Domini Jesu Christi, magistri tui, quibus me commendavit tibi. Ecce enim die tertio discessura sum de corpore; audivi autem consilium Judæorum dicentium: Exspectemus diem, quando moriatur quæ portavit illum seductorem, et corpus ejus igni comburamus. Vocavit ergo sanctum apostolum Joannem, et introduxit eum in secretarium domus, et ostendit ei vestimentum sepulturæ suæ, et palmam illam luminis, quam acceperat ab angelo, præmonens eum ut illam faceret ferri ante lectum suum, cum duceretur ad sepulturam, et iret ad monumentum.

CAPUT V.

Cui beatus et dilectus apostolus Joannes ait: Quomodo ego solus parebo tibi, Domina, exsequias; nisi venerint fratres mei, discipuli et coapostoli Domini nostri Jesu Christi, ad reddendum honorem corpusculo tuo? Et factum est: et ecce subito, per imperium Dei, omnes apostoli de locis, in quibus prædicabant verbum Dei, elevati in nube rapti sunt, et depositi ante ostium domus in qua habitabat Maria Domini Mater, et salutantes se invicem, mirabantur, dicentes: Quæ causa est, ob quam Dominus nos hic in unum congregavit? Advenit autem cum eis Paulus, ex circumcisione conversus, qui assumptus fuerat cum Barnaba in ministerium gentium. Cumque inter eos esset pia contentio, quis ex eis prior oraret ad Dominum, ut ostenderet illis causam ipsorum, et Petrus Paulum hortaretur, ut prior oraret, Paulus respondit, dicens: Tuum est istud officium, primum inchoare, maxime cum sis electus a Deo columna Ecclesiæ, et tu præcedis omnes in apostolatu; meum autem minime; nam ego minimus sum omnium vestrum et tanquam abortivo visus est mihi Christus, nec me vobis æquare præsumo, tamen gratia Dei sum id quod sum.

CAPUT VI.

Tunc omnes apostoli gaudentes super humilitate Pauli, unanimiter consummaverunt orationem suam. Et cum finem orationis fecissent, et dixissent. Amen, ecce subito venit ad eos Deo dignus apostolus Joannes, et indicavit eis omnia hæc. Ingressi ergo apostoli domum, invenerunt Matrem Domini nostri Mariam, et salutaverunt eam dicentes: Benedicta tu a Domino, qui fecit cœlum et terram. Quibus illa ait: Pax vobiscum sit, fratres electi a Domino; et interrogavit eos dicens: Quomodo huc venistis? Qui illico narraverunt ei, quomodo unusquisque ex ipsis a Spiritu Dei elevatus in nube, et depositus ibidem advenissent. Quibus ipsa dixit: Dominus vos huc adduxit in solatium ferendum angustiis, quæ venturæ sunt mihi. Nunc ergo deprecor vos, ut sine intermissione omnes unanimiter vigilemus, usque in illam horam, qua Dominus venturus est, et ego de corpore hoc sum recessura.

CAPUT VII.

Cumque consedissent, et consolantes eam, triduo in Dei laudibus perstitissent, ecce die tertia circa horam tertiam diei, super omnes, qui erant in domo illa repente sopor irruit, et nullus omnino vigilare potuit, nisi soli apostoli, et tres tantummodo virgines, quæ sacræ Virgini comites erant. Et ecce subito advenit Dominus Jesus cum magna multitudine angelorum, et splendor magnus in locum illum descendit, et erant angeli hymnum dicentes, et collaudantes Dominum. Tunc Salvator locutus est dicens : Veni, electa mea, pretiosissima margarita, intra in receptaculum vitæ æternæ.

CAPUT VIII.

Tunc Maria prostravit se in pavimento, adorans Dominum, quæ dixit : Benedictum nomen gloriæ tuæ, Domine Deus meus, qui dignatus es me humillimam ancillam tuam eligere, et arcanum tui mysterii mihi commendare. Memor igitur esto mei. Rex gloriæ. Tu enim scis quia in toto corde meo dilexi te, et custodivi thesaurum a te mihi creditum. Suscipe itaque me, Domine, ancillam tuam, et libera me a potestate tenebrarum, ut nullus Satanæ impetus occurrat mihi, nec videam tetros spiritus occursantes. Cui Salvator respondit : Cum ego missus a Patre pro salute mundi fuissem suspensus in cruce, ad me princeps tenebrarum venit, sed dum nullum sui in me operis vestigium invenire prævaluit, victus et conculcatus abscessit. Vidi, et tu ergo videbis eum quidem communi lege humani generis, per quam sortiris finem mortis, nocere autem non poterit tibi, quia nihil in te habet, et quia tecum sum, ut eruam te. Veni igitur jam secura, quia exspectat te cœlestis vitæ militia, ut te introducam in paradisi gaudia. Et hæc dicente Domino, exsurgens beatissima Virgo de pavimento accubuit super lectum suum, et gratias agens Domino Deo, emisit spiritum. Viderunt autem apostoli tantum lucis candorem, ut nulla mortalium lingua digne possit effari. Vincebat enim omnem candorem nivis, et universi metalli, et argenti radiantis magna claritate.

CAPUT IX.

Tunc Salvator locutus est, dicens : Surge, Petre, tu et reliqui apostoli, et corpus Mariæ dilectæ meæ accipite, et deferte illud in dexteram partem civitatis ad orientem, et invenietis monumentum novum, in quo ponentes eam, exspectate donec veniam ad vos. Et hæc dicens Dominus tradidit animam sanctæ matris nostræ Mariæ, Michaeli archangelo suo, qui est præpositus paradisi, et princeps gentis Hebræorum : et Gabriel archangelus ibat cum ea. Dominus autem Salvator noster statim in cœlum cum angelis receptus est.

CAPUT X.

Tres autem virgines quæ ibidem erant, et vigilabant ; susceperunt corpus beatissimæ parentis Mariæ, et laverunt illud funerum more. Cumque exuissent illam vestibus suis : sacrum corpus illud tanta claritate resplenduit, ut tangi quidem posset pro obsequio, videri autem species præ nimia luce coruscante, non posset ; et splendor apparuit magnus, et nihil sentiebatur, dum lavaretur corpus mundissimum, et nullo horrore sordis infectum. Cumque vestissent eam linteis et indumentis mortalibus, paulatim lux illa evanuit. Et erat facies beatæ Genitricis Dei Mariæ similis floribus lilii, et odor suavitatis magnæ egrediebatur ex ea, ita ut ei similis suavitas inveniri nulla posset.

CAPUT XI.

Tunc igitur sanctum corpus imposuerunt feretro, dixeruntque ad invicem apostoli : Quis palmam hanc ante feretrum ejus portabit ? Tunc Joannes ait ad Petrum : Tu qui præcedis nos in apostolatu, debes palmam hanc ante feretrum merito ferre. Cui Petrus respondit : Tu solus ex nobis virgo es electus a Domino : et tantam gratiam invenisti, ut super pectus ejus recumberes. Insuper dum ipse pro salute nostra in crucis stipite penderet, hanc tibi ore proprio commendavit. Tu igitur portare debes hanc palmam, et ego suscipiam ad sustinendum sacrosanctum hoc et venerabile corpus usque ad locum monumenti. Cui Paulus ait : Et ego qui junior sum omnium vestrum, portabo tecum. Cumque consensissent omnes. Petrus elevans a capite feretrum cœpit psallere, et dicere : *Exiit Israel de Ægypto*, Alleluia. Sustinebat autem cum eo Paulus, sacrum beatæ semper virginis Mariæ corpus, et Joannes ante feretrum præferebat palmam luminis. Cæteri vero apostoli psallebant voce suavissima.

CAPUT XII.

Et ecce novum factum est miraculum. Apparuit enim corona nubis super feretrum magna valde, sicut apparere solet magnus circulus juxta splendorem lunæ. Et angelorum exercitus erat in nubibus, canticum suavitatis emittentium, et resonabat terra sonitu dulcedinis magnæ. Tunc egressus de civitate populus fere quindecim millia hominum, mirabantur, dicentes : Quis est sonitus tantæ suavitatis ? Tunc stetit unus, qui diceret illis : Maria Mater Jesu exiit modo de corpore, et discipuli Jesu circa eam laudes dicunt. Et respicientes viderunt coronatum feretri lectulum magna gloria, et apostolos cantantes voce magna. Et ecce unus ex illis, qui erat princeps sacerdotum Judæorum in ordine suo repletus est furore et ira, et dixit ad reliquos : Ecce tabernaculum illius qui nos turbavit et omne genus nostrum, qualem gloriam nunc accipit ? Et accedens voluit evertere feretrum, et corpus ad terram dejicere. Et statim aruerunt manus ejus a cubitis, et adhæserunt lectulo. Et elevantibus apostolis feretrum, pars ejus pendebat, et pars hærebat ad feretri lectulum, et torquebatur supplicio vehementi, ambulantibus apostolis, et psallentibus

Domino: « *Angeli vero qui erant in nube percusserunt populum cœcitate.*

CAPUT XIII.

Tunc princeps ille clamabat dicens : Deprecor te, dilecte Deo Petre, ne me despicias in tanta necessitate, quia tormentis magnis crucior valde. Memor esto quod quando in prætorio ancilla ostiaria te recognovit, et dixit cæteris, ut calumniarentur tibi, tunc ego locutus sum pro te bona. Tunc respondens Petrus ait : Non est meum auxiliari tibi ; si autem credideris toto corde in Dominum Jesum Christum, quem in suo sancto utero hæc cui calumniatus es, Virgo portavit, et post partum virgo permansit, clementia Domini et larga ejus pietas, quæ salvat indignos, dabit tibi salutem. Ad hæc ille respondit : Nunquid non credimus ? sed quid faciemus, quia inimicus humani generis excæcavit corda nostra, et confusio operuit vultum nostrum, ne confiteamur magnalia Dei, maxime cum ipsi maledixiimus contra Christum palam clamantes : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*a*) ? Tunc Petrus ait : Hæc maledictio iis solis nocebit, qui infideles permanserint. Convertentibus autem se ad Deum, misericordia non negatur. Et ille ait : Omnia credo quæ dicis, tantum precor misere ne moriar.

CAPUT XIV.

Tunc Petrus fecit stare lectulum, et ait illi : Si credideris toto corde in Dominum Jesum Christum solventur a feretro manus tuæ. Et cum dixisset : Hoc credo, statim solutæ sunt manus ejus a feretro, et cœpit stare pedibus suis, sed erant brachia ejus arida, et non discessit ab eo supplicium. Tunc Petrus ait illi : Accede ad corpus, et osculare lectulum quoque, et dic : Credo in Deum, et in Dei Filium, quem ista portavit Jesum Christum, et credo omnia quæcunque locutus est mihi Petrus apostolus Dei. Et accedens, osculatus est lectulum, et statim omnis dolor abscessit ab eo, et sanatæ sunt manus ejus. Tunc cœpit laudare et benedicere Deum largiter ; et de libris Moysi testimonium reddere laudibus Christi : ita ut etiam ipsi apostoli mirarentur, et flerent præ gaudio laudantes sub illa nomen Domini.

CAPUT XV.

Petrus vero dixit ad eum : Accipe palmam hanc de manu fratris nostri Joannis : et ingrediens civitatem invenies populum multum cæcatum, et annuntia eis magnalia Dei, et quicunque crediderint in Dominum Jesum Christum, impones palmam hanc super oculos eorum, et videbunt cæci : qui autem non crediderint, permanebunt cæci. Qui cum fecisset ita, invenit populum multum plangentem, et dicentem : Væ nobis, quia similes facti sumus Sodomitis cæcitate percussis ! Nil superest jam nobis nisi ut pereamus. Cum autem audissent verba principis loquentis, qui sanus fuerat, crediderunt in Dominum Jesum Christum ; et imponente eo palmam super oculos eorum, receperunt visum. Quicunque tantum ex eis permanentes in duritia cordis, cæci mortui sunt. Et egressus princeps sacerdotum ad apostolos, retulit palmam, referens omnia quæ fuerunt facta.

CAPUT XVI.

Mariam autem portantes apostoli pervenerunt ad locum vallis Josaphat, quem ostenderat illis Dominus. Et posuerunt eam in monumento novo, et clauserunt sepulcrum. Ipsi vero sederunt ad ostium monumenti, sicut mandaverat eis Dominus. Et ecce subito advenit Dominus Jesus cum innumerabili exercitu angelorum magnæ claritatis radio coruscante, et dixit apostolis : Pax vobiscum. At illi respondentes dixerunt : Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. Tunc Salvator locutus est eis, dicens : Antequam ascenderem ad Patrem meum, pollicitus sum vobis dicens, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Hanc ergo ex tribubus Israel elegit jussio Patris mei, ut habitarem in ea, quid ergo vultis ut faciam ei ? Tunc Petrus, et alii apostoli dixerunt : Domine, prælegisti hanc ancillam tuam fieri immaculatum tibi thalamum, et nos servulos tuos in ministerium tuum. Omnia ante sæcula præscivisti cum Patre, et Spiritu sancto, cum quibus tibi est una deitas, æqualis et infinita potestas. Sic ergo visum nobis fuerat famulis tuis etiam rectum esse ; ut sicut tu, devicta morte, regnas in gloria, ita recuscitans matris corpusculum, tu tecum duceres eam lætam in cœlum.

CAPUT XVII.

Tunc Salvator ait : Fiat secundum verbum vestrum, et præcepit Michael archangelo, ut animam sanctæ Mariæ deferret. Et ecce repente Gabriel archangelus revolvit lapidem ab ostio monumenti, et ait Dominus : Surge, amica mea, et proxima mea ; quæ non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem corporis in sepulcro. Et statim surrexit Maria de tumulo, et benedicebat Dominum, et provoluta ad pedes Domini, adorabat eum, dicens : Non ego tibi condignas gratias possum rependere, Domine, pro impensis beneficiis tuis, quæ mihi ancillæ tuæ conferre dignatus es. Sit nomen tuum, Redemptor mundi, Deus Israel, benedictum in sæcula.

CAPUT XVIII.

Et osculatus eam Dominus recessit, et tradidit eam angelis, ut deferrent eam in paradisum. Et ait apostolis : Accedite ad me. Et cum accessissent, osculatus est eos, et ait : Pax vobis ; quoniam ego semper vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et statim cum hæc dixisset Dominus, elevatus in nube, receptus est in cœlum, et angeli

(*a*) Matth. XXVII, 25.

cum eo, deferentes beatissimam Dei Genitricem Mariam in paradisum Dei. Apostoli autem suscepti sunt a nubibus, et reversi sunt unusquisque in sortem prædicationis suæ, narrantes divina magnalia, et laudantes Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto, in unitate perfecta et in una divinitatis substantia in sæcula sæculorum. Amen.

MILETI EPISCOPI

LIBER

DE ACTIBUS JOANNIS APOSTOLI A LEUCIO CONSCRIPTIS

(*Bibliotheca Anecdotorum*,... edidit Gotth. Heine, Lipsiæ, Weigel, 1848, in-8.)

MONITUM

Opus, quod sequitur, exscripsi ex Vitarum sanctorum collectione, quæ invenitur in codice 284 Aleobacensis bibliothecæ, cujus supra a me jam mentio facta est. Liber sæculo duodecimo cum diligentia ex codice vetustiore exscriptus est. Necnon idem opus in undecimi aut duodecimi sæculi libro manuscripto Vaticanæ inveniri videtur ; certe in Isidorianis, quæ Arevallius Isidori Hispalensis operum editioni præmisit (Isid. *Opp.* Rom. 1797. tom. II, p. 255), adnotatum est, in Vaticanæ codice 1267 opus esse inscriptum: *Incipit Prologus de vita et assumptione beati Joannis*, quod fere a similibus verbis incipit, atque illud, quod infra publicavi ; verborum enim initium est : « Melito servus Christi episcopus Laodiceæ universis episcopis catholicorum in Domino æternam salutem. Nolo fraternitatem vestram esse sollicitam, » etc. Denique idem opus in codice bibliothecæ Capituli Toletani pariter undecimo sæculo scripto, qui codex vocatur Smaragdinus, inveni, in quo, nisi fallor, caj. 10, nr. 25, notatur. In alia autem sanctorum Vitarum collectione opus duodecimam narrationem efficit inscriptam : *Dormitio vel assumptio sancti Joannis apostoli et evangelistæ, qui in civitate Epheso in foveam quam sibi præparavit* IV *Kal. Januarias*. Incipit a verbis : « Miro servus episcopus Laudociæ universis Ecclesiis catholicorum in Deo æternam salutem. Volo, » etc. Lectiones diversas, quas ille codex Toletanus in prologo, qui dicitur, exhibet, libro a me publicato addidi. Cæterum quis ille Melito, Miletus seu Miro fuerit, qui operis auctor traditur, et quod horum trium nominum verum sit, equidem definire non possum. Leucius autem, ex cujus opere epitomen emendatam fecisse dicitur, in apocryphorum litteris satis notus est ; quæ ille de apostolis scripserit in catalogo librorum, qui Hormisdæ decretali vetiti sunt, recenseri nemo est qui nescit. Duorum autem principiorum, boni et mali, crimen, quod Leucii doctrinæ in prologo sequente aperte objicitur, eo magis mihi observatione dignum videtur, quod Leucius libro suo apud Priscillianos in magno honore fuit, et quodammodo fundamentum doctrinæ eorum effecit, ita ut de duobus principiis, quæ illi statuerunt, non sit, quod dubitemus. Neque indigna sunt observata nonnulla miraculorum, quæ in opere de apostolo narrantur, præcipue secundum, quod contra quædam genera exercitationum piarum scriptum videtur.

—

Incipit Prologus Mileti episcopi super Actus Joannis apostoli et evangelistæ.

Miletus servus Christi Jesu, episcopus Laodiciæ, universiis Ecclesiis catholicorum æternam salutem.

Volo sollicitam esse fraternitatem vestram de Leutio [1] quodam, qui scripsit apostolorum Actus Joannis evangelistæ et apostoli sancti [2] Andreæ et Thomæ apostoli ; qui de virtutibus quidem quas per eos Dominus fecit vera dixit, de doctrina vero eorum plurimum [3] mentitus est. Dixit enim docuisse eos duo principia, quod exsecratur Ecclesia Christi, et [4] cum ipse sanctus Joannes [5] in capite Evangelii sui unum testetur principium [6], in quo fuerit verbum semper, per quod universa creata sunt visibilia et invisibilia, Leutius [7] dicit eos docuisse duo principia boni et mali, et bona a bono, mala vero a malo principe substitisse [8], cum constet malum nihil esse substantiale, sed actuale ac penitus nullam esse creaturam neque visibilem neque invisibilem quæ possit mala intelligi per naturam. Sive enim angelus malus sive homo malus a Deo bonus factus est, sed [9] ideo malus, quia contra creatoris sui voluntatem præsumpsit, nam et angeli et homines qui mali esse noscuntur, a justo Deo damnantur. Justus autem Deus injustitiam punit, quam non oriendo sed agendo homines vel angeli [10] incurrisse noscuntur. Prohibita enim a domino servus si perpetraverit, et justa non fecerit, juste puniendum se esse [11] cognoscit. Quicunque [12] autem se pro sua præsumptione humiliaverit et ex toto corde dixerit, peccavi tibi, Domine, miserere mei, subveniet ei

VARIÆ LECTIONES.

[1] *Toled.* Leucio. [2] *Toled.* et sancti. [3] *Toled.* de doctrina vero multa mentitus est, [4] *Toled. om.* et. [5] *Toled.* Joannes apostolus. [6] *Toled.* esse principium. [7] *Toled.* Leucius autem. [8] *Toled.* exstitisse. [9] *Toled.* et. [10] *Toled.* quam oriendo angeli vel homines, sed agendo incurrisse. [11] *Toled.* puniendum esse cognoscitur. [12] *Toled.* quique cum seipsum pro.

pietas Domini; et qui per justitiam judicis justi A puniendus exstiterat per misericordiam ad indulgentiam revocabitur. Ergo ut vere te peccatorem ostendas, Deum creatorem honora; honoras autem Creatorem, si te solum [13] culpaveris cum deliqueris, et non ascribas Creatori quod peccas, ut ex omni parte tuam præsumptionem arguas, non tui queraris opera conditoris [14]. Hæc Leutii [15] causa memoraverimus [16], qui mendacium [17] apostolos Dei asserit docuisse, duorumque [18] contrariorum principiorum [19] hominis exstitisse facturam, et animam a bono Deo conditam, carnem vero a malo et necessitate carnis animam involvi peccatis. Quod si ita esset, qui non peccat, omnino non viveret. Sicut enim qui non manducat, aut non bibit, aut non digerit, aut non dormit, sine dubio vivere non po- B test, ita et qui non fornicatur, aut qui non invidet, aut non furatur, aut qui non aliquid crimen admittit, non posse vivere monstraretur. At vero cum doceatur homo sine fornicatione vivere qui sine victu et vestitu vivere non potest, constat eum ita conditum a bono conditore, ut sine criminibus queat subsistere, cum absque alimoniis non possit omnino constare [20]. Denique clausum carcere, tantum in vinculis, deportatum exsilio absque criminibus vivere posse cognoscimus cum absque cibo et potu, et digestione, et somno, penitus vivere non posse comprobemus. Nunc jam ad sanctum Joannem apostolum et evangelistam flectamus articulum, et ad Dominum de hac luce qualiter migraverit explicemus. *Explicit Prologus.*

Incipiunt Actus vel Miracula sancti Joannis apostoli et evangelistæ

Secundam post Neronem Christianorum persecutionem Domitianus exercuit, unde factum est ut sanctus Joannes asportaretur de Epheso et in Patmos insula in exsilium mitteretur, in qua insula Apocalypsim quam ei Dominus revelavit manu sua conscripsit. Domitianus autem eodem anno quo jussit sanctum Joannem exsiliari a senatu Romano interfectus est. Et cum Deo cura fuit de apostolo suo, ex totius senatus consultu hoc definitum est, ut quidquid Domitianus fieri voluit cassaretur. Hinc factum est ut sanctus Joannes qui voluntate Domitiani deportatus cum injuria fuerat, cum honore ad Ephesum remearet. Occurrit autem illi omnis populus virorum ac mulierum, omnes exsultantes et dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*a*).

Cum autem ingrederetur civitatem, Drusiana quæ semper eum secuta fuerat et adventus ejus fuerat desiderio fatigata, efferebatur mortua. Tunc sanctus Joannes videns flentes pauperes, et parentes, atque viduas simul cum orphanis clamantes et dicentes: Sancte Joannes apostole, ecce Drusianam efferrimus quæ sanctis tuis monitis obtemperans omnes nos alebat, serviens Domino in castitate et humilitate; et quotidie desiderabat reditum tuum, dicens: Si videam apostolum Dei oculis meis, antequam moriar; ecce tu venisti et te videre non potuit. Tunc beatus Joannes jussit deponi feretrum et resolvi corpus ejus, et voce clara dixit coram omnibus: Dominus meus Jesus Christus excitet te, Drusiana, surge et pedibus tuis revertere domum tuam et præpara mihi refectionem. Ad hanc vocem surrexit D et cœpit ire, sollicita de jussione apostoli, ita ut videretur ipsi Drusianæ quia non de morte, sed de somno excitasset eam. Factus est autem clamor populi per tres horas dicentis: Unus Deus quem prædicat Joannes, unus et verus Dominus Jesus Christus. Altera vero die Craton philosophus in foro proposuerat de contemptu mundi hujusmodi spectaculum, ut duos fratres ditissimos produceret, quos fecerat distracto patrimonio gemmas emere singulas, quas in conspectu omnium populorum fregerunt pueri. Quod cum facerent contigit transitum habere Joannem apostolum, et convocans ad se Cratonem philosophum ait: Stultus est iste mundi contemptus, qui hominum ore laudatur, sed condemnatur divino judicio; sicut enim vana medicina est, ex qua non absciditur morbus, ita vana C doctrina est, ex qua non curantur vitia animarum et morum. Magister itaque meus juvenem cupientem ad vitam æternam attingere, his verbis instruxit ut diceret quatenus si vellet perfectus esse venderet omnia sua et daret pauperibus; quo facto thesaurum in cœlis aquireret, et vitam quæ finem non habet inveniret. Cui Craton dixit: Humanæ cupiditatis fructus in medio hominum positus confractus est; sed si vere Deus est magister tuus et vult hoc fieri ut pauperibus erogetur census pretii harum duarum gemmarum, fac reintegrari gemmas, ut quod ego feci ad famam hominum, tu facias ad gloriam ejus fieri, quem tuum magistrum esse commemoras. Tunc beatus Joannes colligens fragmenta gemmarum, et ponens ea in manibus suis, elevavit oculos ad cœlum et ait: Domine Jesu Christe, cui nihil impossibile est, qui fractum mundum per lignum concupiscentiæ per lignum crucis tuæ interius fidelibus restaurasti; qui nato

[a] Psal. CXVII, 26.

VARIÆ LECTIONES.

[13] *Toled. om.* solum. [14] *Toled. add.*: Si enim vere negligentem te accusaveris ac delinquentem et veram Deo obtuleris pœnitentiam, ad veram poteris indulgentiam pervenire. [15] *Icled.* Leucii. [16] *Toled.* memoraverim. [17] *Toled.* mendacio plenus [18] *Toled.* duorum. [19] *Toled.* principio.

cæco oculos, quos natura negaverat, reddidisti ; qui mortuum Lazarum et sepultum post quartum diem ad superos revocasti, et omnes morbos et omnes ægritudines virtutis tuæ verbo curasti, adesto super lapides istos pretiosos ut quos ignorantes fructum eleemosynæ ad plausus hominum confregerunt, tu, Domine, per manus angelorum tuorum modo recuperes, ut pretio eorum misericordiæ usus expletus faciat credentes tibi pervenire, quod tuum imperium, qui cum ingenito Patre et Spiritu sancto illuminatore et sanctificatore totius Ecclesiæ vivis et regnas, Deus in sæcula sæculorum. Cumque fideles qui cum apostolo erant respondissent Amen, ita solidata sunt fragmenta gemmarum, ut nec signum alicujus fracturæ in eis remaneret. Tunc philosophus Craton simul cum his juvenibus et cum universis discipulis suis pedibus ejus advolutus credidit et baptizatus est cum omnibus et cœpit fidem Domini nostri Jesu Christi publice prædicare. Tunc duo illi fratres venundantes gemmas quas vendito patrimonio suos emerant pauperibus erogaverunt. Et cœpit infinita turba adhærere apostolo.

Tunc duo honorati viri civitatis Ephesiorum horum sequentes exemplum, vendentes omnia sua quæ habere poterant et dantes universa egentibus, sequebantur apostolum per civitates euntem et verba Domini prædicantem. Contigit autem ut intrantes urbem Pergamum viderent servos suos sericis indutos vestibus procedentes et in gloria sæculari fulgentes. Unde factum est ut sagitta diaboli percussi tristes efficerentur, quod se in uno pallio viderent, egentes, suos vero servos potentissimos atque fulgentes. Sed hos dolos diaboli intelligens apostolus ait : Video vos et animos mutasse et vultus propter hoc quod doctrinam Domini mei Jesu Christi secuti estis, et omnia quæ habere potuistis pauperibus contulistis. Unde si vultis omnia recuperare quæ in auro, et in argento, et lapidibus pretiosis habuistis, deferte mihi virgas rectas in singulis fascibus. Quod cum fecissent, invocato nomine Domini conversæ sunt in aurum. Item dixit eis : Deferte mihi lapides minutos a littore maris. Quod cum fecissent, invocata Domini majestate, conversi sunt in gemmas. Tunc dicit eis sanctus Joannes apostolus : Per septem dies ite per aurifices et gemmarios, et cum probaveritis verum esse aurum et veras gemmas, nuntiate mihi. Euntes autem ambo post septem dies reversi sunt ad apostolum dicentes : Domine, omnium aurificum officinas circumivimus, qui omnes dixerunt tam purum aurum et tam optimum nunquam se vidisse ; sed et gemmarii eadem dixerunt, tam optimos et tam pretiosos lapides se nunquam vidisse. Tunc sanctus Joannes dixit eis : Ite et redimite vobis terras quas vendidistis, quia cœlorum præmia perdidistis. Emite vobis sericas vestes, ut per tempus fulgeatis sicut rosa ; quæ dum flos ejus et odorem pariter ac ruborem ostendit, repente marcescit. Suspirastis enim in vestrorum servorum aspectus et vos effectos pauperes gemuistis. Estote ergo floridi, ut marcescatis, estote divites temporaliter, ut in æternum mendicetis. Nunquid nam impotens est manus Domini ut non faciat servos suos divitiis affluentes et incomparabiliter splendentes ? Sed certamen statuit animorum ut qui pro ejus nomine temporales habere opes noluerint credant se æternas habituros. Denique narravit nobis Dominus noster Jesus Christus de quodam divite, qui epulabatur quotidie splendide et fulgebat in auro et purpura, ad cujus fores jacebat mendicus Lazarus, qui cupiebat vel micas quæ de mensa ejus cadebant accipere, et nemo illi dabat. Contigit autem ut uterque moreretur, et ille mendicus deferretur in requiem, quæ est in sinu Abrahæ ; ille autem dives mitteretur in flammam incendii, unde elevans oculos vidit Lazarum sedentem in sinu Abrahæ et exclamavit dicens : *Pater Abraham miserere mei et mitte Lazarum ut intingat digitum suum in aquam et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cui Abraham respondens dixit : Memento, *fili, quod recepisti bona in vita tua, Lazarus vero similiter mala ; nunc vero hic consolatur, tu vero torqueris. Et in his omnibus chaos magnum inter nos et vos firmatum est*, ut neque inde huc neque hinc illud transire aliquis possit. At ille repondit : Sunt mihi quinque fratres, obsecro ut surgat aliquis qui moneat eos ne huc veniant in hanc flammam. Cui Abraham ait : *Habent Moysen et prophetas audiant illos.* Ad hæc ille respondit : Nisi resurrexerit aliquis non credent. Cui dixit Abraham : Si Moysi et prophetis non credunt, nec si aliquis resurrexerit poterunt ei credere (*b*). Hos autem sermones suos Dominus ut magister noster virtutum firmabat exemplis. Nam cum dicerent ei : Quis inde huc venit, ut credamus ei, ille ait : Deferte huc mortuos, quos habetis. Cumque apportassent coram illo tria corpora mortuorum velut dormientia excitata sunt ab eo, qui dabant fidem universis sermonibus ejus. Sed ad quid ego de Domino meo refero hæc, cum in præsenti sint quos in ejus nomine suscitavi vobis præsentibus, in cujus nomine et paralyticos curatos vidistis et leprosos emundatos et cæcos illuminatos, et a dæmoniis homines liberatos ? Sed has virtutum opes habere non possunt, qui divitias voluerint habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrastis, invocato nomine Domini nostri Jesu Christi salvati sunt, fugastis dæmonia, et etiam excæcatis lumina reddidistis. Ecce ablata est hæc gratia a vobis et facti estis miseri qui eratis fortes et magni. Et cum tantus timor vestri esset in dæmoniis, ut jussu vestro obsessos homines relinquerent, modo vos timetis dæmonia ; amator enim pecuniæ servus est mammonæ. Mammona autem dæmonis nomen est, qui lucris carnalibus præest et dominatur his qui diligunt mundum. Nam cum sit unus venter et sint reposita tanta quæ mille ventribus sufficiant, et cum sit

(*b*) Luc. xvi, 24-31.

unum corpus et sint tantæ vestes quæ mille hominum corporibus præbeant indumenta, utique quod uti non potest custoditur, et cui custodiatur omnino nescitur, dicente Spiritu sancto per prophetam : *Vane conturbatur omnis homo, thesaurizat et ignorat cui congregat ea* (*a*). Nudos nos fuderunt in lucem partus mulierum egentes cibo, amictu, poculo, nudos nos recipiet terra quæ genuit. At vero in commune possidemus cœli divitias. Splendor solis diviti et pauperi æqualiter communis est; similiter lumen lunæ, et siderum, aeris quoque temperies et pluviarum guttæ et ecclesiæ januæ et fontis sanctificatio et peccatorum remissio et participatio altaris et esca corporis et potus sanguinis sancti et chrismatis unctio, et gratia largitoris et visitatio Domini et universi peccati indulgentia, horum omnium, absque personæ alicujus acceptione, æqualis est dispensatio conditoris. Neque enim aliter dives et aliter pauper utitur his donis, sed miser et infelix homo, dum vult plus habere quam sufficit, multis se doloribus ac sollicitudinibus subdit. Nascuntur enim hinc calores febrium, rigores frigorum, dolores varii in cunctis corporum membris et neque esca cibari potest neque poculo satiari, ut cognoscat cupiditas non sibi pecunias profuturas, quæ reposita custodibus suis sollicitudinem diurnam et nocturnam incutiunt, et nec unius horæ spatio quietos eos aut securos esse patiuntur. Nam dum custoditur a furibus domus, dum possessio colitur, dum aratris intendunt, dum solvunt fiscalia, dum ædificant promptuaria, dum lucris student, dum potentiorum se impetus mitigare nituntur, dum minus potentes se nudare contendunt, dum iras suas quibus possunt inferunt et illatas in se vix aut nullatenus ferre possunt, dum blandimento suæ carnis assentiunt, dum ludere alcis et spectaculis non erubescunt, dum polluere et polluí non metuunt, subito exeunt de isto sæculo nudi, sola secum peccata portantes, pro quibus sunt pœnas passuri perpetuas.

Ecce autem hæc dicente sancto Joanne apostolo efferebatur juvenis a matre vidua, qui triginta dies habebat ex quo uxorem acceperat; venientes autem turbæ quæ exsequias faciebant simul cum matre ejus viduæ jactaverunt se ad pedes ejus, omnes pariter mugitus et fletus gemitusque fundentes, et rogaverunt eum ut in nomine Dei sui sicut Drusianam ita et hunc mortuum suscitaret. Tantus autem omnium exstitit fletus, ut etiam ipse apostolus vix a fletu et lacrymis temperaret. Tunc prosternens se in oratione diutissime flevit; et exsurgens ab oratione expandit manus suas ad cœlum et tacitam precem diutissime fudit. Hoc cum fecisset tertio, jubet resolvi involutum corpus, et ait : O juvenis qui amore carnis tuæ ductus cito animam amisisti, o juvenis qui nesciste Creatorem tuum, nesciste Salvatorem hominum, nesciste amicum verum et ideo incurristi hostem pessimum, pro ignorantia tua lacrymas Domino simul et preces effudi, ut exsurgas a mortuis, mortis vinculo resoluto, et his duobus Attico et Eugenio annunties quantam gloriam amiserint et quantam incurrerint pœnam. Tunc exsurgens Stacteus, sic enim vocabatur juvenis, adoravit apostolum, et cœpit increpare discipulos ejus dicens: Vidi angelos vestros flentes et Satanæ angelos in vestra dejectione gratulantes. Jam regnum paratum vobis erat, et ex corruscantibus gemmis zetas instructas plenas gaudiis, plenas epulis, plenas deliciis, plenas vitæ perpetuitate, plenas lumine æterno, plenas delectationibus amisistis, et acquisistis vobis loca tenebrarum plena draconibus, plena stridentibus flammis, plena cruciatibus et incomprehensibilibus pœnis, plena putoribus, plena doloribus, plena angustiis, plena timore ac tremore horrifico. Et amisistis loca immarcescibilibus floribus plena, plena vocibus organorum: et acquisistis vobis loca in quibus die noctuque non cessat mugitus et ululatus et luctus. Nihil jam vobis aliud superest nisi ut rogetis apostolum Domini, quatenus sicut me resuscitavit ad vitam, ita quoque vos resuscitet ab interitu ad salutem, et nomina vestra quæ jam de libro vitæ deleta sunt faciat rescribi.

Tunc iste ipse qui suscitatus fuerat prosternens se cum omni populo et cum Attico et Eugenio omnes pariter exorabant apostolum, ut intercederet pro eis ad Dominum. Sanctus vero apostolus Attico et Eugenio hoc dedit in responsis ut per triginta dies Deo pœnitentiam offerent in quorum spatio hoc maxime precarentur ut virgæ aureæ ad suam naturam redirent; similiter ut lapides ad vilitatem qua nati fuerant remearent. Factum est autem ut triginta dierum transiret spatium; cumque virgæ aureæ simulque et lapides mutarentur et ad suam redirent naturam, venientes Atticus et Eugenius ad apostolum dixerunt: Semper misericordiam docuisti, semper indulgentiam prædicasti et præcepisti ut homo homini indulgeret. Et si homo homini indulget, quanto magis Deus homini indulget et parcitur. In peccatum nostrum hæc commisimus, sed quod oculis concupiscentibus in mundo deliquimus, oculis flentibus reparamus. Oramus ergo te, Domine oramus, apostole, ut indulgentiam, quam semper docuisti verbis, factis ostendas. Tunc beatus Joannes flentibus et pœnitentibus universis et etiam pro his intervenientibus dixit: Dominus Deus noster his sermonibus usus est, dum de peccatoribus ageretur ut diceret : *Nolo mortem* peccatoris, *sed* volo potius *ut convertatur et vivat* (*d*). Nam dum doceret nos Dominus Jesus Christus de pœnitentibus ait : Dico vobis quia magnum gaudium est in cœlis angelis super uno peccatore pœnitente ac avertente se a peccatis suis; et amplior lætitia illis est quam super nonaginta novem justis qui non peccaverunt (*e*). Unde volo vos scire, quia Dominus accepit pœnitentiam illorum. Tunc conversus ad Atticum et Eugenium dixit :

(*c*) Psal. xxxviii, 12, 7, (*d*) Ezech. xxxiii, 11. (*e*) Luc. xv, 7.

Ite et reportate virgas ad silvam unde eas attulistis, cum ad suam naturam sunt reversæ, et lapides reportate ad littora maris, cum Petræ effecti sunt ut fuerunt. Quod cum fuisset impletum receperunt gratiam quam amiserant, ita ut etiam fugarent dæmonia sicut prius, et infirmos curarent et cæcos illuminarent et virtutes multas per eos Dominus faceret.

Cum autem omnis civitas Ephesiorum et omnis provincia Asiæ Joannem excoleret et prædicaret, accidit ut cultores idolorum excitarent seditionem: unde factum est ut Joannem traherent ad templum Dianæ et urgerent eum ut ei fœditatem sacrificiorum offerret. Tunc sanctus Joannes ait: Eamus omnes ad ecclesiam Domini mei Jesu Christi, et invocantes vos nomen Dianæ vestræ facite cadere ecclesiam et ita vobis consentiam. Si autem hoc facere non potueritis, ego invocabo nomen Domini mei Jesu Christi et faciet cadere templum hoc, et comminui idolum ejus. Quod cum factum fuerit, justum vobis videri debet ut relicta superstitione deæ hujus, quæ a Deo meo victa est et comminuta, ad ipsum convertamini. Ad hanc vocem conticuit populus, et licet essent pauci qui contradicerent huic definitioni, pars tamen maxima consensum attribuit. Tunc beatus Joannes blandis alloquiis exorabat populum, ut a templo longe se facerent. Cumque universi ex interiori parte foras exissent, voce clara coram omnibus dixit: Ut sciat hæc omnis turba quia idolum hoc Dianæ dæmonium est, corruat cum omnibus manufactis idolis quæ coluntur in eo, ita ut nullam in hominibus læsionem faciat! Continuo autem ad vocem apostoli omnia simul cum templo suo idola ita corruerunt, ut efficerentur sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Conversi sunt autem eadem die duodecim millia gentium exceptis parvulis et mulieribus, et baptismatis sunt consecrati virtute. Tunc Aristodimus, qui erat pontifex omnium idolorum, repletus spiritu nequissimo excitavit seditionem in populo, ita ut populus contra populum pararetur ab bellum. Sed beatus Joannes ait: Dic mihi, Aristodime, quid faciam ut tollam indignationem de animo tuo. Cui Aristodimus ait: Si vis ut credam Deo tuo, dabo tibi venenum bibere; quod cum biberis, si non fueris mortuus, apparebit verum esse Deum tuum. Cui apostolus ait: Venenum si dederis mihi bibere, invocato nomine Domini mei Jesu Christi, non poterit nocere mihi. Cui Aristodius ait: Prius est ut videas bibentes et statim morientes ut vel sic possit cor tuum hoc poculum formidare. Cui beatus Joannes respondit: Jam dixi tibi, tu tantum paratus esto credere in Deum meum Jesum Christum, cum me videris post veneni poculum sanum. Porrexit itaque Arsitodimus ad proconsulem, et petiit ab eo duos viros qui pro suis erant sceleribus decollandi, et statuens eos in medio foro coram omni populo in conspectu apostoli fecit eos venenum bibere. Qui mox ut biberunt spiritum exhalaverunt. Tunc Aristodimus dixit: Audi me, Joannes, et aut recede ab ista doctrina qua a deorum cultura populum revocasti, aut accipe et bibe ut ostendas omnipotentem esse Deum tuum, si postea quam biberis potueris incolumis permanere. Tunc beatus Joannes jacentibus his qui venenum biberant mortuis intrepidus et constans accipiens calicem et signaculum crucis faciens in eum, dixit: Deus et Pater Domini mei Jesu Christi, cujus verbo cœli firmati sunt, cui omnia subjecta sunt, cui omnis creatura deservit, cui omnis potestas subjecta est et metuit et expavescit, cum nos te in auxilium provocamus, cujus audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, silet vipera, et rubeta illa quæ dicitur rana inquieta torpescit, scorpius exstinguitur; regulus vincitur et spalangus nihil noxium operatur et omnia venenata repentia et adhuc ferociora animalia terebrantur, et omnes radices humanæ saluti adversæ arescunt, tu exstingue, Domine, hoc veneni virus, exstingue operationes ejus mortiferas, et vires noxias quas in se habet evacua, et da in conspectu tuo omnibus quos tu creasti oculos ut videant, et aures ut audiant, et cor ut magnitudinem tuam intelligant. Et cum hæc dixisset, os suum et totum semetipsum signo crucis armavit, et totum bibit quod erat in calice. Et postquam bibit dixit: Peto ut hi propter quos bibi, credant in te, Domine, et salutem, quæ apud te est, te illuminante mereantur accipere. Attendentes autem populi Joannem per tres horas vultum habere hilarem, et nulla penitus signa palloris aut trepidationis habentem, clamare cœperunt: Unus et verus Deus est, quem colit Joannes. Aristodinus autem nec sic credebat. sed populus objurgabat eum. Ille autem conversus ad Joannem dixit: Inest mihi adhuc dubietas, sed si istos qui hoc veneno mortui sunt, in nomine Dei tui excitaveris, emundabitur cor meum ab omni dubietate. Populi autem insurgebant in Aristodimum dicentes: Incendemus et te et domum tuam, si ausus fueris ultra apostolum Dei in tuo sermone facere laborare. Videns autem Joannes acerrimam seditionem fieri, petiit silentium et omnibus audientibus dixit: Prima est quam de virtutibus divinis imitari debetis patientiam, per quam ferre possitis incredulorum hominum insipientiam, unde si adhuc Aristodimus ab infidelitate sua tenetur, solvamus nodos incredulitatis ejus, et licet tarde faciamus eum agnoscere Creatorem suum. Et sicut medici habentes inter manus ægrum, varia medela indigentem, ita etiam nos faciamus, si adhuc Aristodimus non est curatus ex eo quod jam factum est. Non enim cessabo ab hoc opere quousque ejus vulneribus possit medicina provenire. Et convocans ad se Aristodimum dedit ei tunicam suam, ipse vero pallio amictus astabat. Cui Aristodimus ait: Ad quod dedisti mihi tunicam tuam? Dicit ei Joannes: Ut vel sic confusus a tua infidelitate discedas. Cui Aristodimus ait: Et quomodo me tunica tua faciet ab infidelitate mea discedere? Cui respondit apostolus. Vade et mitte eam super corpora defunctorum, et

dices ita : Apostolus Domini nostri Jesu Christi misit me ut in ejus nomine exsurgatis, ut cognoscant omnes, quia et vita et mors famulantur Domino meo Jesu Christo. Quod cum fecisset Aristodimus et vidisset eos exsurgere, adorans Joannem, festinus porrexit ad proconsulem et cœpit clamosa voce dicere : Audi me, proconsul, memorem te puto quod contra Joannem iram tuam frequenter excitavi et multa mala contra eum egi, unde vereor ne iram ejus experiar, est enim Deus in specie hominis latens. Nam venenum bibens non solum ipse incolumis perseverat, sed etiam eos qui eodem veneno mortui fuerant per manus meas tunicæ suæ attactu suscitavit ad vitam, nulla signa secum mortis habentes. Dicit ei proconsul : Et quid vis ut faciamus? Respondit Aristodimus : Eamus et provolvamus genibus ejus veniam postulantes, et quidquid nobis jusserit faciamus. Tunc venientes simul prostraverunt se apostolo, indulgentiam postulantes ; quos ille suscipiens cum gratiarum actione orationem obtulit Deo, præcepitque eis ut unius hebdomadæ jejunium agerent. Quo expleto baptizavit eos : qui cum baptizati fuissent cum universa parentela et affinitate sua et famulis suis, fregerunt omnia simulacra ac fabricaverunt basilicam in nomine sancti Joannis, in qua ipse sanctus Joannes assumptus est hoc ordine :

Cum esset annorum nonaginta novem apparuit ei Dominus Jesus Christus cum discipulis suis dicens ei : Veni ad me quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. Surgens autem Joannes cœpit ire, sed Dominus dixit ei : Dominica resurrectionis meæ die quæ post quinque dies futura est ita venies ad me. Et cum hæc dixisset, cœlo receptus est. Veniente itaque Dominica die convenit universa multitudo in ecclesia quæ in ejus nomine fuerat fabricata, et a primo gallorum cantu agens mysteria Dei omnem populum usque ad horam diei tertiam allocutus est. Post hæc jussit foveam juxta altare fieri quadratam, et terram ejus foras ecclesiam projici. Et descendens in eam expandit manus suas ad Deum et dixit : Invitatus ad convivium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es, Domine Jesu Christe, ad tuas epulas invitare, sciens quod ex tote corde meo desiderabam te ; vidi faciem tuam et quasi de sepulcro suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me suscitavit æternas. Vox tua plena suavitate melliflua et allocutio tua incomparabilis eloquiis angelorum. Quoties te rogavi ut venirem ad te et dixisti mihi : Exspecta ut populum liberes crediturum mihi, et custodisti corpus meum ab omni pollutione et animam meam semper illuminasti, et non dereliquisti me cum irem in exsilium et redirem, et posuisti in ore meo verbum veritatis tuæ, commemorans mihi testimonia virtutum tuarum. Et scripsi ea opera quæ audivi ex ore tuo auribus meis. Et tunc, Domine, commendo tibi filios tuos, quos tibi Ecclesia tua virgo, vera mater per aquam et Spiritum sanctum regeneravit. Suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me, aperi mihi januam vitæ ; principes tenebrarum non occurrant mihi et manus extranea non contingat me, nec veniat mihi pes superbiæ, sed suscipe me secundum verbum tuum, et perduc me ad convivium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim Christus Filius Dei vivi, qui præcepto Patris tui mundum salvasti, qui et Spiritum sanctum nobis destinare dignatus es, ut nos de præceptis tuis commonefaceres, per eumdem Spiritum tibi gratias referimus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Et cum omnis populus respondisset Amen, lux tanta apparuit super apostolum una fere hora, ut nullus hanc sufferre valeret aspectus. Postea vero inventa est illa fovea plena, nihil aliud in se habens nisi manna, quod usque hodie gignit locus iste, et fiunt ibi virtutes orationibus ejus, et ab omnibus infirmitatibus et periculis liberantur omnes et precum suarum obtinent effectum, præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum cœterno Patre in unitate Spiritus sancti Deus vivit et regnat et nunc et semper per infinita sæcula sæculorum. Amen.

S. PAPIAS
HIERAPOLITANUS EPISCOPUS

NOTITIA

(GALLAND, *Veterum Patrum Biblioth.*, I, Prolog., p. LXVI.)

I. *S. Papias, Hierapoleos in Phrygia episcopus, Joannis apostoli auditor: ex Irenæo, Hieronymo aliisque vetustis scriptoribus. Aliter censuit unus Eusebius, cujus sententia plerisque recentioribus minus probatur. Chronici Eusebiani locus expensus.*

II. *Papias, vir in primis disertus et scripturarum peritus, juxta Eusebium et Hieronymum. Episcopus Cæsariensis parum sibi constat, dum eumdem Hierapolitanum antistitem velut exsili admodum ingenio præditum traducit, quod Chiliastarum auctor extierit.*

III. *Libros quinque scripsit* De expositione oraculorum Dominicorum, *a Doctore maximo magni habitos. Horum pauca tantum fragmenta supersunt: ex quibus nonnulla sequioris ævi Græcis scriptoribus tribuenda videntur.*

I. Sanctis Ignatio et Polycarpo, Joannis Evangelistæ discipulis, tertius addendus S. Papias, Hierapoleos Phrygiæ postmodum episcopus: ab Eusebio (1) inter eos recensitus post Clementem et Ignatium, qui κατὰ τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν ἐν ταῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἐκκλησίαις γεγόνασι ποιμένες ἢ καὶ εὐαγγελισταί, « primis apostolicæ successionis temporibus per omnes orbis terrarum Ecclesias, pastores aut evangelistæ fuerunt.» Et ipsum quidem Joannis apostoli auditorem fuisse, luculenter satis testatur Irenæus his verbis (2): Παπίας Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονὼς, ἀρχαῖος ἀνήρ.« Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo. » Ita quoque post sanctum episcopum Lugdunensem, longo agmine scriptores veteres. Hieronymus (3): *Refert Irenæus*, inquit, *vir apostolicorum temporum, et Papiæ, auditoris Evangelistæ Joannis, discipulus.* Sic item ab Anastasio Sinaita (4), *inter veteres ecclesiarum interpretes qui spiritualiter sunt contempl ti de Christi ecclesia, ea quæ scripta sunt de paradiso*, annumeratur *et celebris Papias Hierapolitanus, Joannis Evangelistæ discipulus.* Neque aliter sensisse videtur S. Maximus, dum ait (5). ipsum *D. Joannis Evangelistæ temporibus floruisse* : συναχμάσαντα τῷ θείῳ εὐαγγελιστῇ Ἰωάννῃ. In eamdem sententiam Andreas Cæsariensis (6), et Œcumenius (7): ut antiquos Martyrologos, Bedam, Usuardum, Adonem, Notkerum, cæt. omittamus.

Unus Eusebius inter antiquiores, non Joannis quidem apostoli, sed Joannis presbyteri aut senioris, discipulum fuisse Papiam aperte profitetur his verbis (8) : Αὐτός γε μὲν ὁ Παπίας κατὰ τὸ προοίμιον τῶν αὐτοῦ λόγων, ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαμῶς ἑαυτὸν γενέσθαι τῶν ἱερῶν ἀποστόλων ἐμφαίνει· παρειληφέναι δὲ τὰ τῆς πίστεως παρὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων διδάσκει. « At vero Papias ipse in proœmio librorum suorum, se quidem sanctorum apostolorum auditorem atque spectactorem fuisse non prodit: sed ab eorum familiaribus ea quæ ad fidem pertinent se accepisse docet. » Et nonnullis interjectis: « Papias, *inquit*, apostolorum quidem dicta, ab iis qui cum illis versati fuerant, se accepisse profitetur : Aristionis autem et Joannis presbyteri auditorem se fuisse dicit. » Παπίας τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι· Ἀριστίωνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι. « Ita quidem Eusebius de Papia, Grabii verbis utor (9) : sed non Papias de semetipso : qui se nec *Joannem apostolum* audivisse negat, nec *Presbyteri* auditorem fuisse plane affirmat. Negasse male concludit Eusebius ex istis Papiæ verbis ubi ait, *se sollicite ex apostolorum familiaribus sciscitatum esse quid Andreas, quid Petrus.... quid Joannes, dixerint.* Nam eadem ratione negandum quoque fuisset, quod Joannem presbyterum audiverit Papias, quoniam et in hujus dicta se inquisivisse, ibidem testatur, addens: *quæ item Aristion et Joannes presbyter effati sint.* Hoc tamen omnino voluit Eusebius, licet non clare affirmaverit Papias. Quippe is unum quidem et alterum Joannis senioris dictum refert apud Eusebium l. c non tamen seipsum hæc ex illo audivisse sit. Verum non repugno : quin potius ab utroque Joanne, et apostolo et seniore, Papiam traditiones accepisse credo. Neque enim ex eo quod alios eorum auditores de pluribus se percontatum profitetur Papias, colligi potest, eum ipsum haud ex illorum numero fuisse : seduli quippe discipuli solent omnino, ubi eos quid fugerit, ex condiscipulis dicta sensusque magistrorum exquirere, præsertim si alios diutius et familiarius cum eis conversatos noverint, Sit igitur ratum, Papiam Joannis apostoli, et forte etiam presbyteri, auditorem fuisse. » Hactenus vir eruditus. Ita quoque Tillemontius (18), Orsius (11), alii.

His autem unum adhuc addendum existimamus, In Chronico scilicet Eusebiano hæc leguntur (12): *Joannem apostolum usque ad Trajani tempora Ire-*

(1) *Euseb.*, Hist. eccles. lib III, cap. 37 sub fin , cap. 39.

(2) *Iren.*, Adv. hær. lib. v, cap. 33, n. 4, apud *Euseb.*, II. E., v, cap. 39.

(3) *Hieron.*, Epist. LXXVI, n. 3, opp. t. I, edit. Veron., col. 450.

(4) *Anast. Sin.*, lib. VII, Anagog. Contempl. in Hexaem., tom. I, bibl. PP. Paris., 1609, col. 223.

(5) *Max.* Schol. ad cap. 7, § 2. Dionys. Areop. de Eccl. Hier.

(6) *Andr. Cæsar.*, in Apoc., cap. 34, tom. I Bibl. PP. Paris. 1644, col. 1572.

(7) *Œcum.*, in Act. apost., cap. 2, pag. 11.

(8) *Euseb.*, Hist. eccles., lib. III, cap. 39.

(9) *Grab.* Spicil., tom. II, pag. 27.

(10) *Tillem.* Mem. eccl., tom. II, pag. 620, not. 1.

(11) *Orsi* Istor eccl., lib. III, n. 18, tom. II, pag. 74.

næus episcopus permansisse scribit : post quem auditores ejus insignes fuerunt Papias Hierapolitanus episcopus et Polycarpus Smyrnæus, et Ignatius Antiochenus. Quæ quidem posteriora verba par est credere fuisse ab Hieronymo adjecta, ut alia passim. Ea namque in Græcis Scaligerianis desiderantur, ubi sic tantum (13) : Ἰωάννην τὸν ἀπόστολον εὐαγγελιστὴν μέχρι τῶν τοῦ Τραϊανοῦ χρόνων παραμεῖναι τῷ βίῳ Εἰρηναῖος ἱστορεῖ. Et quanquam cl. Vallarsius illa ex Syncello suppleverit (14) ; ab eo tamen Chronographo aliunde petita videntur. Ita enim ille (15) : Ἰωάννην τὸν Θεολόγον καὶ ἀπόστολον, Εἰρηναῖος καὶ ἄλλοι ἱστοροῦσι παραμεῖναι τῷ βίῳ ἕως τῶν χρόνων Τραϊανοῦ, μεθ' ὃν Παπίας Ἱεραπολίτης, καὶ Πολύκαρπος Σμύρνης ἐπίσκοπος, ἀκουσταὶ αὐτοῦ ἐγνωρίζοντο. Verum fac demum ista scripserit Eusebius : num ideo parum sibi constans Historicus iste dicendus ? Haud equidem putaverim : quin potius ipsum exinde animum deposuisse crediderim, utpote qui post Chronicon historiam ediderit, Utcunque vero se res habeat, illud saltem commodi tum ex hoc Eusebiani Chronici loco, tum ex alio Syncellianæ Chronographiæ accedit, quod magis magisque confirmatur sententia de Joannis apostoli auditore Papia.

II. Ex hac igitur Joannis Evangelistæ disciplina et familiari virorum apostolicorum consuetudine, haud mediocrem rerum divinarum scientiam Papias fuisse adeptus perhibetur. Fuit enim *vir in primis disertus et eruditus, atque Scripturarum peritia imbutus*, ut scribit Eusebius (16) : ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς Γραφῆς εἰδήμων. Cujus item rei locuples testis accedit doctor maximus, ad Lucinium Boeticum sic scribens (17) : *Sanctorum Papiæ et Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit a me esse translata : quia nec otii mei, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate.* Quæ quidem Hieronymi verba si Valesio viro doctissimo succurrissent, sibi fortasse temperasset ab ea ferenda sententia, qua statuit modo allatum Papiæ elogium Eusebianum ab imperito quodam scholiaste præter illius historici mentem fuisse illic adjectum ; eo nimirum nomine, quod ipsemet Papias velut *exili admodum ingenio præditus*, σφόδρα μικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ab eodem Eusebio paulo post describatur (18). Verum, ut opinor, inde potius concludendum erat parum sibi constitisse Cæsariensem episcopum, dum virum apostolicum propterea notandum censuit, quod non satis pervidens quæ arcano quodam sensu in sacris oraculis, vicesimo nempe Apocalypseos capite, dicebantur, chiliasmum in Ecclesiam intulerit : perinde ac si opinionem illam, antequam in apertam proruperit hæresim, amplexi haud fuerint Justinus M. Irenæus, Tertullianus aliique Patrum vetustissimi ; quos tamen doctrina et eruditione præstantes viros fuisse, nemo sane inficias iverit. Qua de re præ cæteris Nourrium adire juverit, qui tum Papiæ, tum reliquorum catholicorum Chiliastarum opiniones excutere et solerter explicare aggressus est (19).

Cæterum hinc forte acciderit quod monet laudatus Valesius, in nonnullis codicibus Eusebianis, ad sententiam ejusdem historici, primum fuisse abrasum, deinde omissum penitus illud Papiæ encomium ; ut qui mille annorum regni Christi fabulam, ceu Judaicam δευτέρωσιν, primus ediderit. Quod quidem nollem factum, si tamen factum admittere oporteat. Hoc enim erratum, Papiæ commune cum plerisque primorum sæculorum doctissimis Patribus, nullo pacto nos cogere videtur cur existimemus, hunc sanctum Hierapolitanum episcopum ab Eusebio haud fuisse habitum ceu *virum ætate sua celebrem, disertum in primis et eruditum, ac Scripturarum scientia excultum.* Quod si vero de loci hujus interpolatione Valesii conjecturam quis velit admittere, illud optimo sane jure nos pronuntiare posse putamus, ab eodem historico immerito prorsus fuisse ob eam causam notatum apostolicum virum ; cujus nempe *volumina tantas res* complexa esse noscantur, ut *virium* suarum non esse profiteretur Hieronymus, *eadem in alteram linguam exprimere venustate.*

III. Utinam vero ad nos usque pervenissent illa ! Et superarant quidem sæculo XIII ineunte, ut e codicum mss. catalogo circa annum Christi 1218 confecto erudimur quem ex ecclesiæ Nemausensis tabulario erutum, cl. Menardus haud ita pridem evulgavit (20) : ut proinde viri eruditissimi recte conjecisse existimentur (21), quod Trithemii quoque ætate, ut ipsemet innuere videtur (22), sæculo nimirum XV exeunte, eadem exstitisse potuerint : licet Caveus (23) et Fabricius (24) neutiquam id sibi persuadeant. Utcunque sit, testatur Eusebius (25) post Irenæum, quinque tantum libros scripsisse Papiam, quos prænotavit titulo Λογίων Κυριακῶν ἐξηγήσεως, *De expositione oraculorum Dominicorum*, sive, ut interpretatur Hieronymus (26), *Explanatio sermonum Domini* : ex quibus fragmenta nonnulla de Millennio recitat Irenæus, et alia quædam Eusebius, ut reliqua paucula omittamus. Quæ vero apud Œcumenium cæterosque sequioris ævi scriptores Græcos de morte Judæ proditoris tanquam ex Papiæ libris desumpta occurrunt, adeo levia sunt et inania ut jure cum Tillmontio (27) quis dubitet, an ea unquam idem Hierapolitanus episcopus litteris consignarit.

Ejusmodi autem fragmenta omnia quæ supersunt, qualiacunque demum sint, post Halloixium et Grabium protulimus : quibus unum addidimus n. VII et codice XXIII bibliothecæ Coislinianæ a cl. Montfauconio adornatæ descriptum ; eo in primis consilio, quo salva consisteret atque integra, lectio Actuum apostolorum I, 18 a Grabio frustra sollicitata, ut ad eum locum in notis monuimus.

(12) *Euseb.* Chron. ad ann. 2116.
(13) Græc. *Scalig.*, pag. 268.
(14) *Vallars.* opp. Hieron., tom. VIII, pag. 691.
(15) *Georg. Sync.*, Chronogr., pag. 347, edit. Paris.
(16) *Euseb.*, Hist. eccl., lib. III, cap. 36.
(17) *Hieron.*, Epist. LXXI, n. 5, edit. Veron.
(18) *Euseb.*, Hist. eccl., lib. III, cap. 39.
(19) *Nourr.*, Appar. ad bibl. PP., tom. I, pag. 268.
(20) *Menard.*, Hist. civ. eccl. et litter. de Nîmes. Paris, 1750, in-4.
(21) Mém. de *Trévoux*, Decembr. 1750, art. 152.
(22) *Trithem.*, De script. eccl., cap. 9.
(23) *Cav.*, Hist. litter., tom. I, pag. 48.
(24) *Fabric.*, Bibl. eccl. ad Trithem., l. c.
(25) *Euseb.*, Hist. eccl. lib. III, cap. 39.
(26) *Hieron.*, De vir. illustr., cap. 18.
(27) *Tillem.*, Mém. eccles., tom. II, pag. 620, not. 2.

S. PAPIÆ

HIERAPOLITANI EPISCOPI

FRAGMENTA.

E QUINQUE LIBRIS DE EXPOSITIONE ORACULORUM DOMINICORUM.

I.

E PROŒMIO. — *Apud Eusebium lib.* III Hist. eccl., *cap.* 39, interprete H. Valesio.

Nec pigebit ea quæ quondam a senioribus didici ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris ascribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim, ut plerique solent, eos unquam sectatus sum qui verbis affluerent, sed eos potius qui verum docerent : nec eos qui nova quædam et inusitata præcepta, sed illos qui Domini mandata in figuris tradita, et ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar quænam essent seniorum dicta : quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent : quidnam Aristion et Joannes presbyter, discipuli Domini prædicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce.

A Οὐκ ὀκνήσω δέ σοι καὶ ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον, καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, συγκατατάξαι (1) ταῖς ἑρμηνείαις, διαβεβαιούμενος ὑπὲρ αὐτῶν ἀλήθειαν. Οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον, ὥσπερ οἱ πολλοί, ἀλλὰ τοῖς τάληθῆ διδάσκουσιν· οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσι, ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ Κυρίου (2) τῇ πίστει δεδομένας, καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγενομένας τῆς ἀληθείας. Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνεκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, ἢ τί Φίλιππος, ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος, ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος, ἢ τις ἕτερος τῶν Κυρίου μαθητῶν· ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί, λέγουσιν. Οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ B ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης.

Rufini versio.

Non pigebit autem nos tibi omnia, quæ quondam a presbyteris didicimus, et bene retinemus, recordantes exponere cum interpretationibus suis, et ut eorum veritas habeat, explicare. Neque enim multa dicentibus, sed vera tradentibus auscultavimus : neque his qui hominum præcepta, sed qui Domini mandata memorabant ab ipsa veritate suscepta. Quod si quando advenisset aliquis ex his qui secuti sunt apostolos, ab ipso sedulo expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerit ; quid autem Philippus vel Thomas ; quid vero Jacobus, quid Joannes, aut Matthæus, vel alius quis ex discipulis Domini ; quæve Aristion vel Joannes presbyter, cæterique discipuli dicebant. Nec enim tantum mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantum vivæ vocis præsentisque magisterium.

II.

Ibidem paulo post.

Nunc vero quemadmodum Papias qui iisdem temporibus vixit, mirabilem quamdam narrationem a Philippi filiabus accepisse se refert exponamus. Scribit enim mortuum sua ætate ad vitam esse revocatum. Alterum quoque ingens miraculum refert de Justo, qui Barsabas cognominatus est ; qui cum lethale poculum ebibisset, tamen Dei adjutus gratia, nullum inde accepit incommodum.

C Ὡς δὲ κατὰ τοὺς αὐτοὺς ὁ Παπίας γενόμενος διήγησιν παρειληφέναι θαυμασίαν ὑπὸ τῶν τοῦ Φιλίππου θυγατέρων μνημονεύει, τὰ νῦν σημειωτέον. Νεκροῦ γὰρ ἀνάστασιν κατ' αὐτὸν γεγονυῖαν ἱστορεῖ. Καὶ αὖ πάλιν ἕτερον παράδοξον περὶ Ἰοῦστον τὸν ἐπικληθέντα (3) Βαρσαβᾶν γεγονός· ὡς δηλητήριον φάρμακον ἐμπιόντος, καὶ μηδὲν ἀνδὲς διὰ τὴν τοῦ Κυρίου χάριν ὑπομείναντος.

Rufini versio.

Memini sane idem ipse (*Papias*) de quibusdam mirabilius in opere suo, quæ prætereunda minime censeo. Per Philippi enim evangelistæ filias prophetissas hæc sibi tradita esse designat : mortuum resurrexisse suis temporibus dicit. Sed et de Justo cognominatus est Barsabas, refert miraculum ingens, quia venenum biberit ; et nihil ex hoc triste pertulerit propter Domini fidem.

(1) Συγκατατάξαι. Ita legitur in codice Regio ; et recte quidem, ut opinior. Certe Rufinus hunc locum ita legit, ut ex versione ejus apparet. Reliqui tamen codices Maz. Med. et Fuketianus cum Nicephoro scriptum habet συντάξαι. VALES.

(2) Τῇ πίστει δεδομένας. *In figuris tradita* reddit Valesius. Al., *fidei* vel *fidelibus tradita*. Hæc transilit Rufinus.

(3) Βαρσαβᾶν. In tribus nostris codd. Maz. Med. et Fuk legitur Βαρσαββᾶν. VALES.

III.

Ibidem, paucis interjectis.

Ἀναγκαίως νῦν προσθήσομεν ταῖς προεκτεθείσαις αὐτοῦ φωναῖς παράδοσιν, ἣν περὶ Μάρκου τοῦ τὸ Εὐαγγέλιον γεγραφότος ἐκτέθειται διὰ τούτων. Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε· Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅτα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν· οὐ μὲν τοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα· οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ· ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας· ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν Κυριακῶν ποιούμενος λόγων. Ὥστε οὐδὲ ἥμαρτε Μάρκος, οὕτως ἔνια γράψας, ὡς ἀπεμνημόνευσεν. Ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς. Ταῦτα μὲν οὖν ἱστόρηται τῷ Παπίᾳ περὶ τοῦ Μάρκου. Περὶ δὲ τοῦ Ματθαίου ταῦτ' εἴρηται· Ματθαῖος μὲν οὖν Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατο. Ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος (4)· κέχρηται δ' ὁ αὐτὸς μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου προτέρας Ἐπιστολῆς, καὶ τῆς Πέτρου ὁμοίως. Ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς, ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ Κυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγέλιον περιέχει.

A Nunc rem illam quam de Marco evangelista idem scriptor commemoravit, superioribus ejus verbis subnectemus. Aiebat etiam, inquit, presbyter ille, Marcum Petri interpretem, quæcunque memoriæ mandaverat, diligenter perscripsisse: non tamen ordine pertexuisse quæ a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est; qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipso memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret. Hæc de Marco *Papias* narrat. De Matthæo vero sic habet: Matthæus quidem, B inquit, Hebraico sermone divina scripsit oracula: interpretatus est autem unusquisque illa, prout potuit. Porro idem *Papias* testimoniis ex priore Joannis Epistola, et ex priore itidem Petri desumptis utitur. Aliam quoque exponit historiam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino, accusata est. Quæ quidem historia in Evangelio secundum Hebræos scripta habetur.

Rufini versio.

Nos tamen illud assumimus ex his, quod de Marco evangelista his protulit verbis: Etiam hoc, inquit (*Papias*), presbyter narrabat, quod Marcus interpres fuerit Petri, et quæcunque meminerat ab eo dicta conscripserit. Non tamen per ordinem ea, quæ a Domino dicta sunt vel facta, digesserit; quia non ipse Domini auditor fuerit vel sectator, sed novissime, ut dixi, Petro adhæsit ad usum ac ministerium prædicandi, non ad conscribendos Domini sermones. Itaque nihil peccavit Marcus in eo quod ita quædam scripserit, quasi qui sparsim audita recordari videatur. Et hoc solum satis egit, ne quid ex auditis omitteret, aut aliquid falsum scriberet. Hæc de Marco scribit *Papias*. Sed et de Matthæo ita refert: Matthæus quidem scripsit Hebræo sermone. Interpretatus est autem ea quæ scripsit unusquisque, sicut potuit. Hæc etiam de Matthæo. Utitur sane idem *Papias* testimoniis ex Epistola Joannis prima, et Petri similiter prima. Simul et historiam quamdam subjungit de muliere adultera, quæ accusata est a Judæis apud Dominum. Habetur autem in Evangelio quod dicitur secundum Hebræos, scripta ista parabola.

IV.

E LIBRO IV. — *Apud Irenæum lib.* v Adversus hæres., *cap.* 33, *num.* 3 *et* 4, *Interprete H. Valesio.*

Presbyteri meminerunt, qui Joannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus, et dicebat: Venient dies in quibus vineæ nascentur, singulæ (5) decem millia palmitum habentes, et in uno palmite dena millia brachiorum, et in uno vero (6) palmite dena millia flagellorum, et in unoquoque flagello dena millia botruum, et in unoquoque botro dena millia acinorum, et unumquodque acinum dabit viginti quinque metretas vini. Et cum eorum apprehenderit aliquis sanctorum botrum, alius clamabit: Botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. Similiter et granum tritici decem millia spicarum generaturum, et unamquamque spicam habituram decem millia granorum, et unumquodque granum quinque bilibres similæ claræ mundæ: et reliqua autem poma, et semina, et herbam, secundum congruentiam iis consequentem: et omnia animalia iis cibis utentia quæ a terra accipiuntur, pacifica et consentanea invicem fieri, subjecta hominibus cum omni subjectione.

C

Hæc autem (7) et Papias, Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo, per Scripturam testimonium perhibet in quarto Librorum suorum: sunt enim illi quinque libri conscripti.

Ταῦτα δὲ καὶ Παπίας, Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονὼς, ἀρχαῖος ἀνὴρ, ἐγγράφως ἐπιμαρτυρεῖ ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν αὐτοῦ βιβλίων· ἔστι γὰρ αὐτῷ πέντε βιβλία συντεταγμένα.

(4) Ὡς ἠδύνατο ἕκαστος. Nicephorus habet ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος : cui subscribunt quatuor nostri codd. Maz., Med., Fuk. et Sav. VALES.

(5) *Decem millia*, Voss. *dena millia*. MASSUET.

(6) *Palmite*. Forte *barchio*. GRAB.

(7) *Hæc — testimonium perhibet*. Perperam vertit D interpres Scribendum erat vel *hæc testatur*, vel *hoc — testimonium perhibet*. MASSUET. — Forte *hoc* scripserit idem interpres. Grabius pro *hæc* legit *de his*, in *Spicil.* tom. II, pag 31. Græca ex Euseb. *Hist. Eccl.* lib. III, cap. 39.

Et adjecit dicens : Hæc autem credibilia sunt credentibus. Et Juda, inquit, proditore non credente, et interrogant : Quomodo ergo tales genituræ a Domino perficientur? dixisse Dominum : Videbunt qui venient in illa (*tempore*).

V.

E LIBRO IV. — *Apud Maximum in Comment. ad Dionysii Arcopag. cap.* 7, De ecclesiastica hierarchia.

Papias in libro quarto suarum Dominicarum Explanationum scripsit, fore in resurrectione voluptates quæ percipiuntur ex cibis. — Quin et Irenæus Lugdunensis episcopus libro quinto adversus Hæreses idem tradit, ubi prædictum Papiam dictis suis testem adhibet.

Ὁ Παπίας ἐν τῷ τετάρτῳ αὐτοῦ βιβλίῳ τῶν Κυριακῶν Ἐξηγήσεων, τὰς διὰ βρωμάτων εἶπεν ἐν τῇ ἀναστάσει ἀπολαύσεις. — Καὶ Εἰρηναῖος δὲ ὁ Λουγδούνου ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων πέμπτῳ λόγῳ τὸ αὐτόφησι, καὶ παράγει μάρτυρα τῶν ὑπ' αὐτοῦ εἰρημένων τὸν λεχθέντα Παπίαν (8).

VI.

Apud Andream Cæsariensem in Apocalypsin, cap. 34, *serm.* 12.

Et Papias his utitur verbis : Alios ex ipsis, eos videlicet qui pridem Deo adhærebant, angelos dispositioni mundi præesse fecit, iisque mandavit bene præesse. Et deinceps ait : Accidit vero ordinem eorum prorsus destrui.

Παπίας δὲ οὕτως ἐπὶ λέξεως· Ἐνίοις δὲ αὐτῶν, δηλαδὴ τῶν πάλαι θείων ἀγγέλων, καὶ τῆς περὶ τὴν γῆν διακοσμήσεως ἔδωκεν ἄρχειν καὶ καλῶς ἄρχειν παρηγγύησε. Καὶ ἑξῆς φησιν· Εἰς οὐδὲν δὲ συνέβη τελευτῆσαι τὴν τάξιν αὐτῶν.

VII.

E LIBRO IV. — *Apud Apollinarium* in Catena, *cod.* XXIII, Bibliothecæ Coislinianæ, *ex dit. Paris. Montfauc.*, 1715, *pag.* 66.

Sciendum, Judam haud occubuisse laqueo (suspensum), sed vivum adhuc, antequam suffocaretur, corruisse. Idque patet ex Actis apostolorum : *Et pronus in faciem factus crepuit* ; et quæ sequuntur. Hoc autem clarius narrat Papias, Joannis apostoli discipulus, dicens : Magnum impietatis exemplum in hoc mundo exstitit Judas. Cum enim adeo fuerit corpore inflatus, ut pervadere non posset; dum plaustrum promptiore cursu pertransiret, plaustro ita compressus est, ut ejus intestina diffusa sint.

Ἰστέον ὅτι ὁ Ἰούδας οὐκ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ' ἐπεβίωκεν κατενεχθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι· καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν ἀποστόλων Πράξεις· Ὅτι πρηνὴς (9) γενόμενος ἐλάκισε, καὶ τὰ ἑξῆς. Τοῦτο καὶ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου μαθητὴς, λέγων (10)· Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν ὁ Ἰούδας· πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης πιασθέντα (11) τὰ ἔγκατα ἐκκενωθῆναι.

VIII.

E LIBRO IV. — *Apud* Œcumenium *Comment. in Act. apostol. cap.* II *juxta ejus divisionem.*

Hoc autem planius scripsit Papias, Joannis apostoli discipulus, dicens : Ad magnum impietatis exemplum permansit in hoc mundo Judas. In tantum enim corpore inflatus ut progredi non posset, cum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut intestina ejus effunderentur.

Τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου μαθητὴς, λέγων· Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν Ἰούδας. Πρησθεὶς (12) γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι.

(8) Apud Photium cod. CCXXXII. Stephanus Gobarus Tritheita, se minime probare declarat οὐδὲ Παπίαν τὸν Ἱεραπόλεως ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα, οὐδὲ Εἰρηναῖον τὸν ὅσιον ἐπίσκοπον Λουγδούνων, ἐν οἷς λέγουσιν, αἰσθητῶν τινων βρωμάτων ἀπόλαυσιν εἶναι τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν. *Neque Papiam episcopum Hierapolitanum et martyrem, neque Irenæum sanctum Lugdunensium antistitem, ubi dicunt quorumdam ciborum sensibilium fruitionem esse regnum cœlorum.* Hinc colligit Grabius, cum Maximum tum Gobarum, dum hæc scriberent, Irenæi locum superius allatum præ oculis habuisse.

(9) Πρηνής. Hanc vocem reddidimus *pronus in faciem*, Hesychium, Suidam aliosque secuti : quam quidem acceptionem Apollinarii contextus postulare videtur. Vulgatus interpres vertit *suspensus*. Al. *præceps*.

(10) Λέγων. Hic monet Cl. Montfauconus in *Bibliothecæ Coislinianæ* codice XXV, fol. 9, post λέγων hæc addit : ἐν τῷ δ' τῆς Ἐξηγήσεως τῶν Κυριακῶν λόγων. Ubi tamen, sicut et apud Theophylactum mox infra, λογίων pro λόγων legendum conjicio. Ita enim inscribebatur Papiæ opus, teste Eusebio, *Hist. Eccl.* lib. III, cap. XXXIX : Τοῦ δὲ Παπία συγγράμματα πέντε τὸν ἀριθμὸν φέρεται· ἃ καὶ ἐπιγέγραπται Λογίων Κυριακῶν ἐξηγήσεως. *Papiæ vero quinque omnino feruntur libri, quorum titulus est :* De interpretatione oraculorum Dominicorum.

(11) Πιασθέντα, κ. τ. λ. Locus mendosus, ita restituendus, ut apud Œcumenium statim : ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. Ad quem proinde textum versionem exegimus.

(12) Πρησθείς. Hic adnotare pladet, auctores opinionis a Papia traditæ, *Act.* I, 18, videri mihi legisse πρησθείς pro πρηνής, uti Græci codices et interpretes hactenus vulgati omnes habent. GRAB. — Verum non esse sollicitandam Græci textus lectionem solide evincit Wolfius in suis *Curis philolog.* tom. II, pag. 1011. Accedit Fragmentum VII, modo productum. Ex eo enim liquet, Apollinarium πρηνὴς in textu legisse : apud Papiam vero πρησθεὶς in venisse.

IX.

E LIBRO IV. — *Apud Theophylactum in Acta apostolorum.*

Οὐ γὰρ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ ὁ Ἰούδας, ἀλλ' ἐπεβίω καθαιρεθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι. Καὶ τοῦτο σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου μαθητὴς ἐν τῷ τετάρτῳ τῆς Ἐξηγήσεως τῶν Κυριακῶν λόγων, λέγων οὕτως· Μέγα δὲ ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν ὁ Ἰούδας, πρησθεὶς ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μηδὲ ὁπόθεν ἅμαξα ῥᾳδίως διέρχεται, ἐκεῖνον δύνασθαι διελθεῖν. Ἀλλὰ μηδὲ αὐτὸν μόνον τὸν τῆς κεφαλῆς ὄγκον αὐτοῦ. Τὰ μὲν γὰρ βλέφαρα τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, φασὶ τοσοῦτον ἐξοιδῆσαι, ὡς αὐτὸν μὲν παθόλου τὸ φῶς μὴ βλέπειν· τοὺς ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ, μηδὲ ὑπὸ ἰατροῦ διόπτρας ὀφθῆναι δύνασθαι· τοσοῦτον βάθος εἶχον ἀπὸ τῆς ἔξωθεν ἐπιφανείας. Τὸ δὲ αἰδοῖον αὐτοῦ πάσης μὲν ἀσχημοσύνης ἀηδέστερον καὶ μεῖζον φαίνεσθαι· φέρεσθαι δὲ δι' αὐτοῦ τοῦ ἐξ ἅπαντος τοῦ σώματος συρρέοντας ἰχῶράς τε καὶ σκώληκας εἰς ὕβριν δι' αὐτῶν μόνον τῶν ἀναγκαίων. Μετὰ πολλὰς δὲ βασάνους καὶ τιμωρίας, ἐν ἰδίῳ φασὶ χωρίῳ τελευτήσαντα, καὶ τοῖς ἐπὶ τῆς ὁδοῦ ἔρημον καὶ ἀοίκητον τὸ χωρίον μέχρι τῆς νῦν γενέσθαι· ἀλλ' οὐδὲ μέχρι τῆς σήμερον δύνασθαί τινα ἐκεῖνον τὸν τόπον παρελθεῖν, ἐὰν μὴ τὰς ῥῖνας ταῖς χερσὶν ἐπιφράξῃ· τοσαύτη διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ ἐπὶ γῆς ἔκρυσις ἐχώρησε (13). A

Non enim in laqueo Judas mortuus est, sed supervixit demptus antequam suffocaretur. Atque id apertius tradit Papias discipulus Joannis in quarto libro Expositionis Dominicorum verborum, ubi ita dicit: Magnum exemplum impietatis in hoc mundo Judas versatus est, cujus caro inflammata adeo intumuit, ut ne qua plaustrum quidem facile traducitur, ille potuerit transire. At ne ipsa quidem capitis illius mole sola. Nam palpebras oculorum illius in tantum intumuisse ferunt, ut ipse quidem prorsus non videret: oculi vero ejus ne per medici quidem dioptram cerni possent: tanta altitudine ab extrema superficie introrsus abscesserant. Pudenda vero illius quavis re deformi fœdiora atque injucundiora ac majora apparerent: per quæ vermes sanie commisti eu toto corpore confluentes per ipsas solas (nimirum) necessarias partes corporis elaberentur. Post multas autem pœnas et cruciatus in suo prædio aiunt illum mortuum esse: atque ab iis qui juxta illam viam habitant atque versantur, fundum illum usque ad hoc tempus desertum et ab incolis vacuum esse: ac ne ad hodiernum quidem usque diem quemquam per illum locum posse transire, nisi nares manibus obturet: tantus per carnem illius etiam in terram fluxus delatus est. B

X.

Ex cod. 2397 *bibliothecæ Bodleianæ, anno* 1302 *et* 1303 *in abbatia Osneyensi prope Oxonium scripto, fol.* 286, *pag.* 2, *apud Grabium*, Spicileg. *tom.* II, *pag.* 34.

(14) Maria Mater Domini: Maria Cleophæ sive Alphæi uxor, quæ fuit mater Jacobi episcopi et apostoli, et Symonis et Thaddæi, et cujusdam Joseph: Maria Salome uxor Zebedæi, mater Joannis evangelistæ et Jacobi: Marta Magdalene. Istæ quatuor in Evangelio reperiuntur. Jacobus et Judas, et Joseph filii erant materteræ Domini. Jacobus quoque et Joannes alterius materteræ Domini fuerunt filii. Maria Jacobi minoris et Joseph mater, uxor Alphei, soror fuit Mariæ Matris Domini, quam Cleophæ Joannes nominat, vel a patre, vel a gentilitatis familia, vel alia causa. Maria Salome, a viro vel a vico dicitur: hanc eamdem Cleophæ quidam dicunt, quod duos viros habuerit. C

S. QUADRATUS

ATHENARUM EPISCOPUS

—

NOTITIA

(GALLAND., *Biblioth. vet. Patr.*, I Proleg. p. LXXII.)

I. S. *Quadratus, apostolorum discipulus, prophetiæ dono illustris, episcopus Atheniensis.*

II. *Pro defensione Christianæ religionis Adriano imperatori libellum apologeticum obtulit, multo in pretio habitum; cujus unum superat fragmentum.*

III. *Anno* 126 *oblata hæc* Apologia, *cum auctor provectæ jam esset ætatis; qui tamen a Quadrato Athenarum pontifice distinguendus non videtur.*

(13) Ἐχώρησε. Hanc ipsam Papiæ de Juda sententiam paucis contractam, suppresso auctoris nomine, profert idem Theophylactus, nec non et Eutymius, in *Matth.* cap. XXVII.

(14) *Maria Mater Domini*, etc. Ista ex Papiæ nostri libris deprompto esse exinde colligo, quia initio horum verborum ad marginem expresse ascriptum lego: *Papia.* Qui autem hæc descripsit, addidit de suo: *Maria dicitur illuminatrix, sive Stella maris; genuit enim lumen mundi: sermone autem Syro Domina nuncupatur, quia genuit Dominum.* GRAB.

I. S. Quadratum, Publio martyrium passo, in Ecclesiæ Atheniensis regimine successisse, testis est locuples apud Eusebium (1) Dionysius Corinthiorum episcopus in epistola quam Atheniensibus inscripsit; ubi et « ejus labore atque industria cives denuo in Ecclesiam convenisse, et redivivum fidei ardorem in illis reparatum esse profitetur. » Ἐπιμαρτυρῶν, ὡς διὰ τῆς αὐτοῦ σπουδῆς ἐπισυναχθέντων, καὶ τῆς πίστεως ἀναζωπύρησιν εἰληχότων. Ipsum quoque prophetica gratia fuisse præditum, testatur apud eumdem Eusebium (2) scriptor anonymus, qui Rhodon fuisse dicitur (3). Siquidem in eo libro quem innominatus hic auctor adversus Cataphrygas composuit, universos Novi Testamenti prophetas enumerans. Quadratum quoque nostrum recenset, eumque cum Philippi evangelistæ filiabus conjungit, quas S. Lucas prophetissas appellat [1]. « Non Agabum, inquit, non Judam, non Silam, nec Philippi filias, nec Ammiam Philadelphensem, nec Quadratum, nec plures quoque alios qui nihil ad ipsos pertinent, prædicabunt (Montanistæ). » Οὔτε Ἄγαβον, οὔτε Ἰούδαν, οὔτε Σίλαν, οὔτε τὰς Φιλίππου θυγατέρας, οὔτε τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, οὔτε Κοδράτον, οὔτε τινὰς ἄλλους μηδὲν αὐτοῖς προσήκοντας καυχήσονται. His affinia tradit alibi laudatus Cæsariensis episcopus (4).

II. Hic itaque vir apostolicus Adriano imperatori Athenis agenti libellum apologeticum obtulit, Christianorum innocentiam et iniquam eorum vexationem luculenter exponens. De quo quidem hæc S. Hieronymus (5); « Quadratus apostolorum discipulus, Publio Athenarum episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur. et Ecclesiam grandi terrore dispersam fide et industria sua congregat. Cumque Adrianus Athenis exegisset hiemem, invisens Eleusina; et omnibus pæne Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem his qui Christianos oderant, absque præcepto imperatoris vexare credentes; porrexit ei librum pro religione nostra, valde utilem plenumque rationis et fidei, et apostolica doctrina dignum; in quo et antiquitatem suæ ætatis ostendens ait plurimos a se visos, qui sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus sanati fuerant, et qui a mortuis resurrexerant. » Huc usque summatim ex Eusebio (6) doctor maximus; qui et alibi ad Magnum oratorem scribens, in eamdem sententiam hæc habet (7): « Quadratus apostolorum discipulus, et Atheniensis pontifex Ecclesiæ, nonne Adriano principi Eleusinæ sacra invisenti, librum pro nostra religione tradidit? et tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium. »

« Utinam vero, ut cum Grabio loquar (8), de hac Quadrati *Apologia* nunc scribere possemus, quod olim Eusebius in hæc verba (9): Εἰσέτι δὲ φέρεται παρὰ πλείστοις τῶν ἀδελφῶν, ἀτὰρ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ σύγγραμμα· ἐξ οὗ κατιδεῖν ἐστι λαμπρὰ τεκμήρια τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας. « Exstat hodieque apud plerosque ex fratribus hæc oratio, quam nos etiam habemus; ex qua et ingenium illius viri, et rectam apostolicæ fidei doctrinam perspicue cognoscere licet. » Sed periit heu! egregium istud σύγγραμμα, nihilque ejus superest præter unicum, brevissimum quidem, at nobile fragmentum quod nobis conservavit Eusebius. Plura darentur, si superstites adhuc essent alterius Eusebii sæculo VI episcopi Thessalonicensis libri 10 *contra Andream monachum;* utpote quem adversario suo Quadrati verba opposuisse, expresse testatur Photius (10).

III. Hanc vero *Apologiam* obtulit Quadratus Adriano Augusto, cum provectæ jam esset ætatis. In ea siquidem, inquit Eusebius (11), *ipsemet antiquitatem suam satis prodit:* Ὁ δ' αὐτὸς τὴν καθ' ἑαυτὸν ἀρχαιότητα παραφαίνει. Qua de re in Græcis *Chronici* Eusebiani ad annum Adriani 10 hæc leguntur (12): Κουαδρᾶτος ὁ ἱερὸς τῶν ἀποστόλων ἀκουστής, Αἰλίῳ Ἀδριανῷ τῷ αὐτοκράτορι λόγους ἀπολογίας ὑπὲρ Χριστιανῶν, καὶ Ἀριστείδης Ἀθηναῖος ὁ φιλόσοφος ἐπέδωκαν. Ἅπερ δεξάμενος ὁ Καῖσαρ σὺν τοῖς παρὰ Σερενίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἡγουμένου, ὡς ἄδικον εἴη γραψαμένου, Χριστιανοὺς ἀκρίτως ἐπὶ μηδενὶ τῶν ἐγκλημάτων κτείνειν, γράφει Μινουκίῳ Φουνδανῷ ἀνθυπάτῳ τῆς Ἀσίας, μηδένα κτείνειν ἄνευ ἐγκλημάτων καὶ κατηγορίας. Gemina recitat Syncellus (13), unde Græca sua Eusebiana Scaliger desumpsisse videtur; quæ quidem in versione Hieronymiana ita efferuntur (14): *Quadratus, discipulus apostolorum, et Aristides Atheniensis, noster philosophus, libros pro Christiana religione dedere compositos. Et Serenus Grannius legatus, vir apprime nobilis, litteras ad imperatorem mittit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi; et sine ullo crimine, nominis tantum et sectæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus Minucio Fundano proconsuli Asiæ scripsit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos.* Adriani rescriptum ad Minucium Fundanum quo persecutionem a Græcis et Asiaticis excitatam prohibuit, *Apologiæ* suæ intexuit Justinus Martyr (15). Ex quibus ergo perspicuum est,

[1] Act. XXI, 9.

(1) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 23.
(2) *Ibid.*, lib. V, cap. 17.
(3) Hieron. *De vir illustr.*, cap. 37.
(4) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. III, cap. 37.
(5) Hieron. *De vir illustr.*, cap. 19.
(6) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 5.
(7) Hieron. epist. 70, n. 4, Opp. tom. I, p. 426, edit. nov. Veron.
(8) Grab. *Spicil. SS. PP.*, tom. II, p. 124.
(9) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 3.
(10) Phot. *Bibl.* cod. 126.
(11) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 3.
(12) Euseb. *Chron. Gr.*, pag. 211.
(13) Syncell. *Chronogr.*, pag. 348.
(14) Euseb. *Chron.* lib. I et II, p. 47, 107, edit. Scalig.
(15) Justin. *Apolog.* I, § 69.

apologeticum Quadrati libellum Adriano fuisse oblatum anno Christi 126, quo ille anno imperii sui 10 Athenas secundo perrexit (16).

Cæterum, utrum sit distinguendus cum Valesio (17), Tillemontio (17) aliisque nonnullis, Quadratus Atheniensis episcopus de quo Dionysius Corinthius apud Eusebium, ab illo Quadrato qui Christianam religionem apud Adrianum imperatorem defendendam suscepit : quæstionem hanc satis aperte solvisse mihi videntur Grabius (19) in primis et Caveus (20), quique illos secuti sunt Fabricius (21), Clericus (22) et Cyprianus (23) ; quibus nimirum probatur S. Hieronymi sententia, semel iterumque docentis, unum eumdemque fuisse Quadratum, apostolorum discipulum, prophetico charismate ornatum, auctorem *Apologiæ* atque Athenarum pontificem ; ut cuique textus quos in medium adduximus, attentius expendenti compertum fiet.

SANCTI QUADRATI

FRAGMENTUM

EX APOLOGIA PRO RELIGIONE CHRISTIANA.

(Routh, *Reliquæ sacræ*, Oxonii, 1814, t. I, p. 75, ex Euseb., lib. IV *Hist.*, c. 3.)

Τοῦ δὲ Σωτῆρος ἡμῶν (24) τὰ ἔργα ἀεὶ παρῆν (25). ἀληθῆ γὰρ ἦν· οἱ θεραπευθέντες, οἱ ἀναστάντες ἐκ νεκρῶν. Οἳ οὐχ ὥφθησαν μόνον θεραπευόμενοι, καὶ ἀνιστάμενοι, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ παρόντες. Οὐδὲ ἐπιδημοῦντος μόνον τοῦ Σωτῆρος, ἀλλὰ καὶ ἀπαλλαγέντος, ἦσαν ἐπὶ χρόνον ἱκανόν (26), Ὥστε καὶ εἰς τοὺς ἡμετέρους χρόνους τινὲς αὐτῶν (27) ἀίκοντο (28).

Servatoris autem nostri opera semper conspicua erant, quippe quæ vera essent ; ii scilicet qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quandiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt : adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint.

(16) Pagi *Crit.* ad ann. 126. §§ 3, 4.
(17) Vales. *ad Euseb. H. E.*, lib. IV. cap. 23.
(18) Tillem. *Mém. eccles.*, tom. II, pag. 589, not. 7.
(19) Grab. *Spicil. SS. PP.* tom. II, pag. 119, seqq.
(20) Cav. *Hist., Litt.*, tom. I, p. 52.
(21) Fabric. *Bibl. Gr.*, tom. V, p. 186, alibi.
(22) Cleric. *Hist., eccles.*, p. 589.
(23) Cypr. apvd Fabric. *Bibl. eccl.*, p. 85, seq.
(24) Τοῦ δὲ Σωτῆρος ἡμῶν, etc. Præmisit Eusebius : Τραϊανοῦ δὲ ἐφ' ὅλοις ἔτεσιν εἴκοσι τὴν ἀρχὴν μησὶν ἓξδέουσι κρατήσαντος, Ἄλιος Ἀδριανὸς διαδέχεται τὴν ἡγεμονίαν, Τούτῳ Κοδρᾶτος λόγον προσφωνήσας ἀναδίδωσιν, ὁπολογίαν συντάξας ὑπὲρ τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσεβείας, ὅτι δή τινες πονηροὶ ἄνδρες τοὺς ἡμετέρους ἐνοχλεῖν ἐπειρῶντο. Εἰσέτι δὲ φέρεται παρὰ πλείστοις τῶν ἀδελφῶν, ἀτὰρ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ σύγγραμμα· ἐξ οὗ κατιδεῖν ἐστι λαμπρὰ τεκμήρια, τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας. Ὁ δ' αὐτὸς τὴν καθ' ἑαυτὸν ἀρχαιότητα παραφαίνει, δι' ὧν ἱστορεῖ ταῦτα ἰδίαις φωναῖς. Τοῦ δὲ Σωτῆρος ἡμῶν, etc. *Cum Trajanus per viginti annos demptis sex mensibus principatum tenuisset, Ælius Adrianus suscepit imperium. Huic Quadratus obtulit orationem, quam pro defensione religionis nostræ idcirco conscripserat, quod quidam malevoli homines vexare nostros atque incessere conabantur. Exstat hodieque apud plerosque ex fratribus hæc oratio, quem nos etiam habemus : ex qua et ingenium ejus viri, et rectam apostolicæ fidei doctrinam perspicue licet cognoscere. Porro idem scriptor suam ipsius antiquitatem satis declarat his verbis : « Servatoris autem, » inquit*, etc.

(25) Ἀεὶ παρῆν. Opponit vir sanctus beatissimi Servatoris opera technis evanidis atque oculos spectatorum illudentibus. Quo pertinet Irenæi locus in lib. II *Contra hæreses*, c. 32, p. 165, ed. Massueti : « Ad opera producti (ait ille de Simonis Carpocratisque sectatoribus) quæ ille (Jesus) ad utilitatem hominum et firmitatem fecit, nihil tale nec simile, neque secundum aliquid in comparationem quod venire possit, perficere inveniuntur. Sed et si aliquid faciunt, per magicam, quemadmodum diximus, operati, fraudulenter seducere nituntur insensatos; fructum quidem et utilitatem nullam præstantes, in quos virtutes perficere se dicunt, adducentes autem pueros investes (id est impuberes, ait Massuetus), et oculos deludentes et phantasmata ostendentes (statim cessantia, et ne quidem stillicidio temporis perseverantia), non Jesu Domino nostro, sed Simoni Mago similes ostenduuntur. »

(26) Ἐπὶ Χρόνον ἱκανόν. Ἐπὶ Χρόνῳ ἱκανῷ Georgius Syncellus in *Chronographia* ad pag. 348, ed. unicæ Goar., ubi repetitur ex Eusebio, sed corrupte admodum, hic illustris locus.

(27) Ὥστε καὶ εἰς τοὺς ἡμετέρους χρόνους τινὲς αὐτῶν ὀφίκοντο. Αὐτῶν a Nicephoro abest. Facile potuit accidere Quadrato Adriani temporibus qui scripsit, ut simul cum illis viveret, quos Servator hominum vel sanaverat, vel ad vitam divinitus revocaverat. Taceo de Agrippæ Minoris annis, quo præsente, Paulus apostolus causam dixit, quoniam Photio ex Justo Tiberiade ætatem ejus commemoranti in cod. 35 *Bibliothecæ* suæ, plurimi viri eruditi

(28) Ἀφίκοντο. Periit, eheu ! egregium istud σύγγραμμα

ARISTIDES

APOLOGISTA ET PHILOSOPHUS CHRISTIANUS

—

NOTITIA.

(LUMPER, *Historia Patrum critica*, Aug. Vind., 1783, in-8°, t. I, p. 382.)

Sanctus Aristides Atheniensis (1) erat origine, philosophus vero instituto. Ferunt eum, cum fidem amplexus est, philosophi quoque habitum servasse (2) quod et S. Justinus factitavit, quemadmodum suo loco referemus.

Licet autem S. Hieronymus pacis in Ecclesia restitutæ honorem Quadrati *Apologiæ* tribuerit, fatendum tamen est, gloriam hanc communem illi cum Aristide fuisse. Per eadem enim tempora obtulit ille Adriano egregiam pro Christianis apologiam selectissimis philosophorum sententiis (3) refertam, quæ magno plausu excepta est.

Referunt Usuardus (4) et Ado (5) eum Jesu Christi divinitatem coram Adriano non modo scriptis suis, verum etiam elegantissima oratione coram eo habita propugnasse; quorum prior addit, mentionem ibi de S. Dionysii martyrio institutam fuisse. Unde arguere licet, Aristidis *Apologiam* Usuardi ætate superstitem adhuc fuisse. Posterior ait; « Hoc opus apud Athenienses summo genere coli, et inter antiquiorum monumenta clarissimum teneri, ut peritiores Græcorum affirmant. » Estque a recente quodam scriptore (de la Guilletière) in libro inscripto, *Athenæ veteres et novæ* litteris commissum, Calogeras quosdam dictitare, se *Apologiam* illam in Medelliensis monasterii bibliotheca sex ab Athenarum urbe passuum millibus integram habere. Eorum tamen narrationi fidem nullam habendam esse ducimus, cum omnibus antiquitatis ecclesiasticæ studiosis frustra exoptantibus, hucusque in lucem producta a Calogeritanis non fuerit.

diti aut non consentiunt, aut vitiata verba Justi existimant; sed Cleophæ filius, Dominique Jesu fortasse frater patruelis aut consobrinus, hic est Symeon, Hierosolymæ episcopus, regnante Trajano, nui Adrianus ille successit, cruci tandem affixus est. Id tradit Hegesippus apud Eusebium lib. III *Hist.*, c. 32. Porro ipse quoque Quadratus simul cum Philippi evangelistæ filiabus floruisse dicitur ab Eusebio in cap. 37 ejusd. lib. Sane vero nihil necesse fuerit, ad annum septuagesimum pervenisse puerum exempli gratia, aut puellam, quos Christus ad vitam revocavit, si isti usque ad Quadrati tempora superstites essent. De Quadrati autem annis monuisse nunc video Pearsonium *Op. Posthumis*, diss. 2. c. 15, p. 284, quæ sequuntur : « Quadratus ille apostolorum discipulus, ab Eusebio dicitur 10 Adriani, hoc est Christi 127 anno, *Apologium* obtulisse, et ex iis verbis (ab Eusebio altatis) antiquitatem suam ostendisse; quare diu ante imperium Adriani, imo dtu ante obitum S. Joannis, eos (sanatos) videre præ ætate potuit. »

γραμμα, nihilque ejus superest, præter unicum, brevissimum quidem, at nobile fragmentum, quod nobis conservavit Eusebius loco modo citato. Plura darentur, si superstites essent alterius Eusebii, sec. VI, episcopi Thessalonicensis, libri 10 *Contra Andream monachum*, utpote quem Κοδράτου verba adversario opposuisse expresse testatur Photius cod. 102. Verum neque hi Eusebii, nec Andreæ, qui itidem Quadratum citasse videtur, libri uspiam, quod ego sciam, exstant, saltem hic Oxonii non reperiuntur, nec Viennæ in Bibliotheca Cæsarea, neque Parisiis in Regia. Indicare tamen id volui, ut si forte quispiam, cui perlustrandorum in aliis Bibliothecis codicum manuscriptorum datur copia, in dictos libros alicubi incidat, id sibi negotii omnino datum sciat, ut vel integros eos describat, aut saltem laudatæ Quadrati *Apologiæ* ac aliorum a Photio nominatorum Patrum, nempe Methodii martyris, Athanasii, trium Gregorium, Thaumaturgi, Theologi et episcopi Nysseni, Basilii, Joannis Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini et Procli Constantinopolitanis ententias inde excerpat, et bono publico communicet : Cæterum qui Martyrologium sub ementito Bedæ nomine edidit, hæc ad diem 26 Maii habet : « Apud Athenas B. Quadrati episcopi. Hic firmavit, ut nulla esca a Christianis repudiaretur, quæ rationalis et humana est. » Unde forte aliquis colligere posset, in Quadrati *Apologia* hac de re actum fuisse. Sed suspicor, consarcinatorem istum ea, quæ de Eleuthero episcopo Romano eadem die in Martyrologio Romano dicuntur, improvide ad Quadratum retulisse : dictum enim papam talis dogmatis propugnatorem facit quoque Anastasius, alios ut taceam. GRABIUS.

(1) Aristides Atheniensis philosophus eloquentissimus et sub pristino habitu discipulus Christi, volumen nostri dogmatis rationem continens eodem tempore, quo et Quadratus, Adriano principi dedit, id est *Apoloheticum* pro Christianis, quod usque hodie perseverans, apud philologos ingeni ejus indicium est. Hieronymus in *Catalog.* cap. 20.

(2) Tillemont, t. II *Mém. eccles.*, pag. 107, ex D. Hieronym.

(3) Aristides philosoohus vir eloquentissimus, eidem principi *Apologeticum* pro Christianis obtulit, contextum philosophorum sententiis. D. Hieronym. ep. 83, *ad Magnum*.

(4) Ad diem 31 Augusti et 3 Octobris.

(5) Ad diem 31 Augusti.

AGRIPPA CASTOR

NOTITIA.

(GALLAND., *Biblioth.*, t. I, Proleg., p. LXXVIII.)

Agrippa Castor, sub Adriano γνωριμώτατος συγγραφεύς. *Scripsit* ἱκανώτατον ἔλεγχον *contra Basilidem : opus deperditum, cujus pauca superant apud Eusebium.*

Quo tempore sub Adriano erupuit Basilides, Gnosticorum primipilus, floruit eruditionis ac doctrinæ laude Agrippa, cognomento Castor; qui primus omnium nefanda illius hæresiarchæ arcana atque impia dogmata, quatuor et viginti libris in Evangelium ab eo exaratis consignata, detexit simul et confutavit. De quo illustri Ecclesiæ scriptore hæc habet Eusebius (1) : Εἰς ἡμᾶς κατῆλθεν ἐν τοῖς τότε γνωριμωτάτου συγγραφέως Ἀγρίππα Κάστορος ἱκανώτατος κατὰ Βασιλείδου ἔλεγχος, τὴν δεινότητα τῆς τάνδρὸς ἀποκαλύπτων γοητείας. *Pervenit ad nos Agrippæ Castoris, scriptoris ea ætate celeberrimi, validissima adversus Basilidem confutatio : in qua hominis præstigias ac fraudes detegit.* Ita quoque Hieronymus (2) : « Agrippa,cognomento Castor, vir valde doctus, adversum viginti quatuor Basilidis hæretici volumina, quæ in Evangelium confecerat, fortissime disseruit, prodens ejus universa mysteria. » Agrippæ item meminit Theodoretus (3). De illius vero ætate consulendi potissimum Pearsonius (4), Dodwellus (5) ac Massuetus (6). Cæterum, luculentum ejus opus jamdudum periit, iis paucis exceptis quæ nobis servavit Eusebius, quæque ex ipso descripta suo loco protulimus.

De opere Agrippæ Castoris, in quo confutabatur Basilides, hæc scribit Eusebius *Hist.* lib. IV, cap. 7.

Ἐκφαίνων δ' οὖν αὐτοῦ (7) (Basilidis) τὰ ἀπόῤῥητα, φησὶν (Agrippa Castor) αὐτὸν εἰς μὲν τὸ Εὐαγγέλιον τέσσαρα πρὸς τοῖς εἴκοσι (8) συντάξαι βιβλία· προφήτας δὲ ἑαυτῷ ὀνομάσαι Βαρκαββᾶν καὶ Βαρκὼφ (9), καὶ ἄλλους ἀνυπάρκτους τι-

Dumque cuncta ejus (Basilidis) arcana profert in lucem, quatuor et viginti libros in Evangelium ab illo conscriptos esse memorat, ipsumque sibi prophetas confinxisse Barcabbam et Barcoph, aliosque nonnullos qui nunquam exstitissent : iisque bar-

(1) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 7.
(2) Hieron. *De vir. illustr.*, cap. 21.
(3) Rheodor. *Hæret. fabul.*, lib. I, cap. 4.
(4) Pearson. *Vindic. Ignat.* part. II, cap. 7, pag. 87.
(5) Dodw. in addit. ad *Pears. posth.*, pag. 248.
(6) Massuet. dissert. I *in Iren.*, §§ 114, 115, pag. 48.
(7) Ἐκφαίνων δ' οὖν αὐτοῦ. Eusebius præmisit : Ἱλείστων οὖν ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ (tunc temporis exortis Saturnino atque Basilide hæreticis) τῆς ἀληθείας ὑπεραγωνιζομένων, λογικώτερόν τε τῆς ἀποστολικῆς καὶ ἐκκλησιαστικῆς δόξης ὑπερμαχούντων, ἤδη τινὲς καὶ διὰ συγγραμμάτων τοῖς μετέπειτα προφυλακτικὰς αὐτῶν δὴ τούτων τῶν ἠλωθεισῶν αἱρέσεων παρεῖχον ἐφόδους. Ὧν εἰς ἡμᾶς κατῆλθεν ἐν τοῖς τότε γνωριμωτάτου συγγραφέως Ἀγρίππα Κάστορος, ἱκανώτατος κατὰ Βασιλείδου ἔλεγχος, τὴν δεινότητα τῆς τάνδρὸς ἀποκαλύπτων γοητείας : Ἐκφαίνων δ' οὖν αὐτοῦ, etc. « Porro cum eodem tempore plurimi ecclesiastici viri patrocinium veritatis susciperent, et pro ecclesiastica apostolicaque doctrina disertissime decertarent, nonnulli etiam assertiones suas scriptis proditas tanquam remedia ad cavendas supradictas hæreses comparata, posteris reliquerunt. Ex quibus pervenit ad nos Agrippæ Castoris, scriptoribus ea ætate nobilissimi validissima adversus Basilidem confutatio : in qua hominis præstigiæ ac fraudes detegunter. » « Dumque cuncta ejus, » etc. ROUTH.
(8) Εἰς μὲν τὸ Εὐαγγέλιον τέσσαρα πρὸς τοῖς εἴκοσι, etc. Non dicit Eusebius in quodnam Evangelium Basilides eos libros scripserit; utrum in Evangelium Matthæi, an Marci. Ac fortasse hos viginti quatuor libros composuerat Basilides in suum ipsius evangelium. Scripserat enim evangelium Basilides, et suo nomine prænotaverat : Τὸ κατὰ Βασιλείδην εὐαγγέλιον, et testatur Origenes in Homilia 1 *in Lucam* Ambrosius in præmium B. Lucæ, Hieronymus prælatione in Matthæum.Hi autem libri Basilidis Ἐξηγητικοί dicebantur. Certe Clemens Alexandrinus in lib. IV *Stromateon* loca quædam affert ex lib. XXIII Basilidis Ἐξηγητικῶν. VALESIUS. — In notis ad Hieronymi *De viris illustr.*, cap. 21, quod de Agrippa Castore agit, ait se suspicari cl. Fabricius, hosce Basilidis commentarius ab Origene, Ambrosio, Hieronymo, intelligi, ubi falsum Basilidis evangelium memorant. Idem quoque Fabricio visum fuerat scribere in vol. I *Cod. Apocryph. Nov. Test.*, p. 343. Sed huic quidem opinioni male convenire videntur Origenis verba in Macarii *Orotionibus in Lucum* : Ταῦτα δέ εἴρηται πρὸς τοὺς ἀπὸ Οὐαλεντίνου, καὶ Βασιλίδου, καὶ τοὺς ἀπὸ Μαρκίωνος. Ἔχουσι γὰρ καὶ αὐτοὶ τὰς λέξεις (S. Scripturæ verba prius laudata) ἐν τῷ καθ' ἑαυτοὺς ὑαγγελίῳ, p. 98 , tom. III *Op. Origenis*, ex ed. Delarnæan. seu Benedictin. Quod quidem si verum sit de communi hæreticorum evangelio, quidni hoc opus esset ipsum illud Marcionis evangelium, de quo satis multa Tertullianus et Epiphanius ? De Basilidis ætate nonnihil infra ad Hegesippi Fragmenta atluli. ID.
(9) Προφήτας δὲ ἑαυτῷ ὀνομάσαι Βαρκαββᾶν καὶ Βαρκώφ. Βαρκαβᾶν καὶ Βαρκώφ. Ita quidem codex Regius. Sed in codice Maz., Med. et Fuk. scriptum est Βαρκαββὰν cum accentu gravi in ulti

bara quædam nomina imposuisse, ad parcellendos eorum animos, qui hujusmodi rerum admiratione capiuntur. Ait præterea illum docere, quod indifferens sit victimas diis immolatas degustare, et persecutionum tempore licenter fidem abnegare. Sectatoribus quoque suis Pythagor eorum more silentium quinquennii eum indicere affirmat Ilis aliisque similibus de Basilide recensitis, supradictus scriptor hæresis hujus errores in lucem protractos validissime coarguit.

ma. Nec aliter Nicephorus, nisi quod ultimam circumflectit. Apud Rufinum quoque, et apud Hieron. in indiculo hæreseon (Judæorum) Barcabbas dicitur. Sic enim præferunt manuscripti codices Rufini. Cæterum in hos prophetas Barcabam et Barcob, Isidorus Basilidis filius Expositionum libros scripserat, ut docet Clemens Alexandrinus in lib. VI *Stromateon* : Ἰσίδωρος δὲ, ὁ Βασιλείδου υἱὸς ἅμα καὶ μαθητής, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν τοῦ προφήτου Παρχὼρ Ἐξηγητικῶν. Ubi Βαρκώφ emendandum videtur. Nisi quis existimare malit, Βαρκώρ etiam unum fuisse ex prophetis illis a Basilide conflctis. Ex eorum prophetarum numero fuit etiam Cham ; cujus nomine Basilides librum prophetiæ contexuerat, ut ex Isidori verbis ibidem a Clemente citatis colligitur. VALESIUS. — Grabius quoque ad pag. 38 *Spicileg.* voi. II, de fictis horum pseudo-prophetarum non modo personis, sed et libris, ista Eusebii accipienda censet, loco illo Clementis Alexandr. penitus persuasus. Neque interea plane spernenda est cl. Lardneri conjectura, hos libros statuentis codices aliquos orientales fuisse quos adduxerat secum

νὰς (10) ἑαυτῷ συστησάμενον· βαρβάρους τε αὐτοῖς εἰς κατάπληξιν τῶν τὰ τοιαῦτα τεθηπότων ἐπιφημίσαι προσηγορίας. Διδάσκειν τε ἀδιαφορεῖν εἰδωλοθύτων ἀπογευομένους, καὶ ἐξομνυμένους ἀπαραφυλάκτως τὴν πίστιν κατὰ τοὺς τῶν διωγμῶν καιρούς. Πυθαγορικῶς τε τοῖς προσιοῦσιν αὐτῷ, πενταετῆ σιωπὴν παρακελεύεσθαι. Καὶ ἕτερα δὲ τούτοις παραπλήσια ἀμφὶ τοῦ Βασιλείδου καταλέξας ὁ εἰρημένος (11), οὐκ ἀγεννῶς τῆς δηλωθείσης αἱρέσεως εἰς προῦπτον ἐφώρασε τὴν πλάνην.

Basilides ab Oriente Alexandriam. Vid. opus Lardneri posthumum Anglice scriptum, cui tit. *Hæreticorum historia*, lib. II, cap. 2, sect. 31. Barcabbam autem prophetam quemdam Gnosticis attribuit, ejusque nominis etymon docet Epiphanius, in hæres. 27, num. 2, p. 83, ed. Petavii. Hoc denique notabo, in multis tam Rufini quam Hieronymi codicibus exhiberi hæc nomina sic scripta, *Borchaban* et *Barcob*, sed *Barchabam* et *Barchabus* in Rufini ms. collegii S. Magdal. Oxonii ; clausulam autem in codice Eusebii Bodl. seu Savil. omissam fuisse.

(10) Καὶ ἄλλους ἀνυπάρκτους τινάς. Frustra Christophorsonus *angelos* hic inseruit, quasi in Eusebii textu aliquid deesset Verum Eusebius tantum de prophetis loquitur quos sibi commotus fuerat Basilides. Atque ita hunc Eusebii locum acceperunt Hieronymus in *Catalogo*, ubi de Agrippa Castore loquitur, et Theodoretus in lib. I *Hæreticarum fabularum*, et Nicephorus in libro quarto. VALESIUS.

(11) Ὁ εἰρημένος. Ὁ Εἰρηναῖος ms. Norfolc., sed male, etsi idem in codice suo Nicephorus historicus invenit. ROUTH.

ARISTO PELLÆUS

NOTITIA.

(GALLAND., *Biblioth. vet. Patr.*, I, Proleg., p. LXXIV.)

I. *Aristo Pellæus, auctor* Disputationis Jasonis et Papisci, *Lucæ evangelistæ perperam ascriptæ. Operis utilitatem laudat Origenes* contra Celsum, *simulque illius inscriptionem, characterem atque doctrinam exponit. Quid in eo reprehenderit S. Hieronymus. Ejus auctor defenditur cum ex Paraphraste Hierosolymitano, tum ex vetustissimo* Prædicationis Petri *auctore, neque penitus dissentiente vel ipso Hieronymo.*

II *Græcus operis textus, pauculis demptis, prorsus interiit ; una cum ejusdem perantiqua versione, a Celso Christiano elaborata : e cujus tamen superstite præfatione complura suppetunt ad ipsum opus plenius agnoscendum. Quis Jason cum Papisco in eo disputans. Quo tempore illud scriptum.*

III. *Historiam quoque rerum orientalium litteris consignasse perhibetur Aristo, ex Mose Chorenensi ; quin et ex ipso fortasse Eusebio.*

IV. *De eodem scriptore nonnulla perperam dicta exstant apud* Chronici Paschalis *auctorem. Locus ejus a Fabricio frustra tentatus. Neque magis placet Cavei conjectura. Quid tandem de illo sentiendum ex Cangio.*

I. Primus inter antiquos Ecclesiæ scriptores qui Aristonis meminerit. Eusebius Cæsariensis comperitur (1) ; eumque Pellæum appellat, ex Pella nimirum Palæstinæ oppido trans Jordanem sito, quo paulo ante Hierosolymorum excidium sedes suas transtulerant Christiani, ut idem tradit Eusebius (2). Hic vero ex Judæo, ut videtur, Christianus, *Disputationem Jasonis et Papisci* litteris consignasse, S. Maximo teste (3), perhibetur : quam tamen *Disputationem*, si eumdem Maximum audias, Clemens Alexandrinus in libro VI *Hypotyposeon* Lucæ ascripserit. Verum « haud facile assequi licet, inquit Grabius (4), qua ratione fieri potuerit, ut Clemens Alexandrinus Lucam ejus auctorem fecerit, cum res aliquandiu post Lucæ obitum gestæ in eo *Dialogo* fuerint relatæ. Unde suspicor, vel nos vitiose in Maximi textu infra recitando (5) ἦν pro ὃν legere, vel potius a Maximo verba Clementis haud recte lecta aut intellecta fuisse ; cumque is *Disputationem Jasonis et Papisci* allegans, Jasonis

(1) Euseb. *Hist. eccles.*, lib. IV, cap. 6.
(2) Id. *ibid.*, lib. III, cap. 5.
(3) Maxim. *Schol. in Dionys. vulgo Areopag. De myst. theol.* cap. 1, opp. tom. II, pag. 17.
(4) Grab. *Spicil. SS. PP.*, tom. II, p. 130.
(5) Vide infra.

mentionem a Luca forte factam dixerit, in Actis scilicet apostolorum, hæc male ad ipsam *Disputationem* esse relata. » Hæc ille.

Cæterum longe diu ante Maximum eamdem *Disputationem* legerat Celsus Epicureus, cujus iniquum de illa judicium recitat his verbis Origenes (6) : Παπίσκου τινὸς καὶ Ἰάσονος ἀντιλογίαν ἔγνων, οὐ γέλωτος, ἀλλὰ μᾶλλον ἐλέους καὶ μίσους ἀξίαν. Ἔμοιγ' οὖν οὐ ταὐτ' ἐλέγχειν πρόκειται· ἔστέ γὰρ παττί που δῆλα. « Papisci cujusdam et Jasonis contentionem novi, non risu sed miseratione potius dignam et odio. Hæc itaque confutare mihi non est animus ; quippe quorum absurditas omnibus patet. » Verum Origenes, qui et ipse Aristonis *Dialogum* noverat, Celsi calumniam ita refellit, ut haud otiosum fuerit ejus responsionem hic describere ; ex ea enim cum operis inscriptionem, tum in primis ejus characterem atque doctrinam perspicimus. Sic igitur ille : Οὐδὲν δ' ἧττον ἐβουλόμην πάνθ' ὁντινοῦν ἀκούσαντα δεινολογοῦντος Κέλσου, καὶ φάσκοντος τὸ ἐπιγεγραμμένον σύγγραμμα. Ἰάσονος καὶ Παπίσκου ἀντιλογίαν περὶ Χριστοῦ, οὐ γέλωτος, ἀλλὰ μίσους ἄξιον εἶναι, λαβεῖν εἰς χεῖρας τὸ συγγραμμάτιον, καὶ ὑπομεῖναι καὶ ἀνασχέσθαι ἀκοῦσαι τῶν ἐν αὐτῷ· ἵν' αὐτόθεν καταγνῷ τοῦ Κέλσου, μηδὲν εὑρίσκων μίσους ἄξιον ἐν τῷ βιβλίῳ. Ἐὰν δ' ἀδεκάστως τις ἐντυγχάνῃ, εὑρήσει ὅτι οὐδ' ἐπὶ γέλωτα κινεῖ τὸ βιβλίον, ἐν ᾧ ἀναγέγραπται Χριστιανὸς Ἰουδαίῳ διαλεγόμενος ἀπὸ τῶν Ἰουδαϊκῶν, Γραφῶν, καὶ δεικνὺς τὰς περὶ τοῦ Χριστοῦ προφητείας ἐφαρμόζειν τῷ Ἰησοῦ· καίτοι γε οὐκ ἀγεννῶς οὐδ' ἀπρεπῶς τῷ Ἰουδαϊκῷ προσώπῳ τοῦ ἑτέρου ἰσταμένου πρὸς τὸν λόγον. Id est : « Ego tamen cuperem, quemcunque post audita grandia Celsi verba, dicentis opusculum inscriptum, » Jasonis et Papisci contentio de Christo, » « non risu sed odio potius dignum esse, accepto in manus libello, aliquantum operæ lectioni ejus insumere, ut, re ipsa doctus, Celsi vaniloquentiam damnet, nihil odio dignum in eo libro reperiens. Neque etiam quidquam ridiculum in illo inveniet ; in quo scilicet Christianus inducitur cum Judæo disputans, atque ex ipsis Judæorum Scripturis evincens, prophetarum oracula de Christo ad Jesum pertinere ; quanquam strenue satisque Judaice contradicat adversarius. » Quod autem ex Origene (7) colligit Tillemontius (8), ejusdem libelli auctorem hoc dictum ursisse, ad mores informandos quam maxime utile : « Omnis sapientiæ fontem esse ac principium, omnes actiones eo referre, ut Deo placeant, ac ne cogitare quidem quidquam quod illi displiceat ; quippe cum non solum dicta et facta, sed etiam cogitationes judicandæ sint : » id quidem minus recte collegisse vir doctissimus comperitur ; hæc enim sententia non Aristoni, sed ipsimet Origeni tribuenda ; qui effatum illud velut commune omnium Ecclesiæ scriptorum principium pronuntiat ; ut rite advertit cl. Maranus (9).

Post Origenem autem meminit quoque semel iterumque S. Hieronymus ejusdem *Disputationis*, quam et *Altercationem* vocat ; duoque ipsius loca inferius retulimus. Et in eorum quidem altero (10) falsum esse asserit doctor maximus, quod in ea scriptum erat, initio Geneseos in Hebræo haberi : *In Filio fecit Deus cælum et terram*. Sed Aristonem defendendum suscepit Bartoloccius (11) : « Pro Hebræo, inquit, intelligitur idioma Hierosolymitanum, quod Hebraicum lato modo dicebatur, et litteris Hebraicis scribebatur. In hoc siquidem idiomate, cujus reliquiæ adhuc in Targum Hierosolymitano hodie supersunt, invenitur : *In Sapientia creavit Deus*, etc. Per Filium Patris æterni, et in Filio qui Sapientia Dei Patris est, creata sunt omnia ; unde in hoc loco et secundum hunc sensum, idem valet *In Sapientia* ac *In Filio*. » Hactenus ille. Neque mirum, si Aristo Pellæus locum istum ex Targum Hierosolymitano desumpserit, consilio institutoque suo haud parum congruentem ; qui scilicet disputationem suam *De Christo* in primis inscripsit, quique non solum Jasonem Christianum ἀπὸ τῶν Ἰουδαϊκῶν γραφῶν, *ex ipsis Judæorum litteris* disputantem, verum etiam Papiscum Hebræum οὐκ ἀγεννῶς οὐδ' ἀπρεπῶς τῷ Ἰουδαϊκῷ, *strenue satisque Judaice* contradicentem induxit, ut modo asseret Origenes. Haud equidem ignoro, huic Bartoloccii sententiæ illa officere, quæ de istius paraphrastæ Hierosolymitani ætate a plerisque viris doctis, potissimum vero a Morino (12) edisseruntur, statuentibus illum sæculo VI fuisse recentiorem ; ut proinde paraphrasi hujusmodi haud uti sæculo II potuerit Aristo. Verum huic objectioni occurrit Waltonus (13), duplicem exstitisse Paraphrasin Hierosolymitanam demonstrans. Qua de re nonnulla insuper Wolfius (14). Cæterum eamdem hujus loci Geneseos interpretationem ab Aristone adhibitam, hausit itidem, ut videtur, ex vetustissimo pseudepigrapho *Prædicationis Petri* Clemens Alexandrinus (15), ut alios Patres prætereamus ; quod quidem fugisse Grabium (16) mirari subit. Neque omnino dissentit ipsemet Hieronymus, qui l. c. hæc habet : « Magis itaque secundum sensum, quam secundum verbi translationem, de Christo accipi potest ; qui tam in ipsa fronte Geneseos quæ caput omnium librorum est, quam etiam in principio Joannis Evangelistæ, cœli et terræ conditor approbatur. »

(6) Origen. *contr. Cels.*, lib. IV, § 52, tom. I, nov. edit. Paris, pag. 544.

(7) Id. *ibid*, § 53, pag. 545, noviss. edit. Paris. Ubi tamen absque ullius ms. cod. auctoritate, ὠφελείας, pro σοφίας, legitur.

(8) Tillem. *Mém. eccles.*, tom. II pag. 138.

(9) Maran. *Vit. S Cypriani*, ejus Opp. præfix. § 36, pag. 130, edit. Paris. 1726.

(10) Hieron. lib *Quæst. Hebr. in Gen.*, sub init.

(11) Bartolocc. *Bibl. Rabbin.*, part. III, pag. 2. num. 584.

(12) Morin. lib. II. *Exercit Bibl.* VIII, cap. 7, p. 344, seqq

(13) Walton. *Prolegom.* XII, *in Bibl. polyglott.*, §§ 11 et 14.

(14) Wolf. *Bibl. Hebr.*, tom. II, pag. 1169.

(15) Clem. Alex. *Strom.* lib. VI, cap. 7, p. 769, edit. Oxop.

(16) Grab. *Spicil. SS. SS.* I, I. pagg. 62 68.

II. Hujus vero *Disputationis* jamdudum periit textus Græcus,periitque simul perantiqua ejusdem opusculi Latina versio, a Celso quodam sene Christiano elaborata. Ejus tamen superest epistola satis elegans atque erudita, qua Vigilio episcopo interpretationem suam nuncupavit, inter opera S. Cypriano ascripta (17) ; unde nonnulla discimus, ad ipsum textum deperditum pertinentia, quæ sic se habent (18) : « Illud præclarum atque memorabile gloriosumque Jasonis Hebræi Christiani et Papisci Alexandrini Judæi disputationis occurrit ; Judaici cordis obstinatam duritiam, brevi (19) admonitione ac levi increpatione mollitam ; et victricem in Papisci corde Jasonis de Spiritus sancti infusione doctrinam : qua Papiscus ad intellectum veritatis admissus,et ad timorem Domini, ipso Domino miserante, formatus, et Jesum Christum Filium Dei credidit,et ut signaculum sumeret deprecatus, Jasonem postulavit. Probat hoc scriptura concertationis ipsorum,quæ collidentium inter se, Papisci adversantis veritati, et Jasonis asserentis et vindicantis dispositionem et plenitudinem Christi, Græci sermonis opere signata est. » Hæc ibi.

Conjicere placuit Grabio (20), Jasonem Hebræum Christianum et Papiscum Judæum Alexandrinum, inter se disputantes, fictas fuisse personas, ut in dialogis fieri consuevit. Aliis tamen aliter visum. Sixtus Senensis primum (21), deinde Pamelius (22) quos secutus est Bartoloccius l. c. opinati sunt,Jasonem istum eumdem fuisse cum Jasone Thessalonicensi, cujus meminerunt Lucas in Actis XVII, 5, et Paulus, Rom. XVI, 21, nullo tamen e vetustis scriptoribus testimonio in medium adducto ; ut proinde Spencero (23), Tillemontio (24) aliisque conjectura hujusmodi haud probetur. Episcopum potius aut saltem presbyterum illum fuisse cum Marano putaverim (25); Celsum siquidem interpretem modo nobis enarrantem audivimus,quod «Papiscus ad intellectum veritatis admissus, ut signaculum sumeret deprecatus,Jasonem postulaverit.» Neque dubitat idem vir doctus, quin sæculo II ille vixerit. Et jure quidem : hæc enim *Disputatio* Celso Epicureo perspecta fuisse comperitur:adeoque circa ejusdem sæculi medium,sive pro nostris rationibus circa Christi annum 136, eam fuisse litteris consignatam existimamus. De Celso autem interprete, atque de ipsius præfatione ad suam Latinam Aristoniani opusculi versionem,nos alibi opportunius.

III. Neque tantum *Jasonis et Papisci Altercationem*, verum etiam *Rerum orientalium historiam* Aristo Pellæus scripsisse videtur. Siquidem Moses Chorenensis, Armeniace et Latine a Gulielmo et Georgio Wisthoniis nuper Londini evulgatus, complura refert in sua *Historia Armeniaca* (26), ex auctore nostro descripta ; quorum nonnulla cum iis gemina esse perhibentur,quæ ex ipso Aristone tradit Eusebius (27); reliqua vero haud ita facile apud alios scriptores occurrunt : cujusmodi sunt quæ de morte Artasis III, Parthorum regis, enarrantur, sub Adriano regnantis ; aliaque præterea, digna plane quæ solertius excutiantur. Neque enim demum omnino contemnendus auctor iste Armenus, qui sæculo V floruisse comperitur. Fuit ille quidem mediocriter doctus,ut de ipso censent eruditi editores Londinenses (28) ; at illud sane ingenuum in eo agnoscendum, quod fere semper fontes indicet, unde suas enarrationes hauserit : quin et illud ejus *Historiæ* plurimum auctoritatis conciliare nemo inficias iverit, quod epistolas aliaque monumenta velut e publicis tabulis deprompta, in suum opus conjecerit,ut proinde licet quandoque judicium, fidem tamen ejus raro desideres.

Sed ut ad Aristonem revertamur, ejus *Historiæ orientali* potiori jure tribuendum existimamus fragmentum 1, quod præpropere Grabium secuti, ex Eusebio protulimus, tanquam ex *Altercatione Jasonis et Papisci* ab eo desumptum, ubi de Bettheræ urbis obsidione ac Hierosolymorum excidio sermo habetur. Atque id quidem suadere perspicitur contextus Eusebii, qui præter altum de *Disputatione* Aristoniana silentium, hanc insuper loquendi rationem usurpat : Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ. Eodem item sensu verba Eusebii accepisse noscuntur, sive doctus ipsius interpres Valesius,sive cl.abbas de Longuerue (29) ; quibus tamen Scaliger præivisse videtur (30). Sed in primis id quoque Moses Chorenensis palam profiteri censetur ; qui cum uno eodemque tenore tum Eusebiana, tum de Artasis Parthorum regis obitu litteris tradita, ex ipso Aristone describat ; ex ejus potius Historia illa omnia eruisse, quam ex laudata *Disputatione* dicendus : licet enim Jason et Papiscus, ut contendit Grabius (31), de Bettheræ obsidione deque Judæorum clade in eo dialogo verba fecisse potuerint ; veri

(17) Cypr. *Append.* pag. CCXXXIII, edit. Paris. 1726.
(18) *Ibid.* § 8, pag. CCXXXVIII.
(19) Sic emendavit el. Maranus ex codice ms. Remigiano, pro eo quod antea legebatur, *Hebræa monitione*. Hinc vero brevem fuisse hanc *Disputationem* colligimus.
(20) Grab. *Spicil. SS. PP.*, tom. II, p. 129.
(21) Sixt. Sen. *Bibl. sanct.*, lib. II, p. 71, edit. Paris. 1610.
(22) Pamel. in not. ad opusc. *De incred. Jud.*, inter. Opp. Cypr.
(23) Spencer. Adnot. ad lib. IV. Origen. *contr. Cels.*, p. 57.
(24) Tillem. *Mém. eccl.*, tom. II, p. 139, et X, p. 552.
(25) Maran. *Vit. Cypr.* pag. CXXX.
(26) Moses Choren. *Hist. Armen.*, lib. II, cap. 57, p. 174.
(27) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. IV, cap. 6.
(28) Wisthon. *Præfat. ad Mos. Choren.* pag. XIX.
(29) Longuer. *Dissert. de var. epoch.*, etc , pagg. 166, 209.
(30) Scalig. *Animadv. in Chron. Euseb. ad ann.* MMCXLVII et MMCL, pag. 216.
(31) Grab. *Spicil. SS. PP.*, tom. I, pag. 131.

tamen simile haud est, illos ut vidimus de Christo disputantes, de rege quoque Parthico fuisse locutos, nihil sane ad propositum pertinente.

IV. Neque viro *Disputatione* tantum et *Historiam orientalem*, de quibus hactenus edisseruimus; sed aliud etiam opus Aristo edidisse fertur, si *Chronici Paschalis* auctorem audias. Sic enim ille (32): Τούτῳ τῷ ἔτει, Ἀπελλῆς καὶ Ἀρίστων, ὧν μέμνηται Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ αὐτοῦ ἱστορίᾳ, ἐπιδίδωσιν ἀπολογίας σύνταξιν περὶ τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσεβείας Ἀδριανῷ τῷ βασιλεῖ. *Hoc anno* (Christi 134), *Apelles et Aristo, quorum meminit in sua* Historia ecclesiastica *Eusebius Pamphili, librum apologeticum pro nostra religione Adriano Augusto porrigunt.* Verum Eusebius unum Apellem hæreticum memorat(33), neque Aristonem libellum apologeticum Adriano exhibuisse uspiam tradit. Tentat quidem locum restituere Fabricius(34); neque dubitat quin legendum sit ὁ Πελλαῖος Ἀρίστων οὗ, pro Ἀπελγῆς καὶ Ἀρίστων ὤν ; suamque emendationem ex eo confirmari existimat, quod sequitur ἐπιδίδωσι, non ἐπιδιδοῦσιν. Sed frustra. Licet enim hujusmodi liberiorem emendationem admittas, adhuc tamen errantem auctorem vtdeas, ejusque sententiam integræ sanitati haud restitutam : cum historicæ veritati omnino repugnet, Adriano Augusto *Apologiam* pro Christiano religione obtulisse aliquando Aristonem Pellæum ; id saltem Eusebio incompertum, unde sua *Chronici* auctor hausisse profitetur; quod quidem miror virum eruditum præteriisse. Neque magis placet Cavei conjectura, putantis(35) propterea fuisse hallucinatum chronographum istum, quod Aristidis et Aristonis Pellæi nomina quæ apud Eusebium occurrunt(36), temere confundens, duos illos scriptores nobis procuderit. Illud potius putaverim, auctorem hunc de Aristide atque Quadrato ibidem sermonem habere voluisse, quos noverat ex Eusebio apologias porrexisse Adriano, quorumque nulla sane in eo *Paschali Chronico* mentio ; sed memoria lapsum, Apellem nobis Aristonemque obtrudisse. Quid quæris ? totam illam periochen in codice Holsteniano jure desiderari testatur cl. Cangius (37).

ARISTONIS PELLÆI

FRAGMENTA

(Routh, *Reliquiæ sacræ*, Oxonii, 1814, I, 91.)

EX DISPUTATIONE JASONIS ET PAPISCI.

Memini me (inquit S. Hieron., lib. II *Comm. ad Galat.* cap. III, comm. 13) in *Altercatione Jasonis et Papisci*, quæ Græco sermone conscripta est, ita reperisse : « Λοιδορία Θεοῦ (38) ὁ κρεμάμενος, id est, *Maledictio Dei qui appensus est.*

Ex eodem Opere.

Idem quoque S. Hieronymus in *Quæstionibus Hebraicis in Genesin*, hæc habet : « *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Plerique existimant, sicut in *Altercatione* quoque *Jasonis et Papisci* scriptum est, et Tertullianus in libro *contra Braxean* disputat, nec non Hilarius in expositione cujusdam psalmi affir-

(32) *Chron. Pasch.* ad ann. 2 Olympiad. CCXXVIII, p. 255.

(33) Euseb. *Hist. eccl.* lib. V, cap. 13.

(34) Fabric. *Delect. argum. at syllab. scriptor.* cap. 3, pag. 153.

(35) Cav. *Hist. litter.* tom. I, pag. 58.

(36) Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, capp. 3 et 6.

(37) Cang. *Not. in Chron. Pasch.*, pag. 536.

(38) Λοιδορία Θεοῦ. Aquilam et Theodotionem hæc eodem modo reddidisse, nec non Ebionem hæresiarcham interpretatum fuisse : Ὅτι ὕβρις Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, id est. *quia injuria Dei est suspensus*, Hieronymus ibidem testatur. Atqui hæc verba Paspicum Jasoni objecisse colligo ex Tertulliani lib. *contra Judæos* cap. 10, sub cujus initium ita Judæos alloquitur : « De exitu plane passionis ejus ambigitis, negantes passionem crucis in Christum prædicatam, et argumentantes insuper non esse credendum, ut ad id genus mortis exposuerit Deus Filium suum, quod ipse dixit : *Maledictus omnis homo, qui pependit in ligno.* Sicuti vero Tertullianus ad hanc objectionem ibidem respondet ; integrum Deuteronomii textum, ad hæc quoque recitans : *Maledictus a Deo est omnis qui suspensus fuerit in ligno*, etc., ita Jasonem idem fecisse probabile est. Dum autem unam atque alteram istarum, quæ ex Aristonis Pellæi *Disputatione contra Judæos* allegatæ sunt, sententiarum in Tertulliani libro *contra Judæos* deprehendi, memoriam subiit mos Afri hujus scriptoris, perpetuo fere veteres, qui ante ipsum scripserant, imitantis. Id quod vel ex ipso illo contra Judæos libro patet, in quo plurima ex Justini Martyris *Dialogo cum Tryphone Judæo* transcripsit. Quid si igitur dicamus, aliqua, quæ in *Dialogo* isto non reperiuntur, ex *Disputatione Jasonis Christiani et Papisci Judæi* ab Aristone conscripta eum deprompsisse et ulterius dtlucidasse ? Grabius, ad pag. 132 et 640, vol. II *Spicilegii Patrum*, ubi ad pag. 127 et seqq. fragmenta hujus scriptoris collegit.

mat, in Hebræo haberi : *In Filio fecit* (39) *Deus cœlum et terram.* Quod falsum (40) esse, ipssius rei veritas comprobat. »

Forsan ex eodem Opere.

Cum... ipseque adeo seditionis auctor debitas pœnas dedisset,« ex eo deinceps tempore universa Judæorum gens in regionem circum Hierosolyma sitam pedem inferre prohibita est, lege et constitutione imperatoris Adriani : adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis liceret, » ut scribit Aristo Pellæus.

A ... καὶ τοῦ τὰς ἀπονοίας αὐτοῖς (Judæis) αἰτίου (inquit post alia Eusebius lib· IV *Hist.*, cap. 6) τὴν ἀξίαν ἐπτίσαντος δίκην (Barchochetæ), « τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται· νόμου δόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μὴ ὁ' ἐξ ἀπόπτου θεωρεῖν τὸ πατρῷον ἔδαφος, ἐγκελευσαμένου. » Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ (41).

(39) *In Filio fecit.* In Tertulliani libro *contra Praxean*, cap. 5, diversa prorsus habentur : « Aiunt quidem,inquit,et Genesin in Hebraico ita incipere : *In principio Deus fecit sibi Filium.* » Neque Hilarius in dictis commentariis alicubi ait, in Hebræo exstare : *In Filio creavit Deus cœlum et terram ;* sed hæc solum in *Comment ad psalm.*II habet : « *Bresith* B verbum Hebraicum est. Id tres significantias in se habet, id est, *in principio*,et *in capite*, et *in Filio.* » Quæ ut Hebraicæ linguæ ignarus scripsit, diversas Patrum expositiones pro diversis significationibus vocis *Bresith* accipiens. Atque mysticam istam *principii* de Filio expositionem ab Aristone in *Disputatione* adhibitam fuisse facile credo ; sicut et Clemens Alexandrinus ex *Prædicatione Petri* eamdem protulit (cujus verba dedi in notis ad tomi I *Spicilegii* pag.(528), Basilium, Ambrosium aliosque recentiores ut taceam. Ast quod in Hebræo lectum fuerit ; *In Filio Deus fecit cœlum et terram*, uti Tertullianus et Hilarius haud effutiverunt ; ita nec ab Aristone dictum, sed Hieronymum in hoc, perinde ut prioribus duobus citandis, memoriæ defectu aut nimia festinatione lapsum puto. Grabius. — Tertulliani indicat liber *Adv. Hermogenem*, cap. 20, profectam esse hanc expositionem a Proverbiorum loco, cap. VIII, comm. 22, ubi de se ipsa C Sapientia Dei habet : *Deus possedit me in initio viarum suarum*, vel ut Tertullianus hic et supra legerat : *Deus condidit me initium viarum suarum.* Idem porro ostendit S. Methodii locus, qui sequitur : Ὅτι παρὰ τοῦ· Ἐν ἀρχῇ ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, φησὶν (Methodius), ἀρχὴν δὲ αὐτὴν τὴν σοφίαν λέγων τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι, γέγεται γὰρ παρὰ τινι τῶν ἐκ τοῦ θείου χοροῦ λέγουσα περὶ αὐτῆς (cor. αὐτῆς] τὸν τρόπον τοῦτον· Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, εἰς ἔργα αὐτοῦ, πρὸ τοῦ αἰῶνος θεμελίωσέ με. Methodii *De creatis*, pag. 345, ed. Combefisii. Sed primus omnium, quod sciam, post Aristonem hanc mysticam interpretationem tot scriptoribus probatam attulit Irenæus lib. II, cap. 3, pag. 118, ed. Massueti. Etsi apertius id fecit, ad meliora tricis istis natus, Origenes, qui initio *Homiliarum in Genesin*,ubi *principio*, τῇ ἀρχῇ, de Verbo divino exposito, statim post ait : « Non ergo hic temporale aliquod principium D dicit ; sed *in principio*, id est in Salvatore, factum esse dicit cœlum et terram, et omnia quæ facta sunt. » Tom. II *Op.* Origenis, pag. 32, edit. Delarueanæ. Simili quoque,nec magis probabili,ratione illud Genes. II, 4 : Ἡ ἡμέρᾳ ἐποίησεν ὁ θεός, de Filio exposuit Clemens Alex. *Strom.* VI, pag. 815, ed. Potteri.

Nunc vere afferre mihi licuit, quæ Gallandius in Prolegomenis ad tom. I *Bibliothecæ* suæ *Patrum*, cap. 15, de Aristone Pellæo § 11, hac de re in sequentibus notavit.

(40) *Falsum.* Falsum esse asserit doctor maximus (S. Hieronymus) quod in ea scriptum erat, initio Geneseos in Hebræo haberi : *In Filio fecit Deus cœlum et terram.* Sed Aristonem defendendum suscepit Bartoloccius, *Bibl. Rabbin.* part. III, p. 2, num, 584 : « Pro Hebræo,inquit, intelligitur idioma Hierosolymitanum, quod Hebraicum lato modo dicebatur, et litteris Hebraicis scribebatur. In hoc siquidem idiomate,cujus reliquiæ adhuc in Targum Hierosolymitano hodie supersunt, invenitur : *In Sapientia creavit Deus*, etc. Per Filium Patris æterni, et in Filio qui Sapientia Dei Patris est, creata sunt omnia : unde in hoc loco et secundum hunc sensum, idem valet *In Sapientia* ac *In Filio.* » Hactenus ille. Neque mirum,si Aristo Pellæus locum istum ex Targum Hierosolymitano desumpserit, consilio institutoque suo haud parum congruentem ; qui scilicet *Disputationem* suam *de Christo* in primis inscripsit, quique non solum Jasonem Christianum ἀπὸ τῶν Ἰουδαϊκῶν Γραφῶν, *ex ipsis Judæorum Litteris* disputantem, verum etiam Papiscum Hebræum οὐκ ἀγεννῶς οὐδ' ἀπρεπῶς τῷ Ἰουδαϊκῷ, *strenue satisque Judaice* contradicentem induxit, ut modo asserebat Origenes. Haud equidem ignoro, huic Bartoloccii sententiæ illa officere, quæ de istius paraphrastæ Hierosolymitani ætate a plerisque viris doctis, potissimum vero a Morino, lib. II *Exercit. Bibl.* VIII, cap. 7, pag. 344, seqq., edisseruntur, statuentibus illum sæculo VI fuisse recentiorem ;ut proinde Paraphrasi hujusmodi haud uti sæculo II potuerit Aristo. Verum huic objectioni occurrit Waltonus, Prolegom. XII, in *Bibl. Polyglott.* §§ 11 et 14, duplicem existitisse Paraphrasin Hieros. demonstrans. Qua de re nonnulla insuper Wolfius, *Bibl. Hebr* tom. II, pag. 1169. Cæterum eamdem hujus loci Genescos interpretationem ab Aristone adhibitam, hausit itidem, ut videtur, ex vetustissimo pseudepigrapho *Prædicationis Petri* Clemens Alexandrinus lib. VI, cap. 7, pag. 769, edit. Oxon. ut alios Patres prætereamus. Neque omnino dissentit ipse et Hieronymus, qui l. c. hæc habet : « Magis itaque secundum sensum, quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest ; qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput omnium librorum est, quam etiam in principio Joannis evangelistæ, cœli et terræ conditor approbatur. » Gallandius, p. LXXV Prolegom. ad tom. I *Biblioth. PP.*

(41) Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ. Id est ex urbe Syriæ Pella, quæ post excisam a Tito urbem Hierosolyma, sedes fuit episcopatus Hierosolymitani, ut scribit Eusebius. Cæterum Scaliger Aristonis Pellæi verba esse existimavit quæcunque leguntur supra ab his vocibus ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου, eaque passim Aristonis nomine citat ; in quo tamen ei assentiri non possum. Nom et verba ipsa Eusebii stylum prorsus redolent ; et Aristo Pellæus obsidionem illam Beththaræ et expugnationem Judæorum fusius prosecutus fuerat. Quod si ipsa essent Aristonis verba, nequaquam id tacuisset Eusebius. Nam quoties verba ipsa auctorum adducturus est, semper de eo lectorem admonet. Cum autem addit ἱστορεῖ vel ἱστοροῦσι, indicat eam rem a scriptoribus illis quos laudat, fusius commemorari. Porro hic Aristo Pellæus auctor esse dicitur libelli cujusdam, cui titulus erat, *Disputotio Jasonis et Paspici.* Valesius. — Perinde quasi crederet Valesius designari ab Eusebio aliud quoddam Ari-

Ex eodem Opere

Ἀνέγνων δὲ τοῦτο, ἑπτὰ οὐρανοὺς (inquit Maximus *Scholiis in Op. De mystica theol.* S. Dionysio Areop. ascriptum, cap. I), καὶ ἐν τῇ συγγραμμένῃ Ἀριστίωνι τῷ Πελλαίῳ διαλέξει Παπίσκου καὶ Ἰάστονις opus, huic opinioni se opponit Grabius, ad pag. 131, tom. II *Spicilegii*, etiamsi Cavio approbatæ ; ait enim « omnino verisimile esse, quod Aristo verba, quæ ibi Eusebius habet, in disputatione contra Papiscum protulerit, perinde ac Tertullianus eadem Judæis in suo contra eos tractatu objecit(propter vaticinia prophetarum eventu comprobata), aut forte hic Aristonem, sicuti facere soiet, exscripsit. » Pristinæ porro opinioni suæ nuntium remisisse ipse Cavius videtur, qui, ut ex collatione primæ editionis *Hist. litterariæ* mihi constat, capitulum *de Aristone* postea refinxit. Verumtamen, si idoneus auctor esset, et cui tuto crederetur, Moses Chorenensis *Historiæ Armeniacæ* scriptor, quæ quidem historia a duobus Whistonis, celebris illius Gulielmi Whistoni filiis, edita est, res aliter se habere videretur. Ita enim existimandum foret. Aristonem historiam quamdam conscripsisse, ex qua sua sumpsisset Eusebius. Quæ vero scripsit capite 57 lib. secundi Moses, prout ab editoribus ex Armeniaca lingua versa sunt, ea una cum toto capite Eusebiano huc transferenda duxi ut inter se uterque locus conferatur. Sic enim Moses Chorenensis :

« Artasis (regis Armeniaci) mortem præclare tradit Aristo Pellæus. Siquidem per ea tempora Judæi ab Adriano rege Romano defecerunt et cum Rufo Hipparcho conflixerunt, ductu viri cujusdam latronis, cui nomen erat Barchochebas, id est, *Stellæ filius*, qui quidem re erat facinorosus et homicida,sed nomine suo glorians, afflictis illis et captivis Servatorem se de cœlo delapsum esse prædicabat. Is bellum adeo accendit, ut Syriæ ac Mesopotamiæ incolæ Persæque omnes id respicientes, tributa solvere desisterent.Namque audiverat etiam lepræ morbum in Adrianum invasisse. Noster autem Artases super ea re nil movetur. Accidit autem ut per id tempus Adrianus in Palæstinam veniret, rebellesque, in parvo oppido prope Hierosolyma obsessos deleret, qui ideo omnem Judæorum gentem a patrio solo jussit pelli ; quæ ne procul quidem Hierosolyma esset spectatura ; atque ipse Hierosolymam a Vespasiano, Tito,et ab se devastatam instauravit, et ab nomine suo Æliam appellavit, cum ipse Adrianus Sol esset appellatus, atque ibi ethnicos locavit,et Christianos, quorum episcopus erat Marcus.Per ea tempora magnum exercitum in Assyriæ partes misit,et nostrum Artasem cum suis curatoribus in Persidem proficisci jussit ; quorum scriba cum is fuerit,qui nobis hanc historiam tradidit, Artasi in Media occurrit, in loco.qui vocatur Solaundus ; Artases vero in morbum incidit, in Marindia, ad oppidum Bacuracerta, atque inde Abelum quemdam, Abeliæ familiæ principem, virum impigrum ac blandum in provinciam Ecelensem, ad Erizam, ad Dianæ fanum dimisit, qui ab simulacris sanitatem et longam vitam peteret; cujus ante reditum, Artases de vita discessit. Cæterum is scribit, quanta caterva cum Artase simul mortem obierit, charæ conjuges et concubinæ,» etc., p 174. Tum deinceps reliqua pompa exsequiarum regis describitur.

Ad Eusebium nunc pergam capite 6, lib. IV,hæc scribentem : Καὶ δὴ τὰ τῆς Ἰουδαίων ἀποστασίας αὖθις εἰς μέγα καὶ πολὺ προελθούσης, Ῥοῦφος ἐπάρχων τῆς Ἰουδαίας, στρατιωτικῆς αὐτῷ συμμαχίας ὑπὸ βασιλέως πεμφθείσης, ταῖς ἀπονοίαις αὐτῶν ἀφειδῶς χρώμενος ἐπεξῄει, μυριάδας ἀθρόως ἀνδρῶν ὁμοῦ καὶ παίδων καὶ γυναικῶν διαφθείρων, πολέμου τε νόμῳ τὰς χώρας αὐτῶν ἐξανδραποδιζόμενος Ἑστρατήγει δὲ Ἰουδαίων τηνικαῦτα Βαρχωχεβᾶς ὄνομα, ὃ ὁη ἀστέρα ὁηλοῖ· τὰ μὲν ἄλλα φονικὸς καὶ λῃστρικός τις ἀνήρ· ἐπὶ δὲ τῇ προσηγορίᾳ οἷα ἐπ' ἀνδραπόδων, ὡς ὁὴ ἐξ οὐρανοῦ φωστὴρ αὐτοῖς κατελήλυθώς, κακουμένοις τε ἐπιλάμψαι τερατευόμενος. Ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου ἔτους ὀκτωκαιδεκάτου τῆς ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ κατὰ Βίθθηρα πόλιν, ἥ τις ἦν ὀχυρωτάτη, τῶν Ἱεροσολύμων οὐ σφόδρα πόρρω ὑπεστῶσα· τῆς τε ἐξωθεν πολιορκίας χρονίου γενομένης, λιμῷ τε καὶ ὁίψει τῶν νεωτεροποιῶν εἰς ἔσχατον ὀλέθρου περιελαθέντων. Καὶ τοῦ τῆς ἀπονοίας αὐτοῖς αἴτιον τὴν ἀξίαν ἐκτίσαντος δίκην. ΤΟ ΗΔΝ ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται· νόμου ὁόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μὴ ὁ' ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῷον ἔδαφος, ἐγκελευσαμένου· Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ. Οὕτω ὁὴ τῆς πόλεως εἰς ἐρημίαν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους, καὶ παντελῆ φθορὰν τῶν πάλαι οἰκητόρων ἐλθούσης, ἐξ ἀλλοφύλου τε γένους συνοικισθείσης, ἡ μετέπειτα συστᾶσα Ῥωμαϊκὴ πόλις τὴν ἐπωνυμίαν ἀμείψασα, εἰς τὴν τοῦ κρατοῦντος Αἰλίου Ἀδριανοῦ τιμὴν, Αἰλία προσαγορεύεται. Καὶ ὁὴ τῆς αὐτόθι Ἐκκλησίας ἐξ ἐθνῶν συγκροτηθείσης, πρῶτος μετὰ τοὺς ἐκ περιτομῆς ἐπισκόπους, τὴν τῶν ἐκεῖσε λειτουργίαν ἐγχειρίζεται Μάρκος.

Legi etiam *septem cœlos* in *Disputatione Papisci ac Jasonis*, quæ scripta est ab Aristone Pellæo, quam Clemens Alexandrinus in sexto libro *Hypotyposcon* ait sanctum Lucam descripsisse.

Gallandius quidem, ut post vidi, in *Proleg.* ubi supra, p. LXXVI, etsi Mosis illa haud attulit, tamen opinari se auctoritate eorumdem inductum ait,desumptum Aristonis fragmentum esse ex *Historia orientali* ab eo conscripta ; nec dissentit cl. Keilius in notis ad Harlesianam edit. *Fabricanæ Bibliothecæ Gr.* tom. VII, p. 157. Sed nata mihi est suspicio, sumpta Mosis ista ex nulla id genus historia fuisse, sed tantum ex Eusebiana,quæ quidem auctori bene innotuerat,dum cætera ad res Orientales spectantia a Mose ipso, vel ab alio quopiam, admista sunt. Et consimilis apud hunc auctorem fraudis, seu vanitatis, exemplum suspicionis meæ firmandæ causa, adducam ; is enim capite 72 ejusd. libri Firmiliano celebri Cappadocum episcopo opus *De Ecclesiæ persecutionibus* attribuit,in quo regnum quoque acta Firmilianus subtexuisse dicitur. In hac autem historia,omnibus hactenus æque atque illa Aristonis, ignota, Petrum sextum decimum Alexandriæ episcopum anno nono vexationis martyrium subiisse, auctor fuit,modo ut Mosi credas, Firmilianus. Verissimum id est,etab Eusebio quidem memoratum, subiisse eo anno Petrum martyrium ; sed falsum est scripsisse illud Firmilianum, qui, eodem narrante Eusebio, lib. VII, cap 30, quadraginta ante annis vita decesserat.Hinc constat,Mosem ista quidem de Petro Alexandrino, ab Eusebio, non a Firmiliano, mutuatum fuisse, additis simul a Mose ipso, vel ab alio quopiam, rebus ad historiam Orientis pertinentibus. — Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ. Scaliger in *Animadversionibus ad Eusebii Chronicon* pag 216, non modo hæc, sed et præcedentia loco citato Eusebii ab istis : Ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου, tanquam Aristonis verba allegat. Sed ego ea tantum quæ hic posui, imo potius ista sola, quæ Italico,ut dici solet, charactere expressa sunt (paucissima verba, *adeo ut... liceret*,ita distinxerat Grabius) Aristonis verba esse conjicio,quia Tertullianum lib. *contra Judæos* cap. 13, iisdem illos alloquentem reperio:« Vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem prohibitis ingredi in teram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre

σονος, ἦν Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ἕκτῳ τῶν Ὑποτυπώσεων τὸν ἅγιον Λουκᾶν φησιν ἀναγράψαι (42).

De eodem Opere. — Ita Origenes *contra Celsum*, lib. IV, c. 52, p. 544 ed. Delaruan., p. 199 ed. Spenceri.

... ibi enim Christianus cum Judæo disserens demonstrat ex Judaicis Scripturis vaticinia de Christo ad Jesum pertinere ; quanquam strenue adversarius contradicat personamque Judaicam pulchre sustineat.

... ἐν ᾧ (45) (sc. τῷ βιβλίῳ τούτῳ) ἀναγέγραπται Χριστιανὸς Ἰουδαίῳ διαλεγόμενος ἀπὸ τῶν Ἰουδαϊκῶν Γραφῶν, καὶ δεικνὺς τὰς περὶ τοῦ Χριστοῦ προφητείας ἐφαρμόζειν τῷ Ἰησοῦ· καὶ τοίγε οὐκ ἀγεννῶς οὐδ' ἀπρεπῶς τῷ Ἰουδαϊκῷ προσώπῳ τοῦ ἑτέρου ἱσταμένου πρὸς τὸν λόγον.

permissum est.» Ubi tamen Tertullianus negativam in affirmativam convertit, ut misera hæc Judæorum fata adaptaret prophetiæ Isaiæ (cap. XXXIII, vers. 17, juxta LXX Interpretum versionem), immediate ante citata verba ab eo allegatæ: *Oculi vestri videbunt terram de longinquo.* Qua in re ille non solum decreto Adriani, sed et sibi ipsi contrarius est, quia paulo ante eodem capite 13, scripsit : « Interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum, ut hoc quoque esset adimpletum per prophetam (Isaiam I, v. 7) : « Terra vestra deserta, civitate vestræ igni exustæ. » » Si igitur interdictum fuit Judæis in confinio Palæstinæ habitare, haud licuit ipsis omnino terram sanctam oculis usupare. Sed hæc obiter. GRABIUS. — Totum Eusebii caput, tanquam si verba ipsa fuissent Aristonis, *Historiæ* suæ inseruit Nicephorus lib. III, c. 24, quod quidem perperam factum, sed plura interea ad Aristonem pertinere posse, quam ea quæ Grabius agnovit, vix negandum. Certe multo plura ad eum pertinere censendum foret, si verus Moses Chorenensis, de quo supra. Aristonis autem, qui ipse civis Pellæus fuit, de Judæis narrationem firmant scriptores alii, quorum nomina apud Moshemium videas, *De rebus Christ. ante Constantin. M.* sect. 2, § 13, pag. 239. Et, cum haud ita pridem Gregorii Abulpharagii *Chronicum Syriacum* edidissent atque vertissent cl. viri, Paulus Jac. Brunsius et Georg. Guil. Kirschius, apud *Dyn.* VIII, p. 54, vidi tradentem auctorem, imperatorem Romanum, postquam « urbem Æliam Adriani appellatam ædificasset, populos peregrinos deduxisse, Judæis aures præcidi jussisse, illisque mandavisse ut ne ex longinquo quidem ad locum istum respicerent.» Confer Albulph. *Dyn* VII, pag. 76 versionis Pocock. Verum semel in anno urbem adire suam Judæis concessum fuisse, quo nimirum die Hierosolyma a Tito diruta fuerit, magnoque pretio hanc licentiam ab illis redemptam fuisse, ostendit Josephus Scaliger, loco a Grabio jam indicato, ex *Itinerario Burdigalensis*, et Hieronymo in cap. II *Sophoniæ*. Rem firmat ex Gregorio quoque Nazianzeno orat. 12. Valesius in notis ad Eusebii hoc caput. Denique causam rei addam ex Philostorgii *Excerptis*, cur nimirum Judæos ab urbe nova arceret Adrianus. « Adrianus, inquit, Ælianus Hierosolymam Æliam vocabat, ὡς ἂν παντάπασι τὸ Ἰουδαίων αὐτῆς ἔθνος ἀποστήσῃ καὶ ἀποῤῥήξῃ, καὶ μηδ' ἐκ τῆς κλήσεως ὡς πατρίδος αὐτῆς ἀντιποιεῖσθαι πρόφασιν ἐχούσης· ἐδεδίει γὰρ αὐτῶν τὸ θερμουργὸν καὶ ῥιψοκίνδυνον, μὴ συναγειρόμενοι κατὰ πρόφασιν ἐν τῇ πόλει λατρείας πράγματα Ῥωμαίοις παρέξωσιν. » Lib. VII, c. 11, p. 507.

(42) Τὸν ἅγιον Λουκᾶν φησιν ἀναγράψαι. Sive verus sive fictus fuerit Dialogus ille, Aristoni certe tribuendus est ; nec facile assequi licet, qua ratione fieri potuerit, ut Clemens Alexandrinus in *Hypotyposibus* Lucam ejus auctorem fecerit, cum res aliquandiu post Lucæ obitum gestæ in illo fuerint relatæ. Unde suspicor, vel nos vitiose in Maximi textu infra recitando ἦν pro ὄν legere, vel potius a Maximo verba Clementis haud recte lecta aut intellecta fuisse, cumque is *Disputationem Jasonis et Papisci* allegans, Jaonis mentionem a Luca forte factam dixerit (in Actis scilicet apostolorum), hæc male ad ipsam *Disputationem* relata esse. De septem autem cœlis vide Irenæum lib. I, c. 1, § 9, et *Testamentum Levi* § 3, tom. I *Spicilegii*, p. 159. Addo hic notatu dignum locum ex libro Sophoniæ citatum a Clemente Alexandrino lib. V *Strom.*, p. 585 : Ἆρ' οὐχ' ὅμοια ταῦτα τοῖς ὑπὸ Σοφονίᾳ λεχθεῖσι τοῦ προφήτου : Καὶ ἀνέλαβέν με Πνεῦμα, καὶ ἀνήνεγκέν με εἰς οὐρανὸν πέμπτον, καὶ ἐθεώρουν ἀγγέλους καλουμένους Κυρίους· καὶ τὸ διάδημα αὐτῶν ἐπικείμενον ἐν Πνεύματι ἁγίῳ· καὶ ἦν ἑκάστου αὐτῶν ὁ θρόνος ἑπταπλασίων φωτὸς Ἡλίου ἀνατέλλοντος· οἰκοῦντας ἐν ναοῖς σωτηρίας, καὶ ὑμνοῦντας θεὸν ἄῤῥητον ὕψιστον. « « Annon hæc sunt similia iis, quæ dicta sunt a propheta Sophonia ? » Et assumpsit me Spiritus (inquit), et sustulit me in quintum cœlum, et contemplabar angelos, qui Domini vocabantur (Dominationes, juxta Coloss. I, 16 ; Ephes. I, 21), et diadema eorum impositum in Spiritu sancto : et erat sedes uniuscujusque eorum septuplo major luce solis orientis ; habitantes in templis salutis, et laudantes Deum ineffabilem altissimum. » Quæ cum neque in Hebræo textu, neque in LXX Interpretum versione prophetæ Sophoniæ reperiam, ex apocrypho ejus libro (de quo vide tomum I *Spicilegii*, p. 134, et seq.) deprompta esse conjicio. GRAB. — Irenæi locus a Grabio hic indicatus, de Valentiniana tantum, non autem catholica, sententia agit. Et quidquid nugatus est Victorinus Petav. *De fabrica mundi*, apud Cavium *Hist. litt.* tom. I, p. 149, verum est quod scripsit Origenes in lib. VI *contra Cels.* : Ἑπτὰ δὲ οὐρανοὺς, ἢ ὅλως περιωρισμένων ἀριθμὸν αὐτῶν, αἱ φερόμεναι ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀπαγγέλλουσι Γραφαί, cap. 21. Quod autem ad personas *Dialogi* attinet, hæc accipe ex cl. Gallandii *Prolegom.* I. c. : « Conjicere placuit Grabio (antea) Jasonem Hebræum Christianum, et Papiscum Judæum Alexandrinum inter se disputantes, fictas fuisse personas, ut in dialogis fieri consuevit. Aliis tamen aliter visum. Sixtus Senensis primum, *Bibl. sanct.* lib. II, p. 71, edit. Paris. 1610, deinde Pamelius in not. ad opusc. *De incred. Jud.* inter Opp. Cypr., quos secutus est Bartoloccius, l. c., opinati sunt, Jasonem istum eumdem fuisse cum Jasone Thessalonicensi, cujus meminerunt Lucas in Actis XVII, 5, et Paulus, Rom. XVI, 21, nullo tamen e vetustis scriptoribus testimonio in medium adducto ; ut proinde Spencero, Adnot. ad lib. IV Origenis *contra Cels.*, p. 57, Tillemontio, *Mém. eccl.* tom. II, p. 139, et X, p. 552, aliisque conjectura hujusmodi haud probatur. Episcopum potius aut saltem presbyterum illum fuisse cum Marano putaverim, *Vit. Cypr.* pag. CXXX. Celsum siquidem interpretem modo nobis enarrantem audivimus, quod « Papiscus ad intellectum veritatis admissus, ut signaculum sumeret deprecatus. Jasonem postulaverit. » Neque dubitat idem vir doctus, quin sæculo II ille vixerit. Et jure quidem : hæc enim *Disputatio* Celso Epicureo perspecta fuisse comperitur ; adeoque circa ejusdem sæculi medium, sive pro nostris rationibus circa Christi annum 136 eam fuisse litteris consignatam existimamus.» P. LXXV. Neque fictas has personas fuisse censet Keilius vir cl. ad tom. VII edit. novæ Fabricianæ *Bibl Gr.*, p. 156.

(43) Ἐν ᾧ, etc. De Celso hanc *Disputationem Papisci et Jasonis* commemorante, ita paulo supra

Celsus quidam (44) in Præfatione versionis deperditæ hujus Operis Aristoniani.

Illud præclarum (45) atque memorabile gloriosumque, Jasonis Hebræi Christiani, et Papisci Alexandrini Judæi, disceptationis occurrit: Judaici cordis obstinatam duritiem Hebræa monitione ac leni increpatione mollitam; victricem in Papisci corde Jasonis de Spiritus sancti infusione doctrinam. Qua Papiscus ad intellectum veritatis admissus, et ad timorem Domini ipso Domino miserante formatus, et in Jesum Christum Filium Dei credidit, et ut signaculum sumeret, deprecatus Jasonem postulavit. Probat hoc scriptura concertationis ipsorum, quæ collidentium inter se, Papisci adversantis veritati, et Jasonis asserentis et vindicantis dispositionem et plenitudinem Christi, Græci sermonis opere signata est. Exstat hæc Præfatio ad calcem *Operum S. Cypriani* ad pag. 31, ed. Felli.

Origones: Ἐξῆς δὲ τούτοις ἐπιλεξάμενος (Celsus) ἀπὸ πάντων συγγραμμάτων, τῶν περιεχόντων ἀλληγορίας καὶ διηγήσεις μετὰ οὐκ εὐκαταφρονήτου λέξεως καὶ φράσεως, τὸ εὐτελέστερον καὶ δυνάμενον μέν τι πρὸς τοὺς πολλοὺς καὶ ἁπλουστέρους πίστεως χάριν συμβαλέσθαι, οὐ μὴν οἷόν τε καὶ συνετωτέρους κινῆσαι, φησίν· « Οἷαν δὴ καὶ Παπίσκου τινὸς καὶ Ἰάσονος ἀντιλογίαν ἔγνων, οὐ γέλωτος, ἀλλὰ μᾶλλον ἐλέους καὶ μίσους ἀξίαν. Ἔμοιγ' οὖν οὐ ταὐτ' ἐλέγχειν πρόκειται· ἔστι γὰρ παντί που δῆλα, καὶ μάλιστα εἴ τις ὑπομείναι καὶ ἀνάσχοιτο αὐτῶν ἐπακοῦσαι τῶν συγγραμμάτων. Ἀλλ' ἐκεῖνο μᾶλλον ἐθέλω δηδάξαι, etc. « Sub hæc Celsus e scriptis omnibus quæ hujusmodi explicationes allegoricas continent et eleganter scripta sunt, elegit vilius quoddam quod ut nonnihil possit ad vulgi simplicioris fidem promovendam conferre, nihil tamen momenti ad persuadendos intelligentiores habet. Tum ait: « Qualis est illa quam legi Papisci cujusdam et Jasonis contentio, non risu sed miseratione potius digna et odio. Hæc igitur confutare mihi non est propositum Quippe quorum absurditas omnibus perspicua est præsertim si quis a se impetrare possit, ut libros ipsos audiat. Satius fuerit docere id quod natura docet ipsa, » etc. Origenis autem diluentis hanc Celsi reprehensionem et pro libro respondentis quæ adduntur, hæc sunt: Οὐδὲν δ' ἧττον ἐβουλόμην πάνυ' ὀντινοῦν ἀκούσαντα δεινολογοῦντος Κέλσου, καὶ φάσκοντος τὸ ἐπιγεγραμμένον σύγγραμμα, Ἰάσονος καὶ Παπίσκου ἀντιλογίαν περὶ Χριστοῦ, οὐ γέλωτος, ἀλλὰ μίσους ἀξίαν εἶναι, λαβεῖν εἰς χεῖρας τὸ συγγραμματίον, καὶ ὑπομεῖναι καὶ ἀνασχέσθαι ἀκοῦσαι τῶν ἐν αὐτῷ, ἵν αὐτόθεν καταγνῷ τοῦ Κέλσου, μηδὲν εὑρίσκων μίσους ἄξιον ἐν τῷ βιβλίῳ· ἐὰν δ' ἀδεκάστως τις ἐντυγχάνῃ, εὑρήσει ὅτι οὐδ' ἐπὶ γέλωτα κινεῖ τὸ βιβλίον· ἐν ᾧ ἀναγέγραπται Χριστιανός, etc. (atque ita deinceps, ut supra positum est). « Vellem ut quicunque ex Celso arroganter declamitante audit Papisci et Jasonis de Christo contentionem non risu sed odio potius dignam esse, libellum hunc in manus sumeret, et quæ in illo scribuntur legere sustineret; is cum nihil in illo scripto inveniret odio dignum, Celsum utique damnaret. Neque etiam illi risum movebit, qui libero judicio illum evolverit. Ibi enim Christianus, » etc. ex Origenis Celsique verbis recte fortasse id colligas, librum de quo agitur, nonnulla præstitisse, quæ usibus simpliciorum magis quam prudentiorum inservirent, etsi personarum convenientiam pulchre ac strenue conservaret, tum vero illum pro indole sæculi in allegoriis multum fuisse.

(44) *Celsus quidam.* Periit, eheu! laudata hactenus disputatio Græce scripta; nec superstes est Latina versio a Celso elaborata, sed sola ejus præfatio inter Cypriani Opera habetur: « Quis qualisve Celsus ille fuerit non constat, » ait doctissimus D. Cavius pag. 34 *Historiæ litterariæ.* Equidem Celsum Iconiensis Ecclesiæ præsulem sæc. III. Alexander episcopus Hierosolymitanus et Theoctistus Cæsariensis in Epistola ad Demetrum Alexandrinum, laudarunt apud Eusebium lib. VI *Hist. eccl.*, cap. 19. Sed an is ille fuerit, incertum est; certum autem, quod circa eadem tempora vixerit, siquidem « ex plurimis præfationis locis liquet, eum vigentibus adhuc persecutionum temporibus, et ante susceptam ab imperatoribus fidem Christianam scripsisse, » quæ D. Cavii loco citato sunt verba. Quibus addo « Christum » a Celso « Spiritum sanctum » dictum, phrasi primis quidem sæculis usurpata, sed post tertium, et exortam Arii hæresin, vix audita. GRABIUS. — Non oportuisse in homine Græco interpretem Latinum quæri, bene notat Gallandius in Proleg. tom. IV *Bibliothecæ PP.*, p. XIX. Is enim Celsi Præfationem in *Bibliotheca* sua repetendam curavit; Vigiliumque episcopum, ad quem Celsus scripsit opus, Vigilium Thapsitanum episcopum fuisse conjecit, qui vergente ad finem sæculo quinto, sævientibusque in orthodoxos Arianis, vixit. Quod si verum est, istam præfationem recentior ipsius ætas intra instituti operis mei limites concludi haud patitur; ad hæc, facile obvium est opusculum in S. Cypriani editionibus plerisque positum.

(45) *Illud præclarum*, etc. Locum ait Pamelius, Cypriani editor, mutilum videri. Amplius deliberandum puto; quoniam auctor fortasse voluit subaudiri a nobis verbum *fuisse* cum utraque voce *mollitam* et *victricem*.

S. CLAUDIUS APOLLINARIS

EPISCOPUS HIERAPOLITANUS ET APOLOGISTA.

NOTITIA.

(LUMPER, *Historia critica Patrum*, III, 26, Aug. Vind. 1784, in-8°.)

ARTICULUS I.

Ejus vitæ historia.

Inter maximos, quos Ecclesia catholica sub Marco Aurelio habuit rectores ac antistites, viros, non ultimo sane loco collocandus venit S. Claudius Apollinaris Hierapolitanæ Ecclesiæ episcopus. Est au-

tem Hierapolis civitas in Phrygia Asiæ Minoris provincia sita. A Serapione (1) Antiocheno episcopo, qui proxime ejus ætatem vita sua attigerat, beatissimi Patris nomine honorari meruit. Subsequiis Ecclesiæ sæculis episcopus beatæ memoriæ, vir omni encomiorum genere dignissimus habebatur, atque veluti cæterorum prælatorum insigne ornamentum ac exemplar, et adversus Cataphrygarum hæresim fortissimum æque ac invictum velut Ecclesiæ fulcimentum (2) celebrabatur.

Bollandus (3) Hierapolim illius fuisse patriam censet. Judice Theodoreto (4), « præter divinarum rerum cognitionem, externa quoque disciplina (id est profanis ac humanioribus scientiis) fuit excultus. » Vitæ ejus particulares circumstantias penitus ignoramus. Verum encomia, quibus a viris doctissimis atque sanctissimis commendabatur, judicandi nobis copiam faciunt, Apollinarem nostrum vitam moresque suos adamussim juxta præcellentem episcopalis dignitatis gradum instituisse atque conformasse, neque eum minus in charitate, quam in scientiis excelluisse. Floruit autem juxta Eusebium (5), Hieronymum (6) atque Photium, M. Aurelio Antonino imperante. Neque hunc supervixit principem. Forte in episcopatu Hierapolitano S. Abercio vel Papiæ successit (7).

(1) Euseb. *H. E.* c. 19, lib. v.

(2) Euseb. *H. E.* l. v, cap. 16, et *adversus Cataphrygarum hæresim*. . . Deus Apollinarem Hierapolitanum tanquam validum atque invictum telum excitavit.

(3) Ad diem 7 Februarii.

(4) *Hæretic. fabul.* lib. III, cap. 2 Opp. tom. IV, pag. 227.

(5) Euseb. *H. E.* l. IV, cap. 26 et 27.

(6) In *Catalogo vir. illustr.*, cap. 26.

(7) Tillemont, tomo II *des Mémoires* pag. 207.

(8) *Dissertas. Cyprian.* 2, § 39, pag. 264 et Dissertat. 4 Iren., §§ 34 et 39, p. 359 et 372. D. Hieronymus in *Catalogo virorum illustrium Apologiam* hanc vocat volumen insigne, quod pro fide Christianorum dedit Apollinaris, cap. 26. Tillemontio, *Mémoires de l'Hist.*, t. II, pag. 207, atque Remigio Ceillierio, *Hist. génér.* t. II, p. 83, hæc Apologia primum anno æræ vulgaris J. Ch. 175 vel 176 ab Apollinari Hierapolitano exarata videtur hisce ex fundamentis : primo quidem, quia Eusebius Cæsariensis, facta mentione *Apologetici* D. Melitonis, statim capite 27 subsequente orationem apologeticam Apollinaris subjicit. Jam vero Melitonis *Apologiam*, ut supra vidimus, ad annum J. Ch. 175 referunt. Secundo aiunt eam *Apologiam* scriptam fuisse post victoriam illam miraculosam M. Aurelii de Marcomannis et Quadis reportatam, siquidem S. Apollinaris hujus victoriæ in suo *Apologetico* mentionem facit, atque hoc ex fonte Eusebius hausit, quidque de legione Melitina, fulminea, seu fulminatrice posthac dicta, disserit. En ipsius Eusebii verba, *H. E.* l. v, cap. 5 : « Cum adversus Germanos et Sarmatas pugnaturus aciem instrueret, et exercitus ipsius siti premeretur, pene ad inopiam consilii redactum esse, memorant. Tum vero milites legionis Melitinæ, quæ fidei merito etiam nunc manet, dum acies adversus hostes ordinatur, flexis in terram genibus, ut nostris orantibus mos est, preces ad Deum fudisse perhibentur. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longe majori dignum admiratione accidisse narrant : hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atque exstinctæ sunt; illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jamjam siti periturus, præter spem recreatus est. Atque ea res tum a scriptoribus a fide nostra penitus alienis, quibus curæ fuit res eo tempore gestas memoriæ mandare, tum a nostris etiam hominibus refertur. Sed gentilium scriptores, utpote a religione nostra dissidentes, hoc quidem miraculum commemorarunt; non tamen id nostrorum precibus factum esse confessi sunt. Nostri vero utpote veritatis cultores simpliciter atque ingenue rem ipsam litteris tradiderunt. Ex his est Apollinaris, qui legionem illam, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo Fulmineam ab imperatore cognominatam esse scribit. » Ita Eusebius. In quem locum v. cl. Valesius observat, jam dudum monuisse Scaligerum in animadversionibus Eusebianis, Legionem fulminatricem ab hoc miraculo cognominatam non fuisse, quippe quæ diu ante tempora M. Aurelii Antonini ita vocata fuerit. Docet id manifeste Dio Cassius in libro LV, ubi legiones omnes enumerat. Vetus quoque inscriptio a Scaligero prolata idipsum confirmat. Quamobrem de ipso quidem miraculo pluviæ a Christianis militibus impetratæ, et Apollinari et Tertulliano et Eusebio testantibus, facile credimus, Legionem vero Melitinam ob id fulminatricem dictam esse a M. Antonino imperatore nondum mihi persuasit Apollinaris, nam judice summo critico Patre Pagio ad annum J. Ch. 174, non dubitamus, quin multa falsa veris admista fuerint. Consule etiam Witsii diatriben de Legione fulminatrice Christianorum sub imperatore M. Aurelio Antonino, Amstelodami 1683 impressam. Denique observa cum Tillemontio ad *Apologiam* Apollinaris : ex eo, quod antiquitas nobis nihil de hac oratione apologetica reliquerit, judicatu difficile est, quænam in specie objecta illa attigerit. Tillemontius, loc. cit.

(9) *Lettre au R. P. Lamy*, § 72, à la fin du tom. II des *Mém. eccl.*

ARTICULUS II.

Claudii Apollinaris scripta.

Ex iis vero, quæ litteris tradidit illustris iste Ecclesiæ scriptor, ejusmodi sunt veteribus laudata. 1. *Oratio pro fidei defensione* ad Marcum Antoninum Verum, anno circiter ejus imperio 10, Christi autem pro æra vulgari 170, oblata, ut arguit Dodwellus (8). 2. *Adversus gentes* libri quinque. 3. *De veritate* libri duo 4. Duo item *adversus Judæos*. 5. Et alii, quos postmodum exaravit adversus Cataphrygas, tunc primum exortos; de quibus postremis libris eodem secundo labente sæculo Serapion Antiochenus episcopus ad Caricum et Ponticum scribens, apud Eusebium hæc habet : « Beatissimi Claudii Apollinaris, qui Hierapolitanæ urbis in Asia episcopus fuit, scripta sive libros ad vos misi. » Verum hæc aliaque Hierapolitani hujus episcopi modo memorata hodie desiderantur, eorumque tantum inscriptiones ad nos pervenerunt.

Præter hactenus memorata opera, quæ penitus interciderunt, librum quoque *De Paschate* scripsisse comperitur Apollinaris, cujus fragmenta duo apud auctorem *Chronici Paschalis* vulgo *Alexandrini* supersunt. De horum autem fragmentorum auctoritate nonnulli recentiores dubitasse noscuntur; quos inter eminet Tillemontius (9), eo nimirum nomine,

quod Claudii Apollinaris opera recensens Eusebius, illud *De Paschate* tacitus præterierit, neque uspiam apud scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores ejus mentio recurrat. Esto : de illo quidem opere silet Eusebius, eoque silente nihil sane mirum, si Hieronymus quoque, Gennadius, Honorius, aliique de ipso reticeant, qui ad vetustiorum saltem temporum scriptores quod attinet, unum Eusebium sequi consueverunt. Verum quid tum postea? Num ideo episcopus ille Hierapolitanus opus *De Paschate* haud scripsisse dicendus? minime omnium. Accipe isthæc Eusebii vorba (10) : « Apollinaris licet penes multos multa exstent opera, hæc tamen sola ad nos pervenerunt. » Audin? « multa » scripsit Apollinaris, ex quibus quinque « sola » novit Eusebius, quæ illic enumerat, quique proinde illa non vidit, quæ *contra Severianos Encratitas* ipsum scripsisse tradit Theodoretus (11), neque librum Περὶ εὐσεβείας, *De pietate*, quem legit Photius (12). Quidni porro opus quoque de Paschate scripserit, ut auctor est Chronici Paschalis scriptor anonymus? Melitonem enimvero Sardiensem episcopum, qui floruit iisdem temporibus, quibus Apollinaris, de eodem argumento, licet non eadem sententia, libros duos prescripsisse, testem habemus ipsummet Eusebium (13). Nam Polycrates Ephesinus episcopus in epistola ad Victorem (14), Sardiensem illum episcopum inter eos recenset, qui diem Paschæ quarta decima luna, juxta Evangelium, observarunt ; cum contra omnino sensisse Appollinarem, ex allatis fragmentis constet. Sic enim in iis legitur (15) : « Quidam igitur sunt, qui ex ignorantia de hisce excitant contentiones, rem venia dignam passi (neque enim accusationem admittit ignorantia, sed eget doctrina), aiuntque 14 (*a*) agnum cum discipulis manducasse Dominum ; magna vero azymorum die passum esse : atque ita dicere Matthæum, uti illum intelligunt. Unde legi contraria est eorum interpretatio, iisque adversari videntur Evangelia. » Et in altero : « Decima quarta veri Paschatis Domini, sacrificium magnum, pro agno Dei Filius ; qui vinctus fortem vinxit ; et qui judicatus, judex est vivorum et mortuorum ; et qui traditus est in manus peccatorum, ut crucifigeretur ; qui super cornua unicornis est exaltatus ; et qui in saero latere percussus est ; qui ex latere suo duo iterum fudit purgatoria, aquam et sanguinem, verbum et spiritum ; et qui Paschatis die sepultus est, lapide monumento imposito. » Apposite ad hæc duo loca loquitur V. C. Bernardus Lamy (16) ; « Quartadocimani suppo-

(10) Euseb. *H. E.* l. IV, c. 27.
(11) *Hæretic. fabul.* l. II, cap. 21, Opp. tom. IV, pag. 208.
(21) *Bibl.* codice 14.
(13) *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 26.
(14) Polycrates apud Euseb, *ibidem* lib. V, cap. 24.
(15) Apud auctorem *Chronici Paschalis*, præfat. pag. 6 et in Gallandii *Bibl. PP.* t I, pag. 680.
(16) *Dissertat. de Paschate Jud.* § 11, in *Harmonia Evang.*, pag. 437.

nentes Pascha Judaicum a Jesu Christo factum quarta decima die, quæ occurreret in pervigilio mortis ejus, contendebant quacunque feria, in quam incideret eadem decima quarta dies, Domini exemplo Pascha Christianorum potius esse celebrandum, quam in die Dominica. Verum sancti doctores (quos inter S. Apollinaris noster) arguebant eos, niti falso supposito seu fundamento ; quoniam Jesus eo anno, quo passus est, non fecisset Pascha, sed fuisset. » Hæc vir doctus. In eadem porro sententia cum nostro episcopo Hierapolitano plerique Patres deinceps fuerunt, Clemens Alexandrinus, Hippolytus Portuensis, Petrus Alexandrinus, aliique, quos apud eumdem Lamyum (17) vides.

Tillemontius quidem omnem lapidem movet (18) quo suspectam reddat *Chronici Paschalis* præfationem ubi Appollinaris, aliorumque veterum Patrum fragmenta de Paschate occurrunt : eorum tamen integritatem palam oppugnare non audet, ut probe advertit laudatus Lamius Tillemontii argumenta retundens (19). Neque aliter sane Cangius : cujus notam margini additam, » falsa sunt ista (20) » de auctorum quidem sententia, non vero de ipsorum textu accipiendam nemo non videt. Ita quoque jam pridem censuerat doctissimus Petavius (21) qui eadem fragmenta Græce recitans, de iis in præfatione ad lectorem hæc habet : « Accessit anonymi cujusdam diatriba *De Paschate* novissimo Christi.... Duplex fragmenti esse istius argumentum videtur. Primum enim Christum demonstrat ultima in cœna legale Pascha non celebrasse ; quod pridie ejus diei, quo a Judæis peractum est, mysticum suum ac Novi Testamenti proprium Pascha Christus obierit. Cujus opinionis veteres nonnullos citat, sed ea videlicet, quod illorum pace dixerim, falsa, et Evangeliorum auctoritati contraria est. » Hactenus ille. Denique Tourneminius vir eruditissimus in epistola Bernardo Lamyo inscripta non solum fragmentorem illorum sinceritatem, sed etiam sententiarum veritatem agnoscit (22). Quorum ergo virorum doctorum auctoritate permotus V. C. Gallandius (23) duo illa fragmenta *De Paschate*, quæ in *Chronico Paschali* Apollinari Hierapolitano ascribuntur, eidem S. Patri confidenter quoque asseruit.

Verum pace tantorum virorum dixerim, res haud adeo certa est, num S. Apollinaris Hieropolitanus cujusdam operis de Paschate auctor sit : siquidem tota assertio soli innititur *Chronico Alexandrino* : quis autem ignorat, in quam varias et dissimillimas

(17) Lamy, *Traité de l'ancienne Pâque*, II part., cap. 9, p. 349, 373.
(18) Tillem. l. c. *Mém. eccl.* t. II, pag. 736.
(19) Lamy, *Response à la lettre de M. de Tillemont*, pag. 121, dans la *suite du Traité de la Pâque.*
(20) *Chron. Pasch.* pag. 5.
(21) *Uranologia*, pag. 213 et seq.
(22) Tournemiue, apud Lamy, *suite du Traité de la Pâque*, pag. 79.
(23) *Bibl. PP.*, tom. I in prolegom., pag. 122.

opiniones abierint auctores de *Chronici* hujus merito atque existimatione. Scaliger hujus appellat « scriptorem idiotam ; » atque alibi ; « multa, inquit (24), in ea farragine esse, quæ ridere, an mirari debeat, se nescire... multa esse inepta. » Tillemontio est opus auctoritate carens, ridendis rebus,erroribusque pinguibus refertum (25). Nihil magis gerit ipsi morem Bailletus. *Chronicon*, inquit (26), *Paschale* pura putaque rhapsodia chronologia multorum scriptorum est, non unius ingenii et facultatis. Alii nihilominus, ut fatear quod res est, tanto in contemptu non habent. « Chronicon illud,ait Petavius (27), quod ex variis auctoribus centonis instar concinnatum,egregium,nec satis laudatum. » — « Fatendum, inquit Ducangius (28), longe esse plura, quæ sua laude digna haberi debent.» — «Auctor iste certe non est contemnendus, judicat Cave (29), qui non modo continuam consulum seriem exhibet, sed et plures melioris purpuræ pannos operi suo intexuit,venerandæ antiquitatis monumenta, quæ frustra alibi reperiantur. » Cæterum *Chronicon* illud *Paschale* vulgo Alexandrinum ab anonymo primum sæculo sexto aut septimo confectum fuit.

Socrates (30) et post eum Nicephorus allegant Apollinarem,atque Serapionem Antiochenum episcopum,ad demonstrandum, quod Verbum corpus anima præditum assumpserit. Dicitur etiam quod contra Encratitas scripserit, atque suis in scriptis exposuerit, ex qua philosophorum secta quælibet hæresis suos errores hauserit. Verum Theodoretus (31) et D. Hieronymus (32) qui mentionem de hisce scriptis instituerunt, nequaquam asserunt S. Apollinarem has materias in specialibus a se elucubratis operibus pertractasse. Superius jam observavimus ex Eusebio S. Apollinarem *contra Montanistas* seu Cataphrygas duos libros conscripsisse,quorum tunc hæresis ex incunabulis prorepebat. Verum,adnotante V. C. Remigio Ceillierio nostro (83),multum verosimilius sanctum nostrum non tam libros, quam litteras adversus præfatam hæresim exarasse. Siquidem ii,qui ad refutandos Montanistas hujus sancti viri scripta adhibuerunt, non singulare aliquod opus D. Apollinaris, sed litteras illius duntaxat allegarunt. Comprobat id vir celebratissimus ex ipso Eusebio referente (34) quod Serapion Antiochenus episcopus,quando testatur, Apollinarem nostrum adversus Montanistas scripsisse,in quadam epistola contra eam hæresim exarata hisce utatur verbis : « Ut sciatis, inquit, qualiter universa, quæ in terris est fraternitas, operationem illam simulatæ factionis, quæ nova prophetia dicitur, aversata atque abominata est, beatissimi patris Claudii Apollinaris, qui Hierapolitanæ urbis in Asia episcopus fuit, litteras ad vos misi. »

Nonnulli viri doctissimi præter has litteras Claudio Apollinari ascribenda existimant fragmenta illa *contr Montanistas*, quæ recitat Eusebius ex auctoris anonymi libris Avircio Marcello nuncupatis (35). Ita quidem Baronius (36) Rufini (37), ut videtur, et Nicephori (38) auctoritate ductus ; quorum sententia scriptori quoque libelli *Synodici* apud Labbeum arrisisse perhibetur (39). Neque aliter sane Baluzius (40), qui ex Eusebii potissimum testimonio libros illos Claudio Apollinari asserendos contra Valesium contendit. Sed frustra, meo quidem judicio,inquit V.C Gallandius (41); neque enim Eusebius id uspiam memoriæ commendavit.Testatur quidem semel iterumque episcopus Cæsariensis adversus Cataphrygarum hæresim stylum strinxisse Apollinarem ; « sed alios cum eo quam plures doctrina et eloquentia præstantes viros,tanquam validum atque invictum telum, tunc excitasse propugnatorem veritatis Deum tradit (42). » Cujusmodi sane fuere Miltiades, Rhodon, et Apollonius, de quibus agit deinceps idem historicus,quibus enarratis ita pergit : « Unus igitur ex illis in ipso principio operis, quod adversus Cataphrygas composuit, prius cum illis nuda voce dimicasse asserit, eorumque errores coarguisse. Sic enim sermonem suum orditur : Cum jam dudum id mihi muneris injunxeris, Avirci Marcelle charissime, etc. Quis porro ex his Eusebii verbis rite colligat, libros Avircio Marcello nuncupatos ab Apollinari fuisse conscriptos, cum Cæsariensis episcopus « quam pluribus » recensitis, qui adversus Cataphrygas scripsere, « unum ex illis » tacito ejus nomine eorum librorum auctorem fuisse testetur ? His autem vel illud maxime accedit, ut recte Valesius,Apollinarem Eusebius teste (43) tunc temporis Montanistarum hæresim scriptis exagitasse, cum primum

(24) *De emendat. temp.*, pag. 220 et 225.
(25) Tillemont: *Epistola ad Lamyum*, pag. 52. item tom. II *des Mémoires eccles.*
(26) Bail. *Fab. critic.* 15 Julii. Idem 15 Julii, in *Vita* 72 *discip.*
(27) In *Notis ad Nicephorum ep.*
(28) Du Cange in *Præfat. ad Chron. Pasch.* pag. 4.
(29) Cave, *Historia litteraria*, pag. 381.
(30) Apollinaris Hierapolitanus et Serapion Antiochenæ urbis episcopus, Christum, qui homo factus est, anima præditum fuisse, velut rem communi omnium consensu receptam suis in libris asseruerunt. Socrates lib. III, cap. 7 ; Nicephor. lib. X, cap. 14.
(31) *Hæretic. fabul.* lib. I, cap. 21.
(32) Quid de Melitone... quid de Apollinario... qui origines hæreseon singularum... explicarunt. Hieron. *Ep ad Magnum*, 83.
(33) *Histoire génér. des anteurs*, tom. II, pag. 85.
(34) Euseb. *H. E.* l. v. c. 19.
(35) Id., *ibid.*, c. 16 et seq.
(36) Ad annum 137, §§ 9 et seq.
(37) *Interpret.* Euseb. lib. V, c. 15.
(38) *H. E.* l. IV, c. 23.
(39) *Concil.* tom. I, apud Mansi, columna 691.
(40) Apud Mansi loco citato.
(41) *Bibl. PP.* t. I, in prolegom., pag. 121.
(42) Euseb. *H. E.* l. V, c. 16.
(43) Et alii, quos postmodum scripsit contra Cataphrygum hæresim,quæ quidem non longe postea maximos tumultus excitavit ; tunc temporis vero

enasci cœpit; nimirum circa Christi annum 171, quo igitur tempore scribebat Apollinaris, Montanus cum falsis vatibus suis hæreseos suæ fundamenta jaciebat; quæ quidem non longe postea maximos tumultus excitavit. Verum, auctor innomiuatus Eusebianus, de quo agimus, post Montani demum, Maximillæ ac Theodoti mortem, id est non ante annum 212, libros suos exaravit, ut ex eorum fragmentis ab Eusebio servatis compertum fit. Quapropter insuper habenda cum Dodwello (44) Ruffini auctoritas licentissimi nimirum interpretis; neque magis ducenda sequioris ævi scriptorum assertio, Nicephori, Callisti, libellique *Synodici* auctoris, quorum hic sæculo IX, ille vero XIV, floruisse perhibetur; hi siquidem Eusebii mentem haud assecuti, ejus narrationem pro arbitrio interpolasse noscuntur. Huic demum sententiæ de fragmentis ab Eusebio recitatis, Claudio Apollinari ascribendis nuper quam proxime accessit Cl. Lequienius (45). Ex quadam enim Vita S. Abercii Hierapolis in Phrygia episcopi, quam ex Metaphraste Latine primum vulgarunt Lipomanus (46) et Surius (47), Græce vero Halloixius (48), conjicit vir eruditus hunc ipsum esse Abercium, cui Apollinaris Hierapolitanus opus contra Cataphrygas nuncupavit; ut proinde Apollinaris Ecclesiæ Hierapolitanæ presbyter duntaxat tunc fuerit, qui episcopo suo præcipiente sectarios illos confutavit. Hactenus ille. Verum ut ea prætereamus, quæ modo edisseruimus, quam fluxa sit istiusmodi Vitæ S. Abercii fides, cui uni Lequienii conjectura innititur, pluribus post Baronium (49) ostendit Tillemontius (50).

Auctor libelli *Synodici* narrat sanctam synodum Hierapoli Asiæ civitate celebratam ab Apollinario urbis illius episcopo, aliisque viginti sex episcopis ejusdem provinciæ abdicasse et extirpasse Montanum et Maximillam pseudoprophetas, simulque cum illis damnavisse Theodotum Coriarium (51). Opportune hic advertit vir doctissimus D. Antine, hoc concilium ab eruditis passim ut indubium recipi (52).

Commendat Photius Apollinarem nostrum a præstantia ingenii atque styli elegantia (53). Ad superos abiisse ante annum 180, verosimillimum putat Tillemontius (54), eo quod ejus contra enatam anno 171 Montanistarum hæresim scripta sint ultimum ipsius opus. Diversa Martyrologia Latina septima Februarii illius commemorationem faciunt. Baronius vero in Martyrologio Romano octava Januarii natalem ejus consignat (55). In Græcis e contra Mæneis omnino nulla mentio de S. Apollinari teste Bollando occurrit.

S. CLAUDII APOLLINARIS

FRAGMENTA.

(ROUTH, *Reliquiæ sacræ*, Oxonii, 1814, I, 149.)

Ex libro incerto.

Atque ea res tum a scriptoribus a fide nostra penitus alienis, quibus curæ fuit res eo tempore gestas memoriæ mandare, tum a nostris etiam hominibus refertur. Sed gentilium scriptores utpote a religione nostra dissidentes, hoc quidem miraculum commemorarunt: non tamen id nostrorum precibus factum esse confessi sunt. Nostri vero utpote veritatis primum enasci cœperat, Montano cum falsis vatibus suis adhuc erroris sui fundamenta jaciente.

Πδὲ ἱστορία (inquit Eusebius lib. v *Hist.* cap. 5) φέρεται μεν (historia est, de illo imbre ad sedandam militum sitim M. Antonini imp. exercitui misso, dum fulminum jactu vexabantur hostes) καὶ παρὰ τοῖς πόῤῥω τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου συγγραφεύσιν, οἷς μέλον γέγονε τῆς κατὰ τοὺς δηλουμένους (56) γραφῆς· δεδήλωται δὲ καὶ πρὸς τῶν ἡμετέρων (57).

(44) Dissertat. 4. Iren., § 38, pag. 369, et Dissertat. 4 Cyprian., § 4, pag. 40,

(45) *Oriens Christianus*, tom I, col. 833.

(46) *Vitæ SS.*, t. VI.

(47) *Vita sanctorum* ad diem 22 Octobris.

(48) *Illustr. Eccles. Orient. script.*, tom. II, pag. 120.

(49) Baron ad annum 163, § 15.

(50) Tillem. *Mémoires eccl.* tom. II, pag. 299, 621.

(51) In *Collect. concil.* apud Mansi, tom. II, colum, 692.

(52) *L'art de vérifier les dates*, pag. 171.

(53) Vir sane præstans, et stylo præstanti usus. Phot. codice 14.

(54) *Mémoires de l'histoire*, tom. II, pag. 208

(55) Vide Bollandistas ad diem 7 Februarii, pag. 1 et seq.

(56) Κατὰ τοὺς δηλουμένους. Imperatores Pium Aureliumque. Res autem contigit, ut in notis ad Euseb. Valesius ostendit, M. Aurelio Antonino solo regnante, vitam jam functo patre Pio, imo post mortem Veri fratris. Cæterum verba Apollinaris, quæ sequuntur, ex *Apotogia* ejus ad eumdem Marcum, cujus scripti mentionem fecerat Eusebius cap. 26 et 27, ejusd. lib. IV, fortasse desumpta sunt.

(57) Δεδήλωται δὲ καὶ πρὸς τῶν ἡμετέρων. Ad hoc miraculum alludit Cyprianus, cum ait in *Tractatu ad Demetriadem*: « Christianos pro arcendis hostibus et imbribus impetrandis rogare et preces fundere. » P. 193, ed. Oxon. W. Lowth in Eusebii ed. Reading. Adde Cypriani magistrum Tertullianum, qui

cultores, simpliciter atque ingenus rem ipsam litteris tradiderunt. Ex his est Apollinaris, qui legionem ipsam cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo fulmineam ab imperatore cognominatam esse scribit.

Τούτων δ' ἄν εἴη καὶ Ἀπολλινάριος· ἐξ ἐκτίνου, φήσας οἰκείαν τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως εἰληφέναι προσηγορίαν, κεραυνοβόλον (59) τῇ Ῥωμαίων ἐπικληθεῖσαν φωνῇ.

B Ἀλλὰ τοῖς μὲν ἔξωθεν ἱστορικοῖς ἅτε τῆς πίστεως ἀνοικείοις, τέθειται μὲν τὸ παράδοξον (58)· οὐ μὴν καὶ ταῖς τῶν ἡμετέρων εὐχαῖς τοῦτο ὡμολογήθη γεγονέναι. Τοῖς δέ γε ἡμετέροις ἅτε ἀληθείας φίλοις, ἁπλῶ καὶ ἀκακοήθει τρόπῳ τὸ πραχθὲν παραδίδοται.

non tantum rem tetigit in *Apologet.* cap. 5, et *ad Scapulam*, c. 4, sed etiam fusius in posteriore parte libelli *De oratione*, quam quidem ex codice Ambrosiano sumptam novissimo vertente sæculo primus edidit cl. Muratorius, Vid. cap. cap. 29 ed. Halensis Tertulliani.

(58) Τέθειται μὲν τὸ παράδοξον. Gentiles scriptores qui ejus rei meminerunt, alii quidem, magorum incantationibus pluviam impetratam esse dixerunt; alii vero precibus imp. Marci. Ita Capitolinus in Marco, et Claudianus in 6 consulatu Honorii. Quinetiam precationis ipsius verba referunt, quibus usus est Marcus: « Hanc, inquit, dextram ad te, Jupiter, tendo, quæ nullius unquam sanguinem fudit. » Themistius in orat. nondum (an. 1659) edita ad imperatorem Theodosium, quæ inscribitur. Τίς ἡ βασιλικωτάτη τῶν ἀρετῶν. Ἀντωνίνῳ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι, ᾧ τοῦτο αὐτὸ ἐπώνυμον ὁ Εὐσεβής ἦν, τοῦ στρατεύματος ὑπὸ δίψους αὐτῷ πιεζομένου, ἀνασχὼν τὼ χεῖρε ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν οὐρανόν· « Ταύτῃ, ἔφη, τῇ χειρὶ προυτρεψάμην σε καὶ ἱκέτευσα τὸν ζωῆς δοτῆρα, ἣ ζωὴν οὐκ ἀφειλόμην· » καὶ οὕτω κατέβησε τὸν θεὸν τῇ εὐχῇ, ὥστε ἐξ αἰθρίας ἦλθον νεφέλαι ὑδροφοροῦσαι τοῖς στρατιώταις. Addit Themistius vidisse se pictam in tabula hujus rei imaginem : imperatorem quidem in acie deos precantem ; milites vero galeis imbrem excipientes et aquam cœlitus missam hibentes. Valesius. — Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata cum siti laborarent. Jul. Capitolinus in *Marco Antonino philosopho*, pag. 32, ed. Paris. Exstat (inquit Ant. Pagius) nummus argenteus in gaza regia inscriptus, M. Antoninus Aug. tr. P. xxxiii. Visitur caput Antonini laureatum. In postica Relig. Aug. Imp. vi. Coss. iii, id est, « Religio Augusti.... » Cernitur Mercurius stans: qui dextra pateram, et sinistra caduceum tenet. Tribunitiam pot. xxviii currenti anno M. Aurelius iniit. Quare cum Xiphilinus scribat dicere Dionem, Marcum hanc pluviam Mercurio, cujus cultus studiosus erat, attribuisse, is nummus Dionis fidei testis, ut ab Andrea Morellio, viro clarissimo, me audivisse memini. *Ant Pagi ad ann.* Christi 174. Reading. — Cum unam iconem incisam ære cardinalis Baronius in *Annalibus* ad ann. 176, Casaliusque, *De urbe*, etc., exhibeant, in qua hæc sitis columna Antonini insculpta partim ostenditur; aliamque præterea effigiem Havercampus in ed. sua *Apologetici* Tertulliani ad cap. 5, pag. 62, ejusdem monumenti posuerit ; ab iis viris doctis, ut Bellorii descriptionem taceam, nobilis illius columnæ atque hujusce simul historiæ diversæ partes depictæ sunt.

(59) Κεραυνοβόλον. Jamdudum monuit Scaliger in animadversionibus Eusebianis, legionem fulminatricem ab hoc miraculo cognominatam non fuisse, quippe quæ diu ante tempora M. Antonini ita vocata fuerit. Docet id manifeste Dio Cassius in libro lv, ubi legiones omnes enumerat. Vetus quoque inscriptio a Scaligero prolata, idipsum confirmat. Quamobrem de ipso quidem miraculo pluviæ a Christianis militibus impetratæ, et Apollinari et Tertulliano testantibus facile credimus (Eusebius hoc capite postquam Apollinarem testem rei citavit, Tertullianum quoque adducit in *Apologetico* ejus eidem miraculo testimonium adhibentem ; legionem vero Melitinam ob id fulminatricem esse dictam a M. Antonino imp. nondum mihi persuasit Apollinaris. Dicet forte aliquis, fulminatricem quidem legionem fuisse ante tempora M. Antonini, sed Marcum ob acceptum a Melitina legione beneficium, ei quoque fulminatricis cognomen indidisse. Verum si ita esset, secunda fulminatrix dici debuerat. Dio tamen nullam ejus mentionem facit. quamvis omnes legiones a superioribus principibus conscriptas accurate recenseat Sed et fulminatricem illam in Cappadocia sedes habuisse dicit, quod Melitinæ legioni apte convenit. In *Notitia imperii Romani*, sub dispositione ducis Armeniæ recensetur præfectura legionis 12 fulmineæ Melitinæ, id est apud oppidum Melitinam constitutæ. Ex quo colligitur Melitinam nomen legionis non fuisse, sed oppidi, in quo legio 12, fulminea consistebat. Legiones vero a locis in quibus præsidium agebant, denominare moris non fuit, sed a regionibus in quibus erant conscriptæ Itaque quod de legione Melitina tradit Eusebius, parum mihi probabile videtur. Adde quod Rufinus hoc legionis nomen consulto, ut arbitror, prætermisit ; quippe qui nosset, Melitinam nomen esse oppidi minoris Armeniæ, in quo legio 12 fulminea adhuc sua ætate prætenderet. Recte etiam idem Rufinus κεραυνοβόλον fulmineam vertit ; non fulminatricem, ut Onuphrius et Scaliger aliique appellant. Quos refellit *Notitia imperii* in loco quem superius adduxi. Cæterum ut ingenue dicam quod sentio, parum mihi probabile videtur, totam legionem militum Romanorum eo tempore Christianam fuisse, quod tamen affirmare videtur Eusebius. Qui et in eo peccat, quod Apollinaris locum non protulit, nec librum ipsum, in quo hæc Apollinaris scripserat, indicavit. Sed et verba quibus totam hanc narrationem concludit, satis indicant ipsum de veritate rei dubitasse. Sic enim ait ; Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπῃ τις ἐθέλει τιθέσθω. Id est : *Sed de his quisque pro arbitrio suo judicet.* Valesius. — Verba Eusebii ad hanc historiam pertinere, cum Valesio statuit Pearsonius in *Vindiciis Ignat.* p. ii, c. 13, p. 161, ubi hoc scribit : « Tum vero narrationem quamdam statim interserit de legione fulminea, quam velut incertam relinquit. » Qui hac de narratione plura velit, adeat auctores a Moshemio in *Hist. eccles.*, sæc. ii, p. i, c. 1, § 9, indicatos, quibus addat præter ecclesiasticæ hist. scriptores, Joan. Richardsonum in *Prælect. eccl.* vol. II, et Lardnerum *Testim. Judaic. et ethnic.* vol. II, cap. 15, sed contrarias partes defendentes. Dixerim ego, salvo prudentiorum judicio, Christianos aliquot milites in exercitu Marci, cum liberationem ex magnis angustiis a Deo petivissent, ex eis postea salvos mirabiliter factos fuisse una cum commilitonibus, dum hostes barbari contra periérint ; utrum vero id precibus ipsorum concessum fuerit, solum novisse Deum ; porro, etiamsi res ita haberet, quod vero similius esse minime negaverim, inde non statim sequi, ut divinum hoc beneficium inter miracula proprie dicta censeri debeat.

Ex lib. De Paschate (60). — *Afferuntur hæc in Præf. Chronici Paschalis sive Alex. ad p.* 6. *ed. Ducangii.*

Εἰσὶ τοίνυν οἳ (61) δι' ἄγνοιαν φιλονεικοῦσι περὶ τούτων, συγγνωστὸν πρᾶγμα πεπονθότες· ἄγνοια γὰρ οὐ κατηγορίαν ἀναδέχεται, ἀλλὰ διδαχῆς προσδεῖται· καὶ λέγουσιν ὅτι τῇ ιδ', τὸ πρόβατον μετὰ τῶν μαθητῶν ἔφαγεν ὁ Κύριος· τῇ δὲ μεγάλῃ ἡμέρᾳ τῶν Ἀζύμων αὐτὸς ἔπαθεν· καὶ διηγοῦνται Ματθαῖον οὕτω λέγειν ὡς νενοήκασιν· ὅθεν ἀσυμφώνως (lege ἀσύμφωνος) τε νόμῳ (62) ἡ νόησιν αὐτῶν· καὶ στασιάζειν δοκεῖ κατ' αὐτοὺς τὰ Εὐαγγέλια.

A Quidem igitur sunt, qui ex ignorantia de hisce excitant contentiones, rem venia dignam passi, neque enim accusationem admittit ignorantia, sed eget doctrina; aiuntque 14 a agnum cum discipulis manducasse Dominum, magna vero Azymorum die passum esse, atque ita dicere Matthæum, ut illum intelligunt; unde legi contraria est eorum interpretatio, iisque adversari videntur Evangelia.

Ex eodem libro ibid.

Ἡ ιδ', τὸ ἀληθινὸν (63) τοῦ Κυρίου Πάσχα, ἡ θυσία ἡ μεγάλη, ὁ ἀντὶ τοῦ ἀμνοῦ Παῖς Θεοῦ, ὁ δεθεὶς, ὁ δήσας τὸν ἰσχυρὸν, καὶ ὁ κριθεὶς κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν· καὶ ὁ παραδοθεὶς εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν, ἵνα σταυρωτῇ, ὁ ὑψωθεὶς ἐπὶ κεράτων μονο-

Decima quarta veri Paschatis Domini sacrificium magnum, pro agno Dei Filius, qui vinctus fortem vinxit, et qui judicatus est, judex est vivorum et mortuorum, et qui traditus est in manus peccatorum ut crucifigeretur, qui super cornua unicornis

(60) *Ex libro de Paschate.* In *Præfatione*, quæ B hic ipse *Præfationis Chronici Alex.* auctor ex Clementis opere *De paschate* aliqua excitat, quem quidem tractatum memorat exscribitque etiam Eusebius lib. IV *Hist.*, c. 13. Cum hæc omnia adnotassem, post vidi cl. Gallandium in Prolegom. tomi I *Bibliothecæ PP.*, p. CXXI, nonnulla ex argumentis meis pro confirmatione τῆς γνησιότητος horum fragmentorum præoccupavisse, hoc præterea adducto, nunquam illa vidisse Eusebium, quæ Apollinarium contra Severianos Encratitas scripsisse, tradit Theodoretus *Hæret. fab.* lib. I, c. 21.

vocatur, *Chronici Paschalis*, sive *Alexandrini*, duobus istis Apollinarii fragmentis hæc verba præmissa sunt: Καὶ Ἀπολλινάριος δὲ ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Ἱεραπόλεως τῆς Ἀσίας, ὁ ἐγγὺς τῶν ἀποστολικῶν χρόνων γεγονὼς, ἐν τῇ Περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ τὰ παραπλήσια ἐδίδαξε λέγων οὕτως· Εἰσὶ τοίνυν, etc. *Et Apollinarius sanctissimus Hierapoleos Asiæ episcopus, qui apostolicis temporibus proximus fuit, in libro quem* De Paschate *conscripsit, consentanea docuit, hisce verbis*: « *Quidam igitur sunt,* » etc.

Lardnerus interea, post Tillemontium in *Mém. eccles.* tom. II, p III, p. 91, tribuere hæc duo fragmenta mavult Pierio Alexandrino tertii sæculi scriptori, qui librum *De Paschate* composuit. Vide eum *De fide hist. evang.* p. II, tom. II, c. 28, § 11. Fortasse enim nonnullis illud ipsum displicuerit, quod de tempore Paschæ hic statuitur; sed nihil inesse fragmentis mihi quidem videtur, quod abjudicare ea ab Apollinario nos cogat. Neque auctori *Præfationis* magis deneganda est fides, quam aliis scriptoribus, ex quorum testimonio multi recepti sunt libri veterum, neque ab Eusebio, neque alio quodam præterea memorati; præcipue cum infra ait Eusebius ipse, pervenisse ad se opera nonnulla ex multis Apollinarii libris. Itidem in notis ad Melitonis fragmenta ad pag. 137, verba similia Eusebii de Serapionis episcopi operibus descripsi. Imo fortasse unum ex Apollinarii libris Eusebio nunquam visis a Photio egregio critico, lectum fuit, hoc est, Περὶ Εὐσεβείας illud in cod. 14 recensitum; sed hac de re paulo infra. Audi præterea quæ Maximus *Prologo* suo *in Opera S. Dionysio Areop. ascripta*, apprime huc facientia scripsit: Πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος οὐκ ἐλθόντα παρὰ χεῖρας οἰκείας· καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηοχέναι. μᾶλλόν γε μὴν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθεστάναι μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα. Καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ, καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας, ὡς Ἱμεναίου καὶ Νακίσσου τῶν ἱερευσαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγώ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ἱμεναίου. Καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος πλὴν δύο καὶ μόνων ἐπιστολῶν (et prudenter hoc quidem)· ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων. Ὁ γὰρ Ὠριγένης, οὐκ οἶδα εἰ πάντων μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη, p. 36 ed. Corderii, p. 4 ed. Morelii. Hæc Maximus de Eusebio. Et forsitan recte ait, ex hujus quidem silentio a nullo libro fidem pinitus abrogandam esse, nisi eidem propter aliam rationem causa cadere necesse fuerit. Denique notandum est, conscripsisse Apollinarii hujus æquales cum alios, tum Melitonem Irenæumque, et Clementem Alex. *De Paschate* libros, dum vigebat nimirum illis temporibus controversia paschalis, Imo

(61) Εἰσὶ τοίνυν οἵ, etc. Celeberrima est atque difficillima quæstio, utrum Christus et Judæi uno eodemque tempore pascha comederint; cui quidem me pusillum hominem interponere noluerim. Missa igitur hac re, tantum monebo, sensisse videri hunc Apollinarem cum Clemente Alex. aliisque multis Patribus, Dominum cœnam suam ultimam, quam hi Patres aliter atque Ecclesia, notante id Photio C codd. 115 et 116, autumabant diversam a paschate legali fuisse, vespera diei civilis 13 mensis Nisan celebrasse; et meridie diei 14. loco agni paschalis a Judæis tum temporis jugulati, mactatum ipsum Dominum fuisse, secundum Apostoli illud ad Corinthios priore ejus Epist. cap. V, comm. 7: Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Itaque ex Joannis Evangelio iidem isti Matthæum, cæterosque evangelistas, interpretandos esse censuerunt similiter atque scriptores alii, qui recentioribus temporibus statuerunt, Dominum nostrum et Judæos non eodem die pascha egisse, de natura tamen festi ultimi Dominici a veteribus illis discrepantes. Itidem Hippolytus in eodem *Chronici Alex. Præfatione* laudatus, non nemini respondens in libro suo *Contra omnes hæreses* hæc scribit: Πεπλάνηται δὲ μὴ γινώσκων, ὅτι τῷ (for. legend. ᾧ) καιρῷ ἔπασχεν ὁ Χριστὸς, οὐκ ἔφαγε τὸ κατὰ νόμον πάσχα. Οὗτος γὰρ ἦν τὸ πάσχα τὸ προκεκηρυγμένον, καὶ τελειούμενον, τῇ ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ. Similiter D Clemens Alex. et ibidem: Πέπονθε δὲ τῇ ἐπιούσῃ (scil. die cœnam ultimam sequente, sive mensis Nisan 14) ὁ Σωτὴρ ἡμῶν αὐτὸν ὢν τὸ πάσχα, καλλιερηθεὶς (for. legend. καθιερευτεὶς) ὑπὸ Ἰουδαίων.

(62) Ἀσυμφώνως τε νόμῳ. Legendum videtur ἀσύμφωνος, prout in interpretatione Latina. Cæterum ideo dicit Apollinaris, legi contrariam esse alteram opinionem, quod cum ex instituto legis agnus paschalis 14 die lunæ mactandus esset, convenienter legi censendum foret, τὸ ἀληθινὸν πάσχα Jesum Christum eodem illo die passum esse.

(63) Τὸ ἀληθινόν. Ita editi, pro τοῦ ἀληθινοῦ, ex codice ms. biblioth. Bodl. numero 3401, signato, in quo præter alias *Præfationis* quæ vocatur, partes hæc Apollinarii de Paschate fragmenta exstant.

cultores, simpliciter atque ingenus rem ipsam litteris tradiderunt. Ex his est Apollinaris, qui legionem ipsam cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo fulmineam ab imperatore cognominatam esse scribit.

Τούτων δ' ἄν εἴη καὶ Ἀπολλινάριος· ἐξ ἐκτίνου, φήσας οἰκείαν τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως εἰληφέναι προσηγορίαν, κεραυνοβόλον (59) τῇ Ῥωμαίων ἐπικληθεῖσαν φωνῇ.

B Ἀλλὰ τοῖς μὲν ἔξωθεν ἱστορικοῖς ἅτε τῆς πίστεως ἀνοικείοις, τέθειται μὲν τὸ παράδοξον (58)· οὐ μὴν καὶ ταῖς τῶν ἡμετέρων εὐχαῖς τοῦτο ὡμολογήθη γεγονέναι. Τοῖς δέ γε ἡμετέροις ἅτε ἀληθείας φίλοις, ἁπλῶ καὶ ἀκακοήθει τρόπῳ τὸ πραχθὲν παραδίδοται.

non tantum rem tetigit in *Apologet.* cap. 5, et *ad Scapulam*, c. 4, sed etiam fusius in posteriore parte libelli *De oratione*, quam quidem ex codice Ambrosiano sumptam novissimo vertente sæculo primus edidit cl. Muratorius, Vid. cap. cap. 29 ed. Halensis Tertulliani.

(58) Τέθειται μὲν τὸ παράδοξον. Gentiles scriptores qui ejus rei meminerunt, alii quidem, magorum incantationibus pluviam impetratam esse dixerunt; alii vero precibus imp. Marci. Ita Capitolinus in Marco, et Claudianus in 6 consulatu Honorii. Quinetiam precationis ipsius verba referunt, quibus usus est Marcus: « Hanc, inquit, dextram ad te, Jupiter, tendo, quæ nullius unquam sanguinem fudit » Themistius in orat. nondum (an. 1659) edita ad imperatorem Theodosium, quæ inscribitur. Τίς ἡ βασιλικωτάτη τῶν ἀρετῶν. Ἀντωνίνῳ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι, ᾧ τοῦτο αὐτὸ ἐπώνυμον ὁ Εὐσεβὴς ἦν, τοῦ στρατεύματος ὑπὸ δίψους αὐτῷ πιεζομένου, ἀναστὰς τὼ χεῖρε ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν οὐρανὸν· « Ταύτῃ, ἔφη, τῇ χειρὶ προυτρεψάμην σε καὶ ἱκέτευσα τὸν ζωῆς δοτῆρα, ἣ ζωὴν οὐκ ἀφειλόμην· » καὶ οὕτω κατέβησε τὸν Θεὸν τῇ εὐχῇ, ὥστε ἐξ αἰθρίας ὗλον νεφέλαι ὑδροφοροῦσαι τοῖς στρατιώταις. Addit Themistius vidisse se pictam in tabula hujus rei imaginem : imperatorem quidem in acie deos precantem ; milites vero galeis imbrem excipientes et aquam cœlitus missam hibentes. Valesius. — Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata cum siti laborarent. Jul. Capitolinus in *Marco Antonino philosopho*, pag. 32, ed. Paris. Exstat (inquit Ant. Pagius) nummus argenteus in gaza regia inscriptus, M Antoninus Aug. tr. P. xxxiii. Visitur caput Antonini laureatum. In postica Relig. Aug. Imp. vi. Coss. iii, id est, « Religio Augusti.... » Cernitur Mercurius stans: qui dextra pateram, et sinistra caduceum tenet. Tribunitiam pot. xxviii currenti anno M. Aurelius iniit. Quare cum Xiphilinus scribat dicere Dionem, Marcum hanc pluviam Mercurio, cujus cultus studiosus erat, attribuisse, is nummus Dionis fidei testis, ut ab Andrea Morellio, viro clarissimo, me audivisse memini. *Ant Pagi ad ann.* Christi 174. Reading. — Cum unam iconem incisam ære cardinalis Baronius in *Annalibus* ad ann. 176, Casaliusque, *De urbe*, etc., exhibeant, in qua hæc sitis columna Antonini insculpta partim ostenditur; aliamque præterea effigiem Havercampus in ed. sua *Apologetici* Tertulliani ad cap. 5, pag. 62, ejusdem monumenti posuerit ; ab iis viris doctis, ut Bellorii descriptionem taceam, nobilis illius columnæ atque hujusce simul historiæ diversæ partes depictæ sunt.

(59) Κεραυνοβόλον. Jamdudum monuit Scaliger in animadversionibus Eusebianis, legionem fulminatricem ab hoc miraculo cognominatam non fuisse, quippe quæ diu ante tempora M. Antonini ita vocata fuerit. Docet id manifeste Dio Cassius in libro lv, ubi legiones omnes enumerat. Vetus quoque inscriptio a Scaligero prolata, idipsum confirmat. Quamobrem de ipso quidem miraculo pluviæ a Christianis militibus impetratæ, et Apollinari et Tertulliano testantibus facile credimus (Eusebius

hoc capite postquam Apollinarem testem rei citavit, Tertullianum quoque adducit in *Apologetico* ejus eidem miraculo testimonium adhibentem ; legionem vero Melitinam ob id fulminatricem esse dictam a M. Antonino imp. nondum mihi persuasit Apollinaris. Dicet forte aliquis, fulminatricem quidem legionem fuisse ante tempora M. Antonini, sed Marcum ob acceptum a Melitina legione beneficium, ei quoque fulminatricis cognomen indidisse. Verum si ita esset, secunda fulminatrix dici debuerat. Dio tamen nullam ejus mentionem facit, quamvis omnes legiones a superioribus principibus conscriptas accurate recenseat Sed et fulminatricem illam in Cappadocia sedes habuisse dicit, quod Melitinæ legioni apte convenit. In *Notitia imperii Romani*, sub dispositione ducis Armeniæ recensetur præfectura legionis 12 fulmineæ Melitinæ, id est apud oppidum Melitinam constitutæ. Ex quo colligitur Melitinam nomen legionis non fuisse, sed oppidi, in quo legio 12, fulminea consistebat. Legiones vero a locis in quibus præsidium agebant, denominare moris non fuit, sed a regionibus in quibus erant conscriptæ Itaque quod de legione Melitina tradit Eusebius, parum mihi probabile videtur. Adde quod Rufinus hoc legionis nomen consulto, ut arbitror, prætermisit ; quippe qui nosset, Melitinam nomen esse oppidi minoris Armeniæ, in quo legio 12 fulminea adhuc sua ætate prætenderet. Recte etiam idem Rufinus κεραυνοβόλον fulmineam vertit ; non fulminatricem, ut Onuphrius et Scaliger aliique appellant. Quos refellit *Notitia imperii* in loco quem superius adduxi. Cæterum ut ingenue dicam quod sentio, parum mihi probabile videtur, totam legionem militum Romanorum eo tempore Christianam fuisse, quod tamen affirmare videtur Eusebius. Qui et in eo peccat, quod Apollinaris locum non protulit, nec librum ipsum, in quo hæc Apollinaris scripserat, indicavit. Sed et verba quibus totam hanc narrationem concludit, satis indicant ipsum de veritate rei dubitasse. Sic enim ait ; Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπῃ τις ἐθέλει τιθέσθω. Id est : *Sed de his quisque pro arbitrio suo judicet.* Valesius. — Verba Eusebii ad hanc historiam pertinere, cum Valesio statuit Pearsonius in *Vindiciis Ignat.* p. ii, c. 13, p. 161, ubi hoc scribit : « Tum vero narrationem quamdam statim interserit de legione fulminea, quam velut incertam relinquit. » Qui hac de narratione plura velit, adeat auctores a Moshemio in *Hist. eccles.*, sæc. ii, p. i, c. 1, § 9, indicatos, quibus addat præter ecclesiasticæ hist. scriptores, Joan. Richardsonum in *Prælect. eccl.* vol. II, et Lardnerum *Testim. Judaic. et ethnic.* vol. II, cap. 15, sed contrarias partes defendentes. Dixerim ego, salvo prudentiorum judicio, Christianos aliquot milites in exercitu Marci, cum liberationem ex magnis angustiis a Deo petivissent, ex eis postea salvos mirabiliter factos fuisse una cum commilitonibus, dum hostes barbari contra peterent ; utrum vero id precibus ipsorum concessum fuerit, solum novisse Deum ; porro, etiamsi res ita haberet, quod vero similius esse minime negaverim, inde non statim sequi, ut divinum hoc beneficium inter miracula proprie dicta censeri debeat.

Ex lib. De Paschate (60). — *Afferuntur hæc in Præf. Chronici Paschalis sive Alex. ad p.* 6. *ed. Ducangii.*

Εἰσὶ τοίνυν οἳ (61) δι' ἄγνοιαν φιλονεικοῦτι περὶ τούτων, συγγνωστὸν πρᾶγμα πεπονθότες· ἄγνοια γὰρ οὐ κατηγορίαν ἀναδέχεται, ἀλλὰ διδαχῆς προσδεῖται· καὶ λέγουσιν ὅτι τῇ ιδ', τὸ πρόβατον μετὰ τῶν μαθητῶν ἔφαγεν ὁ Κύριος· τῇ δὲ μεγάλῃ ἡμέρᾳ τῶν Ἀζύμων αὐτὸς ἔπαθεν· καὶ διηγοῦνται Ματθαῖον οὕτω λέγειν ὡς νενοήκασιν· ὅθεν ἀσυμφώνως (lege ἀσύμφωνος) τε νόμῳ (62) ἡ νόησιν αὐτῶν· καὶ στασιάζειν δοκεῖ κατ' αὐτοὺς τὰ Εὐαγγέλια.

A Quidem igitur sunt, qui ex ignorantia de hisce excitant contentiones, rem venia dignam passi, neque enim accusationem admittit ignorantia, sed eget doctrina; aiuntque 14ª agnum cum discipulis manducasse Dominum, magna vero Azymorum die passum esse, atque ita dicere Matthæum, ut illum intelligunt; unde legi contraria est eorum interpretatio, iisque adversari videntur Evangelia.

Ex eodem libro ibid.

Ἡ ιδ', τὸ ἀληθινὸν (63) τοῦ Κυρίου Πάσχα, ἡ θυσία ἡ μεγάλη, ὁ ἀντὶ τοῦ ἀμνοῦ Παῖς Θεοῦ, ὁ δεθείς, ὁ δήσας τὸν ἰσχυρὸν, καὶ ὁ κριθεὶς κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν· καὶ ὁ παραδοθεὶς εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν, ἵνα σταυρωτῇ, ὁ ὑψωθεὶς ἐπὶ κεράτων μονο-

Decima quarta veri Paschatis Domini sacrificium magnum, pro agno Dei Filius, qui vinctus fortem vinxit, et qui judicatus est, judex est vivorum et mortuorum, et qui traditus est in manus peccatorum ut crucifigeretur, qui super cornua unicornis

(60) *Ex libro de Paschate.* In *Præfatione*, quæ vocatur, *Chronici Paschalis*, sive *Alexandrini*, duobus istis Apollinarii fragmentis hæc verba præmissa sunt: Καὶ Ἀπολλινάριος δὲ ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Ἱεραπόλεως τῆς Ἀσίας, ὁ ἐγγὺς τῶν ἀποστολικῶν χρόνων γεγονὼς, ἐν τῇ Περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ τὰ παραπλήσια ἐδίδαξε λέγων οὕτως· Εἰσὶ τοίνυν, etc. *Et Apollinarius sanctissimus Hierapoleos Asiæ episcopus, qui apostolicis temporibus proximus fuit, in libro quem* De Paschate *conscripsit, consentanea docuit, hisce verbis*: « *Quidam igitur sunt,* » etc.

Lardnerus interea, post Tillemontium in *Mém. eccles.* tom. II, p III, p. 91, tribuere hæc duo fragmenta mavult Pierio Alexandrino tertii sæculi scriptori, qui librum *De Paschate* composuit. Vide eum *De fide hist. evang.* p. II, tom. II, c. 28, § 11. Fortasse enim nonnullis illud ipsum displicuerit, quod de tempore Paschæ hic statuitur; sed nihil inesse fragmentis mihi quidem videtur, quod abjudicare ea ab Apollinario nos cogat. Neque auctori *Præfationis* magis deneganda est fides, quam aliis scriptoribus, ex quorum testimonio multi recepti sunt libri veterum, neque ab Eusebio, neque alio quodam præterea memorati; præcipue cum infra ait Eusebius ipse, pervenisse ad se opera nonnulla ex multis Apollinarii libris. Itidem in notis ad Melitonis fragmenta ad pag. 137, verba similia Eusebii de Serapionis episcopi operibus descripsi. Imo fortasse unum ex Apollinarii libris Eusebio nunquam visis a Photio egregio critico, lectum fuit, hoc est, Περὶ Εὐσεβείας illud in cod. 14 recensitum; sed hac de re paulo infra. Audi præterea quæ Maximus *Prologo* suo *in Opera S. Dionysio Areop. ascripta*, apprime huc facientia scripsit: Πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος οὐκ ἐλθόντα παρὰ χεῖρας οἰκείας· καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηγοχέναι. μᾶλλόν γε μὴν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθεστάναι μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα. Καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ, καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας. ὡς Ἰμεναίου καὶ Ναρκίσσου τῶν ἱερευσαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγώ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ἰμεναίου. Καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος πλὴν δύο καὶ μόνων ἐπιστολῶν (et prudenter hoc quidem· ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων. Ὁ γὰρ Ὠριγένης, οὐκ οἶδα εἰ πάντων μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη, p. 36 ed. Corderii, p. 4 ed. Morelii. Hæc Maximus de Eusebio. Et forsitan recte ait, ex hujus quidem silentio a nullo libro fidem pinitus abrogandam esse, nisi eidem propter aliam rationem causa cadere necesse fuerit. Denique notandum est, conscripsisse Apollinarii hujus æquales cum alios, tum Melitonem Irenæumque, et Clementem Alex. *De Paschate* libros, dum vigebat nimirum illis temporibus controversia paschalis, Imo

B hic ipse *Præfationis Chronici Alex.* auctor ex Clementis opere *De paschate* aliqua excitat, quem quidem tractatum memorat exscribitque etiam Eusebius lib. IV *Hist.*, c. 13. Cum hæc omnia adnotassem, post vidi cl. Gallandium in Prolegom. tomi I *Bibliothecæ PP.*, p. CXXI, nonnulla ex argumentis meis pro confirmatione τῆς γνησιότητος horum fragmentorum præoccupavisse, hoc præterea adducto, nunquam illa vidisse Eusebium, quæ Apollinarium contra Severianos Encratitas scripsisse, tradit Theodoretus *Hæret. fab.* lib. I, c. 21.

(61) Εἰσὶ τοίνυν οἳ, etc. Celeberrima est atque difficillima quæstio, utrum Christus et Judæi uno eodemque tempore pascha comederint; cui quidem me pusillum hominem interponere noluerim. Missa igitur hac re, tantum monebo, sensisse videri hunc Apollinarem cum Clemente Alex. aliisque multis Patribus, Dominum cœnam suam ultimam, quam hi Patres aliter atque Ecclesia, notante id Photio

C codd. 115 et 116, autumabant diversam a paschate legali fuisse, vespera diei civilis 13 mensis Nisan celebrasse; et meridie diei 14. loco agni paschalis a Judæis tum temporis jugulati, mactatum ipsum Dominum fuisse, secundum Apostoli illud ad Corinthios priore ejus Epist. cap. V, comm. 7: Καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Itaque ex Joannis Evangelio iidem isti Matthæum, cæterosque evangelistas, interpretandos esse censuerunt similiter atque scriptores alii, qui recentioribus temporibus statuerunt, Dominum nostrum et Judæos non eodem die pascha egisse, de natura tamen festi ultimi Dominici a veteribus illis discrepantes. Itidem Hippolytus in eodem *Chronici Alex. Præfatione* laudatus, non nemini respondens in libro suo *Contra omnes hæreses* hæc scribit: Πεπλάνηται δὲ μὴ γινώσκων, ὅτι τῷ (for. legend. ᾧ) καιρῷ ἔπασχεν ὁ Χριστὸς, οὐκ ἔφαγε τὸ κατὰ νόμον πάσχα. Οὗτος γὰρ ἦν τὸ πάσχα τὸ προκεκηρυγμένον, καὶ τελειούμενον, τῇ ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ. Similiter

D Clemens Alex. et ibidem: Ἱέπονθε δὲ τῇ ἐπιούσῃ (scil. die cœnam ultimam sequente, sive mensis Nisan 14) ὁ Σωτὴρ ἡμῶν αὐτὸν ὃν τὸ πάσχα, καλλιερηθεὶς (for. legend. καθιερευτεὶς) ὑπὸ Ἰουδαίων.

(62) Ἀσυμφώνως τε νόμῳ. Legendum videtur ἀσύμφωνος, prout in interpretatione Latina. Cæterum ideo dicit Apollinaris legi contrariam esse alteram opinionem, quod cum ex instituto legis agnus paschalis 14 die lunæ mactandus esset, convenienter legi censendum foret, τὸ ἀληθινὸν πάσχα Jesum Christum illo die passum esse.

(63) [illegible]ν. Ita editi, pro τοῦ ἀληθινοῦ, ex co[illegible]lioth. Bodl. numero 3401, signato, [illegible] alias Præfationis quæ vocatur, pa[illegible]ii de Paschate fragmenta sti

est exaltatus, et qui in sacro latere percussus est, qui ex latere suo duo fudit purgatoria, aquam et sanguinem, verbum et spiritum ; et qui Paschatis die sepultus est, lapide monumento imposito.

A κέρωτος (64), καὶ ὁ τὴν ἁγίαν πλευρὰν ἐκκεντηθείς, ὁ ἐκχρέας ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ τὰ δύο πάλιν καθάρσια, ὕδωρ καὶ αἷμα, λόγον καὶ πνεῦμα (65)· καὶ ὁ ταφεὶς ἐν ἡμέρᾳ τῇ τοῦ Πάσχα, ἐπιτεθέντος τῷ μνήματι τοῦ λίθου.

Hæc de operibus S. Apollinarii Eusebius, Serapion Antiochenus, Socrates Hieronymusque.

Ex Eusebio lib. IV, *Hist., cap.* 27.

Apollinaris vero licet penes multos multa exstent opera, hæc tamen sola ad nos pervenerunt: *Oratio ad* supradictum *imperatorem*, *Adversus Gentiles* libri quinque, *De veritate* duo, duo item *adversus Judæos*, et alii quos postmodum scripsit contra B Cataphrygum hæresim, quæ quidem non longe postea maximos tumultus excitavit, tunc temporis vero primum enasci cœperat, Montano cum falsis vatibus suis adhuc erroris sui fundamenta jaciente.

Τοῦ δ' Ἀπολλιναρίου πολλῶν παρὰ πολλοῖς σωζομένων, τὰ εἰς ἡμᾶς ἐλθόντα ἐστὶ τάδε· Λόγος ὁ πρὸς τὸν προειρημένον βασιλέα (M. Aurelium Antoninum)· καὶ πρὸς Ἕλληνας συγγράμματα πέντε· καὶ Περὶ ἀληθείας ὁρῶτον καὶ δεύτερον (66) · καὶ πρὸς Ἰουδαίους πρῶτον καὶ δεύτερον (67)· καὶ ἃ μετὰ ταῦτα συνέγραψε κατὰ τῆς Φρυγῶν αἱρέσεως μετ' οὐ πολὺν καινοτομηθείσης (68) χρόνον, τότε γε μὴν ὥσπερ ἐκφύειν ἀρχομένης, ἔτι τοῦ Μοντανοῦ ἅμα ταῖς αὐτοῦ ψευδοπροφήτισιν ἀρχὰς τῆς παρεκτροπῆς ποιουμένου.

(64) Ὁ ὑψωθεὶς ἐπὶ κεράτων μονοκέρωτος. Confer Psal. XXII, comm. 21, et Psal. XCII, comm. 10. Ostendit Pearsonius in *Expos. Symboli*, artic. *Crucifixus*, partem crucis illam a pictoribus fere neglectam, quæ in medio palo recto fixa ex eo prominebat, cuique innitebatur sacrum corpus Christi, a Justino martyre in *Dialogo* describi, rhinocerotisque cum cornu ab eo comparari, similiterque etiam Tertullianum lib. III *adv. Marcion.* c. 18, et *adv. Judæos* c. 10, Justinum imitatum typicum hunc unicornem spectare.

(65) Λόγον καὶ πνεῦμα. Tertullianus *De baptismo* cap. 16, et *De pudicitia* cap. ult. aquam et sanguinem ex latere Christi emissum de duobus baptismis exponit, illo per aquam facto, hoc per sanguinem, sacro videlicet lavacro et martyrio. Eodem modo locum interpretati sunt auctor *Tractatus de baptismo hæreticorum* ad calcem Cypriani p. 29, ed. Felli, Hieronymusque in *Epist. ad Oceanum* p. 327, ed. Frobenii. Usitatior autem est expositio, quæ ad duo sacramenta Ecclesiæ baptismum aquæ, et poculum sanctificationis, quæ communicatio sanguinis est Christi, sacram illam effusionem refert. III, ed. Savilii, et Augustinum *in idem* p. 554, tom. IX, ed. Froben. quem plus semel in lib. quoque *De civitate Dei* idem sost. *in Joannis Evang.* p. 914, tom. IX, ed. Savilii, docuisse memini. Per aquam autem et sanguinem Apollinarius vult significari, ni fallor, verbi divini prædicationem et Spiritus sanctificationem, dum illud, πάλιν καθάρσια, ad figuratam sub novo fœdere veterum rituum renovationem spectare videtur. Est tamen fortasse dubium, utra res, aqua an sanguis, referri debeat ad *verbum* atque *spiritum* ; nam Augustinus lib. III *Contra Maximinum*, p. 522, tom. VI, nomine *aquæ* in Evangelii loco commemoratæ putat Spiritum sanctum significari, quia is est aqua, quam daturus erat Jesus sitientibus, nomine autem *sanguinis* Filium, quia Verbum caro factum est. Et diu ante Augustinum Irenæus Spiritum sanctum vocabat. « aquam quæ de cœlo est. » Lib. III, c. 17, § 2, ed. Massueti. Porro pervulgatum id est, Facundum Hermianensem in *Defens. trium capit.* lib. I, cap 3, qui sæculo scripsit sexto, *spiritum* de Patre, *sanguinem* de Filio seu Verbo, *aquam* vero de Spiritu S. ad comm. 8, cap. V Epist. primæ S. Joan. interpretatum fuisse. Sed hac re missa, constat *aquam* et *sanguinem* in Evangelio commemoratos de verbo et spiritu, sed qualitatibus non personis, ab Apollinario etiam sæculo secundo Ecclesiæ dictos fuisse.

(66) Καὶ περὶ ἀληθείας πρῶτον καὶ δεύτερον. Photius in *Bibliothecæ* cod. 14 : Ἀπολλιναρίου ἐπισκόπου τῆς ἐν Ἀσίᾳ Ἱεραπόλεως, Πρὸς Ἕλληνας, καὶ Περὶ εὐσεβείας καὶ ἀληθείας. Ἀνεγνώσθη Ἀπολλινάριος Ἡρὸς Ἕλληνας, καὶ Περὶ εὐσεβείας, καὶ Περὶ ἀληθείας. Ἔστι δὲ Ἱεραπολίτης ὁ συγγραφεὺς τῆς ἐν Ἀσίᾳ Ἱεραπόλεως γεγονὼς ἐπίσκοπος. Ἤνθησε δὲ ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίου (sic) Βήρου βασιλέως Ῥωμαίων. Ἀξιόλογος δὲ ὁ ἀνὴρ καὶ φράσει ἀξιολόγῳ κεχρημένος· λέγεται δὲ αὐτοῦ καὶ ἕτερα συγγράμματα ἀξιομνημόνευτα εἶναι, οἷς οὔπω ἡμεῖς ἐνετύχομεν. C Hæc Photius. Fabricius autem in *Delectu argument., De relig. Christiana* p. 160, incertum esse putat, an idem hoc opus fuerit atque illud *De veritate* ab Eusebio commemoratum, idque sub titulo Περὶ εὐσεβείας καὶ ἀληθείας legerit Photius, an diversum fuerit opus *De veritate*, Περὶ εὐσεβείας, atque idem fortasse atque illud Ὑπὲρ πίστεως, ita vocante Nicephoro librum imp. Antonino oblatum. Verba Nicephori sunt: Ὁ πρὸς Ἀντῶνῖνον λόγος ὑπὲρ τῆς πίστεως Quidquid de libello quidem ad Antoninum censebitur, persuadebit fortasse, ut diversum opus existimetur liber *De pietate* ab illo *De veritate*, ipsa censura Photiana, in qua τὸ περὶ repetitur. Diversos libros esse existimarunt Halloixius *Vit. PP. Oriental.* tom. II, p. 799, et Gallandius loco supra memorato ad pag. 157.

(67) Καὶ πρὸς Ἰουδαίους πρῶτον καὶ δεύτερον. Absunt hæc a nostris codicibus Maz., Med. et Fuket. Sed neque Rufinus ea in exemplaribus suis legerat, ut ex versione ejus apparet ; sed nec Hieronymus in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, ubi omnes Apollinaris libros recenset, hujus libri *contra Judeos* mentionem facit. Nicephorus tamen ejus operis meminit. Valesius. — Hæc verba a librario quodam moleste sedulo addita putarem atque exsulare juberem, nisi fieri quoque potuisset, ut error circa homœoteleuta omitteretur. Strothius. — Codicis regii lectionem firmat ms. quidem *Norfolc.* non autem cod. Savil. sive Bodl. contra quam Strothius propter Valesii silentium rem se habere putarat. Cæterum utroque loco πρῶτος καὶ δεύτερος codex habet Norfolc.

(68) Μετ' οὐ πολὺν καινοτομηθείσης. Christophorsonus vertit : *Quæ non multo post tempore de integro renovata.* Quam interpretationem probare non possum. Langus vero et Musculus fere eumdem sedsum ambo secuti sunt. Sic enim Dangus : *Et quæ præterea adversum Phrygum hæresim composuit quæ non multo post res novas in Ecclesiam induxit.*

Serapion Antiochenus, ap. Euseb. Hist. v, 19.

Ὅπως δὲ καὶ τοῦτο εἴδητε ὅτι τῆς ψευδοῦς ταύτης τάξεως τῆς ἐπικαλουμένης νέας προφητείας, ἐδδέλυκται ἡ ἐνέργεια παρὰ πάσῃ τῇ ἐν κόσμῳ ἀδελφότητι, πέπομφα ὑμῖν καὶ Κλαυδίου Ἀπολλιναρίου τοῦ μακαριωτάτου γενομένου ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας ἐπισκόπου γράμματα (66).

A Atque ut sciatis, inquit, qualiter universa quæ in terris est fraternitas operationem illam simulatæ factionis, quæ nova prophetia nominatur, aversata atque abominata est, beatissimi patris Claudii Apollinaris qui Hierapolitanæ urbis in Asia episcopus fuit, litteras ad vos misi.

Socrates (70) *Hist. eccles. lib.* III, *c.* 7, *catholicum de anima humana a Christo assumpta dogma referens, quod apud concil. Alexandrinum sub Athanasio anno* 362 *confirmatum est.*

Οὕτω γὰρ πάντες οἱ παλαιότεροι περὶ τούτου λόγον γυμνάσαντες, ἔγγραφον ἡμῖν κατέλιπον· καὶ γάρ Εἰρηναῖός τε καὶ Κλήμης, Ἀπολλινάριός τε ὁ Ἱεραπολίτης καὶ Σαραπίων ὁ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ προεστὼς Ἐκκλησίας, ἔμψυχον τὸν ἐνανθρωπήσαντα ἐν τοῖς πονηθεῖσιν αὐτοῖς λόγοις ὡς ὁμολογούμενον αὐτοῖς φάσκουσιν.

Ita enim omnes antiqui qui hac de re disputarunt, suam nobis sententiam scriptis proditam reliquerunt. Irenæus certe et Clemens, et Apollinaris Hieropolitanus, et Serapion Antiochenæ urbis episcopus, Christum, qui homo factus est, anima prædituin fuisse, velut rem communi omnium consensu B receptam suis in libris asserunt.

Hieronymus, Epist. ad Magnum, ep. 83, *spectans, ut censuit alicubi Fabricius, ad Apollinarii contra Montanistas et Encratitas scripta.*

Quid loquar de Melitone Sardensi episcopo, quid de Apollinario Hierapolitanæ Ecclesiæ sacerdote, Dionysioque Corinthiorum episcopo, et Tatiano et Bardesane, et Irenæo Photini martyris successore, qui hæresium singularum venena, ex quibus philosophorum fontibus emanarint, multis voluminibus explicarunt (71)?

Musculus vero in hunc modum : *Quæ non multopost tempore insolescere cœpit.* Possis etiam ita vertere : *Quæ non multo postea apertius publicata est.* VALES. — Dum Baronio ad an. 173, duplicem ortum Montanistarum hinc excogitanti se opponit Tillemontius *Mém. eccles.* tom. II, not. 1, ad *Montanistas*, monet vir doctissimus, narrare Eusebium, scripsisse contra Montanum Apollinarem primo ortu ejus, quem paulo post tempus de quo tunc agebat Eusebius, contigisse putat. Verterem igitur : *Quæ non longe postea excogitata est. tunc quidem quasi nasci incipiens.*

(69) Γράμματα Valesius quidem post Rufinum, C Hieronymumque *De viris ill.* cap. 41, ubi ex Eusebio hæc afferuntur, vertit *litteras ;* sed reddere se malle ait ad Hieron Fabricius *scripta*, quam litteras. Basnagio quoque *Annal politico-eccles* tom. II, p. 251, non discrepare hæc γράμματα videntur a libris *contra Cataphrygas*, seu Montanistas, quorum meminit Eusebius. « Secus » ait ille « de his quoque epistolis commemorasset in catalogo operum Apollinaris. » Porro ita Gallandius Prolegom. vol. I *Biblioth. PP.*, p. CXXI : « *Scripta* sive *libros* vocem γράμματα Latine reddere malumus cum Baluzio, *Nov. Concil. Collect.* p. 6, et Fabricio, quam *litteras* cum Lango ad *Niceph.* IV, 27 et Valesio. » *Litteras* prius verterant Musculus et Christophorsonus Eusebii interpretes. De ipso autem Apollinario et aliis hæc præterea habet Eusebius lib. V *Hist.*, c. 16 : Πρὸς μὲν τὴν λεγομένην Κατὰ Φρύγας αἵρεσιν ὅπλον ἰσχυρὸν καὶ ἀκαταγώνιστον ἐπὶ τῆς Ἱεραπόλεως τὸν Ἀπολλινάριον, οὗ καί πρόσθεν μνήμην ὁ λόγος ἐπε- D ποίητο ἄλλους τε σὺν αὐτῷ πλείους τῶν τηνικάδε λογίων ἀνδρῶν, ἡ τῆς ἀληθείας ὑπέρμαχος ἀνίστη δύναμις. Ἐξ ὧν καὶ ἡμῖν ἱστορίας πλείστη τις ὑπόθεσις καταλέλειπται. Dein vero ῥήσεις aliquas bene Idngas excerpsit Eusebius ex opere quodam contra Cataphrygas scripto, quod Apollinario quidem aliqui attribuere solent, sed male id factum esse Valesius ibidem monet. Halloixius quoque in *Vita* S. *Apollinarii* hoc opus ab ipso abjudicandum censuerat, etsi fragmenta ejus apposuit ibidem, quæ equidem postea ad initium sæculi tertii lectori sistam.

In eadem porro sententia est Gallandius, ubi supra. Sed ad hoc opus nullus dubito, quin verba pertineant auctoris *Lybelli synodici*, a Pappo et Justello primum editi : Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ, inquit. ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας συναθροισθεῖσα ὑπὸ Ἀπολλιναρίου τοῦ ταύτης ὁσιωτάτου ἐπισκόπου, καὶ ἑτέρων εἰκοσιὲξ ἐπισκόπων, ἀποκηρύξασά τε καὶ ἐκκόψασα Μοντανὸν καὶ Μαξιμίλλαν τοὺς ψευδοπροφήτας, οἳ καὶ βλασφήμως, ἤτοι δαιμονιῶντες, κακῶν φησιν ὁ αὐτὸς πατὴρ, τὸν βίον κατέστρεψαν. σὺν αὐτοῖς δὲ κατέκρινε καὶ Θεόδοτον τὸν σκυτέα. Apud *Concil. Labb. et Cossart.* tom. I, p. 599. Scilicet in opere *Contra Cataphrygas* ea saltem de morte Montani et Maximillæ referente Eusebio exstabant; neque alii fortasse origini debetur, quod de Theodoto coriario, qui Christum Deum esse negabat, hic novum et inauditum sequitur quippe cum ibi statim post commemoretur Montanista quidam nomine Theodotus.

(70) *Ait Socrates.* Similia Nicephoruss habet lib. X, cap. 14 *Hist. eccles.*

(71) *Explicarunt.* Hieronymus quidem in lib. *De viris ill.* cap. 18, ubi de Papia, ait, hunc mille annorum Judaicam edidisse δευτέρωσιν, addit, eum secutos esse « Irenæum et Apollinarem, et cæteros, qui post resurrectionem aiunt in carne Dominum cum sanctis regnaturum. » Verum designari hoc loco Apollinarem, Papiæ in sede Hierapolitana successorem, prohibet me credere alius Hieronymi locus in notis Fabricianis ibidem videndus ; ubi auctor, postquam Latinos scriptores, regni mille annorum defensores, memoravit, « Et ut Græcos nominem, addit, ut primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinaris, » etc., lib. XI *Comm. in Ezech.*, cap. 36. His autem verbis Apollinarem Laodicenum significari, sæculi quarti scriptorem, haud dubitabam, vel priusquam eumdem Hieronymum scribentem vidi in *Proœmio in lib.* XVIII *Comm. Isaiæ* respondisse Dionysio Alexandrino mille annorum, quam vocat Hieronymus, fabulam irridenti Apollinarem. Est igitur verisimile, ut hic sæculi secundi, quem attuli, pater, Apollinaris Hierapolitanus, Chiliastis eximendus esse videatur.

S. HEGESIPPUS

NOTITIA

(GALLAND., *Vet. Patrum Biblioth.*, II, Proleg. p. VII.)

I. *Quis Hegesippus et quantus vir. Ejus solertia in monumentis primævæ antiquitatis conquirendis.*
II. *Actuum ecclesiasticorum commentaria perscripsit. Quanto in pretio habitum ejusmodi opus. Quænam ex eo supersint.*
III *Hegesippus Ecclesiarum omnium de Christi divinitate consensionis locupletissimus testis. Ipsum in suas partes trahere frustra conantur Unitarii.*

I. Hegesippus, ex circumcisione Christi fidem amplexus, ἐν Ἑβραίων πεπιστευκώς, ut visum Eusebio (1), « vicinus apostolicorum temporum, » ex fide Hieronymi (2(, sæculo II ineunte natus existimatur.Hic autem *vir antiquus et apostolicus*, ἀρχαῖός τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός (3), ex Judæa fortasse digressus, longum iter Romam usque suscepisse ex iis quæ de se ipso tradit (4) comperitur.Compluribus itaque provinciis peragratis,cum viris doctrina et pietate præstantibus sermones habuit ; ecclesiarum interim origines et episcoporum successiones solerter conquirens. Corinthi dum ageret ubi haud paucos dies commoratus est,de illius Ecclesiæ statu sciscitatus,intellexit Corinthios in recta fide permansisse usque ad Primum ejus urbis episcopum, quocum et familiariter versatus est.Romam deinde contendit ; quo cum pervenisset, sedente Aniceto, successionis tabulam usque ad ipsum Anicetum confecit ; quam deinceps ad Eleutherum usque deduxit successorem Soteris, qui Anicetum decessorem habuerat.In singulis autem episcoporum successionibus,et per singulas urbes, eamdem fidem viguisse, eodemque mansisse quæ per legem et prophetas et a Domino ipso prædicata fuerant, enarrat.

II. His itaque primævæ antiquitatis præsidiis instructus Hegesippus, « multisque, » ut cum Hieronymo loquar (5), » ad utilitatem legentium pertinentibus hinc inde congregatis, omnes a passione Domini usque ad suam ætatem, ecclesiasticorum actuum texens historias,quinque libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur,dicendi quoque exprimeret characterem. » — « In quibus quidem, » inquit Eusebius (6), « apostolicæ prædicationis narrationem complexus, luculentissima fidei suæ testimonia nobis reliquit. » Supremum diem obiit Hegesippus, si fides Chronici Paschalis auctoris, quo tempore rerum potiebatur Commodus, Olympiade CCXXXIX. Sic enim ille (7) : Ἐπὶ τούτου (Κομόδου) Ἡγήσιππος τελειοῦται, περὶ τῶν ἀποστόλων μεγάλως συγγραψάμενος, ὡς ἱστορεῖ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου. *Hoc imperante (Commodo), decessit Hegesippus, qui de apostolis eximie scripsit, ut testatur Eusebius Pamphili.*Meminit etiam Hegesippi Sozomenus (8), eumque « virum sapientissimum » appellat,qui ad sua usque tempora Ecclesiæ historiam perduxerit.

Verum magno ecclesiasticæ antiquitatis damno ejus ὑπομνήματα interciderunt, si aliquot præclari operis fragmenta, et quidem illustria,excipias.Sunt autem ejusmodi : I. *De historia martyrii Jacobi, fratris Domini.* II. *De propinquis Salvatoris nostri.* III. *De Symeonis Clopæ filii, Hierosolymorum episcopi, martyrio.* IV. *De tempore quo floruit ipsemet Hegesippus.* V. *De sua profectione ad urbem Romam, et de sectis Judaicis.* Ea vero primum collegit Halloixius (9), deinde Grabius (10) : quos et nos secuti, ex Eusebio, Photio et Syncello protulimus, additis potissimum Valesii V.C.animadversionibus, quibus etiam nonnulla ex aliis subjecimus Sed ad fragmentum 1 quod attinet, haud omittas velim Dissertationem celeberrimi Antonii Arnaldi cum notis doctissimi Tillemontii margini appositis, quam ad calcem tomi I *Monumentorum ecclesiasticorum* ejusdem Tillemontii legere est.

III. Porro illud observare præstat cum cl. Marano (11), Hegesippum æqualem Irenæo (uterque enim sub Eleuthero scribebat) ecclesiarum omnium de Christi divinitate consensionis testem locupletissimum exstitisse.Ipse namque apud Eusebium (12) testatur « se,cum Romam proficisceretur,plurimos episcopos adiisse,et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam. » Paucisque interjectis, subdit ; Ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ, καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται καὶ ὁ Κύριος. *In singulis autem episcoporum successionibus, et per singulas urbes eadem manent, quæ*

(1) Euseb. *Hist. eccle.* lib. IV, cap. 22.
(2) Hieron. *De vir. illustr.*, capp. 2 et 22.
(3) Steph. Gobar. apud Phot. cod. 232.
(4) Heges. apud Euseb. l. c.
(5(Hieron. l. c.
(6) Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, capp. 8 et 22.
(7) *Chron. Pasch.* pag. 262, al. 210.
(8) Sozom. *Hist. eccl.* lib. I, cap. 1.
(9) Halloix. *Script. Orient.* tom.II, pagg. 705-715.
(10) Grab. *Spicil. SS. PP.* tom. II, pagg. 205-213.
(11) Maran. *Divinit. D. N. J. C.* lib. II, cap. 5, § 3, pag. 231.
(12) Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 22.

per legem ac prophetas, et a Domino ipso prædicata sunt. Quæ quidem ex eodem Eusebio excerpta, paulo superius nos protulisse meminimus.

Cum itaque res sic se habeat, « luce clarius est, » ait laudatus Maranus, « Hegesippum eodem ac S. Irenæum tempore scribentem, eosdemque refellentem hæreticos, hanc ecclesiarum consensionem non alio quam Irenæum consilio, nec alios in usus prædicare. Repugnat enim ut S. Irenæus fidem in Deum incarnatum toto orbe vigere, iste vero Christum ab omnibus simplicem hominem existimari testetur. Non tamen pudet Unitarios Hegesippum suo gregi ascribere, et consensum Ecclesiæ quem hæreticis Deum incarnatum negantibus objicit, sic interpretari, quasi universa Ecclesia Christum simplicem hominem consensisset. »

Sed orthodoxam tanti Patris doctrinam de Christi divinitate, contra impios conatus strenue tuetur vir doctissimus, ubi « de consensu sectarum cum ecclesiis catholicis, ac primo de Nazaræis » sermonem habet : cujus proinde verba in medium proferre præstat.

« In Nazaræorum secta, inquit (13), Sociniani præsidium causæ suæ constituunt, et Hegesippum quem Eusebius ex circumcisis Christianis fuisse opinatur, patronum sibi asciscunt. Præter auctorem *Irenici Irenicorum*, qui se de Nazaræis et de Hegesippo passim venditat (14), duo ejusdem notæ scriptores apud Bullum citantur (15), qui non Hegesippum solum, sed omnes etiam Orientis et Occidentis Ecclesias, quarum consensum laudat Hegesippus, hæresi suæ ascribunt. Hos more suo compilat auctor *Platonismi detecti* (16). Sic autem apud Bullum (17) auctor libri illius qui *Judicium Patrum* inscribitur, suam et gregalium sententiam exponit. « Primo, » inquit, « Hegesippus fuit ipse Judaico-Christianus, ut Eusebius testatur (18); omnes vero Judaico-Christiani, teste Origene, Ebionitæ fuere. II. Idem Eusebius l. c. dicit Hegesippum usum fuisse S. Matthæi Hebraico Evangelio, quo solo usi sunt Ebionitæ et Unitarii Christiani. III. Hegesippus apud Eusebium ibidem catalogum exhibens hæreticorum qui vel ex Judæis erant, vel inter gentiles exorti sunt, in eo catalogo minime recenset Cerinthianos vel Ebionitas ; quod procul dubio fecisset, si Servatoris nostri præexsistentiam ac divinitatem ipse credidisset. » His præmissis, sic de omnibus Ecclesiis arbitrium facit : « Ait Hegesippus apud Eusebium (19), se Romam profectum fuisse, atque ibi vixisse sub papis Aniceto, Sotere et Eleuthero, ibique et in aliis omnibus episcopatibus, doctrinas a lege et prophetis atque a Servatore nostro traditas, conservatas fuisse. Verbo, fatetur se invenisse Ecclesias ubique orthodoxas et uniformes. Hoc autem, si Unitarius fuit Hegesippus (quod me probasse arbitror) nihil aliud significare potest, quam credidisse Ecclesias illas cum Judaico-Christianis, Christum Dominum hominem esse prophetam et legatum Dei, super quem Logos sive divinum Verbum acquievit. »

« Hic operæ pretium est animadvertere quam aperte secum pugnent Sociniani, quam impie in rebus maxime seriis ludificent, dum Hegesippum et laudatum ab eo Ecclesiarum consensum ad usus suos adjungunt. Qui enim id quadrare possit cum eorum principiis ? Scribebat Hegesippus sub Eleuthero, quem postremum ex Romanis episcopis recenset, id est annis fere quadraginta, postquam Justinus a quo Platonismum inductum volunt, animum ad religionis defensionem appulerat. Necesse est ergo sanctus martyr operam luserit in docendo Platonismo : jamque alii novitatis auctores quærendi, si veritas tanto post in omnibus Ecclesiis summo consensu vigebat. Deinde vero errorem fatentur non subito in Ecclesiam irrupisse, sed quibusdam veluti gradibus obrepentem, sub Victore dominari incœpisse. Sed si sub Eleuthero ne cognitus quidem, sub ejus successore ubique regnavit ; non jam leviter insinuatus est, sed potius intra novem annos (amplius enim Victor non sedit) totum orbem terrarum rapido quodam incendio pervasit.

« Sed si hæc de Hegesippi et omnium Ecclesiarum Ebionismo commenta, ne cum Socinianis quidem commentis congruunt ; multo minus cum ipsius Hegesippi testimonio congruent. Is enim, ut modo observavimus, objiciebat Marcionitis, Valentinianis et aliis hujusmodi hæreticis consensum omnium Ecclesiarum. In quo antea posita erat Ecclesiæ cum his hæresibus controversia ? In eo quod mundum hæretici a Filio Dei creatum negarent, eumque in uterum Virginis descendisse et veram carnem assumpsisse. Hunc igitur errorem detestabatur Hegesippus cum omnibus catholicis ; et mundum a Filio Dei creatum, veramque carnem ab eodem assumptam credebat ; quæ sententia pugnat adversa fronte cum Ebionitarum erroribus.

« Quod autem Evangelium secundum Hebræos ab Hegesippo citatum, et Ebionitas ab eodem in recensendis hæreticis omissos objiciunt ; satis est cum erudito Bullo respondere, idem Evangelium a Clemente, Origene et Hieronymo citatum fuisse ; Ebionitas pariter a Justino hæreses recensente prætermissos ; vel potius et a Justino generatim comprehensos, et ab Hegesippo, dum pseudochristos, pseudoprophetas, pseudoapostolos commemorat (20). His adde, hanc hæresim obscuram admodum et ad paucissimos redactam fuisse, ut mirum non sit eam prætermitti. Erant enim his sæculis de Christi

(13) Maran. l. c. cap. 7, pag. 246, seq.
(14) Zwick. *Iren. Irenic.*, pagg. 73 et 111.
(15) Bull. *Primit. et apostol. Tradit.* cap. 3. pag. 12, seq,
(16) *Platon. dévoil.* part. II, cap. 22.
(17) Bull. l. c., pag. 12, § 2, seqq.
(18) Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 22.
(19) Euseb. ibid.
(20) Heges. apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 22.

carne multo acriores, quam de divinitate controversiæ. »

His ita enarratis, paulo post V. C. disputationem suam de Hegesippo claudit his verbis (21) : « Si Hegesippum Eusebius inter Nazaræos numeravit, ut concludunt Sociniani ex illius verbis (22) : Ἐκ τε τοῦ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγελίου, καὶ ἰδίως ἐκ τῆς Ἑβραΐδος διαλέκτου τινὰ τίθησιν, ἐμφαίνων ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι. *Nonnulla item ex Hebræorum Evangelio, et ex Hebraica lingua profert in medium, satis per hæc aperte significans se ex Hebræis credidisse ;* si hæc, inquam, verba valent, ut Eusebius Hegesippum Nazaræum existimaverit; non dubium quin Nazaræos ab Ebionitis longe discreverit. Eum enim, non secus ac Justinum, inter egregios veritatis patronos numerat (23), qui non solum viva voce, sed etiam scriptis disputationibus adversus impias hæreses decertarunt. » Hactenus cl. Maranus.

SANCTI HEGESIPPI

FRAGMENTA EX QUINQUE LIBRIS.

COMMENTARIORUM ACTUUM ECCLESIASTICORUM.

I.

De historia martyrii Jacobi, fratris Domini, ex libro V. — *Apud Eusebium*, Hist. eccl. *lib.* II, *cap.* 23.

Ecclesiæ administrationem una cum apostolis suscepit Jacobus frater Domini, qui jam inde a Christi temporibus ad nostram usque ætatem Justus cognominatus est. Nam multi quidem eodem nomine Jacobi vocabantur ; sed hic ab ipso matris utero sanctus fuit. Nec vinum unquam bibit, nec siceram ; ab animantium carnibus penitus abstinuit ; comam nunquam totondit ; neque ungi, neque lavare balneo corpus unquam solitus. Unus ex omnibus in intimum templi sanctuarium ingrediendi

Διαδέχεται (24) δὲ τὴν Ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων (25), ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὑπὸ πάντων Δίκαιος (26) ἀπὸ τῶν τοῦ Κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν. Ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο· οὗτος δὲ ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ἅγιος ἦν. Οἶνον καὶ σίκερα οὐκ ἔπιεν, οὐδὲ ἔμψυχον ἔφαγεν· ξυρὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐκ ἀνέβη· ἔλαιον οὐκ ἠλείψατο, καὶ βαλανείῳ οὐκ ἐχρήσατο. Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν (27) εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι· οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας. Καὶ μόνος εἰσήρχετο (28) εἰς τὸν

(21) Maran. l. c., pag. 250.
(22) Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 22.
(23) Euseb. *ibid.*, cap. 7.
(24) Διαδέχεται. Fragmentum istud integrum recitat Georgius Syncellus in *Chronograph.* p. 337, velut ex ipso Hegesippo descriptum. Sic enim ibi : Ἡγησίππου μαθητοῦ τῶν ἀποστόλων ἐκ τοῦ ε' ὑπομνήματος περὶ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου.

(25) Μετὰ τῶν ἀποστόλων. Hieronymus in Catalogo hunc locum ita vertit : *Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post apostolos frater Domini Jacobus.* Quasi legeretur μετὰ τοὺς ἀποστόλους. Longe rectius adversarius Hieronymi Rufinus interpretatus est *cum apostolis.* Nam apostoli una cum Jacobo episcopo Hierosolymitanam rexerunt Ecclesiam. Quare perperam Rufinus in cap. 2 hujus libri, Jacobum apostolorum episcopum nominavit. Atqui Clemens, cujus verba illic interpretatur Rufinus, Jacobum non apostolorum, sed Hierosolymorum episcopum factum esse dicit. Porro Rufinus id hausisse videtur ex Clementis *Recognitionibus*, quas vel ipse, vel Paulinus Latine vertit. Nam in lib. II, ejus operis Clemens, Jacobum fratrem Domini, quem ipse archiepiscopum nominat et principem episcoporum, episcopali auctoritate apostolis omnibus præcipientem induxit.

(26) Ὁ ὑπὸ πάντων δίκαιος. Post hæc verba in codice Maz. ac Fuk. apposita est distinctio. Quam quidem interpunctionem secutus videtur Rufinus. Sic enim vertit : « Suscepit Ecclesiam cum apostolis frater Domini Jacobus, qui ab omnibus cognominatus est Justus, ab ipsis Domini temporibus præclarus usque ad nos. » Verum in codice Regio, ac Med., et apud Nicephorum nulla est ascripta distinctio post vocem δίκαιος, sed totus locus uno spiritu continuatur hoc modo : Ὁ ὑπὸ πάντων Δίκαιος ἀπὸ τῶν τοῦ Κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν. Id est : *Qui ab ipsis Christi temporibus usque ad nostram ætatem Justus ab omnibus cognominatus est.* Et hanc quidem distinctionem in interpretatione mea sequi malui, post Musculum et Christophorsonum : quippe quæ certior, et sequentibus Hegesippi verbis magis congruere mihi videretur. Subjicit enim Hegesippus : Ἐπεὶ πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο, etc. Quæ verba sine dubio referuntur ad ea, quæ præcesserunt : Ὁ ὑπὸ πάντων Δίκαιος. Reddit enim rationem Hegesippus, cur Jacobus Justus ab omnibus cognominatus sit. Quippe, inquit, multi fuere Jacobi : sed hic præ cæteris justitia excelluit, ut multis argumentis deinceps probat Hegesippus. Deinde si priorem distinctionem sequamur cum Rufino, falsum erit illud quod sequitur, Jacobum scilicet episcopum a temporibus Domini usque ad Hegesippi ætatem permansisse. Nam Jacobus quidem Justus cæsus est Neronis principatu ; Hegesippus vero Antoninorum temporibus floruit, ut superius observavi.

(27) Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν, etc. Totum hunc Hegesippi locum jampridem examinavit Scaliger in *Animadversionibus Eusebianis* pag. 178, multaque in eo reprehendit, quæ operæ pretium erit legere. Adde etiam, quæ adversus Scaligeri censuram scripsit Dionysius Petavius in notis ad hæresim 78 Epiphanii, et P. Hailloixius in notationibus ad Vitam Hegesippi cap. 3.

(28) Καὶ μόνος εἰσήρ. Syncell. καὶ μόνον ὅτε εἰσήρ. Reliqua deinceps omittimus.

ναόν· ἠρείσκετό τε κείμενος ἐπὶ τοῖς γόνασι, καὶ αἰ- A
τούμενος ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἄφεσιν· ὡς ἀπεσκληκέναι
τὰ γόνατα αὐτοῦ δίκην καμήλου, διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν
ἐπὶ γόνυ (29) προσκυνοῦντα τῷ Θεῷ, καὶ αἰτεῖσθαι
ἄφεσιν τῷ λαῷ. Διά γέ τοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιο-
σύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο Δίκαιος καὶ Ὠβλίας (30)· ὅ
ἐστιν Ἑλληνιστὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη, ὡς
οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ. Τινὲς οὖν τῶν ἑπτὰ
αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ, τῶν προγεγραμμένων μοι (31)
ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ἐπυνθάνοντο αὐτοῦ, τίς ἡ θύρα
τοῦ Ἰησοῦ (31). Καὶ ἔλεγε τοῦτον εἶναι τὸν Σωτῆρα.
Ἐξ ὧν τινες ἐπίστευσαν, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός.
Αἱ δὲ αἱρέσεις αἱ προειρημέναι, οὐκ ἐπίστευον οὔτε
ἀνάστασιν (33), οὔτε ἐρχόμενον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ
κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ὅσοι δὲ καὶ ἐπίστευσαν, διὰ
Ἰάκωβον (34). Πολλῶν οὖν καὶ τῶν ἀρχόντων πιστευ- B
όντων, ἦν θόρυβος τῶν Ἰουδαίων καὶ Γραμματέων
καὶ Φαρισαίων λεγόντων, ὅτι κινδυνεύει πᾶς ὁ λαὸς
Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν προσδοκᾶν. Ἔλεγον οὖν συνελ-
θόντες τῷ Ἰακώβῳ· « Παρακαλοῦμέν σε· ἐπίσχες τὸν
λαὸν, ἐπεὶ ἐπλανήθη εἰς Ἰησοῦν, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ
Χριστοῦ. Παρακαλοῦμέν σε πεῖσαι πάντας τοὺς ἐλ-
θόντας εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ Πάσχα περὶ Ἰησοῦ. Σοὶ
γὰρ πάντες πειθόμεθα· ἡμεῖς γὰρ μαρτυροῦμέν σοι
καὶ πᾶς ὁ λαὸς, ὅτι δίκαιος εἶ, καὶ ὅτι πρόσωπον οὐ
λαμβάνεις. Πεῖσον οὖν σὺ τὸν ὄχλον περὶ Ἰησοῦ μὴ
πλανᾶσθαι· καὶ γὰρ πᾶς ὁ λαὸς καὶ πάντες πειθό-
μεθά σοι. Στῆθι οὖν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, ἵνα
ἄνωθεν ᾖς ἐπιφανὴς, καὶ ᾖ εὐάκουστά σου τὰ ῥήματα
παντὶ τῷ λαῷ διὰ γὰρ τὸ Πάσχα συνεληλύθασι πᾶ-
σαι αἱ φυλαὶ (35) μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν (36). » Ἔστη-
σαν οὖν οἱ προειρημένοι Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι C
τὸν Ἰάκωβον ἐπὶ τὸ πτερύγιον του ναοῦ, καὶ ἔκρα-

jus, facultatemque habebat. Neque enim lanicio, sed linea tantum veste utebatur. In templum solus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis populi supplex Deum orare consueverat; adeo ut genua ipsius instar cameli occalluerint, dum assidue Deum venerans, et pro salute populi vota faciens humi sterneretur. Hic ergo ob singularem justitiam cognominatus est Justus, et Oblias; quod Latine munimentum populi, et justitiam significat, quemadmodum etiam prophetæ de eo prædixerunt. Quidam autem ex septem sectis, quæ apud Judæos erant, de quibus in superioribus libris scripsisse meminimus, interrogarunt eum, quodnam esset ostium Jesu. Quibus ille Jesum esse Servatorem respondit. His auditis; nonnulli eorum Jesum revera Christum esse crediderunt. Suprascriptæ vero sectæ nec resurrectionem, nec futurum Christi adventum, ut unicuique pro meritis mercedem tribuat, credebant. Quotquot vero ex iis crediderunt, Jacobi opera ac ministerio utique crediderunt. Cum ergo multi ex ipsis etiam primoribus crederent, tumultuari cœperunt Judæi, et Scribæ ac Pharisæi; eo jam ventum esse clamantes, ut prope omnis populus Jesum Christum exspectaret. Proinde in unum congregati Jacobum adeunt, hisque eum verbis compellant: « Hortamnr te, inquiunt, ut populi errorem comprimas, qui falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi Christus esset. Persuade igitur omnibus, qui festo Paschæ die huc conveniunt, ut de Jesu recte sentiant. Tibi enim omnes fidem habemus; et cum universo populo hoc tibi testimonium perhibemus, justissimum te virum esse, nec ullum apud te personarum discrimen valere. Proinde plebi persuade,

(29) Διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν ἐπὶ γόνυ. Duæ postremæ voces absunt a codice Fuk., et apud Nicephorum. Verum in codice Maz. ac Med. totus hic locus ita legitur: Διὰ τὸ ἀεὶ κάμπτειν προσκυνοῦντα τῷ Θεῷ τὰ γόνατα.

(30) Ἐκαλεῖτο Δίκαιος καὶ Ὠβλίας. Nicolaus Fuilerus in lib. III *Miscellaneorum sacrorum*, hunc locum sic emendat: Ἐκαλεῖτο Σαδδὶκ καὶ Ὡζλιὰμ, ὅ ἐστιν δίκαιος, καὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ. Quam doctissimi viri emendationem libenter amplector. Tamen cum Epiphanius in hæresi 78, et Jovius monachus, quem vulgo male Jobium vocant, Jacobum Obliam dictum esse testentur, retinenda est vulgaris lectio; maxime cum Ophlias Hebraice arcem populi significet Sed et Rufinus atque Nicephorus vulgatam lectionem tuentur.

(31) Τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων... τῶν προγεγραμμένων μοι. Locus Hegesippi, in quo de septem Judaici populi sectis se scripsisse testatur, exstat in libro IV Eusebii nostri, cap. 22. Ad quem locum, Deo juvante, plura dicturi sumus de septem illis sectis.

(32) Τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ. Ostium hoc loco est introductio, seu institutio atque initiatio. Ostium igitur Christi nihil est aliud, quam fides in Deum Patrem, et in Filium, ac Spiritum sanctum. De hoc ostio dicitur in Psalmis: *Hæc est porta Domini, et justi intrabunt per eam*, ut explicat Clemens in libro VI Στρωματέων. Et ostium quidem Joannis Baptistæ erat pœnitentia; Christi vero ostium est remissio peccatorum, quæ fit per baptismum.

(33) Οὐκ ἐπίστευον οὔτε ἀνάστασιν. Male Rufinus, eumque secutus Christophorsonus vertit, *non crediderunt*, quasi legeretur, οὐκ ἐπίστευσαν. Longe melius Musculus vertit, *non credunt*. Nam Græca vox hanc habet significationem. Falsum tamen est, eas sectas non credisse resurrectionem. Nam Pharisæi eam credebant.

(34) Ὅσοι δὲ καὶ ἐπίστευσαν, διὰ Ἰάκωβον. Vox ἐπίστευσαν iterum repetenda est; quod virgula illa, quæ in manuscriptis etiam codicibus appicta est, satis declarat. In vetustissimo codice Mazarine post ἐπίστευσαν punctum ascriptum est ad pedes litteræ, quod virgulæ nostræ respondet; et Græce quidem vocatur ὑποστιγμή, a Latinis autem subdistinctio.

(35) Πᾶσαι αἱ φυλαί. Hæc item immerito carpit Scaliger, scribens « duas tantum tunc tribus fuisse, Benjamin et Juda. » Sed, ut recte monet Grabius, quo modo Hegesippus, eo item Paulus apostolus loquitur Act. XXVI, 7, memorans *duodecim tribus nocte ac die deservientes in spem repromissionis factam a Deo.* Sanctus quoque Jacobus suam inscribit Epistolam *duodecim tribubus quæ sunt in dispersione*, I, 1. Videsis in hanc sententiam, Calmeti dissertationem ad Ezechielem, *De reditu decem tribuum.*

(36) Μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν. Merito Scaligerum hic reprehendit Dionysius Petavius, quod negasset, licuisse ulli gentili interesse festis diebus Judæorum Nam præter locum illum, quem citat Petavius ex Evangelio Joannis cap. XII, plurima suppetunt Josephi testimonia, e quibus discimus, gentiles azymorum solemnitati sæpius interfuisse. Certe Vitellius legatus Syriæ festo Paschæ ingressus est Hierosolyma. et a Judæis honorifice exceptus, ut legitur in lib· XVIII *Originum Judaicarum*, cap. 6. Idem de Quadrato legato Syriæ in lib. XX scribit.

ne circa Jesum deinceps aberret; nam et universus populus, et nos libenter tibi obtemperamus. Ascende igitur in fastigium templi, ut in sublimi loco positus, ab omnibus conspici et exaudiri facile possis; nam Paschalis solemnitatis gratia, cunctæ Judæorum tribus, et ex gentibus non pauci huc convenerunt. » Posthæc supradicti Scribæ et Pharisæi cum Jacobum in fastigio templi collocassent, contenta voce sic eum alloqui cœperunt: « O Juste, cui nos omnes fidem adhibere par est, quandoquidem populus omnis errat, Jesum sectans crucifixum, doce nos, quod sit ostium Jesu suffixi cruci. » Tunc Jacobus edita voce iis respondit: « Quid me, inquit, interrogatis de Jesu filio hominis? Ipse sedet in cœlo a dextris summæ virtutis, et venturus est in nubibus cœli. » Cumque multi hoc Jacobi testimonio confirmati glorificarent Jesum, dicentes: « Osanna filio David, » tunc iidem Scribæ ac Pharisæi inter se collocuti: « Male, inquiunt, fecimus, qui tanto, testimonio Jesum ornaverimus. Verum ascendamus, eumque præcipitem dejiciamus, ut cæteri conterriti fidem illi habere desinant. » Conclamare deinde cœperunt, ac dicere: « O o, ipse etiam Justus erravit. » Et impleta sunt ea, quæ apud Isaiam scripta sunt: *Tollamus e medio justum, quia molestus est nobis; propterea*

A ξαν αὐτῷ καὶ εἶπον· « Δίκαιε, ᾧ πάντες πείθεσθαι ὀφείλομεν, ἐπεὶ ὁ λαὸς πλανᾶται ὀπίσω Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος, ἀπάγγειλον ἡμῖν τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ (37) τοῦ σταυρωθέντος. » Καὶ ἀπεκρίνατο φωνῇ μεγάλῃ· « Τί με ἐπερωτᾶτε περὶ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου; Καὶ αὐτὸς κάθηται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐκ δεξιῶν τῆς μεγάλης δυνάμεως, καὶ μέλλει ἔρχεσθαι ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. » Καὶ πολλῶν πληροφορηθέντων, καὶ δοξαζόντων ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου, καὶ (38) λεγόντων Ὡσαννὰ (39) τῷ υἱῷ Δαβίδ, τότε πάλιν οἱ αὐτοὶ Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι πρὸς ἀλλήλους ἔλεγον. « Κακῶς ἐποιήσαμεν τοιαύτην μαρτυρίαν παρασχόντες τῷ Ἰησοῦ (40). Ἀλλὰ ἀναβάντες, καταβάλωμεν αὐτόν, ἵνα φοβηθέντες μὴ πιστεύσωσιν αὐτῷ. » Καὶ ἔκραξαν λέγοντες. « Ὦ ὤ, καὶ ὁ Δίκαιος ἐπλανήθη. »

B Καὶ ἐπλήρωσαν τὴν Γραφὴν τὴν ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ (41) γεγραμμένην· Ἄρωμεν (42) τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι· τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται· Ἀναβάντες οὖν κατέβαλον τὸν Δίκαιον, καὶ ἔλεγον ἀλλήλοις. « Ἀθάσωμεν Ἰάκωβον τὸν Δίκαιον. » Καὶ ἤρξαντο λιθάζειν αὐτόν, ἐπεὶ καταβληθεὶς οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ στραφεὶς ἔθηκε τὰ γόνατα λέγων· « Παρακαλῶ, Κύριε Θεὲ Πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσιν. » Οὕτω δὲ καταλιθοβολούντων αὐτόν, εἷς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥηχάβ

(37) Ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ. Observat Pearsonius *Vindic. epist. Ignat.* part. II, p. 153, Christum ipsum dixisse Joan. x, 9: Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα· quod sane dictum apostolicis temporibus maxime fuisse de Christo usurpatum, ex hoc Hegesippi loco aperte colligitur.

(38) Καὶ λεγόντων Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Scaliger in *Animadversionibus Eusebianis* hæc de Jacobo dicta esse existimavit; cui in eo quidem facile assentior. Sed quod negat idem Scaliger Jacobum filium David dici potuisse, in hoc graviter hallucinatur. Fuit enim Jacobus filius Josephi, ac proinde oriundus ex stirpe David. Porro verissimum est, quod ait Scaliger, eos qui Qsanna acclamabant, palmas manibus gestare debuisse; cujus rei illustre exemplum est in *Itinerario Hierosolymitano* Antonini monachi pag. 30. Ex quo discimus, morem olim fuisse Christianorum, ut episcopis ac presbyteris advenientibus obviam procedentes honoris causa, acclamarent Osanna: « Ibi venerunt mulieres in occursum nobis cum infantibus, palmas in manibus tenentes, et ampullas cum rosaceo oleo: et prostratæ pedibus nostris, plantas nostras ungebant, cantabantque lingua Ægyptiaca psallentes antiphonam: *Benedicti vos a Domino benedictusque adventus vester, Osanna in excelsis.* » Idem testatur C etiam Hieronymus in cap. xxi Matthæi: « Videant ergo episcopi, et quantumlibet sancti homines, cum quanto periculo dici ista sibi patiantur: si Domino, cui vere hoc dicebatur (quia necdum erat solida credentium fides) pro crimine impingitur. » Cæterum voces illas *Osanna filio David*, quas a quibusdam Judæis acclamatas tunc fuisse dicit Hegesippus, non immerito quis existimet de Christo potius, quam de Jacobo, intelligi oportere. Nam cum Jacobus in fastigio templi positus, Jesum revera Christum esse, ac Redemptorem generis humani prædicasset; Judæi quidam Christi fidem amplectentes, acclamare cœperunt *Osanna filio David*, id est, Jesu Christo palma et victoria.

(39) Ὡσαννά. In omnibus nostris exemplaribus duo sunt vocabula ὡς ἀννά. Ita etiam apud Hieronymum in Interpretatione nominum Hebraicorum: « *Osanna; salvifica,* quod Græce dicitur ὡς ἀννά· Utrumque autem nomen per extensam litteram legendum. » Id est, *Osanna* tam in Hebræa, quam in Græca lingua primam syllabam producit. Isidorus quoque in libro VI *Originum*. Osanna ex duobus vocabulis Osi et Anna compositum esse testatur, elisa scilicet una littera, sicut in versibus cum scandimus. « *Osi* enim *salvifica* interpretatur: *Anna* interjectio est, motum animi significans sub deprecantis affectu. » Quæ Isidori verba desumpta sunt ex Hieronymi epistola 145, *ad Damasum*. Eadem fere habet Augustinus in lib. *De doctrina Chr.* cap. 11.

(40) Τῷ Ἰησοῦ. Grabius conjicit legendum τῷ Ἰακώβῳ, vel τῷ Ἰησοῦ μαθητῇ. Sed frustra. Videtur enim Hegesippus id innuere, questos nimirum fuisse Pharisæos, quod ipsemet *effecerint*, vel ansam *præbuerint* Jacobo, ut adeo illustre testimonium Jesu Christo perhiberet; quo quidem testimonio plures e populo permoti et confirmati, eumdem Salvatorem glorificarunt. Hoc sensu accipiendam puto vocem παρασχόντες.

(41) Ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ· Memoria lapsum esse Hegesippum affirmat Scaliger; neque enim hunc locum apud Isaiam exstare, sed in libro qui inscribitur *Sapientia Salomonis* cap. II. Sed fallitur ipsemet Scaliger qui Hegesippum temere reprehendit. Revera enim hic locus legitur in Isaia cap. III: Δήσωμεν τὸν δίκαιον ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι· τοίνυν τὰ γεννήματα τῶν ἔργων αὐτῶν φάγονται. Ita quidem legitur in editione Romana. Verum Justinus in *Dialogo* adversus Tryphonem diserte testatur in editione LXX interpretum scriptum fuisse ἄρωμεν τὸν δίκαιον, pro quo Judaici interpretes δήσωμεν verterant. Justini lectionem confirmat etiam Tertullianus in lib. III *contra Marcionem*, cap. 22: « Venite, inquiunt, auferamus Justum, quia inutilis est nobis. » Sed et in eo fallitur, quod apud Rufinum pro Isaia Jeremiam scribi dicit. Porro Hegesippus hunc Isaiæ locum quem dixi, in mente habuit paulo supra, cum diceret Jacobum a prophetis Justum esse appellatum: ἐκαλεῖτο Δίκαιος ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ.

(42) Ἄρωμεν, κ. τ. λ. Locus exstat Isaiæ III, 10. Vide Justinum *Dial. cum Tryphone* n. 17, 133, 136. Sed in primis n. 137 quo hic respexit Valesius.

υἱοῦ Ῥαχαβείμ (43) τῶν μαρτυρουμένων ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, ἔκραζε λέγων· « Παύσασθε,τί ποιεῖτε (44) ; Εὔχεται ὑπὲρ ἡμῶν ὁ Δίκαιος.» Καὶ λαβών τις ἀπ' αὐτῶν εἷς τῶν γναφέων τὸ ξύλον (45) ἐν ᾧ ἀπεπίεζε τὰ ἱμάτια (46), ἤνεγκε κατὰ τῆς κεφαλῆς τοῦ Δικαίου. Καὶ οὕτως ἐμαρτύρησεν· καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ (47), καὶ ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει πρὰ τῷ ναῷ (48).Μάρτυς οὗτος ἀληθὴς Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι γεγένηται, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστιν. Καὶ εὐθὺς Οὐεσπασιανὸς πολιορκεῖ τὴν Ἰουδαίαν, αἰχμαλωτίσας αὐτούς (49).

A *fructum operum suorum manducabunt.* Mox ergo conscendentes, eum præcipitem egerunt,et inter se dixerunt:«Lapidemus Jacobum justum.» Cœperunt igitur lapidibus eum impetere ; quoniam præcipitatus non statim mortem obierat, sed conversus flexis genibus orabat dicens : « Domine et Deus Pater,rogo ut ignoscas illis,quia nesciunt quid faciunt. » Cumque hominem saxis obruerunt,unus e sacerdotibus ex filiis Rechab filii Rechabim, qui Jeremiæ suffragio commendati sunt,contenta voce : « Parcite, inquit, quid facitis ? Justus orat pro nobis.» Interim unus ex iis, fullo, arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Justi percussit. Atque ita felici martyria vitam finiit ; sepultus est eodem in loco, manetque adhuc cippus illius prope templum. Hic Jacobus, tum Judæis, tum Græcis locuples fuit testis, Jesum vere Christum fuisse. Nec multo post obsidio Vespasiani, et Judæorum captivitas subsecuta est.

II.

De propinquis Salvatoris nostri. — Apud eumdem Eusebium. Hist. eccl. *lib.* III, *cap.* 20.

Ἔτι δὲ περιῆσαν οἱ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου υἱωνοὶ

His temporibus adhuc supererant quidem ex co-

(43) Γιοῦ Ῥαχαβείμ. Merito Nicephorus hæc duo vocabula expunxit, ut jampridem notavit Scaliger, tum in *Animadversionibus Eusebianis*, tum in *Elencho Trihæresii*, cap. 25. Sed tamen cum apud Rufinum legantur, et in omnibus nostris exemplaribus exstent, ferri commode possunt. Ac si rem attentius expendamus, non sunt tam inepta atque insulsa, ut putavit Scaliger, Εἷς τῶν ἱερέων τῶν υἱῶν Ῥηχὰβ υἱοῦ Ῥαχαβείμ, *Unus ex sacerdotibus de filiis Rechab filii Rechabim* Idem enim est,ac si diceret : Unus ex sacerdotibus,filius Rechab de genere Rechabitarum : quæ postrema verba consulte addita sunt,ut Rechab pater illius sacerdotis, ab aliis Rechab distingueretur. Plures enim eodem nomine appellabantur Rechab ; verum hic de quo loquitur Hegesippus, erat exstirpe Rechabitarum illorum, de quibus locutus est Jeremias (cap. xxxv).

B num officium.Nam et maculas eluebant e vestibus; et eas dealbabant,ac splendorem iis conciliabant ; utebantur autem ad id pressoriis seu prelis,ut notavi ad lib. xxviii Amm. Marcellini pag. 366. Porro in manuscriptis nostris Maz.,Med.,ac Fuketii scritum est ἀποπίεζε.

(44) Παύσασθε, τί ποιεῖτε, Epiphanius in hæresi 78, non a Rechabita sacerdote hæc dicta esse scribit, sed a Symeone Clopæ filio, qui Jacobi Justi C frater patruelis erat.

(45) Λαβών τις ἀπ' αὐτῶν εἷς τῶν γναφέων τὸ ξύλον. Hæc verba duobus modis construi possunt ; nempe hoc modo : Εἷς τις ἀπ' αὐτῶν, λαβὼν τὸ τῶν γναφέων ξύλον, id est, unus ex illis arrepta fullonis vecte. Aut in hunc modum : Τὶς ἀπ' αὐτῶν, εἷς τῶν γναφέων, λαβὼν τὸ ξύλον. Quam distinctionem secutus est Rufinus, ita enim vertit : « Et unus ex ipsis fullo,arrepto fuste in quo vestes exprimere solent.» Neque aliter cæteri interpretes.Atque hunc sensum confirmat Clemens Alexandrinus in lib. VII *Hypotyposeon*, ubi Jacobum a fullone interemptum esse scribit. Verba Clementis hebentur supra in cap. 1 hujus libri. Apollonius Collatius in lib. I *De excidio Hierosol.* Jacobum non fullonis vecte, sed securi percussum interiisse scribit.

(46) Τὸ ξύλον ἐν ᾧ ἀπεπίεζε τὰ ἱμάτια. Hieronymus in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* hunc D locum ita expressit : *Fullonis fuste, quo uda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit.* Hieronymi verba Græce ita vertit Sophronius : Τῷ τε γναφικῷ μοχλῷ ᾧ τὰ ἱμάτια ἐκπιέζειν εἰώθασι. Musculus quidem Eusebii locum ita vertit: *Unus ex fullonibus arrepto instrumento, quo vestimenta excutiunt ac purgant.* Langus vero Nicephori interpres sic reddidit : *Et fullonum quidam ligno, quo vestes complanarat, arrepto.*Mihi quidem magis placet Rufini et Christophorsoni expositio, qui vestes premere, seu exprimere interpretati sunt. Id enim significat vox πιέζειν, ex qua fit πιεστήριον, quod est Latine pressorium, seu prelum. Duplex fuit fullo-

(47) Ἔθαψαν αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ. Ita quidem codex Regius, quem secutus est Stephanus. Verum reliqui tres, Maz. scilicet, Med. ac Fuketii, aliquot voculis auctiores sunt hoc modo : Καὶ ἔθαψαν αὐτὸν ἐπὶ τῷ τόπῳ παρὰ τῷ ναῷ. Quam quidem lectionem confirmat Nicephorus, ac Rufinus.

(48) Ἔτι αὐτοῦ ἡ στήλη μένει παρὰ τῷ ναῷ. Quomodo fieri potest, ut hic cippus (id enim significat στήλη, ut supra notavimus) et Jacobi sepulcrum adhuc permanserit post urbem a Romanis excisam ? Sed neque verisimile est, quod ait Hegesippus, Jacobum juxta templum sepultum fuisse. Nam Judæi extra urbem corpora condebant,ut colligere est tum ex Evangelio, tum ex sepulcro Helenæ Adiabenorum reginæ, de quo superius locuti sumus. Merito igitur Rufinus totam hanc pericopen in versione sua prætermisit. Hieronymus vero in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, cujus maxima pars ex *Historia ecclesiastica* Eusebii nostri desumpta est,hæc Hegesippi verba interpretans ita emollivit : *Titulum usque ad obsidionem Titi, et ultimam Adriani, notissimum habuit.* Ubi tamen illud probare non possum,quod de ultima Adriani obsidione dicit. Nam in eo secutus est errorem Eusebii,quem jampridem alii confutarunt. Porro Hieronymus titulum dixit, pro eo quod in Græco est στήλη. Eodem sensu στήλη dicitur in lib. II Regum,cap.xviii, ubi vetus interpres *titulum* vertit. Ad quam vocem in vetustissimo codice Mazarino hoc scholion scriptum inveni : Ἱστέον ὅτι ἡ στήλη αὕτη λίθος ἦν ἄμορφος, ἐπιγραφὴν ἔχων τὸ ὄνομα τοῦ τεθαμμένου Ἰακώβου. Ἐξ οὗ καὶ ἔτι νῦν οἱ Χριστιανοὶ ἐν τοῖς μνήμασιν αὐτῶν λίθους ἱστᾶσιν, καὶ ἢ γράμματα ἐν αὐτοῖς γράφουσιν, ἢ τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ ἐγχαράττουσιν.«Sclendum est columnam hanc nihil aliud fuisse,quam lapidem informem,in quo nomen Jacobi illic sepulti erat incisum. Unde et Christiani in sepulcris suis etiamnum lapides statuunt : in quibus aut litteras inscribere, aut crucis figuram insculpere consueverunt.

(49) Πολιορκεῖ τὴν Ἰουδαίαν αἰχμαλωτίσας αὐτούς. Ita quidem codex Regius. Verum tres reliqui Maz , Med., Fuk. voces illas τὴν Ἰουδαίαν αἰχμαλωτίσας non agnoscunt.Ac meo quidem judicio prorsus superfluæ sunt, et insulsæ. Neque enim Græce dici potest πολιορκεῖν τὴν Ἰουδαίαν, cum id

gnatione Christi, nepotes Judæ illius, qui secundum carnem frater Christi vocabatur. Hos a nonnullis delatos quod ex regia Davidis stirpe prognati essent, Evocatus ad Domitianum Cæsarem perduxit. Quippe Domitianus de adventu Christi, perinde ac Herodes, sibi metuebat. Interrogati igitur ab illo, utrum ex stirpe Davidis essent oriundi, id verissimum esse confessi sunt. Deinde sciscitatus est ex illis Domitianus, quantas possessiones, quantumve pecuniæ haberent. Illi vero novem tantummodo denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars singulis competeret; eas vero facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum, novem scilicet ac triginta soli jugerum, ex quorum fructibus et tributa persolverent, et sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent. Simulque manus ostendere cœperunt, duritiem cutis, impressumque alte manibus callum ex laboris assiduitate, in testimonium operis sui proferentes. Postremo interrogati de Christo et de regno illius, cujusmodi id esset, et quando, quibusve in locis appariturum, responderunt, non hujus mundi, nec terrarum imperium illud esse; sed angelicum et cœleste, quod in fine sæculorum futurum esset, tunc cum Christus adveniens cum gloria, vivos simul et mortuos judicabit, et unicuique ope-

A Ἰούδα (59), τοῦ κατὰ σάρκα λεγομένου αὐτοῦ ἀδελφοῦ, οὓς ἐδηλατώρευσαν, ὡς ἐκ γένους ὄντας Δαβίδ. Τούτους δ' ὁ Ἰουοκᾶτος (51) ἦγαγε πρὸς Δομετιανὸν Καίσαρα. Ἐφοβεῖτο γὰρ τὴν παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ ὡς καὶ Ἡρώδης. Καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς εἰ ἐκ Δαβίδ εἰσι· καὶ ὡμολόγησαν. Τότε ἠρώτησεν αὐτοὺς πόσας κτήσεις ἔχουσιν, ἢ πόσων χρημάτων κυριεύουσιν. Οἱ δὲ εἶπον ἀμφότεροι, ἐννακισχίλια δηνάρια ὑπάρχειν αὐτοῖς μόνα, ἑκάστῳ αὐτῶν ἀνήκοντος τοῦ ἡμίσεως· καὶ ταῦτα οὐκ ἐν ἀργυρίοις ἔφασκον ἔχειν, ἀλλ' ἐν διατιμήσει γῆς πλέθρων τριάκοντα ἐννέα μόνων· ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν (52), καὶ αὐτοὺς αὐτουργοῦντας διατρέφεσθαι. Εἶτα δὲ καὶ τὰς χεῖρας τὰς ἑαυτῶν ἐπιδεικνύναι, μαστύριον τῆς αὐτουργίας τὴν τοῦ σώματος σκληρίαν, καὶ τοὺς ἀπὸ

B τῆς συνεχοῦς ἐργασίας ἐναποτυπωθέντας ἐπὶ τῶν ἰδίων χειρῶν τύλους (53) παριστάντας. Ἐρωτηθέντας δὲ περὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, ὁποία τις εἴη καὶ τότε καὶ ποῖ φανησομένη, λόγον δοῦναι, ὡς οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει, ἐοὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος γενησομένη, ὁπηνίκα ἐλθὼν ἐν δόξῃ κρινεῖ ζῶντας (54) καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. Ἐφ' οἷς μηδὲν αὐτῶν κατεγνωκότα τὸν Δομετιανὸν, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐτελῶν καταφρονήσαντα, ἐλεύθερους μὲν αὐτοὺς ἀνεῖναι, καταπαῦσαι

verbum de urbibus dicatur, non autem de gentibus. Rufinus quoque et Nicephorus eas voces non habent.

(50) Υἱωνοὶ Ἰούδα. In codice Regio, ac Med. et apud Georgium Syncellum legitur υἱῶν Ἰούδα levi discrimine. Cæterum miror Scaligerum, qui in C *Anidmaversionibus Eusebianis* pag. 187, tam Eusebium, quam Hegesippum immerito reprehendit. Nam neque Hegesippus posteritatem Davidis ad duos tantum homines tunc esse redactam dixit, ut falso ei objicit Scaliger; sed posteritatem Judæ, qui erat frater Domini: nec Eusebius Hegesippi verba aliter accepit. Certe Hegesippus diserte testatur, Symeonem Clopæ filium, qui tunc erat episcopus Hierosolymorum, ortum fuisse ex gente Davidica. Verba ejus habes infra cap. 32. Itaque nec Hegesippus erravit, nec Eusebius. Ipse potius Scaliger reprehendendus est, qui adversus auctoritatem Hegesippi, vetustissimi scriptoris, et apostolicis temporibus proximi, obstinate contendit, nullum unquam Judam fratrem Domini exstitisse. Sed contra est Epiphanius in hæresi 78, qui Josephum ex priore conjugio quatuor ait suscepisse liberos, Jacobum, Symeonem, Josetem, et Judam, cui consentit Hippolytus Portuensis episcopus apud Nicephorum in libro II, cap. 3, nisi quod pro Symeone Simonem dicit, rectius, ut supra notavi; et filias aliter nominat. His accedit Hieronymus in libro *Adversus Helvidium*. Dicet fortasse aliquis id, quod a Scaligero dictum est, nullam in Evangelio mentionem ejus Judæ fieri. Imo vero Matthæus in cap. XII, de illo sic loquitur; *Nonne mater ejus dicitur Maria; et fratres ejus Jacobus, Joseph, Simon, et Judas?* Idem legitur in Marci c. VI. Vides, ut Scaliger nimio reprehendendi studio abreptus, merito ipse in reprehensionem incurrit. Porro hic Judas uxorem a nonnullis dicitur habuisse Mariam, teste Nicephoro in lib. I, cap. 33. Ex hac igitur liberos suscepit; a quibus propagati sunt δεσπόσυνοι, de quibus Africanus in *Epistola ad Aristidem*. Hos porro Scaligeri errores jamdudum reprehendit P. Halloixius in notationibus ad Vitam Hegesippi; quod quidem serius, et absolutis jam anidmadversionibus meis didici.

(51) Ὁ Ἰουοκᾶτος. Sic ex codice Medicæo edidit Rob. Stephanus. In codice Regio scriptum inveni ὁ Ἰκουβᾶτος, quod monuerat etiam idem Stephanus in variis lectionibus, quas ad calcem editionis suæ conjecit. In Chronico Georgii Syncelli legitur, ὁ Ἰουοκᾶτος. Nos ex tribus nostris codicibus Maz., Fuk. et Saviliano, veram hujus loci scripturam restituimus, τούτους δ' ὁ Ἰουοκᾶτος ἦγαγε. Confirmat hanc lectionem Nicephorus, et Rufinus. Nam in Rufino quidem dicitur Revocatus: *Hos Revocatus quidam nomine, qui ad hoc missus fuerat, perduxit ad Domitianum.* Nicephorus vero in lib. III, cap. 10, scriptum habet, ὁ Ἰουοκᾶτος. Qui sint evocati, notum est ex Dione; milites scilicet honorationis loci, qui confectis jam stipendiis dimissi, ad militiam evocabantur a principe. Horum mentio fit in vetustis inscriptionibus, EVOK. AUG., id est Evocatus Augusti. Ne quis autem miretur, Hegesippum Græcum scriptorem, Romano vocabulo usum fuisse. Non id novum, aut infrequens Hegesippo, quippe qui δηλατωρεύειν, et δηνάρια usurpat in hac narratione, quam præ manibus habemus, et plebeio sermone utitur.

(52) Ἐξ ὧν καὶ τοὺς φόρους ἀναφέρειν. Male D Christophorsonus vertit *vectigalia*, quasi vectigalia agrorum solverentur. Atqui φόροι tributa sunt, quæ ex agris solvebantur, atque in ipsis speciebus fere pendebantur, id est in tritico, hordeo, vino et similibus, ut patet ex codice Theodosiano. Vectigalia vero sunt, quæ Græce dicuntur τέλη, quæ a publicanis conducebantur, et exigebantur; cum tributa a susceptoribus, vel ab apparitoribus præsidum ac præfectorum exigi solerent.

(53) Τύλους. Cum initio vertissem *callos*, dubitare postea cœpi, an callus masculino genere diceretur. Tandem vero callos a Rufino dici comperi in lib. II, ubi de morte Jacobi fratris Domini.

(54) Κρινεῖ ζῶντας. In codice Maz. Med. ac Fuk., necnon apud Nicephorum legitur κρίνειεν. Sed et codex Reg. ita diserte scriptum habet. Quare mendum est typographicum, quod in Rob. Stephani editionem irrepsit.

δὲ διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας διωγμόν. Τοὺς δὲ ἀπολυθέντας, ἡγήσασθαι τῶν ἐκκλησιῶν, ὡς ἂν δὴ μάρτυρας ὁμοῦ καὶ ἀπὸ γένους ὄντας τοῦ Κυρίου· γενομένης τε εἰρήνης, μέχρι Τραϊανοῦ παραμεῖναι αὐτοὺς τῷ βίῳ.

rum suorum mercedem tribuet. His auditis, Domitianus nihil adversus illos asperius decrevit ; sed vilitatem hominum aspernatus, liberos abire jussit; missoque edicto, persecutionem adversus Ecclesiam commotam compescuit. Illos vero ad hunc modum

dimissos ecclesiis posthac præfuisse narrant, utpote demum Ecclesiæ reddita, ad Trajani usque tempora

Christi martyres simul ac propinquos ; et pace vitam perduxisse.

III.

De Symeonis Clopæ filii, Hierosolymorum episcopi martyrio. — Apud eumdem Eusebium, Hist. Eccl. *lib.* III, *cap.* 32.

Ἀπὸ τούτων δηλαδὴ τῶν αἱρετικῶν, κατηγοροῦσί τινες Συμεῶνος τοῦ Κλωπᾶ (55), ὡς ὄντος ἀπὸ Δαβὶδ καὶ Χριστιανοῦ. Καὶ οὕτως μαρτυρεῖ ἐτῶν ὧν ἑκατὸν εἴκοσιν, ἐπὶ Τραϊανοῦ Καίσαρος καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ (56). Φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς (Ἡγήσιππος), ὡς ἄρα καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ, ζητουμένων τότε τῶν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς Ἰουδαίων φυλῆς, ὡσὰν ἐξ αὐτῆς ὄντας, ἁλῶναι συνέβη. Λογισμῷ δ' ἄν καὶ τὸν Συμεῶνα τῶν αὐτοπτῶν καὶ αὐτηκόων εἶποι ἄν τις γεγονέναι τοῦ Κυρίου, τεκμηρίῳ τῷ μήκει τοῦ χρόνου τῆς αὐτοῦ ζωῆς χρώμενος, καὶ τῷ μνημονεύειν τὴν τῶν Εὐαγγελίων Γραφὴν Μαρίας τῆς τοῦ Κλωπᾶ· οὗ γεγονέναι αὐτὸν (57), καὶ πρότερον ὁ λόγος ἐδήλωσεν. Ὁ δ' αὐτὸς συγγραφεὺς καὶ ἑτέρους ἀπὸ γένους ἐνὸς τῶν φερομένων ἀδελφῶν τοῦ Σωτῆρος, ᾧ ὄνομα Ἰούδας, φησὶν εἰς τὴν αὐτὴν ἐπιβιῶναι βασιλείαν, μετὰ τὴν ἤδη πρότερον ἱστορηθεῖσαν αὐτῶν ὑπὲρ τῆς εἰς τὸν Χριστὸν πίστεως ἐπὶ Δομετιανοῦ μαρτυρίαν. Γράφει δὲ οὕτως· Ἔρχονται οὖν καὶ προηγοῦνται πάσης Ἐκκλησίας ὡς μάρτυρες, καὶ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου. Καὶ γενομένης εἰρήνης βαθείας ἐν πάσῃ Ἐκκλησίᾳ, μένουσι μέχρι Τραϊανοῦ Καίσαρος· μέχρις οὗ ὁ ἐκ θείου τοῦ Κυρίου (58) ὁ προειρημένος Συμεὼν υἱὸς Κλωπᾶ, συκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρέσεων (59), ὡσαύτως κατηγορήθη καὶ αὐτὸς ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ (60) ἐπὶ Ἀττικοῦ τοῦ ὑπατικοῦ· καὶ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας αἰκιζόμενος, ἐμαρτύρησεν· ὡς πάντας ὑπερθαυ-

Ex eorum hæreticorum numero, quidam Symeonem Clopæ filium detulerunt, quod ex stirpe Davidis oriundus, et Christianus esset. Atque ita Symeon cum annos centum ac viginti natus esset, martyrium subiit, principatu Trajani Augusti, Attico consulari legato Syriam administrante. *Idem præterea scribit*, eos ipsos Symeonis accusatores, cum tunc temporis omnes ex regia Judæorum tribu oriundi sollicite investigarentur, convictos esse, quod ex ea stirpe originem ducerent. Porro hunc Symeonem non absurde quis dixerit et spectatorem, et auditorem Domini fuisse ; cum et diuturnitas vitæ ipsius, et Evangeliorum fides id astruere videatur, in quibus Maria quædam commemoratur Clopæ filia, cujus Symeonem filium fuisse, supra docuimus. Alios præterea nepotes unius ex Domini fratribus, cui nomen erat Judæ, ad hoc usque Trajani imperium vitam produxisse, idem scriptor refert, cum jam antea sub Domitiano, ut diximus, Christi fidem constanter professi fuissent. Sic autem scribit : Adsunt, inquit, illi, et universæ Ecclesiæ præsident, utpote martyres, et agnati Christi. Tandemque profunda pace Ecclesiæ restituta, ad Trajani usque tempora superstites fuerunt ; donec Symeon supradictus Clopæ filius ejus, qui erat patruus Domini, accusatus similiter ab hæreticis, et ob eamdem causam in jus vocatus est coram Attico

(55) Συμεῶνος τοῦ Κλωπᾶ. In codice Regio legitur Σίμωνος, ut notavit etiam Robertus Stephanus. Hieronymus in Chronico hujus episcopi Hierosolymitani nomen duplici modo scribi testatur, Symeonem scilicet, et Simonem. Idem habet Georgius Syncellus, et auctor *Chronici Alexandrini*.

(56) Καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ. Id est, cum Atticus esset legatus Syriæ. Solebant enim Syri horum præsidum nomine annos designare, ut constat ex Josephi *Antiquitatibus*. Sed et in reliquis provinciis, rectorum nomine tempora designari consueverant. Porro ex legatis Cæsaris alii erant consulares, alii prætorii. Quocirca Atticus hic ὑπατικός appellatur, ut eum consularem fuisse constet. Ex his apparet male Rufinum vertisse : *Martyr effectus est, cum esset annorum centum* XX, *sub Trajano Cæsare, apud Atticum consularem*. Græca Hegesippi sic habent : Ἐτῶν ὧν ἑκατὸν εἴκοσι ἐπὶ Τραϊανοῦ Καίσαρος, καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ. Sed primo quidem præpositio illa ἐπί, non significat *apud* : verum id tantum designat, Symeonem martyrio perfunctum fuisse principatu Trajani, Attico Syriam administrante ; deinde vox illa ὑπατικοῦ, non simpliciter consularem denotat, sed legatum consularem, ut dixi. Erant quidem ætate Rufini consulares, qui Palæstinam regebant, ut ex *imperii Romani Notitia* notissimum est. Verum hic magistratus diu post Trajani tempora est institutus. Cæterum supra citatus Rufini locus in manuscripto codice bibliothecæ Regiæ ita perscribitur : *Martyr effectus est, cum esset annorum centum* XXV.

(57) Οὗ γεγονέναι αὐτόν. Nostri codices Maz., Med. et Fuk. vocem addunt hoc modo : Οὗ καὶ γεγονέναι αὐτὸν καὶ πρότερον ὁ λόγος ἐδήλωσεν.

(58) Ὁ ἐκ θείου τοῦ Κυρίου. Male Christophorsonus hæc verba accepit, quasi θείου adjectivum esset, et subaudiretur γένους. Sed Langus qui Nicephorum Latine interpretatus est, optime *patruum* vertit. Clopas enim revera frater erat Josephi, ac proinde patruus Christi. Quare Symeon Clopæ filius cognatus erat Domini, ut dicitur in capite 11 supra ; ubi male *consobrinum* vertit Musculus, et Christophorsonus.

(59) Συκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρέσεων. Cerinthianos et Nicolaitas intelligit auctor *Chronici Alexandrini*, cui non assentior. Intelligit enim Hegesippus sectas illas quæ tunc temporis Hierosolymis vigebant, Pharisæorum scilicet, Sadducæorum, et alias, de quibus infra lib. IV, cap. 22.

(60) Ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ. Id est quod Christi fidem prædicaret, ut supra dixit ; et in libro IV, cap. 22, ex Hegesippo : Μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν Δίκαιον ὡς καὶ ὁ Κύριος ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ.

consulari ; et per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus, fidem Christi constantissime professus est ; adeo ut et consularis ipse, et omnes qui aderant, magnopere mirarentur, qua ratione vir centum ac viginti annos natus, tot tormenta perferre potuisset. Tandem vero sententia judicis cruci suffixus est. *Post hæc idem scriptor res illa ætate gestas commemorans, addit* Ecclesiam ad hæc usque tempora instar cujusdam virginis, integram atque incorruptam permansisse ; adhuc in obscuro recessu delitescentibus, quicunque rectam prædicationis evangelicæ regulam depravare niterentur. Sed postquam sacer apostolorum cœtus vario mortis genere exstinctus est, efluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant ; tunc demum exorta est impii erroris conspiratio, fraude etmalitia falsorum doctorum ; qui utpote nullo amplius ex apostolis superstite, posthæc nudo, quod aiunt, capite adversus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt.

A μάζειν, καὶ τὸν ὑπατικὸν, πῶς ἑκατὸν εἴκοσι τυγχάνων ἐτῶν, ὑπέμεινε. Καὶ ἐκελεύσθη σταυρωθῆναι. Ἐπὶ τούτοις ὁ αὐτὸς ἀνὴρ διηγούμενος τὰ κατὰ τοὺς δηλουμένους, ἐπιλέγει ὡς ἄρα μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος (61) καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ Ἐκκλησία, ἐν ἀδήλῳ που σκότει φωλεύοντων εἰσέτι τότε τῶν, εἰ καί τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τοῦ σωτηρίου κηρύγματος. Ὡς δ' ὁ ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων χορὸς διάφορον εἴληφε τοῦ βίου τέλος, παρελήλυθέ τε ἡ γενεὰ ἐκείνη τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐνθέου σοφίας ἐπακοῦσαι κατηξιωμένων, τηνικαῦτα τῆς ἀθέου πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις, διὰ τῆς τῶν ἑτεροδιδασκάλων ἀπάτης· οἳ καὶ ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν ἀποστόλων λειπομένου, γυμνῇ λοιπὸν ἤδη τῇ κεφαλῇ, τῷ B τῆς ἀληθείας κηρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν.

IV.

De tempore quo floruit ipsemet Hegesippus. — Apud eumdem Eusebium, Hist. eccl. *lib.* IV, *cap.* 8.

Quibus cenotaphia, templaque exstruxerunt, sicut nunc etiam fieri videmus. Ex quibus fuit Antinous servus Cæsaris Adriani, in cujus honorem certamen sacrum, quod Antinoium vocant, nostra etiam ætate celebratur. Nam et urbem Antinoo cognominem Adrianus condidit, et prophetas instituit.

Οἷς καινοτάφια (62) καὶ ναοὺς ἐποίησαν ὡς μέχρι νῦν· ὧν ἐστι Ἀντίνοος δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος· οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος (63), ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος (64). Καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισεν ἐπώνυμον Ἀντινόου, καὶ προφήτας (65).

(61) Μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος. Hæc de Hierosolymorum Ecclesia specialiter dixerat Hegesippus, eam scilicet usque ad mortem Symeonis, id est usque ad Trajani tempora, virginem dictam esse. Verba Hegesippi habes infra in libro IV, cap. 22. Videtur autem Eusebius toti Ecclesiæ tribuisse id, quod de unica Hierosolymorum Ecclesia dictum fuerat ab Hegesippo. Porro tam Eusebii, quam Hegesippi verba benigne intelligenda sunt. Certum est enim Ecclesiam catholicam semper integram atque intemeratam permanere, et castitatem ejus nullo modo ab hæreticis posse corrumpi. Hæretici quidem, utpote procaces et impuri atque adulteri veritatis eam corrumpere conantur. Verum illa fidem suam Christo integram servans, nefarios eorum conatus depellit. Itaque hæretici similes quodammodo sunt Ixioni, qui cum Junoni stuprum inferre voluisset, umbra ejus delusus est. Ita intelligendus est Tertulliani locus in libro *De præscriptione hæreticorum* : « Quid ergo dicent, qui illam stupraverint adulterio hæretico, virginem traditam a Christo ? » Porro in codicibus nostris Mazar., Medic. et Fuk. scriptum habetur, ἀδιάφθορος ἔμενεν, non autem, ut in Regio exemplari, et apud Nicephorum, ἔμεινεν.

(62) Οἷς καινοτάφια. Rectius apud Nicephorum in libro III, cap. 26, legitur κενοτάφια. Hieronymus in *Catalogo* sic vertit : *Tumulos etiam templaque fecerunt*. Rufinus vero sic interpretatur : *Quibus templa, imo potius sepulcra fecerunt.*

(63) Οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος. Hic agon in honorem Antinoi ab Adriano institutus, quinquennalis fuit ; et Mantineæ in Arcadia celebrabatur, ut scribit Pausanias in *Arcadicis*. Male ergo Rufinus agonem annuum de se adjecit. Ejusdem agonis meminit Tertullianus in libro *De corona*, cap. 13, ubi agonem illum coronarium fuisse testatur his verbis : « Hoc enim superest, ut Olympius Jupiter, et Nemeus Hercules, et misellus Archemorus, et Antinous infelix in Christiano coronentur. »

C

(64) Ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος. Hæc est scriptura codicis Regii, quem fere ubique secutus est Rob. Stephanus. Verum in tribus aliis, Maz., Med. et Fuket., hic locus ita legitur et distinguitur : Οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος ἐφ' ἡμῶν γενόμενος. Quam quidem lectionem secutus videtur Rufinus, sic enim vertit : « Cui agones annui celebrantur, qui Antinoii appellantur, nostris adhuc temporibus, instituti. » Certe dubitari non potest, quin hæc lectio priori sit anteferenda. Id enim probare vult Eusebius, Hegesippum floruisse temporibus Adriani. Quod quidem ex eo concludit, quod Hegesippus testatur, certamen Antinoium sua ætate institutum fuisse. Quod si legamus cum Regio codice ὁ καὶ ἐφ' ἡμῶν γινόμενος, tum argumentatio Eusebii non valebit. Sensus enim hic erit, certamen Antinoium adhuc ætate Hegesippi celebratum fuisse. Ex quo tantum abest, ut concludi possit, Hegesippum vixisse imperante Adriano ; quin potius illud consequitur, nonnisi post obitum Adriani Hegesippum libros suos composuisse. Nam si principatu Adrian scripsisset Hegesippus, non utique diceret certamen Antinoium adhuc sua ætate actum fuisse : quippe cum Adrianus sub finem imperii sui agonem illum instituerit. Cæterum has voces ἐφ' ἡμῶν γενόμενος mallem referre ad vocem. Ἀντίνοος, et totum hunc locum ita construere : Ὧν ἐστι καὶ Ἀντίνοος, δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος ἐφ' ἡμῶν γενόμενος, οὗ καὶ ἀγὼν Ἀντινόειος. Atque ita Hegesippi locum ab Eusebio acceptum esse pro certo habeo. Sane Justinus in *Apologetico* de hoc ipso Antinoo loquens sic ait : Καὶ Ἀντινόου τοῦ νῦν γενομένου.

D

(65) Καὶ προφήτας. Hieronymus in *Catalogo* vertit : « Civitatemque ex ejus nomine condidit, et prophetas statuit in templo. » Rufinus vero adhuc fusius : « Nam et civitatem condidit ejus nomini Antinoum, et templum ei et sacerdotes instituit ac prophetas. » Sane in Græcis Hegesippi verbis aliquid necessario sup-

V.

De profectione ad urbem Romam, et de sectis Judaicis. — *Apud eumdem Eusebium*, Hist Eccl., *lib.* IV, *cap.* 22.

Καὶ ἐπέμενεν ἡ Ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὀρθῷ λόγῳ, μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ· οἷς συνέμιξα πλέων εἰς Ῥώμην, καὶ συνδιέτριψα τοῖς Κορινθίοις ἡμέρας ἱκανάς· ἐν αἷς συνανεπάημεν τῷ ὀρθῷ λόγῳ. Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ, διαδοχὴν (66) ἐποιησάμην (67) μέχρις Ἀνικήτου, οὗ διάκονος ἦν Ἐλεύθερος. Καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτήρ, μετ' ὃν Ἐλεύθερος. Ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται καὶ ὁ Κύριος. Ὁ δ' αὐτὸς καὶ τῶν κατ αὐτὸν αἱρέσεων τὰς ἀρχὰς ὑποτίθεται διὰ τούτων· Καὶ μετὰ τὸ μαρτυρῆσαι Ἰάκωβον τὸν Δίκαιον ὡς καὶ ὁ Κύριος ἐπὶ τῷ αὐτῷ λόγῳ, πάλιν ὁ ἐκ θείου σὺτοῦ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλωπᾶ καθίσταται ἐπίσκοπος, ὃν προέθεντο πάντες, ὄντα ἀνεψιὸν τοῦ Κυρίου (68) δεύτερον. Διὰ τοῦτο ἐκάλουν τὴν Ἐκκλησίαν παρθένον (69)· οὔπω γὰρ ἔφθαρτο ἡκοαῖς ματαίαις. Ἄρχεται δ' ὁ Θέβουλις (70) διὰ τὸ μὴ γενέσθαι αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὑποφθείρειν, ἀπὸ τῶν ἐντὰ αἱρέσεων

A Et Corinthiorum quidem, inquit, Ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum ejusdem loci episcopum : quocum familiariter collocutus sum, dum Romam navigarem ; nec paucos dies versatus sum cum Corinthiis, mutuamque ex recta fide consolationem cepimus. Romam vero cum venissem mansi ibi apud Anicetum, cujus tum diaconus erat Eleutherus. Post obitum deinde Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherus. In singulis autem episcoporum successionibus, et per singulas urbes eadem manent, quæ per legem ac prophetas, et a Domino ipso prædicata sunt. « Hæreseon quoque, quæ ætate sua exortæ sunt, initia idem scriptor exponit his verbis : » Postquam, *inquit*, Jacobus cognomento Justus martyrium perinde ac Dominus pertulit, ob
B ejusdem doctrinæ prædicationem ; rursus frater patruelis Domini Symeon Clopæ filius, episcopus constituitur, cunctis uno consensu secundum antistitem illum renuntiantibus, eo quod cognatus Do-

plendum est. Nam ἔκτισε προφήτας Græce vix dici potest. Sed meminisse debemus Hegesippum simplici admodum ac plebeio sermone scribere, ut hic etiam testatur Eusebius. Itaque Græca ejus verba interpretatione adjuvanda sunt. Frustra igitur Salmasius emendare aggressus est in notis ad historiam Augustam, pag. 41. Ubi etiam, quinam hic dicerentur prophetæ, non intellexit. Sciendum est igitur apud Ægyptios summum sacerdotem, qui reliquis sacerdotibus et pastophoris præesset, et qui templorum reditus cæteris distribueret, dictum esse prophetam Primus enim in templo procedebat cantor, deinde horoscopus, tum scriba, seu ἱερογραμματεύς. postea vestitor, seu στολιστής ; deinde novissimus incedebat propheta, hydriam in sinu ge-
C stans, ut docet Clemens Alexandrinus in libro sexto, pag. 269. Epiphanius in libro tertio *Adversus hæreses* : παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις προφῆται καλούμενοι, τῶν ἀδύτων τε καὶ ἱερῶν ἀρχηγοί. Eorumdem prophetarum meminit Philostratus in libro I *De vita Apollonii*, cap. 1, et Diogenes Laertius in Proœmio operis sui. Themistius in oratione 2, et Firmicus in libris *Matheseos* non semel. Clemens denique in libro I *Recognitionum* haud procul ab initio : « Ægyptum, inquit, petam, atque ibi hierophantis, vel prophetis, qui adytis præsunt, amicus efficiar ; et pecunia invitatum magum precabor, ut educat mihi animam de infernis. » Fuerunt etiam Idæi Jovis prophetæ in Creta, de quibus Porphyrius in libro III *De abstinentia*. Porro de prophetis Antinoi ab Adriano institutis mentio est in veteri inscriptione Græca, quam citavit Casaubonus in notis ad Spartianum. Adde his veterem inscriptionem, quam refert Gru-
D terus pag. 314, ubi Embes quidam Ægyptius προφήτης dicitur, id est sacerdos Serapidis. Quare non mirum est, si Antinous ab Adriano consecratus prophetas habuit, quippe cum ab Ægyptiis præcipue coleretur. Cur autem Ægyptii prophetas vocarent antistites suos, hæc mihi causa esse videtur, quod arcana quædam sacra ac mysteria ab iis tradi crederent Prophetæ enim dicuntur, quasi arcanorum interpretes. Habuit certe Antinous sacra sua ac mysteria, quibus initiabantur qui vellent. Testatur id Pausanias in *Arcadicis* : Καὶ τελετή τε κατὰ ἔτος ἕκαστον, καὶ ἀγὼν ἔστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτου· id est : « Et mysteria quotannis, et quinto quoque certamina in honorem ejus celebrantur. »

(66) Διαδοχὴν ἐποιησάμην. Savilius ad oram sui codicis pro διαδοχήν, correxit διατριβήν ; utrum ex conjectura, an ex fide manuscripti exemplaris, incertum ; utcunque tamen necessaria est hæc emendatio. Porro in cap. 11 hujus libri, ubi Eusebius hunc Hegesippi locum adduxit, paulo aliter hæc referuntur. Etenim Eusebius illic scribit, Hegesippum Romam adventasse temporibus Aniceti, et usque ad pontificatum Eleutheri in urbe Roma permansisse. Hegesippus tamen hoc loco id non dicit ; sed tantum ait, se Romæ mansisse usque ad pontificatum Aniceti. Romam ergo venerat Hegesippus sub extrema Pii tempora.

(67) Διαδοχὴν ἐποιησάμην. Pearsono minus probatur Valesii versio in dissert. 1 *De succes. Rom. episc.* pag. 24, num. 2. Nam, inquit, μέχρις Ἀνικήτου, nunquam *apud Anicetum* sonat. Sic igitur Hegesippi verba reddenda ipsemet contendit : « Romæ vero cum essem, successionem » (episcoporum) « composui usque ad Anicetum, cujus diaconus erat Eleutherus ; et Aniceto successit Soter, post quem Eleutherus. In omni autem successione, et in omni civitate, res ita se habet, ut lex prædicat, et prophetæ, et Dominus. »

(68) Ἀνεψιὸν ὄντα τοῦ Κυρίου. Male Rufinus, eumque secuti Musculus et Christophorsonus, *consobrinum Domini* verterunt, cum potius fratrem patruelem vertere debuissent. Clopas enim et Josephus fratres fuerunt. Clopas Symeonis pater fuit, patruus autem Christi. Errant itaque Musculus et Christophorsonus qui θεῖον hoc loco avunculum interpretati sunt. Sed ineptissime Rufinus θεῖον pro adjectivo sumpsit. Vide quæ supra notavi ad caput 32 libri tertii.

(69) Διὰ τοῦτο ἐκάλουν τὴν Ἐκκλησίαν παρθένον. Melius legeretur μέχρι τούτου. Sic enim habet Eusebius in lib. III, cap. 32, ubi hunc Hegesippi locum adducit.

(70) Ἄρχεται δ' ὁ Θέβουλις. In codice Reg., Maz. et Fuk. necnon apud Nicephorum legitur Θέβουθις. Rufinus *Theobutem* vertit, nominis asperitatem aliquantulum molliens. Sic pro Clopa idem Rufinus, et veteres fere omnes Cleopam dixere. In vetustissimo tamen Rufini codice, qui fuit olim in bibliotheca Parisiensis Ecclesiæ, scribitur *Theobutes* Cæterum in tribus codicibus Maz., Med. et Fuk., scriptum inveni ἄρχεται γὰρ ὁ Θέβ.

mini esset. Et Ecclesiam quidem hactenus virginem vocabant, propterea quod vanis sermonibus nondum corrupta fuerat. Primus Thebutis, indigne ferens, quod minime creatus esset episcopus, eam occulte vitiare est aggressus. Fuit hic e septem illis sectis in Judaico populo proseminatis. Ex quibus fuit etiam Simon, a quo Simoniani fluxerunt; et Cleobius, a quo Cleobiani; et Dositheus, a quo Dositheani; et Gorthæus, a quo Gortheni; et Masbothæus, a quo Masbothæi sunt cognominati. Ex his etiam manarunt Menandriani, et Marcionistæ, et Carpocratiani, et Valentiniani, et Basilidiani, et Saturniliani, aliique qui seorsum singuli proprias opiniones induxerunt. Ex iis orti sunt pseudochristi, pseudoprophetæ, pseudoapostoli; qui adulteri-

(71) Ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὧν. Nicephorus ultimam vocem expunxit tanquam superfluam. Sic enim habet: Ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῷ λαῷ. In codice Regio scriptum inveni: Ὧν καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῷ λαῷ. Quod ferri potest si tollatur distinctio, quæ in omnibus nostris codicibus habetur. Atque ita sensus erit, primum Thebutem aggressum esse vitiare Ecclesiam Hierosolymitanam, inducta pestilenti doctrina septem illarum Judaici populi sectarum, quibus ipse erat addictus. Melius tamen meo quidem judicio legeretur hoc modo: Ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὧν καὶ αὐτὸς τῶν ἐν τῷ λαῷ. Quod idem valet ac si diceret: Thebutes errorem suum conflaverat ex septem illis sectis Judaici populi, perinde ac Simon, et Cleobius, et Dositheus.

(72) Καὶ Δοσίθεος, ὅθεν Δοσιθιανοί. Sunt tamen, qui scribant, hunc Dositheum multo antiquiorem fuisse. Certe, si Drusio credimus *Responsione ad Minervam Serarii* cap. 10, vixit hic Dositheus circa tempora Sennacheribi regis Assyriorum. Hieronymus in dialogo *adversus Luciferianos*: « Taceo de Judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparunt; quod Dositheus Samaritanorum princeps prophetas repudiavit; quod Sadducæi ex illius radice nascentes, etiam resurrectionem carnis negaverunt. » Scaliger tamen in *Elencho* Trihæresii, cap. 15, Dositheum Christo recentiorem esse contendit; idque ex Origenis auctoritate, qui in lib. I *contra Celsum* diserte id affirmat. Sed et idem Origenes in tractatu 27, *in Matthæum*, Dositheum Samaritanum temporibus apostolorum vixisse scribit, qui se Christum esse jactaverit, et tomo XIII *Enarrationum in Evangelium Joannis*. Id autem hausisse videtur Origenes ex Clemente Romano, qui in lib. II *Recognitionum* de Simone Mago loquens, ita scribit: « Interfecto etenim, sicut scis et ipse, Baptista Joanne, cum Dositheus hæreseos suæ iniisset exordium cum triginta principalibus discipulis, et alia muliere quæ Luna vocitata est; unde et illi triginta, quasi secundum lunæ cursum in numero dierum positi videbantur; Simon hic malæ, ut diximus, gloriæ cupidus, accedit ad Dositheum, et, simulatis amicitiis exorat ut, si quando aliquis ex illis triginta obiisset, in locum defuncti se continuo subrogaret; quia neque statutum numerum excedere apud eos fas erat, neque ignotum aliquem inserere, aut nondum probatum. Unde et cæteri studentes digni loco ac numero fieri, secundum sectæ suæ instituta placere per omnia gestiunt, quo possit unusquisque ex his qui illum numerum sequuntur, cum forte aliquis, ut diximus, decesserit, dignus videri qui in loco defuncti substitui debeat. Igitur Dositheus plurimis ab hoc exoratus, ubi locus intra numerum factus est, introduxit Simonem. Sed hic no *multo post* incidit in amorem mulieris illius, quam

ὧν (71), καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῷ λαῷ, ἀφ' ὧν Σίμων, ὅθεν οἱ Σιμωνιανοί· καὶ Κλεόβιος, ὅθεν Κλεοβιανοί· καὶ Δοσίθεος, ὅθεν Δοσιθιανοί (72)· καὶ Γορθαῖος, ὅθεν Γορθηνοὶ (73), καὶ Μασβωθαῖος, ὅθεν Μασβωθαῖοι· ὅθεν ἀπὸ τούτων Μενανδριανισταὶ (74), καὶ Μαρκιωνισταὶ, καὶ Καρποκρατιανοί· καὶ Οὐαλεντινιανοὶ, καὶ Βασιλειδιανοὶ, καὶ Σατορνιλιανοί· ἕκαστος ἰδίως καὶ ἑτέρως ἰδίαν δόξαν παρεισηγαγεν (75). Ἀπὸ τούτων ψευδόχριστοι, ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολοι· οἵτινες ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς Ἐκκλησίας φθορειμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ Θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. Ἔτι δὲ ὁ αὐτὸς καὶ τὰς πάλαι γεγενημένας παρὰ Ἰουδαίοις αἱρέσεις ἱστορεῖ λέγων· Ἦσαν δὲ γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ περιτομῇ ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα (76) καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐταὶ·

Lunam vocant, » etc. Ex quibus patet Dositheum iisdem cum Simone vixisse temporibus. De Dosithei ætate idem quoque sentit Enlogius patriarcha Alexandrinus, ut legitur in *Bibliotheca* Photii cod. 230, eique sententiæ suffragatur Hegesippus in loco quem præ manibus habemus.

(73) Ὅθεν Γορθηνοί. Rectius apud Nicephorum in cap. 7 libri IV: Καὶ Γορθαῖος, ὅθεν Γορθαιανοί· καὶ Μασβώθεος, ὁθεν Μασβωθεανοί· ἀπὸ τούτων Μενανδριανισταί, etc. Quam emendationem confirmat Rufini interpretatio. In codice Regio, Maz., Fuk. et Savil. Γορχθηνοί: apud Epiphanium in *Ancorato* Γοροθηνοί dicuntur: in *Panario* autem Γορθηνοί. Porro has hæreses ex septem Judaici populi sectis originem traxisse, recte Hegesippus observat. Nam Simoniani, Dositheani, Gortheni, et reliqua errorum nomina, nihil aliud fuerunt, quam rivi ex Judaicis illis fontibus defluentes. At Theodoritus in libro I *Hæreticarum fabularum*, cap. 1, has omnes hæreses ex Simonis fonte fluxisse dicit, Cleobianos scilicet, Dositheanos, Gorthenos, Masbotheos, Menandrianos, Eutychitas et Canistas: Ἐκ τῆς δὲ τῆς πικροτατης ἀνεφύησαν ῥίζης Κλεοβιανοὶ, Δοσιθεανοὶ, Γορθηνοὶ, Μασβώθεοι, Ἀδριανισταὶ, Εὐτυχῆται, Κανισταί. Sed cum constet, ipsam Simonianam hæresim ex Judaicis sectis originem habuisse, rectius dixisset Theodoretus, eas omnes ex Judaicis sectis fuisse propagatas; maxime cum quædam illarum hæreseon Simoniana vetustiores esse videantur, verbi gratia Gorthena et Dositheana.

(74) Ὅθεν ἀπὸ τούτων Μενανδριανισταί. Prima vox deest in codice Regio, et apud Nicephorum, rectius sine dubio. Cæterum in codice Maz., Med. et Fuk. pro Menandrianistis scriptum est Ἀδριανισταί; quomodo etiam legitur apud Theodoretum in lib. I *Hæreticarum fabularum*, ut supra vidimus. Rufinus Menandrianos vertit.

(75) Παρεισήγαγεν. Ita correxit Robertus Stephanus, cum in omnibus exemplaribus constanter legatur: παρεισηγάγησαν. Qui barbarismus non alienus est ab Hegesippo. In codice tamen Fuketiano scriptum inveni, παρεισηγάγησαν. Apud Nicephorum vero legitur, παρεισήγαγον, quod magis probo.

(76) Ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα. In codice Maz., Med. et Fuk. scriptum inveni, ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ ἡ τῶν κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα, etc., quod quid sibi velit, nescio; nisi forte ita emendare placet, ἐν υἱοῖς Ἰσραηλιτῶν· κατὰ τῆς φυλῆς Ἰούδα. Vulgata tamen lectio magis placet, quam et Regius codex, et Nicephorus confirmant. Videtur autem Hegesippus, tribum Judæ ab his omnibus Judaici populi sectis puram ac vacuam existimasse, ita ut nullus e tribu Judæ, Essenorum, aut Sadducæorum, aut Pharisæorum sectam secutus sit. Quod tamen neguaquam verisimile est.

Ἐσσαῖον (77), Γαλιλαῖοι (78), Ἡμεροβαπτισταί, Μασβωθαῖοι (79), Σαμαρεῖται (80), Σαδδουκαῖοι, Φαρισαῖοι.

nam invehentes doctrinam adversus Deum, et adversus Christum ejus, unitatem Ecclesiæ discideruntA. *Idem præterea scriptor sectas illas, quæ quandam apud Judæos invaluerunt, recenset his verbis*: Erant, *inquit*, diversæ sectæ atque sententiæ in circumcisione, inter filios Israel adversus tribum Judæ, et adversus Christum: Essæi scilicet, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothæi, Samaritæ, Sadducæi, Pharisæi.

VI.

Ex libro v *Commentariorum*: — *Ex Stephano Gobaro apud Photium cod.* CCXXXII, *col.* 893.

Ὅτι τὰ ἡτοιμασμένα τοῖς δικαίοις ἀγαθὰ οὔτε ὀφθαλμὸς εἶδεν, οὔτε οὐς ἤκουσεν, οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου ἀνέβη. Ἡγήσιππος μέν τοι, ἀρχαῖός τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικὸς, ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν

Quod *bona quæ præparata sunt justis, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*[1]. Quanquam Hegesippus, vir antiquus et apostolicus, libro quinto *Commentariorum*, haud scio

[1] I Cor. II, 9 ; Isa. XLIV, 4.

Sed hoc ab Hegesippo dictum est in gratiam tribus Judæ, ex qua Christus originem duxit. Omnes igitur illas Judaismi hæreses viguisse ait, apud reliquas decem tribus, quæ proprio ac peculiari vocabulo Israel dicebantur, post divisionem regni Judæorum Roboami temporibus factam. Certe tribus Judæ in libris prophetarum Ecclesiæ personam denotat: decem vero tribus referuntur ad hæreticos, quorum maxima est multitudo, ut scribit Hieronymus in caput I Osee

(77) Ἐσσαῖοι, Γαλιλαῖοι, etc. Hæ sunt septem hæreses Judaici populi, quarum frequenter mentionem facit Hegesippus, ut in libris superioribus vidimus. Sed et Justinus in disputatione adversus Tryphonem totidem recenset hæreses Judæorum, sed eas aliis nominibus appellat. Verba Justini sunt hæc: Ὥσπερ οὐδὲ Ἰουδαίους ἄν τις ὀρθῶς ἐξετάσῃ, ὁμολογήσειεν εἶναι τοὺς Σαδδουκαίους, ἢ τὰς ὁμοίας αἱρέσεις. Γενιστῶν, καὶ Μεριστῶν, καὶ Γαλιλαίων, καὶ Ἑλληνιανῶν, καὶ Φαρισσαίων, καὶ Βαπτιστῶν. *Sicut neque Judæos, si quis recte perpenderit, dicat esse Sadducæos, aut ejusmodi hæreses, Genistarum et Meristarum, Galilæorum et Hellenianorum, Pharisæorum et Baptistarum.* Epiphanius quoque septem Judaismi hæreses agnoscit. Sed eas ita nominat: Scribas, Pharisæos, Sadducæos, Essæos, Nazaræos, Hemerobaptistas, Herodianos. In *Indiculo hæreseon*, qui tribuitur B. Hieronymo, decem numerantur hæreses Judæorum Qui locus quoniam illustris est, hic meretur apponi.

I. « Efinei dicunt, Christum docuisse illos omnem abstinentiam.

II, « Galilæi dicunt. Christum venisse et docuisse eos, ne dicerent dominum Cæsarem· neve ejus monetis uterentur.

III. « Marbonei dicunt, ipsum esse Christum, qui docuit illos in omni re sabbatizare.

IV. « Pharisæi negant Christum venisse, nec ulla in re cum prædictis communicant.

V. « Sadducæi negant resurrectionem dicentes: Dictum est ad Adam: Terra es, et in terram ibis.

VI. « Genistæ præsumunt, quoniam de genere Abrahæ sunt.

VII. « Meristæ, quoniam separant Scripturas, non credentes omnibus prophetis, dicentes aliis et aliis spiritibus prophetasse.

VIII. « Samaritæ, qui in locum Israel captivo et abducto in Babyloniam, translati sunt. Venientes in terram Samariæ regionis ex parte Israelitarum, consuetudinem quam sacerdote reducto didicerunt teneut; ex parte gentilem, quam in nativitatis suæ terra habuerunt. Nam in observationibus suis a Judæis omnino separantur, quorum superstitio procul dubio omnibus nota est.

IX. « Herodiani. Temporibus Salvatoris hæc hæresis exsurrexit. Hi Herodem magnificabant dicentes, ipsum esse Christum.

X. « Hemerobaptistæ, qui quotidie et corpora sua, et domum, et supellectilem lavant. »

Apud Isidorum in lib. VIII, *Originum* octo numerantur hæreses. Pharisæi scilicet, Sadducæi, Efinei, Morbonei, Genistæ, Meristæ, Samaritæ et Hemerobaptistæ. Denique Clemens in lib. I *Recognitionum* quinque duntaxat sectas Judæorum recenset, quæ schismata appellat: Sadducæos scilicet, Samaritas, Scribas, Pharisæos, et quosdam ex Joannis Baptistæ discipulis. « Cum enim, inquit, jam immineret ortus Christi, ad sacrificia quidem reprimenda, baptismi vero gratiam largiendam, inimicus ex his quæ prædicta fuerant, adesse tempus intelligens, diversa schismata operabatur in populo, ut si forte prius peccatum potuisset aboleri, secunda corrigi culpa non posset. Erat ergo primum schisma eorum, qui dicebantur Sadducæi, initio Joannis jam pene temporibus sumpto. Hique ut cæteris justiores, segregare se cœpere a populi cœtu, et mortuorum resurrectionem negare, » etc. Sed et paulo post idem Clemens non plures, quam quinque supradictas numerat sectas Judæorum. Mirabitur fortasse aliquis, cur inter has sectas Essæos prætermiserit. Cujus rei nullam aliam rationem excogitare possumus, nisi quod veteres Ecclesiæ Patres Essæis supra modum faverunt.

(78) Γαλιλαῖοι. Hos quoque inter Judæorum hæreticos recensent Justinus et Hieronymus. Auctor ac princeps hujus sectæ fuit Judas Galilæus, qui post exsilium regis Archelai, cum Romani in Judæa censum agere vellent, populares suos ad retinendam pristinam libertatem excitavit· et quartam sectam invexit Galilæorum, ut scribit Josephus in libro II *De bello Judaico*.

(79) Μασβωθαῖοι. In tribus nostris codicibus Maz., Med et Fuket. legitur Μασβώθεοι accentu in antepenultimam syllabam rejecto. In *Indiculo* Hieronymi Marbonei dicuntur; apud Isidorum vero Morbonei. Cæterum hi Masbothæi distinguendi sunt ab illis, quorum paulo ante meminit Hegesippus. Hi enim erant ex septem sectis Judaici populi quæ circa Christi tempora exortæ sunt. Illi vero ex septem illis Judæorum sectis propagati sunt, perinde ac Simoniani, Dositheani atque Gortheni. Mihi quidem mendum subesse videtur in alterutro Hegesippi loco. Apud Rufinum Masbuthei dicuntur illi inter Judaicas sectas quarto loco numerati. Alii vero ex illis prognati sectis dicuntur Masbutheani. Sic enim scribitur in optimo codice Parisiensis Ecclesiæ.

(80) Σαμαρεῖται. Rectius Epiphanius Samaritas a Judæis distinxit; et Judæorum quidem septem hæreses recensuit, Samaritanorum vero quatuor. Hegesippum tamen secuti sunt Hieronymus, seu quisquis est auctor *Indiculi*, Isidorus, Honorius Augustodunensis et alii, qui Samaritas inter Judæorum hæreses retulerunt, late scilicet sumentes nomen Judæorum, Atque ita sensisse videtur Hegesippus, cum ait: Ἦσαν δὲ γνῶμαι διάφοροι ἐν τῇ

quid in animo habens (*aut* quanam ratione permotus), frustra hæc dici ait ; et eos qui hæc loquuntur, mentiri adversus sacram Scripturam, et contra Dominum dicentem : *Beati oculi vestri qui vident, et aures vestræ quæ audiunt*[2], etc.

Ὑπομνημάτων, οὐκ οἶδα ὅ τι καὶ παθὼν (81) μάτην μὲν εἰρῆσθαι ταῦτα λέγει, καὶ καταψεύδεσθαι τοὺς ταῦτα φαμένους, τῶν τε θείων Γραφῶν, καὶ τοῦ Κυρίου λέγοντος· Μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ ὑμῶν οἱ βλέποντες, καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν τὰ ἀκούοντα, καὶ τὰ ἑξῆς.

VII.

Apud Georgium Syncellum, in Chronograph., *pag.* 344.

Hujus (Clementis) germanam ad Corinthios epistolam, quasi a Romana Ecclesia, tumultus cujusdam Corinthi exorti occasione scriptam, ab Ecclesia vulgo recipi, et coram publice legi, auctor est Hegesippus.

Τούτου (Κλήμεντος) ἐπιστολὴ μία γνησία Κορινθίοις φέρεται, ὡς ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας γραφεῖσα, στάσεως ἐν Κορίνθῳ συμβάσης τότε, ὡς μαρτυρεῖ Ἡγήσιππος, ἥτις καὶ ἐκκλησιάζεται.

[2] Matth. XIII, 16.

περιτομῇ. Sed quod subjicit, ἐν υἱοῖς Ἰσραήλ, id jam excusari non potest, cum Samaritani nunquam pro filiis Israel habiti fuerint.

(81) Οὐκ οἶδα ὅ τι καὶ παθών. Cotelerius, cujus versionem sexti hujus fragmenti utpote exactiorem protulimus, in notis ad *Constit. apost.* lib. VI, cap. 16, ad hunc locum hæc habet : Quia, teste Hieronymo in Isaiæ LXIV, 4, legebatur in opere apocrypho inscripto *Ascensio Isaiæ*, quod ab Apostolo citatur I Cor. II, 9 : *Quod oculus non vidit*, etc., accusat autem Hegesippum Stephanus Gobarus Tritheita apud Photium, quod hoc esse falsum putaverit : suspicari quis posset ita factum ab Hegesippo in contemptum voluminis apocryphi. Verum aliter ego conjicio, ac Hegesippum culpa carere arbitror ; ut qui non neget verum aliquando exstitisse, ea quæ Deus suis præparavit, invisa esse, inaudita et incognita : sed qui velit, amplius verum non esse post incarnationem et missionem sancti Spiritus ; subjungente Paulo : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum ;* atque Hegesippo confirmante sententiam suam per testimonium Matth. XIII. Hactenus vir doctissimus.

PANTÆNUS

NOTITIA.

(Routh, *Reliquiæ sacræ*, Oxonii, 1814, I, 337.)

S. Hieronymus, libro *De viris illustribus*, cap. 36.

Pantænus, Stoicæ sectæ philosophus, juxta quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi (1) a Marco evangelista semper ecclesiastici fuere doctores : tantæ prudentiæ et eruditioais tam in Scripturis divinis, quam in sæculari litteratura, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis a Demetrio Alexandriæ episcopo mitteretur (2). Ubi reperit Bartholomæum de duodecim apostolis adventum Domini nostri Jesu Christi juxta Matthæi Evangelium prædicasse, quod Hebraicis litteris scriptum (3), revertens Alexandriam secum detulit (4). Hujus multi quidem in sanctam Scripturam exstant commentarii, sed magis viva voce Ecclesiis profuit. Docuitque sub Severo (5) et Antonino cognomento Caracalla.

(1) Habet Eusebius, lib. V *Hist.* cap. 10 : Ἐξ ἀρχαίου ἔθους διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ' αὐτοῖς συνέστῶτος. Fabricius. Cæterum Origenes in epistolæ fragmento ab Eusebio lib. VI, cap. 19, conservato, in quo se defendit adversus eos qui nimium studium erga Græcorum disciplinas sibi objecerant, Pantæni et Heraclæ hujus scholæ præfectorum exempla appellans : Τοῦτο δὲ πεποιήκαμεν, inquit, μιμησάμενοί τε τὸν πρὸ ἡμῶν πολλοὺς ὠφελήσαντα Πάνταινον, οὐκ ὀλίγην ἐν ἐκείναις ἐσχηκότα παρασκευήν, καὶ τὸν νῦν ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ χαθεζόμενον Ἀλεξανδρέων Ἡρακλᾶν.

(2) Haud diserte ait Eusebius, Pantænum a Demetrio episcopo in Indiam missum fuisse, sed statim post Juliani prioris episcopi commemorationem profectionem ejus narrat ; sed tamen ea poterat illo tempore accidere, quod Hieronymus signavit.

(3) Non ait Eusebius Evangelium Matthæi Hebraicis scriptum litteris Alexandriam relatum a Pantæno, sed tantum a Bartholomæo traditum Indis, et ad Pantæni usque ætatem ibi servatum. Fabr. — Cl. P. Paulinus a S. Bartholomæo in *India orientali Christiana*, p. 142 : « Effigiem S. Thomæ apostoli et Pantæni presbyteri scholæ Alexandrinæ præfecti ex valvis æneis Basilicæ S. Pauli, via Ostiensi, Constantinopoli anno Christi 1070, sub consule Pantaleone scalpro incisis exhibet Ciampinius in opere inscripto : *Vetera monumenta*, part. I, cap. 4, p. 38, quadr. XXVII. Pantænus dextra manu tenet Evangelium S. Matthæi, quod ipse primus post S. Thomam Indis prædicavit ; et S. Thomæ martyrium in India hac Græca epigraphe inscribitur :

« Ὁ ΑΓΙΟΣ ΘΩΜΑΣ ΑΟΧΙ (for. ΑΟΡΙ) ΥΠΟ
« ΗΝΔΙΑ ΤΕΛΗΟΥΤΕ.
« *S. Thomas lancea in India.*
« *Moritur.*

« Confer Blanchini *Demonstr. Hist. Eccl. Monum Comp.* Tab. III, sæculi II, num. 40 et 4. »

(4) Non videtur Hieronymus scripta aliqua Pantæni evolvisse, sed tantum exprimere voluisse Eusebii verba, quibus tamen nullorum in sanctam Scripturam commentariorum mentio : Ζώσῃ φωνῇ καὶ διὰ συγγραμμάτων τοὺς τῶν θείων δογμάτων θησαυροὺς ὑπομνηματιζόμενος. Rufin. : *Tam viva voce discipulos instruens, quam librorum monumentis etiam posteris thesauros scientiæ derelinquens.* Fabric. Attamen vera mihi quidem interpretatio Hieronymi videtur.

(5) Ex Eusebio colligas jam sub Commodo clarum Pantæni in schola Alexandrina nomen fuisse. Nam

PAUCULA QUÆDAM
PANTÆNI,

PHILOSOPHI ALEXANDRINI, POST MEDIUM SÆCULUM SECUNDUM ILLUSTRIS.

I.

Exstant hæc in Eclogis ex Prophetis, *quas a Theodoto fortasse scriptas Clemens Alex.* (6) *vel alius quidam collegit*, § 56, *p.* 1002, *ed. Potteri*, Op. S. Clem. Al.

Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Ἔνιοι μὲν οὖν φασι τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἐν τῷ ἡλίῳ αὐτὸν ἀποτίθεσθαι, ὡς Ἑρμογένης. Σῶμα δὲ λέγουσιν οἱ μὲν, τὸ σκῆνος αὐτοῦ, οἱ δὲ τὴν τῶν πιστῶν Ἐκκλησίαν. Ὁ Πανταῖνος δὲ ἡμῶν ἔλεγεν (7), ἀορίστως τὴν προφητείαν ἐκφέρειν (8) τὰς λέξεις, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, καὶ τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ μέλλοντος χρῆσθαι χρόνῳ, καὶ πάλιν τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ παρῳχηκότος (9)·

A *In sole posuit tabernaculum suum* [1]. Proinde dicunt quidem nonnulli, ipsum Salvatorem corpus suum in sole posuisse, ut Hermogenes. Corpus autem dicunt: alii quidem tabernaculum suum, alii Ecclesiam fidelium. Noster autem Pantænus dixit, indefinite voces prophetas efferre in pluribus, et præsenti pro futuro uti, et rursus præsenti tempore pro præterito.

[1] Psal. XIX, 4.

v. 9 cum narrasset Commodi anno primo episcopum Alexandriæ factum Julianum, subjungit c. 10: Ἡγεῖτο δὲ τηνικαῦτα τῆς τῶν πιστῶν αὐτόθι διατριβῆς τῶν ἀπὸ παιδείας ἀνὴρ ἐνδοξότατος, ὄνομα αὐτῷ Πανταῖνος. FABRICIUS. — Commodus imperium post patrem iniit an. 180, Severus an. 193. Caracalla cum patre Severo an. 198, post patrem autem an. 211.

(6) *Clemens Alex.* A Clemente in *Hypotyposibus*, opere jam diu perdito, Pantænum tanquam magistrum suum commemoratum fuisse novimus, atque ibidem interpretationes ejus S. Scripturæ traditionesque adductas. Hæc enim Eusebius lib. VI *Hist.*, cap. 13, ostendit; Ἰσάριθμοί τε τούτοις (memoraverat ante Eusebius octo libros Clementis *Stromatum*) εἰσὶν οἱ ἐπιγεγραμμένοι Ὑποτυπώσεων αὐτοῦ λόγοι, ἐν οἷς ὀνόμαστὶ ὡς διδασκάλου Πανταίνου μνημονεύει ἐκδοχάς τε αὐτοῦ γράφων καὶ παραδόσεις ἐκτιθέμενος.

(7) Ὁ Πανταῖνος δὲ ἡμῶν ἔλεγεν. De hac Pantæni sententia (ait Dupinius *Ecclesiast. auctorum Biblioth.* vol. I, p. 119, ed. Lat.) « apud Theodotum fit mentio quasi ab eo prolata, non scripta. » Sed vero Cavius *Hist. lit.* in voce, hæc adducta esse C ex libris Pantæni, haud aliter atque Halloixius, existimat, nec tamen κατὰ λέξιν. Atque pertinuisse ea ad Pantæni commentarium quemdam in Psalmum nonum decimum, vult Lardnerus, cum omnia quæ apud Theodotum sequuntur, ipsius Pantæni esse censeat. Dum vero Dupinius, loco supra allato, solum canonem ad interpretandam S. Scripturam constitutum eidem tribuit, rectius hanc quidem rem administrat, etenim verba mox infra collocata, ὃ καὶ νῦν φαίνεται et quæ sequuntur, ad eclogistam magis pertinere videntur, quam ad Pantænum. Hermogenem autem, qui hic commemoratur, hæresiarcham fuisse, adversus quem scripserunt Theophilus Antiochenus, Origenes, Tertullianus, aliique, notavit Halloixius in *Vitis Patrum Oriental.* tom. II, p. 851, qui etiam ostendit, Theodoretum de eo agere lib. I *Hæret. fab.*, cap. 19, ubi Hermogenis opinio illa de corpore Christi apud solem sito recensetur. Quæ quidem opinio, sermone vix Græco hoc *Eclogarum* D loco allata, orienti originem suam debet.

Cæterum Anastasius Sinaita in duobus locis supra ad Papiæ Fragmenta adductis, vide pagg 15 et 16 Pantænum cum aliis ssriptoribus junctum commemoravit qui totum opus sex dierum, seu Hexaemeron, paradisumque de Christo et Ecclesia intellexeunt; indeque librum scripsisse Pantænum in ipsum Hexaemeron sibi collegit Halloixius, sed minus firme, opinor. Denique Maximus *Præfatione in Opera S. Dionysio Areop. ascripta* mentionem B fecit scriptorum Pantæni, p. 36. Vid. supra locum in notis ad S. Apollinarem, p. 156.

(8) Ἀορίστως τὴν προφητείαν ἐκφέρειν. Ex his itaque patet Pantænum posuisse hunc ad intelligendas prophetias canonem utilissimum et plane necessarium, quem et omnee hodie usurpant sacræ Scripturæ interpretes: nempe verba in prophetis, ut plurimum indefinite esse posita, hoc est, præsenti interdum pro futuro, futurum pro præterito, præteritum pro futuro, sicque de aliis Nam prophetæ in illo pleno revelatæ veritatis lumine res omnes quamvis multo post futuras tam clare ac dilucide iuetuebantur, quam si coram oculis eas haberent, et jam fierent, aut factæ jam essent. HALLOIXIUS.

(9) Καὶ πάλιν τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ παρῳχηκότος. Potterus ait: « Sylburgio visum est legi debere ordine inverso, τῷ παρῳχηκότι ἀντὶ τοῦ ἐνεστῶτος, id certe innuunt sequentia. » Illud vero, mea quidem sententia, vix colligas ex sequentibus eclogistæ verbis, ubi sola priora illa Pantæni: ἀορίστως τὴν προφητείαν ἐκφέρειν λέξεις, ni fallor, spectantur. Porro « præsens pro præterito » poni solitum esse ait Didymus, in Opere Bononiæ haud ita pridem primum edito, *De Trinitate*, lib. III, cap. 3, p. 342: Πολλὰ γὰρ τοῦτο μὲν μέλλοντα γίνεσθαι ὡς ἤδη γενόμενα, τοῦτο δὲ καὶ γενόμενα ὡς ἔτι γινόμενα, ἢ ἐσόμενα, προλέγειν εἴωθεν τὸ πάντα εἰδὸς καὶ δυνάμενον Πνεῦμα ἅγιον. Hic vero omittitur Pantæni illud: Τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ μέλλοντος χρῆσθαι χρόνῳ, contra a Didymo additum est loquendi genus secundum Hebraicæ linguæ idiotismum apud prophetas satis obvium, quo præterita pro futuris ponuntur. Quod itidem his verbis memoravit æqualis Pantæni Tertullianus lib. III *adv. Marcion.*, cap. 5: « Futura interdum pro jam transactis enuntiantur; nam et Divinitati competit, quæcunque decreverit, ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam uniformem statum temporis dirigit æternitas ipsa. Et divinationi propheticæ magis familiare est, id quod prospiciat, dum prospicit, jam visum atque ita jam expunctum, id est omni modo futurum demonstrare; sicut per Isaiam: *Dorsum meum posui in flagella, maxillas autem meas in palmas, faciem vero meam non averti a sputaminibus.* » Ejusdem denique enalla-

II.

Exstant hæc ad pag. 19 Scholiorum *Maximi* in Sanctum Gregorium Theol. *quæ cum Opere Joannis Erigenæ Scoti* De divisione naturæ, *Thomas Gale V. el. edidit.*

Has autem quas dixeram rationes ipse quidem Areopagita sanctus Dionysius prædestinationes et divinas voluntates vocari a divina Scriptura nos edocet. Similiterque et qui sint circa Pantænum magni Clementis amicum, qui factus est magister Stromatei (*verte*, et Pantænus qui magister fuit Clementis magni Stromatei, GALE) divinas voluntates a Scriptura vocari dicunt ; inde interrogati a quibusdam superbis in eorum eruditione quæ extrinsecus suut, qnomodo cognoscere ea quæ sunt Deum æstimant Christiani, suscipientibus illis intellectualiter intelligibilia et sensualiter sensibilia eum cognoscere ea quæ sunt, respondemus (respondebant), neque sensualiter sensibilia, neque intellectualiter intellectualia. Non enim esse possibile est, ut ostendit ratio, eum qui est super ea quæ sunt, per ea quæ sunt, ea quæ sunt accipere ; sed sicut suas voluntates cognoscere eum dicimus ea quæ sunt, addentes etiam ex causa ratiocinationem ; si enim voluntate omnia fecit, et nulla contradicit ratio, cognoscere autem suam voluntatem Deum, semper pium dicere et justum est ; unumquodque vero eorum quæ facta sunt volens fecit ; igitur ut suas voluntates Deus cognoscit ea quæ sunt, quoniam et volens ea quæ sunt fecit. Hinc et ego aspiciens censeo secundum has dixisse Scripturam rationes hoc : *Cognoscebam*, etc.

A Τούτους δὲ ὡς (ἴσ. οὕς) ἔφην λόγους, ὁ μὲν Ἀρεοπαγίτης ἅγιος Διονύσιος προορισμοὺς καὶ θεῖα θελήματα καλεῖσθαι ὑπὸ τῆς Γραφῆς ἡμᾶς ἐκδιδάσκει. Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ περὶ Πάνταινον τὸν γενόμενον καθηγητὴν τοῦ Στρωματέως μεγάλου Κλήμεντος θεῖα θελήματα τῇ Γραφῇ φίλον καλεῖσθαί φασιν, ὅθεν ἐρωτηθέντες ὑπό τινων τῶν τὴν ἔξω παίδευσιν γαύρων, πῶς γινώσκειν τὰ ὄντα τὸν Θεὸν δοξάζουσιν Χριστιανοί, ὑπειληφότων ἐκείνων νοερῶς τὰ νοητὰ, καὶ αἰσθητικῶς τὰ αἰσθητὰ γινώσκειν αὐτὸν τὰ ὄντα, ἀπεκρίναντο· Μήτε αἰσθητῶς τὰ αἰσθητὰ, μήτε νοερῶς τὰ νοητά. Οὐ γὰρ εἶναι δυνατὸν (10) τὸν ὑπὲρ τὰ ὄντα κατὰ τὰ ὄντα τῶν ὄντων λαμβάνεσθαι· ἀλλ' ὡς ἴδια θελήματα γινώσκειν αὐτὸν τὰ ὄντα φαμὲν, προσθέντες καὶ τοῦ λόγου τὸ εὔλογον· εἰ γὰρ θελήματι τὰ πάντα πεποίηκε, καὶ οὐδεὶς ἀντερεῖ λόγος, γινώσκειν δὲ τὸ B ἴδιον θέλημα τὸν Θεὸν, εὐσεβές τε λέγειν ἀεὶ καὶ δίκαιόν ἐστιν, ἕκαστον δὲ τῶν γεγονότων θέλων πεποίηκεν, ἆρα ὡς ἴδια θελήματα ὁ Θεὸς τὰ ὄντα γινώσκει, ἐπειδὴ καὶ θέλων τὰ ὄντα πεποίηκεν. Ἐντεῦθεν δὲ ὁρμώμενος ἔγωγε οἶμαι, κ. τ. λ.

ges exempla affert Adriani *Isagoge in sanctam Scripturam* ab Hœschelio edita, num. 43, p. 17. Sed satis isthæc. — Παρψχηκότος. Scribere pergit eclogista : Ὃ καὶ νῦν φαίνεται. Τὸ γὰρ Ἤθετο, καὶ ἐπὶ τοῦ παρψχηκότος καὶ ἐπὶ τοῦ ἐσομένου τάσσεται. Ἐπὶ μὲν τοῦ ἐσομένου· ὅτι πληρωθείσης ταύτης τῆς κατὰ τὴν παρουσίαν (παροῦσαν conj. Potterus) κατάστασιν περιόδου, ὁ Κύ- C ριος ἐλεύσεται, καὶ τοὺς δικαίους, τοὺς πιστοὺς, οἷς ἐπαναπαύεται· καθάπερ σκηνῇ (ἓν γὰρ σῶμα οἱ πάντες, ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, τὴν τὐτὴν πίστιν καὶ δικαιοσύνην ἐλόμενοι), εἰς τὴν αὐτὴν ἑνότητα ἀποκατασταθησόμενος. Ἀλλ' οἱ μὲν, ὡς κεφαλή· οἱ δὲ, ὡς ὀφθαλμοί· οἱ δὲ, ὡς ὦτα· οἱ δὲ, ὡς χεῖρες· οἱ δὲ, ὡς στήθη· οἱ δὲ, ὡς πόδες, ἐν ἡλίῳ τεθήσονται φωτεινοί. *Quod et nunc apparet. Quippe illud*, Posuit, *pro præterito et futuro ponitur. Pro futuro quidem, quod periodo status hujnsce præsentis impleta, veniet Dominus, ac justos, nempe fideles, in quibus quasi in tabernaculo conquiescit (unum enim corpus omnes sunt, ex eodem genere, qui fidem eamdem ac justitiam receperint), in eamdem unitatem restituturus. At hi quidem ut caput, illi vero ut oculi, hi quidem ut aures, illi vero ut manus, hi denique uti pectora, illi vero ut pedes, in sole collocabuntur lucidi.*

(10) Οὐ γὰρ εἶναι δυνατόν, etc. Verba ad usque illa : Ἐντεῦθεν δὲ ὁρμώμενος ἔγωγε οἶμαι, etc., vel certe ad hæc ipsa : Ἀλλ' ὡς ἴδια θελήματα, etc., Pantæno potius quam Maximo attribuenda esse putaverim. — Cæterum obiter notabo, codicem ms in bibliotheca Bodleiana numero 128 signatum, qui S. *Maximi de diversis dubiis apud Dionysium et Gregorium*, inscribitur, epistolam tantum ejusdem Maximi ad Thomam continere, quæ ad pag. 46 editionis unicæ Galeanæ sic incipit : Ἁπλανοῦς θεωρίας ἐξ ἐμμελοῦς περὶ τὰ θεῖα σπουδῆς, etc.

RHODON

NOTITIA

(ROUTH, *Reliquiæ sacræ*, I, 347.)

S. HIERONYMUS, *De viris illustribus*, cap. 37.

Rhodon, genere Asianus, a Tatiano, de quo supra diximus, Romæ in Scripturis eruditus, edidit plurima; præcipuumque *adversus Marcionem* opus, in quo refert, quomodo ipsi quoque inter se Marcionitæ discrepent ; et Apellem senem alium hæreticum a se quondam fuisse convictum, et risui habitum, eo quod Deum, quem coleret, ignorare se diceret. Meminit in eodem libro, quem scripsit ad Callistionem, Tatiani se Romæ fuisse auditorem. Sed et in Hexaemeron elegantes tractatus composuit, et adversus Phrygas insigne opus (1) : temporibusque Commodi et Severi floruit.

(1) Fuit Hieronymus in ea sententia, Rhodonem esse auctorem trium librorum *adversus Montanistas* ad Abercium Marcellum, equibus fragmenta exstant apud Eusebium v. 16 et 17. Itaque et infra, cap 39.

RHODONIS,

QUI VERGENTE AD FINEM SÆCULO SECUNDO FLORUIT.

FRAGMENTA.

Ex Opere adversus Marcionis hæresin, ad Callistionem, ap. Euseb. Hist. *lib.* v, *cap.* 13.

1..... Διὰ τοῦτο καὶ (2) παρ' ἑαυτοῖς ἀσύμφωνοι γεγόνασιν (Marcionitæ), ἀσυστάτου γνώμης ἀντιποιούμενοι. Ἀπὸ γὰρ τῆς τούτων ἀγέλης Ἀπελλῆς μὲν ὁ τῇ πολιτείᾳ σεμνυνόμενος καὶ τῷ γήρᾳ (3), μίαν ἀρχὴν ὁμολογεῖ· τὰς δὲ προφητείας (4) ἐξ ἀντικειμένου λέγει πνεύματος· πειθόμενος ἀποφθέγμασι (5) παρθένου δαιμονώσης ὄνομα Φιλουμένης (6). Ἕτεροι δὲ καθὼς καὶ αὐτὸς ὁ ναύτης Μαρκίων (7), δύο ἀρχὰς εἰσ-

A I. Propterea inter se ipsi dissentiunt, quippe qui ejusmodi doctrinam tuentur quæ omnino stare non potest. Nam ex illorum grege Apelles quidem sanctioris vitæ cultum et senectutem præ se ferens, unum fatetur esse principium ; prophetarum autem oracula ex adversario spiritu profecta esse dicit, virginis cujusdam dæmoniacæ nomine Philumenæ responsis inductus. Alii vero perinde ac Marcion

Hieronymus ait Rhodonem Miltiadis meminisse «in opere suo quod adversus Montanum, Priscam, Maximillamque composuit. » Fabricius. De horum librorum *adversus Montanistas* auctore plura nos ad eorumdem Fragmenta.

(2) Διὰ τοῦτο καί, etc. Præmisit Eusebius : Ἐν τούτῳ (regnante Commodo) καὶ Ῥόδων γένος τῶν ἀπὸ Ἀσίας· μαθητευθεὶς ἐπὶ Ῥώμης, ὡς αὐτὸς ἱστορεῖ, Τατιανῷ, ὃν ἐκ τῶν πρόσθεν ἔγνωμεν, διάφορα B συντάξας βιβλία, μετὰ τῶν λοιπῶν καὶ πρὸς τὴν Μαρκίωνος παρατάττεται αἵρεσιν· ἦν καὶ ἐς διαφόρους γνώμας κατ' αὐτὸν διαστᾶσαν ἱστορεῖ· τοὺς τὴν διάστασιν ἐμπεποιηκότας ἀναγράφων, ἐπ' ἀκριβές τε τὰς παρ' ἑκάστῳ τούτων ἐπινενοημένας διελέγχων ψευδολογίας. Ἄκουε δ' οὖν καὶ αὐτοῦ ταῦτα γράφοντος· Διὰ τοῦτο καί, etc. « Per idem tempus Rhodon oriundus ex Asia, et in urbe Roma, ut ipse scribit, a Tatiano illo cujus supra meminimus eruditus, varios conscripsit libros, et cum reliquis adversus Marcionis hæresim decertavit. Quam quidem sua ætate in diversas scissam esse sententias narrat, auctores illius dissensionis in libris suis referens, et mendacia a singulis eorum excogitata diligenter coarguens. Audi ergo, si placet, eum ita scribentem :» Propterea, *iuquit*, inter, etc.

(3) Ἀπελλῆς μὲν ὁ τῇ πολιτείᾳ σεμνυνόμενος καὶ τῷ γήρᾳ. Rufinus vertit : *qui abstinentiæ et senectutis prærogativa usus*, etc. Recte ; nam πολιτεία simpliciter et absolute poni solet pro abstinentia et C strictiore quadam disciplina. Ita Clemens Alexandrinus in exordio libri primi *Stromat.* bis usurpat. Sed non video, quomodo Apelles jactare se ob continentiam potuerit, qui a Marcione ob stuprum ejectus Alexandriam secessit, ut auctor est Tertullianus in libro *De præscriptionibus* (§ 30). Quocirca videndum ne vox πολιτεία hoc loco aliud quidpiam significet, et pro decurionatu sumatur. Nam decuriones, πολιτευόμενοι seu πολιτευταί dicebantur a Græcis, ut pluribus notavi ad Amm. Marcellinum. Posset etiam quis suspicari, scribendum hic esse τῇ πολιᾷ σεμ. καὶ τῷ γήρᾳ. Nam senex Apelles vulgo dicebatur. Sic eum nominat Rhodon infra, et Hieronymus in *Catalogo*. Confirmat hanc emendationem Eusebius in lib. VI, cap. 39, ubi de Alexandro episcopo : Αἰπαρῷ γήρει καὶ σεμνῇ πολιᾷ κατεστεμμένος. Sed et Simeon Metaphrastes in *Actis Phileæ* ita loquitur : Καὶ πῶς τοιαύτῃ φησὶν γήρᾳ καὶ πολιᾷ σεμνυ- D νόμενος, etc. Verba sunt Judicis apud Phileam. Valesius. — Ex verbis vero Rhodonis ductum est a nonnullis argumentum contra narrationis Tertulliani veritatem. Vid. Lardneri *Hæreticorum hist.*

opus posthumum, cap. 12, § 3. Cæterum additum est ἀπό ante voces καὶ τῷ γήρᾳ in cod. Bodl. quasi in eo positus esset gignendi casus. Exhibet τό ms. Norfolc. Nicephorus τὴν πολιτείαν et τὸ γήρα.

(4) Τὰς δὲ προφητείας, etc. Conferas Rhodonis ῥῆσιν III, Eusebiumque post fragmenta allatum.

(5) Ἀποφθέγμασι. Ἀποφθέγματι, Ed Steph. Exstat lectio altera apud Niceph. Gruteri Lectt. Valesii ed. codicesque nostros mss. Mox apud Niceph. legitur δαιμονιώδους παρθένου.

(6) Ὄνομα Φιλουμένης. Philumenæ duobus in locis operis a Valesio ante laudati mentionem facit Tertullianus, scil. capp. 6 et 30 libelli *De præscriptione hæret.* In posteriore autem horum locorum hæc scribuntur : « Si et Apellis stemma retractandum est, tam non vetus et ipse, quam Marcion institutor et præformator ejus ; sed lapsus in feminam desertor continentiæ Marcionensis ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum, qua jam non Marcionites, in alteram feminam impegit, illam virginem Philumenen, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum et ipsam ; cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit Phaneroseis scripsit. »

(7) Ὁ ναύτης Μαρκίων. Hæc est codicis Regii lectio, quam confirmat interpretatio Rufini. Sic enim ille : « Alii autem, sicut ipse nauta Marcion, duo esse principia introducunt. » Certe Tertullianus in libro *De præscriptionibus*, testatur Marcionem initio navicularium fuisse. « Ubi tunc, inquit, Marcion Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus ? » Et in libro I *adversus Marcionem*, cap. 18 : « Nos Marcionem nauclerum novimus, non regem, non imp. » Et in lib. III, cap. 6 et lib. IV, cap. 9, et initio lib. V. In reliquis tamen exemplaribus Maz., Med. et Fuketii, necnon apud Nicephorum desunt hæ voces ὁ ναύτης. Valesius. — Omittunt Codicis quoque Veneti lect. et margo ed. Genev. Dici posset, enatam esse hanc vocem ex vicina αὐτός, sed cum Marcionem nautam fuisse, certe sic appellatum esse, ex Tertulliano constet, nostraque lectio, utpote in Rufino jam obvia, sit antiquior altera, dicendum potius est, ab eadem voce αὐτός absorptam esse hanc jam ante Nicephori tempora in nonnullis codd. Cæterum haud displicet S. V. Walchii sententia, qui ob Pontum patriam, rei nauticæ admodum deditam, Marcioni hanc appellationem inditam putat. Stroth. — **Desunt voces ὁ ναύτης in cod. quoque Savil. et in versione Valesii ; sed in ms. Norfolc. ὁ σὺν αὐτοῖς pro ὁ ναύτης scriptum exstat.**

ipse,duo inducunt principia: inter quos est Potitus et Basilicus. Hi ergo Ponticum illum lupum secuti, cum divisionem rerum æque ac ille reperire non possent,ad temeritatem deflexerunt, et duo rerum principia nude et absque ulla demonstratione pronuntiarunt. Alii rursus ab his tanquam tempestate in pejus abrepti,non duas solum, sed tres naturas posuerunt; quorum, ut disciplinæ illius sectatores memorant, princeps et antesignanus fuit Syneros.

Idem Rhodon se cum Apelle collocutum esse scribit his verbis:

II. Senex enim Apelles inito nobiscum colloquio, multa quidem perperam dicere convictus est. Quamobrem etiam asserebat non esse omnino examinandam fidem, sed unumque in eo quod semel imbibisset,perstare oportere. Quippe eos in crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmabat, dummodo in bonis operibus deprehenderentur. Rem vero omnium obscurissimam esse statuebat, ut diximus, quæstionem de Deo. Unum siquidem principium esse dicebat, sicut et nostra religio docet.

Universa deinde ejus doctrina in medium prolata, hæc subjungit:

III. Cum vero ipsi dicerem: Unde hæc tibi demonstratio, aut qua ratione affirmare potes unum esse principium? Dic nobis, si placet; tum ille respondit prophetias, eo quod nihil omnino veri dicant, se ipsas refellere. Sunt enim,aiebat, dissonantes et falsæ, ac sibimetipsis contrariæ. Porro qua ratione unicum esset principium, se quidem nescire profitebatur; sed tamen moveri atque impelli ut ita sentiret. Post hæc cum eum jurejurando

A ηγοῦνται· ἀφ' ὧν εἰσι Πόντιτός (8) τε καὶ Βασιλικός. Καὶ οὗτοι μὲν κατακολουθήσαντες τῷ Ποντικῷ Λύκῳ (9), καὶ μὴ εὑρίσκοντες τὴν διαίρεσιν τῶν πραγμάτων ὡς οὐδὲ ἐκεῖνος, ἐπὶ τὴν εὐχέρειαν ἐτράποντο, καὶ δύο ἀρχὰς ἀπεφήναντο ψιλῶς καὶ ἀναποδείκτως. Ἄλλοι δὲ πάλιν ἀπ' αὐτῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐξοκείλαντες, οὐ μόνον δύο, ἀλλὰ καὶ τρεῖς ὑποτίθενται φύσεις· ὧν ἐστιν ἀρχηγὸς καὶ προστάτης Σύνερως (10), καθὼς οἱ τὸ διδασκάλιον αὐτοῦ προβαλλόμενοι λέγουσι.

Γράφει δὲ ὁ αὐτὸς (Rhodon), inquit Eusebius, ὡς καὶ εἰς λόγους ἐληλύθοι τῷ Ἀπελλῇ, φάσκων οὕτως·

B II. Ὁ γὰρ γέρων Ἀπελλῆς συμμίξας ἡμῖν, πολλὰ μὲν κακῶς λέγων ἠλέγχθη. Ὅθεν καὶ ἔφασκε μὴ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον, ἀλλ' ἕκαστον ὡς πεπίστευκε διαμένειν. Σωθήσεσθαι γὰρ τοὺς ἐπὶ τὸν ἐσταυρωμένον ἠλπικότας ἀπεφαίνετο· μόνον ἐὰν ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς εὑρίσκωνται (11). Τὸ δὲ πάντων ἀσαφέστατον (12) ἐδογματίζετο αὐτῷ πρᾶγμα, καθὼς προειρήκαμεν, τὸ περὶ Θεοῦ (13). Ἔλεγε γὰρ (14) μίαν ἀρχήν, καθὼς καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος.

Εἶτα προθεὶς (15) (inquit Eusebius) αὐτοῦ (Apellis) πᾶσαν τὴν δόξαν ἐπιφέρει φάσκων·

C III. Λέγοντος δέ μου πρὸς αὐτόν· Πόθεν ἡ ἀπόδειξις αὕτη σοι, ἢ πῶς δύνασαι λέγειν μίαν ἀρχήν; Φράσον ἡμῖν· ἔφη τὰς μὲν προφητείας ἑαυτὰς ἐλέγχειν, διὰ τὸ μηδὲν ὅλως ἀληθὲς εἰρηκέναι. Ἀσύμφωνοι γὰρ ὑπάρχουσι καὶ ψευδεῖς, καὶ ἑαυταῖς ἀντικείμεναι. Τὸ δὲ πῶς ἐστι μία ἀρχή, μὴ γινώσκειν ἔλεγεν, οὕτω δὲ κινεῖσθαι μόνον. Εἶτ' ἐπομοσαμένου μου τἀληθῆ εἰπεῖν, ὤμνυεν ἀληθεύων λέγειν (16), μὴ ἐπίστασθαι (17) πῶς εἷς ἐστιν ἀγέννητος θεός, τοῦτο δὲ πιστεύ-

(8) Πόντιτος. Πότιμος ed. Steph. Rectius in codice Maz., Med., Fuk. et Saviliano legitur Πόντιτος. Sic enim Theodoretus in libro I *Hæreticarum fabularum*, et Rufinus eum nominant. Valesius. — Citat testem pro lectione Πότιμος Strothius Christophorsonum; cujus tamen versio *Potinum* præfert, notatque vir cl. Πόντικος apud Niceph. exstare,quod quidem ms. noster Norfolc. habet.

(9) Τῷ Ποντικῷ Λύκῳ. Ittigius Dissert. *De hæresiarchis*, sect. II, cap. 8, pag. 156: « Inter Marcionis discipulos fuit Lucanus, quem sub nomine Λύκου, seu Lupi Pontici a Rhodone apud Eusebium lib. v, cap. 13 *Histor. Eccles.*, intelligi existimat Baronius. Verum Marcioni potius id cognomentum a Rhodone attributum fuisse,præcedentium verborum contextus indicat. »

(10) Προστάτης Σύνερως. Πρωτοστάτης Σ. ms. Norfolc. Gallandius, qui in tomo II *Bibliothecæ* suæ *Patrum* Rhodonis fragmenta posuit. S. Augustinum hic affert in lib. *De hæres.* cap. 22: « Marcion, a quo Marcionitæ, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia,Bonum,Justum, Pravum. Sed Eusebius Synerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem. »

(11) Εὑρίσκωνται. Habet Nicephorus, qui multa tamen pro libitu r. finxit: Εἴγε μόνον ἔργοις ἀγαθοῖς ἐξετάζοιντο. Sed firmat lectionem alteram vetus interpres Rufinus.

(12) Τὸ δὲ πάντων ἀσαφέστατον. Rufinus legit σαφέστατον,ut ex versione ejus constat quæ sic habet: « Manifeste tamen decernebat de Deo, sicut prædiximus, unum esse principium. » Quam lectionem secutus est etiam Christophorsonus. Verum hæc interpretatio ferri non potest. Primum enim verbum ἐδογματίζετο passivam habet significationem. Deinde, tantum abest ut Apelles disputationem de Deo manifestam atque expeditam esse diceret. Quin potius asserebat,rem esse omnium obscurissimam; prorsusque nihil sciri posse de Deo,ac ne ipsos quidem prophetas quidquam de Deo manifeste, atque ut res est pronuntiasse, quemadmodum infra docet Rhodon. Valesius. — Affert Strothius Gruteri lect et marg. exemplaris Jonesiani ἀσφαλέστατον præ se ferentes. Illud σαφέστατον ms. Norfolc. exhibet.

(13) Τὸ περὶ Θεοῦ. Addidit Valesius articulum τοῦ ante Θεοῦ, sed expunctum hunc a Strothio ego quoque neglexi, neque enim idem agnoscitur a codd. Bodl. et Norfolc. Ab hoc autem posteriore libro etiam τό abest.

(14) Ἔλεγε γάρ. Ἔλεγε μὲν γάρ mss. Bodl. et Norfolc., ut hæc conjungerentur cum sequentibus verbis λέγοντος δέ, uno facto fragmento ex duobus.

(15) Προθείς. Προσθείς Christoph. lect. et margo exempl. Jonesiani. Strothe. — Adlinitum quoque est margini exemplaris ed. Steph., quod in Bodleiana servatur. Mox absunt vocabulo μου et ἤ a ms. Norfolc.

(16) Ὤμνυεν ἀληθεύων λέγειν. Revocat in textum suum Strothius Stephani Nicephorique lectionem, ὤμνυεν ἀληθεύειν λεγων, sed Valesii illam, fortasse elegantiorem, quæ item perinde est, atque ex scriptis Valesianis procul dubio profecta,nostri codices confirmant. Addidit δέ post ἐπίστασθαι Nicep.

(17) Λέγειν μὴ ἐπίστασθαι. In eo quidem non valde reprehendendus erat Apelles, quod diceret

εἰν (18). Ἐγὼ δὲ γελάσας, κατέγνων αὐτοῦ, διότι διδασκαλος εἶναι λέγων, οὐκ ᾔδει τὸ διδασκόμενον ὑπ' αὐτοῦ κρατυνειν.

credere. His auditis ego hominem deridens reprehendi, qui, cum se doctorem profiteretur, doctrinam suam rationibus confirmare non posset.

Ἐν τῷ αὐτῷ δὲ συγγράμματι (pergit dicere Eusebius) Καλλιστίωνι προσφωνῶν, ὁ αὐτὸς μεμαθητεῦσθαι ἐπὶ Ῥώμης Τατιανῷ ἑαυτὸν ὁμολογεῖ. Φησὶ δὲ καὶ ἐσπουδάσθαι τῷ Τατιανῷ Προβλημάτων βιβλίον· δι' ὧν τὸ ἀσαφὲς καὶ ἐπικεκρυμμένον τῶν θείων Γραφῶν παραστήσειν ὑποσχομένου τοῦ Τατιανοῦ, αὐτὸς ὁ Ῥόδων ἐν ἰδίῳ συγγράμματι τὰς τῶν ἐκείνου Προβλημάτων ἐπιλύσεις ἐκθήσεσθαι ἐπαγγέλλεται. Φέρεται δὲ τοῦ αὐτοῦ καὶ εἰς τὴν ἑξαήμερον ὑπόμνημα (19).

A adegissem, ut ex animi sui sententia loqueretur» juravit se verum dicere, nec se omnino scire qua ratione unus esset ingenitus Deus, se tamen ita

Cæterum in eodem libro quem Callistioni nuncupavit, Romæ a Tatiano se eruditum esse testatur. Refert etiam a Tatiano elucubratum esse *Quæstionum* librum : in quo cum Tatianus obscuros atque involutos sacræ Scripturæ locos se expositurum esse promisisset, ipse Rhodon solutiones *Questionum* Tatiani peculiari opere editurum se esse profitetur. Exstant etiam ejusdem in hexaemeron commentarii.

B

nescire se quomodo unus esset ingenitus Deus, se tamen ita credere. Verum in eo aberrabat, quod prophetias quibus ea de uno et ingenito Deo doctrina traditur, prorsus repudiabat ; et quod philosophiæ imperitissimus, aliorum se doctorem profitebatur. Hac de causa merito a Rhonone suggillatur. VALESIUS. — De Apellis circa res hujusmodi sententia fusiorem suam narrationem ipse ita Epiphanius breviavit in *Indiculo hæresium* : Καὶ οὗτος ὁ Ἀπελλῆς τὰ ὅμοια Μαρκίωνι καὶ Λουκιανῷ κακίζει τὴν πάσαν ποίησιν καὶ τὸν πεποιηκότα· οὐχ ὁμοίως δὲ τούτοις τρεῖς ἀρχὰς εἰσηγήσατο, ἀλλὰ μίαν μὲν ἀρχήν, καὶ ἕνα θεὸν ὄντα ἀνώτατον καὶ ἀκατονόμαστον, αὐτὸν δὲ τὸν ἕνα πεποιηκέναι ἄλλον· καὶ οὗτος ὁ γεγονὼς, πονηρὸς εὑρεθεὶς ἐποίησεν ἐν τῇ αὐτοῦ φαυλότητι τὸν κόσμον, p. 231, ed. Petavii. Vid. et *Anacephal.* ejus, p. 143. Etsi vero hinc constat, turpiter lapsum esse in opinione sua de Deo creatore Apellem, idem tamen Marcionitarum instar Christum Filium esse τοῦ ἄνω ἀγαθοῦ Θεοῦ statuebat teste eodem Epiphanio, hæres. 44, n. 2, p. 381.

C

(18) Τοῦτο δὲ πιστεύειν. Τούτῳ ms. Norfolc. et Niceph.

(19) Ὑπόμνημα. Ὑπομνήματα habet ed. Steph. atque ita refinxit verba Nicephorus, ac si hoc idem invenisset. Lectionem vero Valesii firmant etiam Rufinus Hieronymusque *D viris ill.* cap 37, non tantum codices Bodl. et Norfolc. Cæterum hac de Apelle statim post Eusebius subjunxit: Ὁ γέτοι Ἀπελλῆς οὗτος μυρία κατὰ τοῦ Μωϋσέως ἠσέβησε νόμου· διὰ πλειόνων συγγραμμάτων τοὺς θείους βλασφημίσας λόγους, εἰς ἔλεγχον τε, ὡς γε δὴ ἐδόκει, καὶ ἀνατροπὴν αὐτῶν οὐ μικρὰν πεπονημένος σπουδήν. « Iste porro quem diximus Apelles, plurima adversus legem Mosaicam impie est locutus, multisque libris maledicentissimis oracula divina insectatus est, dum ea confutare, et ut quidem sibi videbatur, penitus evertere, ingenti studio molitur. » Quæ quasi a Rhodone mutuo accepta Rufinus quidem ita vertit : « Est autem ejusdem (Rhodonis) et in Hexaemeron commentarius, in quo refert, quod Apelles quamplurima adversum legem Moysi, » etc.

MAXIMUS
HIEROSOLYMORUM EPISCOPUS.

NOTITIA

(GALLAND., *Bibliotheca vet. Patrum*, I, Proleg., p. XVII.)

I. *Maximus quo tempore floruerit. Vir inter Christianos illustris. An episcopus, et cujusmam Ecclesiæ fuerit, inquiritur. Hierosolymitanæ autem præfuisse existimatur.*

II. *Scripsit de vulgatissima illa apud hæreticos quæstione* : Unde sit Malum, et de eo quod materia facta sit.

I. Sub iisdem principibus Commodo et Severo ut auctor est Hieronymus (1), claruit Maximus, qui ab Eusebio appellatur (2) ὁ τῆς Χριστοῦ διατριβῆς οὐκ ἄσημος ἀνήρ, « vir inter Christianos illustris. » Num vero aliqua dignitate in Ecclesia præstiterit Maximus iste, inquirendum ; hac enim de re silet Hieronymus, neque satis aperte in *Historia* verba facit Eusebius ; ut propterea jure a nobis nonnemo requirat, cur in hujus capitis inscriptione idem

C Maximus titulo Hierosolymorum episcopi sit honestatus. Verum, ipsomet Eusebio duce, in hanc demum sententiam descendimus, cui Fabricium quoque licet nulla reddita ratione, accessisse novimus (3). Nimirum anno Commodi imperatoris sexto Christi 185, juxta Eusebium in *Chronico*, « Triario Materno et Atilio Bradua coss, Hierosolymorum episcopus vicesimus sextus constituitur Maximus. » Est que hujus nominis II inter præsules ex gentibus

(1) Hieron. « De vir. illustr. » cap. 47.

(2) Euseb. « Præpar. evang. » lib. VII, cap. 21 sub fin., pag. 337.

(3) Fabric. « Delect. argument., » pag. 162, § 19.

qui post captam urbem ab Adriano, Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt. Vide Lequienium (4). Deinde idem Eusebius Maximum nostrum recenset (5) « inter veteres ecclesiasticos viros, qui » quo tempore Severus rerum potiebatur, « laudabilis diligentiæ monumenta reliquerunt. » Quibus enarratis, statim memorat ejusdem Maximi opus Περὶ τοῦ πολυθρυλλήτου παρὰ τοῖς αἱρεσιώταις ζητήματος τοῦ Πόθεν ἡ Κακία· καὶ περὶ τοῦ γεννητὴν ὑπάρχειν τὴν ὕλην. « De vulgatissima illa apud hæreticos quæstione. » « Unde sit Malum, *et* de eo quod materia facta sit. » Hæreticos autem intellige Valentinianos et Marcionitas. Cum igitur Maximum de quo quæstio, « virum inter Christianos ilustrem » appellat Eusebius, qui postea « inter veteres ecclesiasticos viros » ipsum claruisse refert, quo tempore Maximus II, Hierosolymorum antistes fuit constitutus ; tum nominis, tum dignitatis, tum etiam temporis ratione ducimur, quo Maximum nostrum Ecclesiam Hierosolymitanam rexisse existimemus. A B

II. Porro hujus Maximi liber in dialogi modum compositus, inscriptus erat Περὶ τῆς ὕλης, ut testatur idem Eusebius (6), καὶ λόγος οἰκεῖος συγγεγραπται περὶ τῆς ὕλης, qui et ex eo luculentissimum fragmentum profert, unde illud nos quoque descripsimus. Excerptum item ejusdem operis, sed ipso Eusebio l. c. descriptum, extat in « Philocalia Origeniana » (7), et in Adamantii dialogo « De recta in Deum fide » (8), perperam Origeni ascripto ; qua de re post Tillemontium (9) satis erudite Origenianorum clarissimus editor (10).

MAXIMI
EPISCOPI HIEROSOLYMITANI
FRAGMENTUM

Ex libro de materia, sive de eo quod materia sit facta, et malorum non sit causa.

(Apud Eusebium, *Præparat. Evangel.* lib. VII, cap. 22).

I. Equidem duo simul, quæ ortu careant, esse non posse, quin mecum intelligas, non dubito; licet hoc ponere insuper atque addere videaris, e duobus necessarium alterutrum esse, ut vel segregatus a materia Deus, vel cum eadem omnino conjunctus esse dicatur. Qui ergo tam conjunctum esse volet, is unum duntaxat aliquid statuet, quod ortu careat; tunc enim alterius alterum pars utique foret; quæ vero mutuam inter sese partis rationem habent, eadem, quæ ortu careant, duo simul esse non possunt. Nam quemadmodum hominem sic a Deo procreatum esse dicimus, ut is non jam diversæ partes, atque in plura genita distractæ, verum, ut ipsa ratio postulat, res una quidem genita sit, variis tamen ex partibus constituta ; sic necesse plane est, si Deum a materia sejunctum esse negas, unum duntaxat aliquid, quod genitum non sit agnoscere. Sin ab eadem secretum esse voles, medium necessario quiddam inter utrumque statuendum erit, quo utriusque dissidium ostenC D

I. Ὅτι μὲν ἀδύνατον ὑπάρχειν ἀγέννητα δύο ἅμα, οὐδέ σε ἀγνοεῖν νομίζω, εἰ καὶ τὰ μάλιστα δοκεῖς προλαβὼν τοῦτο προστεθεικέναι τῷ λόγῳ, τὸ πάντως ἐξ ἀνάγκης τὸ ἕτερον δεῖν λέγειν, ἢ ὅτι κεχώρισται (12) τῆς ὕλης ὁ Θεὸς, ἢ αὖ πάλιν, ὅτι ἀμέριστος αὐτῆς τυγχάνει. Εἰ μὲν οὖν γνῶσθαί τις αὐτὸν εἰπεῖν ἐθέλοι, ἓν τὸ ἀγέννητον λέξει· ἑκάτερον γὰρ τούτων, μέρος ἔσται τοῦ πλησίον· ἀλλήλων δὲ μέρη τυγχάνοντα, οὐκ ἔσται ἀγέννητα δύο. Ὡς οὐδὲ διάφορα μέρη κατακερματιζόμενα εἰς πολλὰ γεννητὰ, ἀλλ' ὡς ὁ λόγος ἀπαιτεῖ, ἕν τι γεννητὸν, τὸν ἄνθρωπον, πολυμερὲς πρὸς τοῦ Θεοῦ γεγονέναι φαμέν· οὕτως ἀνάγκη, εἰ μὴ κεχώρισται τῆς ὕλης ὁ Θεὸς, ἓν τὸ ἀγέννητον εἶναι λέγειν. Εἰ δὲ κεχωρίσθαι φήσει τις, ἀνάγκη εἶναί τι τό ἀνά μέσον ἀμφοτέρων, ὅπερ καὶ τὸν χωρισμὸν αὐτῶν δείκνυσιν. Ἀδύνατον γὰρ ἐν διαστασει ἐξετάζεσθαί τι ἀπό τινος, οὐκ ὄντος ἑτέρου καθ' ὃ ἡ διάστασις ἑκατέρου γίνεται. Ὅπερ οὐ μέχρι τούτου ἵσταται κἀι μόνου, ἀλλὰ καὶ πλείστων ὅσων. Ὃν γὰρ ἐπὶ τῶν δύο ἀγεννήτων εἴπομεν λόγον. τοῦ-

(4) Lequien. « Or. Christ., » tom. III, pag. 147.
(5) Euseb. « Hist. eccl. » lib. v, cap. 27.
(6) Euseb. « Præp. evang. » l. c.
(7) Origen. « Philocal. » cap. 24, pag. 82, edit. Cantabr.
(8) Adamant. « Dial. in Append. ad tom. I opp. Origen , » pag. 843 et seqq. edit. Paris. noviss.
(9) Tillemont, « Mém. eccl., tom. II, pag. 760 not. sur Origène.
(10) Delarue, « Opp. Origen. » tom. I, pag. 801.
(11) Nondum satis definio quis ille Maximus fuerit. Erat quidem Maximus Hierosolymorum antistes, æqualis Eusebii ; sed vereor, ut hunc vere maximum Arianæ impietatis hostem Maximus Arianus intelligat ; tametsi hunc quisquis sit. Maximum, ut paulo ante Dionysium Alexandrinum, satis rigide appellavit. Cæterum. dialogus fuit tota hæc de materia disputatio, ut legenti patet. Viger., cujus et notæ seqq.
(12) Ἢ ὅτι κεχώρισται. **Prima hæc argumenta, non nisi adversus eos qui corporeum Deum fingerent, momenti quidquam habere possunt.**

(19) Ὑπόμνημα. Ὑπομνήματα habet ed. Steph. atque ita refinxit verba Nicephorus, ac si hoc idem invenisset. Lectionem vero Valesii firmant etiam Rufinus Hieronymusque *D viris ill.* cap 37, non tantum codices Bodl. et Norfolc. Cæterum hac de Apelle statim post Eusebius subjunxit: Ὁ γέτοι Ἀπελλῆς οὗτος μυρία κατὰ τοῦ Μωϋσέως ἠσέβησε νόμου· διὰ πλειόνων συγγραμμάτων τοὺς θείους βλασφημίσας λόγους, εἰς ἔλεγχον τε, ὡς γε δὴ ἐδόκει, καὶ ἀνατροπὴν αὐτῶν οὐ μικρὰν πεποιημένος σπουδήν. « Iste porro quem diximus Apelles, plurima adversus legem Mosaicam impie est locutus multisque libris maledicentissimis oracula divina insectatus est, dum ea confutare, et ut quidem sibi videbatur, penitus evertere, ingenti studio molitur. » Quæ quasi a Rhodone mutuo accepta Rufinus quidem ita vertit : « Est autem ejusdem (Rhodonis) et in Hexaemeron commentarius, in quo refert, quod Apelles quamplurima adversum legem Moysi, » etc.

MAXIMUS
HIEROSOLYMORUM EPISCOPUS.

NOTITIA

(Galland., *Bibliotheca vet. Patrum*, I, Proleg., p. xvii.)

I. *Maximus quo tempore floruerit. Vir inter Christianos illustris. An episcopus, et cujusmam Ecclesiæ fuerit, inquiritur. Hierosolymitanæ autem præfuisse existimatur.*

II. *Scripsit de vulgatissima illa apud hæreticos quæstione* : Unde sit Malum, et de eo quod materia facta sit.

I. Sub iisdem principibus Commodo et Severo ut auctor est Hieronymus (1), claruit Maximus, qui ab Eusebio appellatur (2) ὁ τῆς Χριστοῦ διατριβῆς οὐκ ἄσημος ἀνήρ, « vir inter Christianos illustris. » Num vero aliqua dignitate in Ecclesia præstiterit Maximus iste, inquirendum ; hac enim de re silet Hieronymus, neque satis aperte in *Historia* verba facit Eusebius ; ut propterea jure a nobis nonnemo requirat, cur in hujus capitis inscriptione idem Maximus titulo Hierosolymorum episcopi sit honestatus. Verum, ipsomet Eusebio duce, in hanc demum sententiam descendimus, cui Fabricium quoque licet nulla reddita ratione, accessisse novimus (3). Nimirum anno Commodi imperatoris sexto Christi 185, juxta Eusebium in *Chronico*, « Triario Materno et Atilio Bradua coss, Hierosolymorum episcopus vicesimus sextus constituitur Maximus. » Est que hujus nominis II inter præsules ex gentibus

(1) Hieron. « De vir. illustr. » cap. 47.

(2) Euseb. « Præpar. evang. » lib. VII, cap. 21 sub fin., pag. 337.

(3) Fabric. « Delect. argument., » pag. 162, § 19.

qui post captam urbem ab Adriano, Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt. Vide Lequienium (4). Deinde idem Eusebius Maximum nostrum recenset (5) « inter veteres ecclesiasticos viros, qui » quo tempore Severus rerum potiebatur, « laudabilis diligentiæ monumenta reliquerunt. » Quibus enarratis, statim memorat ejusdem Maximi opus Περὶ τοῦ πολυθρυλλήτου παρὰ τοῖς αἱρεσιώταις ζητήματος τοῦ Πόθεν ἡ Κακία· καὶ περὶ τοῦ γεννητὴν ὑπάρχειν τὴν ὕλην. « De vulgatissima illa apud hæreticos quæstione. » « Unde sit Malum, *et* de eo quod materia facta sit. » Hæreticos autem intellige Valentinianos et Marcionitas. Cum igitur Maximum de quo quæstio, « virum inter Christianos ilustrem » appellat Eusebius, qui postea « inter veteres ecclesiasticos viros » ipsum claruisse refert, quo tempore Maximus II, Hierosolymorum antistes fuit constitutus ; tum nominis, tum dignitatis, tum etiam temporis ratione ducimur, quo Maximum nostrum Ecclesiam Hierosolymitanam rexisse existimemus.

II. Porro hujus Maximi liber in dialogi modum compositus, inscriptus erat Περὶ τῆς ὕλης, ut testatur idem Eusebius (6), καὶ λόγος οἰκεῖος συγγέγραπται περὶ τῆς ὕλης, qui et ex eo luculentissimum fragmentum profert, unde illud nos quoque descripsimus. Excerptum item ejusdem operis, sed ipso Eusebio l. c. descriptum, extat in « Philocalia Origeniana » (7), et in Adamantii dialogo « De recta in Deum fide » (8), perperam Origeni ascripto ; qua de re post Tillemontium (9) satis erudite Origenianorum clarissimus editor (10).

MAXIMI
EPISCOPI HIEROSOLYMITANI
FRAGMENTUM

Ex libro de materia, sive de eo quod materia sit facta, et malorum non sit causa.

(Apud Eusebium, *Præparat. Evangel.* lib. VII, cap. 22).

I. Equidem duo simul, quæ ortu careant, esse non posse, quin mecum intelligas, non dubito; licet hoc ponere insuper atque addere videaris, e duobus necessarium alterutrum esse, ut vel segregatus a materia Deus, vel cum eadem omnino conjunctus esse dicatur. Qui ergo tam conjunctum esse volet. is unum duntaxat aliquid statuet, quod ortu careat; tunc enim alterius alterum pars utique foret ; quæ vero mutuam inter sese partis rationem habent, eadem, quæ ortu careant, duo simul esse non possunt. Nam quemadmodum hominem sic a Deo procreatum esse dicimus, ut is non jam diversæ partes, atque in plura genita distractæ, verum, ut ipsa ratio postulat, res una quidem genita sit, variis tamen ex partibus constituta ; sic necesse plane est, si Deum a materia sejunctum esse negas, unum duntaxat aliquid, quod genitum non sit agnoscere. Sin ab eadem secretum esse voles, medium necessario quiddam inter utrumque statuendum erit, quo utriusque dissidium ostenI. Ὅτι μὲν ἀδύνατον ὑπάρχειν ἀγέννητα δύο ἅμα, οὐδέ σε ἀγνοεῖν νομίζω, εἰ καὶ τὰ μάλιστα δοκεῖς προλαβὼν τοῦτο προστεθεικέναι τῷ λόγῳ, τὸ πάντως ἐξ ἀνάγκης τὸ ἕτερον δεῖν λέγειν, ἢ ὅτι κεχώρισται· (12) τῆς ὕλης ὁ Θεὸς, ἢ αὖ πάλιν, ὅτι ἀμέριστος αὐτῆς τυγχάνει. Εἰ μὲν οὖν ἠνῶσθαί τις αὐτὸν εἰπεῖν ἐθέλοι, ἓν τὸ ἀγέννητον λέξει· ἑκάτερον γὰρ τούτων, μέρος ἔσται τοῦ πλησίον· ἀλλήλων δὲ μέρη τυγχάνοντα, οὐκ ἔσται ἀγέννητα δύο. Ὡς οὐδὲ διάφορα μέρη κατακερματιζόμενα εἰς πολλὰ γεννητὰ, ἀλλ' ὡς ὁ λόγος ἀπαιτεῖ, ἕν τι γεννητὸν, τὸν ἄνθρωπον, πολυμερὲς πρὸς τοῦ Θεοῦ γεγονέναι φαμέν· οὕτως ἀνάγκη, εἰ μὴ κεχώρισται τῆς ὕλης ὁ Θεὸς, ἓν τὸ ἀγέννητον εἶναι λέγειν. Εἰ δὲ κεχωρίσθαι φήσει τις, ἀνάγκη εἶναί τι τό ἀνά μέσον ἀμφοτέρων, ὅπερ καὶ τὸν χωρισμὸν αὐτῶν δείκνυσιν. Ἀδύνατον γὰρ ἐν διαστασει ἐξετάζεσθαί τι ἀπό τινος, οὐκ ὄντος ἑτέρου καθ' ὃ ἡ διάστασις ἑκατέρου γίνεται. Ὅπερ οὐ μέχρι τούτου ἵσταται κἀπὶ μόνου, ἀλλὰ καὶ πλείστων ὅσων. Ὃν γὰρ ἐπὶ τῶν δύο ἀγεννήτων εἴπομεν λόγον. τοῦ-

(4) Lequien. « Or. Christ., » tom. III, pag. 147.
(5) Euseb. « Hist. eccl. » lib. V, cap. 27.
(6) Euseb. « Præp. evang. » l. c.
(7) Origen. « Philocal. » cap. 24, pag. 82, edit. Cantabr.
(8) Adamant. « Dial. in Append. ad tom. I opp. Origen , » pag. 843 et seqq. edit. Paris. noviss.
(9) Tillemont, « Mém. eccl., tom. II, pag. 760 not. sur Origène.
(10) Delarue, « Opp. Origen. » tom. 1, pag. 801.
(11) Nondum satis definio quis ille Maximus fuerit. Erat quidem Maximus Hierosolymorum antistes, æqualis Eusebii ; sed vereor. ut hunc vere maximum Arianæ impietatis hostem Maximus Arianus intelligat ; tametsi hunc quisquis sit. Maximum, ut paulo ante Dionysium Alexandrinum, satis frigide appellavit. Cæterum. dialogus fuit tota hæc de materia disputatio, ut legenti patet. Viger., cujus et notæ seqq.
(12) Ἢ ὅτι κεχώρισται. Prima hæc argumenta, non nisi adversus eos qui corporeum Deum fingerent, momenti quidquam habere possunt.

τον ἐξ ἀνάγκης ὁμοίως προχωρεῖν, εἰ τὰ ἀγέννητα δοθείη τρία. Καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων ἐροίμην ἄν, εἰ κεχώρισται ἀλλήλων, ἢ αὖ πάλιν ἕκαστον ἥνωται τῷ πλησίον. Εἰ μὲν γὰρ ἡνῶσθαί τις εἴποι, τὸν αὐτὸν ἀκούσει τῷ πρώτῳ λόγον. Εἰ δ' αὖ πάλιν κεχωρίσθαι, οὐ φεύξεται τὴν ἐξ ἀνάγκης τοῦ χωρίζοντος ὑπόστασιν. Ἂν δὲ ἄρα τις καὶ τρίτον εἶναι λέξει λόγον, ὡς ἁρμόζοντα περὶ τῶν ἀγεννήτων λέγεσθαι, τουτέστι τὸ μὴ κεχωρίσθαι τῆς ὕλης τὸν Θεόν, μήτ' αὖ πάλιν ὡς ἐν μέρει ἡνῶσθαι, εἶναι δὲ καθάπερ ἐν τόπῳ τῇ ὕλῃ τὸν Θεόν, ἢ καὶ τὴν ὕλην ἐν τῷ Θεῷ· τὸ συνέχον ἀκουέτω, ὅτι ἐὰν τόπον τοῦ Θεοῦ τὴν ὕλην εἴπωμεν, ἐξ ἀνάγκης αὐτὸν καὶ χωρητικὸν (13) λέγειν δεῖ, καὶ πρὸς τῆς ὕλης περιγραφόμενον. Ἀλλὰ μὴν καὶ ὁμοίως αὐτὸν ὕλῃ ἀτάκτως φέρεσθαι, μὴ ἵστασθαί τε μηδὲ μένειν αὐτὸν ἐφ' ἑαυτοῦ ἀνάγκη, τοῦ, ἐν ᾧ ἐστιν, ἄλλοτ' ἄλλως φερομένου. Πρὸς δὲ τούτοις καὶ ἐν χείροσι γεγονέναι τὸν Θεὸν εἰπεῖν ἀνάγκη. Εἰ γὰρ ἦν ποτε ἄκοσμος ἡ ὕλη, ἐκόσμησε δὲ αὐτὴν εἰς τὸ κρεῖττον τρέψαι προαιρούμενος, ἦν ποτε ὅτε ἐν ἀκοσμήτοις ἦν ὁ Θεός. Δικαίως δ' ἂν καὶ τοῦτον ἐροίμην τὸν λόγον, πότερον ἐπλήρου τὴν ὕλην ὁ Θεὸς, ἢ ἐν μέρει τινὶ τῆς ὕλης ἦν. Εἰ μὲν οὖν ἐν μέρει τινὶ τῆς ὕλης εἰπεῖν τις ἐθέλοι τὸν Θεὸν, πλεῖστον ὅσον μικρότερον τῆς ὕλης λέγει· εἰ δὲ (14) μέρος αὐτῆς, ὅλον ἐχώρησεν αὐτόν. Εἰ δ' ἐν πάσῃ εἶναι λέγοι τῇ ὕλῃ, πῶς ταύτην ἐδημιούργει φραστέον. Ἀνάγκη γὰρ ἦ συστολήν τινα τοῦ Θεοῦ λέγειν, ἧς γενομένης ἐδημιούργει ἐκεῖνο, ἀφ' οὗ ὑπεχώρησεν, ἢ καὶ ἑαυτὸν τῇ ὕλῃ συνδημιουργεῖν, οὐκ ἔχοντα ὑποχωρήσεως τόπον.

A datur. Nec enim unius ab altero divortium constitui dignoscive potest, nisi tertium aliquid suberit, ex quo divertium illud æstimetur. Atque hæc ratio, non tantum vel in hoc, vel in uno quopiam, sed etiam in pluribus locum habet Quod enim de duobus ortu carentibus dictum est, id similiter valere necesse erit, si tria ponentur ortu carentia. Nam de illis eodem modo quæram, utrum disjuncta illa sint, an singula inter sese conjuncta. Si conjuncta quis esse defendet, idem ego contra, quod paulo ante argumentum opponam. Sin distincta fatebitur, nunquam illius quarti necessitatem effugiet, quod hoc dissidii genus efficiat. Quod si tertium quiddam existimet, de illis ortu carentibus commode satis responderi posse, Deum videlicet B nec penitus a materia secretum, nec tamen partis in morem cum eadem esse conjunctum; sed vel materia Deum, vel materiam ipsam Deo, sic tanquam loco proprio contineri; ex hac opinione consequens illud omnino fuerit, ut, si Dei locum materiam esse dicamus, eumdem necessario et capi ab aliquo, et materia ipsa circumscribi posse fateamur. Quin etiam illum necesse erit, perinde ut materiam, perturbate ferri; nec eumdem in se ipso manere semper immotumque consistere, cum illud in quo erit, huc illucque perpetuo rapiatur. Ad hæc, locum in deterioribus Deum ipsum habuisse concedendum erit. Nam si rudis olim et incondita materia fuit, eamque Deus in elegantiorem et ornatiorem speciem conformare statuit; fuit profecto, C cum Deus in rudi et incondita mole versaretur. Præterea hunc etiam in modum urgere liceat utrum Deus materiam impleret universam, an in aliqua duntaxat ejus parte collocatus esset. Nam si in parte solum fuisse volent, mirum quam angustiorem illi nobis materia Deum faciunt, cum pars ejus aliqua Deum integrum contineret. Sin totam ab eo materiam occupatam esse dicent, dicant ipsi quoque, quemadmodum eam elaborare Deus ac perpolire potuerit. Siquidem aut sese Deum collegisse necesse erit, itaque partem eam conformasse, ex qua secesserat, aut quod loci in quem secederet, nihil omnino superesset, cum materia se ipsum una conformasse.

II. Εἰ δὲ τὴν ὕλην ἐν τῷ Θεῷ εἶναί τις λέξοι, ὁμοίως ἐξετάζειν δεῖ, πότερον ὡς διϊσταμένου αὐτοῦ ἀφ' ἑαυτοῦ, καὶ ὥσπερ ἐν ἀέρι ζώων ὑπάρχει γένη, διαιρουμένου καὶ μεριζομένου αὐτοῦ εἰς ὑποδοχὴν τῶν γινομένων αὐτῷ (15), ἢ ὡς ἐν τόπῳ, τουτέστιν ὥσπερ ἐν γῇ ὕδωρ. Εἰ μὲν γὰρ εἴποιμεν ὡς ἐν ἀέρι, μεριστὸν ἀνάγκη τὸν Θεὸν εἰπεῖν Εἰ δ' ὥσπερ ἐν D γῇ τὸ ὕδωρ, ἦν δὲ ἄτακτος ἡ ὕλη καὶ ἀκόσμητος, πρὸς δὴ τούτοις ἔχουσα καὶ κακὰ, τὸν Θεὸν λέγειν ἀνάγκη τόπον εἶναι τῶν ἀκοσμήτων καὶ τῶν κακῶν. Ὅπερ οὐκ εὔφημον εἶναί μοι δοκεῖ, ἐπισφαλὲς δὲ μᾶλλον. Ὕλην γὰρ εἶναι θέλεις (16), ἵνα μὴ τῶν κακῶν ποιητὴν εἴπῃς τὸν Θεόν· καὶ τοῦτο φεύγειν προαιρούμενος, δοχεῖον αὐτὸν τῶν κακῶν εἶναι λέγεις. Εἰ μὲν οὖν τὴν ὕλην ἐκ τῶν ὑποστάντων γενητῶν ὑπονοεῖν ἀγένητον ὑπάρχειν ἔλεγες, πολὺν ἂν περὶ αὐτῆς ἐποιησάμην λόγον, εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ὅτι ἀδύνατον ὑπάρχειν αὐτήν. Ἐπεὶ δὲ τὴν τῶν κακῶν γέ-

II. Jam vero, si materiam in Deo esse respondeant, quærendum similiter fuerit, utrum sic in eo statuatur ut a se ipso quasi disjunctus ille distractusque sit, quomodo sic in aere tot animantium genera versantur, ut idem ad ea capienda quæ in ipso fiunt, aliquam partium suarum divisionem patiatur: an potius, tanquam in loco, hoc est, ut aqua in terra, collocatur. Si quemadmodum in aere, Deum jam habemus, qui in partes distrahi secarique possit. Sin ut aqua in terra est, materia vero perturbata atque indigesta erat, adeoque mala gremio suo continebat; superest omnino, ut ipsum quoque Deum, et rerum imperfectarum et malorum sedem ac locum esse dicamus. Quod mihi quidem cum minus religiose dici, tum abs te periculosius responderi videretur. Quippe materiam enim esse vis, ne malorum auctorem Deum esse fatearis; idem tamen, ut hoc ipsum effugias, malorum eum

(13) Χωρητικόν. Malim χωρητόν cum altero ms.
(14) Λέγει· εἰ δέ. Post λέγει, minor adhibenda distinctio, et δέ mutandum in γέ vel δή.
(15) Γνομ. αὐτῷ. Leg. γινομ. ἐν αὐτῷ.

(16) Ὕλην γὰρ εἶναι θέλεις. Disputationis hujus cardo postulat, ut ἀγέννητον inseratur; eamque vocem proxime consequentia desiderant.

receptaculum agnoscere cogeris. Et sane si ex rerum genitarum ortu atque natura in eam te mentem adductum esse diceres, ut ortu carere materiam putares; ita rem habere non posse, pluribus equidem rationibus ostenderem. Nunc quoniam malorum procreationem hanc tibi suspicionem movisse ais, singularem propterea de illis disputationem instituendam putavi. Nam ubi semel intellectum erit, quemadmodum exsistant mala, ac simul qui Deum materia usum esse dicat, ei quoque Deum malorum auctorem habendum esse constiterit, tum una suspicionem istam funditus sublatum iri existimo.

A νεσιν, αἰτίαν ἔφησθα εἶναι τῆς τοιαύτης ὑπονοίας, διὰ τοῦτ' ἐπὶ τὴν ἐξέτασιν τούτων ἔχεσθαί (17) μοι δοκῶ. Φανεροῦ γὰρ γενομένου τοῦ λόγου, καθ' ὃν τρόπον ἐστὶ τὰ κακὰ, καὶ ὅτι οὐχ οἱόντε ἐστὶν ἀναίτιον τῶν κακῶν εἰπεῖν τὸν Θεὸν, ἐκ τοῦ ὕλην αὐτὸν ὑποτιθέναι, τὴν τοιαύτην ὑπόνοιαν ἀναιρεῖσθαί μοι δοκεῖ.

III. Tu ergo materiam ab omni qualitate vacuam, ex qua Deus mundum hunc procrearit, cum eo simul esse contendis. Ita mihi quidem videtur. Ergo si ab omni qualitate vacua materia fuit, et procreatus a Deo mundus est, et qualitates in mundo sunt, istarum profecto qualitatum auctor Deus est. Utique. Quoniam igitur ex te ipso paulo B ante audiebam, ex nihilo fieri nihil omnino posse: hoc tu mihi respondeas velim. Existimas, ni fallor, mundi qualitates neque subjectis ex qualitatibus factas esse, et tamen a naturis esse distinctas. Omnino. Si ergo qualitates a Deo, neque subjectis ex qualitatibus, neque etiam ex naturis productæ sint, quod naturæ non sint, eas ex nihilo certe quidem productas esse necesse est. Quare, frustra, opinor, tuis id argumentis effectum esse dicebas, nihil ut omnino Deus ex nihilo efficere potuisse crederetur. Quanquam hunc etiam in modum hac ipsa de re disputare licet; ab hominibus interdum videmus, ex eo quod nusquam est, nonnulla fieri, ut in alio quopiam susceptum opus efficere maxime videantur. Nam, ut in architectis exemplum statuamus, C urbes illi quidem, non tamen ex urbibus, templa quoque non ex templis ædificant. Si enim quod substantiæ quædam iis subjectæ sint, illos idcirco ex iis quæ ante jam essent, ista moliri existimes, tuum te fallit argumentum. Nec enim ejusmodi substantia vel urbem vel templum efficit, sed ea tantum ars quæ circa substantiam versatur. Ars ista porro, non jam ex simili quodam artis genere quod iis substantiis includatur, exsistit, sed ex nulla prorsus antegressa in illis arte perficitur, At enim occurres, artificem ex ea demum qua præditus arte est, artem in substantiæ geminam efficere. Atqui ne in ipso quidem homine, ex antegressa quadam arte ars illa perficitur. Nec enim fas est artem quæ per se ipsa sit, ullam statuere, cum accidentium adeoque rerum illarum ex genere sit, D quæ tum primum alterius beneficio esse incipiunt, cum in substantia producuntur. Etenim, ut archi

III. Φὴς τοίνυν ἄποιον ὕλην συνυπάρχειν τῷ Θεῷ, ἐξ ἧς τήνδε τοῦ κόσμου γένεσιν ἐδημιούργησεν· Οὕτω μοι δοκεῖ. Οὐκοῦν εἰ ἄποιος ἐτυγχανεν ἡ ὕλη, γέγονε δὲ κόσμος πρὸς τοῦ Θεοῦ, ἐν δὲ τῷ κόσμῳ αἱ ποιότητες, τῶν ποιοτήτων ποιητὴς (18) γέγονεν ὁ Θεός. Οὕτως ἔχει. Ἐπεὶ δὲ σοῦ καὶ λέγοντος ἔμπροσθεν ἤκουον, ὡς ἀδύνατον ἐξ οὐκ ὄντων γίνεσθαί τι, πρὸς τὴν ἐρώτησιν ἀπόκριναι τὴν ἐμήν. Δοκεῖς μοι τὰς τοῦ κόσμου ποιότητας μὴ ἐξ ὑποκειμένων ποιοτήτων γεγονέναι δοκεῖν, ἕτερον δέ τι παρὰ τὰς οὐσίας ὑπάρχειν αὐτάς. Οὕτως ἔχει. Εἰ μὲν οὖν μὴ ἐξ ὑποκειμένων ποιοτήτων τὰς ποιότητας ἐδημιούργησεν ὁ Θεὸς, μήτε ἐκ τῶν οὐσιῶν, τῷ μηδὲ οὐσίας αὐτὰς εἶναι, ἐκ μὴ ὄντων αὐτὰς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γεγονέναι εἰπεῖν ἀναγκαῖον. Ὅθεν περιττῶς ἐδόκεις μοι λέγειν, συλλελόγισται ὡς οὐκ ἀδύνατον (19) εἶναι δοξάζειν, ἐξ οὐκ ὄντων γεγονέναι τι πρὸς τοῦ Θεοῦ. Ἀλλ' ὁ μὲν (20) περὶ τούτου λόγος ὧδε ἐχέτω· καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν (21) θεωροῦμεν ἀνθρώπους ἐξ οὐκ ὄντων ποιοῦντάς τινα, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα δοκοῦσι ποιεῖν ἔν τινι, οἷον ἐπὶ τῶν ἀρχιτεκτόνων τὸ παράδειγμα λάβωμεν. Καὶ γὰρ οὗτοι ποιοῦσι πόλεις οὐκ ἐκ πόλεων, καὶ ναοὺς ὁμοίως οὐκ ἐκ ναῶν. Εἰ δ' ὅτι τούτοις οὐσίαι ὑπόκεινται, οἷεί ἐξ ὄντων αὐτοὺς ταῦτα ποιεῖν, σφάλλῃ τῷ λόγῳ. Οὐδὲ γάρ ἡ οὐσία ἐστὶν, ἡ ποιοῦσα τὴν πόλιν, ἢ αὖ πάλιν τοὺς ναοὺς, ἀλλ' ἡ περὶ τὴν οὐσίαν τέχνη. Ἡ δὲ τέχνη οὐκ ἐξ ἀποκειμένης τινὸς ἐν ταῖς οὐσίαις τέχνης γίνεται, ἀλλ' ἐξ οὐκ οὔσης ἐν αὐταῖς γίνεται. Ἀπαντήσειν δέ μοι δοκεῖς οὕτω τῷ λόγῳ, ὅτι ὁ τεχνίτης ἐξ ἧς ἔχει τέχνης τὴν ἐν τῇ οὐσίᾳ τέχνην ποιεῖ. Πρὸς δὲ τοῦτο λέγεσθαι τοῦτ' εὖ ἔχειν μοι δοκεῖ, ὅτι οὐδὲ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἔκ τινος ὑποκειμένης τέχνης γίνεται. Οὐ γὰρ ἔνεστιν αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς οὖσαν δοῦναι τὴν τέχνην· τῶν γὰρ συμβεβηκότων ἐστὶν, καὶ τῶν τότε τὸ εἶναι λαμβανόντων, ὁπόταν ἐν οὐσίᾳ γίνωνται. Ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος, καὶ χωρὶς τῆς ἀρχιτεκτονικῆς ἔσαι· ἡ δ' οὐκ ἔσται, ἐὰν μὴ πρότερον ἄνθρωπος ᾖ. Ὅθεν τὰς τέχνας ἐξ οὐκ ὄντων εἰς ἀνθρώπους πεφυκέναι γίνεσθαι λέγειν ἀναγκαῖον. Εἰ τοίνυν τοῦτο οὕτως ἔχον ἐπ' ἀνθρώπων

(17) Ἔχεσθαι. Corrigendum ex altero ms. ἔρχεσθαι, quam lectionem etiam Montacutius repræsentat.

(18) Ποιότητες .. ποιητής. Sic leg. interpungendumque monebat in nota Gallandius, imo postulabat sermonis ἀκολουθία, stylique Maximiani secum consensio, siquidem, n. IV legitur: τῶν δὲ ποιοτήτων ποιητὴν εἶπας εἶναι τὸν Θεόν. Editum fuerat: ποιότητες τῶν ποιοτήτων ποιότης ED. PATR.

(19) Συλλελόγισται ὡς οὐκ ἀδύν. Corrupta ista sunt, nec saniora illa ms. συλλελόγισται ὡς οὐκ ὀδύνατον ἐξ οὐκ ὄντων δημιουργὸν τὸν Θεὸν, ἀδύνατον εἶναι δοξάζειν. Facile tamen emendari possunt, si legeris: Ὡς συλλελόγισται ἀδύνατον εἶναι δοξάζειν, etc.

(20) Ἀλλ' ὁ μεν. Concessio non est, sed quasi transitio.

(21) Καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν. Subtiliora sunt quam solidiora, quæ sequuntur. Nec enim ὑλωδεῖς isti, mundum ex alio mundo, sed ex materia factum volebant; et satis, opinor, vidissent, artes illas singulares ac proprias, non jam ex nihilo repente nasci, sed acri studio, continanti usu, improbo labore, ac similium artium imitatione paulatim excitari ac perfici.

ἐδείξαμεν, πῶς οὐχὶ προσῆκε τὸν Θεὸν μὴ μόνον ποιότητας ἐξ οὐκ ὄντων φάναι δύνασθαι ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ οὐσίας ; τὸ γὰρ δυνατὸν φανῆναι γίνεσθαι τι ἐξ οὐκ ὄντων, τὸ καὶ τὰς οὐσίας οὕτως ἔχειν δείκνυται.

A tectura nulla sit, homo tamen erit ; eadem, si non prius homo fuerit, esse nulla poterit. Ita concludendum necessario est, ejusmodi artium esse naturam, ut in hominibus ex eo quod nusquam est, oriantur. Quod si verum in hominibus esse ostendimus, quisquam ne porro negare audeet, ex nihilo vel qualitates, vel ipsas quoque substantias a Deo fieri posse ? Nam quæ ratio fieri omnino quidquam ex nihilo posse demonstrat, eadem in substantiis quoque valere debet.

IV. Ἐπεὶ δὲ πόθος ἐστί σοι περὶ τῆς τῶν κακῶν γενέσεως ζητεῖν, ἐπὶ τὸν τούτων ἐλεύσομαι λόγον. Καί σου βραχέα πυθέσθαι βούλομαι. Τὰ κατὰ πότερον οὐσίαι σοι δοκοῦσιν εἶναι, ἢ ποιότητες οὐσιῶν ; Ποιότητα οὐσιῶν εὖ ἔχειν λέγειν μοι δοκεῖ. Ἡ δὲ ὕλη ἄποιος ἦν καὶ ἀσχημάτιστος· οὕτω προλαβὼν (22) ἐξεῖπον τῷ λόγῳ. Οὐκοῦν εἰ τὰ κακὰ ποιότητες ὑπάρχουσιν οὐσιῶν, ἡ δὲ ὕλη, ἄποιος ἦν, τῶν δὲ ποιοτήτων ποιητὴν εἶπας τὸν Θεὸν εἶναι, ἔσται καὶ τῶν κακῶν δημιουργὸς ὁ Θεὸς. Ὅτε τοίνυν οὐδ' οὕτως ἀναίτιον τῶν κακῶν εἰπεῖν δυνατὸν τὸν Θεὸν, ὕλην αὐτῷ προσάπτειν περιττὸν εἶναί μοι δοκεῖ. Εἰ δέ τι πρὸς ταῦτα λέγειν ἔχεις, ἄρχου τοῦ λόγου. Εἰ μὲν ἐκ φιλονεικίας ἡμῖν ἡ ζήτησις ἐγίνετο, οὐκ ἂν δεύτερον περὶ τῶν κακῶν ἠξίουν ὁρίζεσθαι. Ἐπεὶ δὲ φιλίας ἕνεκα μᾶλλον, καὶ τῆς πρὸς τὸν πλησίον ὠφελείας τὴν ἐξέτασιν ποιούμεθα τῶν λόγων, ἄνωθεν περὶ τούτων ὁρίζεσθαι ἀξιῶ συγχωρεῖν. Τὴν μὲν προαίρεσιν τὴν ἐμὴν, ἐκ πολλοῦ σοι φανερὰν εἶναι δοκῶ, καὶ τὴν ἐν τοῖς λόγοις σπουδήν, ὅτι οὐ πιθανῶς εἰπὼν ψεῦδος νικῆσαι θέλω, ἀλλὰ δειχθῆναι τὴν ἀλήθειαν μετὰ ἀκριβοῦς ἐξετάσεως. Καί σε δὲ οὕτω διακεῖσθαι σαφῶς ἐπίσταμαι. Ὅθεν οἷῳ τρόπῳ χρώμενος νομίζεις δύνασθαι τὸ ἀληθὲς εὑρεῖν, τούτῳ χρῆσαι μηδὲν δυσωπούμενος. Οὐ γὰρ σεαυτὸν ὠφελήσεις μόνον, χρησάμενος τῷ κρείττονι, ἀλλὰ πάντως κἀμὲ περὶ ὧν ἀγνοῶ.

B

C

IV. Sed quoniam de malorum procreatione aliquid audire gestis, in eam deinceps disputationem ingrediar. Ac primum pauca ex te sciscitari libet. Utrum ergo mala, substantias an substantiarum qualitates esse putas? Substantiarum qualitates, inquis. Atqui materia ut qualitate, sic figura omni spoliata erat ; hoc enim jam ante posito, institutam disputationem persecutus sum. Igitur, si et substantiarum qualitates mala sunt, et materia qualitate omni carebat, Deum porro qualitatum auctorem esse confessus ; erit idem malorum etiam architectus. Itaque Deo materiam adjungere supervacaneum est, cum ne sic quidem malorum procreatione solutum et immunem Deum habere possis. Tu, si quid habes, quod huic argumento respondeas, incipe vero. Et quidem si contentionis et pugnæ studio, hæc a nobis suscepta disputatio foret, malorum rationem in quæstionem iterum vocari non paterer. Sed quoniam amicitia potius, et proximi utilitas in hujusmodi nos sermonem adduxit, age hanc de integro quæstionem disceptare liceat. Equidem sensum tibi meum, quidve hac in disputatione sequar, notum abunde tibi et exploratum esse non dubito : hoc me nimirum agere, non ut verisimilibus argumentis falsum extorqueam, sed ut accurata disquisitione illustratum et confirmatum verum habeamus. Nec alio te animo esse, prorsus intelligo. Qua te ergo ratione verum assequi posse arbitraris, ea tibi libere atque ingenue utendum statue. Nam dum eo quod melius est, abuteris, rem utique non tibi modo, sed etiam mihi quem ignorantia liberabis, perutilem feceris.

V. Σαφῶς παραστῆναί μοι (23) δοκεῖς καὶ τὰ κακὰ οὐσίας ὑπάρχειν τινάς· οὐδὲ γὰρ ἐκτὸς οὐσιῶν αὐτὰ ὄντα βλέπω. Ἐπεὶ τοίνυν, ὦ οὗτος, κἀὶ τὰ κακὰ οὐσίας εἶναι λέγεις, ἀνάγκη τὸν τῆς οὐσίας ἐξετάζειν λόγον. Δοκεῖ σοι τὴν οὐσίαν σωματικήν τινα σύστασιν εἶναι ; Δοκεῖ. Ἡ δὲ σωματικὴ σύστασις αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς ὑπάρχει, οὐ δεομένη τινὸς, οὗ γενομένου τὸ εἶναι λήψεται ; Οὕτως ἔχει. Δοκεῖ δέ σοι τὰ κατὰ ἐνεργείας εἶναί τινος ; Οὕτω μοι φαίνεται. Αἱ δὲ ἐνεργειαι τότε τὸ εἶναι λαμβάνουσιν, ὁπότ' ἂν ὁ ἐνεργῶν παρῇ ; Οὕτως ἔχει. Οὐκ ὄντος δὲ τοῦ ἐνεργοῦντος, οὐδ' ὅπερ ἐνεργεῖ ἔσται ποτέ ; Οὐκ ἔσται. Οὐκοῦν εἰ ἡ οὐσία σωματική τίς ἐστι σύστασις, αὕτη δὲ οὐ δεῖταί τινος, ἐν ᾧ γενομένη τὸ εἶναι λήψεται. τὰ δὲ κακὰ ἐνεργειαι ὑπάρχουσί τινος, αἱ δὲ ἐνεργειαι δέονταί τινος, ἐν ᾧ γενόμεναι τὸ εἶναι λαμβάνουσιν· οὐκ ἔσονται οὐσίαι τὰ κακά. Εἰ δὲ οὐσίαι τὰ κακὰ (24), κακοῦ δὲ ὁ φόνος, ἐνεργειά τινος ὑπάρχει, οὐκ ἔστιν ἄρα οὐσία ὁ φόνος. Εἰ δὲ

D

V. Nunc igitur substantias quasdam opinor, mala esse voles ; quod ea, præterquam in substantiis, nusquam omnino videantur. Ergo, bone vir, cum substantias mala esse putes, sequitur profecto, ut excutienda nobis substantiæ natura sit. An tu substantiam corporeæ molis coagmentationem aliquam esse arbitraris ? Arbitror vero. Ista porro corporea moles num ita exsistit ipsa per sese, nullius ut opem omnino desideret, ac, eo præsente tum esse incipiat ? Prorsus. Quid ? Num tibi mala in actione quadam videntur esse posita ? Videntur sane. Actiones autem num esse tunc primum incipiunt, cum is qui agit, præsens adfuerit ? Utique. Sin qui aget, nullus erit, ne id quidem quod ipse agat, esse poterit ? Non poterit. Ergo si et substantia corporeæ molis coagmentatio quædam est, nec ullius præsentiam requirit, in quo sata exsistendi vim accipiat ; contra vero mala alterius cujusdam actiones sunt, actiones istæ porro alicujus præ-

(22) Οὕτω προλαβ. Clarius esset, οὕτω γὰρ προλαβ. Cæterum hoc argumentum firmius est.

(23) Παραστῆναι. Usitatius fuerit, παραστῆσαι.

(24) Εἰ δὲ οὐσίαι τὰ κακὰ, κ. τ. λ. Mendosa hæc sunt ; quæ facile sic emendes. Εἰ δὲ μὴ οὐσίαι τὰ κακὰ, κακὸν δὲ ὁ φόνος, etc.

sentiam postulant, in quo dum fiunt, tum existere primum incipiunt: restat profecto, ut substantiæ mala esse non possint. Quod si verum est, itemque si malum cædes est, ac proinde alicujus actio; cædes igitur substantia esse non potest. Jam si quæ agendi vim habent, ea substantias esse vis, fateor id quidem; homo enim cædis alicujus auctor, quatenus homo est, substantia quædam est; quæ tamen cædes ab eo fit, ea non substantia, sed substantiæ opus est. Cæterum hominem aliquando malum, ob cædem ab illo patratam; aliquando bonum propter beneficium ab eodem profectum appellamus; quæ nomina, propter ea quæ substantiæ contigerint, ad ipsam adhærescunt illa quidem, substantia tamen ipsa non sunt. Nec enim aut cædes, aut adulterium, aut aliud quodcunque malum, substantia est. Sed quemadmodum a grammatica grammaticum, rhetorem a rhetorica, a medicina medicum nominamus, cum tamen neque medicina, neque rhetorica, neque grammatica substantia sit; sed tantum ex iis quæ sibi eveniunt hanc nominum quorum ipsa nullum est, varietatem sortiatur; sic ab iis quæ vulgo mala censentur, substantiæ nomen imponi statuo, quorum tamen ipsa nullum est. Perinde autem philosophari debes, ut alium aliquem hominibus malorum auctorem animo et cogitatione fingas, eumque similiter quatenus in ipsis male agendi principium et causa quædam est, ob illa ipsa quæ agit, malum esse. Nam malus utique dicitur ipse quoque, quod malorum auctor ipse sit; quæ porro quis agit, ea non jam ipse, sed ipsius tantum actiones quædam sunt, unde mali nomem haurit. Enimvero si quæ a quoque fiunt, eadem ipsum esse diceremus; cum cædes, adulteria, furta, aliaque id genus scelera ab aliquo patrarentur, hæc omnia simul unus idemque foret. Ejusmodi porro si erit: cum isthæc omnia tum exsistant modo cum fiunt, ac simul esse desinant cum fieri desinunt, fiant autem ab hominibus; homines certe quidem, ut eorum artifices, sic et quamobrem illa modo sint, modo non sint, causæ ipsimet erunt. Quod si ejusdem actiones, ista esse concedis; ex iis tantum quæ fecerit, non ex iis quibus substantia constat, is habet, ut malus sit. Mali enim appellationem, ex iis quæ substantiæ contingunt, quæque substantia ipsa non sunt, petendum esse diximus, quemadmodum a medicina medicum nominamus. Nunc vero, si pro rerum quæ ab eo fiunt, conditione, cuicuimodi esse primum incipiat; idem quoque malus esse cœpit, ipsaque adeo mala simul esse cœperunt. Id quod, si verum est, neque malus malitiæ suæ principio, neque mala ipsa ortu carebunt, cum ab illo profecta esse dicantur.

VI. Præclare tu quidem et abunde superioris opinionis errorem, o amice, tam luculenta disputatione confutasti; ex iis enim quæ ante posueras, egregie confecta res est. Enimvero, si qualitate omni spoliata, materia erat; proindeque si et qualitatum auctor Deus est, et qualitates istæ mala sunt, Deum plane malorum auctorem esse consequitur. Quare quod priorem illam sententiam atti-

A τὰ ἐνεργοῦντα οὐσίαν εἶναι θέλεις, σύμφημι κἀγώ· οἷον ἄνθρωπος ὁ φονεύς, καθ' ὃν μὲν λόγον ἄνθρωπός ἐστιν, ὑπάρχει οὐσία· ὁ δὲ, ὃν ποιεῖ, φόνος, οὐκ ἔστιν οὐσία, ἀλλ' ἔργον τῆς οὐσίας. Λέγομεν δὲ τὸν ἄνθρωπον, ποτὲ μὲν κακὸν, διὰ τὸ φονεύειν· ποτὲ δ' αὖ πάλιν διὰ τὸ εὐεργετεῖν, ἀγαθόν· καὶ προσπλέκεταί ταῦτα τὰ ὀνόματα τῇ οὐσίᾳ ἐκ τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ, ἅτινα οὐκ ἔστιν αὐτη. Οὔτε γὰρ φόνος ἐστὶν ἡ οὐσία, οὔτ, αὖ πάλιν ἡ μοιχεία, οὔτε τι τῶν ὁμοίων κακῶν. Ἀλλ' ὥσπερ ἀπὸ τῆς γραμματικῆς ὁ γραμματικὸς λέγεται, καὶ ἀπὸ τῆς ῥητορικῆς ὁ ῥήτωρ, καὶ ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς ὁ ἰατρὸς τῆς οὐσίας οὔτ' ἰατρικῆς οὔσης, οὔτε μὴν ῥητορικῆς, οὔτε γραμματικῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ τὴν προσηγορίαν λαμβανούσης, ἀφ' ὧν οὕτως ὀνομάζεσθαι δοκεῖ. οὐδ' ὁπότερον αὐτῶν οὖσα· ὁμοίως μοι
B φαίνεται καὶ ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναι κακῶν τὴν οὐσίαν ὄνομα προσλαμβάνειν, οὐδ' ὁπότερον οὖσαν αὐτῶν. Καί μοι ὁμοίως ἐπινόησον, εἴ τινα ἕτερον ἀναπλάττεις ἐν τῷ νῷ τῶν κακῶν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιον, ὡς κἀκεῖνος, καθὸ ἐν τούτοις ἐνεργεῖ καὶ ὑποβάλλει ποιεῖν τὰ κακὰ, ἔστι καὶ αὐτὸς κακὸς ἐξ ὧν ποιεῖ. Διὰ τοῦτο γὰρ κἀκεῖνος κακὸς εἶναι λέγεται, ὅτι τῶν κακῶν ἐστι ποιητής· ἃ δέ τις ποιεῖ, οὐκ ἔστιν αὐτὸς, ἀλλ' αἱ ἐνέργειαι αὐτοῦ. ἀφ' ὧν τὴν προσηγορίαν τοῦ κακὸς λέγεσθαι λαμβάνει. Εἰ γὰρ αὐτὸν ὑπάρχειν εἰποιμεν, ἃ ποιεῖ ποιεῖ δὲ φόνους, καὶ μοιχείας, καὶ κλοπὰς, καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια, αὐτὸς ἔσται ταῦτα. Εἰ δὲ ταῦτ' ἐστὶν αὐτὸς, ταῦτα δ' ὅτε γίνεται τὴν σύστασιν ἔχει, οὐ γινόμενα δὲ καὶ
C τοῦ εἶναι παύεται, γίνεται δὲ ταῦτα πρὸς ἀνθρώπων, ἔσονται τούτων (25) οἱ ἄνθρωποι ποιηταὶ, καὶ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ μηκέτ' εἶναι αἴτιοι. Εἰ δὲ ταῦτα ἐνεργείας αὐτοῦ, φῄς· ἐξ ποιεῖ, τὸ κακὸς εἶναι ἔχει οὐκ ἐξ ὧν ἐστιν ἡ οὐσία. Κακὸν δὲ εἴπομεν λέγεσθαι ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων τῇ οὐσίᾳ, ἅτινα οὐκ ἔστιν ἡ οὐσία, ὡς ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς, ἰατρόν. Εἰ δὲ ἐξ ὧν ἐνεργεῖ, ἀρχὴν τοῦ εἶναι λαμβάνει, ἤρξατο κἀκεῖνος εἶναι κακὸς, ἤρξατο δὲ καὶ ταυτὶ τὰ κακά. Εἰ δὲ οὕτως χει, οὐκ ἔσται ἀνάρχως κακὸς, οὐδὲ ἀγέννητα τὰ κακὰ, τῷ γεννητὰ πρὸς αὐτοῦ εἶναι φάναι.

VI. Τὸν μὲν πρὸς τὸν ἕτερον, ὦ φίλε, λόγον ἱκανῶς μοι πεποιῆσθαι δοκεῖς· ἐξ ὧν γὰρ προὐλαβες τῷ λόγῳ, ἐκ τούτων συνάγειν ἐδόξας καλῶς. Ὡς ἀληθῶς γάρ, εἰ ἄποιος ἐτύγχανεν ἡ ὕλη, τῶν δὲ ποιοτήτων δημιουργὸς ὑπάρχει ὁ Θεὸς, ποιότητες δὲ τὰ κακὰ, τῶν κακῶν ἐστι ποιητὴς ὁ Θεός. Οὗτος μὲν οὖν ὁ λόγος πρὸς ἐκεῖνον εἰρήσθω καλῶς. Ἐμοὶ δὲ ψεῦδος δοκεῖ τὴν ὕλην ἄποιον εἶναι λέγειν. Οὐδὲ γὰρ

(25) Ἔσονται τούτων. Ἀσυλλόγιστος videtur ista conclusio. Referendum enim potius fuisset, hominis quoque naturam, pro tanta rerum istarum et actionum mutatione mutari, quæ sui tantopere dissimilis, esse toties et inciperet et desineret.

ἔνεστιν εἰπεῖν περὶ ἡστινοσοῦν αἰτίας (26), ὡς ἔστιν ἄποιος. Καὶ γὰρ ἐν ᾧ ἄποιον εἶναι λέγει, τὴν ποιότητα αὐτῆς μηνύει, ὁποία ἐστὶν ἡ ὕλη διαγραφόμενος, ὅπερ ἐστὶν ποιότητος εἶδος. Ὅθεν εἴ σοι φίλον ἐστὶ, ἄνωθεν ἔχου πρὸς ἐμὲ τοῦ λόγου· ἐμοὶ γὰρ ἡ ὕλη ἀνάρχως ποιότητας ἔχειν δοκεῖ. Οὕτως γὰρ καὶ τὰ κακὰ ἐκ τῆς ἀποῤῥοίας αὐτῆς εἶναι λέγω, ἵνα τῶν κακῶν ὁ μὲν Θεὸς ἀναίτιος ᾖ, τούτων δὲ ἁπάντων ἡ ὕλη αἰτία Τὴν μὲν προοιμίαν τὴν σὴν ἀποδέχομαι, ὦ φίλε, καί σου τὴν ἐν τοῖς λόγοις σπουδὴν ἐπαινῶ. Προσῆκε γὰρ ὡς ἀληθῶς ἕκαστον τῶν φιλομαθῶν, μὴ ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχε συγκατατίθεσθαι τοῖς λεγομένοις, ἀλλ' ἀκριβῆ ποιεῖσθαι τὴν ἐξέτασιν τῶν λόγων. Οὐδὲ γὰρ εἴ ὁ προσζητῶν, παράλογον ὁρισάμενος ἀφορμὴν (27), παρέσχε τῷ προσδιαλεγομένῳ συνάγειν ὡς ἐθέλει, τοῦτο καὶ τὸν ἀκροατὴν πείσει· ἀλλ' εἴ τι (28) δοκεῖ δυνατὸν εἶναι λέγεσθαι καλῶς, τοῦτο λέξει. Ἤρ' ὧν δυοῖν θάτερον ἔσται· ἢ γὰρ πρὸς ὃ κινεῖσθαι δοκεῖ ἀκούσας τέλεον ὠφεληθήσεται, ἢ τὸν προσδιαλεγόμενον ἐλέγξει οὐ τάληθῆ λέγοντα. Οὐ δοκεῖς δέ μοι δεόντως εἰρηκέναι τὴν ὕλην ἄνωθεν ποιότητας ἔχειν. Εἰ γὰρ τοῦθ' οὕτως ἔχει, τίνος ἔσται ποιητὴς ὁ Θεός ; Εἴτε γὰρ οὐσίας ἐροῦμεν. προεῖναι ταύτας φαμέν. Εἶτ' αὖ πάλιν ποιότητας· καὶ ταύτας ὑπάρχειν λέγομεν. Οὐκοῦν οὐσίας τε οὔσης καὶ ποιοτήτων, περιττὸν εἶναί μοι δοκεῖ δημιουργὸν λέγειν τὸν Θεόν.

A net, ab ea sum tua hac ratione deductus. Esto. Nunc autem falsum illud mihi videtur, materiam qualitatibus vacuam fuisse. Nam substantia nulla qualitate omni carere dici potest: cum eo ipso, quo materiam quis omni qualitate spoliatam esse diceret, propriam ejus qualitatem indicaret, dum, qualis materia sit, explicaret, quod ipsum utique singularis quædam ratio qualitatis est. Deinceps ergo, nisi molestum est, hanc mihi rursus a capite disputationem arcesse. Jam enim materiam qualitatibus ex omni æternitate præditam, malaque simul omnia ex quodam ejus defluxu nata esse defendo, ne Deo causa malorum assignetur, quæ solam in materiam conferenda sit. Mihi vero tuus hic animus, o amice, admodum probatur ; placet hoc in concertationis genere tam studiosa contentio. Atque B idem profecto eorum omnium qui se discendi cupidos profitentur, consilium esse oporteret, ut non simpliciter ac temere, quidquid ab aliis dicitur, arriperent, sed rationum vim atque pondus suis accurate ac diligenter momentis æstimarent. Nec enim, si quis cum altero disserit, concinnatum abs sese fallax aliquod et captiosum argumenti genus, sua illi ex mente sensuque concludendum obtrudet, auditori propterea, quod volet, hac arte persuaserit ; sed aliquid tum demum is egerit, si quod abs se cum ratione dici posse videbitur, id in medium proferet. Nam tum e duobus alterum consequetur ; aut enim qui audiet, quo impelli sese ferrique senserit, in eo tandem magno cum suo fructu acquiescet, aut adversarium ipse suum erroris falsique convincet Ergo, ut ad rem veniam, equidem sic existimo, minus abs te vere qualitatibus ab omni ævo materiam instrui. Hoc enim, si verum est, cujus tandem rei Deum auctorem habebimus? Substantiarum ? at eas jam prius exstitisse dicimus Qualitatum ? at illas quoque jam ante fuisse agnoscimus. Cum igitur et substantia per sese jam, et qualitates exsistant, quamobrem Deum conditorem appellemus, superest profecto nihil.

VII. Ἵνα δὲ καὶ μὴ κατασκευάζειν τινὰ δόξω λόγον, ἀπόκριναι νῦν ἐρωτώμενος, τίνι τρόπῳ δημιουργὸν εἶναι φῂς τὸν Θεόν ; Πότερον ὅτι τὰς οὐσίας ἔτρεψεν εἰς τὸ μηκέθ' ὑπάρχειν ἐκείνας, ἅπερ ἦσάν ποτε, ἀλλ' ἑτέρας παρ' αὐτὰς γενέσθαι, ἢ ὅτι τὰς μὲν οὐσίας ἐφύλαξεν ἐκείνας, αἵπερ ἦταν πρὸ τούτου, τὰς δὲ ποιότητας ἔτρεψεν αὐτῶν ; Οὔ τί μοι δοκεῖ, ἀλλαγήν (29) τινα οὐσιῶν γεγονέναι. Καὶ γὰρ ἄτοπον τοῦτο λέγειν μοι φαίνεται. Τροπὴν δέ τινα τῶν ποιοτήτων γεγονέναι φημὶ, καθ' ἃς δημιουργὸν εἶναι λέγω τὸν Θεόν. Καὶ ὥσπερ εἰ τύχοι λέγειν ἐκ λίθων οἰκίαν γεγονέναι, ἐφ' ᾧ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὡς οὐκ ἔτι λίθοι μένουσι τῇ οὐσίᾳ, οἰκία γενόμενοι οἱ λίθοι· τῇ γὰρ ποιότητι τῆς συνθέσεως τὴν οἰκίαν γεγονέναι φημὶ, τραπείσης δηλονότι τῆς προτέρας τῶν λίθων ποιότητος· οὕτω μοι δοκεῖ καὶ τὸν Θεὸν, ὑπομενούσης τῆς οὐσίας, τροπὴν (30) τινα τῶν ποιοτήτων αὐτῆς πεποιηκέναι, καθ' ἣν τὸν τοῦδε τοῦ

VII. Verum ne arguti quidpiam ipse moliri velle videar, dic ipsemet obsecro, qua tu ratione conditorem Deum esse putes. An quod substantiarum naturam immutarit ut, quam nactæ prius fuerant exuentes, novam ipsæ quamdam et alienam induerent? an potius, quod substantiis in propria naturæ suæ ratione conservatis, earum tamen qualitates mutarit ? Ego vere nullam in substantiis mutationem contigisse arbitror. Absurdum enim id utique fuerit. Qualitates ergo mutatas fuisse aio ; quod mutationis genus conditoris Deo nomen indiderit. Quemadmodum enim si domum aliquam e lapidibus factam esse dicamus, non tameu continuo verum sit, lapides, exuta priore substantia, eam in domum esse conversos ; quippe certo quodam ex C compositionis genere domum exstitisse contendo, priori lapidum qualitate mutata : sic videtur mihi Deus, integra manente substantia, quamdam ipsius

(26) Αἰτίας. Leg. οὐσίας.

(27) Παράλογον ὁριστάμενος ἀφορμήν. Hic ἀφορμὴν pro eo sumi arbitror, quod *medium* vulgo logici nominant, ejusque tam in majori quam in minori collocationem ! παράλογον autem ἀφορμὴν, sophisticam et ἀπατητικὴν argumentandi rationem, qua quis velut ἀφορ ῆ quadam, ad facilius alterum in errorem inducendum abutatur. Quales ἀφορμὰς Socratici captare videbantur.

(28) Ἀλλ' εἴ τι. Ante ἀλλὰ minori tantum distinctione opus est ; pro εἴ τι malim εἰ δ' τι.

(29) Δοκεῖ ἀλλαγήν Post δοκεῖ tollenda distinctio est Ἀλλαγὴν autem rescripsimus, pro ἀλλὰ γῆν quod manifeste vitiosum erat.

(30) Τροπήν, Male τρόπον ante legebatur.

qualitatum mutationes effecisse, ex qua mundus iste hoc habeat, ut a Deo conditus esse dicatur. Audio. Cum igitur peculiarem quamdam ejusmodi qualitatum rationem a Deo profectam esse statuas, pauca mihi tantum abs te responderi velim. Dic amabo. Num tu similiter qualitates istas substantiarum mala quædam esse opinaris? Omnino. Utrum igitur qualitates illæ jam inde ab omni ævo materiæ inerant; an exsistendi principium aliquod habuere? Inerant vero citra ullum ortus su principium. Quid? Num tu aliquam a Deo mutationem qualitatum istarum effectam esse contendis? Plane. Utrum eam in melius an vero in deterius factam arbitraris? In melius certe quidem. Si ergo qualitates materiæ mala sunt, eædemque cum melioribus a Deo commutatæ fuerunt: unde mala profluxerint, quærendum necessario est Aut enim qualitates istæ prioris natnræ conditionem non exuerunt; aut si, cum prius malæ non essent, illa tamen divinitus facta mutatione quæ priorem naturam expulerit, ejusmodi quas nunc habet, inustas materiæ qualitates esse arbitraris; malorum profecto causa Deus erit, qui quæ malæ per sese non erant, eas in malas commutarit.

A κόσμου γένεσιν πρὸς τοῦ Θεοῦ γεγονέναι λέγω. Ἐπεὶ τοίνυν τροπήν τινα τὴν ποιοτήτων πρὸς τοῦ Θεοῦ γεγονέναι φῂς, ἀπόκριναί μοι βραχέα πυθέσθαι προαιρουμένῳ. Λέγε δή. Εἰ ὁμοίως καί σοι δοκεῖ τὰ κακὰ ποιότητας εἶναι τῶν οὐσιῶν; Δοκεῖ. Ἄνωθεν δὲ ἦσαν αἱ ποιότητες αὗται ἐν ἐν τῇ ὕλῃ, ἢ ἀρχὴν ἔσχον τοῦ εἶναι; Συνεῖναί φημι ἀγεννήτως τῇ ὕλῃ ταυτασὶ τὰς ποιότητας. Οὐχὶ δὲ τὸν Θτὸν φῂς τροπήν τινα τῶν ποιοτήτων πεποιηκέναι; Τοῦτό φημι. Πότερον οὖν εἰς τὸ κρεῖττον, ἢ εἰς τὸ χεῖρον; Εἰς τὸ κρεῖττον λέγειν μοι δοκεῖν. Οὐκοῦν, εἰ ποιότητες τῆς ὕλης τὰ κακὰ, τὰς δὲ ποιότητας αὐτῆς εἰς τὸ κρεῖττον ἔτρεψεν ὁ Κύριος, πόθεν τὰ κακὰ, ζητεῖν ἀνάγκη. Ἢ γὰρ ἔμειναν αἱ ποιότητες ὁποῖαί ποτ' ἦσαν τῇ φύσει, ἢ εἰ μὲν πρότερον οὐκ ἦσαν κακαὶ, ἐκ δὲ τοῦ B τραπῆναι πρὸς τοῦ Θεοῦ τὰς πρώτας τοιαύτας περὶ τὴν ὕλην γέγονέναι ποιότητας φῂς, αἴτιος ἔσται τῶν κακῶν ὁ Θεὸς, τρέψας τὰς οὐκ οὔσας ποιότητας κακὰς, εἰς τὸ εἶναι κακάς.

VIII. At forte ne malas quidem qualitates Deus in meliores convertit, sed reliquas tantum, hoc est eas quibus nihil esset cum bonis malisve commune, ut major ex ea mutatione ornatus exsisteret Ita quidem jam inde ab initio sentiebam. Quomodo igitur quæ malæ per sese erant, eas sine ulla mutatione relictas ab eo fuisse ais? An quod illas ut tollere similiter ac delere potuisset.noluerit tamen; an potius quod id perficere nullo modo potuerit? Si potuisse concedis, negas voluisse; illarum causam in Deum conferas necesse est, qui cum eas innata malitia liberare posset.suam tamen iis conditionem relinquere maluerit, quo potissimum tempore materiam elaborandam conformandamque susciperet. Nam si materiam susque deque habuisset non jam qualitatum earum quas integras manere sinebat, causa diceretur Nunc vero, cum ejusdem materiæ partem expoliret, partem indigestam ac rudem, uti erat, relinqueret; qui quod malorum supererat, melius efficere potuisset, is mihi quidem culpæ alicujus affinis videtur fuisse, dum in altera materiæ parte nativam etiam tum malitiam. in ejus quam elaboraret, exitium hærere pateretur. Et quidem gravis prorsus hoc in genere, huic quam elaboravit. materiæ parti, eo nomine facta videtur injuria, quod tantam malorum vim D subire ac sustinere cogatur. Quisquis enim accurate rem æstimare volet, is longe deteriorem hoc tempore, quam impolita dum esset, materiæ conditionem esse reperiet. Nam antequam varias digereretur in partes, nullum ea malorum suorum habebat sensum, quo nunc partes ejus singulæ vehementer laborant.

VIII. Εἰ τὰς μὲν κακὰς ποιότητας εἰς τὸ κρεῖττον οὐ δοκεῖ σος τρέψαι τὸν Θεὸν, τὰς δὲ λοιπὰς καὶ μόνας ὅσαι ἀδιάφοροι ἐτύγχανον, τῆς διακοσμήσεως ἕνεκα, πρὸς τοῦ Θεοῦ τετράφθαι λέγεις. Οὕτως ἄνωθεν ἔσχον ἐγώ. Πῶς τοίνυν αὐτὸν τὰς τῶν φαύλων ποιότητας ὡς εἶχον λαταλελοιπέναι λέγεις; Πότερον δυνάμενον μὲν κἀκείνας ἀνελεῖν, οὐ βουληθέντα δὲ, ἢ τὸ δύνασθαι μὴ ἔχοντα; Εἰ μὲν γὰρ δυνάμενον λέξεις, οὐ βουληθέντα δὲ αὐτὸν, αἴτιον τούτων εἰπεῖν ἀνάγκη, ὅτι δυνάμενος ποιῆσαι μὴ εἶναι κακὰ, συνεC χώρησεν αὐτὰ μένειν ὡς ἦν, καὶ μάλιστα ὅτε δημιουργεῖν τὴν ὕλην ἤρξατο. Εἰ γὰρ μηδ' ὅλως ἔμελεν αὐτῷ τῆς ὕλης, οὐκ ἄν αἴτιος ἦν ὧν συνεχώρει μένειν. Ἐπεὶ δὲ μέρος μέν τι αὐτῆς ἐδημιούργει, μέρος δέ τι οὕτως εἶα, δυνάμενος κἀκεῖνα τρέπειν εἰς τὸ κρεῖττον, αἰτίαν ὀφλισκάνειν ἄξιος εἶναί μοι δοκεῖ, καταλιπὼν μέρος ὕλης εἶναι πονηρὸν ἐπ' ὀλέθρῳ, οὗ ἐδημιούργησε μέρους. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ μέγιστα κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἠδικῆσθαί μοι δοκεῖ, τοῦθ' ὅπως κατεσκεύασε τῆς ὕλης μέρος ἀντιλαμβανόμενον τανῦν τῶν κακῶν. Εἰ γάρ τις ἐξετάζοι ἐπ' ἀκριβὲς τὰ πράγματα, χαλεπώτερον νῦν εὑρήσει τὴν ὕλην πεπονθυῖαν τῆς προτέρας ἀκοσμίας. Πρὶν γὰρ αὐτὴν διακριθῆναι, τὸ μηδὲ αἰσθέσθαι τῶν κακῶν παρῆν αὐτῇ· νυνὶ δὲ ἕκαστον τῶν μερῶν αὐτῆς D αἴσθησιν λαμβάνει τῶν κακῶν.

IX. Atque ut ab homine sumatur exemplum. Priusquam animal opificis arte conformatum esset, a natura hoc habebat, nihil ut omnino mali pateretur. Ex quo autem a Deo procreatus homo est, mali etiam imminentis sensu afficitur; ita,

IX. Καί μοι ἐπ' ἀνθρώπου τὸ παράδειγμα λαβέ. Πρὶν γὰρ εἰκονισθῇ καὶ ζῶον γένηται τῇ τοῦ δημιουργοῦ τέχνῃ, τὸ μεθ' ἑνὸς (31) ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν κακῶν, παρὰ τῆς φύσεως εἶχεν. Ἀφ' οὗ δὲ πρὸς τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος γίνεται, καὶ τὴν αἴσθησιν τοῦ

(31) Μεθ' ἑνός. Legendum videtur μεθ' ἑνός, vel unico verbo μεθενός.

προσπελάζοντος κακοῦ προσλαμβάνει, καὶ τοῦθ' ὅπερ ἐστὶν εὐεργεσία (32) τῆς ὕλης, πρὸς τοῦ Θεοῦ γεγονέναι λέγεις, εὑρίσκεται μαλλον ἐπὶ τῷ χείρονι προγενόμενον αὐτῇ. Εἰ δ' ἐκ τοῦ μὴ δύνασθαι τὸν Θεὸν ἀνελεῖν τὰ κακὰ, τὸ μὴ πεπαῦσθαι λέγεις, ἀδύνατον τὸν Θεὸν φήσεις ὑπρχειν. Τὸ δὲ ἀδύνατον, ἤτοι τῷ φύσει ἀσθενῇ ὑπάρχειν αὐτὸν ἔσται, ἢ τῷ νικᾶσθαι τῷ φόβῳ δεδουλωμένον πρὸς τινος κρειττονος. Εἰ μὲν οὖν τὸν Θεὸν φύσει ἀσθενῇ ὄντα τολμήσεις εἰπεῖν, περὶ τῆς σωτηρίας αὐτῆς κινδυνεύειν μοι δοκεῖς. Εἰ δὲ τῷ νικᾶσθαι φόβῳ πρὸς τοῦ μείζονος, μείζονα ἔσται τοῦ Θεοῦ τὰ κακὰ νικῶντα τῆς προαιρέσεως αὐτοῦ τὴν ὁρμήν· ὅπερῶ ἄτοπον εἶναί μοι λέγειν περὶ Θεοῦ δοκεῖ. Διὰ τί γὰρ οὐχὶ μᾶλλον ταῦτ' ἔσονται θεοὶ, νικᾷν κατὰ τὸν σὸν λόγον δυνάμενοι (33) τὸν Θεὸν, εἴπερ Θεὸν ἐκεῖνό φαμεν, ὅ τὴν ἁπάντων ἐξουσίαν ἔχει ;

X. Βραχέα δὲ σου καὶ περὶ τῆς ὕλης αὐτῆς πυθέσθαι βούλομαι· καὶ μοι φέρων λέγε, πότερον ἁπλῆ τις ἦν ἡ ὕλη, ἢ σύνθετος. Ἡ γὰρ διαφορὰ τῶν γεγονότων εἰς τοιαύτην με περιίστησιν ἐξέτασιν τοῦδε τοῦ λόγου. Εἰ γὰρ ἁπλῆ τις ἐτύγχανεν ἡ ὕλη καὶ μονοειδής· σύνθετος δὲ ὁ κόσμος (34), καὶ ἐκ διαφόρων οὐσιῶν τε καὶ κράσεων τὴν σύστασιν ἔχει ; Τὸν γὰρ (35) σύνθετον ἁπλῶν τινων μίξιν μήνυει. Εἰ δ' αὖ πάλιν τὴν ὕλην σύνθετον λέγειν ἐθέλοις, πάντως ἐξ ἁπλῶν τινων συντεθεῖσθαι φήσεις. Εἰ δὲ ἐξ ἁπλῶν συνετέθη, ἦν ποτε καθ' ἑαυτὰ (36) τὰ ἁπλᾶ, ὧν συντεθέντων, γέγονεν ἡ ὕλη. ἐξ οὗ περ καὶ γεννητὴ οὖσα δείκνυται. Εἰ γὰρ σύνθετος ἡ ὕλη, τὰ δὲ σύνθετα ἐξ ἁπλῶν τὴν σύστασιν ἔχει, ἦν ποτε καιρὸς, ὅτε ὕλη οὐκ ἦν, τουτέστι πρὶν τὰ ἁπλᾶ συνελθεῖν. Εἰ δὲ ἦν ποτε καιρὸς, ὅτε ὕλη οὐκ ἦν· οὐκ ἦν δέ ποτε καιρὸς, ὅτε τὸ ἀγεννητον οὐκ ἦν, οὐκ ἔσται ἀγέννητος ἡ ὕλη. Τὸν δ' ἐνεῦθεν ἔσται πολλὰ τὰ ἀγέννητα. Εἰ γὰρ ἦν ἀγέννητος ὁ Θεὸς, καὶ τὰ ἁπλᾶ ἐξ ὧν ἡ ὕλη συνετέθη, οὐκ ἔσται δύο μόνα τὰ ἀγέννητα, ἵνα παρήσω τὸ ἐπιζητῆσαι τί ὄντα ἐστιν ἁπλᾶ· ὕλη ἢ εἶδος. Δοκεῖ δέ σοι μηδὲν τῶν ὄντων αὐτὸ ἑαυτῷ ἀντικεῖσθαι ; Δοκεῖ. Ἀντίκειται δὲ τῷ πυρὶ τὸ ὕδωρ ; Ἀντικεῖσθαί μοι φαίνεται. Ὁμοίως δὲ καὶ τῷ φωτὶ τὸ σκότος, καὶ τῷ ψυχρῷ τὸ θερμὸν, πρὸς δὴ τούτοις καὶ τῷ ξηρῷ τὸ ὑγρόν ; Οὕτως ἔχειν μοι δοκεῖ. Οὐκοῦν (37) εἰ μηδὲν τῶν ὄντων αὐτὸ ἑαυτῷ ἀντίκειται, ἀλλήλοις δὲ ταῦτα ἀντίκειται, οὐκ ἔσονται ὕλη μία, οὐδὲ μὴν ἐξ ὕλης μιᾶς. Ὅμοιον δέ τινα τούτῳ λόγον πάλιν πυθέσθαι σου βούλομαι. Δοκεῖ σοι τὰ μέρη μὴ ἀναιρετικὰ τυγχάνειν ἀλλήλων ; Δοκεῖ. Εἶναι δὲ τῆς ὕλης μέρη, τὸ τε πῦρ καὶ ὕδωρ, ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ λοιπά ; Οὕτως ἔχει. Τί δὲ, οὐ δοκεῖ σοι ἀνατρεπτικὸν μὲν εἶναι τοῦ πυρὸς τὸ ὕδωρ, τοῦ δὲ σκότους τὸ φῶς, καὶ τάλλα ὅσα τούτοις παραπλήσια ; Δοκεῖ. Οὐκοῦν εἰ τὰ μέρη οὐκ ἔστιν

A quod tu divini erga materiam Numinis beneficium interpretaris, hoc ipsi jam in deterius cessisse reperies. Jam vero, si quod mala Deus tollere non potuerit, eadem perstitisse voles ; Deum ergo impotentem facis. Impotens autem si erit, aut propter nativam imbecillitatem erit, aut quod servilem in modum, potentioris alicujus terrore superetur. Natura imbecillum, citra manifestum salutis periculum, affirmare audebis nunquam. Sin majoris formidine victum esse dices, mala Deo simul anteponens, quæ vim ejus impetumque voluntatis impediant ; quod sane de natura divina prædicari non nisi absurde potest. Quidni enim mala ipsa potius deorum loco habeantur, si et Deum, ut ais, superare possunt, et Deum illud esse demum agnoscimus, quod summam habeat rerum omnium potestatem ?

B X. Sed juvat præterea, nonnulla ex te de materia quærere. Dic igitur, amabo te, simplicemne materiam, an compositam fuisse putes ? Nam rerum tanta diversitas ad hujus me disceptationem quæstionis adducit. Si enim simplex, uniusque duntaxat formæ ac figuræ materia fuit ; quomodo tandem compositus ex ea mundus, ex tanta substantiarum ac temperationum varietate consistit ? Quod enim compositum dicitur, id sane plurium simplicium mistionem involvit. Sin eamdem compositam fuisse vis, ex simplicibus igitur composita fuit. Quod si verum est, fuerant jam olim simplicia illa per sese, quorum ex compositione materia conflata est. Hinc porro genitam esse materiam ostenditur. Nam si composita materia est ; composita vero ex simplicibus coagmentata sunt ; tempus illud certe fuit, quo nulla dum materia esset, hoc est antequam ea simplicium inter sese conjunctio fieret. Quod, si tempus ejusmodi aliquod fuit, quo materia necdum esset ; nullum autem unquam fuit, quo res ortu principioque carens, nondum exsisteret ; ortu materia caruisse non poterit. Cæterum plura deinceps ortu carentia statuemus. Si enim et Deus, et simplicia ista ex quibus concreta materia est, ortu carebunt, non jam duo tantum ortu carentia censebuntur, ut prætermittam id quærere, quid fuerint ipsa simplicia, materia an forma. Postremo, num tu rem plane nullam, quæ secum ipsa pugnet, esse concedis ? Nullam. Cum igne vero num aqua pugnat ? Pugnat sane. Similiter et luci tenebræ, et frigido calidum, et sicco humidum adversatur ? Utique. Igitur si res nulla secum ipsa pugnat, hæc autem secum pugnant, sequitur omnino, nec unicam esse materiam, nec unica tantum ex materia universa constare. Cui persimile ac geminum illud est, quod sequitur. Nonne tibi videtur,

D

(32) Ἐστιν εὐεργεσία. Sensus postulat ἐπ' εὐεργεσίᾳ, maxime cum sequatur ἐπὶ χείρονι.

(33) Δυνάμενοι. Præstat omnino δυνάμενα, ut referatur ad ταῦτα, non ad θεοί.

(34) Σύνθετος δὲ ὁ κόσμος. Mutila ista sunt. Commode sic expleas : Πῶς δὴ σύνθετός ἐστιν ὁ κόσμος, etc.

(35) Τὸν γὰρ. Rescribe τὸ γάρ.

(36) Ἦν ποτε καθ' ἑαυτά. Negari facile posset, quod hic assumitur.

(37) Οὐκοῦν. Et hæc consequentia oppido quam infirma. Tota enim hæc ἀντιμάχησις est κατ' εἶδος, non καθ' ὕλην.

partes non se invicem destruere? Equidem. Materiæ vero partes, ignem, aquam, et reliqua esse concedis? Et libenter. Ignem porro aqua; lux tenebras, atque ejusmodi cætera, non tollere sese mutuo ac perimere videntur? Plane. Si ergo partes nullæ mutuum sibi exitium afferunt, partes autem materiæ mutuum sibi exitium afferunt, nec mutuarum ista partium rationem obtinere, nec proinde unius tantum materiæ, aut vero materia prorsus esse poterunt; cum res nulla interitum sibi pestemque creet, uti contrariis contraria solent. Nec enim idem contrarium est ipsi sibi; contraria siquidem, aliis duntaxat contraria sunt; quemadmodum nec album albo, sed nigro tantum; nec luci, sed tenebris contraria lux est; similiterque de aliis plerisque philosophari potes. Quare, si materia quoque una quædam et simplex esset, nunquam secum ipsa pugnaret. Ex qua tandem propria contrariorum ratione concluditur, locum omnino isti materiæ nullum superesse.

A ἀλλήλου ἀναιρετικὰ, τὰ δὲ τῆς ὕλης μέρη ἀναιρετικὰ ἀλλήλων ἐστὶν, οὐκ ἔσται ἀλλήλων μέρη· εἰ δὲ οὐκ ἔστιν ἀλλήλων μέρη, οὐκ ἔσονται ὕλης μιᾶς· ἀλλὰ μὴν, οὐδ' αὐτὰ ἔσονται ὕλη, τῷ μηδέν τι τῶν ὄντων αὐτὸ ἑαυτοῦ ἀναιρετικὸν ὑπάρχειν, κατὰ τὸν τοῦ ἀντικειμένου λόγον. Οὐδὲ γὰρ ἐστί τι αὐτῷ ἀντικείμενον· τὰ γὰρ ἀντικείμενα, ἑτέροις ἀντικεῖσθαι πέφυκεν· οἷον τὸ λευκὸν, αὐτὸ ἑαυτῷ οὐκ ἀντίκειται, πρὸς δὲ τὸ μέλαν ἀντικείμενον λέγεται· καὶ τὸ φῶς ὁμοίως, ἑαυτῷ μὴ ἀντικεῖσθαι δείκνυται, πρὸς δὲ τὸ σκότος οὕτως ἔχον φαίνεται· καὶ ἄλλα γοῦν ὁμοίως πλεῖστα ὅσα. Εἰ τοίνυν καὶ ὕλη μία τις ἦν, οὐκ ἂν αὐτὴ αὐτῇ ἀντέκειτο. Οὕτω δὲ τῶν ἀντικειμένων ἐχόντων, τὸ μὴ εἶναι τὴν ὕλην δείκνυται.

POLYCRATES
EPHESIORUM EPISCOPUS

NOTITIA

(Galland., *Vet. Patrum Biblioth.*, II, Proleg., p. xix.)

I. *Polycrates Ecclesiam Ephesinam sæculo* II *desinente administrabat. Annum agens* 65, *epistolam scripsit ad sanctum Victorem papam, in qua Pascha celebrandum die* 14 *primi mensis more Judaico profitetur. Ejus rei causa ipsum ab Ecclesiæ unitate abscindere conatur Romanus pontifex. Sed pax interturbata Occidentales inter et Orientales, mox restituta est.*

II. *De hac dissensione veterum testimonia. Epiphanii textus mendosus. Quid de Sozomeno sentiunt eruditi. Polycratis epistolæ fragmenta ex Eusebio prolata.*

I. Polycrates Ephesinam Ecclesiam regebat anno B 196, septemque sui generis episcopis octavum se accessisse testatur (1): Ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς μου ἐπίσκοποι, ἐγὼ δὲ ὄγδοος. Utrum vero propinqui sui quorum meminit omnes Ephesinæ urbis fuerint episcopi, an vero, quod potius crediderim, in diversis Asiæ urbibus sacerdotium obtinuerint, non liquet. Annum agens 65, epistolam scripsit ad sanctum Victorem papam, in qua de Paschali solemnitate juxta Judæorum morem die 14 primi mensis celebranda traditionem in Asia ad sua usque tempora propagatam exponit. Cujus quidem traditionis cum se tenaciorem quam par erat præbuerit Polycrates, ipsum tanquam a catholica doctrina dissidentem; ab Ecclesiæ unitate abscindere conatur Romanus pontifex, Eusebio teste (2); datisque litteris denuntiat, universos qui illic erant fratres, a communione esse alienos. Verum pax interturbata, paulo post in integrum restituta est, sequestre Irenæo, ut auctor est Anatolius episcopus Laodicensis (3): « Contentio quædam, inquit, exorta est inter eorum (Petri et Pauli) successores, Victorem scilicet Romanæ urbis eo tempore episcopum, et Polycratem qui tunc in episcopis Asiæ primatum gerere videbatur; quæ Irenæo tunc Galliæ partis præsule rectissime pacata est, utrisque partibus in sua regula perseverantibus, nec a cœpto antiquitatis more declinantibus. »

II. Hujusmodi Victorem inter et Asianos dissidii meminit etiam Epiphanius his verbis (4): « De illius festi (Paschalis) celebritate varii ecclesiasticæ disciplinæ tumultus ac contentiones obortæ sunt; præsertim Polycarpi ac Victoris ætate, ἐν Χρόνοις Πολυκάρπου καὶ Βίκτωρος, cum Orientales ab Occidentalibus divulsi, pacificas a se invicem litteras C nullas acciperent. » Ubi tamen pro *Polycratis*, perperam *Polycarpi* nomen irrepsisse nemo non videt. Eamdem emendationem tentavit in Sozomeno doctissimus Petrus de Marca (5). Sed frustra, judice cl. abbate de Longuerue (6); cum Polycrates

(1) Polycrat. apud Euseb., infra.
(2) Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 24.
(3) Anatol. apud Bucher. *De doctr. temp.*, pag. 44, seq.
(4) Epiph. hær. 70, § 9, pag. 811.
(5) Marc. *De conc. sacerd. et imper.* lib. III, c. 9, § 4. pag. 268.
(6) Longuer. *De var. epoch. vet. Orient.* pag. 29.

non fuerit Smyrnæ, sed Ephesi episcopus. Ait enim Sozomenus (7) : « Exortam olim de paschalis festi observatione controversiam sapientissime dissolvisse mihi videtur Victor, tunc temporis Romanorum episcopus, et Polycarpus Smyrnæus, καὶ Πολύκαρπον τὸν Σμυρναῖον. » In eamdem sententiam Longuerueo præiverat Pearsonius (8). Neque A dissentit Coutantius (9). Sed illustrissimi præsulis emendationem astruit Baluzius(10) ; eaque Lequienio (11) probatur.

Cæterum Polycratis epistolæ fragmenta *Historiæ* suæ intexuit Eusebius ; ex quo ea descripsimus,et cum notis Valesii atque Coutantii protulimus.

POLYCRATIS

FRAGMENTA.

EX EPISTOLA AD VICTOREM AC ROMANAM ECCLESIAM,

De Pascha eo die quo Judæis præscriptum erat celebrando, traditionem in Asia ad sua usque tempora propagatam exponentis.

(Apud EUSEBIUM *Hist. eccl.* lib. v, cap. 24.

I.

Ἡμεῖς οὖν ἀῤῥᾳδιούργητον ἄγομεν τὴν ἡμέραν· B μήτε προστιθέντες, μήτε ἀφαιροῦμενοι. Καὶ γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν (12) μεγάλα στοιχεῖα (13) κεκοίμηται· ἅτινα ἀναστήσεται τῇ ἡμέρᾳ (14) τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου, ἐν ᾗ ἔρχεται μετὰ δόξης ἐξ οὐρανῶν, καὶ ἀναστήσει (15) πάντας τοὺς ἁγίους· Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα ἀποστόλων (16), ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει, καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι· καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ (17) θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολι-

Nos igitur verum ac genuinum agimus diem,nec addentes quidquam, nec detrahentes. Etenim in Asia magna quædam lumina exstincta sunt, quæ illo adventus Dominici die resurrectura sunt, cum Dominus e cœlo veniet plenus gloria, sanctosque omnes suscitabit. Philippus scilicet unus e duodecim apostolis qui mortuus est Hierapoli,et duæ ejus filiæ quæ virgines consenuerunt ; alia quoque ejusdem filia, quæ Spiritu sancto afflata vixit,

(7) Sozom. *Hist. eccl.* lib. VII, cap. 19.

(8) Pearson. *Opp. post.* dissert. II, cap. 19, § 3, p. 304.

(9) Coutant. *Epist. Rom. pont.*, pag. 102.

(10) Baluz. *ad Marcam*, l. c.

(11) Lequien, *Or. Christ.*, tom. I, pag. 673.

(12) Καὶ γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν. Hunc locum usque ad ea, ἐν Ἐφέσῳ κεκοίμηται, retulerat Eusebius C lib. III, cap. 31 ubi legimus : Καὶ γὰρ καὶ κατά. Ex Valesii editione repetit hujusmodi Fragmetum epistolæ Polycratis cl. Coutantius in *Epist. Rom. pontif.* pag. 95, seq.

(13) Μεγάλα στοιχεῖα. Hieronymus qui hæc Polycratis verba recitat in lib. *De script. eccles.* cap. 55,et Musculus, *elementa* vertunt. Christophorsonus *seminaria*. Sed optime Rufinus *lumina* interpretatur. Sic apud Diogenem Laertium in *Vita Menedemi :* Ἴλος Ἀρκαδικὸς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων ἐνυφασμένα τὰ δώδεκα στοιχεῖα. Sic autem vocabant ea signa gentiles, quod principia vitæ hominum ac fortunæ in iis posita esse existimarent,ut docet Epiphanius in *Hæresi Pharisæorum :* Τὰ ματαίως νομιζόμενα εἰς ἀριθμὸν στοιχείων τοῖς πεπλανημένοις ὀνόματα ἃ ζώδια καλοῦσιν. Ubi εἰς ἀριθμόν ponitur pro εἰς λόγον. Idem scribit in *Hæresi Manichæorum* cap. 9. Quare fallitur Salmasius in libro *De annis Climactericis* pag. 577. Neque enim Græci στοιχεῖον D unquam dixerunt imaginem aut figuram. Septem quoque planetas Græci στοιχεῖα, Latini *elementa* interdum vocant. Hieronymus in epist. *ad Hedibiam* quæst. 4 : « Omnis hebdomada in Sabbatum et in primam et in secundam et tertiam et quartam et quintam et sextam sabbati dividitur, quas ethnici idolorum et elementorum nominibus appellant. » Chrysostomus hom. 58, *in Matth.* : Ὁ γὰρ δαίμων ἐπὶ διαβολῇ τοῦ στοιχείου καὶ ἐπιτίθεται τοῖς ἀλοῦσι, καὶ ἀνίησιν αὐτοὺς κατὰ τοὺς τῆς σελήνης δρόμους. Nec aliter sumit hoc nomen Gregorius Nyssenus in libro *De Vita S. Macrinæ*,ubi ait tantam esse audaciam pictorum, ὡς καὶ αὐτῶν τῶν στοιχείων τὰς εἰκόνας διὰ τῆς μιμήσεως ἀνατυποῦσθαι. Denique Clemens Romanus in *Recognitionibus* hom. 10, στοιχεῖα vocat cœlum et solem et lunam et astra. Vales. ad Eus. lib. III, cap. 31.

(14) Τῇ ἡμέρᾳ. Apud Eusebium l. c. τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

(15) Καὶ ἀναστήσει. Ibid. καὶ ἀναζητήσει, *requiret*.

(16) Φίλιππον τὸν τῶν δώδεκα ἀποστόλων. Christophorsonus hoc loco nequaquam boni interpretis officio functus est,qui pro Philippo uno ex duodecim apostolis Philippum unum ex septem diaconis substituit.Vetus quidem hic error fuit, ut Philippum diaconum et evangelistam cum Philippo apostolo confunderent.Et quia in Actibus apostolorum cap. XXI, Philippi evangelistæ quatuor filias virgines prophetasse legerant,Philippum apostolum conjugem habuisse et filias suscepisse dixerunt. Ita præter Polycratem, Clemens Alexandrinus *Strom.* lib. III, pag. 448, et Papias apud Eusebium *Hist. eccl.* lib. III, cap. 39. Verum ex Actibus apostolorum manifesto colligitur, Philippum diaconum, eum a quo Eunuchus baptizatus est,et qui quatuor habuit filias prophetantes, alium fuisse a Philippo apostolo. Vide Isidorum Pelusiotam lib. I, epist. 447,et seqq., ubi id apertissime demonstrat. VALES. — Incorruptum Eusebii textum probat Hieronymi interpretatio,vertentis « Philippum loquor de duodecim apostolis : » licet Rufinus reddiderit : « Philippus evangelista qui dormivit apud Hierapolim. COUTANT.

(17) Καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ. Tertiam hanc Philippi filiam sejungit Polycrates a duabus aliis quæ in vir-

et Ephesi requiescit. Præterea Joannes,qui in sinu Domini recubuit ; qui etiam sacerdos fuit,et laminam gestavit,martyr denique et doctor exstitit Hic, inquam, Joannes apud Ephesum extremum diem obiit. Polycarpus quoque, qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit ; itemque Thrasea Eumeniæ episcopus et martyr, qui Smyrnæ requiescit. Quid Sagarim episcopum,eumdemque martyrem attinet dicere, qui Laodiceæ est mortuus ? Quid beatum Papirium, quid Melitonem Eunuchum, qui Spiritu sancto afflatus cuncta gessit ; qui et Sardibus situs est,adventum Domini de cœlis, in quo resurrecturus est,exspectans ? Hi omnes diem Paschæ quartadecima luna juxta Evangelium observarunt; nihil omnino variantes,sed regulam fidei constanter sequentes. Ego quoque omnium vestrum minimus Polycrates, et traditione cognatorum meorum quorum etiam nonnullos assectatus sum; fuerunt enim

A τευσαμένη, ἡ ἐν Ἐφέσῳ ἀναπαύεται· ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών· ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκὼς (18), καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος· οὗτος ἐν Ἐφέσῳ κεκοίμηται. Ἔτι δὲ καὶ Πολύκαρπος ὁ ἐν Σμύρνῃ καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς· καὶ Θρασέας (19) καὶ ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς ἀπὸ Εὐμενίας, ὃς ἐν Σμύρνῃ κεκοίμηται. Τί δεῖ λέγειν Σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα (20), ὃς ἐν Λαοδικείᾳ κεκοίμηται· ἔτι δὲ καὶ Παπείριον τὸν μακάριον (21), καὶ Μελίτωνα τὸν Εὐνοῦχον, τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον (22) ὃς κεῖται ἐν Σάρδεσι περιμένων τὴν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἐπισκοπήν, ἐν ᾗ ἐκ νεκρῶν ἀναστήσεται ; Οὗτοι πάντες ἐτήρησαν τὴν ἡμέραν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης τοῦ Πάσχα κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον· μηδὲν παρεκβαίνοντες, ἀλλὰ κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως ἀκολουθοῦντες. Ἔτι δὲ κἀγὼ ὁ μικρότερος πάντων ὑμῶν Πολυκράτης κατὰ παράδοσιν τῶν συγγενῶν μου, οἷς καὶ παρηκολούθησά

ginitate consenuerunt. Ex quo colligitur, tertiam hanc viro nuptam fuisse.Neque vero id pugnat cum capite XXI Actuum apostolorum. Responderi enim potest, tum quidem cum ea gererentur quæ memorat Lucas,Philippi filias fuisse virgines ; postea tamen unam ex illis a patre nuptum datam. Idque innuere videtur Clemens Alexandrinus in verbis quæ citantur ab Eusebio *Hist. eccl.* lib. III, cap. 30. Ubi Christophorsonus tertiam hanc Philippi filiam cum duabus illis prioribus confudit ; cujus proinde versio merito turbavit Baronium, ut patet ex *Annalibus* ad annum Christi 58, § 113. Idem tamen interpres ad Euseb. *Histor.* lib. V, cap. 24, tres Philippi filias recte distinxit, et priorem suum errorem emendavit.Cæterum quæri hic merito potest, cur Polycrates tres duntaxat Philippi filias memoraverit, cum in Actibus quatuor filiæ Philippi numerentur. Respondeo, Polycratem earum duntaxat mentionem fecisse, quæ in Asia mortuæ sepultæque essent, ut ex ipsius epistolæ contextu compertum fit. Cum igitur una ex quatuor illis filiabus Cæsareæ aut alibi mortua esset, ideo nullam ejus mentionem fecit Polycrates. Porro ex filiabus Philippi una Hermione, altera Eutychis dicebatur. Sic enim scribitur in Menæo Græcorum : « Die 4 Septembris,commemoratio S. Hermionæ unius ex quatuor filiabus Philippi apostoli, qui baptizavit Eunuchum Candaces. Hæc, et soror ejus Eutychis in Asiam venit post mortem Joannis apostoli, etc. Sepulta est Ephesi.» Igitur ex Menæo discimus, tertiam illam Philippi filiam de qua hic loquitur Polycrates, Hermionem appellatam fuisse. Etenim Polycrates eam Ephesi sepultam esse dicit,cum duæ ejus sorores sepultæ essent Hierapoli. Vales. l. c.

(18) Τὸ πέταλον πεφορηκώς. Hieronymus sic vertit : *Qui supra pectus Domini recubuit, et pontifex ejus fuit,auream laminam in fronte portans* Rufinus vero ita interpretatur : *Qui fuit summus sacerdos, et pontificale* πέταλον *gessit.* De pontificatu Judæorum hæc non esse accipienda, satis apparet. Neque enim Joannes pontifex fuit Judæorum, aut ex genere sacerdotali.Itaque recte Hieronymus vocem addidit *pontifex ejus*, id est Christi. Tria enim in Joanne notat Polycrates, quæ ad commendationem ejus faciebant. Primum,quod sacerdos fuerit ; deinde, quod martyr ; tertio, quod doctor seu evangelistes. Proinde ut martyr Christi et evangelistes Christi fuit,sic etiam sacerdos Christi intelligatur, necesse est. Quod autem de lamina dicit Polycrates,credibile est.primos illos Christianorum pontifices exemplo Judaicorum pontificum hoc honoris insigne gestasse. Certe et Jacobum fratrem Domini, qui primus Hierosolymis episcopus est or-

B dinatus, pontificalem laminam in fronte gestasse, auctor est. Epiphanius in hæresi Nazaræorum, et in hæresi 78. Idem de Marco evangelista tradit auctor ms. passionis ejus : «Quam quidem B. Marcum juxta ritum carnalis sacrificii, pontificalis apicis petalum in populo gestasse Judæorum, illustrium virorum syngraphæ declarant ; ex quo manifeste datur intelligi, de stirpe eum Levitica, imo pontificis Aaron sacræ successionis originem habuisse.»

(19) Καὶ Θρασέας. Hic est Thrasea martyr, cujus mentionem facit Apollonius in libro *contra Cataphrygas* apud Euseb. *Hist.* lib. V, cap. 18 : Καὶ Θρασέα δέ τινος τῶν τότε μαρτύρων μνημονεύει. Hinc in urbe Smyrna martyrio consummatum esse, scribit Rufinus, quem secuti sunt Beda. Ado et cæteri qui Martyrologia scripsere. Polycrates tamen tantum dixit : Ὃς ἐν Σμύρνῃ κεκοίμηται.

(20) Σάγαριν ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα. Hujus martyris mentionem facit Melito Sardianus episcopus in libro *De Pascha* his verbis : Ἐπὶ Σεργίλλου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ, etc., quæ citavit Eusebius in lib. IV. Fuit hic episcopus Laodiceæ in Asia ; cujus temporibus commota est quæstio in urbe Laodicea de festo paschali. In veteri Martyrologio Romano quod edidit Rosweydus, quinto die Octobris hæc habentur : « Eumeniæ Thraseæ episcopi, apud Smyrnam coronati, qui unus fuit ex antiquis. » Die autem sequenti hæc notantur : « Sagaris episcopi Laodicensis,de antiquis Pauli apostoli discipulis. »

(21) Παπείριον τὸν μακάριον. In codice Max., Med. et Fuk. scriptum inveni, Παπίριον, quod est nomen Romanum. Et Polycrates quidem non dicit, cujus urbis episcopus fuerit hic Papirius. Invenio tamen apud Symeonem Metaphrastem, Papirium hunc successorem fuisse beati Polycarpi Smyrnæorum episcopi. Verba Symeonis hæc sunt in *Vita sancti Polycarpi* : Κατέστησε δὲ ὁ Πολύκαρπος καὶ ἄλλους μετὰ διακόνους· ἕνα δὲ ᾧ ὄναμα Καμέριος, ὃς καὶ τρίτος ἀπ' αὐτοῦ μετὰ Παπύριον ἐπίσκοπος γεγένηται. Rufinus quoque *Papyrium* vocat. Sic enim præferunt vulgatæ editiones ; sed vetustissimus codex Corbeiensis habet, *Papirium*.

(22) Τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον. Hieronymus in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* hæc Polycratis verba ita vertit : *Et Melitonis in sancto Spiritu eunuchi, qui semper Domino serviens positus est in Sardis.* Ex quibus apparet, Hieronymum verba Polycratis male distinxisse in hunc modum : Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον. Rectius Rufinus ita interpretatur : *Melitonem propter regum Dei eu-*

τισιν αὐτῶν· ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς (23) μου ἐπίσκοποι, ἐγὼ δὲ ὄγδοος· καὶ πάντοτε τὴν ἡμέραν ἤγαγον οἱ συγγενεῖς μου, ὅταν ὁ λαὸς ἤρτυε (24) τὴν ζύμην· ἐγὼ οὖν, ἀδελφοί, ἐξήκοντα πέντε ἔτη ἔχων ἐν Κυρίῳ· καὶ συμβεβληκὼς τοῖς ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἀδελφοῖς· καὶ πᾶσαν ἁγίαν Γραφὴν διεληλυθώς, οὐ πτύρομαι ἐπὶ τοῖς καταπλησσομένοις. Οἱ γὰρ ἐμοῦ μείζονες εἰρήκασι· Πειθάρχειν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.

A septem omnino ex cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi, qui quidem omnes semper Paschæ diem tunc celebrarunt, cum (Judæorum) populus fermentum abjiceret. Ego, inquam, fratres, quinque et sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe dispersis sermones sæpe contuli, qui Scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis qui me longe majores erant, dictum scio : *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* [1].

II.

Ἐδυνάμην δὲ τῶν ἐπισκόπων τῶν συμπαρόντων μνημονεῦσαι, οὓς ὑμεῖς ἠξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ (25), καὶ μετεκαλεσάμην. ὧν τὰ ὀνόματα ἐὰν γράφω, πολλὰ πλήθη εἰσίν. Οἱ δὲ ἰδόντες τὸν μικρόν με ἄνθρωπον, συνηυδόκησαν τῇ ἐπιστολῇ· εἰδότες ὅτι εἰκῇ πολιὰς οὐκ ἤνεγκα, ἀλλὰ ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ πάντοτε πεπολίτευμαι.

B Possem etiam episcoporum qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut et feci ; quorum nomina si ascripsero, ingens numerus videbitur. Ili cum me pusillum hominem invisissent, eptstolam nostram assensu suo comprobarunt, gnari, me canos istos non frustra gestare, sed vitam ex præceptis institutisque Jesu Christi semper egisse.

ACTA SANCTI TIMOTHEI

EPISCOPI EPHESINI, MARTYRIS,

AUCTORE POLYCRATE EPHESIORUM EPISCOPO

(*Acta Sanctorum Bolland.*, Januarii tom. II, die 24, p. 562.)

MONITUM

Polycrates Ephesiorum episcopus... floruit temporibus Severi principis, ut testatur S. Hieronymus lib. ***De scriptoribus ecclesiasticis*** cap. 45, ubi nonnulla recitat ex Synodica ejus epistola pro ritu in ista Ecclesia a S. Joannis Evangelistæ temporibus observato, celebrandi luna XIV Paschatis. De eo Sigebertus cap. 3. ***Polycrates passionem S. Timothei apostoli scripsit, et alia multa ;*** at Baronius in Notis ad Martyrologium,

[1] Act. v. 29.

nuchum et Spiritu sancto repletum, Sic enim supra Polycrates de Philippi filia locutus est : Καὶ ἡ ἑτέρα αὐτοῦ θυγάτηρ ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολιτευσαμένη, id est *Spiritu sancto repleta*. Certe Melitonem a plerisque prophetam existimatum fuisse testatur ipse Hieronymus in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, ita de eo scribens : « Hujus elegans et declamatorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, dicit, eum a plerisque nostrorum prophetam putari. »

(23) Ἑπτὰ μὲν ἦσαν συγγενεῖς. Rufinus existimavit septem ordine parentes, seu propinquos Polycratis, episcopatum Ephesi gessisse. Sic enim vertit. *Septem namque ex parentibus meis per ordinem fuerunt episcopi, et ego octavus.* Certe hic sensus ex verbis Græcis elici potest. Tamen cum Polycrates non addat, propinquos suos Ephesinæ urbis omnes episcopos fuisse, possumus intelligere, illos in diversis Asiæ urbibus sacerdotium obtinuisse.

(24) Ὅταν ὁ λαὸς ἤρτυε. Hæc lectio ferri non potest. Nam quartadecima luna primi mensis populus Judæorum non parabat fermentum, sed potius projiciebat Sic enim diserte lex jubet. Quare hoc loco restituenda est scriptura optimorum codicum Vaticani, Regii et Mazarini, in quibus diserte scriptum est ἤρνυε τὴν ζύμην. In Fuk. scriptum inveni ἤρνευε. Sed in codice Medicæo prius scriptum erat ἤρνυε ; sed postea erasa littera ν, ejus loco τ substitutum est. Est autem ἀρνύειν plebeium vocabulum : cujusmodi verbis amat uti Polycrates, ut ex hac epistola apparet. Significat autem *tollere, removere :* unde et ἀρνεῖσθαι. Cæterum in antiquis codicibns Vaticano et Mazarino ad marginem scriptum est eadem manu Γρ· ἤρτυε, id est, alias scribitur ἤρτυε, Quam deteriorem lectionem Rob. Stephano placuisse miror. Certe Rufinus ἤρνυε legit, ut ex versione ejus apparet. Sic enim vertit : *Qui omnes ita observarunt hunc diem, ut convenirent cum illo, quo fermentum Judæorum populus aufert.* Facessat igitur deinceps emendatio eorum, qui ἤρτυε τὰ ἄζυμα hic restituunt.

(25) Οὓς ὑμεῖς ἠξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ. Scripserat igitur Victor papa ad Polycratem Ephesinæ urbis episcopum, ut convocato episcoporum Asiæ concilio, litteras suas et sententiam Romani concilii de celebratione festi Paschalis ipsis recitaret ; minatus, sese illum a communione Romanæ Ecclesiæ segregaturum, nisi decretis suis obtemperaret. Et minis quidem Victoris ita respondet Polycrates : Οὐ πτύρομαι ἐπὶ τοῖς καταπλησσομένοις. Cæterum, quod attinet ad convocationem episcoporum, Polycrates Victori obtemperavit, ut ex hoc loco apparet.

de ea ita pronuntiat: *Passionem Timothei a Polycrate scriptam fuisse auctor est Sigibertus* De viris illust. c. 3, *sed ignotum id prorsus Eusebio atque Hieronymo, qui agunt de Polycrate.* Verum et alia ab iis prætermissa aliorum auctorum scripta. Photius tamen, cum legisse se Passionem hanc scribit auctorem nullum nominat. Autbertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica, Fit in ea Passione*, inquit, *mentio Irenæi Lugdunensis episcopi: ex quo colligi datur, non posse eam attribui Polycrati, qui Timotheo post Onesimum successit.* At nusquam dicitur immediate successisse Onesimo, qui sub Trajano passus traditur, ut 16 Febr. dicemus. Ipse Miræus Irenæum anno 10 Severi (qui erat Christi 202, aut 203, viginti jam diebus inchoatui) coronatum asserit; S. Hieronymus Polycratem *floruisse temporibus Severi prin ipis;* ut facile potuerit Irenæi, æqualis sui, commentarium aliquem, imo omnes, legisse.

Ipse se Polycratem auctor vocat; qui sane impostor habendus esset, si alieni nominis honorem sibi falso arrogaret; at scriptum grave est (quod ad rem attinet, licet stylo humile asserat Photius), estque consentaneum iis quæ cæteri quoque de *Timotheo* tradiderunt. Vincentius Bellovucensis lib. x, cap.38,ex Polycrate Acta quædam Timothei recitat; *quæ stylo suo*, inquit Petrus Halloix noster in Notat. ad cap. 7 Vitæ S. Polycarpi, *satis clamant se e Græeis esse translata;* atque omnino Polycrati ipse illa tribuit. Ea ex vetustis codicibus monasteriorum S. Maximini, et S. Mariæ de Ripatorio descripsimus, contulimusque cum excusis Agonibus martyrum ms. Nicolai Belfortii, et Græca ms. historia martyrii S. Timothei, quæ ipsa fortassis est Polycratis, sed a quopiam post translatas Constantinopolim reliquias recognita, omisso exordio, quo nomen suum Polycrates profitetur; et merito, cum recentior ille scriptor periodum interjecerit de translatis reliquiis, cui proinde præfigere Polycratis nomen non poterat; at suum ipse reticuit, vel ætas librariumve negligentia obliteravit: vixisse ante Justiniani tempora inde conjectamus, quia templi ab eo conditi non meminit. Metaphrastes martyrium, translationem templi vel ædificationem vel restaurationem, complexus est.

—

ACTA S. TIMOTHEI

1. (26) Martyrium S. Timothei, discipuli quidem S. Pauli apostoli, primi autem patriarchæ constituti Ephesiorum metropolis, Asiæ et Phrygiæ, Pamphyliæ, Ponti, et Galatiæ, atque omnibus in catholica pace degentibus compresbyteris, ego omnium vestrum minimus Polycrates, sicut ipsi qui viderunt et nobis tradiderunt, et nos statim secuti suscepimus,in ædificationem innotescere justum duximus. Pax et salus in Christo fratribus.

2. Multi multas historias et Vitas,mores etiam (27) et conversationes, ac fines Deo amabilium et sanctorum virorum conscripserunt; quibus eorum (28) notitiam posteris commendaverunt. Quapropter non extra justum et nos tale quid existimantes, memoriæ tradere vitam et conversationem, ac transitum sancti apostoli et primi patriarchæ Ephesiorum magnæ metropolis Timothei festinavimus.

3. Nam beatissimus ille, sicut etiam ex constitutis a Luca sancto evangelista catholicis Actibus cognovimus, erat natione patris gentilis, matris vero Judææ fidelis, ortus civitate Lystris, quæ est una Lycaoniæ (29) præfecturæ, doctus autem a magno Dei cultore Paulo apostolo et multa ab eo testificatus; comperegrinus nihilominus ejus factus et compatiens, in Evangelio Christi, et valde commodum illi seipsum (30) præbens. devenit cum eo ad splendidissimam Ephesiorum metropolim: a quo et episcopatum primus apostolicæ sedis ipsius splendidæ metropolis consecutus est;regnante in Romanorum civitate Nerone, procurante (31) autem Asiam Maximo. Ubi siquidem in doctrinis et miraculorum ostensionibus, sanitates et conversationes superascendentes humanas cogitationes peregit. Quæ unusquisque indifferenter (32) in ipsum dictis, in sanctorum apostolorum nostrorum Actibus potest discere.

4. Nos autem ostendere dignum ducimus, quia ipse sanctissimus apostolus et patriarcha Timotheus, non tontum beatissimi Pauli apostoli, sed et gloriosi Theologi Joannis, qui supra pectus recubuit magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, visor et auditor factus est. Nerone autem principes apostolorum Petrum et Paulum martyrio male tractante, gloriosis etiam eorum discipulis differenter finitis, convenit Joannem magnum theologum adesse splendidæ metropoli, scaturientem de naufragio; sicut volentes discere ex his quæ ab Irenæo Lugdunensi episcopo (33),de eodem excellentissimo Joanne, conscripta sunt, valent nosse; quando etiam et qui secuti fuerunt discipulos Domini nostri Jesu Christi, apud se passim constituta, differentibus linguis conscripta, de factis miraculis a Domino nostro Jesu Christo, nescientes ordinatim componere, convenientes ad Ephesiorum urbem, secundum communem sententiam Joanni favorabili theologo obtulerunt. Qui omnia considerans, et ex his gaudenter motus (34), quæ ab ipsis dicta sunt in tribus Evangeliis constituit secundum ordinem, Matthæi videlicet, Marci, et Lucæ, eorumque nominationes conscripsit, et singulas singulis Evangeliis superposuit. Inveniens autem eos dispensationes humanitatis narrantes, quæ de divino pectore hauserat et ab illis dicta non fuerant, ipse pleniter narrat, supplens et quæ minus

(26) Abest hæc præfatio a ms. Græco.

(27) Græce: *Scimus multos polyhistoras viros, illustres vitas et mores*, etc.

(28) Græce: *sui ipsorum.*

(29) Alii in Isauria, quæ Lycaoniæ confinis, locant.

(30) Al. *servitium.*

(31) Ms. Belfort. *proconsulante*, et rursum infra.

(32) Ms. Ripat. *de differenter*, forte *indifferenter.*

(33) Agit de scripto a S. Joanne Evangelio S. Irenæus lib. III, *Contra hæreses*, cap. 1 et 11.

(34) Ms. Belf. *et exigens gaudentes motus.* Ms. S. S. Max., *discernens differentiæ modos, qui*, etc.

ab eis dicta sunt in capitulis divina miracula, Unde tali constituto nullius hominis cogitationibus ante adorso, sacro scilicet Evangelio superposuit nomen suum.

5. Sequenti denique tempore Domitiano imperante Romanæ civitati post Meromen,et qui medio tempore imperarunt (35), irruentibus in sanctum obtrectationibus, proinde multoties dictus theologus apostolus Joannes, de Ephesiorum splendida urbe ab ipso exsul factus est, et in Patmos insula (quæ una Cycladum est insularum) habitare præceptus. Isto autem in his existente, et episcopatum Ephesiorum metropolis sancto et sæpe dicto sunctissimo Timotheo dispensanto, reliquiæ primæ idololatriæ in his qui tunc ipsam inhabitabant remanserant; quædam nefanda scilicet, quæ vocabant Catagogiornm (36) (sic enim ipsi vocabant) festivitatem, et in diebus quibusdam eam perficiebant; prætexta (37) autem seipsos circumponentes, et ut cognosci nequirent fascialibus velantes facies, et rhopala (38) et imagines simulacrorum portantes, ac cantica ludicra (39) quædam clamantes, superinsiliebant inordinabiliter liberas et venerabiles mulieres, homicidia etiam et alia plura illicita et nefanda operantes, et multum sanguinem effundentes in designatis locis civitatis. Et hæc quasi necessaria ad profectum animæ agentes, non desinebant, frequentissime ipsos devocante sanctissimo tunc archiepiscopante Timotheo.

6. Non prævalente autem illo doctrinis talem eorum insaniam prohibere, in die hujuscemodi eorum abominabilis festivitaiis transcurrens sanctus in medium porticus (40), hortabatur illos dicens : Viri Ephesii,nolite idololatriæ insanire; sed agnoscite illum plane qui est Deus. Operarii autem diaboli indignantes in doctrina ejus, ipsis, quos prædiximus, superportatis palis (41) et lapidibus usi, justum interfecerunt. Servi vero Dei adhuc spirantem eum repausaverunt in monte ipsi splendidæ civitati adjacente, in interioribus partibus (42), et ibi cum pace sanctum spiritum Deo reddidit. Accipientes vero ejus sacratissimum corpus, reposuerunt illud in loco vocato Pioni (43) : in quo nunc existit sanctissimum ejus martyrium.

7. Domitiano etenim imperatore vitam demoliente, imperium Nerva accepit, qui divinum apostolum et evangelistam Joannem revocavit. Isque rediens et superstans Ephesiorum ipse splendidæ metropoli, inveniens etiam secundum prædictum modum finivisse vitam sanctissimum Timotheum. per eorum postulationem. qui tunc inventi sunt sacrorum principes, præsulatum apostolici throni suscepit : qui et suffecit, moderans ipsam magnæ metropolis sacratissimam sedem, usque ad Trajani imperium.

8. Finivit autem sanctus et gloriosus apostolus et patriarcha martyr Christi Timotheus in nefanda festivitate eorum, quam vocabant Catagogiorum, quæ est secandum Asianos quidem mensis quarti die tricesima, secundum autem Romanos mensis Januarii, vicesima secunda die ; regnante in Romanorum civitate prædicto Nerva, procurante autem Asiam Peregrino, apud nos vero regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(35) Ms. S. Max « per mediatorem imperatoriis. » Ms. Belf, « et per medium imperantium » a cæde *Neronis* an. Christi 68, 10 Jun. ad *Domitiani* imperium, an. Chr. 81, 13 Sept. imperarunt « Galba, Vitellius, Otho, Vespasianus, Titus. »

(36) Latina quædam mss. habent *Cithargiarum*, alia *Catagiarum*. Hujus festi solemnitatem ex his Actis describit Photius loco cit. Multa Martyrologia habent Dianæ celebritatem eam fuisse.

(37) Ms. S. Max. *præterea*. Ms. Græc προσχήματα ἀπρεπῆ, « indecora integumenta, insignia. »

(38) Est ῥόπαλον, « clava, fustis. » Ms. Belf. vitiose, « rhopota. »

(39) Ms. S. Max. « lurida. »

(40) Græc. « in mediam viam, quæ porticus dicitur. »

(41) Forte *rhopalis*. ut ante.

(42) Ms. Belf. « ultraportis partibus. » Græc. « in partibus juxta portum sitis. »

(43) Ms. Belf. « Pionio. »

S. THEOPHILUS

CÆSAREÆ PALÆSTINÆ EPISCOPUS.

(Galland., *Biblioth. vet. Pat.*, t. I, Proleg., p. xx.)

I. *Qua ætate claruerit Theophilus. Epistolam synodicam scripsit adversus eos qui luna 14 Pascha cum judæis celebrabant.*

II. *Exstant Acta quædam synodi Cæsariensis a Theophilo celebratæ. Varia virorum doctorum de his Actis sententia. Recitantur ex edito Bucheriano.*

I. Theophilus, Victori et Polycrati æqualis, Ecclesiam Cæsareæ Palestinæ sub Severo principe administrabat. « Adversum eos qui 14 luna cum Judæis pascha faciebant,verba suntHieronymi (1), cum

(1) Hieron. *De vir illustr.*, cap, 43.

cæteris episcopis synolicam valde utilem composuit epistolam. » Qua de re fusius Eusebius (2) ; qui et paulo post (3), verba quibus claudebatur eadem epistola, recitat, nobis suo loco relata.

II. Synodi Cæsariensis sub Theophilo celebratæ, Acta quædam exstant apud Bedam (4) : quæ licet Dodwello (5), Tillemontio (6), Coutantio (7) aliisque nonnullis suspecta et illegitima videantur ; ea tamen tanquam genuina recipiunt Baronius (8), Bucherius (9) atque alii complures, neque dissentiunt Valesius (10) et Caveus (11) ; ut proinde haud otiosum fuerit Acta illa hic saltem in medium proferre ex edito Bucheriano, quod minus obvium habeatur ; licet sinceriora existimet Balnzius, quæ ipsemet ex antiquis libris vulgavit (12). In exemplari quidem Bucherii ejusmodi Acta *Philippo* cuidam tribuebantur. Nimirum *Theophili* nomen fuerit inscriptum ; sod exesis duabus prioribus syllabis, interpres vel librarius *Philippi* legendum esse censuerit. Utcunque sit, Bedam sequimur qui ea Theophilo nostro ascribit, neque aliter codex Oxoniensis apud Caveum. Sic autem se habet :

Epistola Theophili de Pascha.

I. « Post resurrectionem vel ascensionem Domini Salvatoris, apostoli quomodo Pascha deberent observare, nihil ordinare potuerunt, quia dispersi per universum mundum, ad prædicandum fuerunt occupati. Sed quacunque die, 14 luna mense Martio fuisset, Pascha celebrabant. Post transitum ergo de hoc mundo omnium apostolorum, per singulas provincias diversa tenebant jejunia. Nam Galli quacunque die, VIII Kalendas Aprilis fuisset, quando Christi resurrectio tradebatur, semper Pascha celebrabant. In Italia vero alii viginti dies ante jejunabant, alii septem. Orientales vero, sicut apostolos facere viderant, ut supra dictum est, 14 luna, mense Marlio, Pascha tenebant. Cum ergo hæ tales observationes per singulas provincias tenerentur (unde mœror erat sacerdotibus, eo quod quibus una fides recta tenebatur, eorum dissentirent jejunia), tunc papa Victor Romanæ urbis episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum, Cæsariensem Palæstinæque antistitem, ut quomodo Pascha recto jure a cunctis catholicis celebraretur ecclesiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus et Salvator mundi fuerat in carne versatus.

II. « Percepta itaque auctoritate prædictus episcopus, non solum de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes episcopos evocavit. A Ubi cum illa multitudo sacerdotum convenit, tunc Theophilus episcopus protulit auctoritatem ad se missam papæ Victoris, et quid sibi operis fuisset injunctum ostendit. Tunc pariter omnes dixerunt episcopi : Nisi prius agnoscamus, quomodo mundus a principio fuerit instructus, nihil poterit de observantia Paschæ salubriter ordinari Dixerunt ergo episcopi : Quem diem credimus factum fuisse in mundo primum, nisi Dominicum diem ? Theophilus episcopus dixit : Probate quæ dicitis. Responderunt episcopi : Secundum Scripturæ divinæ auctoritatem : « Factum est vespere, et factum est mane dies primus [1] ; » deinde secundus, tertius, quartus, quintus, sextus et septimus. In quo septimo requievit Dominus ab omnibus operibus B suis : quem diem, Sabbatum appellavit. Ergo cum novissimo die signet Sabbatum, quis potest esse primus, nisi Dominicus dies ?

III. « Theophilus episcopis dixit : Ecce de Dominico die, quia primus sit, probastis ; de tempore quid dicitis ? quatuor enim tempora in anno accipiuntur, ver, æstas, autumnus, vel (13) hiems. Quod ergo tempus primum creditis factum in mundo Episcopi responderunt : Vernum. Theophilus episcopus dixit : Probate quod dicitis. Et illi responderunt ; Scriptum est : *Germinet terra herbam feni secundum genus suum, et lignum fructiferum ferens fructum* [2]. Hæc enim veris temporibus accipitur (14). Theophilus episcopis dixit : In quo caput mundi esse creditis ? in principio temporis, an in medio temporis, aut in fine ? Episcopi responderunt : In C æquinoctio, VIII Kalendas Aprilis. Theophilus episcopis dixit : Probate quæ dicitis. Et illi responderunt : Scriptum est : « Quia fecit Deus lucem, et vocavit Deus lucem, diem : et fecit Deus tenebras, et tenebras vocavit noctem : et divisit inter lucem et tenebras æquas partes [3]. » Theophilus episcopus dixit : Ecce de die vel tempore vel de loco probastis ; de luna quid vobis videtur ? utrum crescentem, aut jam plenam an imminutam fuisse a Deo consecratam (15) ? Episcopi responderunt : Plenam. Et ille dixit : Probate quod dicitis. Episcopi responderunt : Dicit Scriptura divina : « Et fecit Deus duo luminaria magna, et posuit in firmamento cœli, ut luceant super terram : luminare majus in inchoatione diei, et luminare minus in inchoatione noctis [4]. » Non po- D terat aliter, nisi fuisset plena. Nunc ergo investigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus, id est die Dominica, verno tempore, in æquinoctio, quod est VIII Kalendas Aprilis, luna plena.

[1] Gen. I, 5. [2] Gen. I, 11. [3] Gen. I, 4, 18. [4] Gen. I, 16.

(2) Euseb. *Hist. eccl.* lib. V, cap. 23.
(3) Id. *ibid.*, cap. 25.
(4) Bed. *De Æquin. vern.* opp. tom. II, pag. 232.
(5) Dodw. ad opp. Pearson., dissert. sing. § 6, pag. 93.
(6) Tillem. *Mém. eccl.* tom. III, pag. 632, not. 2, sur S. Victor.
(7) Coustant. *Epist. Rom. pont.*, pag. 93.
(8) Baron. ad ann. 197, § 1.
(9) Bucher. *doctr. temp.*, pag. 469.
(10) Vales. ad Euseb. lib. V, cap. 25.
(11) Cav. *Hist. litt.*, tom. I, pag. 96.
(12) Baluz. in *Nov. collect. conc.* page. 13, sive tom. I *Conc.*, edit Venet. Labb., pag. 606.
(13) Apud Bedam deest *vel.* Apud Baluz. *et.*
(14) Baron. *Hoc autem.* Baluz. *Hæc enim verno tempore videmus fieri.*
(15) Apud Baron. al. *concreatam*

Per ipsum tantummodo tempus et elementa resurgunt.

IV. « Theophilus episcopis dixit : Nunc igitur agendum est de ordinatione, quomodo debeamus Pascha tenere. Episcopi dixerunt : Nunquid potest dies Dominicus præteriri, ut in eo Pascha minime celebretur, qui tot et talibus benedictionibus sanctificatus est ? Theophilus dixit : Dicite ergo quibus et qualibus benedictionibus eum fuisse sanctificatum asseritis, ut scribere possimus (16). Episcopi dixerunt : Prima illi benedictio est, quod in ipso tenebræ sint remotæ, et lux apparuerit. Secunda est illi benedictio, quod de terra Ægypti, velut de tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi per mare Rubrum populus fuerit liberatus. Tertia (17) illi benedictio est, quia in eodem die cœlestibus, Manna hominibus datum est. Quarta illi benedictio est, quia Moyses mandat ad populum : « Sit vobis observatus dies primus et novissimus [5] ». Quinta illi benedictio est, ut (18) in centesimo decimo septimo psalmo dicitur : « Circumciderunt me sicut apes favum, et exarserunt sicut ignis in spinis [6] ». De resurrectione autem Domini dicit : « Hæc est dies quam fecit Dominus : exultemus et lætemur in ea (19), usque ad cornu altaris [7]. » Sexta illi benedictio, quia in ipsa Dominus resurrexit.

V. « Vides igitur quia dies resurrectionis Dominicus singulariter in Pascha præcipitur teneri. Theophilus dixit : De tempore autem ad Moysem mandatum est a Deo : « Hic mensis erit vobis initium mensium : Pascha facite in eo [8] ». Omnes ergo triginta dies a Domino consecrati sunt. Episcopi dixerunt : Jam superius dedimus responsum, principium mundi esse æquinoctium, VIII Kalendarum Aprilium. Et ab VIII Kalendarum Aprilium, usque in octavum Kalendas Maias, legimus esse consecratas (20). Theophilus episcopis dixit : Et impium non est, ut passio Dominica, tantum sacramenti mysterium, extra limitem excludatur ? « Passus namque est Dominus ab undecimo Kalendas Aprilis, qua nocte a Juda est traditus, et ad octavum Kalendas Aprilis resurrexit ». Quomodo ergo tres dies extra terminum excluduntur ? Omnes episcopi dixerunt : Nulla ratione fieri debet, ut tantum sacramentum extra limitem excludatur ; sed hi tres dies intra terminum inducantur, et deinde usque in undecimum Kalendas Maii subter retrahere (21).

VI. « Constitutum est ergo ie illa synodo, ut ab undecimo Kalendas Aprilis usque in undecimum Kalendas Maii Pascha debeat observari ; et nec ante nec postea cuicunque constitutum limitem transgredi sit facultas. Similiter et de luna præceptum Dominicum teneatur, quod mandatum est per Moysem : « Sit vobis observata a quartadecima luna, usque vicesimam primam [9] ». Has ergo octo lunas similiter in Paschate tenendo constat fuisse consecratas. Quando ergo fit intra illum limitem, ab undecimo Kalendas Maii, dies Dominicus, et luna ex illis octo sanctificata est, Pascha nobis jussum est celebrare. » Huc usque Theophili epistola, prout exstat apud Bucherium.

S. THEOPHILI

FRAGMENTUM

EX EPISTOLA SUPER QUÆSTIONE PASCHALI, SYNODI CÆSARIENSIS NOMINE SCRIPTA.

(Apud Eusebium *Hist. eccl.* lib. v, cap. 25.)

Τῆς δ' ἐπιστολῆς ἡμῶν πειράθητε κατὰ πᾶσαν Ἐκκλησίαν ἀντίγραφα διαπέμψασθαι, ὅπως μὴ ἔνοχοι ὦμεν τοῖς ῥᾳδίως πλανῶσιν ἑαυτῶν τὰς ψυχάς. Δηλοῦμεν δὲ ὑμῖν ὅτι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἄγουσιν, ἥπερ καὶ ἡμεῖς. Παρ' ἡμῶν γὰρ τὰ

Date operam, ut epistolæ nostræ exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas suas a recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis significamus, eodem quo apud nos, die Pascha Alexandriæ celebrari. A

[5] Exod. XII, 16. [6] Psalm. CXVII, 12. [7] Ibid., 24, 27. [8] Exod. XII, 2. [9] Ibid., 18.

(16) Apud Baluz. : « Theoph. ep. dixit : Quibus aut quantis benedictionibus, apertius dicite ; ut scire possimus quas sanctificationes in eo asseritis, ut scribere possimus ». Apud Bedam tamen, ut edit. Bucher.

(17) Hæc desunt apud Baluz.

(18) Apud Baluz. : « Quia centesimus decimus septimus psalmus totus de passione et resurrectione cantatur. De passione : « Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini vindicabor in eis. Circumdederunt me sicut apes favum, et exarserunt sicut ignis in spinis. » *Et interjectis versibus :* « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » *Hæc de passione. De resurrectione autem dicit...* » etc.

(19) Apud Baluz. « lætemur in ea. » *Et interjectis versibus :* Constituite diem solemnem in condensis frequentantibus in cornu altaris » Sequentia plurimum discrepant ab edito Bucheriano

(20) Apud Baron. *consecratos* (dies). Baluz. *usque ad octavum Kalendas Maii, hi sunt triginta dies in Pascha consecrati*

21 Baluz. : *Et de novissimo reducantur.*

nobis enim ad illos, et vicissim ab illis ad nos litteræ perferuntur ; ita ut uno consensu et simul sacrosanctum peragamus diem.

A γράμματα (22) κομίζεται αὐτοῖς· καὶ ἡμῖν παρ' αὐτῶν· ὥστε συμφώνως καὶ ὁμοῦ ἄγειν ἡμᾶς τὴν ἁγίαν ἡμέραν.

(22) Παρ' ἡμῶν δὲ τὰ γράμματα Sic ex codice Regio edidit Robertus Stephanus. In codice Medicæo legitur : Παρ' ἡμῶν τε τὰ γράμματα. Nicephorus vero in capite 36 libri IV habet : Παρ' ἡμῶν γὰρ τὰ γράμματα, atque ita codex Maz., Fuk. et Savil. Intelliguntur autem hic litteræ Paschales, quas ἑορταστικὰς vocabant. Cæterum hujus synodi Cæsariensis acta quædam exetant apud Bedam in libro *De vernali æquinoctio ;* quæ licet a nonnullis illegitima habeatur ac spuria, haudquaquam spernenda mihi videntur. Baronius certe ea pro veris amplexus est,

S. SERAPION
EPISCOPUS ANTIOCHENUS

NOTITIA.

(GALLAND., *Bibliotheca vet. Patr.*, I, Proleg., p. XXII.)

I. *Quo tempore Antiochenam Ecclesiam susceperit gubernandam Serapion. Antiochenorum episcoporum chronotaxis Eusebiana reformanda.*

II *Serapionis scripta recensita, quorum duo tantum superant fragmenta ; alterum ex ejus epistola de Cataphrygarum hæresi, ad Caricum et Pontium ; alterum ex libro de Evangelio Petri.*

III. *Socratis testimonium, unde liquet, scripsisse quoque Serapionem contra hæresim Apollinaris. Anno Christi 211 sanctus Pater decessisse videtur.*

I. « Serapion octavus Antiochiæ episcopus ordinatur, » inquit Eusebius in *Chronico* (1) ; ejusque ordinationem anno Christi 190, Commodi 10, illigat. Paulo aliter Hieronymus, Eusebium asrectatus ; qui « undecimo Commodi imperatoris anno » Ecclesiam Antiochenam regendam suscepisse Serapionem scribit (2). Sed Eusebium errasse docet Lequienius (3). Siquidem Maximinum Serapionis decessorem, Theophilo in sede Antiochena successisse anno M. Aurelii 17, perperam tradit ; Theophilus enim tres libros ad Autolycum confecisse comperitur sub Commodo, ut ex brevi chronico liquet, quod iisdem libris subjecit. Ibi enim M. Aurelii mortem designat his verbis : « Verus imperavit annis 19, menses 10, » adeoque Commodo ejus filio imperante Theophilus adhuc sedebat episcopus. Sic igitur V.C. episcoporum Antiochenorum chronotaxim Eusebianam reformandam existimat. Theophilus sextus ab apostolis Ecclesiæ Antiochenæ antistes, non nisi anno Christi 177, sub M. Aurelio sedere incepit, usque ad annum 186, Commodi 6, quo ipsum excepit Maximinus. Cum autem hic ex eodem Eusebio 13 annorum spatio Ecclesiæ Antiochenæ præfuerit, diem obierit postremum oportuit anno 199, ut proinde Serapionis episcopatus initia in 7 vel 8 Severi annum omnino incidant. Hinc jure Dodwello videtur Eusebius annos quibus sederint episcopi Antrocheni, nullos habuisse compertos (4).

II. Epistolam scripsit Serapion de Cataphrygarum hæresi ad Caricum et Ponticum, sive Pontium ; utraque enim ratione nomen istud apud Eusebium Valesianum effertur, licet Hieronymus Pontium appellet. Ejus fragmentum recitat idem Hieronymus (5) ex Eusebio (6) ; qui etiam variorum episcoporum subscriptiones eidem epistolæ intextas refert : unde aliquo in concilio fuisse illam exaratam arguit Tillemontius (7). « Multa quidem alia, subdit Eusebius (8), Scripturis doctrinæ monumenta pene alios exstare credibile est. Ea tamen ad nos pervenerunt quæ scripsit ad Domninum quemdam, qui persecutionis tempore a fide Christi ad Judæorum superstitionem desciverat. Præterea liber de Evangelio Petri, quæ in eo falsa erant coarguens. Quem quidem librum composuit in gratiam quorumdam ex Rhossensi parœcia qui occasione illius Evangelii ad doctrinam a recta fide alienam declinaverant. » Hæc Eusebius, qui et ex hoc postremo Serapionis libro excerpta quædam suæ *Historiæ* intexuit. Unde nos quoque illa descripsimus, atque alteri fragmento ex epistola modo laudata desumpto adjecimus.

III. Illud autem haud prætermittere licet, quod de nostro Serapione tradit Socrates (9) : ejus nimirum

(1) Euseb. *Chron.*, pag. 172.
(2) Hieron. *De vir illustr.*, cap. 41.
(3) Lequien. *Or. Christ.* tom. II, pag. 703.
(4) Dodwell. dissert. 4 Iren., § 36, pag. 365.
(5) Hieron. l. c.
(6) Euseb. *Hist. eccl.* lib. v. cap. 19.
(7) Tillem. *Mém. eccl.* tom. III, pag. 168.
(8) Euseb *Hist.* lib. IV. cap. 12.
(9) Socrat. *Hist. eccl.*, lib. III, cap. 7,

testimonio, sicut et antiquiorum theologorum Irenæi.Clementis et Apollinaris Hierapolitani,confirmatam fuisse in concilio Alexandrino, sub sancto Athanasio,contra hæresim Apollinaris, catholicam fidem qua credimus Verbum Dei corpus animatum sumpsisse ; quam quidem veritatem, inquit Socrates, « hi Patres communi omnium consensu receptam suis in libris asserunt.» Supremum diem clausisse fertur Serapion anno 211, Antonini Caracallæ 1, licet annos 25 regiminis ecclesiastici eidem tribuant Nicephorus CP. et Syncellus,Eusebium forte secuti.

S. SERAPIONIS

FRAGMENTA

I.

Ex Epistola ad Caricum et Ponticum. — Apud Eusebium Hist. eccl. *lib.* v, *cap.* 19.

Ὅπως δὲ καὶ τοῦτο ἴδητε ὅτι τῆς ψευδοῦς ταύτης τάξεως τῆς ἐπικαλουμένης νέας προφητείας (10), ἐβδέλυκται ἡ ἐνέργεια παρὰ πάσῃ τῇ ἐν κόσμῳ ἀδελφότητι (11), πέπομφα ὑμῖν καὶ Κλαυδίου Ἀπολλιναρίου τοῦ μακαριωτάτου γενομένου ἐν Ἱεραπόλει τῆς Ἀσίας ἐπισκόπου γράμματα.

Atque ut sciatis qualiter universa quæ in terris est fraternitas,operationem illam simulatæ factionis quæ nova prophetia nominatur,aversata atque abominata est,beatissimi Patris Claudii Apollinaris qui Hierapolitanæ urbis in Asia episcopus fuit, litteras ad vos misi.

II.

Ex libro de Evangelio Petri. — Apud eumdem Eusebium, ibid., lib. VI, *cap.* 12.

Ἡμεῖς γὰρ, ἀδελφοὶ, καὶ Πέτρον καὶ τοὺς ἄλλους ἀποστόλους ἀποδεχόμεθα, ὡς Χριστόν· τὰ δὲ ὀνόματα (12) αὐτῶν ψευδεπίγραφα, ὡς ἔμπειροι παραιτοῦ. μεθα· γινώσκοντες ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν. Ἐγὼ γὰρ γενόμενος παρ' ὑμῖν, ὑπενόουν τοὺς πάντας ὀρθῇ πίστει προσφέρεσθαι. Καὶ μὴ διελθὼν τὸ ὑπ' αὐτῶν προφερόμενον ὀνόματι Πέτρου Εὐαγγέλιον, εἶπον· Ὅτι εἰ τοῦτό ἐστι μόνον τὸ δοκοῦν ὑμῖν παρέχειν μικροψυχίαν, ἀναγινωσκέσθω. Νῦν δὲ μαθὼν ὅτι αἱρέσει τινὶ ὁ νοῦς αὐτῶν ἐνεφώλευεν ἐκ τῶν λεχθέντων μοι, σπουδάσω πάλιν γενέσθαι πρὸς ὑμᾶς· ὥς τε, ἀδελφοὶ,προσδοκᾶτέ με ἐν τάχει. Ἡμεῖς δὲ (13), ἀδελφοὶ, καταλαβόμενοι ὁποίας ἦν αἱρέσεως ὁ Μαρκιανὸς, καὶ (14) ἑαυτῷ ἠναντιοῦτο μὴ νοῶν ἃ ἐλάλει, ἄ

Nos enim, fratres, et Petrum et reliquos apostolos, perinde ac Christum ipsum suscipimus. Sed quæ nomen illorum falso inscriptum præferunt,ea nos utpote gnari ac periti repudiamus ; quippe qui compertum habeamus, ea nos a majoribus minime accepisse. Ego quidem,cum ad vos venissem, existimabam,omnes rectæ fidei callem tenere.Et cum Evangelium illud quod Petri nomine inscriptum ab iis offerebatur, non perlegissem, dixi : Si quidem hoc solum est, quod simultatem parit inter vos,legatur. Nunc vero cum ex iis quæ mihi dicta sunt, plane perspexerim, quod mens illorum hæresim tunc occultam tegebat,iterum ad vos venire properabo. Proinde, fratres, brevi me exspectate. Cum

(10) Ἐπικαλουμένης νέας προφητείας. Tertullianus *De jejuniis*, initio : « In Paracleto controversiam faciunt : propter hoc novæ prophetiæ recusantur. » Et in lib. III *contra Marcionem* sub finem de cœlesti Jerusalem loquens : « Hanc et Ezechiel novit, et apostolus Joannes vidit,et qui apud fidem nostram est, novæ prophetiæ sermo testatur, ut etiam effigiem civitatis ante repræsentationem ejus conspectui futuram in signum prædicarit. » Et in libro IV, cap. 22, et in libro *De resurrectione carnis* sub finem. Hieronymus in *Catalogo*, ubi de Gaio. Firmilianus quoque in Epistola ad Cyprianum : « Illi qui Cataphryges appellantur, et novas prophetias usurpare conantur. » Et rursus in eadem epistola : « Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitant, qui etsi novos prophetas recipiunt, » etc. Vetus auctor qui adversus Cataphrygas scripsit, in proœmio ad Avircium Marcellum, καὶ καταλαβὼν τὴν κατὰ Πόντον Ἐκκλησίαν ὑπὸ τῆς νέας ταύτης, οὐχ ὡς αὐτοί φασι προφητείας, etc. Eodem referendum est,quod legitur in præfatione passionis SS. Perpetuæ et Felicitatis : « Itaque et nos,qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus et honoramus,»etc., quam quidem præfationem a Montanista quodam scriptam esse non dubito. Nam et superiora id docent, ubi dicit : « Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius sancti pro ætatibus judicent temporum ; cum majora reputanda sint novitiora quæque, » etc. Psychicos enim alloquitur.

(11) Τῇ ἐν κόσμῳ ἀδελφότητι. Sic scripti codices Maz., Med., Fuk. ac Savilii, non autem, ut aliquando legitur, τῇ ἐν Χριστῷ ἀδελφ. Lectionem nostram confirmat Rufinus.

(12) Τὰ δὲ ὀνόματα. Scribendum puto ὀνόματι, ut scribitur in codice Maz., Med., Fuk. et Savil. Atque ita legisse videtur Rufinus. Sic infra loquitur idem Serapion : Τὸ ὑπ' αὐτῶν προφερόμενον ὀνόματι Πέτρου Εὐαγγέλιον. Hujus porro Evangelii secundum Petrum mentionem facit Origenes in *Commentariis in caput* XIII *Matthæi* : « Fratres autem Jesu putant nonnulli, ex traditione Hebræorum, sumpta occasione ex Evangelio quod titulum habet juxta Petrum, vel ex libro Jacobi,esse filios Joseph ex priore uxore, quæ convixerat ipsi antequam duceret Mariam. »

(13) Ἡμεῖς δὲ, κ. τ. λ. Sententia imperfecta. W. Lowth.

(14) Μαρκιανὸς, καί. Scribendum videtur Μαρ-

autem deprehenderim, cujus opinionis et sectæ fuerit Marcianus, qui et sibi ipse repugnabat, non intelligens quæ diceret, sicut cognoscetis ex iis quæ ad vos scripta sunt. Mutuati enim supradictum Evangelium ab iis qui illud didicerant et continua exercitatione versaverant, hoc est a successoribus eorum qui Marciano præiverunt, quos Δοκητὰς vocamus (quippe ex horum schola pleræque illius opiniones fluxere), legendi copiam nacti sumus; et deprehendimus multa quidem in illo Evangelio cum recta Servatoris nostri fide consentire; nonnulla vero discrepantia a rectæ fidei ratione adjuncta esse, quæ et vestra causa subjecimus.

A μαθήσεσθε (15) ἐξ ὧν ὑμῖν ἐγράφη. Ἐδυνήθημεν γὰρ παρ' ἄλλων τῶν ἀσκησάντων αὐτὸ τοῦτο τὸ Εὐαγγέλιον, τουτέστι παρὰ τῶν διαδόχων τῶν καταρξαμένων αὐτοῦ, οὓς Δοκητὰς καλοῦμεν (τὰ γὰρ πλείονα φρονήματα, ἐκείνων ἐστὶ τῆς διδασκαλίας) χρησάμενοι (16) παρ' αὐτῶν διελθεῖν, καὶ εὑρεῖν τὰ μὲν πλείονα τοῦ ὀρθοῦ λόγου τοῦ Σωτῆρος, τινὰ δὲ προσδιεσταλμένα, ἃ καὶ ὑπετάξαμεν ὑμῖν·

κιανὸς, ὡς καί. Atque ita legerunt Rufinus et Musculus. Sed Christophorsonus videtur legisse καὶ ὡς, etc. Savilius in libro suo emendavit, καὶ πῶς ἑαυτῷ ἠναντιοῦτο.

(15) Ἃ μαθήσεσθε. Codices Maz., Med. et Fuk. primam vocem non agnoscunt.

(16) Χρησάμενοι. Idem est quod *mutuati* vel *commodato usi*. Ait enim Serapio se Evangelium illud Petri commodatum accepisse a successoribus quorumdam hæreticorum, qui Δοκηταὶ dicebantur, quorum hæresim sectabatur Marcianus. Nihil hoc loco viderunt interpretes. De Docetis hæreticis, qui Christum non vere, sed opinione tantum incarnatum passumque esse dicebant, Clemens Alexandrinus in lib. VII Στρωμάτων, et Theodoritus in lib. *Divinorum decretorum* cap. 12. Hujus sectæ princeps fuit Julius Cassianus, ut docet Clemens in III. De his Methodius in *Convivio*, pagina 110: Ὡς ὁ Ἀρτεμᾶς καὶ οἱ δοκήσει αὐτὸν ἀποφηνάμενοι πεφυκέναι. Eusebius in libro I *De ecclesiastica theologia*, cap. 7.

B Hieronymus *in caput* I *et* IV *Epistolæ ad Galatas*: « Subrepunt hoc loco cæteræ hæreses, quæ putativam Christi carnem vindicantes, Deum aiunt Christum esse, non hominem. » Hujusmodi hæreticos Latini Phantasmatarios vocarunt, teste Prudentio. Hieronymus *in caput* VI *Epistolæ ad Galatas* Tatianum hujus sectæ facere videtur auctorem. « Tatianus, inquit, qui putativam Christi carnem introducens, omnem conjunctionem masculi ad feminam immundam arbitratur, » etc. Sumpsit autem hanc loquendi formam Hieronymus ex Tertulliano, qui initio libri *De carne Christi* ita dicit: « Sed et qui carnem Christi putativam introduxit, æque potuit nativitatem quoque phantasma confingere, ut et conceptus, et prægnatus, et partus Virginis, et ipsius exinde infantis ordo, τὸ δοκεῖν haberentur. » Hieronymus *adversus Joannem Hierosolymitanum*, pag. 245, et ante illum Origenes in *Commentariis Epistolæ ad Titum*, ut refertur in *Apologetico* Pamphili. Vide P. Halloixium in *Vita Serapionis*.

APOLLONIUS

NOTITIA

(Galland., *Vet. Patrum Bibliotheca*, I, Proleg., p. XXV.)

I. *Apollonius an episcopus Ephesinus? Hac de re silent antiquiores, qui neque ipsius genus, neque patriam produnt. Quid de eo Eusebius.*

II. *Observationes nonnullæ in textum Eusebianum. Quo tempore Apollonius adversum Cataphrygarum hæresim scripserit. Eusebii erratum a Valesio animadversum.*

III. *De veterum traditione ab Apollonio relata, qua Dominus apostolis suis præcepisse perhibetur, ne intra duodecim annos excederent Hierosolymis. Quo pacto eam accipiendam censeant recentiores doctissimi.*

IV. *Contra Apollonium Tertullianus scripsisse comperitur.*

I. Apollonius, Montanistarum acerrimus impugnator, Ephesinam rexit Ecclesiam, si fides auctori *Prædestinati*. Sic enim ille de Montanistis verba faciens (1): « Scripsit contra hos sanctus Soter papa urbis, et Apollonius Ephesiorum antistes. » Quem quidem scriptorem, sublestæ sane fidei, sequitur, cunctabundus licet, cl. Lequienius; eique innixus, nostrum Apollonium proxime post Polycratem illi Ecclesiæ præfuisse existimat (2). Verum cum de Apollonii episcopatu sileant antiquiores, Eusebius atque Hieronymus, neque ipsius genus aut patriam aut officium uspiam prodant; nos iis tantum inhæremus, quæ in vetustiorum monumentis memoriæ commendata novimus. Hæc itaque habet Eusebius (3): « Apollonius ecclesiasticus scriptor Cataphrygarum hæresim adhuc sua ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversus eos volumen condidit, tum falsas prophetias quæ ab illis circumferuntur verbatim expendens, tum vitam moresque eorum qui hæresis illius auctores fuerunt, discutiens. » Mox, nonnullis ex hoc Apollonii opere fragmentis in medium allatis, quæ nos exinde collegimus, hæc subdit: « Cæterum hic ipse Apollonius in eodem libro testatur, tunc cum

(1) *Prædest.* her. 26. (2) Lequien. *Or. Christ.*, tom. I, pag. 674. (3) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. V cap. 18.

hæc scriberet, annum quadragesimum fuisse, ex quo Montanus adulterinam illam prophetiam commentus fuerat. Addit præterea, Zoticum illum cujus a priore scriptore facta est mentio (4), cum jam Maximilla Pepuzis se prophetare simularet, supervenientem dæmonem quo illa agitabatur, coarguere instituisse; verum ab aliis qui idem cum illa sentiebant, esse cohibitum. Meminit etiam cujusdam Thraseæ, qui circa hæc tempora martyr fuit. Ad hæc tanquam ex veterum traditione hæc refert. Dominum apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent. Utitur quoque testimoniis ex Joannis Revelatione depromptis; mortuumque Ephesi ab eodem Joanne per divinam potentiam suscitatum esse narrat. Multa denique alia scribit, quibus perniciosissimum illum errorem abunde et luculentissime confutavit. » Hæc Eusebius; quæ ideo protulimus, ut operis Apolliniani conspectus nobis quodammodo pateat, iis præcipue additis quæ suo loco ex eodem Eusebio reddidimus.

II. Verum in iis quæ modo recitavimus ex historico Cæsariensi, unum alterumve observandum occurrit. Et primum quidem, Apollonium adversus Cataphrygarum hæresim scripsisse, quadragesimo anno ab illius exortu, seu ex quo Montanus pseudoprophetiam suam disseminare cœperat. Ὡς ἄρα τεσσαρακοστὸν ἐτύγχανεν ἔτος ἐπὶ τὴν τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ γραφὴν ἐξ οὗ τῇ προσποιήτῳ αὐτοῦ προφητείᾳ. ὁ Μοντανὸς ἐπιχειρήκει. Igitur postremis Septimii Severi annis, circa Christi annum 210 aut 211, scripserit Apollonius.

Deinde haud abs re fortasse fuerit advertere, scriptorem illum anonymum quem priorem vocat Eusebius, quique Zotici meminisse perhibetur, Asterium Urbanum esse intelligendum, qui Zoticum episcopum Comanensem memorat in iis quæ ex ipsius opere *contra Montanistas* superant. Ad quem quidem locum hæc apposite adnotat eruditus Valesius: « Jam videor mihi deprehendisse, quam ob causam Eusebius Apollonium hunc post anonymum illum scriptorem, de quo superius (lib. v, capp. 16 et 17), actum est, collocaverit. Cum enim anonymus ille testetur, quatuordecim annis post Montani et Maximillæ obitum libros suos scripsisse; hic autem quadraginta annis antequam scriberet, Montanum prophetiam suam invexisse: putavit Eusebius Apollonium anonymo illo scriptore recentiorem esse. In quo tamen, meo quidem judicio, longe falsus est. Etenim Apollonius, Montano adhuc superstite cum insanis suis vatibus Priscilla et Maximilla, librum suum composuit, ut ex his fragmentis quæ profert Eusebius, elicitur; idque non uno loco: ut cum dixit: Ἡ προφῆτις ἡμῖν εἰπάτω τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον, τὸν λέγοντα ἑαυτὸν μάρτυρα, ᾧ συνεστιᾶται· ᾧ προσκυνοῦσι καὶ αὐτῷ πολλοί. Et paulo post de eodem Alexandro: Ὃν ὁ προφήτης συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν ἀγνοεῖ. Ex quibus verbis apparet, et Alexandrum et Montanum ipsum ac Maximillam adhuc vixisse, cum hæc scriberet Apollonius. Neque enim ait Apollonius, quadraginta annos effluxisse ab obitu Montani ad tempus quo ista scribebat; sed id tantum dicit, quadraginta annis antequam ipse ad scribendum accederet, Montanum pseudo-prophetiam suam invexisse. Ponamus igitur Montanum anno ætatis tricesimo fabulam suam inchoasse. Cum Apollonius contra ejus sectam scriberet, vix Montanus septuagesimum annum excesserat. Maximillam autem et Priscillam non statim ab ipso sui erroris exordio Montanus comites habuit; sed eas diu postea prophetiæ suæ retibus implicuisse ac decepisse mihi videtur. » Hæc V.C. In eamdem Valesii sententiam concessit postea Tillemontius (5).

III. Illud præterea in allato loco Eusebiano animadversione dignum occurrit, Apollonium tanquam ex veterum traditione referre, Dominum apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent: Ἔτι δὲ ὡς ἐκ παραδόσεως τὸν Σωτῆρά φησι προστεταχέναι τοῖς αὐτοῦ ἀποστόλοις, ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ. Observat Pearsonius (6), eamdem traditionem legi apud Clementem Alexandrinum (7) qui eam ex *Petri Prædicatione*, libro quidem apocrypho, sed vetustissimo, desumptam profert his verbis: Ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοήσας διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ· Οὐκ ἠκούσαμεν. *Si quis igitur ex Israele pœnitentia ductus, per nomen meum in Deum velit credere, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: Non audivimus.* Hinc forte traditionem quam recitat, hauserit et Apollonius: ut proinde hujus antiqui theologi sententiam, ex traditione majorum, ut ipse ait, acceptam, viri doctissimi Baronius (8) et Tillemontius (9) insuper habendam aut mitius accipiendam jure censuisse videantur. Eam tamen Bacchinius V. C. ingeniose satis propugnare aggressus est: neque otiosum fuerit ipsum loquentem audire. Sic igitur ille (10): « Mirum est, inquit quanto consensu chronologi et rerum ecclesiasticarum recentes scriptores ab antiquissimi auctoris Apollonii traditione recesserint; qui, Eusebio teste (11), aiebat tanquam ex traditione, Servatorem præcepisse suis apostolis ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ, *ne intra duodecim annos Hierosolymis exce-*

(4) Vid. *Euseb.* l. c., cap. 16.
(5) Tillem. *Mem. eccle.*, tom. II, pagg. 426, 440. Vide quoque pag. 670, not. 6.
(6) Pearson. Lect. IV, *in Act. apost.*, § 11, pag. 62, inter ejus *Opp post.*
(7) Clem Alex. *Strom.*, lib. VI, pag. 636.
(8) Baron. ad ann. 44, § 22.
(9) Tillem. *Mem.* tom. I, not. 6 sur S. Matth., pag. 649.
(10) Bacchin. dissert. *De Eccl. Hier. orig.* part. I, cap. 3, § 3, pag. 192, seq.
(11) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. V, cap. 18.

derent. Plura autem sunt, ex quibus dissensus auctorum ab Apollonii traditione efficitur. Primo, quod Christi Domini mortem anno vulgaris æræ 29, quæ veterum Patrum sententia fuit, consignare nolunt, postponuntque quatuor vel quinque annis. Verum vetus sententia doctissimis chronologis rursus placere cœpit, quos proinde hæc difficultas minime urget. Secundo, quod Antiochenæ Ecclesiæ initia communi omnium consensu ponantur ante admissos ad baptismum gentiles, et fundata credatur Tiberio adhuc imperante, vel paulo post. Tertio, quod intra duodecimum a Christi Ascensione annum Petrus et Joannes narrentur missi ab Hierusalem in Samariam, ut illis qui ex circumcisione baptizati fuerant, manus imponerent. Quarto, quod Paulus narret [1] se cum primo Hierosolymam ascendit videre Petrum, aliorum apostolorum vidisse neminem præter Jacobum fratrem Domini· Henschenius admittens veterum sententiam de Christo duobus Geminis coss. crucifixo, remotoque ob id priori obice, Apollonii traditionem admittit (12) : at, ut ab aliis se expediat, Hierosolymorum nomine non modo Judæam ac Palæstinam, sed Syriam universam intelligit ; quo Antiochenæ Ecclesiæ initia cito consignet anno videlicet vulgari 33. Sed et annorum duodecim spatium Apollonio traditum, ad undecim annos contrahit, numerans duodecimum anno currente 40. Vidit hoc C. V. Daniel Papebrochius (13) ; qui cum Christi Ascensionem anno vulgari 34 connectat, nec Henschenio consentiat Hierusalem nomine Syriam universam intelligenti, Apollonii traditionem admittit, quatenus vel Apollonius ipse vel Eusebius erraverit, qui pro anno secundo duodecimum scripserit, urgetque argumentum ex Pauli primo Hierosolymam adventu desumptum.

« Mihi vero alias quam soleat Apollonii traditio intelligenda videtur et admittenda ; nec enim video, cur majorem fidem mereatur Eusebius (qui tamen Apollonii traditionem refert, non refellit), quam Apollonius priori apostolorum ætati multo Eusebio proximior. Χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ, quod *Hierosolymis excedere*, *discedere*, *abire* interpretantur viri docti, mihi est *ab Hierusalem segregari*, *separari*, *sejungi* ; et integram sententiam verto : *Aiebat tanquam ex traditione*, *Servatorem præcepisse suis apostolis*, *ne intra duodecim annos a Hierosolymis segregarentur*. *Separari* autem, *segregari*, *sejungi* idem esse intelligo, ac alteram Ecclesiam fundare, quæ a Hierosolymitana minime penderet ; quatenus intra duodecim annos, et apostolorum collegium cui Petrus præerat, tanquam novæ Legis synedrium majus Hierosolymis tantum sederet, ac unus Hierusalem episcopus cæteris præsideret, si quæ Ecclesiæ intra terræ fines, synedriaque minora quæ postmodum præsbyteria vocata sunt, constitui oporteret. Constituere autem principem alteram Ecclesiam, ubi apostolorum quispiam sederet, fieri non poterat, quin et alibi apostolici collegii jurisdictio plenissime exerceretur, et quin sola desineret esse Hierosolymitana Ecclesia quæ cæteris præesset ; quod *segregari*, *sejungi*, *separarique* a Hierusalem erat, ubi pro Judæorum more jurisdictionis plenitudo et apex. Id itaque, Apollonio tradente, fieri apostolis prohibitum ante duodecim ab ascensione annis. Hoc sensu Apollonii traditione intellecta, et Christi morte duobus Geminis coss. consignata, minime obstat quod Petrus et Joannes a Hierosolymis missi sunt in Samariam : quin sententiam confirmat ; inde enim missi ubi apostolici synedrii sedes, illuc, peractis quæ a communi statuto decreta fuerant, rediere : nec quod Paulus primo Hierosolymam veniens, præter Petrum et Jacobum, neminem apostolorum viderit ; cum potuerint apostoli Hierosolyma abesse, nec tamen, modo explicato a Hierusalem separari. Præterquam quod Paulus loco allegato ait, se neminem apostolorum de Christi doctrina allocutum, quam gentilibus suo tempere disseminandam, a Christo immediate didicisset, minime autem apostolos abfuisse dicit. At enim ex Apollonii traditione hoc modo intellecta sequitur contra communem omnium sensum, Antiochenæ Ecclesiæ initia ad duodecimum ab Ascensione annum differenda. Plane sequitur : verum minime ob id traditio antiquissima est rejicienda ; cum aliunde differendi rationes urgeant, hic adjiciendæ, » etc. Hactenus vir eruditus ; cujus quidem sententiam aliis dijudicandam relinquimus.

IV. Iis vero quæ ex veterum monumentis de Apollonio edisseruimus, illa quoque addenda videntur, quæ sanctus Hieronymus de ipso scribens tradidit his verbis (14) : « Tertullianus sex voluminibus adversus Ecclesiam editis, quæ scripsit περὶ ἐκστάσεως, septimum proprie adversus Apollonium elaboravit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. »

[1] Gal. I, 18, 19.

(12) Hensch. *Appar. ad Chronol. pontif.*, exercit. 3.

(13) Papebr. *Conat. chron. hist.*, dissert. II, *De sedib. Antioch. et Rom.*, num. 2.

(14) Hieron. *De vir. illustr.*, cap. 40.

APOLLONII FRAGMENTA

EX LIBRO ADVERSUS CATAPHRYGAS

(Apud Eusebium *Hist. eccl.* lib. v, cap. 18.)

I.

Ἀλλὰ τίς ἐστιν οὗτος ὁ προσφατος διδάσκαλος; τὰ ἔργα αὐτοῦ καὶ ἡ διδασκαλία δείκνυσιν. Οὗτος ἐστιν ὁ διδάξας λύσεις γάμων· ὁ νηστείας νομοθετήσας (15)· ὁ Πέπουζαν καὶ Τύμιον Ἱερουσαλὴμ ὀνομάσας (πόλεις δέ εἰσιν αὗται μικραὶ τῆς Φρυγίας,) τοὺς παντα- χόθεν ἐκεῖ συναγαγεῖν ἐθέλων· ὁ πρακτῆρας χρη- μάτων καταστήσας· ὁ ἐπ' ὀνόματι προσφορων, τὴν δωροληψίαν ἐπιτεχνώμενος· ὁ σαλάρια χορηγῶν τοῖς κηρύττουσιν αὐτοῦ τὸν λόγον, ἵνα διὰ τῆς γαστριμαρ- γίας ἡ διδασκαλία τοῦ λόγου κρατύνηται.

A Sed quisnam est novus ille doctor? opera ejus et doctrina satis aperte produnt. Hic est qui nup- tiarum dissidia docuit, qui jejuniorum leges impo- suit, qui Pepuzam et Tymium (Phrygiæ oppidula) Hierusalem nominavit, ut cunctos undique homi- nes eo convocaret; qui pecuniarum exactores con- stituit; qui sordidam munerum captationem obla tionum nomine callide obvelavit; qui doctrinam suam prædicantibus salaria præbet, ut per fœdam ventris ingluviem doctrina ejus convalescat.

II.

Δείκνυμεν οὖν αὐτὰς πρώτας τὰς προφήτιδας ταύ- τας, ἀφ' οὗ τοῦ πνεύματος ἐπληρώθησαν, τοὺς ἄνδρας καταλιπούσας. Πῶς οὖν ἐψεύδοντο, Πρίσκαν παρθέ- νον (16) ἀποκαλοῦντες. Δοκεῖ σοι (17) πᾶσα Γραφὴ κωλύειν προφήτην λαμβάνειν δῶρα καὶ χρήματα; Ὅταν οὖν ἴδω τὴν προφῆτιν εἰληφυῖαν καὶ χρυσὸν B καὶ ἄργυρον καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτας, πῶς αὐτὴν μὴ παραιτήσομαι;

Ostendimus igitur has principes prophetissas si- mul ac spiritu impletæ sunt, viros suos dimisisse. Quantopere ergo mentiebantur, qui Priscam virgi- nem vocabant. Non tibi videtur Scriptura universa prohibere, ne propheta munera et pecunias acci- piat? Cum igitur videam prophetissam aurum et argentum vestesque pretiosas accepisse, quomodo eam non repudiabo?

III.

Ἔτι δὲ καὶ Θεμίσων ὁ τὴν ἀξιόπιστον πλεονε- ξίαν (18) ἠμφιεσμένος, ὁ μὴ βαστάσας τῆς ὁμολογίας

Præterea Themison speciosa avaritia obvelatus, qui confessionis signum non pertulit, sed magna

(15) Ὁ νηστείας νομοθετήσας. Tres quotannis quadragesimas, ac præterea duas xerophagiarum hebdomadas Montanus instituerat. Ac de xeropha- giis quidem testatur Tertullianus in libro *De jeju- niis*. De tribus vero quadragesimis testis est Hiero- nymus, tum in epistola *ad Marcellam*, tum in *Com- mentariis ad caput* I *Agyæi* ita scribens: « Et om- nem laborem manuum accipiamus jejunia eorum et observat ones varias, et χαμαιζήλους, id est *humidor- mitiones*; qui tribus quadragesimis per annum je- junantes, et ξηροφαγίαις humiliantes animam suam, et vel maxime de Tatiani radice crescentes, super hujusmodi laboribus audiunt: Tanta passi estis sine C causa. » Idem *in caput* IX *Matthæi*: « Hujus occa- sione testimonii, Montanus, Prisca et Maximilla etiam post Pentecosten faciunt quadragesimam. » Sunt qui existiment duas xerophagiarum hebdoma- das, quarum meminit Tertullianus, nihil aliud fuisse quam duas quadragesimas, quas præter illam primam ac solemnem catholicorum quadragesimam jejunabant Montanistæ. Cui sententiæ facile accedo. Nam Tertullianus eo loco propria duntaxat Montani- starum jejunia recenset. Sic enim loquitur: « Quan- tula enim est apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, ex- ceptis scilicet Sabbatis et Dominicis, offerimus Deo. » De paschali autem jejunio nihil dixit eo quod hoc jejunium eon proprium erat Montanistarum, sed commune omnium Christianorum. Cæterum notan- dum est hoc loco Apollonium tanquam gravissimum facinus objicere Montano, quod jejunia sub lege ac sub præcepti forma constituisset; non quod jeju- nare crimen sit; aut quasi quibusdam in Ecclesia non liceat, semperque licuerit indicere jejunia. Nam et Joannes apostolus triduanum Ephesiis jejunium induxit, priusquam ad scribendum Evangelium se conferret. Et episcopi catholicæ plebi mandare je- junia solebant ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticæ causa, ut docet Tertul. in lib. cit. cap. 13. Verum Montano id facere nullatenus licebat, homini hære- tico et ab Ecclesiæ corpore segregato, nec ullum sacerdotium gerenti. Merito igitur eum reprehendit Apollonius, quod ex arbitrio suo, non ex apostolica traditione constituisset jejunia. Nam catholicorum quidem jejunia ex apostolorum traditione manant; de solemnibus ac publicis jejuniis loquor, quæ certis diebus in Ecclesia quotannis observabantur. Hæreticorum autem jejunia, ex inani præsumptione et sanctitatis simulatione procedunt. Cujusmodi fuere jejunia, quæ Montanus sectatoribus suis tanquam Paracletus indixit.

(16) Πρίσκαν παρθένον. In codice Med. Maz. et Fuk. et apud Nicephorum legitur etiam Πρίσκαν, quam scripturam confirmat etiam Rufinus. Sed et Tertul- lianus et Firmilianus aliique Priscam nominant.

(17) Δοκεῖ σε., Nicephorus in lib. IV, cap. 26, negativam addit particulam, οὐ δοκεῖ σοι, etc. Atque ita Savilius ad marginem sui libri emendavit.

(18) Τὴν ἀξιόπιστον πλεονεξίαν. Musculus ver- tit, *indubitata avaritia circumdatus*. Christophorso- nus vero, « totus revera avaritiæ sordibus involutus. » Langus autem interpretatus est, « inexplebilis avari- tiæ sordibus obvolutus: » quasi ἄπληστον πλεονεξίαν legeretur. Ego vero non dubito quin hic locus ita in- telligendus sit ut verti; quod satis declarat vox ἠμφιεσμένος, qua velamentum et simulatio designan- tur. Etenim Montanistæ illi avaritiam suam religio- nis prætextu, et speciosæ oblationum vocabulo ob-

pecuniæ vi erogata vincula abjecit ; cum ob eam causam modestius deinceps ac submissius agere deberet, tanquam martyr sese offerens, ausus est exemplo Apostoli concripta epistola catholica, eos quidem qui fideliores ipso exstiterant, instituere ; novæ autem doctrinæ patrocinari ; ac postremo in Dominum, in apostolos et in sacrosanctam Ecclesiam impie loqui.

A τὸ σημεῖον (19), ἀλλὰ πλήθει χρημάτων ἀποθέμενος τὰ δεσμά· δέον ἐπὶ τούτῳ ταπεινοφρονεῖν, ὡς μάρτυς καυχώμενος, ἐτόλμησε μιμούμενος τὸν Ἀπόστολον, καθολικήν τινα συντοξάμενος ἐπιστολήν, κατηχεῖ μὲν τοὺς ἄμεινον αὐτοῦ πεπιστευκότας· συναγωνίζεσθαι δὲ τοῖς τῆς καινοφωνίας λόγοις· βλασφημῆσαι δὲ εἰς τὸν Κύριον καὶ τοὺς ἀποστόλους, καὶ τὴν ἁγίαν Ἐκκλησίαν.

IV.

Sed ne de pluribus loquamur, respondeat nobis prophetissa de Alexandro, qui se martyrem prædicat, quocum ipsa convivatur ; qui adoratur etiam ipse a multis ; cujus latrocinia et reliqua facinora, pro quibus pœnas dedit, nihil opus est nos dicere, præsertim cum in tabulario contineantur. Uter igitur illorum alteri peccata condonat ? an prophetes martyri latrocinia ? an martyr prophetæ avaritiam ? Cum enim Dominus præceperit : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas[1] ; » isti contra in rerum vetitarum possessione graviter deliquerunt. Qui enim ab ipsis prophetæ et martyres dicuntur, eos non solum a divitibus, sed etiam a mendicis, pupillis et viduis pecunias corrogare demonstrabimus. Quod si hac in parte confidunt innocentiæ suæ, sistant se, et de his nobiscum disceptent ; ut, si quidem convicti fuerint, saltem in posterum delinquere desinant. Actus enim prophetæ, tanquam fructus examinandi sunt ; ex fructibus quippe arbor cognoscitur[2]. Quod vero ad Alexandrum pertinet, ut veritas omnibus nosse cupientibus innotescat, judicatus est Ephesi ab Æmilio Frontino Asiæ proconsule, non ob nomen Christi, sed ob ea quæ perpetraverat latrocinia, cum jam desertor fidei esset. Deinde vero ementitus nomen Christi, dimissus est, cum urbis illius fideles fefellisset ; Ecclesia vero ejus loci, unde erat oriundus, ipsum non recepit, eo quod latrocinia exerceret. Si qui vero totum illius negotium scire desiderant, præsto est publicum Asiæ tabularium. Et tamen propheta illum ignorare se fingit, quocum plures annos simul vixit. Hunc nos convincendo, per ipsum etiam prophetæ convincimus falsitatem. Idem in aliis compluribus possumus ostendere. Quod si fiduciam sui habeant, subeant examen.

Ἵνα δὲ μὴ περὶ πλειόνων λέγωμεν, ἡ προφῆτις ἡμῖν εἰπάτω τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν λέγοντα ἑαυτὸν μάρτυρα, ᾧ συνεστιᾶται· ᾧ προσκυνοῦσι καὶ αὐτῷ πολλοι (20)· οὗ τὰς λῃστείας καὶ τὰ ἄλλα τολμήματα ἐφ' οἷς κεκόλασται, οὐχ ἡμᾶς δεῖ λέγειν, B ἀλλὰ ὁ ὀπισθόδομος (21) ἔχει. Τίς οὖν τίνι χαρίζεται τὰ ἁμαρτήματα, ποτέρον ὁ προφήτης τὰς λῃστείας τῷ μάρτυρι, ἢ ὁ μάρτυς τῷ προφήτῃ τὰς πλεονεξίας ; Εἰρηκότος γὰρ τοῦ Κυρίου· Μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μήτε ἄργυρον, μήτε δύο χιτῶνας, οὗτοι πᾶν τοὐναντίον, πεπλημμελήκασι περὶ τὰς τούτων τῶν ἀπηγορευμένων κτήσεις. Δείξομεν γὰρ τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς προφήτας καὶ μάρτυρας, μὴ μόνον παρὰ πλουσίων, ἀλλὰ καὶ παρὰ πτωχῶν, ὀρφανῶν καὶ χηρῶν χρηματιζομένους. Καὶ εἰ πεποίθησιν ἔχουσιν ἐν τούτῳ, στήτωσαν καὶ διοριεισάσθωσαν ἐπὶ τούτοις (22)· ἵνα ἐὰν ἐλεγχθῶσι, κἂν τοῦ λοιποῦ παύσωνται πλημμελοῦντες. Δεῖ γὰρ τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τοῦ προφήτου· ἀπὸ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται· Ἵνα δὲ τοῖς βουλομένοις τὰ C κατὰ Ἀλέξανδρον ᾖ γνώριμα· κέκριται ὑπὸ Αἰμιλίου Φροντίνου ἀνθυπάτου ἐν Ἐφέσῳ, οὐ διὰ τὸ ὄνομα, ἀλλὰ δι' ἃς ἐτόλμησε λῃστείας, ὧν ἦδη παραβάτης (23). Εἶτα ἐπιψευσάμενος τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου, ἀπολέλυται πλανήσας τοὺς ἐκεῖ πιστούς· καὶ ἡ ἴδια παροικία αὐτὸν, ὅθεν ἦν, οὐκ ἐδέξατο, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν λῃστήν. Καὶ οἱ θέλοντες μαθεῖν τὰ κατ' αὐτὸν, ἔχουσι τὸ τῆς Ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον· ὃν ὁ προφήτης συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν ἀγνοεῖ. Τοῦτον ἐλεγχοντες ἡμεῖς, δι' αὐτοῦ καὶ τὴν ὑπόστασιν ἐξελέγχομεν τοῦ προφήτου. Τὸ ὅμοιον ἐπὶ πολλῶν δυνάμεθα ἀποδεῖξαι. Καὶ εἰ θαῤῥοῦσιν, ὑπομεινάτωσαν τὸν ἔλεγχον.

[1] Matth. x, 9, 10. [2] Luc. vi, 44.

velebant, ut supra dixit Appollonius : Ὁ ἐπ' ὀνόματι προσφορῶν δωρολῃψίαν ἐπιτεγνώμενος.

(19) Τῆς ὁμολογίας τὸ σημεῖον. Christophoronus quidem crucem intelligi putavit, eo quod in Evangelio crux portari frequenter dicitur. Sed procul dubio vincula ipsa intelligit Apollonius quæ Themison pro Christo portare nequiverat. Quod enim confessionis signum hic vocat Apollonius, sequente linea nominat τὰ δεσμά.

(20) ὯΙ προσκυνοῦσι καὶ αὐτῷ πολλοί. Scribendum videtur καὶ αὐτῶν, id est Montanistarum.

(21) Ὀπισθόδομος. Athenis dicebatur ὀπισθόδομος ædes quædam post templum Minervæ Palladis, in qua pecuniæ publicæ recondebantur, ut ex Demosthene docet Harpocration. Sed et in omnibus templis erat ὀπισθόδομος. Varro in lib. IV *De lingua latina* ; « Ideo in ædibus sacris ante cellam, ubi sedes dei est, Græci dicunt πρόδομον : quod post, ὀπισθόδομον. » Eadem habet Pollux in lib. I. Hic vero ὀπισθόδομος pro tabulario sumitur, seu pro loco in quo tabulæ publicæ asservabantur ; non pro ærario ut sumitur apud Athenienses. Intra δημόσιον ἀρχεῖον vocat Apollonius.

(22) Διοριεισάσθωσαν ἐπὶ τούτοις. Musculus vertit : « Et super ea nobiscum disceptent, ea lege ut », etc.

(23) Ὧν ἦδη παραβάτης. Hunc locum optime Rufinus exposuit hoc modo : « Judicatus est apud Æmilium Frontinum proconsulem Ephesi, non propter nomen Christi, sed propter quædam latrocinia. Nam a Christi nomine jam apostata exstiterat. Sed post hæc ut fideles quidam fratres, qui per illud tempus apud judicem aliquid poterant pro ipso intercederent, simulavit se propter nomen Domini laborare, et per hoc dimittitur ». At Christophorsoni versio primum in eo peccat, quod παραβάτην *maleficum* vertit ; deinde in eo quod ἐχρίθη vertit *condemnatus est*.

Ἐὰν ἀρνῶνται δῶρα τοὺς προφήτας αὐτῶν εἰληφέναι, τοῦτο ὁμολογησάτωσαν, ὅτι ἐὰν ἐλεγχθῶσιν εἰληφότες, οὐκ εἰσὶ προφῆται· καὶ μυρίας ἀποδείξεις τούτων παραστήσομεν. Ἀναγκαῖον δέ ἐστι πάντας καρποὺς δοκιμάζεσθαι προφήτου. Προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται (24); προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει; προφήτης δανείζει; ταῦτα ὁμολογησάτωσαν πότερον ἔξεστιν, ἢ μή. Ἐγὼ δὲ, ὅτι γέγονε παρ' αὐτοῖς δείξω. A Si negant prophetas suos munera accepisse, hoc igitur fateantur, non esse illos prophetas, si munera accepisse convicti sint; ac tum demum sexcenta ejus rei documenta ac testimonia proferemus. Necesse porro est ut omnes prophetæ fructus atque actus probentur. Dic mihi, tingitne capillos propheta? an stibio oculos linit? an studet ornari? prophetane tabula ludit et tesseris? an pecuniam locat fenori? ingenue fateantur ac respondeant, Utrum hæc agere liceat, an secus, Ego vero hæc apud ipsos acta esse convincam.

(24) Βάπτεται. Hieronymus in *Catalogo* hunc locum ita vertit: *Dic mihi crimen fucat propheta? stibio oculos linit? propheta vestibus et gemmis ornatur? propheta tabula ludit et tesseris? propheta fenus accipit?* Longe profecto elegantius quam Rufinus. Græci βάπτειν τὴν τρίχα dicunt, quod Latini crines tingere, seu rutilare. Id enim præcipue studebant matronæ, ut rutilum haberent crinem. Quam in rem cinere lixivio utebantur, ut docet Varro. Sammonicus Serenus de capillo tingendo ita præcipit:

Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
Unguento cineris, prædixit Tullius auctor.

Vide Hesychium in ξανθίζειν.

PLURIUM ANONYMORUM

E QUIBUS NONNULLI APOSTOLOS AUDIERANT

RELIQUIÆ

A SANCTO IRENÆO SERVATÆ.

(ROUTH, *Reliquiæ sacræ*) Oxonii, 1814, I, 41,)

MONITUM.

Duo omnino sunt, quæ monuero; primum hoc est: pluribus uno senioribus attribuenda esse collectanea, quæ sequuntur; deinde nolle me affirmare ista omnia, præsertim quæ excerpsi et quinto loco posui, ipsis auctorum verbis ab Irenæo fuisse expressa. Sed finge haud ita esse, certe digni erant ut huc deducerentur rivuli, quos a Christianismi fontibus tam prope abesse novimus.

I.

Ἡ γὰρ πλάνη, Irenæus inquit, *Præfat. lib. primi Contra hæreses*, § 2, καθ' αὐτὴν μὲν οὐκ ἐπιδείκνυται, ἵνα μὴ γύμνωθεῖσα γένηται κατάφωρος· πιθανῷ δὲ περιβλήματι πανούργως κοσμουμένη, καὶ αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀληθεστέραν ἑαυτὴν παρέχειν φαίνεσθαι (2) διὰ τῆς ἔξωθεν φαντασίας τοῖς ἀπειροτέροις· καθὼς ὑπὸ τοῦ κρίττονος ἡμῶν (3) εἴρηται ἐπὶ τῶν B (1) Error enim secundum semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdole adornatus, et ipsa veritate (ridiculum est et dicere) veriorem semetipsum præfert, ut decipiat exteriori phantasmate rudiores; quemadmodum a meliore nobis dictum est de hujusmodi, « quoniam lapidem pretiosum smara

(1) Ex veteri interpretatione, ut fragmenta quæ sequuntur.

(2) Παρέχειν φαίνεσθαι. Vel lege παρέχει φαίνεσθαι, vel παρέχειν φαίνεται. Addit Latinus interpres per parenthesin *ridiculum est et dicere:* quibus verbis nihil in Græco respondet. Nisi hæc de suo addiderit, omiserunt oscitantes scribæ, γελοῖόν ἐστι φάναι. Massuetus ad Irenæum. Legere malim cum Petavio ad Epiphanium ubi hæc Græce servata sunt, παρέχει, quam φαίνεσθαι in φαίνεται cum Billio mutare, qui Græca Irenæi fragmenta, quotquot collegerat, Latine vertit.

(3) Τοῦ κρείττονος ἡμῶν. Observavit pridem Eusebius lib. v *Hist.*, cap. 8, Irenæum cujusdam viri apostolici, cujus nomen reticet, sermonum frequenter meminisse, quod ex cap. 13 hujus libri, 19 et 35 tertii, et 45 quarti, clarum est. Quis autem ille sit, cum acerrimum Eusebii judicium fugerit, non a me exspectes. Feuardentius ad Irenæum. Vidensis Eusebii locum descriptum supra ad pag. 28. Venusta autem atque elegans appellata Seniorís ῥῆσις est a Pearsonio *Vindic. Ignat.* p. I, cap. 6, p. 96, sicut illa quoque numero III designata.

gdum, magni pretii apud quosdam, vitreum in ejus contrmeliam per autem assimilatum, quoadusque non adest qui potest probare, et artificium arguere, quod subdole sit factum. Cum enim commistum fuerit æramentum argento, quis facile poterit, rudis cum sit, hoc probare? »

A τοιούτων, « Ὅτι λίθον τὸν τίμιον σμάραγδον ὄντα καὶ πολυτίμητόν τισιν ὕαλος ἐνυβρίζει διὰ τέχνης παρομοιουμένη, ὅποταν μὴ παρῇ ὁ σθένων δοκιμάσαι καὶ τέχνῃ διελέγξαι τὴν πανούργως γενομένην. Ὅταν δὲ ἐπιμιγῇ ὁ χαλκὸς εἰς τὸν ἄργυρον, τίς εὐκόλως δυνήσεται τοῦτον ἀκεραίως (4) [ἀκέραιος *legebat vet. interpres*] δοκιμάσαι ; »

II.

Similia enim loquentes (*scil.* hæretici) fidelibus (*inquit Irenæus lib.* III *ejusd. Operis, ipso fine cap.* 17, *al. c.* 19. p. 209) sicut prædiximus, non solum dissimilia sapiunt, sed et contraria, et per omnia plena blasphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenum, sicut quis aquæ mistum gypsum dans pro lacte, seducat per similitudinem coloris; sicut quidam dixit Superior nobis (5) de omnibus qui quolibet modo depravant quæ sunt Dei, et adulterant veritatem : *In Dei lacte* (6) *gypsum male miscetur.*

III.

Sicut melior nobis de talibus prophetis exsequitur. Quod *audax et inverecunda est anima, quæ vacuo aere excalefacta est.*

B — Καθὼς ὁ κρείσσων ἡμῶν (7) (*verba Irenæi sunt lib.* I *ejusd. Op. c.* 13, *al.* 8, *p.* 62, *al.* 9) ἔφη περὶ τῶν τοιούτων [*scil.* de falsis prophetis]) Ὅτι τολμηρὸν καὶ ἀναιδὲς ψυχὴ κενῷ ἀέρι θερμαινομένη.

IV.

Propter hoc (8) et in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam sed *terram in operibus ejus*[1] (9), quemadmodum ex veteribus quidam ait, *quoniam quidem transulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine* (10). Condemnationem autem transgressionis accepit homo tædia et terrenum laborem etc., etc. *Hæc Irenæus attulit lib.* III *ejus. Op.*, c. 23, *al.* c. 35, p. 221.

V.

1. Quemadmodum audivi (11) *inquit Irenæus lib.* VI *ejusd. Op. c.* 27, *al.* 45, p. 263) a quodam presbyteros audierat ab his qui apostolos viderant, et ab his qui didicerant (12) : *Sufficere veteribus de hic quæ sine consilio Spiritus egerunt, eam quæ ex Scripturis esset correptionem. Cum enim non sit personarum acceptor Deus, quæ sunt non secundum ejus placitum facta, his inferebat congruam correptionem. Quemadmodum sub David quando persecutionem quidem patiebatur a Saul propter justitiam, et regem Saul fugiebat, et inimicum non ulciscebatur, et Christi adventum psallebat, et sapientia instruebat gentes, et omnia secundum consilium faciebat Spiritus, placebat Deo. Quando autem, concupiscentiam ipse sibi accepit Bersabee* (12) *Uriæ uxorem, dixit Scriptura de eo : « Nequam autem visus est sermo quem fecit David in occulis Domini*[2] *: » et mittitur*

[1] Gen. III, 17. [2] II Reg. XI, 27.

(4) Ἀκεραίως. Interpres legisse videtur ἀκέραιος, *rudis cum sit*, non ἀκεραίως, *incorrupte, sincere.* Ita paulo ante, *ut decipiat rudiores.* Fronto Ducæus ad Irenæum. Legendum cum interprete ἀκέραιος.

(5) *Superior nobis.* Idem sane, cujus simile dictum allegatur in Procemio libri I. Grabius ad Irenæum.

(6) *Veritatem* : *In Dei lacte.* Sic cod. Claromont. melius, ni fallor, quam cæteri : *Veritatem Dei. Lacte.* Per lac intelligit verba catholica, quibus erroris gypsum miscebant hæretici. Gypsum enim præsens venenum habere docet Plinius lib. XXXVI, cap. 24. Conjicit Grabius hanc sententiam ad marginem a quopiam ascriptam, in textum inde irrepsisse. Sed forte ipsa verba sunt antiqui illius, quem tacito nomine sæpe allegat Irenæus. Massuet. ad Iren.

(7) Ὁ κρείσσων ἡμῶν. Quis sit ille antiquus scriptor, quem sæpe laudat Irenæus, hactenus deprehendi non potuit. Massuet. *ibid.*

(8) *Propter hoc.* H. e. propterea quod Deus primum hominum parentem per Christum æterna donaturus erat salute. Interea Feuardentius ait, Tertulliarum libro II, *adversus Marcionem*, c. 25, hunc Irenæi locum his paucis contrahere : « Deus ideo non maledixit ipsum Adam et Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione relevatos, sicut maledixit serpenti, cujus salus omnino deplorata erat, » etc.

(9) Sed *terram in operibus ejus.* LXX : ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου.

(10) *Quoniam quidem — in homine.* Isthæc potius perioche mihi quidem continere videtur vera τοῦ ἀρχαίου verba ; namque illud *quoniam* apud veterem C Irenæi interpretem pro *quod* poni solet.

(11) *Quemadmodum audivi*, etc. Sunt bonæ frugi hæc dicta, sive ab ore alicujus, sive a scripto ejus accepta ; quæ etsi non omnia verbis ipsis senioris expressa, tamen hujus presbyteri fuisse, usque dum veneris ad Pauli apostoli verba in priori ad Corinthios epistola colligendum videtur, cum ex structura orationis, quæ a directa forma in modum infinitum subinde mutatur, tum vero ex verbis illis : *sicut dixit presbyter*, et *inquit ille senior*, postea insertis.

(12) *Ab his qui didicerant*, Dodwellus dissert. I, *in Irenæum*, § 8, p. 11 : « Posteriori illo descentium nomine illos, ut existimo, complectitur Domini discipulos, qui tamen non fuerint apostoli, quales erant Papiæ Joannes presbyter et Aristion. » Vid. et dissert. IV, § 3, p. 292.

(13) *Bersabee. Betsabee* Grabius post cod. Arundel. et multa τῶν Ο' exemplaria quæ habent Βαθσαβεε

ad eum Nathan propheta, ostendens ei peccatum ejus, ut ipse dans sententiam de semetipso, et semetipsum adjudicans, misericordiam consequeretur et remissionem a Christo. « *Et dixit ei : Duo viri fuerunt in civitate una, unus dives, et unus pauper ; diviti erant greges ovium et boum multi valde, et pauperi nihil aliud nisi ovicula una, quam habebat et nutriebat, et fuerat cum eo, et cum filiis ejus pariter ; de pane suo manducabat, et de calice bibebat, et erat ei quasi filia. Et venit hospes homini diviti, et pepercit accipere de grege ovicularum suarum, et de gregibus boum suorum, et facere hospiti ; et accepit oviculam viri pauperis, et apposuit viro qui venerat ad eum. Iratus est autem David super hominem illud valde, et dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est homo ille qui fecit hoc ; et oviculam reddet quadruplum pro eo quod fecit factum hoc ; et pro eo quod non pepercit pauperi. Et ait ad eum Nathan : Tu es vir qui fecisti hoc* [3] ;» *et deinceps reliqua exsequitur, exprobrans eum et enumerans in eum Dei beneficia, et quoniam exacerbavit Dominum, cum fecisset hoc. Non enim placere Deo hujusmodi operationem* (14), *sed iram magnam imminere domui ejus. Compunctus est autem David ad hæc, et ait :* « *Peccavi Domino ;* « *et Psalmum exhomologeseos* [4] (15) *post psallebat, adventum Domini sustinens, qui abluit et enundat eum hominem qui peccato fuerat obstrictus. Similiter autem et de Salomone, cum perseveraret judicare recte et sapientiam* (16) *enarrare, et typum veri templi* (17) *ædificabat, et glorias exponebat* (18) *Dei et adventuram pacem gentibus annuntiabat, et Christi regnum præfigurabat, et loquebatur tria millia parabolarum in adventum Domini* [5], *et quinque millia canticorum, hymnum dicens Deo, et eam quæ est in conditione* (τῇ κτίσει) *sapientiam Dei exponebat physiologice ex omni ligno, et de omni herba, et de volatibus omnibus, et de quadrupedibus, et de piscibus, et dicebat :* « *Si vere Deus, quem cœli non capiunt, super terram habitabit cum hominibus* [6] ? » *et placebat Deo, et omnes eum admirabantur, et omnes reges terræ quærebant faciem ejus, ut audirent sapientiam ejus, quam dederat illi Deus, et regina Austri a finibus terræ veniebat ad eum, sapientiam, quæ in eo erat, scitura* [7] *; quam et Dominus ait in judicio resurrecturam cum eorum natione qui audiunt sermones ejus, et non credunt in eum, et adjudicaturam eos ; quoniam illa quidem subjecta est annuntiatæ sapientiæ per servum Dei ; hi vero eam quæ a Filio Dei dabatur contempserunt sapientiam. Salomon enim servus erat ; Christus vero Filius Dei, et Dominus Salomonis. Cum igitur sine offensa serviret Deo, et ministraret dispensationibus ejus, tunc glorificabatur ; cum autem uxores accipiebat ab universis gentibus, et permittebat eis erigere idola in Israel, dixit Scriptura de eo :* « *Et rex Salomon erat amator mulierum, et accepit sibi mulieres alienigenas ; et factum est in tempore senectutis Salomonis, non erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo. Et diverterunt mulieres alienigenæ cor ejus post deos alienos. Et fecit Salomon malignum in conspectu Domini : non abiit post Dominum, quemadmodum David pater ejus. Et iratus est Dominus in Salomonem ; non enim erat cor ejus perfectum in Domino, secundum cor David patris ejus* [8].» *Sufficienter increpavit eum Scriptura, sicut dixit presbyter,* « *ut non glorietur universa caro in conspectu Domini* [9]. »

2. *Et propter hoc Dominum in ea quæ sunt sub terra descendisse* [10], *evangelizantem et illis* (19) *adventum suum, remissione peccatorum exsistente his qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum, id est, qui adventum ejus prænuntiaverunt, et dispositionibus ejus servierunt, justi, et prophetæ et patriarchæ ; quibus similiter ut nobis remisit peccata, quæ non oportet nos imputare his, si quominus contemnimus gratiam Dei. Quemadmodum enim illi non imputabant nobis* (20) *incontinentias nostras, quas operati sumus, priusquam Christus in nobis manifestaretur ; sic et nos non est justum imputare ante adventum Christi his qui peccaverunt.* « *Omnes enim homines egent gloria Dei* [11], » *justificantur autem non a semetipsis, sed a Domini adventu, qui intendunt lumen ejus. In nostram autem correptionem conscriptos esse actus eorum* [12], *ut sciremus, primum quidem, quoniam unus est Deus noster et illorum* (21), *cui non placeant peccata, etiamsi a claris fiant ; deinde ut abstineamus a malis. Si enim hi qu*

[3] II Reg. XII, 1, seqq., [4] Psalm. L. Vid, not. 14. [5] III Reg. IV, 32, seq. [6] III Reg. VIII, 27. [7] Matth. XII, 42. [8] III Reg. XI, 1, seqq. [9] I Cor. I, 29. [10] Ephes. IV, 9; I Petr. III, 19. [11] Rom. III, 23. [12] I Cor. X, 11.

(14) *Operationem.* Alii *operationes.* Massuet. ad Iren.

(15) *Psalmum exhomologeseos.* Hunc esse quinquagesimum etiam fatentur Hebræi, hujusmodi titulum eidem affigentes : *Psalmus David, quando venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee.* Feuardent. ad Iren.

(16) *Sapientiam.* Vocem *Dei*, quam ex cod. Arundel. ined. sua Irenæi Grabius adjecisse se dixerat, quia sacer textus, quo spectat Irenæus, *sapientiam Dei* memoraret, restitui.

(17) *Typum veri templi.* Salomonis templum typum fuisse Christi Domini, liquet ex Joan. II, 11 : *Solvite templum hoc*, etc., quod eleganter explicat Athanasius oratione 5 *contra Arianos.* Feuardent. ad Iren.

(18) *Et glorias exponebat*, etc. Alludit, nisi fallor, ad Psal. LXXI, qui Salomonis esse inscribitur, maxime ad vers. 7 et 8. Grabius ad eumd.

(19) *Evangelizantem et illis.* De hac opinione, seu S. Scripturæ interpretatione, si theologos adire velis, fortasse instar omnium erit Pearsonius in *Expos. Symboli.* Art. *Descendit ad inferos.*

(20) *Non imputabant nobis.* II. e. ethnicis ante Christi adventum, ut recte ait Grabius. Quando autem non imputabant ? Quo tempore *adventuram pacem gentibus annuntiabant.* Vid. infra, ex cod. Voss. *Imputabant* pro *imputant* ante Massuetum posuerat Grabius.

(21) *Quoniam unus est Deus noster et illorum.* Contra hæreticos Deum in Veteri Testamento annuntiatum a Patre Domini nostri Christi distinguentes, omnia hæc presbyterum dixisse, ostendunt verba, quæ infra sequuntur, etiamsi effata illa a nobis statim post hanc ῥῆσιν collocata, Irenæi magis quam presbyteri fuisse, statuere velis.

præcesserunt nos in charismatibus veteres propter quos nondum Filius Dei passus erat, delinquentes in aliquo, et concupiscentiæ carnis servientes, tali affecti sunt ignominia; quid passuri sunt qui nunc sunt, qui contempserunt adventum Domini, et deservierunt voluptatibus suis? Et illis quidem curatio et remissio peccatorum mors Domini fuit, propter eos vero qui nunc peccant, Christus non jam morietur, jam enim mors non dominabitur ejus [1]; *sed veniet Filius in gloria Patris, exquirens ab actoribus et dispensatoribus suis pecuniam quam eis credidit cum usuris* [14]; *et quibus plurimum dedit, plurimum ab eis exiget* [15]. *Non debemus ergo, inquit ille senior, superbi esse, neque reprehendere veteres; sed ipsi timere, ne forte, post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus delictorum, sed excludamur a regno ejus. Et ideo Paulum dixisse: » Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat, qui cum esses oleaster, insertus es in pinguedinem olivæ, et socius factus es pinguedinis ejus* [16]. »

3. *Similiter et plebis prævaricationes vides* (22) *descriptas esse, non propter illos qui tunc transgrediebantur, sed in correptionem nostram, et ut sciremus unum et eumdem Deum, in quem illi delinquebant, et in quem nunc delinquunt quidam ex his qui credidisse se dicunt. Et hoc autem Apostolum in Epistola quæ est ad Corinthios, manifestissime ostendisse, dicentem: « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt; bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum bene sensit Deus; prostrati sunt enim in deserto. Hæc in figuram nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt; neque idololatræ sitis, quemadmodum quidam eorum; sicut scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, et corruerunt una die viginti tria millia. Nec tentemus Christum, quemadmodum quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicuti quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura fiebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum devenit. Quapropter qui putat se stare, videat ne cadat* [17]. »

Deinde intervenientibus nonnullis, quæ statim post subjungam, ita ineunte cap. 28 pergit sermo: *Cum ergo hic et illic eadem sit in in vindicando Deo justitia Dei, et illic quidem typice, et temporaliter, et mediocrius; hic vero vere, et semper, et austerius; ignis enim æternus, et quæ a cœlo revelabitur ira Dei a facie Domini nostri, quemadmodum et David ait: « Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam ipsorum* [18], » *majorem pœnam præstat iis qui inciunt in eam; valde insensatos ostendebant presbyteri* (23) *eos qui ex his quæ acciderunt his, qui olim Deo non obtemperabant* (24), *tentant alterum patrem introducere; econtrario opponentes, quanta Dominus ad salvandos eos, qui receperunt eum, veniens fecisset, miserans eorum; tacentes autem de judicio ejus, et quæcunque provenient his, qui audierunt sermones ejus, et non fecerunt, et quoniam expediebat eis, si non essent nati* [19]. *et quoniam tolerabilius Sodomæ et Gomorrhæ erit in judicio, quam civitati illi quæ non recepit sermoces discipulorum ejus* [20] (25).

Quanquam interjacentia verba, de quibus modo dixi, ejusdem fuisse presbyteri haud præfracte negaverim, ea tamen tanquam minus certa seorsim hic collocanda censui.

Sine dubitatione igitur, et sine contradictione ostendente Apostolo, unum et eumdem esse Deum, qui et illa judicavit, et ea quæ nunc sunt, exquirit, et causam descriptionis eorum demonstrante, inducti et audaces, adhuc etiam imprudentes inveniuntur omnes, qui propter transgressionem eorum, qui olim fuerunt, et propter plurimorum indicto audientiam (26), alterum quidem aiunt illorum fuisse Deum, et hunc esse mundi fabricatorem, et esse in diminutione; alterum vero a Christo traditum Patrem, et hunc esse qui sit ab unoquoque eorum mente conceptus: non intelligentes, quoniam quemadmodum *ibi in pluribus eorum, qui peccaverunt, non bene sensit Deus*; sic et hic *vocati multi, pauci vero electi* [21]; quemadmodum ibi injusti, et idololatræ, et fornicatores, vitam perdiderunt; sic et hic: et Domino quidem prædicante, in ignem æternum mitti tales, et Apostolo dicente: *An ignoratis quoniam injusti regnum Dei non hæreditabunt? Nolite seduci, neque fornicatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles,*

[13] Rom. VI, 9. [14] Matth. XXV, 27. [15] Luc. XII, 48, [16] Rom. XI, 21, 17. [17] I Cor. X, seqq. [18] Ps. XXXIII. 17. [19] Marc. XIV, 21. [20] Matth. X, 15. [21] Matth. XX, 16.

(22) *Vides.* Sic pro *videns*, quod sensum male suspendit, reposui auctoritate cod. Clarom. Hæc vero non Irenæi, sed senioris illius quem paulo ante citavit, verba esse existimo. Massuet. ad Iren.

(23) *Ostendebant presbyteri.* Sic omnes mss. at Eras., Gallas et Feuard. *Ostendebat presbyter.* Massuet. ad Iren. Forsitan verba ipsius scripturis sunt, quem laudat Irenæus. Vid. supra.

(24) *Non obtemperabant. Non*, cum omissum a Massueto esset, quia deest in Clarom., Voss., Arundel, nihilominus restitui.

(24) *Discipulorum ejus.* Quid post hæc ad seniores revera pertineat, usque dum veneris ad verba ex initio tricesimi capitis ad num. VI a me descripta, nemo, ut opinor, expiscari poterit.

(26) *Indicto audientiam.* Etsi aiat Grabius: « Vide de hac voce Glossarium Latinum, » nihil de ea exstat in Glossario Latino-Græco, quod Irenæo additum est. Voce autem significatur *dicto inaudientia*, sive *inobedientia*.

neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores, regnum Dei possidebunt [22]. Et quoniam non adeos qui extra sunt hoc dicit, sed ad nos, ne projiciamur extra regnum Dei, tale aliquid operantes, intulit: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri* [23] Et quemadmodum illic condemnabantur, et projiciebantur hi qui male operabantur, et reliquos exterminabant; similiter et hic oculus quoque effoditur scandalizans, et pes, et manus, ne reliquum corpus pariter pereat [24]. Et habemus præceptum: *Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* [25]. Et iterum ait Apostolus: *Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo fieri participes eorum* [26]. Et quemadmodum ibi peccantium damnatio participat et reliquos, quoniam placebant eis, et una cum eis conversabantur; sic et hic, *modicum fermentum totam massam corrumpit* [27]. Et quemadmodum ibi adversus injustos ira descendebat Dei; et hic similiter Apostolus ait: *Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam eorum hominum, qui veritatem in injustitia detinent* [28]. Et quemadmodum ibi in Ægyptios, qui injuste puniebant Israel, vindicta a Deo fiebat; sic et hic, Domino quidem dicente: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, quicunque clamant ad eum die et nocte? Etiam dico vobis, faciet vindictam eorum cito* [29]; et Apostolo, in ea quæ est ad Thessalonicenses epistola, ista prædicante: *Si quidem justum est apud Deum retribuere retributionem his qui tribulant vos, et vobis qui tribulamini, refrigerium nobiscum, in revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum angelis virtutis ejus, et in flamma ignis, dare vindictam in eos qui non noverunt Deum, et in eos qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui etiam pœnas pendent interitus æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus cum venerit magnificari in sanctis suis, et admirabilis esse omnibus qui crediderunt in eum* [30].

VI.

Qui vero exprobrant (27) et imputant, quod profecturus populus jussu Dei vascula omnis generis et vestimenta acceperit ab Ægyptiis, et sic abierit, ex quibus et tabernaculum factum est in eremo; ignorantes justificationes Dei, et dispositiones ejus, semetipsos arguunt, sicut et Presbyter dicebat. (*Hæc Irenæus lib.* IV, *c.* 30, *al.* 49, *p.* 267. *Tum vero statim post illa, quæ priore loco huic* ῥήσει *subjunxi, hæc in capite proxime sequente addit*:) Talia quædam enarrans de antiquis Presbyter, reficiebat nos, et dicebat: *De eisdem delictis, de quibus ipsæ Scripturæ increpabant patriarchas et prophetas, nos non oportere* (28) *exprobrare eis, neque fieri similes Cham* [31], *qui irrisit turpitudinem patris sui, et in maledictionem decidit; sed gratias agere pro illis Deo, quoniam in adventu Domini* (29) *nostri remissa sunt eis peccata; etenim illos dicebat gratias agere, et glorificari in nostra salute* [32]. *De quibus autem Scripturæ non increpant, sed simpliciter sunt positæ, nos non debere fieri accusatores, non enim sumus diligentiores Deo, neque super magistrum possumus esse, sed typum quærere. Nihil enim otiosum est eorum, quæcunque inaccusabilia posita sunt in Scripturis. Quemadmodum et Lot, qui eduxit de Sodomis filias suas, quæ conceperunt de patre suo, et qui reliquit in circumfinio uxorem suam stutuam salis usque in hodiernum diem.* (Deinde in historia Lot mystica ratione interpretanda versatur oratio, quam infra huic ῥήσει subjunxi, usque dum venerit ad initium capitis 32, *al.* 52.) Hujusmodi quoque de quobus testamentis Senior apostolorum discipulus disputabat, *ab uno quidem et eodem Deo utraque ostendens, nec esse alterum Deum præter unum qui fecit et plasmavit nos, nec firmitatem habere sermonem eorum qui dicunt aut per angelos, aut per quamlibet virtutem, aut ab alio Deo factum esse hunc mundum, qui est secundum nos* (30).

1. Dicebat. *Pergit scribere Irenæus*: Si enim non in typica profectione hoc consensisset Deus, hodie in vera nostra perfectione, id est in fide in qua sumus constituti, per quam de numero gentilium exempti sumus, nemo poterat salvari. Omnes enim nos aut modica, aut grandis sequitur possessio, quam ex Mammona iniquitatis acquisivimus. Unde enim domus in quibus habitamus, et vestimenta quibus indulmur, et vasa quibus utimur, et reliqua omnis ad diuturnam vitam nostram ministratio, nisi ex his quæ

[22] I Cor. VI, 9, 10. [23] Ibid. 11. [24] Matth. XVIII, 8. [25] I Cor. V, 11. [26] Ephes. V, 6, 7. [27] I Cor. V. 6. [28] Rom. I, 18. [29] Luc. XVIII, 7, 8. [30] II Thess. I, 5, seqq. [31] Gen. IX, 22, 25. [32] Joan. VIII, 56.

(27) *Qui vero exprobrant*, etc. Marcionitas intelligit, quos fraudem illam Hebræorum in Ægyptios Creatori maxime objecisse, auctor est Tertullianus lib. II *contra Marcionem*. Augustinus quæst. 39 *super Exodum* Hebræos omni suspicione furti liberat: « Quia enim, ait, hoc Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret, hic furtum non fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. » D. Alcimi episcopi Viennensis, viri perantiqui, versus non inelegantes subnectere non erit injucundum:

. . . . *Portantur avari*
Sic Pharaonis opes, quem tunc mercede soluta
Servitii longum credas taxasse laborem.

Gregorius id allegorice explicat lib. XXVIII *Moral.*, cap. 17. Feuardent. ad Iren.

(28) *Oportere. Oportet*, quod exstat in Feuardentii marg. ex cod. Voss. recepit Massuetus. At vero sequitur modus infinitivus.

(29) *In adventu Domini.* Conferenda esse monet Grabius, quæ supra ad § 0, p. 45 occurrebant.

(30) *Secundum nos.* Alia præterea post hæc discipulo apostolorum deberi posse scio; quæ autem nullis certo indicio se prodant, ea relinquenda existimavi.

cum ethnici essemus, de avaritia acquisivimus, vel ab ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis, de injustitia acquirentibus percepimus? Ut non dicamus, quia et nunc in fide exsistentes acquirimus. Quis enim vendit, et non lucrari vult ab eo qui emit? Quis autem emit, et non vult utiliter secum agi ab eo qui vendit? Quis autem negotians non propterea negotiatur, ut inde alatur? Quid autem et hi, qui in regali aula sunt, fideles, nonne ex eis, quæ Cæsaris sunt, habent utensilia, et his qui non habent, unusquique eorum secundum virtutem præstat? Ægyptii populi erant debitores non solum rerum, sed et vitæ suæ, propter patriarchæ Joseph præcedentem benignitatem; nobis autem secundum quid debitores sunt ethnici, a quibus et lucra, et utilitates percipimus? quæcunque illi cum labore comparant, his nos, in fide eum simus, sine labore utimur.

Ad hoc populus pessimam servitutem serviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait: *Et cum vi potestatem exercebant Ægyptii in filios Israel, et in odium eis adducebant vitam in operibus duris, luto et latere, et omnibus operibus quæ faciebant in campis, per omnia opera quibus eos deprimebant cum vi* [33]; et ædificaverunt eis civitates munitas, multum laborantes, et augentes eorum substantias annis multis et per omnem modum servitutis, cum illi non solum ingrati essent adversus eos, verum et universos perdere vellent. Quid igitur injuste gestum est, si ex multis pauca sumpserunt, et qui potuerunt multas substantias habere, si non servissent eis, et divites abire, paucissimam mercedem pro magna servitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum si quis liber, abductus ab aliquo per vim, et serviens ei annis multis, et augens substantiam ejus, post deinde aliquod adminiculum consecutus, putetur quidem modica quædam ejus habere, revera autem ex multis laboribus suis, et ex acquisitione magna, pauca percipiens discedat, et hoc ab aliquo imputetur ei, quasi non recte fecerit; ipse magis injustis judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus. Sic ergo sunt et hujusmodi qui imputant populo parva de multis accipienti sibi; et ipsis non imputant, qui nullam gratiam ex merito parentum debitam reddiderunt, imo et gravissimam servitutem redigentes, maximam ab eis consecuti sunt utilitatem; et illos quidem non signatum aurum et argentum in paucis vasculis, quemadmodum prædiximus, accipientes, injuste fecisse dicunt; semetipsos autem, (dicetur enim quod verum est, licet ridiculum quibusdam esse videatur) ex alienis laboribus insigne aurum, et argentum, et æramentum, cum inscriptione et imagine Cæsaris in zonis suis ferentes, juste [se] facere dicunt.

Si autem comparatio fiat nostra et illorum, qui justius apparebunt accepisse? utrumne populus ab Ægyptiis, qui erant per omnia debitores; an nos a Romanis, et reliquis gentibus, et a quibus nihil tale nobis debeatur? Sed et mundus pacem habet per eos, et nos sine timore in viis ambulamus, et navigamus quocunque voluerimus. Adversus igitur hujusmodi aptus erit sermo Domini: *Hypocrita*, dicens. *exime primo trabem de oculo tuo, et tunc perspicies auferre festucam de oculo fratris tui.* [34]. Etenim si is qui tibi hæc imputat, et gloriatur in sua scientia, separatus est a gentilium cœtu et nihil est alienorum apud eum, sed est simpliciter nudus, et nudis pedibus, et sine domo in montibus conversatur, quemadmodum aliquod ex his animalibus, quæ verbis vescuntur; veniam merebitur, ideo quod ignoret necessitates nostræ conversationis. Si autem ab hominibus quæ dicuntur aliena esse, participatur, et arguit typum eorum; semetipsum injustissimum ostendit, retorquens in se ejusmodi accusationem. Invenietur enim alia circumferens, et ea quæ ejus non sunt, concupiscens, et propter hoc dixisse Dominum: *Nolite judicare, ne judicemini: in quo enim judicio judicabitis, judicabitur de vobis* [35]. Non utique ut peccantes non corripiamus, nec ut his quæ male fiunt consentiamus; sed ut Dei dispositiones non judicemus injuste, cum ille omnia juste profutura providerit. Quoniam enim sciebat nos de nostra substantia, quam ab alio accipientes haberemus, bene acturos: *Qui enim habet*, inquit, *duas tunicas, det ei qui non habet: et qui habet escam, similiter faciat* [36]. Et: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; et nudus fui, et vestistis me* [37]. Et: *Cum facis misericordiam, non sciat sinistra tua quid faciat dextra tua* [38]; et reliqua quæcunque benefacientes justificiamur, velut de alienis nostra redimentes: de alienis autem ita dico, non quasi mundus alienus sit a Deo, sed quoniam hujusmodi dationes ab aliis accipientes habemus, similiter, velut illi ab Ægyptiis qui non sciebant Deum; et per hæc ipsa erigimus nobismetipsis tabernaculum Dei: cum bene enim facientibus habitat Deus, quemadmodum Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in æterna tabernacula* [39]. Quæcunque enim, cum essemus ethnici, de injustitia acquisivimus, hæc cum crediderimus, in Dominicas utilitates conversantes, justificamur.

Necessarie igitur hæc in typo præmeditabantur, et tabernaculum Dei ex his fabricatur: illis quidem juste accipientibus, quemadmodum ostendimus; nobis autem præostensis, qui inciperemus per aliena Deo deservire. Universa enim quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiæ, quæ erat futura ex gentilibus; propter hoc et in fine educens eam hinc in suam hære-

[33] Exod. I, 13, 14. [34] Matth. VII, 5. [35] Ibid., 1, 2. [36] Luc. III, 11. [37] Matth. XXV, 35, 36. [38] Matth. VI, 3. [39] Luc. XVI, 9.

ditatem,quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in hæreditatem dabit.Si quis autem diligentius intendat his,quæ a prophetis dicuntur de fine,et quæcunque Joannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi, inveniet easdem plagas universaliter accipere gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus. Talia quædam enarrans de antiquis presbyter, etc., etc., *ut supra*.

2. Usque in hodiernum diem. *Verba quæ sequuntur, hæc sunt :* Etenim Lot non ex sua voluntate, neque ex sua concupiscentia carnali, neque sensum, neque cogitationem hujusmodi accipiens, consummavit typum. Quemadmodum Scriptura dicit : *Et intravit major nata, et dormivit cum patre suo nocte illa : et non scivit Lot cum dormiret illa, et cum surgeret* [40]. Et in minore hoc idem : *Et non scivit*, inquit, *cum dormisset secum, nec cum surrexisset.*

Μὴ εἰδότος τοῦ Λὼτ, μηδὲ ἡδονῇ δουλεύσαντος, οἰκονομία ἐπετελεῖτο, δι' ἧς αἱ δύο... συναγωγαὶ ἀπὸ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πατρὸς τεκνοποιησάμεναι ἐμηνύοντο ἄνευ σαρκὸς ἡδονῆς· οὐ γὰρ ἦν ἄλλος οὐδεὶς σπέρμα ζωτικὸν καὶ τέκνων ἐπικαρπίαν δυνάμενος δοῦναι αὐταῖς, καθὼς γέγράπται. (*Græca hæc e Ca-*

Nesciente igitur homine,neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur. per quam duæ filiæ, id est duæ synagogæ, ab uno et eodem patre in sobolem adoptatæ significabantur sine carnis libidine. Nec enim alter erat aliquis, qui semen vitale et filiorum fructum posset dare eis, quemadmodum scriptum est :

Dixit autem major ad minorem : Pater noster senior est, et nemo est super terram [41], etc.

Illæ quidem filiæ secundum simplicitatem et innocentiam putantes universos homines periisse, quemadmodum Sodomitas, et in universam terram iracundiam Dei supervenisse, dicebant hæc. Quapropter et ipsæ excusabiles sunt,arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, et propter hoc circumveniebant patrem. Per verba autem earum significabatur, neminem esse alterum qui possit filiorum generationem majori et minori Synagogæ præstare,quam patrem nostrum. Pater autem generis humani Verbum Dei (31) ; quemadmodum Moyses ostendit dicens : *Nonne hic ipse Pater tuus qui possedit te,et fecit te, et creavit te* [42] ? Quando igitur hic vitale semen,id est,Spiritum remissionis peccatorum per quem vivificamur, effudit in humanum genus ? Nonne tunc, cum convescebatur cum hominibus, et bibebat vinum in terra ? *Venit* enim, inquit, *Filius hominis manducans et bibens* [43] : et cum recubuisset, obdormivit et somnum cepit. Quemadmodum ipse in David dicit : *Ego dormivi et somnum cepi* [44].Et quoniam in nostra communicatione et vita hoc agebat, iterum ait : *Et somnus meus suavis mihi factus est* [45]. Totum autem significabatur per Lot,quoniam semen Patris omnium,id est Spiritus Dei, *per quem facta sunt omnia*, commistus et unitus est carni,hoc est,plasmasti suo ; per quam commistionem et unitatem duæ Synagogæ, id est duæ congregationes fructificantes ex Patre suo filios vivos vivo Deo.

Et cum hæc fierent, uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis semper manens, et per naturalia ea quæ sunt consuetudinis hominis, ostendens quoniam et Ecclesia, quæ est sal terræ, subrelicta est in confinio terræ, patiens quæ sunt humana : et dum sæpe auferuntur ab ea membra integra, perseverat statua salis,quod est firmamentum fidei, firmans et præmittens filios ad patrem ipsorum.Hujusmodi quoque de duobus Testamentis Senior apostolorum discipulus, etc., *ut supra*.

VII.

Ποῦ οὖν ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ; ἐν τῷ παραδείσῳ δηλονότι, καθὼς γεγραπται (32), *Et plantavit Deus paradisum in Edem contra orientem, et posuit ibi hominem quem plasmavit.* Καὶ ἐκεῖθεν ἐξεβλήθη εἰς τόνδε τὸν κόσμον παρακούσας (33). Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι τῶν ἀποστόλων μαθηταὶ, τοὺς μετατεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι (34). δικαίοις γὰρ

Ubi ergo primus positus est homo ? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit : *Et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem, et posuit ibi hominem quem plasmavit* [46].Et inde projectus est in hunc mundum, non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt apostolorum discipuli,eos qui translati sunt,illuc translatos esse ;

[40] Gen. XIX, 33, 35. [41] Ibid. 31, 32. [42] Deut XXXII, 6. [43] Matth. XI, 19. [44] Psal. III, 6. [45] Jer. XXXI, 26. [46] Gen. II, 8.

(31) *Pater autem generis humani Verbum Dei.* Tuetur, ni fallor, locus emendationem verborum Victorini Petavionensis a cl. Walkero Cantabrigiensi olim propositam. Cum enim in fragmento opusculi ejus *De fabrica mundi* a Cavio in *Hist. Lit.* primum edito hæc verba corruptissima exstitissent, *auctoritatem totius creaturæ justus* ita ea egregie emendavit Walkerus, *auctor autem totius creaturæ Jesus.*

(32) Γέγραπται. Verba Genes. II, 3. Damascenus,qui in *Parallelis* hæc Græca Irenæi bis citavit, quæ in cod. quoque 26 Barocc. in *Biblioth. Bodl.* exstant, haud descripsit. Grabius ad Irenæum.

(33) Παρακούσας. Θεοῦ additum in Damascen. prima citatione et Barocc. Grab. ibid.

(34) Ἐκεῖσε μετατεθῆναι. Disputationem de loco in quem Deus transtulerit, et huc usque viventes conservarit Enochum et Heliam,Ausgustinus indicavit ad fidem non pertinere, lib. II *De peccato originali* c. 23. At cum hic Irenæus doceat apostolorum discipulos et auditores dixisse,illos in paradisum terrestrem,ubicunque ille sit,translatos fuisse, indeque, qui adversus Antichristum prælientur venturos (Apoc. cap. XI), cui sententiæ omnes fere Græci et Latini Patres astipulantur, mihi parum tutum videtur aliter nunc sentire. Feuardent. ad eumd.

justis enim hominibus,et Spiritum habentibus præparatus est paradisus,in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles,quantum ad nos in præsenti :et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem,coauspiscantes incorruptelam.

A ἀνθρώποις καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἀῤῥήτα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι· καὶ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀσέαρσίαν. *Hæc Irenæus lib.* v, *cap.* 5, *p.* 298.

VIII.

.... et (quemadmodum dixit quidam de senioribus) per extensionem manuum, duos populos ad unum Deum congregans.Duæ quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terræ : unum autem medium caput,quoniam et unus Deus super omnes, et per omnes, et in omnibus nobis.

. . . . καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προβεβηκότων, διὰ τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν (35), τοὺς δύο λαοὺς εἰς ἕνα Θεὸν συνάγων (scil. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ). Λύο μὲν γὰρ αἱ χεῖρες, ὅτι καὶ δύο λαοὶ διεσπαρμένοι εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· μία δὲ μέση κεφαλή, ὁ Θεὸς, ὅτι εἷς ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν. *Hæc Irenæus attulit lib.* v, *c.* 17, *p.* 314.

IX.

Filius enim,quemadmodum et quidam ante nos (36) dixit, dupliciter intelligitur ; alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius ; alius autem secundum id quod factus est, reputatur filius. *Hæc Irenæus affert lib.* iv, *cap. ult.*

X.

Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit (38), Ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum. *Hæc Irenæus attulit lib.* iv *ejusd. Op. cap.* 4, *vel* 8.

Ἅπαντα μέτρῳ (37) καὶ τάξει ὁ Θεὸς ποιεῖ, καὶ οὐδὲν ἄμετρον παρ' αὐτῷ. ὅτι μηδὲν ἀναρίθμητον.

XI.

Quapropter et juste, et apte tali temeritati tuæ divinæ aspirationis senior, et præco veritatis,invectus est in te, dicens sic :

Idolorum fabricator Marce,et portentorum inspector,
Astrologiæ cognitor et magicæ artis,
Per quæ confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his, qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,

Διὸ καὶ δικαίως, καὶ ἁρμοζόντως τῇ τοιαύτῃ σου τολμῇ ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κῆρυξ τῆς ἀληθείας ἐμμέτρως ἐπιβεβόηκέ σοι, εἰπὼν οὕτως·

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
'Αστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
'Αποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,

(35) Τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν. An genuinum sit illud θείας, quod abesse video a vetere Irenæi interprete, fortasse dubitandum. Cæterum Græca hæc Irenæi exstare in *Catena ms.in libros Regum*, num.211 bibl. Coislin., nos docuit Massuetus ; porro exscripsit eadem ex *Catena ms. in libros Regum* bibliothecæ Venetæ S. Marci cl. Mingarellius ad Didymi opus *De Trinitate* haud ita pridem editum,lib. II, c. 14, pag. 266. Quem fugerat, hæc quidem ad Irenæi librum *Contra hæreses* pertinere, is enim collocanda ea inter fragmenta operum ejusdem Patris, atque alii cuidam fragmento jam edito subjungenda monuit,tanquam si inedita D hucusque fuissent. — 'Εκτάσεως τῶν χειρῶν.. Elegans et pia admodum est hæc mystica figura Dominicæ crucis explicatio,quam a seniore,Polycarpum puto vel Papiam, accepit. Qui pluribus animum oblectare concupierit, et similibus, consulat Justini martyris *Apologiam* posteriorem, Lactanti lib. IV, cap.26 et 27 ; Rufinum in *Expos. Symboli*, Ambrosium serm. 55, Athanasium lib. *De Incarnatione Verbi*, Nazianzenum prima orat. *Apolog.*, Chrysostomum tribus Homil. *De Cruce*, Sedulium lib. V *Carminum*, Damascenum lib. IV, cap. 12, etc. FEUARDENT.

(36) *Quidam ante nos.* Confer Pearsonii *Vindicias Epistolarum Ignatii* part. I, cap. 6, pag. 297 editionis Clerici, ubi et Clementis Alexandrini gemina allegat verba. Grabius ad Iren.

(37) 'Απαντα μέτρῳ. Hanc Irenæi sententiam Græce ex Claromontano *Parallelorum* Damasceni codice edidit Halloixius in *Vita Irenæi* pag. 483, quæ et in Vaticano eorumdem *Parallelorum* exemplari lit. A, cap. 2, eodem modo legitur. Irenæum vero alludere ad Sapientiæ XI, 21, quilibet videt. Massuet. ad Irenæum, ex Grabio.

(38) *Et bene qui dixit.* De hoc dicto lege omnino D. Georgii Bulli *Defensionem fidei Nicænæ*, sect. II, c. 5, § 4 ; Grab. *ibid.* — Respondens vanis Gnosticorum cavillationibus, qui ex eversa Hierosolyma, civitate regis magni, et abrogata veteri lege inferebant alium esse Veteris, alium Novi Testamenti auctorem et Deum, ostendit et Hierosolymæ et veteri legi suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse ; utramque advenienie nova lege desinere debuisse ; idque sapientissimo et ordinatissimo Dei consilio factum fuisse. *Omnia enim*, inquit, *mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum.* Quod postremum, scilicet, nihil non mensum apud Deum esse, ut probet,laudat veterem aliquem aut coævum scriptorem ecclesiasticum cujus nomen tacet, sed verba probat. *Et bene*, ait, *qui dixit, ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum.* Quibus ostendit,Deum adeo ordinis, proportionis, et mensuræ amantem esse ut neque suam ipse sibi mensuram deesse voluerit. Filius enim est mensura Patris, qui totam Patris immensitatem, infinitatem et substantiam in se capit, continet ac veluti circumscribit. Massuet. *ibid.*, *Dissert.* p. CXXXI.

Ἄ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ (39) Σατᾶν ἀεί (40) Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως (41) Ἀζαζὴλ (42) ποιεῖν· Ἔχων σε πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας (43).

A *Quæ tibi præstat tuus pater Satanas Per angelicam virtutem Azazel facere, Habens te præcursorem contrariæ adversus Deum nequitiæ.*

Καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεόφιλος πρεσβύτης· ἡμεῖς δὲ, etc.

Hæc Irenæus lib. I, *cap.* 15, *al.* 12, *p.* 80, *ed. Massueti.*

Et hæc quidem amator Dei senior. Nos autem, etc.

(39) Ἄ σοι χορηγεῖ σὸς πατήρ. Locum restituit Billius ex vet. interp. pro ἃ σὺ Χορηγεῖς ὡς. In textum recipi, sicut Pearsonius fecerat in *Vindictis Ignatianis*, p. I, c. 6.

(40) Σατᾶν ἀεί. Hoc pro Σατανᾶ εἰ post Scaligerum reposuit Petavius in margine Epiphanii p. 246, metro ita exigente ; quamvis vetus interpres ἀεί haud legerit. GRABIUS.

(41) Δυνάμεως. Post hanc vocem irrepserat ἐγχειρήματα veteri interpreti ignotum, quod dolendum monuerunt Grabius et Massuetus, sed quod ante fecerat Pearsonius.

(42) Ἀζαζήλ. Angelus malus est, cujus mentio fit, ait Grabius, in paraphrasi Chaldaica Jonathani vulgo ascripta ad Genes. VI, 5. In libro Enochi decimus ordine inter 20 lapsos memoratur. De hoc plura somniarunt Rabbini. Legesis Agrippam, lib. II, *De occult. philos.* ; Reuchlinum lib. III *De arte cabalistica*, et Moynii *Notas ad Barnabæ epistolam* pag. 648, et seqq. Massuet. ex Grabio et Feuardentio.

(43) Ἀντιθέου πανουργίας. Pearsonius *Vindic. Ignat.* ubi supra, pag. 98 : « Divinus ille senex Marcum describere voluit, tanquam Antichristi præcursorem, quod hic significat ἀντίθεος πανουργία. »

ECCLESIARUM VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS

EPISTOLA

DE MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI

ET ALIORUM PLURIMORUM.

PRÆMITTITUR

Fragmentum epistolæ eorumdem sanctorum martyrum ad S. Eleutherum Romanum pontificem.

(ROUTH, *Reliquiæ sacræ*, Oxonii, 1814, in-8°, tom. I, p. 260 ; GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, I. 691.)

PROŒMIA

(GALLAND. *ibid.*, tom. I, *Proleg.* p. CXXV.)

I. *Præstantia et amplitudo Epistolæ de martyribus ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis.*
II. *Horum martyrum Acta ab iis qui aderant, litteris consignata. Quisnam illa perscripsisse existimetur.*
III. *Quo tempore ferantur hi martyres passi.*
IV. *Nominum eorum recensio.*
V. *Memoria. Locus.*
VI. *Editio ex Valesiano Eusebio descripta. Præmittitur fragmentum epistolæ martyrum Lugdunensium ad S. Eleutherum Romanum pontificem.*

I. « Epistola Viennensium ac Lugdunensium martyrum, inquit Valesius vir summus (1), pulcherrimum est atque vetustissimum totius Ecclesiæ in hoc genere monumentum. De cujus laudibus cum multa jam dicta sint a multis, nemo tamen pro illius dignitate hactenus est locutus. Adeo ejus epistolæ meritum ac pondus, omnem dicendi vim superat. Atque id fatebuntur, quicunque eam sæpius B legerint. Quo plus enim legitur, eo semper videtur esse præstantior. Hoc vero tam insigne Ecclesiæ Gallicanæ monumentum, uni Eusebio acceptum ferre debemus ; qui nisi historiarum suarum libris illud intexuisset, tanto antiquitatis ecclesiasticæ thesauro nunc fortasse careremus. » Hæc ille.

(1) Vales. in Epist. auncup. Euseb. *Hist.*

justis enim hominibus,et Spiritum habentibus præparatus est paradisus,in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles,quantum ad nos in præsenti :et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem,coauspiscantes incorruptelam.

A ἀνθρώποις καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἀῤῥήτα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι· καὶ ἐκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀσέαρσίαν. *Hæc Irenæus lib.* v, *cap.* 5, *p.* 298.

VIII.

.... et (quemadmodum dixit quidam de seniori-bus) per extensionem manuum, duos populos ad unum Deum congregans.Duæ quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terræ : unum autem medium caput,quoniam et unus Deus super omnes, et per omnes, et in omnibus nobis.

. . . . καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προβεβηκότων, διὰ τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν (35), τοὺς δύο λαοὺς εἰς ἕνα Θεὸν συνάγων (scil. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ). Λύο μὲν γὰρ αἱ χεῖρες, ὅτι καὶ δύο λαοὶ διεσπαρμένοι εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· μία δὲ μέση κεφαλή, ὁ Θεὸς, ὅτι εἷς ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν. *Hæc Irenæus attulit lib.* v, *c.* 17, *p.* 314.

IX.

Filius enim,quemadmodum et quidam ante nos (36) dixit, dupliciter intelligitur ; alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius ; alius autem secundum id quod factus est, reputatur filius. *Hæc Irenæus affert lib.* iv, *cap. ult.*

X.

Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit (38), Ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum. *Hæc Irenæus attulit lib.* iv *ejusd. Op. cap.* 4, *vel* 8.

Ἅπαντα μέτρῳ (37) καὶ τάξει ὁ Θεὸς ποιεῖ, καὶ οὐδὲν ἄμετρον παρ' αὐτῷ. ὅτι μηδὲν ἀναρίθμητον.

XI.

Quapropter et juste, et apte tali temeritati tuæ divinæ aspirationis senior, et præco veritatis,invectus est in te, dicens sic :

Idolorum fabricator Marce,et portentorum inspector,
Astrologiæ cognitor et magicæ artis,
Per quæ confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his, qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,

Διὸ καὶ δικαίως, καὶ ἁρμοζόντως τῇ τοιαύτῃ σου τολμῇ ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κῆρυξ τῆς ἀληθείας ἐμμέτρως ἐπιβεβόηκέ σοι, εἰπὼν οὕτως·

C Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,

(35) Τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν. An genuinum sit illud θείας, quod abesse video a vetere Irenæi interprete, fortasse dubitandum. Cæterum Græca hæc Irenæi exstare in *Catena ms.in libros Regum*, num.211 bibl. Coislin., nos docuit Massuetus ; porro exscripsit eadem ex *Catena ms. in libros Regum* bibliothecæ Venetæ S. Marci cl. Mingarellius ad Didymi opus *De Trinitate* haud ita pridem editum,lib. II, c. 14, pag. 266. Quem fugerat, hæc quidem ad Irenæi librum *Contra hæreses* pertinere, is enim collocanda ea inter fragmenta operum ejusdem Patris, atque alii cuidam fragmento jam edito subjungenda monuit,tanquam si inedita D hucusque fuissent. — Ἐκτάσεως τῶν χειρῶν.. Elegans et pia admodum est hæc mystica figura Dominicæ crucis explicatio,quam a seniore,Polycarpum puto vel Papiam, accepit. Qui pluribus animum oblectare concupierit, et similibus, consulat Justini martyris *Apologiam* posteriorem, Lactanti lib. IV, cap.26 et 27 ; Rufinum in *Expos. Symboli*, Ambrosium serm. 55, Athanasium lib. *De Incarnatione Verbi*, Nazianzenum prima orat. *Apolog.*, Chrysostomum tribus Homil. *De Cruce*, Sedulium lib. V *Carminum*, Damascenum lib. IV, cap. 12, etc. FEUARDENT.

(36) *Quidam ante nos.* Confer Pearsonii *Vindicias Epistolarum Ignatii* part. I, cap. 6, pag. 297 editionis Clerici, ubi et Clementis Alexandrini gemina allegat verba. Grabius ad Iren.

(37) Ἅπαντα μέτρῳ. Hanc Irenæi sententiam Græce ex Claromontano *Parallelorum* Damasceni codice edidit Halloixius in *Vita Irenæi* pag. 483, quæ et in Vaticano eorumdem *Parallelorum* exemplari lit. A, cap. 2, eodem modo legitur. Irenæum vero alludere ad Sapientiæ XI, 21, quilibet videt. Mussuet. ad Irenæum, ex Grabio.

(38) *Et bene qui dixit.* De hoc dicto lege omnino D. Georgii Bulli *Defensionem fidei Nicænæ*, sect. II, c. 5, § 4 ; Grab. *ibid.* — Respondens vanis Gnosticorum cavillationibus, qui ex eversa Hierosolyma, civitate regis magni, et abrogata veteri lege inferebant alium esse Veteris, alium Novi Testamenti auctorem et Deum, ostendit et Hierosolymæ et veteri legi suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse ; utramque adveniente nova lege desinere debuisse ; idque sapientissimo et ordinatissimo Dei consilio factum fuisse. *Omnia enim*, inquit, *mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum.* Quod postremum, scilicet, nihil non mensum apud Deum esse, ut probet,laudat veterem aliquem aut coævum scriptorem ecclesiasticum cujus nomen tacet, sed verba probat. *Et bene*, ait, *qui dixit, ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum.* Quibus ostendit,Deum adeo ordinis, proportionis, et mensuræ amantem esse ut neque suam ipse sibi mensuram deesse voluerit. Filius enim est mensura Patris, qui totam Patris immensitatem, infinitatem et substantiam in se capit, continet ac veluti circumscribit. Massuet. *ibid.*, *Dissert.* p. CXXXI.

II. Jam vero quæ ad hanc epistolam spectant reliqua, ea potissimum ex Ruinartio repetere juverit. Sic igitur vir iste doctus (2) : « Cum Acta martyrum Lugdunensium ab iis ipsis conscripta sint qui rebus gestis præsentes adfuerunt, his nihil certius aut luculentius haberi potest. Tam pretiosum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum nobis servavit Eusebius, qui ut aliquod specimen gravissimæ persecutionis qua sub M. Aurelio imperatore agitata est Ecclesia, posteris relinqueret, Epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis in qua hæc Acta continentur, *Historiæ* suæ *ecclesiasticæ* inseruit (3), asserens in suæ narrationis prœmio, *innumerabiles prope martyres* tunc *per universum orbem eniluisse*, cum non minus in aliis provinciis quam in Gallia persecutio fureret. »

Porro de hujus Epistolæ auctore silet Ruinartius, quem tamen alii fuisse Irenæum eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ presbyterum, haud immerito existimant. Quod quidem primus omnium suspicatus est Valesius (4), quem deinceps secuti sunt Tillemontius (5), Dodwellus (6) ac Massuetus (7), ut alios prætereamus. OEcumenius enimvero nonnulla refert de martyribus Lugdunensibus, ex iis desumpta, ut ipsemet testatur (8), quæ scripsit Irenæus Περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης τῶν μαρτύρων, *De sancto et Blandina martyribus*. Haud αὐτολεξεὶ quidem ea recitat OEcumenius, compendio usus : ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθέσθαι· quæ tamen in medium profert ipse, non aliunde quam ex nostra Epistola exscripsisse videtur.

III. Pergit porro V. C. ad tempus inquirendum, quo hi martyres feruntur passi ; qua de re alibi quoque agit, Dodwellum perstringens (9). « Id vero, ait, anno 17. M. Aurelii imperatoris contigisse tradit Eusebius disertis verbis in prœmio jam laudato, ubi eodem anno Eleutherum Romanum pontificem in Soteris mortui locum electum fuisse affirmat. Is est annus Christi 177, quem idem Eusebius in *Chronico* cum M. Aurelii anno 16 conjungit. Hunc numerandi modum amplexus est *Chronici Alexandrini* auctor, qui ad eumdem 16 Marci annum, Pothini cæterorumque martyrium Lugdunensium passionem refert. Aliam tamen viam iniit Henricus Dodwellus (10); hanc enim persecutionem ad 7. M. Aurelii annum, Christi 167 refert ; ne, si eam cum aliis veteribus et recentioribus scriptoribus ad annum ejus imperatoris 16, aut 17 prorogaret, fateri cogeretur persecutionem quæ sub M. Aurelii principatu sæviit, vel diuturniorem, vel saltem post aliquod tempus renovatam fuisse; cum inficiari non audiret, persecutionem sub ejus imperatoris initiis, in orientalibus saltem provinciis fuisse commotam.

« Nec objiciendum est, quod Eusebius in *Chronico* martyrum Gallicanorum necem ad M. Aurelii annum 7 videatur referre. Certum est enim, Eusebium in *Chronico* sæpius temporum seriem accurate non observasse, præsertim cum de martyribus egit, quos potius ad aliquam a persecutionibus quas decem enumerat, quam ad annum quo passi fuerunt referre curavit. Unde sub tertiæ persecutionis titulo, Symeonem Cleopæ filium simul cum sancto Ignatio et iis qui a Plinio Secundo interfecti sunt, conjungit. Cæterum favet nobis Eusebius etiam in *Chronico*, qui Eleutheri papæ initium ad annum 177 refert, sub cujus pontificatus initio martyres Lugdunenses passos fuisse certum est, non ex Eusebii solum verbis, sed ex ipsorummet martyrum Lugdunensium epistola, quam per sanctum Irenæum ad eum pontificem direxerunt. *Te per omnia*, inquiunt, *ac perpetuo optamus in Deo valere, pater Eleuthere.* »

IV. Ad hæc numerum inquirit et nomina eorum martyrum vir eruditus, sic inquiens : « Horum omnium martyrum nomina in eadem Epistola recensita erant. Sed excidit pretiosum illud antiquitatis monumentum, præter unum breve fragmentum quod refert Eusebius (11) ; cui hæc ille subjungit : *Quid opus est expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt* ? Hos martyres in totidem classes distribuunt Gregorius Turonensis (12), Ado et Notkerus (13) ; quos quadraginta et octo fuisse aiunt, eorumque nomina recensent, quæ ex istis auctoribus huc proferre visum est, usque dum antiquiora inveniantur monumenta.

« Hoc itaque ordine a Gregorio Turonensi referuntur (14) : *Vettius Epagathus*, *Zacharias*, hunc presbyterum fuisse cæteri referunt ; *Macarius*, *Alcibiades* : istum alio nomine, *Asclepiadem* vocari observat Notkerus ; et re ipsa sic nominatur in Martyrologio quod sancto Hieronymo tribuitur ; *Silvius*, *Primus*, *Ulpius* (15), *Vitalis*, *Comminius*, *October*, *Philominus*, *Geminus*, *Julia*, *Albina*, *Grata*, *Rogata* : hanc Gregorius Turonensis cum *Martyrologio* Hieronymiano omisit ; *Æmilia*, *Posthumiana* : sic Gregorius, alii *Potamiam* appellant ; *Pompeia*, *Rodone* seu *Rhodana*, *Biblis*, *Quarta*, *Materna*, *Elpenipsa*, *Stamas* : sic Gregorius ; Ado autem et

(2) Ruinart. *Admonit. in Act. SS. martyr. Lugd.*, p. 50.
(3) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, capp. 1-3.
(4) Vales. ad Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 1, not. 2.
(5) Tillem. *Mem. eccl.* tom. III, p. 2.
(6) Dodw. *Dissert. sing.*, cap. 10, § 2, p. 154, addit. *Opp. post.* Pears.
(7) Massuet. dissert. II, Iren. §§ 11, 60.
(8) OEcum. *Comment in I Petr. epist.*, cap. 3, tom. II, p. 498.
(9) Ruinart. Præfat. in *Act. martyr.*, § 38, p. 37.
(10) Dodw. dissert. 11, Cypr. § 36, p. 259, et *Dissert. singul. de Rom. pontif. success.*, cap. 14, § 3, p. 180.
(11) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, cap. 4. Habes illud infra, p. 693.
(12) Greg. Tur. *De glor. martyr.*, lib. I, cap. 49.
(13) Ado et Notk. in *Martyrol.* ad d. 2. Jun.
(14) Vid. Baron. ad ann. 179, § 35.
(15 Al. *Alpius*. Ruinart. ad Gregor. Turon., p. 779.

Notkerus, *Helpes quæ et Amnas. Hi quidem diversissimis mortibus interempti sunt. Hi autem bestiis traditi sunt : Sanctus, Maturus, Attalus*, a Gregorio omissus; *Alexander, Ponticus, Blandina. Hi sunt qui in carcere spiritum reddiderunt ; Aresc.ius* ; Ado et Notkerus, *Aristærus* : *Fotinus, Cornelius, Zotinus, Titus, Zoticus, Julius, Apollonius, Geminianus, Julia, Ausonia*, quatuor postremos non habet Gregorius ; *Æmilia, Gamnite*, sic Gregorius ; alii *Jamnica* ; *Pompeia, Alumna, Mamilia*, hæ duæ desunt in Adone et Notkero ; sed habent *Domnam*, quæ in Gregorio desideratur ; *Justa,Trifime*, Ado et Notkerus, *Trophima; Antonia et beatus Fotinus* (16) *episcopus*. In fragmento Vitæ sancti Barnardi (17) archiepiscopi Viennensis, *Severinus, Exsuperius* et *Felicianus* ex horum martyrum numero laudantur.

V. « Eorumdem martyrum,sed absque nominum recensione, meminerunt etiam alia Martyrologia ; Bedæ sincerum, Usuardi, Rabani cum duplici Romano, Florentinii scilicet et Baronii ad eumdem diem 2 Junii ; quamvis diversis diebus, idque potissimum circa finem Julii et initium Augusti, ut ex Actis patet, passi sint. De his martyribus homliam habuit Eucherius Lugdunensis ,quæ *De sancta Blandina* inscribitur ; exstatque inter eas quæ sub Eusebii Gallicani nomine vulgatæ sunt (18). Hos *populum martyrum* ibi appellat Eucherius : unde plures fuisse conjicimus, quam a Gregorio enumerantur. Certe in *Actis sanctorum* Alexandri et Epipodii legimus (19), *plurimos* quidem ex his martyribus *distinctis passionibus atque nominibus ad succedentium memorias pervenisse : innumeros vero, qui vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos in cælestis vitæ libro tan tum contineri.*

« Celebris est etiam nunc locus, *Athanacum* (20) appellatum,ubi passi dicuntur ii martyres ; a quo, ut ait Gregorius Turonensis l. c, vocantur a nonnullis *Martyres Athanacenses.* » Hucusque vir doctus.

VI. Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis Epistolam, prout eam refert Eusebius (21), proferimus ; iis omissis quæ historiographus Cæsariensis intexuit. ubi unum alterumve ejusdem Epistolæ locum præteriit,ne vetustissimi simulque pretiosissimi hujus monumenti scriptoris verba abrumperentur alienis. Valesii versionem addidimus cum eruditis ejus observationibus, quibus et nonnulla subjecimus aliunde petita.

Eidem porro Epistolæ præmittendum censuimus ex ipso Eusebio (22) fragmentum Epistolæ sanctorum martyrum Lugdunensium ad sanctum Eleutherum Romanum pontificem. « Has quidem litteras, verbis utor Massueti viri doctissimi (23), a martyribus ipsis scriptas fuisset negat Blondellus (24), sed potius a clero Lugdunensi, quia, inquit, anno 7 imperii Marci, Christi 167, quo martyrium Pothini ac Lugdunensium contigit, Soter Romanam Ecclesiam regebat, non Eleutherus. Sed ut id assequatur,prius Eusebii fidem elevet necesse est, qui eas litteras a martyribus adhuc in carcere positis scriptas, eosque sub Eleuthero, anno 17 Marci Aurelii,passos esse affirmat.Hinc ergo potius concludere debebat Blondellus, eos saltem anno 170 quo pontificatum iniisse vult Eleutherum, (tardius ego iniisse putem) martyrium subiisse, quam id vanis conjecturis nixus ad annum 167 referre. Certe post annum 167, imo et 170 eratam fuisse illam epistolam, demonstrat scribendi occasio. » Hucusque cum V.C. quem tamen in eamdem sententiam præcesserat Pearsonius (25), Salmasium simul ipsumque Blondellum perstringens. Ea de re præterea doctum quoque Coutantium adire juverit (26).

FRAGMENTUM

EPISTOLÆ SS. MARTYRUM LUGDUNENSIUM

AD ELEUTHERUM RONANUM PONTIFICEM.

(Ap. Euseb. *Hist. eccles.*, lib. v, cap. 4.)

Χαίρειν ἐν Θεῷ (27) σε ἐν πᾶσιν εὐχόμεθα καὶ

Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo va-

(16) Al. *Pholinus*, melius ex Græco scriberetur *Pothinus*. Ruinart., ibiid.

(17) Sic. Extat in sæc. IV *Benedict.* part. II, p. 573.

(18) *Bibl. PP. Colon.*, tom. V, part. I.

(19) Ruinart. *Act. sinc. Mm. Alex. et Epipod.*, § 2, p. m. 63.

(20) Cod. Colb. a. *Athenaco*, et infra *Athenacenses :* quæ lectio nominis etymologiæ magis congrua videtur. Sic enim dictus est locus ille ab Athenis, quod ibi ara esset celebris apud veteres, ob certamina facundiæ Græcæ et Latinæ a Caio Caligula instituta. Celebrior postmodum fuit ob sanctos martyres : ibique basilica nobilis excitata est cum monasterio insigni Ordinis Benedictini, quod nostris diebus ad canonicos sæculares transiit. Ruinart. ad Greg. Turon. l. c.

(21) Euseb. *Hist. Eccl.* lib, v, capp. 1-3.

(22) Id. *ibid.*, cap. 4.

(23) Massuet. *Disseat.* 2 *in Iren.*, § 6. p. m. 67.

(24) Blondell. *Apolog. pro sent. Hivron.*, cap. 8.

(25) Pears. *Vindict. Igoat.* part. II, cap. 13. p. m. 417.

(26) Coutant. *Epist. Romam. pentif.*, p. 87.

(27) Χαίρειν ἐν Θεῷ. Post excerptam celeberrimam fratrum Ecclesiæ Vienn. et Lugdunensis Epi-

tere, pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferA stolam, a quibus martyrum hæ litteræ alii cuidam ipsorum fratrum epistolæ subjunctæ fuisse videntur, Eusebius cap. 3 et 4, lib. v, hæc verba unico fragmento litterarum martyrum præmisit : Τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων, (πλεῖσται γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους Ἐκκλησίας ἐκτελούμενει, πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον), καὶ δὴ ῥιαφωνίας ὑπαρχούσης περὶ τῶν δεδηλωμένων, αὖθις οἱ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοί, τὴν ἰδίαν κρίσιν καὶ περὶ τούτων, εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξοτάτην ὑποτάττουσιν· ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολὰς, ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντει, τοῖς ἐπ' Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ, B τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες, Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας, τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων, πλεῖστα τῷ ἀνδρὶ μαρτυροῦντες, ὡς αἱ τοῦτον ἔχουσαι τὸν τρόπον δηλοῦσι φωναί· Χαίρειν ἐν Θεῷ, etc. *Cælerum cum Montanus et Alcibiades ac Theodotus, tunc primum in Phrygia opinione hominum tanquam prophetæ celebrari cœpissent (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus Ecclesiis etiam tum fieri solita, fidem plurimis faciebant eos quoque prophetare), cumque illorum hominum causa dissensio orta esset, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium suum, religiosum imprimis et cum recta fide consentiens, rursus eidem epistolæ subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se martyrum variis edictis, quas illi dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Asia et Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant, pro pace Ecclesiarum quasi legatione fungentes. Sed et iidem martyres Irenæum qui tunc temporis adhuc presbyter Lugdunensis erat Ecclesiæ, supradicta Eleuthero per litteras commendarunt, eum testimonio suo non mediocriter ornantes, sicut ipsorum verba declarant quæ sic se habent* : « *Te per omnia,* » etc. Nunc accipe quæ ante hoc fragmentum docte notavit Petrus Coustantius ad pag. 87 *Rom. pontif. Epistolar.*, Parisiis editarum an. 1721 :

Anno 17 imperii Antonini Veri, Christi 177, Viennensis et Lugdunensis Ecclesiæ martyres, dum in vinculis adhuc essent, pro pace Eccle2iarum legatione fungentes, litteras ad Eleutherum scripsisse, Eusebius lib. v *Hist*, c. 3, tradit. Nempe pli illi martyres consultum volebant paci Ecclesiarum Asiæ et Phrygiæ, quæ propter novas Montani, Alcibiadis ac Theodoti prophetias turbabantur.

Tum Eleutherus, si Valesius not. in lib. v, Euseb., cap. 3, non fallitur, « litteris atque exhortaD tionibus Lugdunensium martyrum impulsus, ad Ecclesias Asiæ atque Phrygiæ epistolam scripsit de recipiendis in Ecclesiam Montanistis ; sed statim admonitus a Praxea quodam Asiano, pacificas quas emiserat litteras revocavit.» Ex Eusebii tamen narratione colligitur, eas fuisse Lugdunensium martyrum ad Eleutherum litteras, quæ illum non ad Montanistas in Ecclesiam recipiendos inducerent, sed ab eorum potius communione avocarent. Masselius vero noster *Dissert. Præv.* in Irenæi libros, pag. 80, observat, opportune accidisse, ut cum Eleutherus laudatorum martyrum litteras accepisset, Praxeas ex Asia Romam veniens, ipsi Montanistarum fraudes retegeret; iisque detectis, litteras in Montani, Priscæ et Maximiliæ gratiam jam emissas revocare persuaderet. In eamdem opinionem, ut quæ probabilis et commoda videatur, ultro propenderem. Quia tamen una nititur Tertulliani narratione, in qua non Eleutherus nominatim, sed *simpliciter Romanus pontifex*, hortante Praxea, hujus narrationis sint adjuncta, quæ in Eleutheri successorem aptius conveniant : satius visum est hanc mutationem Victori ascribere. Quippe Praxeas, ut Tertullianus loquitur, Romanum pontificem, « præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit litteras pacis » in gratiam Montani « jam emissas revocare.» Atqui Eleutherus proximus successor Soteris fuit, ad cujus annum quartum Cataphrygum seu Montanistarum originem Eusebius refert. Non igitur Praxeas Eleuthero « præcessorum ejus auctoritates, » sed unius Soteris auctoritatem adversus Montanistas proferre potuisset. Deinde ex verbis Tertulliani conficitur, Praxeam in urbem venisse, ibique hæresim suam disseminasse. Aliunde vero notum est hæresim illius non prius erupisse, quam Victor pontificatum adeptus esset.

Certius est Gallicanos fratres una cum relatione eorum quæ martyres Lugduni passi fuerant, privatum de Montano, Alcibiade ac Theodoto judicium suum, « religiosum, inquit Eusebius, et cum orthodoxa fide accuratissime consentiens,» ad Asiæ et Phrygiæ Ecclesios misisse. Idem judicium simul eos Eleuthero notum fecisse valde probabile est. Hoc certe, Eusebio ipso teste, confirmabant, « prolatis interfectorum apud se martyrum variis epistolis, quas illi, dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant.» Nec ambigendum videtur, quin litteras illas conscripserint martyres, postquam Alcibiadem, cujus austera vivendi ratio Montanistis favere videbatur, « non recte neque ordine facere » Attalo revelatum fuit. Const. Vide infra ad fin. Epist. Vienn. et Lugdunensium.

Interea statuit sine idoneo, imo spreto valido testimonio Semlerus, martyres Lugdunenses et C Viennenses fuisse partium Montanistarum, quamvis catholici postea hæc nomina suis fastis inscripserint. *Observat. nov.* §§ 28 et 43. Sed plura de hac re, quando ad finem Epistolæ fratrum Vienn. et Lugd. venerimus. Ostendere autem vult in notis ad Eusebium Valesius, S. Irenæum litteras martyrum ad Eleutherum nunquam reapse pertulisse, propter angustias Ecclesiæ Lugduni retentum ; nam rogatum quidem fuisse eum a martyribus et ab omni clero Lugdunensis Ecclesiæ, ut litteras ipsorum ad Eleutherum deferret, idque ipsum se facturum promisisse, verum cum Pothini episcopi mors subsecuta esset, Irenæum id præstare non potuisse; postea vero Lugdunenses fratres persecutione finita ad Eleutherum easdem litteras adjuncta sua epistola per alium quemdam misisse, Irenæo jam episcopo facto. Hæc quidem Valesius ; cum vero Irenæi iter reapse factum fuisse Eusebius satis aperte significet, Hieronymusque *De viris ill.* cap. 35, idem diserte affirmet, rationes quidem allatæ fidem ei demere haud valent. Neque aliter sentiunt Cavius in *Vitt. PP. Apostol.*, Basnagius in *Annalibus*, ad an. 177 ; Massuetusque *in Irænæum* 2, art. 1. Rem. dubiam relinquit Tillemontius *Memor. Eccl.* tom. III, S. *Irénée*, art. 3, p. 36. Hieronymus vero l. c. sic scribit : « Irenæus Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. »

(28) Σε ἐν πᾶσιν.... καὶ ἀεί, Deest σε in codd. mss. Bodl. et Norfolc., et ἐν apud Niceph. Vertit Rufinu, tanquam si πάλιν pro ἐν πᾶσιν legisset, hoc modo : *Valere te in Deo* iterum *et semper optamus.*

(29) Πάτερ Ἐλεύθερε. Cod. Reg., Max, et Fuket.

ματα προϋτρεψάμεθο τὸν ἀεδλφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι· καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην (30) περιποιεῖσθι, ὡς πρεσβύτερον Ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα (31).

A ret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus; quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi. Quod, si nobis compertum esset locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi in primis commendassemus.

ECCLESIARUM
VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS
EPISTOLA
DE MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI
ET ALIORUM PLURIMORUM.

(Apud. Euseb. *Hist. eccles.* lib. v, capp. 1, 2, 3.)

I. Οἱ ἐν Βιέννῃ (32) καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλ- B habent Ἐλεύθερε, quibus consentiunt Nicephorus et Rufinus. Sunt tamen qui hunc pontificem Romanum Eleutherium nominant; inter quos est Nicephorus patriarcha CP. in *Chronographia tripartita*, quam Anastasius Bibliothecarius Latine vertit; et Georgius Syncellus, et vetus interpres Irenæi in lib. in *Contra hæreses*, c. 3. Porro in cod. Maz. ac Medicæo ante hæc verba: Χαίρειν ἐν Θεῷ σε, etc., paulo majoribus litteris; in Medicæo etiam miniatis ascribitur Ἐπιστογή, spatio utrinque relicto: ut notetur hanc esse epistolam martyrum Lugdunensium. VALES. Imprimendum curaverat R. Steph. Ἐλευθέρῳε, quod mutavit Valesius. In uno saltem ex duobus scriptis meis, hic est Savil. seu Bodl. legitur Ἐλεόθερε.

(30) Δικαιοσύνη. Δικαιοσύνην ms. Bodl. seu Savil.forsitan pro casu tertio δικαιοσύνῃ. Et δικαιοσύνης Niceph. Supra aberat articulus ante Χριστοῦ C a mss. Bodl. et Norfolc.

(31) Ἡαρεθέμεθα. Statim post addit Eusebius: Τί δεῖ καταλέγειν τὸν ἐν νῇ δηλωθείσῃ γραφῇ νῶν μαρτύρων κατάλογον· (Nonnihil incertum videtur, fratrumne epistola quam Eusebius excerpserat, an martyrum hæc ipsa significetur, sed potius illa fratrum, quam supra dixerat in *Martyrologio* suo se integram inseruisse, vid. cap. 1 intelligenda est,) ἰδίᾳ μὲν τῶν ἀποτμήσει κεφαλῆς τετελειωμένων, ἰδίᾳ δὲ τῶν θηρσὶν εἰς βορὰν παραβεβλθμένων, καὶ αὖθις τῶν ἐπὶ τῆς εἱρκτῆς κεμοιμημένων· τόν τε ἀριθμὸν τῶν εἰσέτι τότε περιόντων ὁμολογητῶν; Ὅτῳ γὰρ φίλον, καὶ ταῦτα ῥᾴδιον πληρέστατα διαγνῶναι, μετὰ χεῖρας ἀναλαβόντι τὸ σύγγραμμα, ὃ καὶ αὐτὸ τῇ τῶν μαρτύρων συναγωγῇ πρὸς ἡμῶν, ὡς γοῦν ἔφην, κατέλεκται. *Cæterum quid opus est expressum in supra dicta Epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere examinati sunt? Quid item opus est referre* D *numerum confessorum qui postea superfuerunt? Hæc enim quicunque voluerit, cuncta poterit plenissime cognoscere ex ipsius Epistolæ lectione, quam quidem nos, ut supra monuimus, in passionibus martyrum a nobis collectis integram inseruimus.* Hujus autem libri Eusebiani flebilem jacturam orbis terrarum fecit.

I. Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum

(32) Οἱ ἐν Βιέννῃ, etc. Celebris hæc Epistola ab Œcumenio *Comment.* suo *in Ep. prior. D. Petri* cap. 3, p. 149, ed. Veron. S. Irenæo satis aperte tribuitur. Atque se arbitrari Henr. Valesius, ejus auctorem fuisse Irenæum, eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ membrum. Quin et Valesio habes hac de re consentientem Cavium in *Vitt. PP. apostol.*; Dodwellum dissert. 6 in *Irenæum*, § 23; Massuet. *Dissert. in Irenæum* II, art. 3, et alibi, Basnag. *Annal.* vol. II, p. 168, multosque alios fortasse; nam asserit Cavius *Hist. lit.* vol. I, in *Irenæo*, idem sentire de hac re omnes pene eruditos. Cum vero epistolæ hujus, quæ nomine Ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis conscripta est, auctorem Irenæum esse, neque Eusebius neque Hieronymus affirmaverit, eamdem scriptis, quæ ego colligo, addendam censui.

Singularem ejus præstantiam uno ore testantur omnes; aliis autem viris magnis, ut verbi causa Josepho Scaligero, prætermissis, unum sisto Valesium, qui in epistola ad clerum Gallicanum, *Hist.* Eusebii præmissa, hæc scribit: « Epistolam Viennensium ac Lugdunensium statim proferemus, quod pulcherrimum est atque vetustissimum totius Ecclesiæ in hoc genere monumentum. De cujus laudibus cum multa jam dicta sint a multis, nemo tamen pro illius dignitate hactenus est locutus. Adeo ejus Epistolæ meritum ac pondus omnem dicendi vim superat. Atque id fatebuntur quicunque eam sæpius legerint. Quo plus enim legitur, eo semper videtur esse præstantior. » Hæc Valesius. Memorata est epistola in *Passione SS. Epipodii et Alexandri* his verbis: « Post vastissimam martyrum stragem et sævientium passionum crudelitatem, de qua etiam Christi famuli quos tunc illustrissimæ urbes Vienna et Lugdunum tenebant, ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ scripta miserunt, cum pene ad integrum Christi nomen a gentilibus crederetur exstinctum; per proditionem domesticam Epipodius et Alexander occulto operam dare catholico fidei cultui præsidi nuntiantur. » *Acta mart.* a Theod. Ruinarto edit. § 2, p. 74 ed. Amst. Ut Eusebii editiones taceam, edita est epistola, sed ex Rufini Latina interpretatione tantum, a Godf. Henschenio in *Actis Sanctor.* tom. I Junii mens.,

Galliæ degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis, qui eadem nobiscum fidem ac spem habent redemptionis, pax et gratia et gloria a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. Et gravita-

A λίας (33) παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν, τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς, εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ

p. 162. seqq., et ab eodem Ruinarto ubi supra ad p. 60 et seqq., quem ego imitatus, Epistolæ quod servatum est in sectiones divisum exhibui, quo melius legentium commodis consuleretur. Idem hoc fecisse nunc video Gallandium, qui vol. primo suæ *Bibliothecæ PP.* hanc Epistolam sicut martyrum Lugdunensium Fragmentum illud, una cum Valesii notis inseruit, additis aliis quibusdam observationibus ex Ruinarto Readingiique editione Eusebii petitis. In *Memor. ecclesiast.* tom. III, de his egit fragmentis accommodate ad ordinem temporis Tillemontius.

Quod ad annum attinet, quo hæc Gallicana vexatio exarserit, contigisse eam anno imperii Antonini Veri 17, tradit, ut videbitis, Eusebus in hujus B lib. quinti principio, ubi consulentus est Valesius. Auctor quoque *Passionis*, quam modo memoravi, *SS. Epipodii et Alaxandri*, vel eumdem annum, vel in codicibus nonnullis *decimum octavum*, habet. Contra illos porro, qui ad annum 7 ejusdem imperii horum martyrum triumphos, fide nixi *Chronici* Eusebii quod *Historiæ* ejus hac in parte adversatur, signare volunt, multa nova argumenta attulit Mosheimius, *Observ. sacr. et histor.* lib. 1, cap. 3, § 10 et seqq., vexationem isthanc anno Christi 177 attribuens, qui annus est 17 Antonini imp. Cæterum hæc verba Eusebius fragmentis præmisit initio lib. v : Ὁ μὲν οὖν τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος Σωτὴρ ἐπὶ ὄγδοον ἔτος ἡγησάμενος, τελευτᾷ τὸν βίον· τοῦτον δωδέκατος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων Ἐλεύθερος διαδέχεται. Ἔτος δ' ἦν ἑπταικαιδέκατον αὐτοκράτορος Ἀντωνίνου Οὐήρου. Ἐν ᾧ κατά τινα μέρη τῆς γῆς σφοδρότερον ἀναῤῥιπισθέντος τοῦ καθ' ἡμῶν διωγμοῦ ἐξ ἐπιθέσεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δήμων, μυριάς μαρτύρων ἀνὰ τὴν οἰκουμένην διαπρέψαι στοχασμῷ λαβεῖν ἔνεστιν, ἀπὸ τῶν καθ' ἕν ἔθνος συμβεβηκότων. Ἃ καὶ γραφῇ τοῖς μετέπειται παραδοθῆναι, ἀλήστου μνήμης ὡς ἀληθῶς ἐπάξια ὄντα, συμβέβηκε. Τῆς μὲν οὖν περὶ τούτων ἐντελεστάτης ὑφηγήσεως τὸ πᾶν σύγγραμμα, τῇ τῶν μαρτύρων ἡμῖν κατατέτακται συναγωγῇ· οὐχ ἱστορικὴν αὐτὸ μόνον, ἀλλὰ καὶ διδασκαλικὴν περιέχον διήγησιν. Ὁπόσα γέ τοι τῆς παρούσης ἐχοιτο πραγματείας, ταῦτ' ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀναλεξάμενος παραθήσομαι. Ἄλλοι μὲν οὖν ἱστορικὰς ποιούμενοι διηγήσεις, πάντως ἂν παρέδωκαν τῇ γραφῇ πολέμων νίκας, καὶ τρόπαια κατ' ἐχθρῶν, στρατηγῶν τε ἀριστείας, καὶ ὁπλιτῶν ἀνδραγαθίας, αἵματι καὶ μυρίοις φόνοις, παίδων καὶ πατρίδος, καὶ τῆς ἄλλης ἕνεκεν περιουσίας μιανθέντων. Ὁ δὲ γε περὶ τοῦ κατὰ Θεὸν πολιτεύματος διηγηματικὸς ἡμῖν λόγος, τοὺς ὑπὲρ αὐτῆς τῆς κατὰ ψυχὴν εἰρήνης εἰρηνικωτάτους πολέμους· καὶ τοὺς ἐν τούτοις ὑπὲρ ἀληθείας μᾶλλον ἢ πατρίδος, καὶ μᾶλλον ὑπὲρ εὐσεβείας ἢ τῶν φιλτάτων ἀνδρισαμένους, αἰωνίαις ἀναγράψεται συλλαις· τῶν εὐσεβείας ἀθλητῶν τὰς ἐνστάσεις, καὶ τὰς πολυτλήτους ἀνδρίας, τρόπαιά τε τὰ κατὰ δαιμόνων, καὶ νίκας τὰς κατὰ τῶν ἀοράτων ἀντιπάλων, καὶ τοὺς ἐπὶ πᾶσι τούτοις στεφάνους, εἰς αἰώνιον μνήμην ἀνακηρύττων. Γαλλία μὲν οὖν ἡ χώρα ἦν, καθ' ἣν νὸ τῶν δηλουμένων συνεκροτεῖτο στάδιον, ἧς μητροπόλεις ἐπίσημοι καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφέρουσαι βεβόηνται, Λούγδουνος καὶ Βίεννα, δι' ὧν ἀμφοτέρων τὴν πᾶσαν χώραν πολλῷ τῷ ῥεύματι περιῤῥέων ὁ Ῥοδανὸς ποταμὸς διέξεισι. Τὴν οὖν περὶ τῶν μαρτύρων γραφήν, αἱ τῇδε διαφανέσταται Ἐκκλησίαι, ταῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν διαπέμπονται, τὰ παρ' αὐταῖς πραχθέντα, τοῦτον ἀνιστοροῦσαι τὸν τρόπον. Παρθήσομαι δὲ τὰς αὐτῶν φωνάς. Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ, etc. *Igitur Sotere Romanæ urbis episcopo post octavum episcopatus annum vita juncto, duo decimus ab apostolis Eleutherus in ejus locum successit. Annus* tunc

agebatur septimus decimus imperii Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse, ex iis quæ in unica provincia contigerunt, conjicere est. Quæ quidem utpote immortali memoria dignissima, litterarum monumentis commendata et ad posteros transmissa sunt. Et acta quidem ipsa quibus plenissima harum rerum narratio continetur, in opere De martyribus *integra a nobis inserta sunt : ex quibus non solum cognitio rerum gestarum, verum etiam documenta pietatis percipi possunt. Quæcunque tamen ad institutum nostrum spectare mihi visa sunt ea impræsentiarum seligens, hic apponam. Ac cæteri quidem historiarum scriptores, nihil aliud fere monumentis suis prodiderunt, quam bellicas victorias, et erecta de hostibus victis tropæa ; ducum res præclare gestas, fortia militum facta, qui pro patria, pro liberis ac fortunis suis, manus suas sanguine et infinita hostium cæde commaculaverant. At nos qui sacræ cujusdam ac divinæ reipublicæ historiam narramus, pacatissima quædam bella pro spiritali pace suscepta, eosque qui in hujusmodi bellis pro veritate ac religione potius quam pro patria ac liberis fortiter decertarunt, immortalibus litterarum monumentis mandabimus : athletarum pro pietate pugnantium constantiam, et in perferendis multiplicibus tormentis fortitudinem, tropæa adversus dæmones statuta, partas ex invisibilibus hostibus victorias, coronas denique ad perpetuam posteritatis memoriam prædicantes. Porro regio ipsa in* C *qua stadium ad hæc quæ dixi certamina constitutum fuit, Gallia vocatur. In hac duæ præ cæteris insignes præstantesque urbium matres celebrantur, Lugdunum ac Vienna ; quarum utraque permeat Rhodanus, universam regionem præcipiti cursu circumfluens. Igitur nobilissimæ horum locorum Ecclesiæ Commentarium de passione martyrum suorum ad Ecclesias Asiæ Phrygiæque miserunt, ea quæ apud sa gesta erant, hoc modo commemorantes. Ipsa enim verba non gravabor apponere.* « *Servi Christi qui apud Viennam et Lugdunum,* » etc., etc.

(33) Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουλδούνῳ τῆς Γαλλίας. Duplex hic quæstio oritur : prima, cur hæc epistola scripta sit conjunctima duobus Ecclesiis, Viennensi ac Lugdunesi ; altera, cur Galli Græce scribant ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, et ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum. Quod ad primam attinet, hoc idcirco factum existimo, quod Ecclesiæ Viennensium ac Lugdunensium, non modo loci vicinitate, sed etiam mutui amoris vinculo conjunctæ erant. Et D cum in eadem persecutione simul decertassent, epistolam de suis martyribus simul et conjunctim scripserunt. Ad hæc utraque provincia sub unius præsidis jurisdictione, tunc quidem temporis videtur fuisse ; ut ex eo conjicitur, quod tam Viennenses quam Lugdunenses, ob fidem Christi a præside comprehensi et damnati esse dicuntur in hac Epistola. Hæ igitur causæ sunt, cur conjunctim scripserint Viennenses et Lugdunenses. Nam quod suspicati sunt quidam, unum tunc fuisse episcopum Viennæ atque Lugduni, id ex hac ipsa Epistola facile refellitur, quæ Pothinum episcopum Lugduni fuisse dicit, non item Viennæ. Porro Lugdunenses honoris causa Viennensium nomen præponunt, cum tamen ipsi Lugdunenses epistolam scribant de iis quæ Lugduni gesta fuerant. Vetustati quoque et nobilitati Coloniæ Viennensium id tributum videri potest. Quod vero ad secundam quæstionem attinet, ex ipsa epistola dicimus plurimos fuisse Græcos in Ecclesia Lugdunensi cujusmodi fuit Attalus

τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Τὸ μὲν οὖν μέγεθος τῆς ἐνθάδε (34) θλίψεως, καὶ τὴν τοσαύτην τῶν ἐθνῶν εἰς τοὺς ἁγίους ὀργήν, καὶ ὅσα ὑπέμειναν οἱ μακάριοι μάρτυρες, ἐπ' ἀκριβὲς οὔθ' ἡμεῖς εἰπεῖν ἱκανοί, οὔτε μὴν γραφῇ περιληφθῆναι δυνατόν. Παντὶ γὰρ σθένει ἐνέσκηψεν ὁ ἀντικείμενος, προοιμιαζόμενος ἤδη τὴν ἀδεῶς μέλλουσαν ἔσεσθαι παρουσίαν αὐτοῦ· καὶ διὰ πάντων διῆθεν, ἐθίζων τοὺς ἑαυτοῦ καὶ προγυμνάζων κατὰ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ· ὥστε μὴ οἰκιῶν (35) καὶ βαλανείων καὶ ἀγορᾶς εἴργεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινὰ (36), αὐτοῖς ἀπειρῆσθαι ἐν ὁποίῳ δήποτε τόπῳ.

Β· Ἀντεστρατήγει δὲ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ· καὶ τοὺς μὲν ἀσθενεῖς ἐῤῥύετο, ἀντιπαράτασσε δὲ (37) στύλους ἑδραίους, δυναμένους διὰ τῆς ὑπομονῆς, πᾶσαν τὴν ὁρμὴν τοῦ ρονηροῦ εἰς ἑαυτοὺς ἑλκύσαι· οἳ καὶ ὁμόσε ἐχώρουν αὐτῷ (38), πᾶν εἶδος ὀνειδισμοῦ καὶ κολάσεως ἀνεχόμενοι· οἳ καὶ τὰ πολλὰ ὀλίγα ἡγούμενοι (39), ἔσπευδον πρὸς Χριστὸν, ὄντως ἐπιδεικνύμενοι (40) ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς (41). Καὶ πρῶτον μὲν τὰ ἀπὸ τοῦ ὄχλου πανδημεὶ σωρηδὸν ἐπιφερόμενα, γενναίως ὑπέμενον· ἐπιβοήσεις (42) καὶ πληγὰς, καὶ συρμοὺς, καὶ διαρπαγὰς,

A tem quidem ipsam ærumnarum, et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quæque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius, adventus sui, in quo cum omni licentia grassaturus est, jam tum nobis initia ac primordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, dum ministros suos assuefacit, et quibusdam quasi proludiis exercet adversus servos Dei ; adeo ut non solum ab ædibus, a balneis, a foro arceremur ; verum etiam interdictum fuerit, ne quis nostrum quocunque demum in loco appareret.

II. Sed gratia Dei pro nobis adversus diabolum depugnavit : et infirmiores quidem servavit, viros B autem illi opposuit columnarum instar firmos ac stabiles, qui fortitudine sua universum dæmonis impetum in semetipsos pertrahere valerent. Hi ergo cominus congressi, omne genus opprobrii et supplicii sustinuerunt ; et quæ alii diuturna et gravia existimant, ipsi levia ducentes, ad Christum ire properabant ; exemplo suo ostendentes, non esse dignas passiones hujus sæculi, quæ conferantur cum gloria quæ in nobis revelanda est [1]. Ac primum quidem quæcunque a populo universo acer-

[1] Rom. VIII, 18.

et Alexander Phryges, et Alcibiades oriundus item ex Phrygia, ut opinor ; Irenæus quoque oriundus erat ex Asia, et Polycarpum Smyrnæ audierat una cum Florino admodum puer, ut ipse testatur. Po- C thini quoque episcopi vel nomen ipsum, Græcam originem designat. Proinde non mirum est, si qui ex Asia in Gallias venerant, fratribus suis in Asia constitutis de rebus suis scribant : a quibus, ut credibile est, epistolam illam de martyrio Polycarpi et aliorum, prius accepissent. Hujus autem Epistolæ auctorem fuisse arbitror Irenæum ; qui quidem eo tempore Ecclesiæ Lugdunensis erat presbyter. VALES. At vero Tillemontius *Mém. eccl.* tom. III *in Mart. Lugd.*, not. 2, cum dubitet, utrum hæ provinciæ Viennensis et Lugdunensis sub uno præfecto tunc quidem agerent, nos admonet duas illas fuisse, quæ proprios sibi præfectos haberent. De variis autem præsidum generibus confer Valesium infra. Cæterum etsi mutui amoris vinculo tunc temporis conjuncti sint Christiani Viennenses et Lugdunenses, quanto odio haud diu antea in se invicem cives duarum istarum urbium flagraverint, nos nescire haud sinit Tacitus lib. I *Hist.*, cap. 65. D « Veterem, inquit, inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat, multæ invicem clades crebrius infestius, quam ut tantum propter Neronem Galbæmque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum verterat, multus contra in Viennenses honor, unde æmulatio et invidia, et uno amne discretis connexum odium. » Et post vidi Petrum De Marca docentem in *Dissert.* sua *ad concilium Claromontanum sub Urbano II*, honoris prærogativam in ordine civili tunc Viennæ competisse præ Lugduno ex instituto Galbæ ; idemque discrimen inductum esse etiam in ecclesiasticam dispositionem ; quod ex subscriptionibus concilii Arelat. I habiti anno 314, comprobat. Monet quoque clarissimus præsul, deberi exordia Ecclesiæ Lugdunensis Pothino episcopo, qui eam in regionem a Polycarpo Smyrnæ in Asia episcopo, beati Joannis apostoli discipulo missus est, ut lib. I *Historiæ Francorum*, cap. 24, docet Gregorius Turonensis, qui antiquitates illius Ecclesiæ perspectas habuerat, per aliquod tempus in ea urbe moratus cum Nicetio episcopo Lugdunensi avunculo suo. Vid. De Marca § 110, p. 559, tom. X *Concil.* ex edit. Labbe et Cossart.

(34) Ἐνθάδε Ἐνταῦθα. ed. Steph. Stroth. Paulo supra Nicephorus δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ pro δοῦλοι Χ., et καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, pro καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

(35) Οἰκιῶν. Christophorsonus *ædificia publica* interpretatur, quod non probo. Οἰκίαι enim nonnisi de privatis domibus dicuntur, a quibus tum arcebantur Christiani, id est ab ædibus amicorum, propinquorum, opificum. Neque enim assentior Rufino, qui Christianos in suis ipsorum domibus habitare prohibitos existimavit. VALES.

(36) Ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινά. Καθόλον pro τὸ καθόλου et τινὰ ἡμῶν ms. Norfolc.

(37) Ἐῤῥύετο· ἀντιπαράτασσε δέ. Ἐῤῥώννυτο· ἀντιπαρετάσσετο δέ. Niceph. STROTH.

(38) Ὁμόσε ἐχώρουν αὐτῷ. Αὐτῷ deest in Steph. et Niceph. STROTH. Adde ms. Norfolc.

(39) Τὰ πολλὰ ὀγίγα μγούλενοι. *Multa pauca esse ducentes*, Vertitque Musculus : *multa pro modicis ducentes.*

(40) Ὄντως ἐπιδεικνύμενο. Deest ὄντως in ed. R. Steph. Cod. Med. adverbium addit hoc modo ὄντως ἐπιδεικνύμενοι. Neque aliter cod. Maz., Fuk. et Savilianus. VALES. Addit Strothius cod. Venet. et Christoph. lect. Nicephorumque, notat vero habere Bongarsii lect. in ed. Genev. οὕτως. Denique legisse ὄντως videtur ex interpretatione sua Rufinus, quod etiam additum est ad oram edit. Steph. in publica Biblioth. nostra.

(41) Ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Abest a Nicephoro. Mox apud eumd. legitur : Σωρηδὸν πανδημεὶ τὰ ἐπιφερόμενα ἀπὸ τοῦ ὄχλου. STROTH.

(42) Ἐπιβοήσεις. Habet καὶ ἐπιβοήσεις ms. Savil. seu Bodl. Mox abest καὶ συρμούς a ms. Norfolc.

cum ethnici essemus, de avaritia acquisivimus, vel ab ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis, de injustitia acquirentibus percepimus? Ut non dicamus, quia et nunc in fide exsistentes acquirimus. Quis enim vendit, et non lucrari vult ab eo qui emit? Quis autem emit, et non vult utiliter secum agi ab eo qui vendit? Quis autem negotians non propterea negotiatur, ut inde alatur? Quid autem et hi, qui in regali aula sunt, fideles, nonne ex eis, quæ Cæsaris sunt, habent utensilia, et his qui non habent, unusquique eorum secundum virtutem præstat? Ægyptii populi erant debitores non solum rerum, sed et vitæ suæ, propter patriarchæ Joseph præcedentem benignitatem; nobis autem secundum quid debitores sunt ethnici, a quibus et lucra, et utilitates percipimus? quæcunque illi cum labore comparant, his nos, in fide eum simus, sine labore utimur.

Ad hoc populus pessimam servitutem serviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait: *Et cum vi potestatem exercebant Ægyptii in filios Israel, et in odium eis adducebant vitam in operibus duris, luto et latere, et omnibus operibus quæ faciebant in campis, per omnia opera quibus eos deprimebant cum vi* [33]; et ædificaverunt eis civitates munitas, multum laborantes, et augentes eorum substantias annis multis et per omnem modum servitutis, cum illi non solum ingrati essent adversus eos, verum et universos perdere vellent. Quid igitur injuste gestum est, si ex multis pauca sumpserunt, et qui potuerunt multas substantias habere, si non servissent eis, et divites abire, paucissimam mercedem pro magna servitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum si quis liber, abductus ab aliquo per vim, et serviens ei annis multis, et augens substantiam ejus, post deinde aliquod adminiculum consecutus, putetur quidem modica quædam ejus habere, revera autem ex multis laboribus suis, et ex acquisitione magna, pauca percipiens discedat, et hoc ab aliquo imputetur ei, quasi non recte fecerit; ipse magis injustis judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus. Sic ergo sunt et hujusmodi qui imputant populo parva de multis accipienti sibi; et ipsis non imputant, qui nullam gratiam ex merito parentum debitam reddiderunt, imo et gravissimam servitutem redigentes, maximam ab eis consecuti sunt utilitatem; et illos quidem non signatum aurum et argentum in paucis vasculis, quemadmodum prædiximus, accipientes, injuste fecisse dicunt; semetipsos autem, (dicetur enim quod verum est, licet ridiculum quibusdam esse videatur) ex alienis laboribus insigne aurum, et argentum, et æramentum, cum inscriptione et imagine Cæsaris in zonis suis ferentes, juste [se] facere dicunt.

Si autem comparatio fiat nostra et illorum, qui justius apparebunt accepisse? utrumne populus ab Ægyptiis, qui erant per omnia debitores; an nos a Romanis, et reliquis gentibus, et a quibus nihil tale nobis debeatur? Sed et mundus pacem habet per eos, et nos sine timore in viis ambulamus, et navigamus quocunque voluerimus. Adversus igitur hujusmodi aptus erit sermo Domini: *Hypocrita*, dicens. *exime primo trabem de oculo tuo, et tunc perspicies auferre festucam de oculo fratris tui.* [34]. Etenim si is qui tibi hæc imputat, et gloriatur in sua scientia, separatus est a gentilium cœtu et nihil est alienorum apud eum, sed est simpliciter nudus, et nudis pedibus, et sine domo in montibus conversatur, quemadmodum aliquod ex his animalibus, quæ verbis vescuntur; veniam merebitur, ideo quod ignoret necessitates nostræ conversationis. Si autem ab hominibus quæ dicuntur aliena esse, participatur, et arguit typum eorum; semetipsum injustissimum ostendit, retorquens in se ejusmodi accusationem. Invenietur enim alia circumferens, et ea quæ ejus non sunt, concupiscens, et propter hoc dixisse Dominum: *Nolite judicare, ne judicemini: in quo enim judicio judicabitis, judicabitur de vobis* [35]. Non utique ut peccantes non corripiamus, nec ut his quæ male fiunt consentiamus; sed ut Dei dispositiones non judicemus injuste, cum ille omnia juste profutura providerit. Quoniam enim sciebat nos de nostra substantia, quam ab alio accipientes haberemus, bene acturos: *Qui enim habet*, inquit, *duas tunicas, det ei qui non habet: et qui habet escam, similiter faciat* [36]. Et: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; et nudus fui, et vestistis me* [37]. Et: *Cum facis misericordiam, non sciat sinistra tua quid faciat dextra tua* [38]; et reliqua quæcunque benefacientes justificiamur, velut de alienis nostra redimentes: de alienis autem ita dico, non quasi mundus alienus sit a Deo, sed quoniam hujusmodi dationes ab aliis accipientes habemus, similiter, velut illi ab Ægyptiis qui non sciebant Deum; et per hæc ipsa erigimus nobismetipsis tabernaculum Dei: cum bene enim facientibus habitat Deus, quemadmodum Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in æterna tabernacula* [39]. Quæcunque enim, cum essemus ethnici, de injustitia acquisivimus, hæc cum crediderimus, in Dominicas utilitates conversantes, justificamur.

Necessarie igitur hæc in typo præmeditabantur, et tabernaculum Dei ex his fabricatur: illis quidem juste accipientibus, quemadmodum ostendimus; nobis autem præostensis, qui inciperemus per aliena Deo deservire. Universa enim quæ ex Ægypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiæ, quæ erat futura ex gentilibus; propter hoc et in fine educens eam hinc in suam hære-

[33] Exod. I, 13, 14. [34] Matth. VII, 5. [35] Ibid., 1, 2. [36] Luc. III, 11. [37] Matth. XXV, 35, 36. [38] Matth. VI, 3. [39] Luc. XVI, 9.

ditatem,quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in hæreditatem dabit.Si quis autem diligentius intendat his,quæ a prophetis dicuntur de fine,et quæcunque Joannes discipulus Domini vidit in Apocalypsi, inveniet easdem plagas universaliter accipere gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus. Talia quædam enarrans de antiquis presbyter, etc., etc., *ut supra*.

2. Usque in hodiernum diem. *Verba quæ sequuntur, hæc sunt :* Etenim Lot non ex sua voluntate, neque ex sua concupiscentia carnali, neque sensum, neque cogitationem hujusmodi accipiens, consummavit typum. Quemadmodum Scriptura dicit : *Et intravit major nata, et dormivit cum patre suo nocte illa : et non scivit Lot cum dormiret illa, et cum surgeret* [40]. Et in minore hoc idem : *Et non scivit*, inquit, *cum dormisset secum, nec cum surrexisset.*

Μὴ εἰδότος τοῦ Λὼτ, μηδὲ ἡδονῇ δουλεύσαντος, οἰκονομία ἐπετελεῖτο, δι' ἧς αἱ δύο... συναγωγαὶ ἀπὸ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πατρὸς τεκνοποιησάμεναι ἐμηνύοντο ἄνευ σαρκὸς ἡδονῆς· οὐ γὰρ ἦν ἄλλος οὐδεὶς σπέρμα ζωτικὸν καὶ τέκνων ἐπικαρπίαν δυνάμενος δοῦναι αὐταῖς, καθὼς γέγράπται. (*Græca hæc e Ca-*

Nesciente igitur homine,neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur, per quam duæ filiæ, id est duæ synagogæ, ab uno et eodem patre in sobolem adoptatæ significabantur sine carnis libidine. Nec enim alter erat aliquis, qui semen vitale et filiorum fructum posset dare eis, quemadmodum scriptum est :

Dixit autem major ad minorem : Pater noster senior est, et nemo est super terram [41], etc.

Illæ quidem filiæ secundum simplicitatem et innocentiam putantes universos homines periisse, quemadmodum Sodomitas, et in universam terram iracundiam Dei supervenisse, dicebant hæc. Quapropter et ipsæ excusabiles sunt,arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, et propter hoc circumveniebant patrem. Per verba autem earum significabatur, neminem esse alterum qui possit filiorum generationem majori et minori Synagogæ præstare,quam patrem nostrum. Pater autem generis humani Verbum Dei (31) ; quemadmodum Moyses ostendit dicens : *Nonne hic ipse Pater tuus qui possedit te,et fecit te, et creavit te* [42] ? Quando igitur hic vitale semen,id est,Spiritum remissionis peccatorum per quem vivificamur, effudit in humanum genus ? Nonne tunc, cum convescebatur cum hominibus, et bibebat vinum in terra ? *Venit* enim, inquit, *Filius hominis manducans et bibens* [43] : et cum recubuisset, obdormivit et somnum cepit. Quemadmodum ipse in David dicit : *Ego dormivi et somnum cepi* [44].Et quoniam in nostra communicatione et vita hoc agebat, iterum ait : *Et somnus meus suavis mihi factus est* [45]. Totum autem significabatur per Lot,quoniam semen Patris omnium,id est Spiritus Dei, *per quem facta sunt omnia*, commistus et unitus est carni,hoc est,plasmati suo ; per quam commistionem et unitatem duæ Synagogæ, id est duæ congregationes fructificantes ex Patre suo filios vivos vivo Deo.

Et cum hæc fierent, uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis semper manens, et per naturalia ea quæ sunt consuetudinis hominis, ostendens quoniam et Ecclesia, quæ est sal terræ, subrelicta est in confinio terræ, patiens quæ sunt humana : et dum sæpe auferuntur ab ea membra integra, perseverat statua salis,quod est firmamentum fidei, firmans et præmittens filios ad patrem ipsorum.Hujusmodi quoque de duobus Testamentis Senior apostolorum discipulus, etc., *ut supra*.

VII.

Ποῦ οὖν ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ; ἐν τῷ παραδείσῳ δηλονότι, καθὼς γεγραπται (32), *Et plantavit Deus paradisum in Edem contra orientem, et posuit ibi hominem quem plasmavit.* Καὶ ἐκεῖθεν ἐξεβλήθη εἰς τόνδε τὸν κόσμον παρακούσας (33). Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι τῶν ἀποστόλων μαθηταὶ, τοὺς μετετεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι (34). δικαίοις γὰρ

Ubi ergo primus positus est homo ? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit : *Et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem, et posuit ibi hominem quem plasmavit* [46].Et inde projectus est in hunc mundum, non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt apostolorum discipuli,eos qui translati sunt,illuc translatos esse ;

[40] Gen. XIX, 33, 35. [41] Ibid. 31, 32. [42] Deut XXXII, 6. [43] Matth. XI, 19. [44] Psal. III, 6. [45] Jer. XXXI, 26. [46] Gen. II, 8.

(31) *Pater autem generis humani Verbum Dei.* Tuetur, ni fallor, locus emendationem verborum Victorini Petavionensis a cl. Walkero Cantabrigiensi olim propositam. Cum enim in fragmento opusculi ejus *De fabrica mundi* a Cavio in *Hist. Lit.* primum edito hæc verba corruptissima exstitissent, *auctoritatem totius creaturæ justus* ita ea egregie emendavit Walkerus, *auctor autem totius creaturæ Jesus.*

(32) Γέγραπται. Verba Genes. II, 3. Damascenus,qui in *Parallelis* hæc Græca Irenæi bis citavit, quæ in cod. quoque 26 Barocc. in *Biblioth. Bodl.* exstant, haud descripsit. Grabius ad Irenæum.

(33) Παρακούσας. Θεοῦ additum in Damascen. prima citatione et Baroc. Grab. ibid.

(34) Ἐκεῖσε μετατεθῆναι. Disputationem de loco in quem Deus transtulerit, et huc usque viventes conservarit Enochum et Heliam,Ausgustinus indicavit ad fidem non pertinere, lib. II *De peccato originali* c. 23. At cum hic Irenæus doceat apostolorum discipulos et auditores dixisse,illos in paradisum terrestrem,ubicunque ille sit,translatos fuisse, indeque, qui adversus Antichristum prælientur venturos (Apoc. cap. XI), cui sententiæ omnes fere Græci et Latini Patres astipulantur, mihi parum tutum videtur aliter nunc sentire. Feuardent. ad eumd.

justis enim hominibus,et Spiritum habentibus præparatus est paradisus,in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles,quantum ad nos in præsenti :et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem,coauspiscantes incorruptelam.

A ἀνθρώποις καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι· κακεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀσέκρσίαν. *Hæc Irenæus lib.* v, *cap.* 5, *p.* 298.

VIII.

.... et (quemadmodum dixit quidam de seniori-bus) per extensionem manuum, duos populos ad unum Deum congregans.Duæ quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terræ : unum autem medium caput,quoniam et unus Deus super omnes, et per omnes, et in omnibus nobis.

. . . . καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προσβεβηκότων, διὰ τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν (35), τοὺς δύο λαοὺς εἰς ἕνα Θεὸν συνάγων (scil. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ). Λύο μὲν γὰρ αἱ χεῖρες, ὅτι καὶ δύο λαοὶ διεσπαρμένοι εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· μία δὲ μέση κεφαλή, ὁ Θεὸς, ὅτι εἷς ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν. *Hæc Irenæus attulit lib.* v, *c.* 17, *p.* 314.

IX.

Filius enim,quemadmodum et quidam ante nos (36) dixit, dupliciter intelligitur ; alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius ; alius autem secundum id quod factus est, reputatur filius. *Hæc Irenæus affert lib.* IV, *cap. ult.*

X.

Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum,quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit (38), Ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum. *Hæc Irenæus attulit lib.* IV *ejusd. Op. cap.* 4, *vel* 8.

Ἅπαντα μέτρῳ (37) καὶ τάξει ὁ Θεὸς ποιεῖ, καὶ οὐδὲν ἄμετρον παρ' αὐτῷ. ὅτι μηδὲν ἀναρίθμητον.

XI.

Quapropter et juste, et apte tali temeritati tuæ divinæ aspirationis senior, et præco veritatis,invectus est in te, dicens sic :

Idolorum fabricator Marce,et portentorum inspector,
Astrologiæ cognitor et magicæ artis,
Per quæ confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his, qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,

Διὸ καὶ δικαίως, καὶ ἁρμοζόντως τῇ τοιαύτῃ σου τολμῇ ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κῆρυξ τῆς ἀληθείας ἐμμέτρως ἐπιβεβόηκέ σοι, εἰπὼν οὕτως·

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
'Αστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
'Αποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,

(35) Τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν. An genuinum sit illud θείας, quod abesse video a vetere Irenæi interprete, fortasse dubitandum. Cæterum Græca hæc Irenæi exstare in *Catena ms.in libros Regum*, num.211 bibl. Coislin., nos docuit Massuetus ; porro exscripsit eadem ex *Catena ms. in libros Regum* bibliothecæ Venetæ S. Marci cl. Mingarellius ad Didymi opus *De Trinitate* haud ita pridem editum,lib. II, c. 14, pag. 266. Quem fugerat, hæc quidem ad Irenæi librum *Contra hæreses* pertinere, is enim collocanda ea inter fragmenta operum ejusdem Patris, atque alii cuidam fragmento jam edito subjungenda monuit,tanquam si inedita hucusque fuissent. — 'Εκτάσεως τῶν χειρῶν.. Elegans et pia admodum est hæc mystica figura Dominicæ crucis explicatio,quam a seniore,Polycarpum puto vel Papiam, accepit. Qui pluribus animum oblectare concupierit, et similibus,consulat Justini martyris *Apologiam* posteriorem, Lactanti lib. IV, cap.26 et 27 ; Rufinum in *Expos. Symboli*, Ambrosium serm. 55, Athanasium lib. *De Incarnatione Verbi*, Nazianzenum prima orat. *Apolog.*, Chrysostomum tribus Homil. *De Cruce*, Sedulium lib. V *Carminum*, Damascenum lib. IV, cap. 12, etc. FEUARDENT.

(36) *Quidam ante nos.* Confer Pearsonii *Vindicias Epistolarum Ignatii* part. I, cap. 6, pag. 297 editionis Clerici, ubi et Clementis Alexandrini gemina allegat verba. Grabius ad Iren.

(37) "Απαντα μέτρῳ. Hanc Irenæi sententiam Græce ex Claromontano *Parallelorum* Damasceni codice edidit Halloixius in *Vita Irenæi* pag. 483, quæ et in Vaticano eorumdem *Parallelorum* exemplari lit. A, cap. 2, eodem modo legitur. Irenæum vero alludere ad Sapientiæ XI, 21, quilibet videt. Massuet. ad Irenæum, ex Grabio.

(38) *Et bene qui dixit.* De hoc dicto lege omnino D. Georgii Bulli *Defensionem fidei Nicænæ*, sect. II, c. 5, § 4 ; Grab. *ibid.* — Respondens vanis Gnosticorum cavillationibus, qui ex eversa Hierosolyma, civitate regis magni, et abrogata veteri lege inferebant alium esse Veteris, alium Novi Testamenti auctorem et Deum, ostendit et Hierosolymæ et veteri legi suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse ; utramque advenienie nova lege desinere debuisse ; idque sapientissimo et ordinatissimo Dei consilio factum fuisse. *Omnia enim*, inquit, *mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum.* Quod postremum, scilicet, nihil non mensum apud Deum esse, ut probet,laudat veterem aliquem aut coævum scriptorem ecclesiasticum cujus nomen tacet, sed verba probat. *Et bene*, ait, *qui dixit, ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum.* Quibus ostendit,Deum adeo ordinis, proportionis, et mensuræ amantem esse ut neque suam ipse sibi mensuram deesse voluerit. Filius enim est mensura Patris, qui totam Patris immensitatem, infinitatem et substantiam in se capit, continet ac veluti circumscribit. Massuet. *ibid.*, *Dissert.* p. CXXXI.

Ἅ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ (39) Σατᾶν ἀεί (40) Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως (41) Ἀζαζήλ (42) ποιεῖν· Ἔχων σε πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας (43).

A *Quæ tibi præstat tuus pater Satanas Per angelicam virtutem Azazel facere, Habens te præcursorem contrariæ adversus Deum nequitiæ.*

Καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεόφιλος πρεσβύτης· ἡμεῖς δὲ, etc.

Hæc Irenæus lib. I, *cap.* 15, *al.* 12, *p.* 80, *ed. Massueti.*

Et hæc quidem amator Dei senior. Nos autem, etc.

(39) Ἅ σοι χορηγεῖ σὸς πατήρ. Locum restituit Billius ex vet. interp. pro ἃ σὺ Χορηγεῖς ὡς. In textum recipi, sicut Pearsonius fecerat in *Vindiciis Ignatianis*, p. I, c. 6.

(40) Σατᾶν ἀεί. Hoc pro Σατανᾶ εἰ post Scaligerum reposuit Petavius in margine Epiphanii p. 246, metro ita exigente ; quamvis vetus interpres ἀεί haud legerit. GRABIUS.

(41) Δυνάμεως. Post hanc vocem irrepserat ἐγχειρήματα veteri interpreti ignotum, quod dolendum monuerunt Grabius et Massuetus, sed quod ante fecerat Pearsonius.

(42) Ἀζαζήλ. Angelus malus est, cujus mentio fit, ait Grabius, in paraphrasi Chaldaica Jonathani vulgo ascripta ad Genes. VI, 5. In libro Enochi decimus ordine inter 20 lapsos memoratur. De hoc plura somniarunt Rabbini. Legesis Agrippam, lib. II, *De occult. philos.* ; Reuchlinum lib. III *De arte cabalistica*, et Moynii *Notas ad Barnabæ epistolam* pag. 648, et seqq. Massuet. ex Grabio et Feuardentio.

(43) Ἀντιθέου πανουργίας. Pearsonius *Vindic. Ignat.* ubi supra, pag. 98 : « Divinus ille senex Marcum describere voluit, tanquam Antichristi præcursorem, quod hic significat ἀντίθεος πανουργία. »

ECCLESIARUM VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS

EPISTOLA

DE MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI

ET ALIORUM PLURIMORUM.

—

PRÆMITTITUR

Fragmentum epistolæ eorumdem sanctorum martyrum ad S. Eleutherum Romanum pontificem.

(ROUTH, *Reliquiæ sacræ*, Oxonii, 1814, in-8°, tom. I, p. 260 ; GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, I. 691.)

—

PROŒMIA

(GALLAND. *ibid.*, tom. I, *Proleg.* p. CXXV.)

I. *Præstantia et amplitudo Epistolæ de martyribus ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis.*
II. *Horum martyrum Acta ab iis qui aderant, litteris consignata. Quisnam illa perscripsisse existimetur.*
III. *Quo tempore feruntur hi martyres passi.*
IV. *Nominum eorum recensio.*
V. *Memoria. Locus.*
VI. *Editio ex Valesiano Eusebio descripta. Præmittitur fragmentum epistolæ martyrum Lugdunensium ad S. Eleutherum Romanum pontificem.*

I. « Epistola Viennensium ac Lugdunensium martyrum, inquit Valesius vir summus (1), pulcherrimum est atque vetustissimum totius Ecclesiæ in hoc genere monumentum. De cujus laudibus cum multa jam dicta sint a multis, nemo tamen pro illius dignitate hactenus est locutus. Adeo ejus epistolæ meritum ac pondus, omnem dicendi vim superat. Atque id fatebuntur, quicunque eam sæpius B legerint. Quo plus enim legitur, eo semper videtur esse præstantior. Hoc vero tam insigne Ecclesiæ Gallicanæ monumentum, uni Eusebio acceptum ferre debemus ; qui nisi historiarum suarum libris illud intexuisset, tanto antiquitatis ecclesiasticæ thesauro nunc fortasse careremus. » Hæc ille.

(1) Vales. in Epist. nuncup. Euseb. *Hist.*

II. Jam vero quæ ad hanc epistolam spectant reliqua, ea potissimum ex Ruinartio repetere juverit. Sic igitur vir iste doctus (2) : « Cum Acta martyrum Lugdunensium ab iis ipsis conscripta sint qui rebus gestis præsentes adfuerunt, his nihil certius aut luculentius haberi potest. Tam pretiosum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum nobis servavit Eusebius, qui ut aliquod specimen gravissimæ persecutionis qua sub M. Aurelio imperatore agitata est Ecclesia, posteris relinqueret, Epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis in qua hæc Acta continentur, *Historiæ* suæ *ecclesiasticæ* inseruit (3), asserens in suæ narrationis procemio, *innumerabiles prope martyres* tunc *per universum orbem eniluisse*, cum non minus in aliis provinciis quam in Gallia persecutio fureret. »

Porro de hujus Epistolæ auctore silet Ruinartius, quem tamen alii fuisse Irenæum eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ presbyterum, haud immerito existimant. Quod quidem primus omnium suspicatus est Valesius (4), quem deinceps secuti sunt Tillemontius (5), Dodwellus (6) ac Massuetus (7), ut alios prætereamus. OEcumenius enimvero nonnulla refert de martyribus Lugdunensibus, ex iis desumpta, ut ipsemet testatur (8), quæ scripsit Irenæus Περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης τῶν μαρτύρων, *De sancto et Blandina martyribus*. Haud αὐτολεξεὶ quidem ea recitat OEcumenius, compendio usus : ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθέσθαι· quæ tamen in medium profert ipse, non aliunde quam ex nostra Epistola exscripsisse videtur.

III. Pergit porro V. C. ad tempus inquirendum, quo hi martyres feruntur passi ; qua de re alibi quoque agit, Dodwellum perstringens (9). « Id vero, ait, anno 17. M. Aurelii imperatoris contigisse tradit Eusebius disertis verbis in procemio jam laudato, ubi eodem anno Eleutherum Romanum pontificem in Soteris mortui locum electum fuisse affirmat. Is est annus Christi 177, quem idem Eusebius in *Chronico* cum M. Aurelii anno 16 conjungit. Hunc numerandi modum amplexus est *Chronici Alexandrini* auctor, qui ad eumdem 16 Marci annum, Pothini cæterorumque martyrium Lugdunensium passionem refert. Aliam tamen viam iniit Henricus Dodwellus (10); hanc enim persecutionem ad 7. M. Aurelii annum, Christi 167 refert ; ne, si eam cum aliis veteribus et recentioribus scriptoribus ad annum ejus imperatoris 16, aut 17 prorogaret, fateri cogeretur persecutionem quæ sub M. Aurelii principatu sæviit, vel diuturniorem, vel saltem post aliquod tempus renovatam fuisse; cum inficiari non audiret, persecutionem sub ejus imperatoris initiis, in orientalibus saltem provinciis fuisse commotam.

« Nec objiciendum est, quod Eusebius in *Chronico* martyrum Gallicanorum necem ad M. Aurelii annum 7 videatur referre. Certum est enim, Eusebium in *Chronico* sæpius temporum seriem accurate non observasse, præsertim cum de martyribus egit, quos potius ad aliquam a persecutionibus quas decem enumerat, quam ad annum quo passi fuerunt referre curavit. Unde sub tertiæ persecutionis titulo, Symeonem Cleopæ filium simul cum sancto Ignatio et iis qui a Plinio Secundo interfecti sunt, conjungit. Cæterum favet nobis Eusebius etiam in *Chronico*, qui Eleutheri papæ initium ad annum 177 refert, sub cujus pontificatus initio martyres Lugdunenses passos fuisse certum est, non ex Eusebii solum verbis, sed ex ipsorummet martyrum Lugdunensium epistola, quam per sanctum Irenæum ad eum pontificem direxerunt. *Te per omnia*, inquiunt, *ac perpetuo optamus in Deo valere, pater Eleuthere.* »

IV. Ad hæc numerum inquirit et nomina eorum martyrum vir eruditus, sic inquiens : « Horum omnium martyrum nomina in eadem Epistola recensita erant. Sed excidit pretiosum illud antiquitatis monumentum, præter unum breve fragmentum quod refert Eusebius (11) ; cui hæc ille subjungit : *Quid opus est expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt* ? Hos martyres in totidem classes distribuunt Gregorius Turonensis (12), Ado et Notkerus (13) ; quos quadraginta et octo fuisse aiunt, eorumque nomina recensent, quæ ex istis auctoribus huc proferre visum est, usque dum antiquiora inveniantur monumenta.

« Hoc itaque ordine a Gregorio Turonensi referuntur (14) : *Vettius Epagathus*, *Zacharias*, hunc presbyterum fuisse cæteri referunt ; *Macarius*, *Alcibiades* : istum alio nomine, *Asclepiadem* vocari observat Notkerus ; et re ipsa sic nominatur in Martyrologio quod sancto Hieronymo tribuitur ; *Silvius*, *Primus*, *Ulpius* (15), *Vitalis*, *Comminius*, *October*, *Philominus*, *Geminus*, *Julia*, *Albina*, *Grata*, *Rogata* : hanc Gregorius Turonensis cum *Martyrologio* Hieronymiano omisit ; *Æmilia*, *Posthumiana* : sic Gregorius, alii *Potamiam* appellant ; *Pompeia*, *Rodone* seu *Rhodana*, *Biblis*, *Quarta*, *Materna*, *Elpenipsa*, *Stamas* : sic Gregorius ; Ado autem et

(2) Ruinart. *Admonit. in Act. SS. martyr. Lugd.*, p. 50.
(3) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, capp. 1-3.
(4) Vales. ad Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 1, not. 2.
(5) Tillem. *Mem. eccl.* tom. III, p. 2.
(6) Dodw. *Dissert. sing.*, cap. 10, § 2, p. 154, addit. *Opp. post.* Pears.
(7) Massuet. dissert. II, Iren. §§ 11, 60.
(8) OEcum. *Comment. in I Petr. epist.*, cap. 3, tom. II, p. 498.
(9) Ruinart. Præfat. in *Act. martyr.*, § 38, p. 37.
(10) Dodw. dissert. 11, Cypr. § 36, p. 259, et *Dissert. singul. de Rom. pontif. success.*, cap. 14, § 3, p. 180.
(11) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, cap. 4. Habes illud infra, p. 693.
(12) Greg. Tur. *De glor. martyr.*, lib. I, cap. 49.
(13) Ado et Notk. in *Martyrol.* ad d. 2. Jun.
(14) Vid. Baron. ad ann. 179, § 35.
(15 Al. *Alpius*. Ruinart. ad Gregor. Turon., p. 779.

Notkerus, *Helpes quæ et Amnas. Hi quidem diversissimis mortibus interempti sunt. Hi autem bestiis traditi sunt : Sanctus, Maturus, Attalus*, a Gregorio omissus; *Alexander, Ponticus, Blandina. Hi sunt qui in carcere spiritum reddiderunt ; Aresc.ius* ; Ado et Notkerus, *Aristærus* : *Fotinus, Cornelius, Zotinus, Titus, Zoticus, Julius, Apollonius, Geminianus, Julia, Ausonia*, quatuor postremos non habet Gregorius ; *Æmilia, Gamnite*, sic Gregorius ; alii *Jamnica* ; *Pompeia, Alumna, Mamilia*, hæ duæ desunt in Adone et Notkero ; sed habent *Domnam*, quæ in Gregorio desideratur ; *Justa,Trifime*, Ado et Notkerus, *Trophima; Antonia et beatus Fotinus* (16) *episcopus*. In fragmento Vitæ sancti Barnardi (17) archiepiscopi Viennensis, *Severinus, Exsuperius* et *Felicianus* ex horum martyrum numero laudantur.

A

V. « Eorumdem martyrum,sed absque nominum recensione, meminerunt etiam alia Martyrologia ; Bedæ sincerum, Usuardi, Rabani cum duplici Romano, Florentinii scilicet et Baronii ad eumdem diem 2 Junii ; quamvis diversis diebus, idque potissimum circa finem Julii et initium Augusti, ut ex Actis patet, passi sint. De his martyribus homliam habuit Eucherius Lugdunensis ,quæ *De sancta Blandina* inscribitur ; exstatque inter eas quæ sub Eusebii Gallicani nomine vulgatæ sunt (18). Hos *populum martyrum* ibi appellat Eucherius : unde plures fuisse conjicimus, quam a Gregorio enumerantur. Certe in *Actis sanctorum* Alexandri et Epipodii legimus (19), *plurimos* quidem ex his martyribus *distinctis passionibus atque nominibus ad succedentium memorias pervenisse : innumeros vero, qui vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos in cælestis vitæ libro tantum contineri.*

B

C

« Celebris est etiam nunc locus, *Athanacum* (20) appellatum,ubi passi dicuntur ii martyres ; a quo, ut ait Gregorius Turonensis l. c, vocantur a nonnullis *Martyres Athanacenses*. » Hucusque vir doctus.

VI. Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis Epistolam, prout eam refert Eusebius (21), proferimus ; iis omissis quæ historiographus Cæsariensis intexuit. ubi unum alterumve ejusdem Epistolæ locum præteriit,ne vetustissimi simulque pretiosissimi hujus monumenti scriptoris verba abrumperentur alienis. Valesii versionem addidimus cum eruditis ejus observationibus, quibus et nonnulla subjecimus aliunde petita.

Eidem porro Epistolæ præmittendum censuimus ex ipso Eusebio (22) fragmentum Epistolæ sanctorum martyrum Lugdunensium ad sanctum Eleutherum Romanum pontificem. « Has quidem litteras, verbis utor Massueti viri doctissimi (23), a martyribus ipsis scriptas fuisset negat Blondellus (24), sed potius a clero Lugdunensi, quia, inquit, anno 7 imperii Marci, Christi 167, quo martyrium Pothini ac Lugdunensium contigit, Soter Romanam Ecclesiam regebat, non Eleutherus. Sed ut id assequatur,prius Eusebii fidem elevet necesse est, qui eas litteras a martyribus adhuc in carcere positis scriptas, eosque sub Eleuthero, anno 17 Marci Aurelii,passos esse affirmat.Hinc ergo potius concludere debebat Blondellus, eos saltem anno 170 quo pontificatum iniisse vult Eleutherum, (tardius ego iniisse putem) martyrium subiisse, quam id vanis conjecturis nixus ad annum 167 referre. Certe post annum 167, imo et 170 eratam fuisse illam epistolam, demonstrat scribendi occasio. » Hucusque cum V.C. quem tamen in eamdem sententiam præcesserat Pearsonius (25), Salmasium simul ipsumque Blondellum perstringens. Ea de re præterea doctum quoque Coutantium adire juverit (26).

FRAGMENTUM

EPISTOLÆ SS. MARTYRUM LUGDUNENSIUM

AD ELEUTHERUM RONANUM PONTIFICEM.

(Ap. Euseb. *Hist. eccles.*, lib. v, cap. 4.)

Χαίρειν ἐν θεῷ (27) σε ἐν πᾶσιν εὐχόμεθα καὶ

Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo va-

(16) Al. *Pholinus*, melius ex Græco scriberetur *Pothinus*. Ruinart., ibiid.

(17) Sic. Extat in sæc. IV *Benedict.* part. II, p. 573.

(18) *Bibl. PP. Colon.*, tom. V, part. I.

(19) Ruinart. *Act. sinc. Mm. Alex. et Epipod.*, § 2, p. m. 63.

(20) Cod. Colb. a. *Athenaco*, et infra *Athenacenses :* quæ lectio nominis etymologiæ magis congrua videtur. Sic enim dictus est locus ille ab Athenis, quod ibi ara esset celebris apud veteres, ob certamina facundiæ Græcæ et Latinæ a Caio Caligula instituta. Celebrior postmodum fuit ob sanctos martyres : ibique basilica nobilis excitata est cum monasterio insigni Ordinis Benedictini, quod nostris diebus ad canonicos sæculares transiit. Ruinart. ad Greg. Turon. l. c.

(21) Euseb. *Hist. Eccl.* lib, v, capp. 1-3.

(22) Id. *ibid.*, cap. 4.

(23) Massuet. *Disseat.* 2 *in Iren.*, § 6. p. m. 67.

(24) Blondell. *Apolog. pro sent. Hivron.*, cap. 8.

(25) Pears. *Vindict. Igoat.* part. II, cap. 13. p. m. 417.

(26) Coutant. *Epist. Romam. pentif.*, p. 87.

(27) Χαίρειν ἐν θεῷ. Post excerptam celeberrimam fratrum Ecclesiæ Vienn. et Lugdunensis Epi-

II. Jam vero quæ ad hanc epistolam spectant reliqua, ea potissimum ex Ruinartio repetere juverit. Sic igitur vir iste doctus (2) : « Cum Acta martyrum Lugdunensium ab iis ipsis conscripta sint qui rebus gestis præsentes adfuerunt, his nihil certius aut luculentius haberi potest. Tam pretiosum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum nobis servavit Eusebius, qui ut aliquod specimen gravissimæ persecutionis qua sub M. Aurelio imperatore agitata est Ecclesia, posteris relinqueret, Epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis in qua hæc Acta continentur, *Historiæ* suæ *ecclesiasticæ* inseruit (3), asserens in suæ narrationis procemio, *innumerabiles prope martyres* tunc *per universum orbem enituisse*, cum non minus in aliis provinciis quam in Gallia persecutio fureret. »

Porro de hujus Epistolæ auctore silet Ruinartius, quem tamen alii fuisse Irenæum eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ presbyterum, haud immerito existimant. Quod quidem primus omnium suspicatus est Valesius (4), quem deinceps secuti sunt Tillemontius (5), Dodwellus (6) ac Massuetus (7), ut alios prætereamus. Œcumenius enimvero nonnulla refert de martyribus Lugdunensibus, ex iis desumpta, ut ipsemet testatur (8), quæ scripsit Irenæus Περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης τῶν μαρτύρων, *De sancto et Blandina martyribus*. Haud αὐτολεξεὶ quidem ea recitat Œcumenius, compendio usus : ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθεῖσθαι· quæ tamen in medium profert ipse, non aliunde quam ex nostra Epistola exscripsisse videtur.

III. Pergit porro V. C. ad tempus inquirendum, quo hi martyres feruntur passi ; qua de re alibi quoque agit, Dodwellum perstringens (9). « Id vero, ait, anno 17. M. Aurelii imperatoris contigisse tradit Eusebius disertis verbis in procemio jam laudato, ubi eodem anno Eleutherum Romanum pontificem in Soteris mortui locum electum fuisse affirmat. Is est annus Christi 177, quem idem Eusebius in *Chronico* cum M. Aurelii anno 16 conjungit. Hunc numerandi modum amplexus est *Chronici Alexandrini* auctor, qui ad eumdem 16 Marci annum, Pothini cæterorumque martyrium Lugdunensium passionem refert. Aliam tamen viam iniit Henricus Dodwellus (10); hanc enim persecutionem ad 7. M. Aurelii annum, Christi 167 refert ; ne, si eam cum aliis veteribus et recentioribus scriptoribus ad annum ejus imperatoris 16, aut 17 prorogaret, fateri cogeretur persecutionem quæ sub M. Aurelii principatu sæviit, vel diuturniorem, vel saltem post aliquod tempus renovatam fuisse; cum inficiari non audiret, persecutionem sub ejus imperatoris initiis, in orientalibus saltem provinciis fuisse commotam.

« Nec objiciendum est, quod Eusebius in *Chronico* martyrum Gallicanorum necem ad M. Aurelii annum 7 videatur referre. Certum est enim, Eusebium in *Chronico* sæpius temporum seriem accurate non observasse, præsertim cum de martyribus egit, quos potius ad aliquam a persecutionibus quas decem enumerat, quam ad annum quo passi fuerunt referre curavit. Unde sub tertiæ persecutionis titulo, Symeonem Cleopæ filium simul cum sancto Ignatio et iis qui a Plinio Secundo interfecti sunt, conjungit. Cæterum favet nobis Eusebius etiam in *Chronico*, qui Eleutheri papæ initium ad annum 177 refert, sub cujus pontificatus initio martyres Lugdunenses passos fuisse certum est, non ex Eusebii solum verbis, sed ex ipsorummet martyrum Lugdunensium epistola, quam per sanctum Irenæum ad eum pontificem direxerunt. *Te per omnia*, inquiunt, *ac perpetuo optamus in Deo valere, pater Eleuthere.* »

IV. Ad hæc numerum inquirit et nomina eorum martyrum vir eruditus, sic inquiens : « Horum omnium martyrum nomina in eadem Epistola recensita erant. Sed excidit pretiosum illud antiquitatis monumentum, præter unum breve fragmentum quod refert Eusebius (11) ; cui hæc ille subjungit : *Quid opus est expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt ?* Hos martyres in totidem classes distribuunt Gregorius Turonensis (12), Ado et Notkerus (13) ; quos quadraginta et octo fuisse aiunt, eorumque nomina recensent, quæ ex istis auctoribus huc proferre visum est, usque dum antiquiora inveniantur monumenta.

« Hoc itaque ordine a Gregorio Turonensi referuntur (14) : *Vettius Epagathus*, *Zacharias*, hunc presbyterum fuisse cæteri referunt ; *Macarius*, *Alcibiades* : istum alio nomine, *Asclepiadem* vocari observat Notkerus ; et re ipsa sic nominatur in Martyrologio quod sancto Hieronymo tribuitur ; *Silvius*, *Primus*, *Ulpius* (15), *Vitalis*, *Comminius*, *October*, *Philominus*, *Geminus*, *Julia*, *Albina*, *Grata*, *Rogata* : hanc Gregorius Turonensis cum *Martyrologio* Hieronymiano omisit ; *Æmilia*, *Posthumiana* : sic Gregorius, alii *Potamiam* appellant ; *Pompeia*, *Rodone* seu *Rhodana*, *Biblis*, *Quarta*, *Materna*, *Elpenipsa*, *Stamas* : sic Gregorius ; Ado autem et

(2) Ruinart. *Admonit. in Act. SS. martyr. Lugd.*, p. 50.
(3) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, capp. 1-3.
(4) Vales. ad Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 1, not. 2.
(5) Tillem. *Mem. eccl.* tom. III, p. 2.
(6) Dodw. *Dissert. sing.*, cap. 10, § 2, p. 154, addit. *Opp. post.* Pears.
(7) Massuet. dissert. II, Iren. §§ 11, 60.
(8) Œcum. *Comment in I Petr. epist.*, cap. 3, tom. II, p. 498.
(9) Ruinart. Præfat. in *Act. martyr.*, § 38, p. 37.
(10) Dodw. dissert. 11, Cypr. § 36, p. 259, et *Dissert. singul. de Rom. pontif. success.*, cap. 14, § 3, p. 180.
(11) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, cap. 4. Habes illud infra, p. 693.
(12) Greg. Tur. *De glor. martyr.*, lib. I, cap. 49.
(13) Ado et Notk. in *Martyrol.* ad d. 2. Jun.
(14) Vid. Baron. ad ann. 179, § 35.
(15 Al. *Alpius*. Ruinart. ad Gregor. Turon., p. 779.

tere, pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferstolam, a quibus martyrum hæ litteræ alii cuidam ipsorum fratrum epistolæ subjunctæ fuisse videntur, Eusebius cap. 3 et 4, lib. v, hæc verba unico fragmento litterarum martyrum præmisit : Τῶν δ' ἁμᾶ τὸν Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων, (πλεῖσται γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους Ἐκκλησίας ἐκτελούμενει, πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον), καὶ δὴ ριαφωνίας ὑπαρχούσης περὶ τῶν ὁσήλωμένων, αὐθις οἱ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοὶ, τὴν ἰδίαν κρίσιν καὶ περὶ τούτων, εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξοτάτην ὑποτάττουσιν· ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολὰς, ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντες, τοῖς ἐπ' Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ, τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες, Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας, τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων, πλεῖστα τῷ ἀνδρὶ μαρτυροῦντες, ὡς αἱ τοῦτον ἔχουσαι τὸν τρόπον δηλοῦσι φωναί· Χαίρειν ἐν Θεῷ, etc. *Cælerum cum Montanus et Alcibiades ac Theodotus, tunc primum in Phrygia opinione hominum tanquam prophetæ celebrari cœpissent (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus Ecclesiis etiam tum fieri solita, fidem plurimis faciebant eos quoque prophetare), cumque illorum hominum causa dissensio orta esset, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium suum, religiosum imprimis et cum recta fide consentiens, rursus eidem epistolæ subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se martyrum variis edi.tolis, quas illi dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Asia et Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant, pro pace Ecclesiarum quasi legatione fungentes. Sed et iidem martyres Irenæum qui tunc temporis adhuc presbyter Lugdunensis erat Ecclesiæ, supradicta Eleuthero per litteras commendarunt, eum testimonio suo non mediocriter ornantes, sicut ipsorum verba declarant quæ sic se habent* : « *Te per omnia,* » etc. Nunc accipe quæ ante hoc fragmentum docte notavit Petrus Coustantius ad pag. 87 *Rom. pontif. Epistolar.*, Parisiis editarum an. 1721 :

Anno 17 imperii Antonini Veri, Christi 177, Viennensis et Lugdunensis Ecclesiæ martyres, dum in vinculis adhuc essent, pro pace Eccle2iarum legatione fungentes, litteras ad Eleutherum scripsisse, Eusebius lib. v *Hist*, c. 3, tradit. Nempe pii illi martyres consultum volebant paci Ecclesiarum Asiæ et Phrygiæ, quæ propter novas Montani, Alcibiadis ac Theodoti prophetias turbabantur.

Tum Eleutherus, si Valesius not. in lib. v, Euseb., cap. 3, non fallitur, « litteris atque exhortationibus Lugdunensium martyrum impulsus, ad Ecclesias Asiæ atque Phrygiæ epistolam scripsit de recipiendis in Ecclesiam Montanistis ; sed statim admonitus a Praxea quodam Asiano, pacificas quas emiserat litteras revocavit.» Ex Eusebii tamen narratione colligitur, eas fuisse Lugdunensium martyrum ad Eleutherum litteras, quæ illum non ad Montanistas in Ecclesiam recipiendos inducerent, sed ab eorum potius communione avocarent. Massetius vero noster *Dissert. Præv.* in Irenæi libros, pag. 80, observat, opportune accidisse, ut cum Eleutherus laudatorum martyrum litteras accepisset, Praxeas ex Asia Romam veniens, ipsi Montanistarum fraudes retegeret; iisque detectis, litteras in Montani, Priscæ et Maximiliæ gratiam jam emissas revocare persuaderet. In eamdem opinionem, ut quæ probabilis et commoda videatur, ultro propenderem. Quia tamen una nititur Tertulliani *narratione, in qua* non Eleutherus nominatim, sed *simpliciter Romanus pontifex*, hortante Praxea, A sententiam mutasse dicitur ; ac præterea quædam hujus narrationis sint adjuncta, quæ in Eleutheri successorem aptius conveniant : satius visum est hanc mutationem Victori ascribere. Quippe Praxeas, ut Tertullianus loquitur, Romanum pontificem, « præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit litteras pacis » in gratiam Montani « jam emissas revocare.» Atqui Eleutherus proximus successor Soteris fuit, ad cujus annum quartum Cataphrygum seu Montanistarum originem Eusebius refert. Non igitur Praxeas Eleuthero « præcessorum ejus auctoritates, » sed unius Soteris auctoritatem adversur Montanistas proferre potuisset. Deinde ex verbis Tertulliani conficitur, Praxeam in urbem venisse, ibique hæresim suam disseminasse. Aliunde vero notum est hæresim illius non prius erupisse, quam Victor pontificatum adeptus esset.

Certius est Gallicanos fratres una cum relatione B eorum quæ martyres Lugduni passi fuerant, privatum de Montano, Alcibiade ac Theodoto judicium suum, « religiosum, inquit Eusebius, et cum orthodoxa fide accuratissime consentiens,» ad Asiæ et Phrygiæ Ecclesios misisse. Idem judicium simul eos Eleuthero notum fecisse valde probabile est. Hoc certe, Eusebio ipso teste, confirmabant, « prolatis interfectorum apud se martyrum variis epistolis, quas illi, dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant.» Nec ambigendum videtur, quin litteras illas conscripserint martyres, postquam Alcibiadem, cujus austera vivendi ratio Montanistis favere videbatur, « non recte neque ordine facere » Attalo revelatum fuit. Const. Vide infra ad fin. Epist. Vienn. et Lugdunensium.

Interea statuit sine idoneo, imo spreto valido testimonio Semlerus, martyres Lugdunenses et C Viennenses fuisse partium Montanistarum, quamvis catholici postea hæc nomina suis fastis inscripserint. *Observat. nov.* §§ 28 et 43. Sed plura de hac re, quando ad finem Epistolæ fratrum Vienn. et Lugd. venerimus. Ostendere autem vult in notis ad Eusebium Valesius, S. Irenæum litteras martyrum ad Eleutherum nunquam reapse pertulisse, propter angustias Ecclesiæ Lugduni retentum ; nam rogatum quidem fuisse eum a martyribus et ab omni clero Lugdunensis Ecclesiæ, ut litteras ipsorum ad Eleutherum deferret, idque ipsum se facturum promisisse, verum cum Pothini episcopi mors subsecuta esset, Irenæum id præstare non potuisse; postea vero Lugdunenses fratres persecutione finita ad Eleutherum easdem litteras adjuncta sua epistola per alium quemdam misisse, Irenæo jam episcopo facto. Hæc quidem Valesius ; cum vero Irenæi iter reapse factum fuisse Eusebius satis aperte significet, Hieronymusque *De viris ill.* cap. 35, D idem diserte affirmet, rationes quidem allatæ fidem ei demere haud valent. Neque aliter sentiunt Cavius in *Vitt. PP. Apostol.*, Basnagius in *Annalibus*, ad an. 177 ; Massuetusque *in Irænæum* 2, art. 1. Rem. dubiam relinquit Tillemontius *Memor. Eccl.* tom. III, S. *Irénée*, art. 3, p. 36. Hieronymus vero l. c. sic scribit : « Irenæus Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. »

(28) Σε ἐν πᾶσιν.... καὶ ἀεί, Deest σε in codd. mss. Bodl. et Norfolc., et ἐν apud Niceph. Vertit Rufinu, tanquam si πάλιν pro ἐν πᾶσιν legisset, hoc modo : *Valere te in Deo* iterum *et semper optamus.*

(29) Πάτερ Ἐλεύθερε. Cod. Reg., Max, et Fuket.

ματα προϋτρεψάμεθο τὸν ἀεδλφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι· καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην (30) περιποιεῖσθι, ὡς πρεσβύτερον Ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα (31).

A ret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus; quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi. Quod, si nobis compertum esset locum cuiquam conferre justitiam, cum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi in primis commendassemus.

ECCLESIARUM VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS EPISTOLA

DE MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI

ET ALIORUM PLURIMORUM.

(Apud. Euseb. *Hist. eccles.* lib. v, capp. 1, 2, 3.)

I. Οἱ ἐν Βιέννῃ (32) καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλ- B habent Ἐλεύθερε, quibus consentiunt Nicephorus et Rufinus. Sunt tamen qui hunc pontificem Romanum Eleutherium nominant; inter quos est Nicephorus patriarcha CP. in *Chronographia tripartita*, quam Anastasius Bibliothecarius Latine vertit; et Georgius Syncellus, et vetus interpres Irenæi in lib. in *Contra hæreses*, c. 3. Porro in cod. Maz. ac Medicæo ante hæc verba: Χαίρειν ἐν Θεῷ σε, etc., paulo majoribus litteris; in Medicæo etiam miniatis ascribitur Ἐπιστογή, spatio utrinque relicto: ut notetur hanc esse epistolam martyrum Lugdunensium. Vales. Imprimendum curaverat R. Steph. Ἐλευθέριε, quod mutavit Valesius. In uno saltem ex duobus scriptis meis, hic est Savil. seu Bodl. legitur Ἐλεόθερε.

(30) Δικαιοσύνη. Δικαιοσύνην ms. Bodl. seu Savil. forsitan pro casu tertio δικαιοσύνῃ. Et δικαιοσύνης Niceph. Supra aberat articulus ante Χριστοῦ C a mss. Bodl. et Norfolc.

(31) Ἠρεθέμεθα. Statim post addit Eusebius: Τί δεῖ καταλέγειν τὸν ἐν νῇ δηλωθείσῃ γραφῇ νῶν μαρτύρων κατάλογον· (Nonnihil incertum videtur, fratrumne epistola quam Eusebius excerpserat, an martyrum hæc ipsa significetur, sed potius illa fratrum, quam supra dixerat in *Martyrologio* suo se integram inseruisse, vid. cap. 1 intelligenda est,) τὸ μὲν τῶν ἀποτμήσει κεφαλῆς τετελειωμένων, τὸ δὲ τῶν θηρσὶν εἰς βορὰν παραβεβλθμένων, καὶ αὖθις τῶν ἐπὶ τῆς εἱρκτῆς κεμοιμημένων· τόν τε ἀριθμὸν τῶν εἰσέτι τότε περιόντων ὁμολογητῶν; Ὅτῳ γὰρ φίλον, καὶ ταῦτα ῥᾴδιον πληρεστατα διαγνῶναι, μετὰ χεῖρας ἀναλαβόντι τὸ σύγγαμμα, ὃ καὶ αὐτὸ τῇ τῶν μαρτύρων συναγωγῇ πρὸς ἡμῶν, ὡς γοῦν ἔφην, κατειλεκται. *Cæterum quid opus est expressum in supra dicta Epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt? Quid item opus est referre* D *numerum confessorum qui postea superfuerunt? Hæc enim quicunque voluerit, cuncta poterit plenissime cognoscere ex ipsius Epistolæ lectione, quam quidem nos, ut supra monuimus, in passionibus martyrum a nobis collectis integram inseruimus.* Hujus autem libri Eusebiani flebilem jacturam orbis terrarum fecit.

I. Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum

(32) Οἱ ἐν Βιέννῃ, etc. Celebris hæc Epistola ab Œcumenio *Comment.* suo *in Ep. prior. D. Perti* cap. 3, p. 149, ed. Veron. S. Irenæo satis aperte tribuitur. Aitque se arbitrari Henr. Valesius, ejus auctorem fuisse Irenæum, eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ membrum. Quin et Valesio habes hac de re consentientem Cavium in *Vitt. PP. apostol.*; Dodwellum dissert. 6 in *Irenæum*, § 23; Massuet. *Dissert. in Irenæum* II, art. 3, et alibi, Basnag. *Annal.* vol. II, p. 168, multosque alios fortasse; nam asserit Cavius *Hist. lit.* vol. I, in *Irenæo*, idem sentire de hac re omnes pene eruditos. Cum vero epistolæ hujus, quæ nomine Ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis conscripta est, auctorem Irenæum esse, neque Eusebius neque Hieronymus affirmaverit, eamdem scriptis, quæ ego colligo, addendam censui.

Singularem ejus præstantiam uno ore testantur omnes; aliis autem viris magnis, ut verbi causa Josepho Scaligero, prætermissis, unum sisto Valesium, qui in epistola ad clerum Gallicanum, *Hist.* Eusebii præmissa, hæc scribit: « Epistolam Viennensium ac Lugdunensium statim proferemus, quod pulcherrimum est atque vetustissimum totius Ecclesiæ in hoc genere monumentum. De cujus laudibus cum multa jam dicta sint a multis, nemo tamen pro illius dignitate hactenus est locutus. Adeo ejus Epistolæ meritum ac pondus omnem dicendi vim superat. Atque id fatebuntur quicunque eam sæpius legerint. Quo plus enim legitur, eo semper videtur esse præstantior. » Hæc Valesius. Memorata est epistola in *Passione SS. Epipodii et Alexandri* his verbis: « Post vastissimam martyrum stragem et sævientium passionum crudelitatem, de qua etiam Christi famuli quos tunc illustrissimæ urbes Vienna et Lugdunum tenebant, ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ scripta miserunt, cum pene ad integrum Christi nomen a gentilibus crederetur exstinctum; per proditionem domesticam Epipodius et Alexander occulte operam dare catholico fidei cultui præsidi nuntiantur. » *Acta mart.* a Theod. Ruinarto edit. § 2, p. 74 ed. Amst. Ut Eusebii editiones taceam, edita est epistola, sed ex Rufini Latina interpretatione tantum, a Godf. Henschenio in *Actis Sanctor.* tom. I Junii mens.,

Galliæ degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis, qui eadem nobiscum fidem ac spem habent redemptionis, pax et gratia et gloria a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. Et gravita-

λίας (33) παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν, τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς, εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ

p. 162. seqq., et ab eodem Ruinarto ubi supra ad p. 60 et seqq., quem ego imitatus, Epistolæ quod servatum est in sectiones divisum exhibui, quo melius legentium commodis consuleretur. Idem hoc fecisse nunc video Gallandium, qui vol. primo suæ *Bibliothecæ PP.* hanc Epistolam sicut martyrum Lugdunensium Fragmentum illud, una cum Valesii notis inseruit, additis aliis quibusdam observationibus ex Ruinarto Readingiique editione Eusebii petitis. In *Memor.* autem *ecclesiast.* tom. III, de his egit fragmentis accommodate ad ordinem temporis Tillemontius.

Quod ad annum attinet, quo hæc Gallicana vexatio exarserit, contigisse eam anno imperii Antonini Veri 17, tradit, ut videbitis, Eusebus in hujus lib. quinti principio, ubi consulentus est Valesius. Auctor quoque *Passionis*, quam modo memoravi, *SS. Epipodii et Alaxandri*, vel eumdem annum, vel in codicibus nonnullis *decimum octavum*, habet. Contra illos porro, qui ad annum 7 ejusdem imperii horum martyrum triumphos, fide nixi *Chronici* Eusebii quod *Historiæ* ejus hac in parte adversatur, signare volunt, multa nova argumenta attulit Mosheimius, *Observ. sacr. et histor.* lib. I, cap. 3, § 10 et seqq., vexationem isthanc anno Christi 177 attribuens, qui annus est 17 Antonini imp. Cæterum hæc verba Eusebius fragmentis præmisit initio lib. V : Ὁ μὲν οὖν τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος Σωτὴρ ἐπ' ὄγδοον ἔτος ἡγησάμενος, τελευτᾷ τὸν βίον· τοῦτον δωδέκατος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων Ἐλεύθερος διαδέχεται. Ἔτος δ' ἦν ἑπτακαιδέκατον αὐτοκράτορος Ἀντωνίνου Οὐήρου. Ἐν ᾧ κατά τινα μέρη τῆς γῆς σφοδρότερον ἀναρριπισθέντος τοῦ καθ' ἡμῶν διωγμοῦ ἐξ ἐπιθέσεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δήμων, μυριάς μαρτύρων ἀνὰ τὴν οἰκουμένην διαπρέψαι στοχασμῷ λαβεῖν ἔνεστιν, ἀπὸ τῶν καθ' ἕν ἔθνος συμβεβηκότων. Ἃ καὶ γραφῇ τοῖς μετέπειται παραδοθῆναι, ἀλήστου μνήμης ὡς ἀληθῶς ἐπάξια ὄντα, συμβέβηκε. Τῆς μὲν οὖν περὶ τούτων ἐντελεστάτης ὑφηγήσεως τὸ πᾶν σύγγραμμα, τῇ τῶν μαρτύρων ἡμῖν κατατέτακται συναγωγῇ· οὐχ ἱστορικὴν αὐτὸ μόνον, ἀλλὰ καὶ διδασκαλικὴν περιέχον διήγησιν. Ὁπόσα γέ τοι τῆς παρούσης ἔχοιτο πραγματείας, ταῦτ' ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀναλεξάμενος παραθήσομαι. Ἄλλοι μὲν οὖν ἱστορικὰς ποιούμενοι διηγήσεις, πάντως ἂν παρέδωκαν τῇ γραφῇ πολέμων νίκας, καὶ τρόπαια κατ' ἐχθρῶν, στρατηγῶν τε ἀριστείας, καὶ ὁπλιτῶν ἀνδραγαθίας, αἵματι καὶ μυρίοις φόνοις, παίδων καὶ πατρίδος, καὶ τῆς ἄλλης ἕνεκεν περιουσίας μιανθέντων. Ὁ δὲ γε περὶ τοῦ κατὰ Θεὸν πολιτεύματος διηγηματικὸς ἡμῖν λόγος, τοὺς ὑπὲρ αὐτῆς τῆς κατὰ ψυχὴν εἰρήνης εἰρηνικωτάτους πολέμους· καὶ τοὺς ἐν τούτοις ὑπὲρ ἀληθείας μᾶλλον ἢ πατρίδος, καὶ μᾶλλον ὑπὲρ εὐσεβείας ἢ τῶν φιλτάτων ἀνδρισαμένους, αἰωνίαις ἀναγράψηται σηλαις· τῶν εὐσεβείας ἀθλητῶν τὰς ἐνστάσεις, καὶ τὰς πολυτλήτους ἀνδρίας, τρόπαιά τε τὰ κατὰ δαιμόνων, καὶ νίκας τὰς κατὰ τῶν ἀοράτων ἀντιπάλων, καὶ τοὺς ἐπὶ πᾶσι τούτοις στεφάνους, εἰς αἰώνιον μνήμην ἀνακηρύττων. Γαλλία μὲν οὖν ἡ χώρα ἦν, καθ' ἣν νὸ τῶν δηλουμένων συνεκροτεῖτο στάδιον, ἧς μητροπόλεις ἐπίσημοι καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφέρουσαι βεβόηνται, Λούγδουνος καὶ Βίεννα, δι' ὧν ἀμφοτέρων τὴν ἅπασαν χώραν πολλῷ τῷ ῥεύματι περιῤῥέων ὁ Ῥοδανὸς ποταμὸς διέξεισι. Τὴν οὖν περὶ τῶν μαρτύρων γραφήν, αἱ τῇδε διαφανέσταται Ἐκκλησίαι, ταῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν διαπέμπονται, τὰ παρ' αὐταῖς πραχθέντα, τοῦτον ἀνιστοροῦσαι τὸν τρόπον. Παρθήσομαι δὲ τὰς αὐτῶν φωνάς. Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ, etc. *Igitur Soteræ Romanæ urbis episcopo post octavum episcopatus annum vita juncto, duo decimus ab apostolis Eleutherus in ejus locum successit.* Annus tunc

agebatur septimus decimus imperii Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum orbem emituisse, ex iis quæ in unica provincia contigerunt, conjicere est. Quæ quidem utpote immortali memoria dignissima, litterarum monumentis commendata et ad posteros transmissa sunt. Et acta quidem ipsa quibus plenissima harum rerum narratio continetur, in opere De martyribus *integra a nobis inserta sunt : ex quibus non solum cognitio rerum gestarum, verum etiam documenta pietatis percipi possunt. Quæcumque tamen ad institutum nostrum spectare mihi visa sunt ea impræsentiarum seligens, hic apponam. Ac cæteri quidem historiarum scriptores, nihil aliud fere monumentis suis prodiderunt, quam bellicas victorias, et erecta de hostibus victis tropæa ; ducum res præclare gestas, fortia militum facta, qui pro patria, pro liberis ac fortunis suis, manus suas sanguine et infinita hostium cæde commaculaverant. At nos qui sacræ cujusdam ac divinæ reipublicæ historiam narramus, pacatissima quædam bella pro spiritali pace suscepta, eosque qui in hujusmodi bellis pro veritate ac religione potius quam pro patria ac liberis fortiter decertarunt, immortalibus litterarum monumentis mandabimus : athletarum pro pietate pugnantium constantiam, et in perferendis multiplicibus tormentis fortitudinem, tropæa adversus dæmones statuta, partas ex invisibilibus hostibus victorias, coronas denique ad perpetuam posteritatis memoriam prædicantes. Porro regio ipsa in qua stadium ad hæc quæ dixi certamina constitutum fuit, Gallia vocatur. In hac duæ præ cæteris insignes præstantesque urbium matres celebrantur, Lugdunum ac Vienna ; quarum utraque permeat Rhodanus, universam regionem præcipiti cursu circumfluens. Igitur nobilissimæ horum locorum Ecclesiæ Commentarium de passione martyrum suorum ad Ecclesias Asiæ Phrygiæque miserunt, ea quæ apud se gesta erant, hoc modo commemorantes. Ipsa enim verba non gravabor apponere.* « *Servi Christi qui apud Viennam et Lugdunum,* » etc., etc.

(33) Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουλδούνῳ τῆς Γαλλίας. Duplex hic quæstio oritur ; prima, cur hæc epistola scripta sit conjunctima duobus Ecclesiis, Viennensiac Lugdunesi ; altera, cur Galli Græce scribant ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, et ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum. Quod ad primam attinet, hoc idcirco factum existimo, quod Ecclesiæ Viennensium ac Lugdunensium, non modo loci vicinitate, sed etiam mutui amoris vinculo conjunctæ erant. Et cum in eadem persecutione simul decertassent, epistolam de suis martyribus simul et conjunctim scripserunt. Ad hæc utraque provincia sub unius præsidis jurisdictione, tunc quidem temporis videtur fuisse ; ut ex eo conjicitur, quod tam Viennenses quam Lugdunenses, ob fidem Christi a præside comprehensi et damnati esse dicuntur in hac Epistola. Hæ igitur causæ sunt, cur conjunctim scripserint Viennenses et Lugdunenses. Nam quod suspicati sunt quidam, unum tunc fuisse episcopum Viennæ atque Lugduni, id ex hac ipsa Epistola facile refellitur, quæ Pothinum episcopum Lugduni fuisse dicit, non item Viennæ. Porro Lugdunenses honoris causa Viennensium nomen præponunt, cum tamen ipsi Lugdunenses epistolam scribant de iis quæ Lugduni gesta fuerant. Vetustati quoque et nobilitati Coloniæ Viennensium id tributum videri potest. Quod vero ad secundam quæstionem attinet, ex ipsa epistola dicimus plurimos fuisse Græcos in Ecclesia Lugdunensi cujusmodi fuit Attalus

τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Τὸ μὲν οὖν μέγεθος τῆς ἐνθάδε (34) θλίψεως, καὶ τὴν τοσαύτην τῶν ἐθνῶν εἰς τοὺς ἁγίους ὀργὴν, καὶ ὅσα ὑπέμειναν οἱ μακάριοι μάρτυρες, ἐπ' ἀκριβὲς οὔθ' ἡμεῖς εἰπεῖν ἱκανοί, οὔτε μὴν γραφῇ περιληφθῆναι δυνατόν. Παντὶ γὰρ σθένει ἐνέσκηψεν ὁ ἀντικείμενος, προοιμιαζόμενος ἤδη τὴν ἀδεῶς μέλλουσαν ἔσεσθαι παρουσίαν αὐτοῦ· καὶ διὰ πάντων διῆθεν, ἐθίζων τοὺς ἑαυτοῦ καὶ προγυμνάζων κατὰ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ· ὥστε μὴ οἰκιῶν (35) καὶ βαλανείων καὶ ἀγορᾶς εἴργεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινὰ (36), αὐτοῖς ἀπειρῆσθαι ἐν ὁποίῳ δήποτε τόπῳ.

A tem quidem ipsam ærumnarum, et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quæque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius, adventus sui, in quo cum omni licentia grassaturus est, jam tum nobis initia ac primordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, dum ministros suos assuefacit, et quibusdam quasi proludiis exercet adversus servos Dei; adeo ut non solum ab ædibus, a balneis, a foro arceremur; verum etiam interdictum fuerit, ne quis nostrum quocunque demum in loco appareret.

Π· Ἀντεστρατήγει δὲ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ· καὶ τοὺς μὲν ἀσθενεῖς ἐῤῥύετο, ἀντιπαράτασσε δὲ (37) στύλους ἑδραίους, δμναμένους διὰ τῆς ὑπομονῆς, πᾶσαν τὴν ὁρμὴν τοῦ ρονηροῦ εἰς ἑαυτοὺς ἑλκύσαι· οἳ καὶ ὁμόσε ἐχώρουν αὐτῷ (38), πᾶν εἶδος ὀνειδισμοῦ καὶ κολάσεως ἀνεχόμενοι· οἳ καὶ τὰ πολλὰ ὀλίγα ἡγούμενοι (39), ἔσπευδον πρὸς Χριστὸν, ὄντως ἐπιδεικνύμενοι (40) ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς (41). Καὶ πρῶτον μὲν τὰ ἀπὸ τοῦ ὄχλου πανδημεὶ σωρηδὸν ἐπιφερόμενα, γενναίως ὑπέμενον· ἐπιβοήσεις (42) καὶ πληγὰς, καὶ συρμοὺς, καὶ διαρπαγὰς,

B II. Sed gratia Dei pro nobis adversus diabolum depugnavit: et infirmiores quidem servavit, viros autem illi opposuit columnarum instar firmos ac stabiles, qui fortitudine sua universum dæmonis impetum in semetipsos pertrahere valerent. Hi ergo cominus congressi, omne genus opprobrii et supplicii sustinuerunt; et quæ alii diuturna et gravia existimant, ipsi levia ducentes, ad Christum ire properabant; exemplo suo ostendentes, non esse dignas passiones hujus sæculi, quæ conferantur cum gloria quæ in nobis revelanda est [1]. Ac primum quidem quæcunque a populo universo acer-

[1] Rom. VIII, 18.

et Alexander Phryges, et Alcibiades oriundus item ex Phrygia, ut opinor; Irenæus quoque oriundus erat ex Asia, et Polycarpum Smyrnæ audierat una cum Florino admodum puer, ut ipse testatur. Po- C thini quoque episcopi vel nomen ipsum, Græcam originem designat. Proinde non mirum est, si qui ex Asia in Gallias venerant, fratribus suis in Asia constitutis de rebus suis scribant: a quibus, ut credibile est, epistolam illam de martyrio Polycarpi et aliorum, prius accepissent. Hujus autem Epistolæ auctorem fuisse arbitror Irenæum; qui quidem eo tempore Ecclesiæ Lugdunensis erat presbyter. VALES. At vero Tillemontius *Mém. eccl.* tom. III *in Mart. Lugd.*, not. 2, cum dubitet, utrum hæ provinciæ Viennensis et Lugdunensis sub uno præfecto tunc quidem agerent, nos admonet duas illas fuisse, quæ proprios sibi præfectos haberent. De variis autem præsidum generibus confer Valesium infra. Cæterum etsi mutui amoris vinculo tunc temporis conjuncti sint Christiani Viennenses et Lugdunenses, quanto odio haud diu antea in se invicem cives duarum istarum urbium flagraverint, nos nescire haud sinit Tacitus lib. I *Hist.*, cap. 65. D « Veterem, inquit, inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat, multæ invicem clades crebrius infestius, quam ut tantum propter Neronem Galbæmque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum verterat, multus contra in Viennenses honor, unde æmulatio et invidia, et uno amne discretis connexum odium. » Et post vidi Petrum De Marca docentem in *Dissert.* sua *ad concilium Claromontanum sub Urbano II*, honoris prærogativam in ordine civili tunc Viennæ competisse præ Lugduno ex instituto Galbæ; idemque discrimen inductum esse etiam in ecclesiasticam dispositionem; quod ex subscriptionibus concilii Arelat. I habiti anno 314, comprobat. Monet quoque clarissimus præsul, deberi exordia Ecclesiæ Lugdunensis Pothino episcopo, qui eam in regionem a Polycarpo Smyrnæ in Asia episcopo, beati Joannis apostoli discipulo missus est, ut lib. I *Historiæ Francorum*, cap. 24, docet Gregorius Turonensis, qui antiquitates illius Ecclesiæ perspectas habuerat, per aliquod tempus in ea urbe moratus cum Nicetio episcopo Lugdunensi avunculo suo. Vid. De Marca § 110, p. 559, tom. X *Concil.* ex edit. Labbe et Cossart.

(34) Ἐνθάδε Ἐνταῦθα. ed. Steph. Stroth. Paulo supra Nicephorus δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ pro δοῦλοι Χ., et καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, pro καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

(35) Οἰκιῶν. Christophorsonus *ædificia publica* interpretatur, quod non probo. Οἰκίαι enim nonnisi de privatis domibus dicuntur, a quibus tum arcebantur Christiani, id est ab ædibus amicorum, propinquorum, opificum. Neque enim assentior Rufino, qui Christianos in suis ipsorum domibus habitare prohibitos existimavit. VALES.

(36) Ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινά. Καθόλον pro τὸ καθόλου et τινὰ ἡμῶν ms. Norfolc.

(37) Ἐῤῥύετο· ἀντιπαρέτασσε δέ. Ἐῤῥώννυτο· ἀντιπαρετάσσετο δέ. Niceph. STROTH.

(38) Ὁμόσε ἐχώρουν αὐτῷ. Αὐτῷ deest in Steph. et Niceph. STROTH. Adde ms. Norfolc.

(39) Τὰ πολλὰ ὀγίγα μγούλενοι. *Multa pauca esse ducentes*, Vertitque Musculus: *multa pro modicis ducentes.*

(40) Ὄντως ἐπιδεικνύμενο. Deest ὄντως in ed. R. Steph. Cod. Med. adverbium addit hoc modo ὄντως ἐπιδεικνύμενοι. Neque aliter cod. Maz., Fuk. et Savilianus. VALES. Addit Strothius cod. Venet. et Christoph. lect. Nicephorumque, notat vero habere Bongarsii lect. in ed. Genev. οὕτως. Denique legisse ὄντως videtur ex interpretatione sua Rufinus, quod etiam additum est ad oram edit. Steph. in publica Biblioth. nostra.

(41) Ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Abest a Nicephoro. Mox apud eumd. legitur: Σωρηδὸν πανδημεὶ τὰ ἐπιφερόμενα ἀπὸ τοῦ ὄχλου. STROTH.

(42) Ἐπιβοήσεις. Habet καὶ ἐπιβοήσεις ms. Savil. seu Bodl. Mox abest καὶ συρμούς a ms. Norfolc.

vatim ingerebantur, constantissime tolerarunt ; acclamationes scilicet, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres ; cuncta denique, quæ vulgus furore et rabie concitatum, adversus hostes et inimicos comminisci solet. Perducti deinde in forum a tribuno militum et a magistratibus civitatis, coram universo populo interrogati confessique, usque ad præsidis adventum conjecti sunt in carcerem.

III. Post hæc, cum ad præsidem deducti essent, atque ille omni genere sævitiæ ferretur adversus nostros, Vettius Epagathus, unus ex fratrum numero, immensa quadam charitatis copia erga Deum simul et proximum exuberans ; qui adeo districtam ac severam vivendi rationem instituerat, ut quamvis adhuc juvenis, Zachariæ tamen senioris elogio æquaretur : incesserat quippe in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela[2] ; ad omne genus obsequii ac ministerii proximo exhibendum promptissimus ; zelo Dei ac fervore spiritus plenus ; hic, inquam, cum esset hujusmodi, adeo injustum adversus nos judicium pati non po-

A καὶ λίθων βολὰς, καὶ συγκλείσεις (43)· καὶ πάνθ' ὅσα ἠγριωμένῳ πλήθει ὡς πρὸς ἐχθροὺς καὶ πολεμίους φιλεῖ γίνεσθαι. Καὶ δὴ ἀναχθέντες εἰς τὴν ἀγορὰν ὑπό τε τοῦ χιλιάρχου καὶ τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν (44), ἐπὶ παντὸς τοῦ πλήθους ἀνακριθέντες καὶ ὁμολογήσαντες, συνεκλείσθησαν εἰς τὴν εἱρκτὴν ἕως τῆς τοῦ ἡγεμόνος παρουσίας (45).

III. Μετέπειτα δὲ ἐπὶ τὸν ἡγεμόνα ἀχθέντων αὐτῶν, κἀκείνου πάσῃ τῇ πρὸς ἡμᾶς ὠμότητι χρωμένου, Οὐέττιος Ἐπάγαθος (47) εἷς ἐκ τῶν ἀδελφῶν, πλήρωμα ἀγάπης τῆς πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸν πλησίον κεχωρηκώς· οὗ καὶ ἐπιτοσοῦτον ἠκρίβωτο ἡ πολιτεία, ὡς καίπερ ὄντα νέον, συνεξισοῦσθαι τῇ τοῦ πρεσβυτέρου Ζαχαρίου μαρτυρίᾳ· πεπόρευτο γοῦν ἐν πάσαις B ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἄμεμπτος, καὶ πάσῃ τῇ πρὸς τὸν πλησίον λειτουργίᾳ ἄοκνος· ζῆλον Θεοῦ πολὺν ἔχων, καὶ ζέων τῷ πνεύματι· τοιοῦτος δή τις ὤν, τὴν οὕτω καθ' ἡμῶν ἀλόγως [illegible]νομένην κρίσιν οὐκ ἐβάστασεν, ἀλλ' ὑπερηγανάκτησε, καὶ ἠξίου καὶ αὐτὸς (47) ἀκουσθῆναι ἀπολογούμενος

[2] Luc. I, 6.

(43) Καὶ συγκλείσεις. Non possum probare interpretationem Langi et Christophorsoni, qui συγκλείσεις carceres vertunt. Hic enim primo loco recensentur injuriæ et mala, quæ a conferta populi multitudine inferebantur Christianis ; in quibus carcer locum habere non potest ; judicium quippe non populi erat, reos carceri mancipare. Rectius ergo Rufinus vertit, *concludi. Sed et verberari*, inquit, *se ab illis, ac lapidari, et concludi, patienter accipiebant.* Gentiles enim Christianos intra domos suas concludebant, dum a foro et balneis eos arcerent, nec in publicum prodire sinerent, ut supra dictum est. Infra tamen συγκλείσεις pro carcere sumuntur. VALES.

(44) Τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν. Magistratus municipales intelligit, qui etiam duumviri dicebantur. Quamvis autem ἐξουσίας seu potestatis vocabulum, fere de majoribus judicibus dici solet, qui habent jus gladii, ut docet Ulpianus in titulo de jurisdictione, et de verborum significationibus, tamen de magistratibus etiam municipalibus usurpatur, qui habebant modicam coercitionem, ut loquuntur jurisconsulti. Sic apud Juvenalem :

... *Gabiorumque esse potestas.*

Infra ubi de Pothino, πολιτικαὶ ἐξουσίαι dicuntur. VALES.

(45) Ἕως τῆς τοῦ ἡγεμόνος παρουσίας. *Præsidem* vertit Rufinus ; quæ vox generalem habet significationem, perinde ac Græca. Omnes enim provinciarum rectores ita appellantur, seu procuratores sint, seu proconsules, seu legati Cæsaris. Dubitari itaque merito potest, cujusmodi hic fuerit rector provinciæ Lugdunensis. Equidem existimo legatum Cæsaris fuisse. Movet me primo, quod hic mentio fit tribuni militum ; id enim optime convenit legato Cæsaris, qui rem militarem curabat. Deinde in veteri inscriptione quam refert Gruterus pag. 427, legatus imp. Nervæ Trajani Cæsaris Aug. provinciæ Lugdunensis nominatur. Denique Spartianus in Severo, Lugdunensem provinciam per legatos Cæsaris administratam fuisse imperante M. Antonino testatur. Sic enim scribit de Severo : « Deinde provinciam Lugdunensem legatus accepit. » Ac fortasse in hac Lugdunensium epistola Severus intelligitur ; fuit enim legatus provinciæ Lugdunensis sub Marco. Sed et Junius Blæsus, quem rectorem Galliæ Lugdunensis vocat Tacitus in primo *Historiarum* libro, legatus fuit ; argumento est legio Italica et ala Taurina Lugduni tendens, quas regebat Blæsus. Fuit etiam Vitrasius Pollio legatus provinciæ Lugdunensis temporibus imp. Adriani, ut patet ex lege 15, D. *De excusationibus.* VALES. Addidit Lardnerus in *Testimon. Judaic. et ethnicis*, vol. II, cap. 15, p. 197, locum Dionis Cassii p. 1243, ed. Reimar. in quo memoratur Severi Lugdunense imperium, aitque censuisse Fr. Balduinum *Edict. princ. Roman. de Christianis* (p. 97, ed. Lips.) rexisse legatum hanc provinciam Septimium Severum, qui postea imperator fuit, dum hæc de Christianis sumerentur supplicia. Habet ἕως τοῦ ἡγεμόνος τῆς π. ms. Savil. seu Bodl.

(46) Οὐέττιος Ἐπάγαθος. De quo Gregorius Turonensis in libro primo *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 29. Et rursus cap. 31 de Ecclesia Bituricensi loquens sic habet : « Leucadium quemdam primum Galliarium senatorem, qui de stirpe Vetii Epagathi fuit, quem Lugduno passum pro Christi nomine superius memoravimus, repererunt. » Qui locus aperte ostendit Epagathum nobilitate generis inter Lugdunenses eminuisse. Sed et Epistola ipsa id satis superque testatur his verbis : Καὶ γὰρ ἦν ἐπίσημος. Porro hujus martyris nomen cum duplici τ scribi debet, ut habet codex Maz. et Fuketianus. Etenim nomen Romanum est Vettius apud Ciceronem et Juvenalem ; idque pronomen fuit Prætextati. Certe in manuscripto Rufini codice Vettius Epagathus dicitur. VALES. Si mittas edit. Romanam Cacciarii, ubi ex mss. Vaticanis positum est *Vectius Epagathus*, corrupte lectum fuerat in Rufino edito *Vectius*, vel *Vetius, Pagathus.* Exstat autem *Vetius Epagathus* in codice scripto Rufini *Hist.* qui in collegio S. Magdalenæ Oxonii servatur. Et *Vetius* quidem cum simplici τ exibent Eusebii ed. Steph. ms. Reg. et Med. Nicephorusque et Gregorius Tur., sed cum cæteris Valesii codd. consentit ms. noster Bodl. seu Savil. Habet vero γὰρ ἅγιος pro Οὐέττιος codicis Norfolc. collatio mihi ab amico missa, ubi statim post ita scribitur : Εἷς ἐκ τῶν ἀγαθῶν ἀδελφῶν ἐς πλήρωμα. Mox abest a cod. Bodl., τὸν Θεὸν καί.

(47) Καὶ αὐτός. Omittit καί ms. Norfolc. habetque infra ἀνεχομένου pro ἀνασχομένου.

ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, ὅτι μηδὲν ἄθεον μηδὲ ἀσεβές ἐστιν ἐν ἡμῖν. Τῶν δὲ περὶ τὸ βῆμα καταβοησάντων αὐτοῦ· εἰ γὰρ ἦν ἐπίσημος· καὶ τοῦ ἡγεμόνος μὴ ἀνασχομένου τῆς οὕτως ὑπ' αὐτοῦ δικαίας προταθείσης ἀξιώσεως, ἀλλὰ μόνον τοῦτο πυθομένου εἰ καὶ αὐτὸς εἴη Χριστιανός· τοῦ δὲ λαμπροτάτῃ φωνῇ ὁμολογήσαντος, ἀνελήφθη καί αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων· παράκλητος Χριστιανῶν χρημάτισας (48)· ἔχων δὲ τὸν παράκλητον ἐν ἑαυτῷ τὸ Πνεῦμα πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου (49)· ὃ διὰ τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης (50) ἐνεδείξατο, εὐδοκήσας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἀπολογίας καὶ τὴν ἑαυτοῦ θεῖναι ψυχήν. Ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος Χριστοῦ (51) μαθητής, ἀκολουθῶν τῷ Ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ.

A tuit; sed indignatione commotus, postulavit ut sibi quoque liceret pro fratribus causam dicere, palamque ostendere nihil apud nos impium aut irreligiosum reperiri. Verum cum illi qui circum tribunal astabant, adversus eum inclamassent (erat quippe inter suos clarus), et præses ipse petitionem alioqui justissimam ægre ferret, idque unum ex eo quæreret, essetne Christianus; ille, Christianum se esse clarissima voce professus, in martyrum numerum relatus est; advocatus quidem Christianorum judicis elogio appellatus; habens autem in seipso advocatum Spiritum sanctum multo abundantius quam Zacharias, quem quidem charitatis exuberantia declaravit, quippe qui sustinuerit pro fratrum defensione morti semet objicere. Fuit enim et est germanus Christi discipulus, sequens Agnum, quocunque ierit.

IV. Ἐντεῦθεν δὴ διεκρίνοντο (52) οἱ λοιποί. Καὶ φανεροὶ καὶ ἕτοιμοι ἐγίνοντο πρώτομάρτυρες· οἵ καὶ μετὰ πάσης προθυμίας ἀνεπλήρουν τὴν ὁμολογίαν τῆς μαρτυρίας. Ἐφαίνοντο δὲ καὶ οἱ ἀνέτοιμοι (53) καὶ ἀγύμναστοι, καὶ ἔτι ἀσθενεῖς, ἀγῶνος μεγάλου τόνον ἐνεγκεῖν μὴ δυνάμενοι. Ὧν καὶ ἐξέτρωσαν (54)

B IV. Exinde etiam reliqui dignosci, ac distingui cœpere. Et prompti quidem ac parati erant protomartyres, qui summa animorum alacritate solemnem illam martyrum confessionem ediderunt. Qui vero imparati et inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum,

(48) Παράκλητος Χριστιανῶν χρηματίσας. Male Christophorsonus hunc locum interpretatus est, quasi Epagathus exinde ab omnibus vocatus fuerit patronus Christianorum. Nostram autem versionem confirmat Rufinus, et quæ sequuntur verba, ἔχων δὲ Παράκλητον, etc., quæ stare omnino non possunt nisi ita interpreteris ut fecimus. Vales. Rufinus vetus interpres habet: *Tanquam advocatus, inquit* (h. e. ait præses), *Christianorum, et ipse vinctorum numerò societur.* Male ex antecedentibus repetitum est καὶ αὐτός ante vocem Παράκλητος in cod. ms. Bodl. et ad marg. duorum editionis Steph. exemplarium Jonesiani Bibliothecæque Bodl. Paulo post omittitur articulus ante Παρακλητον in eodem ms. Bodl. seu Savil.

C

(49) Πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου. Jam supra Epagathum comparavit cum Zacharia sacerdote, de quo Lucas in Evangelio cap. I. Iterum nunc alludit ad verba quæ leguntur in fine dicti capitis: *Et Zacharias repletus est Spiritu sancto.* Porro Spiritus S. Παράκλητος dicitur in Evangelio, id est *Advocatus*, quia scilicet postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ut ait Apostolus. Ita Tertullianus in libro *De jejuniis*, de Spiritu sancto loquens, qua Paracletus, id est advocatus, ad exorandum judicem, hujusmodi officiorum remedia mandabat.» At Rufinus cum hæc non intelligeret, ita vertit: *Ille vero habens in se advocatum pro nobis Jesum, hoc nomine meruit honorari, sancti presbyteri Zachariæ, qui erga sanctos plenitudinem charitatis ostenderat, secutus exemplum.* Quæ prava Rufini interpretatio occasionem erroris præbuit Adoni Viennensi, et Usuardo, et Notkero, qui in suis Martyrologiis quadraginta et octo martyrum Lugdunensium nomina recensentes, Zachariam presbyterum secundo loco nominant post Pothinum Lugdunensem episcopum. Qui si Græcum hujus Epistolæ exemplar consuluissent, animadvertissent profecto, Ζαχαρίαν πρεσβύτερον hic dici, non Zachariam presbyterum Lugdunensis Ecclesiæ, sed Zachariam sacerdotem patrem Joannis Baptistæ Quem quidem Lugdunenses in hac Epistola πρεσβύτερον, id est *seniorem* appellant, Epagathum juvenem ei comparantes. Cæterum hic error Adonis et reliquorum in Zachariæ martyris nomine, facit ut dubitem de cæteris nominibus martyrum Lugdunensium, quæ ab illis ibidem relata sunt. Vales. Vocem πλεῖον abesse a quibusdam mss. notatum est ad marg. exemplaris illius Jonesiani; et locum aliter in Græcis scriptum fortasse invenit Rufinus. Cæterum etsi recte monet Cacciari, Rufini editor, ægre colligi posse ex ejusdem Rufini textu Zachariam hunc pro martyre Lugdunensi haberi; quærens tamen in Præfatione, unde Valesio in mentem venerit, Zachariam a Rufino Lugdunensem martyrem esse factum, erravit ipse; nam Valesius id quidem nusquam asseruerat, sed Rufinum errandi occasionem aliis præbuisse dixerat.

D

(50) Τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης. Alludit ad illud Servatoris nostri dictum in Evangelio: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro fratribus suis.* Vales.

(51) Χριστοῦ. Τοῦ Χρίστου ms. Norfolc. Hæc: Ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος Χριστοῦ μαθητής, sicut Ignatiana illa: Τότε ἔσομαι μαθητὴς ἀληθῶς (*verus* Vet. interp.) τοῦ Χριστοῦ, ὅτε οὐδὲ τὸ σῶμα μου ὁ κόσμος ὄψεται, *Ep. ad Rom.* § 4 cum istis Christi verbis confert Pearsonius in *Vind. Ignat.* p. II, c. 9, p. 114: *Si quis venit ad me, et non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*, iterumque, *Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Statim post indicari Apoc. XIV, 4, verbis illis: Ἀκολουθῶν τῷ Ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ, Strothius notavit.

(52) Διεκρίνοντο. Metaphora videtur esse ab athletis, qui, antequam certamen inirent, examinari solebant ac probari, utrum ingenui, utrum ætatis athleticæ essent. Et ii quidem qui ad certamen admittebantur, dicebantur εἰσκρίνεσθαι; qui autem repudiabantur, ἐκκρίνεσθαι. Examen autem ipsum vocabatur διάκρισις, ut ex hoc loco colligo. Plena certe est hæc epistola vocabulis a re athletica translatis. Quod et loci hujus lectio ipsa indicat, et nos infra ostendemus apertius. Vales.

(53) Οἱ ἀνέτοιμοι. Οἱ, quod ab ed. Steph. aberat, addideratque forsitan ex scriptis suis Valesius, rejicit Strothius; sed cum Valesio, idque, opinor, recte, nostri consentiunt manuscripti. Paulo supra decerat in ms. Bodl. verbum ἐγίνοντο.

(54) Ὧν καὶ ἐξέτρωσαν. Ἐξέτρωσαν hic passive semitur pro ἐξημβλώθησαν, id est, *abortivi facti sunt, excussi sunt*, ἔκτρωμα ἐγένοντο. Quæ metaphora iterum usurpatur infra, ubi agitur de lapsis. Vales. Recepit hoc ἐξέτρωσαν in contextum ante me Strothius pro ἐξέπεσον, ex cod. Reg. et Lect. Venet. quibus addas ms. Norfolc. Idem quoque ad oram Genev. ed. atque in cod. Castellano exstat.

justis enim hominibus,et Spiritum habentibus præparatus est paradisus,in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles,quantum ad nos in præsenti:et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem,coauspiscantes incorruptelam.

A ἀνθρώποις καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἀῤῥητα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι· καὶ εἶ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀσέαρσίαν. *Hæc Irenæus lib.* v, *cap.* 5, *p.* 298.

VIII.

.... et (quemadmodum dixit quidam de senioribus) per extensionem manuum, duos populos ad unum Deum congregans.Duæ quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terræ : unum autem medium caput,quoniam et unus Deus super omnes, et per omnes, et in omnibus nobis.

. . . . καὶ ὡς ἔφη τις τῶν προσβεβηκότων, διὰ τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν (35), τοὺς δύο λαοὺς εἰς ἕνα Θεὸν συνάγων (scil. ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ). Λύο μὲν γὰρ αἱ χεῖρες, ὅτι καὶ δύο λαοὶ διεσπαρμένοι εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· μία δὲ μέση κεφαλή, ὁ Θεὸς, ὅτι εἷς ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν. *Hæc Irenæus attulit lib.* v, *c.* 17, *p.* 314.

IX.

Filius enim,quemadmodum et quidam ante nos (36) dixit, dupliciter intelligitur ; alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius ; alius autem secundum id quod factus est, reputatur filius. *Hæc Irenæus affert lib.* iv, *cap. ult.*

X.

Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum,quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit (38), Ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum : mensura enim Patris Filius, quoniam et capit eum. *Hæc Irenæus attulit lib.* iv *ejusd. Op. cap.* 4, *vel* 8.

Ἅπαντα μέτρῳ (37) καὶ τάξει ὁ Θεὸς ποιεῖ, καὶ οὐδὲν ἄμετρον παρ' αὐτῷ. ὅτι μηδὲν ἀναρίθμητον.

XI.

Quapropter et juste, et apte tali temeritati tuæ divinæ aspirationis senior, et præco veritatis,invectus est in te, dicens sic :

Idolorum fabricator Marce,et portentorum inspector,
Astrologiæ cognitor et magicæ artis,
Per quæ confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his, qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,

Διὸ καὶ δικαίως, καὶ ἁρμοζόντως τῇ τοιαύτῃ σου τολμῇ ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κῆρυξ τῆς ἀληθείας ἐμμέτρως ἐπιβεβόηκέ σοι, εἰπὼν οὕτως·

C Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,

(35) Τῆς θείας ἐκτάσεως τῶν χειρῶν. An genuinum sit illud θείας, quod abesse video a vetere Irenæi interprete, fortasse dubitandum. Cæterum Græca hæc Irenæi exstare in *Catena ms.in libros Regum*, num.211 bibl. Coislin., nos docuit Massuetus ; porro exscripsit eadem ex *Catena ms. in libros Regum* bibliothecæ Venetæ S. Marci cl. Mingarellius ad Didymi opus *De Trinitate* haud ita pridem editum,lib. II, c. 14, pag. 266. Quem fugerat, hæc quidem ad Irenæi librum *Contra hæreses* pertinere, is enim collocanda ea inter fragmenta operum ejusdem Patris, atque alii cuidam fragmento jam edito subjungenda monuit,tanquam si inedita D hucusque fuissent. — Ἐκτάσεως τῶν χειρῶν.. Elegans et pia admodum est hæc mystica figura Dominicæ crucis explicatio,quam a seniore,Polycarpum puto vel Papiam, accepit. Qui pluribus animum oblectare concupierit, et similibus,consulat Justini martyris *Apologiam* posteriorem, Lactanti lib. IV, cap.26 et 27 ; Rufinum in *Expos. Symboli*, Ambrosium serm. 55, Athanasium lib. *De Incarnatione Verbi*, Nazianzenum prima orat. *Apolog.*, Chrysostomum tribus Homil. *De Cruce*, Sedulium lib. V *Carminum*, Damascenum lib. IV, cap. 12, etc. FEUARDENT.

(36) *Quidam ante nos.* Confer Pearsonii *Vindicias Epistolarum Ignatii* part. I, cap. 6, pag. 297 editionis Clerici, ubi et Clementis Alexandrini gemina allegat verba. Grabius ad Iren.

(37) Ἅπαντα μέτρῳ. Hanc Irenæi sententiam Græce ex Claromontano *Parallelorum* Damasceni codice edidit Halloixius in *Vita Irenæi* pag. 483, quæ et in Vaticano eorumdem *Parallelorum* exemplari lit. A, cap. 2, eodem modo legitur. Irenæum vero alludere ad Sapientiæ XI, 21, quilibet videt. Massuet. ad Irenæum, ex Grabio.

(38) *Et bene qui dixit.* De hoc dicto lege omnino D. Georgii Bulli *Defensionem fidei Nicænæ*, sect. II, c. 5, § 4 ; Grab. *ibid.* — Respondens vanis Gnosticorum cavillationibus, qui ex eversa Hierosolyma, civitate regis magni, et abrogata veteri lege inferebant alium esse Veteris, alium Novi Testamenti auctorem et Deum, ostendit et Hierosolymæ et veteri legi suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse ; utramque advenienie nova lege desinere debuisse ; idque sapientissimo et ordinatissimo Dei consilio factum fuisse. *Omnia enim*, inquit, *mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum.* Quod postremum, scilicet, nihil non mensum apud Deum esse, ut probet,laudat veterem aliquem aut coævum scriptorem ecclesiasticum cujus nomen tacet, sed verba probat. *Et bene*, ait, *qui dixit, ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum.* Quibus ostendit,Deum adeo ordinis, proportionis, et mensuræ amantem esse ut neque suam ipse sibi mensuram deesse voluerit. Filius enim est mensura Patris, qui totam Patris immensitatem, infinitatem et substantiam in se capit, continet ac veluti circumscribit. Massuet. *ibid.*, *Dissert.* p. CXXXI.

Ἅ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ (39) Σατᾶν ἀεί (40)
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως (41) Ἀζαζήλ (42) ποιεῖν·
Ἔχων σε πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας (43).

Καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεόφιλος πρεσβύτης· ἡμεῖς δὲ, etc.

Hæc Irenæus lib. I, *cap.* 15, *al.* 12, *p.* 80, *ed. Massueti.*

A *Quæ tibi præstat tuus pater Satanas*
Per angelicam virtutem Azazel facere,
Habens te præcursorem contrariæ adversus Deum nequitiæ.

Et hæc quidem amator Dei senior. Nos autem, etc.

(39) Ἅ σοι χορηγεῖ σὸς πατήρ. Locum restituit Billius ex vet. interp. pro ἃ σὺ Χορηγεῖς ὡς. In textum recipi, sicut Pearsonius fecerat in *Vindiciis Ignatianis*, p. I, c. 6.

(40) Σατᾶν ἀεί. Hoc pro Σατανᾶ εἰ post Scaligerum reposuit Petavius in margine Epiphanii p. 246, metro ita exigente ; quamvis vetus interpres ἀεί haud legerit. GRABIUS.

(41) Δυνάμεως. Post hanc vocem irrepserat ἐγχειρήματα veteri interpreti ignotum, quod dolendum monuerunt Grabius et Massuetus, sed quod ante fecerat Pearsonius.

(42) Ἀζαζήλ. Angelus malus est, cujus mentio fit, ait Grabius, in paraphrasi Chaldaica Jonathani vulgo ascripta ad Genes. VI, 3. In libro Enochi decimus ordine inter 20 lapsos memoratur. De hoc plura somniarunt Rabbini. Legesis Agrippam, lib. II, *De occult. philos.* ; Reuchlinum lib. III *De arte cabalistica*, et Moynii *Notas ad Barnabæ epistolam* pag. 648, et seqq. Massuet. ex Grabio et Feuardentio.

(43) Ἀντιθέου πανουργίας. Pearsonius *Vindic. Ignat.* ubi supra, pag. 98 : « Divinus ille senex Marcum describere voluit, tanquam Antichristi præcursorem, quod hic significat ἀντίθεος πανουργία. »

ECCLESIARUM
VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS
EPISTOLA
DE MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI
ET ALIORUM PLURIMORUM.

PRÆMITTITUR

Fragmentum epistolæ eorumdem sanctorum martyrum ad S. Eleutherum Romanum pontificem.

(ROUTH, *Reliquiæ sacræ*, Oxonii, 1814, in-8°, tom. I, p. 260 ; GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, I. 691.)

PROŒMIA

(GALLAND. *ibid.*, tom. I, *Proleg.* p. CXXV.)

I. *Præstantia et amplitudo Epistolæ de martyribus ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis.*
II. *Horum martyrum Acta ab iis qui aderant, litteris consignata. Quisnam illa perscripsisse existimetur.*
III. *Quo tempore ferantur hi martyres passi.*
IV. *Nominum eorum recensio.*
V. *Memoria. Locus.*
VI. *Editio ex Valesiano Eusebio descripta. Præmittitur fragmentum epistolæ martyrum Lugdunensium ad S. Eleutherum Romanum pontificem.*

I. « Epistola Viennensium ac Lugdunensium martyrum, inquit Valesius vir summus (1), pulcherrimum est atque vetustissimum totius Ecclesiæ in hoc genere monumentum. De cujus laudibus cum multa jam dicta sint a multis, nemo tamen pro illius dignitate hactenus est locutus. Adeo ejus epistolæ meritum ac pondus, omnem dicendi vim superat. Atque id fatebuntur, quicunque eam sæpius B legerint. Quo plus enim legitur, eo semper videtur esse præstantior. Hoc vero tam insigne Ecclesiæ Gallicanæ monumentum, uni Eusebio acceptum ferre debemus ; qui nisi historiarum suarum libris illud intexuisset, tanto antiquitatis ecclesiasticæ thesauro nunc fortasse careremus. » Hæc ille.

(1) Vales. in Epist. nuncup. Euseb. *Hist.*

II. Jam vero quæ ad hanc epistolam spectant reliqua, ea potissimum ex Ruinartio repetere juverit. Sic igitur vir iste doctus (2) : « Cum Acta martyrum Lugdunensium ab iis ipsis conscripta sint qui rebus gestis præsentes adfuerunt, his nihil certius aut luculentius haberi potest. Tam pretiosum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum nobis servavit Eusebius, qui ut aliquod specimen gravissimæ persecutionis qua sub M. Aurelio imperatore agitata est Ecclesia, posteris relinqueret, Epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis in qua hæc Acta continentur, *Historiæ* suæ *ecclesiasticæ* inseruit (3), asserens in suæ narrationis procœmio, *innumerabiles prope martyres* tunc *per universum orbem enituisse*, cum non minus in aliis provinciis quam in Gallia persecutio fureret. »

Porro de hujus Epistolæ auctore silet Ruinartius, quem tamen alii fuisse Irenæum eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ presbyterum, haud immerito existimant. Quod quidem primus omnium suspicatus est Valesius (4), quem deinceps secuti sunt Tillemontius (5), Dodwellus (6) ac Massuetus (7), ut alios prætereamus. OEcumenius enimvero nonnulla refert de martyribus Lugdunensibus, ex iis desumpta, ut ipsemet testatur (8), quæ scripsit Irenæus Περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης τῶν μαρτύρων, *De sancto et Blandina martyribus*. Haud αὐτολεξεὶ quidem ea recitat OEcumenius, compendio usus : ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθεῖσθαι· quæ tamen in medium profert ipse, non aliunde quam ex nostra Epistola exscripsisse videtur.

III. Pergit porro V. C. ad tempus inquirendum, quo hi martyres feruntur passi ; qua de re alibi quoque agit, Dodwellum perstringens (9). « Id vero, ait, anno 17. M. Aurelii imperatoris contigisse tradit Eusebius disertis verbis in procœmio jam laudato, ubi eodem anno Eleutherum Romanum pontificem in Soteris mortui locum electum fuisse affirmat. Is est annus Christi 177, quem idem Eusebius in *Chronico* cum M. Aurelii anno 16 conjungit. Hunc numerandi modum amplexus est *Chronici Alexandrini* auctor, qui ad eumdem 16 Marci annum, Pothini cæterorumque martyrium Lugdunensium passionem refert. Aliam tamen viam iniit Henricus Dodwellus (10); hanc enim persecutionem ad 7. M. Aurelii annum, Christi 167 refert ; ne, si eam cum aliis veteribus et recentioribus scriptoribus ad annum ejus imperatoris 16, aut 17 prorogaret, fateri cogeretur persecutionem quæ sub M. Aurelii principatu sæviit, vel diuturniorem, vel saltem post aliquod tempus renovatam fuisse; cum inficiari non audiret, persecutionem sub ejus imperatoris initiis, in orientalibus saltem provinciis fuisse commotam.

« Nec objiciendum est, quod Eusebius in *Chronico* martyrum Gallicanorum necem ad M. Aurelii annum 7 videatur referre. Certum est enim, Eusebium in *Chronico* sæpius temporum seriem accurate non observasse, præsertim cum de martyribus egit, quos potius ad aliquam a persecutionibus quas decem enumerat, quam ad annum quo passi fuerunt referre curavit. Unde sub tertiæ persecutionis titulo, Symeonem Cleopæ filium simul cum sancto Ignatio et iis qui a Plinio Secundo interfecti sunt, conjungit. Cæterum favet nobis Eusebius etiam in *Chronico*, qui Eleutheri papæ initium ad annum 177 refert, sub cujus pontificatus initio martyres Lugdunenses passos fuisse certum est, non ex Eusebii solum verbis, sed ex ipsorummet martyrum Lugdunensium epistola, quam per sanctum Irenæum ad eum pontificem direxerunt. *Te per omnia*, inquiunt, *ac perpetuo optamus in Deo valere, pater Eleuthere.* »

IV. Ad hæc numerum inquirit et nomina eorum martyrum vir eruditus, sic inquiens : « Horum omnium martyrum nomina in eadem Epistola recensita erant. Sed excidit pretiosum illud antiquitatis monumentum, præter unum breve fragmentum quod refert Eusebius (11) ; cui hæc ille subjungit : *Quid opus est expressum in supradicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt ?* Hos martyres in totidem classes distribuunt Gregorius Turonensis (12), Ado et Notkerus (13) ; quos quadraginta et octo fuisse aiunt, eorumque nomina recensent, quæ ex istis auctoribus huc proferre visum est, usque dum antiquiora inveniantur monumenta.

« Hoc itaque ordine a Gregorio Turonensi referuntur (14) : *Vettius Epagathus*, *Zacharias*, hunc presbyterum fuisse cæteri referunt ; *Macarius*, *Alcibiades* : istum alio nomine, *Asclepiadem* vocari observat Notkerus ; et re ipsa sic nominatur in Martyrologio quod sancto Hieronymo tribuitur ; *Silvius*, *Primus*, *Ulpius* (15), *Vitalis*, *Comminius*, *October*, *Philominus*, *Geminus*, *Julia*, *Albina*, *Grata*, *Rogata* : hanc Gregorius Turonensis cum *Martyrologio* Hieronymiano omisit ; *Æmilia*, *Posthumiana* : sic Gregorius, alii *Potamiam* appellant ; *Pompeia*, *Rodone* seu *Rhodana*, *Biblis*, *Quarta*, *Materna*, *Elpenipsa*, *Stamas* : sic Gregorius ; Ado autem et

(2) Ruinart. *Admonit. in Act. SS. martyr. Lugd.*, p. 50.
(3) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, capp. 1-3.
(4) Vales. ad Euseb. *Hist. eccl.* lib. v, cap. 1, not. 2.
(5) Tillem. *Mem. eccl.* tom. III, p. 2.
(6) Dodw. *Dissert. sing.*, cap. 10, § 2, p. 154, addit. *Opp. post.* Pears.
(7) Massuet. dissert. II, Iren. §§ 11, 60.
(8) OEcum. *Comment. in I Petr. epist.*, cap. 3, tom. II, p. 498.
(9) Ruinart. Præfat. in *Act. martyr.*, § 38, p. 37.
(10) Dodw. dissert. 11, Cypr. § 36, p. 259, et *Dissert. singul. de Rom. pontif. success.*, cap. 14, § 3, p. 180.
(11) Euseb. *Hist. eccl.*, lib. v, cap. 4. Habes illud infra, p. 693.
(12) Greg. Tur. *De glor. martyr.*, lib. I, cap. 49.
(13) Ado et Notk. in *Martyrol.* ad d. 2. Jun.
(14) Vid. Baron. ad ann. 179, § 35.
(15 Al. *Alpius*. Ruinart. ad Gregor. Turon., p. 779.

Notkerus, *Helpes quæ et Amnas. Hi quidem diversissimis mortibus interempti sunt. Hi autem bestiis traditi sunt : Sanctus, Maturus, Attalus*, a Gregorio omissus; *Alexander, Ponticus, Blandina. Hi sunt qui in carcere spiritum reddiderunt ; Arescius* ; Ado et Notkerus, *Aristærus* : *Fotinus, Cornelius, Zotinus, Titus, Zoticus, Julius, Apollonius, Geminianus, Julia, Ausonia*, quatuor postremos non habet Gregorius ; *Æmilia, Gamnite*, sic Gregorius ; alii *Jamnica* ; *Pompeia, Alumna, Mamilia*, hæ duæ desunt in Adone et Notkero ; sed habent *Domnam*, quæ in Gregorio desideratur ; *Justa,Trifime*, Ado et Notkerus, *Trophima; Antonia et beatus Fotinus* (16) *episcopus*. In fragmento Vitæ sancti Barnardi (17) archiepiscopi Viennensis, *Severinus, Exsuperius* et *Felicianus* ex horum martyrum numero laudantur.

V. « Eorumdem martyrum,sed absque nominum recensione, meminerunt etiam alia Martyrologia ; Bedæ sincerum, Usuardi, Rabani cum duplici Romano, Florentinii scilicet et Baronii ad eumdem diem 2 Junii ; quamvis diversis diebus, idque potissimum circa finem Julii et initium Augusti, ut ex Actis patet, passi sint. De his martyribus homiliam habuit Eucherius Lugdunensis ,quæ *De sancta Blandina* inscribitur ; exstatque inter eas quæ sub Eusebii Gallicani nomine vulgatæ sunt (18). Hos *populum martyrum* ibi appellat Eucherius : unde plures fuisse conjicimus, quam a Gregorio enumerantur. Certe in *Actis sanctorum* Alexandri et Epipodii legimus (19), *plurimos* quidem ex his martyribus *distinctis passionibus atque nominibus ad succedentium memorias pervenisse : innumeros vero, qui vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos in cælestis vitæ libro tantum contineri.*

« Celebris est etiam nunc locus, *Athanacum* (20) appellatum,ubi passi dicuntur ii martyres ; a quo, ut ait Gregorius Turonensis l. c, vocantur a nonnullis *Martyres Athanacenses*. » Hucusque vir doctus.

VI. Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis Epistolam, prout eam refert Eusebius (21), proferimus ; iis omissis quæ historiographus Cæsariensis intexuit. ubi unum alterumve ejusdem Epistolæ locum præteriit,ne vetustissimi simulque pretiosissimi hujus monumenti scriptoris verba abrumperentur alienis. Valesii versionem addidimus cum eruditis ejus observationibus, quibus et nonnulla subjecimus aliunde petita.

Eidem porro Epistolæ præmittendum censuimus ex ipso Eusebio (22) fragmentum Epistolæ sanctorum martyrum Lugdunensium ad sanctum Eleutherum Romanum pontificem. « Has quidem litteras, verbis utor Massueti viri doctissimi (23), a martyribus ipsis scriptas fuisset negat Blondellus (24), sed potius a clero Lugdunensi, quia, inquit, anno 7 imperii Marci, Christi 167, quo martyrium Pothini ac Lugdunensium contigit, Soter Romanam Ecclesiam regebat, non Eleutherus. Sed ut id assequatur,prius Eusebii fidem elevet necesse est, qui eas litteras a martyribus adhuc in carcere positis scriptas, eosque sub Eleuthero, anno 17 Marci Aurelii,passos esse affirmat.Hinc ergo potius concludere debebat Blondellus, eos saltem anno 170 quo pontificatum iniisse vult Eleutherum, (tardius ego iniisse putem) martyrium subiisse, quam id vanis conjecturis nixus ad annum 167 referre. Certe post annum 167, imo et 170 eratam fuisse illam epistolam, demonstrat scribendi occasio. » Hucusque cum V.C. quem tamen in eamdem sententiam præcesserat Pearsonius (25), Salmasium simul ipsumque Blondellum perstringens. Ea de re præterea doctum quoque Coutantium adire juverit (26).

FRAGMENTUM

EPISTOLÆ SS. MARTYRUM LUGDUNENSIUM

AD ELEUTHERUM RONANUM PONTIFICEM.

(Ap. Euseb. *Hist. eccles.*, lib. v, cap. 4.)

Χαίρειν ἐν Θεῷ (27) σε ἐν πᾶσιν εὐχόμεθα καὶ

Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo va-

(16) Al. *Photinus*, melius ex Græco scriberetur *Pothinus*. Ruinart., ibiid.

(17) Sic. Extat in sæc. IV *Benedict.* part. II, p. 573.

(18) *Bibl. PP. Colon.*, tom. V, part. I.

(19) Ruinart. *Act. sinc. Mm. Alex. et Epipod.*, § 2, p. m. 63.

(20) Cod. Colb. a. *Athenaco*, et infra *Athenacenses :* quæ lectio nominis etymologiæ magis congrua videtur. Sic enim dictus est locus ille ab Athenis, quod ibi ara esset celebris apud veteres, ob certamina facundiæ Græcæ et Latinæ a Caio Caligula instituta. Celebrior postmodum fuit ob sanctos martyres : ibique basilica nobilis excitata est cum monasterio insigni Ordinis Benedictini, quod nostris diebus ad canonicos sæculares transiit. Ruinart. ad Greg. Turon. l. c.

(21) Euseb. *Hist. Eccl.* lib, v, capp. 1-3.

(22) Id. *ibid.*, cap. 4.

(23) Massuet. *Disseat. 2 in Iren.*, § 6. p. m. 67.

(24) Blondell. *Apolog. pro sent. Hivron.*, cap. 8.

(25) Pears. *Vindict. Igoat.* part. II, cap. 13. p. m. 417.

(26) Coutant. *Epist. Romam. pontif.*, p. 87.

(27) Χαίρειν ἐν Θεῷ. Post excerptam celeberrimam fratrum Ecclesiæ Vienn. et Lugdunensis Epi-

tere, pater Eleuthere. Has litteras ut ad te perferstolam, a quibus martyrum hæ litteræ alii cuidam ipsorum fratrum epistolæ subjunctæ fuisse videntur, Eusebius cap. 3 et 4, lib. v, hæc verba unico fragmento litterarum martyrum præmisit : Τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων, (πλεῖσται γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδοξοποιΐαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους Ἐκκλησίας ἐκτελούμενει, πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον), καὶ δὴ ῥιαφωνίας ὑπαρχούσης περὶ τῶν δεδηλωμένων, αὖθις οἱ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοί, τὴν ἰδίαν κρίσιν καὶ περὶ τούτων, εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξοτάτην ὑποτάττουσιν· ἐκθέμενοι καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολὰς, ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντει, τοῖς ἐπ' Ἀσίας καὶ Φρυγίας ἀδελφοῖς διεχάραξαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ, τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες, Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότ' ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας, τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων, πλεῖστα τῷ ἀνδρὶ μαρτυροῦντες, ὡς αἱ τοῦτον ἔχουσαι τὸν τρόπον δηλοῦσι φωναί· Χαίρειν ἐν Θεῷ, etc. *Cæterum cum Montanus et Alcibiades ac Theodotus, tunc primum in Phrygia opinione hominum tanquam prophetæ celebrari cœpissent (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus Ecclesiis etiam tum fieri solita, fidem plurimis faciebant eos quoque prophetare), cumque illorum hominum causa dissensio orta esset, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium suum, religiosum imprimis et cum recta fide consentieus, rursus eidem epistolæ subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se martyrum variis edi.tolis, quas illi dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Asia et Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant, pro pace Ecclesiarum quasi legatione fungentes. Sed et iidem martyres Irenæum qui tunc temporis adhuc presbyter Lugdunensis erat Ecclesiæ, supradicta Eleuthero per litteras commendarunt, eum testimonio suo non mediocriter ornantes, sicut ipsorum verba declarant quæ sic se habent* : « *Te per omnia,* » etc. Nunc accipe quæ ante hoc fragmentum docte notavit Petrus Coustantius ad pag. 87 *Rom. pontif. Epistolar.*, Parisiis editarum an. 1721 :

Anno 17 imperii Antonini Veri, Christi 177, Viennensis et Lugdunensis Ecclesiæ martyres,dum in vinculis adhuc essent, pro pace Eccle2iarum legatione fungentes, litteras ad Eleutherum scripsisse, Eusebius lib. v *Hist*, c. 3, tradit. Nempe pii illi martyres consultum volebant paci Ecclesiarum Asiæ et Phrygiæ,quæ propter novas Montani, Alcibiadis ac Theodoti prophetias turbabantur.

Tum Eleutherus, si Valesius not. in lib. v, Euseb., cap. 3, non fallitur, « litteris atque exhortationibus Lugdunensium martyrum impulsus, ad Ecclesias Asiæ atque Phrygiæ epistolam scripsit de recipiendis in Ecclesiam Montanistis ; sed statim admonitus a Praxea quodam Asiano, pacificas quas emiserat litteras revocavit.» Ex Eusebii tamen narratione colligitur, eas fuisse Lugdunensium martyrum ad Eleutherum litteras, quæ illum non ad Montanistas in Ecclesiam recipiendos inducerent, sed ab eorum potius communione avocarent. Masselius vero noster *Dissert. Præv.* in Irenæi libros, pag. 80, observat, opportune accidisse, ut cum Eleutherus laudatorum martyrum litteras accepisset, Praxeas ex Asia Romam veniens, ipsi Montanistarum fraudes retegeret; iisque detectis,litteras in Montani, Priscæ et Maximiliæ gratiam jam emissas revocare persuaderet. In eamdem opinionem, ut quæ probabilis et commoda videatur,ultro propenderem. Quia tamen una nititur Tertulliani narratione, in qua non Eleutherus nominatim, sed *simpliciter Romanus pontifex*, hortante Praxea, A sententiam mutasse dicitur ; ac præterea quædam hujus narrationis sint adjuncta, quæ in Eleutheri successorem aptius conveniant : satius visum est hanc mutationem Victori ascribere. Quippe Praxeas, ut Tertullianus loquitur, Romanum pontificem, « præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit litteras pacis » in gratiam Montani « jam emissas revocare.» Atqui Eleutherus proximus successor Soteris fuit, ad cujus annum quartum Cataphrygum seu Montanistarum originem Eusebius refert.Non igitur Praxeas Eleuthero « præcessorum ejus auctoritates, » sed unius Soteris auctoritatem adversus Montanistas proferre potuisset.Deinde ex verbis Tertulliani conficitur,Praxeam in urbem venisse, ibique hæresim suam disseminasse. Aliunde vero notum est hæresim illius non prius erupisse, quam Victor pontificatum adeptus esset.

Certius est Gallicanos fratres una cum relatione B eorum quæ martyres Lugduni passi fuerant, privatum de Montano, Alcibiade ac Theodoto judicium suum, « religiosum, inquit Eusebius,et cum orthodoxa fide accuratissime consentiens,» ad Asiæ et Phrygiæ Ecclesios misisse.Idem judicium simul eos Eleuthero notum fecisse valde probabile est. Hoc certe, Eusebio ipso teste, confirmabant, « prolatis interfectorum apud se martyrum variis epistolis, quas illi, dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant.» Nec ambigendum videtur, quin litteras illas conscripserint martyres, postquam Alcibiadem, cujus austera vivendi ratio Montanistis favere videbatur, « non recte neque ordine facere » Attalo revelatum fuit. Const. Vide infra ad fin. Epist. Vienn. et Lugdunensium.

Interea statuit sine idoneo, imo spreto valido testimonio Semlerus, martyres Lugdunenses et C Viennenses fuisse partium Montanistarum, quamvis catholici postea hæc nomina suis fastis inscripserint. *Observat. nov.* §§ 28 et 43. Sed plura de hac re, quando ad finem Epistolæ fratrum Vienn. et Lugd. venerimus. Ostendere autem vult in notis ad Eusebium Valesius, S. Irenæum litteras martyrum ad Eleutherum nunquam reapse pertulisse, propter angustias Ecclesiæ Lugduni retentum ; nam rogatum quidem fuisse eum a mariyribus et ab omni clero Lugdunensis Ecclesiæ, ut litteras ipsorum ad Eleutherum deferret, idque ipsum se facturum promisisse, verum cum Pothini episcopi mors subsecuta esset, Irenæum id præstare non potuisse; postea vero Lugdunenses fratres persecutione finita ad Eleutherum easdem litteras adjuncta sua epistola per alium quemdam misisse, Irenæo jam episcopo facto. Hæc quidem Valesius ; cum vero Irenæi iter reapse factum fuisse Eusebius satis aperte significet, Hieronymusque *De viris ill.* cap. 35, D idem diserte affirmet,rationes quidem allatæ fidem ei demere haud valent.Neque aliter sentiunt Cavius in *Vitt. PP. Apostol.*, Basnagius in *Annalibus*, ad an. 177 ; Massuetusque *in Irænæum* 2,art. 1. Rem. dubiam relinquit Tillemontius *Memor. Eccl.* tom. III, S. *Irénée*, art. 3, p. 36. Hieronymus vero l. c. sic scribit : « Irenæus Pothini episcopi,qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. »

(28) Σε ἐν πᾶσιν.... καὶ ἀεί, Deest σε in codd. mss. Bodl. et Norfolc., et ἐν apud Niceph. Vertit Rufinu, tanquam si πάλιν pro ἐν πᾶσιν legisset, hoc modo : *Valere te in Deo* iterum *et semper optamus.*

(29) Ὑπὲρ Ἐλεύθερα. Cod. Reg., Max, et Fuket.

ματα προϋτρεψάμεθο τὸν ἀεδλφὸν ἡμῶν καὶ κοινωνὸν Εἰρηναῖον διακομίσαι· καὶ παρακαλοῦμεν ἔχειν σε αὐτὸν ἐν παραθέσει, ζηλωτὴν ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην (30) περιποιεῖσθι, ὡς πρεσβύτερον Ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα (31).

ret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus; quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem testamenti Christi. Quod, si nobis compertum esset locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi in primis commendassemus.

ECCLESIARUM VIENNENSIS ET LUGDUNENSIS EPISTOLA

DE MARTYRIO S. POTHINI EPISCOPI

ET ALIORUM PLURIMORUM.

(Apud. Euseb. *Hist. eccles.* lib. v, capp. 1, 2, 3.)

I. Οἱ ἐν Βιέννῃ (32) καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλ- habent Ἐλεύθερε, quibus consentiunt Nicephorus et Rufinus. Sunt tamen qui hunc pontificem Romanum Eleutherium nominant; inter quos est Nicephorus patriarcha CP. in *Chronographia tripartita*, quam Anastasius Bibliothecarius Latine vertit; et Georgius Syncellus, et vetus interpres Irenæi in lib. in *Contra hæreses*, c. 3. Porro in cod. Maz. ac Medicæo ante hæc verba: Χαίρειν ἐν Θεῷ σε, etc., paulo majoribus litteris; in Medicæo etiam miniatis ascribitur Ἐπιστογή, spatio utrinque relicto: ut notetur hanc esse epistolam martyrum Lugdunensium. Vales. Imprimendum curaverat R. Steph. Ἐλευθέριε, quod mutavit Valesius. In uno saltem ex duobus scriptis meis, hic est Savil. seu Bodl. legitur Ἐλεόθερε.

(30) Δικαιοσύνη. Δικαιοσύνην ms. Bodl. seu Savil. forsitan pro casu tertio δικαιοσύνῃ. Et δικαιοσύνης Niceph. Supra aberat articulus ante Χριστοῦ a mss. Bodl. et Norfolc.

(31) Ἡρεθέμεθα. Statim post addit Eusebius: Τί δεῖ καταλέγειν τὸν ἐν νῇ δηλωθείσῃ γραφῇ νῶν μαρτύρων κατάλογον· (Nonnihil incertum videtur, fratrumne epistola quam Eusebius excerpserat, an martyrum hæc ipsa significetur, sed potius illa fratrum, quam supra dixerat in *Martyrologio* suo se integram inseruisse, vid. cap. 1 intelligenda est,) ἰδίᾳ μὲν τῶν ἀποτμήσει κεφαλῆς τετελειωμένων, ἰδίᾳ δὲ τῶν θηρσὶν εἰς βορὰν παραβεβλθμένων, καὶ αὖθις τῶν ἐπὶ τῆς εἱρκτῆς κεμοιμημένων· τόν τε ἀριθμὸν τῶν εἰσέτι τότε περιόντων ὁμολογητῶν; Ὅτῳ γὰρ φίλον, καὶ ταῦτα ῥᾷδιον πληρέστατα διαγνῶναι, μετὰ χεῖρας ἀναλαβόντι τὸ σύγγαμμα, ὃ καὶ αὐτὸ τῇ τῶν μαρτύρων συναγωγῇ πρὸς ἡμῶν, ὡς γοῦν ἔφην, κατελέκται. *Cæterum quid opus est expressum in supradicta Epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt? Quid item opus est referre numerum confessorum qui postea superfuerunt? Hæc enim quicunque voluerit, cuncta poterit plenissime cognoscere ex ipsius Epistolæ lectione, quam quidem nos, ut supra monuimus, in passionibus martyrum a nobis collectis integram inseruimus.* Hujus autem libri Eusebiani flebilem jacturam orbis terrarum fecit.

I. Servi Christi, qui apud Viennam et Lugdunum

(32) Οἱ ἐν Βιέννῃ, etc. Celebris hæc Epistola ab Œcumenio *Comment.* suo *in Ep. prior. D. Perti* cap. 3, p. 149, ed. Veron. S. Irenæo satis aperte tribuitur. Atque se arbitrari Henr. Valesius, ejus auctorem fuisse Irenæum, eo tempore Lugdunensis Ecclesiæ membrum. Quin et Valesio habes hac de re consentientem Cavium in *Vitt. PP. apostol.*; Dodwellum dissert. 6 in *Irenæum*, § 23; Massuet. *Dissert. in Irenæum* II, art. 3, et alibi, Basnag. *Annal.* vol. II, p. 168, multosque alios fortasse; nam asserit Cavius *Hist. lit.* vol. I, in *Irenæo*, idem sentire de hac re omnes pene eruditos. Cum vero epistolæ hujus, quæ nomine Ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis conscripta est, auctorem Irenæum esse, neque Eusebius neque Hieronymus affirmaverit, eamdem scriptis, quæ ego colligo, addendam censui.

Singularem ejus præstantiam uno ore testantur omnes; aliis autem viris magnis, ut verbi causa Josepho Scaligero, prætermissis, unum sisto Valesium, qui in epistola ad clerum Gallicanum, *Hist.* Eusebii præmissa, hæc scribit: « Epistolam Viennensium ac Lugdunensium statim proferemus, quod pulcherrimum est atque vetustissimum totius Ecclesiæ in hoc genere monumentum. De cujus laudibus cum multa jam dicta sint a multis, nemo tamen pro illius dignitate hactenus est locutus. Adeo ejus Epistolæ meritum ac pondus omnem dicendi vim superat. Atque id fatebuntur quicunque eam sæpius legerint. Quo plus enim legitur, eo semper videtur esse præstantior. » Hæc Valesius. Memorata est epistola in *Passione SS. Epipodii et Alexandri* his verbis: « Post vastissimam martyrum stragem et sævientium passionum crudelitatem, de qua etiam Christi famuli quos tunc illustrissimæ urbes Vienna et Lugdunum tenebant, ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ scripta miserunt, cum pene ad integrum Christi nomen a gentilibus crederetur exstinctum; per proditionem domesticam Epipodius et Alexander occulto operam dare catholico fidei cultui præsidi nuntiantur. » *Acta mart.* a Theod. Ruinarto edit. § 2, p. 74 ed. Amst. Ut Eusebii editiones taceam, edita est epistola, sed ex Rufini Latina interpretatione tantum, a Godf. Henschenio in *Actis Sanctor.* tom. I Junii mens.,

Galliæ degunt, fratribus per Asiam et Phrygiam constitutis, qui eadem nobiscum fidem ac spem habent redemptionis, pax et gratia et gloria a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. Et gravita-

A λίας (33) παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν, τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς, εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ

p. 162. seqq., et ab eodem Ruinarto ubi supra ad p. 60 et seqq., quem ego imitatus, Epistolæ quod servatum est in sectiones divisum exhibui, quo melius legentium commodis consuleretur. Idem hoc fecisse nunc video Gallandium, qui vol. primo suæ *Bibliothecæ PP.* hanc Epistolam sicut martyrum Lugdunensium Fragmentum illud, una cum Valesii notis inseruit, additis aliis quibusdam observationibus ex Ruinarto Readingiique editione Eusebii petitis. In *Memor. autem ecclesiast.* tom. III, de his egit fragmentis accommodate ad ordinem temporis Tillemontius.

Quod ad annum attinet, quo hæc Gallicana vexatio exarserit, contigisse eam anno imperii Antonini Veri 17, tradit, ut videbiis, Eusebus in hujus B lib. quinti principio, ubi consulentus est Valesius. Auctor quoque *Passionis*, quam modo memoravi, *SS. Epipodii et Alaxandri*, vel eumdem annum, vel in codicibus nonnullis *decimum octavum*, habet. Contra illos porro, qui ad annum 7 ejusdem imperii horum martyrum triumphos, fide nixi *Chronici* Eusebii quod *Historiæ* ejus hac in parte adversatur, signare volunt, multa nova argumenta attulit Moshemius, *Observ. sacr. et histor.* lib. I, cap. 3, § 10 et seqq., vexationem isthanc anno Christi 177 attribuens, qui annus est 17 Antonini imp. Cæterum hæc verba Eusebius fragmentis præmisit initio lib. V : Ὁ μὲν οὖν τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας ἐπίσκοπος Σωτὴρ ἐπὶ ὄγδοον ἔτος ἡγησάμενος, τελευτᾷ τὸν βίον· τοῦτον δωδέκατος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων Ἐλεύθερος διαδέχεται. Ἔτος δ' ἦν ἐπτακαιδέκατον αὐτοκράτορος Ἀντωνίνου Οὐήρου. Ἐν ᾧ κατά τινα μέρη τῆς γῆς σφοδρότερον ἀναρριπισθέντος τοῦ καθ' ἡμῶν διωγμοῦ ἐξ ἐπιθέσεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δήμων, μυριάς μαρτύρων ἀνὰ τὴν οἰκουμένην διαπρέψαι στοχασμῷ λαβεῖν ἔνεστιν, ἀπὸ τῶν καθ' ἕν ἔθνος συμβεβηκότων. Ἃ καὶ γραφῇ τοῖς μετέπειται παραδοθῆναι, ἀλήστου μνήμης ὡς ἀληθῶς ἐπάξια ὄντα, συμβέβηκε. Τῆς μὲν οὖν περὶ τούτων ἐντελεστάτης ὑφηγήσεως τὸ πᾶν σύγγραμμα, τῇ τῶν μαρτύρων ἡμῖν κατατέτακται συναγωγῇ· οὐχ ἱστορικὴν αὐτὸ μόνον, ἀλλὰ καὶ διδασκαλικὴν περιέχον διήγησιν. Ὁπόσα γέ τοι τῆς παρούσης ἐχοιτο πραγματείας, ταῦτ' ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀναλεξάμενος παραθήσομαι. Ἄλλοι μὲν οὖν ἱστορικὰς ποιούμενοι διηγήσεις, πάντως ἂν παρέδωκαν τῇ γραφῇ πολέμων νίκας, καὶ τρόπαια κατ' ἐχθρῶν, στρατηγῶν τε ἀριστείας, καὶ ὁπλιτῶν ἀνδραγαθίας, αἵματι καὶ μυρίοις φόνοις, παίδων καὶ πατρίδος, καὶ τῆς ἄλλης ἕνεκεν περιουσίας μιανθέντων. Ὁ δὲ γε περὶ τοῦ κατὰ Θεὸν πολιτεύματος διηγηματικὸς ἡμῖν λόγος, τοὺς ὑπὲρ αὐτῆς τῆς κατὰ ψυχὴν εἰρήνης εἰρηνικωτάτους πολέμους· καὶ τοὺς ἐν τούτοις ὑπὲρ ἀληθείας μᾶλλον ἢ πατρίδος, καὶ μᾶλλον ὑπὲρ εὐσεβείας ἢ τῶν φιλτάτων ἀνδρισαμένους, αἰωνίαις ἀναγράψεται σηλαις· τῶν εὐσεβείας ἀθλητῶν τὰς ἐνστάσεις, καὶ τὰς πολυτλήτους ἀνδρίας, τρόπαιά τε τὰ κατὰ δαιμόνων, καὶ νίκας τὰς κατὰ τῶν ἀοράτων ἀντιπάλων, καὶ τοὺς ἐπὶ πᾶσι τούτοις στεφάνους, εἰς αἰώνιον μνήμην ἀνακηρύττων. Γαλλία μὲν οὖν ἡ χώρα ἦν, καθ' ἣν νὸ τῶν ὀνομαζομένων συνεκροτεῖτο στάδιον, ἧς μητροπόλεις ἐπίσημοι καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφέρουσαι βεβόηνται, Λούγδουνος λαὶ Βίεννα, δι' ὧν ἀμφοτέρων τὴν πᾶσαν χώραν πολλῷ τῷ ῥεύματι περιῤῥέων ὁ Ῥοδανὸς ποταμὸς διέξεισι. Τὴν οὖν περὶ τῶν μαρτύρων γραφήν, αἱ τῆδε διαφανέσταται Ἐκκλησίαι, ταῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν διαπέμπονται, τὰ παρ' αὐταῖς πραχθέντα, τοῦτον ἀνιστοροῦσαι τὸν τρόπον. Παρθήσομαι δὲ τὰς αὐτῶν φωνάς. Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ, etc. *Igitur Soiere Romanæ urbis episcopo post octavum episcopatus annum vita juncto, duo decimus ab apostolis Eleutherus in ejus locum successit.* Annus tunc

agebatur septimus decimus imperii Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione populorum, innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse, ex iis quæ in unitra provincia contigerunt, conjicere est. Quæ quidem utpote immortali memoria dignissima, litterarum monumentis commendata et ad posteros transmissa sunt. Et acta quidem ipsa quibus plenissima harum rerum narratio continetur, in opere De martyribus *integra a nobis inserta sunt : ex quibus non solum cognitio rerum gestarum, verum etiam documenta pietatis percipi possunt. Quæcunque tamen ad institutum nostrum spectare mihi visa sunt ea impræsentiarum seligens, hic apponam. Ac cæteri quidem historiarum scriptores, nihil aliud fere monumentis suis prodiderunt, quam bellicas victorias, et erecta de hostibus victis tropæa ; ducum res præclare gestas, fortia militum facta, qui pro patria, pro liberis ac fortunis suis, manus suas sanguine et infinita hostium cæde commaculaverant. At nos qui sacræ cujusdam ac divinæ reipublicæ historiam narramus, pacatissima quædam bella pro spiritali pace suscepta, eosque qui in hujusmodi bellis pro veritate ac religione potius quam pro patria ac liberis fortiter decertarunt, immortalibus litterarum monumentis mandabimus : athletarum pro pietate pugnantium constantiam, et in perferendis multiplicibus tormentis fortitudinem, tropæa adversus dæmones statuta, partas ex invisibilibus hostibus victorias, coronas denique ad perpetuam posteritatis memoriam prædicantes. Porro regio ipsa in qua stadium ad hæc quæ dixi certamina constitutum* C *fuit, Gallia vocatur. In hac duæ præ cæteris insignes præstantesque urbium matres celebrantur, Lugdunum ac Vienna ; quarum utraque permeat Rhodanus, universam regionem præcipiti cursu circumfluens. Igitur nobilissimæ horum locorum Ecclesiæ Commentarium de passione martyrum suorum ad Ecclesias Asiæ Phrygiæque miserunt, ea quæ apud sa gesta erant, hoc modo commemorantes. Ipsa enim verba non gravabor apponere.* « *Servi Christi qui apud Viennam et Lugdunum,* » etc., etc.

(33) Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουλδούνῳ τῆς Γαλλίας. Duplex hic quæstio oritur : prima, cur hæc epistola scripta sit conjunctim a duobus Ecclesiis, Viennensi ac Lugdunesi ; altera, cur Galli Græce scribant ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, et ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum. Quod ad primam attinet, hoc idcirco factum existimo, quod Ecclesiæ Viennensium ac Lugdunensium, non modo loci vicinitate, sed etiam mutui amoris vinculo conjunctæ erant. Et D cum in eadem persecutione simul decertassent, epistolam de suis martyribus simul et conjunctim scripserunt. Ad hæc utraque provincia sub unius præsidis jurisdictione, tunc quidem temporis videtur fuisse ; ut ex eo conjicitur, quod tam Viennenses quam Lugdunenses, ob fidem Christi a præside comprehensi et damnati esse dicuntur in hac Epistola. Hæ igitur causæ sunt, cur conjunctim scripserint Viennenses et Lugdunenses. Nam quod suspicati sunt quidam, unum tunc fuisse episcopum Viennæ atque Lugduni, id ex hac ipsa Epistola facile refellitur, quæ Pothinum episcopum Lugduni fuisse dicit, non item Viennæ. Porro Lugdunenses honoris causa Viennensium nomen præponunt, cum tamen ipsi Lugdunenses epistolam scribant de iis quæ Lugduni gesta fuerant. Vetustati quoque et nobilitati Coloniæ Viennensium id tributum videri potest. Quod vero ad secundam quæstionem attinet, ex ipsa epistola dicimus plurimos fuisse Græcos in Ecclesia Lugdunensi cujusmodi fuit Attalus

τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Τὸ μὲν οὖν μέγεθος τῆς ἐνθάδε (34) θλίψεως, καὶ τὴν τοσαύτην τῶν ἐθνῶν εἰς τοὺς ἁγίους ὀργὴν, καὶ ὅσα ὑπέμειναν οἱ μακάριοι μάρτυρες, ἐπ' ἀκριβὲς οὔθ' ἡμεῖς εἰπεῖν ἱκανοὶ, οὔτε μὴν γραφῇ περιληφθῆναι δυνατόν. Παντὶ γὰρ σθένει ἐνέσκηψεν ὁ ἀντικείμενος, προοιμιαζόμενος ἤδη τὴν ἀδεῶς μέλλουσαν ἔσεσθαι παρουσίαν αὐτοῦ· καὶ διὰ πάντων διῄθεν, ἐθίζων τοὺς ἑαυτοῦ καὶ προγυμνάζων κατὰ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ· ὥστε μὴ οἰκιῶν (35) καὶ βαλανείων καὶ ἀγορᾶς εἴργεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινὰ (36), αὐτοῖς ἀπειρῆσθαι ἐν ὁποίῳ δήποτε τόπῳ.

Β Ἀντεστρατήγει δὲ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ· καὶ τοὺς μὲν ἀσθενεῖς ἐῤῥύετο, ἀντιπαράτασσε δὲ (37) στύλους ἑδραίους, ὁμναμένους διὰ τῆς ὑπομονῆς, πᾶσαν τὴν ὁρμὴν τοῦ πονηροῦ εἰς ἑαυτοὺς ἑλκύσαι· οἳ καὶ ὁμόσε ἐχώρουν αὐτῷ (38), πᾶν εἶδος ὀνειδισμοῦ καὶ κολάσεως ἀνεχόμενοι· οἳ καὶ τὰ πολλὰ ὀλίγα ἡγούμενοι (39), ἔσπευδον πρὸς Χριστὸν, ὄντως ἐπιδεικνύμενοι (40) ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς (41). Καὶ πρῶτον μὲν τὰ ἀπὸ τοῦ ὄχλου πανδημεὶ σωρηδὸν ἐπιφερόμενα, γενναίως ὑπέμενον· ἐπιβοήσεις (42) καὶ πληγὰς, καὶ συρμοὺς, καὶ διαρπαγὰς,

A tem quidem ipsam ærumnarum, et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quæque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate possit. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius, adventus sui, in quo cum omni licentia grassaturus est, jam tum nobis initia ac primordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, dum ministros suos assuefacit, et quibusdam quasi proludiis exercet adversus servos Dei; adeo ut non solum ab ædibus, a balneis, a foro arceremur; verum etiam interdictum fuerit, ne quis nostrum quocunque demum in loco appareret.

B II. Sed gratia Dei pro nobis adversus diabolum depugnavit: et infirmiores quidem servavit, viros autem illi opposuit columnarum instar firmos ac stabiles, qui fortitudine sua universum dæmonis impetum in semetipsos pertrahere valerent. Hi ergo cominus congressi, omne genus opprobrii et supplicii sustinuerunt; et quæ alii diuturna et gravia existimant, ipsi levia ducentes, ad Christum ire properabant; exemplo suo ostendentes, non esse dignas passiones hujus sæculi, quæ conferantur cum gloria quæ in nobis revelanda est [1]. Ac primum quidem quæcunque a populo universo acer-

[1] Rom. VIII, 18.

et Alexander Phryges, et Alcibiades oriundus item ex Phrygia, ut opinor; Irenæus quoque oriundus erat ex Asia, et Polycarpum Smyrnæ audierat una cum Florino admodum puer, ut ipse testatur. Po- C thini quoque episcopi vel nomen ipsum, Græcam originem designat. Proinde non mirum est, si qui ex Asia in Gallias venerant, fratribus suis in Asia constitutis de rebus suis scribant: a quibus, ut credibile est, epistolam illam de martyrio Polycarpi et aliorum, prius accepissent. Hujus autem Epistolæ auctorem fuisse arbitror Irenæum; qui quidem eo tempore Ecclesiæ Lugdunensis erat presbyter. VALES. At vero Tillemontius *Mém. eccl.* tom. III *in Mart. Lugd.*, not. 2, cum dubitet, utrum hæ provinciæ Viennensis et Lugdunensis sub uno præfecto tunc quidem agerent, nos admonet duas illas fuisse, quæ proprios sibi præfectos haberent. De variis autem præsidum generibus confer Valesium infra. Cæterum etsi mutui amoris vinculo tunc temporis conjuncti sint Christiani Viennenses et Lugdunenses, quanto odio haud diu antea in se invicem cives duarum istarum urbium flagraverint, nos nescire haud sinit Tacitus lib. I *Hist.*, cap. 65. D « Veterem, inquit, inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat, multæ invicem clades crebrius infestius, quam ut tantum propter Neronem Galbæmque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum verterat, multus contra in Viennenses honor, unde æmulatio et invidia, et uno amne discretis connexum odium. » Et post vidi Petrum De Marca docentem in *Dissert.* sua *ad concilium Claromontanum sub Urbano II*, honoris prærogativam in ordine civili tunc Viennæ competisse præ Lugduno ex instituto Galbæ; idemque discrimen inductum esse etiam in ecclesiasticam dispositionem; quod ex subscriptionibus concilii Arelat. I habiti anno 314, comprobat. Monet quoque clarissimus præsul, deberi exordia Ecclesiæ Lugdunensis Pothino episcopo, qui eam in regionem a Polycarpo Smyrnæ in Asia episcopo, beati Joannis apostoli discipulo missus est, ut lib. I *Historiæ Francorum*, cap. 24, docet Gregorius Turonensis, qui antiquitates illius Ecclesiæ perspectas habuerat, per aliquod tempus in ea urbe moratus cum Nicetio episcopo Lugdunensi avunculo suo. Vid. De Marca § 110, p. 559, tom. X *Concil.* ex edit. Labbe et Cossart.

(34) Ἐνθάδε Ἐνταῦθα. ed. Steph. Stroth. Paulo supra Nicephorus δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ pro δοῦλοι Χ., et καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, pro καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

(35) Οἰκιῶν. Christophorsonus *ædificia publica* interpretatur, quod non probo. Οἰκίαι enim nonnisi de privatis domibus dicuntur, a quibus tum arcebantur Christiani, id est ab ædibus amicorum, propinquorum, opificum. Neque enim assentior Rufino, qui Christianos in suis ipsorum domibus habitare prohibitos existimavit. VALES.

(36) Ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινά. Καθόλον pro τὸ καθόλου et τινὰ ἡμῶν ms. Norfolc.

(37) Ἐῤῥύετο· ἀντιπαρέτασσε δέ. Ἐῤῥώννυτο· ἀντιπαρετάσσετο δέ. Niceph. STROTH.

(38) Ὁμόσε ἐχώρουν αὐτῷ. Αὐτῷ deest in Steph. et Niceph. STROTH. Adde ms. Norfolc.

(39) Τὰ πολλὰ ὀγίγα μγούλενοι. *Multa pauca esse ducentes*, Vertitque Musculus: *multa pro modicis ducentes.*

(40) Ὄντως ἐπιδεικνύμενο. Deest ὄντως in ed. R. Steph. Cod. Med. adverbium addit hoc modo ὄντως ἐπιδεικνύμενοι. Neque aliter cod. Maz., Fuk. et Savilianus. VALES. Addit Strothius cod. Venet. et Christoph. lect. Nicephorumque, notat vero habere Bongarsii lect. in ed. Genev. οὕτως. Denique legisse ὄντως videtur ex interpretatione sua Rufinus, quod etiam additum est ad oram edit. Steph. in publica Biblioth. nostra.

(41) Ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Abest a Nicephoro. Mox apud eumd. legitur: Σωρηδὸν πανδημεὶ τὰ ἐπιφερόμενα ἀπὸ τοῦ ὄχλου. STROTH.

(42) Ἐπιβοήσεις. Habet καὶ ἐπιβοήσεις ms. Savil. seu Bodl. Mox abest καὶ συρμούς a ms. Norfolc.

vatim ingerebantur, constantissime tolerarunt ; acclamationes scilicet, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres ; cuncta denique, quæ vulgus furore et rabie concitatum, adversus hostes et inimicos comminisci solet. Perducti deinde in forum a tribuno militum et a magistratibus civitatis, coram universo populo interrogati confessique, usque ad præsidis adventum conjecti sunt in carcerem.

III. Post hæc, cum ad præsidem deducti essent, atque ille omni genere sævitiæ ferretur adversus nostros, Vettius Epagathus, unus ex fratrum numero, immensa quadam charitatis copia erga Deum simul et proximum exuberans ; qui adeo districtam ac severam vivendi rationem instituerat, ut quamvis adhuc juvenis, Zachariæ tamen senioris elogio æquaretur : incesserat quippe in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela[1] ; ad omne genus obsequii ac ministerii proximo exhibendum promptissimus ; zelo Dei ac fervore spiritus plenus ; hic, inquam, cum esset hujusmodi, adeo injustum adversus nos judicium pati non po-

A καὶ λίθων βολὰς, καὶ συγκλείσεις (43)· καὶ πάνθ' ὅσα ἠγριωμένῳ πλήθει ὡς πρὸς ἐχθροὺς καὶ κολεμίους φιλεῖ γίνεσθαι. Καὶ δὴ ἀναχθέντες εἰς τὴν ἀγορὰν ὑπό τε τοῦ χιλιάρχου καὶ τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν (44), ἐπὶ παντὸς τοῦ πλήθους ἀνακριθέντες καὶ ὁμολογήσαντες, συνεκλείσθησαν εἰς τὴν εἱρκτὴν ἕως τῆς τοῦ ἡγεμόνος παρουσίας (45).

III. Μετέπειτα δὲ ἐπὶ τὸν ἡγεμόνα ἀχθέντων αὐτῶν, κἀκείνου πάσῃ τῇ πρὸς ἡμᾶς ὠμότητι χρωμένου, Οὐέττιος Ἐπάγαθος (47) εἷς ἐκ τῶν ἀδελφῶν, πλήρωμα ἀγάπης τῆς πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸν πλησίον κεχωρηκώς· οὗ καὶ ἐπιτοσοῦτον ἠκρίβωτο ἡ πολιτεία, ὡς καίπερ ὄντα νέον, συνεξισοῦσθαι τῇ τοῦ πρεσβυτέρου Ζαχαρίου μαρτυρίᾳ· πεπόρευτο γοῦν ἐν πάσαις B ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἄμεμπτος, καὶ πάσῃ τῇ πρὸς τὸν πλησίον λειτουργιᾷ ἄοκνος· ζῆλον Θεοῦ πολὺν ἔχων, καὶ ζέων τῷ πνεύματι· τοιοῦτος δή τις ὤν, τὴν οὕτω καθ' ἡμῶν ἀλόγως νομένην κρίσιν οὐκ ἐβάστασεν, ἀλλ' ὑπερηγανάκτησε, καὶ ἠξίου καὶ αὐτὸς (47) ἀκουσθῆναι ἀπολογούμενος

[1] Luc. I, 6.

(43) Καὶ συγκλείσεις. Non possum probare interpretationem Langi et Christophorsoni, qui συγκλείσεις carceres vertunt. Hic enim primo loco recensentur injuriæ et mala, quæ a conferta populi multitudine inferebantur Christianis ; in quibus carcer locum habere non potest ; judicium quippe non populi erat, reos carceri mancipare. Rectius ergo Rufinus vertit, *concludi. Sed et verberari*, inquit, *sc ab illis, ac lapidari, et concludi, patienter accipiebant.* Gentiles enim Christianos intra domos suas concludebant, dum a foro et balneis eos arcerent, nec in publicum prodire sinerent, ut supra dictum est. Infra tamen συγκλείσεις pro carcere sumuntur. VALES.

(44) Τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν. Magistratus municipales intelligit, qui etiam duumviri dicebantur. Quamvis autem ἐξουσίας seu potestatis vocabulum, fere de majoribus judicibus dici solet, qui habent jus gladii, ut docet Ulpianus in titulo de jurisdictione, et de verborum significationibus, tamen de magistratibus etiam municipalibus usurpatur, qui habebant modicam coercitionem, ut loquuntur jurisconsulti. Sic apud Juvenalem :

... *Gabiorumque esse potestas.*

Infra ubi de Pothino, πολιτικαὶ ἐξουσίαι dicuntur. VALES.

(45) Ἕως τῆς τοῦ ἡγεμόνος παρουσίας. *Præsidem* vertit Rufinus ; quæ vox generalem habet D significationem, perinde ac Græca. Omnes enim provinciarum rectores ita appellantur, seu procuratores sint, seu proconsules, seu legati Cæsaris. Dubitari itaque merito potest, cujusmodi hic fuerit rector provinciæ Lugdunensis. Equidem existimo legatum Cæsaris fuisse. Movet me primo, quod hic mentio fit tribuni militum ; id enim optime convenit legato Cæsaris, qui rem militarem curabat. Deinde in veteri inscriptione quam refert Gruterus pag. 427, legatus imp. Nervæ Trajani Cæsaris Aug. provinciæ Lugdunensis nominatur. Denique Spartianus in Severo, Lugdunensem provinciam per legatos Cæsaris administratam fuisse imperante M. Antonino testatur. Sic enim scribit de Severo : « Deinde provinciam Lugdunensem legatus accepit. » Ac fortasse in hac Lugdunensium epistola Severus intelligitur ; fuit enim legatus provinciæ Lugdunensis sub Marco. Sed et Junius Blæsus, quem rectorem Galliæ Lugdunensis vocat Tacitus in primo *Historiarum* libro, legatus fuit ; argumento est legio Italica et ala Taurina Lugduni tendens, quæ regebat Blæsus. Fuit etiam Vitrasius Pollio legatus provinciæ Lugdunensis temporibus imp. Adriani, ut patet ex lege 15, D. *De excusationibus.* VALES. Addidit Lardnerus in *Testimon. Judaic. et ethnicis*, vol. II, cap. 15, p. 197, locum Dionis Cassii p. 1243, ed. Reimar. in C quo memoratur Severi Lugdunense imperium, atque censuisse Fr. Balduinum *Edict. princ. Roman. de Christianis* (p. 97, ed. Lips.) rexisse legatum hanc provinciam Septimium Severum, qui postea imperator fuit, dum hæc de Christianis sumerentur supplicia. Habet ἕως τοῦ ἡγεμόνος τῆς π. ms. Savil. seu Bodl.

(46) Οὐέττιος Ἐπάγαθος. De quo Gregorius Turonensis in libro primo *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 29. Et rursus cap. 31 de Ecclesia Bituricensi loquens sic habet : « Leucadium quemdam primum Galliarium senatorem, qui de stirpe Vetii Epagathi fuit, quem Lugduno passum pro Christi nomine superius memoravimus, repererunt. » Qui locus aperte ostendit Epagathum nobilitate generis inter Lugdunenses eminuisse. Sed et Epistola ipsa id satis superque testatur his verbis : Καὶ γὰρ ἦν ἐπίσημος. Porro hujus martyris nomen cum duplici τ scribi debet, ut habet codex Maz. et Fuketianus. Etenim nomen Romanum est Vettius apud Ciceronem et Juvenalem ; idque pronomen fuit Prætextati. Certe in manuscripto Rufini codice Vettius Epagathus dicitur. VALES. Si mittas edit. Romanam Cacciarii, ubi ex mss. Vaticanis positum est *Vectius Epagathus*, corrupte lectum fuerat in Rufino edito *Vectius*, vel *Vetius, Pagathus.* Exstat autem *Vetius Epagathus* in codice scripto Rufini *Hist.* qui in collegio S. Magdalenæ Oxonii servatur. Et *Vetius* quidem cum simplici τ exibent Eusebii ed. Steph. ms. Reg. et Med. Nicephorusque et Gregorius Tur., sed cum cæteris Valesii codd. consentit ms. noster Bodl. seu Savil. Habet vero γὰρ ἅγιος pro Οὐέττιος codicis Norfolc. collatio mihi ab amico missa, ubi statim post ita scribitur : Εἷς ἐκ τῶν ἀγαθῶν ἀδελφῶν ἐς πλήρωμα. Mox abest a cod. Bodl., τὸν Θεὸν καί.

(47) Καὶ αὐτός. Omittit *καί* ms. Norfolc. habetque infra ἀνεχομένου pro ἀνασχομένου.

ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, ὅτι μηδὲν ἄθεον μηδὲ ἀσεβές ἐστιν ἐν ἡμῖν. Τῶν δὲ περὶ τὸ βῆμα καταβοησάντων αὐτοῦ· εἰ γὰρ ἦν ἐπίσημος· καὶ τοῦ ἡγεμόνος μὴ ἀνασχομένου τῆς οὕτως ὑπ' αὐτοῦ δικαίας προταθείσης ἀξιώσεως, ἀλλὰ μόνον τοῦτο πυθομένου εἰ καὶ αὐτὸς εἴη Χριστιανός· τοῦ δὲ λαμπροτάτῃ φωνῇ ὁμολογήσαντος, ἀνελήφθη καὶ αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων· παράκλητος Χριστιανῶν χρημάτισας (48)· ἔχων δὲ τὸν παράκλητον ἐν ἑαυτῷ τὸ Πνεῦμα πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου (49)· ὃ διὰ τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης (50) ἐνεδείξατο, εὐδοκήσας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἀπολογίας καὶ τὴν ἑαυτοῦ θεῖναι ψυχήν. Ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος Χριστοῦ (51) μαθητής, ἀκολουθῶν τῷ Ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ.

A tuit; sed indignatione commotus, postulavit ut sibi quoque liceret pro fratribus causam dicere, palamque ostendere nihil apud nos impium aut irreligiosum reperiri. Verum cum illi qui circum tribunal astabant, adversus eum inclamassent (erat quippe inter suos clarus), et præses ipse petitionem alioqui justissimam ægre ferret, idque unum ex eo quæreret, esset ne Christianus; ille, Christianum se esse clarissima voce professus, in martyrum numerum relatus est; advocatus quidem Christianorum judicis elogio appellatus; habens autem in seipso advocatum Spiritum sanctum multo abundantius quam Zacharias, quem quidem charitatis exuberantia declaravit, quippe qui sustinuerit pro fratrum defensione morti semet objicere. Fuit enim et est germanus Christi discipulus, sequens Agnum, quocunque ierit.

IV. Ἐντεῦθεν δὴ διεκρίνοντο (52) οἱ λοιποί. Καὶ φανεροὶ καὶ ἕτοιμοι ἐγίνοντο πρώτομάρτυρες· οἵ καὶ μετὰ πάσης προθυμίας ἀνεπλήρουν τὴν ὁμολογίαν τῆς μαρτυρίας. Ἐφαίνοντο δὲ καὶ οἱ ἀνέτοιμοι (53) καὶ ἀγύμναστοι, καὶ ἔτι ἀσθενεῖς, ἀγῶνος μεγάλου τόνον ἐνεγκεῖν μὴ δυνάμενοι. Ὧν καὶ ἐξέτρωσαν (54)

B IV. Exinde etiam reliqui dignosci, ac distingui cœpere. Et prompti quidem ac parati erant protomartyres, qui summa animorum alacritate solemnem illam martyrum confessionem ediderunt. Qui vero imparati et inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum,

(48) Παράκλητος Χριστιανῶν χρηματίσας. Male Christophorsonus hunc locum interpretatus est, quasi Epagathus exinde ab omnibus vocatus fuerit patronus Christianorum. Nostram autem versionem confirmat Rufinus, et quæ sequuntur verba, ἔχων δὲ Παράκλητον, etc., quæ stare omnino non possunt nisi ita interpreteris ut fecimus. Vales. Rufinus vetus interpres habet: *Tanquam advocatus, inquit* (h. e. ait præses). *Christianorum, et ipse victorum numero societur.* Male ex antecedentibus repetitum est καὶ αὐτός ante vocem Παράκλητος in cod. nos. Bodl. et ad marg. duorum editionis Steph. exemplarium Jonesiani Bibliothecæque Bodl. Paulo post omittitur articulus ante Παράκλητον in eodem ms. Bodl. seu Savil.

C

(49) Πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου. Jam supra Epagathum comparavit cum Zacharia sacerdote, de quo Lucas in Evangelio cap. I. Iterum nunc alludit ad verba quæ leguntur in fine dicti capitis: *Et Zacharias repletus est Spiritu sancto.* Porro Spiritus S. Παράκλητος dicitur in Evangelio, id est *Advocatus*, quia scilicet postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ut ait Apostolus. Ita Tertullianus in libro *De jejuniis*, de Spiritu sancto loquens, qua Paracletus, id est advocatus, ad exorandum judicem, hujusmodi officiorum remedia mandabat.» At Rufinus cum hæc non intelligeret, ita vertit: *Ille vero habens in se advocatum pro nobis Jesum, hoc nomine meruit honorari, sancti presbyteri Zachariæ, qui erga sanctos plenitudinem charitatis ostenderat, secutus exemplum.* Quæ prava Rufini interpretatio occasionem erroris præbuit Adoni Viennensi, et Usuardo, et Notkero, qui in suis Martyrologiis quadraginta et octo martyrum Lugdunensium nomina recensentes, Zachariam presbyterum secundo loco nominant post Pothinum Lugdunensem episcopum. Qui si Græcum hujus Epistolæ exemplar consuluissent, animadvertissent profecto, Ζαχαρίαν πρεσβύτερον hic dici, non Zachariam presbyterum Lugdunensis Ecclesiæ, sed Zachariam sacerdotem patrem Joannis Baptistæ. Quem quidem Lugdunenses in hac Epistola πρεσβύτερον, id est *seniorem* appellant, Epagathum juvenem ei comparantes. Cæterum hic error Adonis et reliquorum in Zachariæ martyris nomine, facit ut dubitem de cæteris nominibus martyrum Lugdunensium, quæ ab illis ibidem relata sunt. Vales. Vocem πλεῖον abesse a quibusdam mss. notatum est ad marg. exemplaris illius Jonesiani; et locum aliter in Græcis scriptum fortasse invenit Rufinus. Cæterum etsi recte monet Cacciari, Rufini editor, ægre colligi posse ex ejusdem Rufini textu Zachariam hunc pro martyre Lugdunensi haberi; quærens tamen in Præfatione, unde Valesio in mentem venerit, Zachariam a Rufino Lugdunensem martyrem esse factum, erravit ipse; nam Valesius id quidem nusquam asseruerat, sed Rufinum errandi occasionem aliis præbuisse dixerat.

(50) Τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης. Alludit ad illud Servatoris nostri dictum in Evangelio: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro fratribus suis.* Vales.

(51) Χριστοῦ. Τοῦ Χρίστου ms. Norfolc. Hæc: Ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος Χριστοῦ μαθητής, sicut Ignatiana illa: Τότε ἔσομαι μαθητὴς ἀληθῶς (*verus* Vet. interp.) τοῦ Χριστοῦ, ὅτε οὐδὲ τὸ σῶμα μου ὁ κόσμος ὄψεται, *Ep. ad Rom.* § 4 cum istis Christi verbis confert Pearsonius in *Vind. Ignat.* p. II, c. 9, p. 114: *Si quis venit ad me, et non odit animam suam, non potest meus esse discipulus*, iterumque, *Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Statim post indicari Apoc. XIV, 4, verbis illis: Ἀκολουθῶν τῷ Ἀρνίῳ ὅπου ἂν ὑπάγῃ, Strothius notavit.

D

(52) Διεκρίνοντο. Metaphora videtur esse ab athletis, qui, antequam certamen inirent, examinari solebant ac probari, utrum ingenui, utrum ætatis athleticæ essent. Et ii quidem qui ad certamen admittebantur, dicebantur εἰσκρίνεσθαι; qui autem repudiabantur, ἐκκρίνεσθαι. Examen autem ipsum vocabatur διάκρισις, ut ex hoc loco colligo. Plena certe est hæc epistola vocabulis a re athletica translatis. Quod et loci hujus lectio ipsa indicat, et nos infra ostendemus apertius. Vales.

(53) Οἱ ἀνέτοιμοι. Οἱ, quod ab ed. Steph. aberat, addideratque forsitan ex scriptis suis Valesius, rejicit Strothius; sed cum Valesio, idque, opinor, recte, nostri consentiunt manuscripti. Paulo supra deerat in ms. Bodl. verbum ἐγίνοντο.

(54) Ὧν καὶ ἐξέτρωσαν. Ἐξετρώσαν hic passive semitur pro ἐξημβλώθησαν, id est, *abortivi facti sunt, excussi sunt*, ἔκτρωμα ἐγένοντο. Quæ metaphora iterum usurpatur infra, ubi agitur de lapsis. Vales. Recepit hoc ἐξέτρωσαν in contextum ante me Strothius pro ἐξέπεσον, ex cod. Reg. et Lect. Venet. quibus addas ms. Norfolc. Idem quoque ad oram Genev. ed. atque in cod. Castellano exstat.

tunc manifeste patuerunt Ex quibus decem circiter collapsi, maximum nobis dolorem et incredibilem luctum attulerunt; et aliorum alacritatem fregerunt, qui nondum comprehensi, licet gravissima paterentur incommoda, tamen martyribus præsto aderant nec ab eorum conspectu discedebant. Omnes tunc temporis gravissimo metu perculsi bærebamus, ob incertum confessionis eventum; non quod tormenta quæ interebantur, magnopere timeremus, sed quoniam exitum rei animo prospicientes, ne quis corrueret verebamur. Comprehendebantur quotidie, qui digni erant, ut numerum illorum supplerent; adeo ut ex utraque Ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore atque industria res hic constitutæ fuerant, simul omnes tenerentur. Capti sunt etiam quidem nostrorum servi, qui gentiles erant; quandoquidem præses nos omnes requiri palam jusserat. Qui dæmonis impulsu, cum tormenta reformidarent quæ sanctos

(55) Πένθος, Πάθος marg. Genev. ed atque exemplaris Jones. Stroth. Mox deest τά ante δεινά in mss. Bodl. et Norfolc.

(56) Ὥστε συλλεγῆναι ἐκ τῶν δύο Ἐκκλησιῶν Ex Ecclesia scilicet Viennensi et Lugdunensi. Hæc autem verba imprimis notanda sunt, ex quibus manifeste apparet, Viennensem Ecclesiam perinde ac Lugdunensem, suum tunc episcopum habuisse. Quippe Ecclesia ab antiquis scriptoribus non dicitur, nisi matrix, quam cathedralem vocamus. Ado Viennensis in *Chronico*, Justum tunc temporis Viennensem episcopum fuisse dicit, eumdemque diuturno exsilio maceratum palmam martyrii retulisse. Porro verbum συλλεγῆναι Christophorsonus vertit *eximerentur*; Langus *deligerentur*; metaphora videtur esse a fructibus qui decerpuntur. Vales. Massuetus dissert. 2. *in Iren.*, art. 1, contra ostendere conatus est, nullum habuisse episcopum eo tempore Viennensem Ecclesiam, sed a Lugdunensi episcopo fuisse rectam. Certe altum est silentium per totam Epitolam de episcopo Viennensi, et favere videtur huic sententiæ locus, quem Massuetus adduxit in lib. v Eusebii *Hist.*, c. 23: « Exstat etiamnum, ait Eusebius epistola τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει. » Porro de Gallia agens hoc monuit eruditissimus Bucherius in *Belg. Rom.* lib. viii, cap. 15: « Potuerunt ab initio binæ civitates ab uno regi pontifice, » neque aliter judicavit de re isthac, si bene memini, Pearsonius in *Annalibus* suis *Cyprianicis*. Sed a Valesii stant partibus Ruinartus *Act. Martyrum* p. 63 ed. Amst., et Larduerus *Testim. Judaic. et Ethnic.* vol. II, cap. 15.

(57) Θυέστεια. Θυέστια ed. Steph. Vetus hæc adversus Christianos criminatio: quæ forsan inde originem traxit, quod ethnici inepte ac malitiose interpretarentur S. cenæ apud Christianos usum. Stroth. Huc pertinet insignis locus in *Comm.* ejus *in Epist. Prior. D. Petri*: Καταλαλοῦντας δὲ εἰσάγει (se. S. Petrus) ἡμῶν τοὺς ἐθνικούς. Καὶ εἴ τις βούλεται τοῦτο μαθεῖν, ἐκ τῶν Εἰρηναίῳ τῷ Λουγδούνου τῆς Κελτικῆς ἐπισκόπῳ, περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης τῶν μαρτύρων γραφέντων μάθοι ἂν ἀκριβῶς. Ὡς δὲ διὰ βραχέων παρεθέσθαι, ἔστι ταῦτα. Χριστιανῶν γὰρ κατηχουμένων δούλους Ἕλληνες συλλαβόντες, εἶτα μαθεῖν τι παρὰ τούτων δεῖ θεν ἀπόρρητον περὶ Χριστιανῶν (deest aliquid) ἀναγκάζοντες· οἱ δοῦλοι οὐκ εἰδότες μὴ ἐροῦντες πῶς τὸ τοῖς ἀναγκάζουσι καθ' ἡδονὴν εἰπεῖν, παρόσον ἤκουον τῶν δεσποτῶν, τὴν θείαν μετάληψιν αἷμα καὶ σῶμα εἶναι Χριστοῦ, αὐτοὶ νομίσαντες τῷ ὄντι αἷμα καὶ σάρκα εἶναι, τοῦτο

ὡς δέκα τὸν ἀριθμόν· οἵ καὶ μεγάλην λύπην καὶ πένθος (55) ἀμέτρητον ἐνεποίησαν ἡμῖν, καὶ τὴν προθυμίαν τῶν λοιπῶν τῶν μὴ συνειλημμένων ἐνέκοψαν· οἳ καίπερ πάντα τὰ δεινὰ πάσχοντες, ὅμως συμπάρησαν τοῖς μάρτυσι, καὶ οὐκ ἀπελείποντο αὐτῶν. Τότε δὴ οἱ πάντες μεγάλως ἐπτοήθημεν, διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ὁμολογίας· οὐ τὰς ἐπιφερομένας κολάσεις φοβούμενοι, ἀλλὰ τὸ τέλος ἀφορῶντες, καὶ τὸ ἀποπισεῖν τινα δεδιότες. Συνελαμβάνοντο μέντοι καθ' ἑκάστην ἡμέραν οἱ ἄξιοι, τὸν ἐκείνων ἀναπληροῦντες ἀριθμόν· ὥστε συλλεγῆναι ἐκ τῶν δύο Ἐκκλησιῶν (56) πάντας τοὺς σπουδαίους, καὶ δι' ὧν μάλιστα συνεστήκει τὰ ἐνθάδε. Συνελαμβάνοντο δὲ καὶ ἐθνικοί τινες οἰκέται τῶν ἡμετέρων· ἐπεὶ δημοσίᾳ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἀναζητεῖσθαι πάντας ἡμᾶς. Οἳ καὶ κατ' ἐνέδραν τοῦ Σατανᾶ, φοβηθέντες τὰς βασάνους ἃς τοὺς ἁγίους ἔβλεπον πάσχοντας, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτούς, καταψεύσαντο ἡμῶν θυεστεῖα (57) δεῖπνα, καὶ Οἰδιποδείους μίξεις,

ἐξεῖπον τοῖς ἐκζητοῦσι. Οἱ δὲ λαβόντες ὡς αὐτόχρημα τοῦτο τελεῖσθαι Χριστιανοῖς, καὶ δὴ τοῦτο τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἐξεπόμπευον. Καὶ τοὺς μάρτυρας Σάγκτον καὶ Βλανδίναν ὁμολογῆσαι διὰ βασάνων ἠνάγκαζον. Οἷς εὐστόχως Βλανδίνα ἐπαρήσιαστο, « Πῶς ἄν, εἰποῦσα, τούτων ἀνάσχοιντο οἱ μηδὲ τῶν ἐφειμένων κρεῶν δι' ἄσκησιν ἀπολαύοντες; » c. 3, p. 14. ed. Veron.; p. 498 ed. Paris.

Videndum autem, annon hoc loco auctor Irenæum etiam ampliaverit, non tantum, uti ipse ait Œcumenius, cum breviaverit, in potius loca quædam hujus epistolæ excerpserit, quæ Eusebius reliquerat. Biblias interea tale quid infra persecutoribus respondet, ad pag. 276 quale Blandinæ hic attribuitur, quam quidem *Blandinam* pro *Bibliade* ad alterum quoque locum invenit vetus interpres Rufinus. Dum vero Bibliadem inter cæteros martyres Lugdunenses alii multi scriptores commemorarunt, eidem sanctæ mulieri, nomine ejus in codice suo invento, ista verba recte assignavit auctor opusculi, quod in Regia bibliotheca Matritensi hodieque servatur, cujus titulus est: Ἐκ τῆς Εὐσεβίου τοῦ Ἁμφίλου ἐκκλησιαστικῆς περὶ τῶν κατὰ διαφόρους καιροὺς ἐν διαφόροις πόλεσι ἀθλησάντων ἁγίων μαρτύρων. Hoc autem edidit Joannes Iriarte ejusdem bibliothecæ custos ad pagg. 548 552 *Catalogi* anno 1769, typis impressi. Etenim ille putabat hoc ipsum fuisse novum fragmentum Eusebianæ *Historiæ* nondum editum, quod tamen nihil aliud est quam index sive synopsis martyriorum apud Eusebium commemoratorum, adjectione paucorum verborum semel atque iterum auctus.

De origine autem calumniarum, cum τῆς ὀνθροποφαγίας, tum vero aliorum facinorum, optime agit Robertus Turner, in libello Anglica lingua conscripto, cui titulus, *Causæ calumniarum contra Christianos primævos*, quemque capite quarto ad pag. 71-73 de loco illo Œcumenii consulas. Cum his autem Lugdunensium bene confert Athenagoræ verba cl. Gallandius in *Biblioth. PP.*: Τρία ἐπιφημίζουσι ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. *Legat. pro Christ.* n. 3 al. 4.

Interea Athenagoras in eodem libello ad n. 35 hæc scripsit, quæ cum Lugdunensium verbis in hac epistola minus consentire videntur: Καί τοι καὶ δοῦλοί εἰσιν ἡμῖν, τοῖς μὲν καὶ πλείους, τοῖς δὲ ὀλίγους· οὓς οὐκ ἔστι λαθεῖν· ἀλλὰ καὶ τούτων οὐδεὶς καθ' ἡμῶν τὰ τηλικαῦτα οὐδὲ κατεψεύσατο. Ubi videndus editor Benedictinus, Justini M. locum per-

καὶ ὅσα μήτε λαλεῖν μήτε νοεῖν θέμις ἡμῖν, ἀλλὰ μηδὲ πιστεύειν εἴ τι τοιοῦτο (58) πώποτε παρὰ ἀνθρώποις ἐγένετο. Τούτων δὲ φημισθέντων πάντες ἀπεθηριώθησαν εἰς ἡμᾶς· ὥστε καὶ εἴ τινες τὸ πρότερον δι' οἰκειότητα (59) ἐμετρίαζον, τότε μεγάλως ἐχαλέπαινον καὶ διεπρίοντο κατ' ἡμῶν (60). Ἐπλήρου δὲ τὸ ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν εἰρημένον, ὅτι· Ἐλεύσεται καιρὸς ἐν ᾧ πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς, δόξει λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. Ἐνταῦθα λοιπὸν ὑπερῆν πάσης ἐξηγήσεως ὑπέμενον κολάσεις οἱ ἅγιοι μάρτυρες· ἐπλοτεμνομένου τοῦ Σατανᾶ, καὶ δι' ἐκείνων ἤθησί τι τῶν βλασφήμων (61).

A perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas, et incestos Œdipi concubitus, et alia quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus apud homines unquam gesta fuisse, adversus nos ementiti sunt. His in vulgus sparsis, omnes continuo in nos adeo efferati sunt, ut, si qui forte cognationis causa moderati erga nos hactenus extitissent, tunc acerbissima indignatione commoti adversus nostros infremerent. Complebatur itaque id, quod a Domino prædictum fuerat his verbis: *Veniet tempus, cum quicunque vos occiderit, cultum offerre videbitur Deo* [3]. Exinde sanctissimi martyres ejusmodi tormenta sustinuerunt, quæ nulla unquam oratione exprimi possint; Satana ambitiose contendente, ut ab illis quoque aliquid impie diceretur.

V. Ὑπερεβλημένως δὲ ἐνέσκηψεν ἡ ὀργὴ πᾶσα καὶ ὄχλου καὶ ἡγεμόνος καὶ στρατιωτῶν (62), εἰς Σάγκτον (63) διάκονον ἀπὸ Βέννης· καὶ εἰς Μάτουρον νεοφώτιστον μὲν, ἀλλὰ γενναῖον ἀγωνιστήν· καὶ εἰς Ἄτταλον Περγαμηνὸν τῷ γένει, στύλον καὶ ἑδραίωμα τῶν ἐνταῦθα ἀεὶ γεγονότα· καὶ εἰς Βλανδίναν, δι' ἧς ἐπέδειξε ὁ Χριστὸς, ὅτι τὰ παρὰ ἀνθρώποις εὐτελῆ καὶ ἀειδῆ καὶ εὐκαταφρόνητα φαινόμενα, μεγάλης καταξιοῦται παρὰ Θεῷ δόξης, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀγάπην, τὴν ἐν δυνάμει δεικνυμένην, καὶ μὴ ἐν εἴδει

B V. Præcipue tamen vulgi ac præsidis et militum furor universus incubuit in Sanctum diaconum Viennensem, et in Maturum, neophytum quidem illum, sed generosissimum nihilominus pugilem Christi; in Attalum quoque patria Pergamenum, qui columna et firmamentum Ecclesiæ nostræ semper fuit; in Blandinam denique, per quam Christus ostendit, quæ vilia, deformia contemptaque hominibus videntur, ea maximo honore affici a Deo [4] propter excellentem erga ipsum charitatem, quæ

[3] Joan. XVI, 2. [4] I Cor. I, 27.

inde atque hæc Lugdunensium contrarium quid sonantia afferens. Hic vero fortasse illud in memoriam revocandum esset, unam et alteram exceptionem non abrogare solere regulam, sed firmare, nisi contigisset, ut ex hoc ipso Athenagoræ loco sibi colligeret Moshemius, eo tempore scripsisse auctorem, quo de Lugdunensi vexatione rumor nondum percrebuerat. eodem enim anno, qui est 177, et scripsisse pro Christianis Athenagoram, et passos Gallos esse, aliunde ostendit. Vid. *Dissert. ad Hist. eccl. pertinent.* vol. I, diss. 6, § 16. Similia autem verbis Athenagoræ istis videas prolata apud Minucium Felicem, qui sæculo post sequente floruit. Ita enim ait Octavius ejus, « fabulas istas semper ventilari et nunquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem exsistere qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum; » cap. 28, p. 14, ed Davis. Ad testes vero quod attinet, quos hoc loco memorat epistolæ auctor, servi isti, cum infideles exstiterint, ideirco a visu mysteriorum Christianorum prohibiti fuerant; sed iidem, minis tormentorum territi, militibusque instigantibus, calumnias, quales a Judæis sub ipsa initia Christianismi, teste Origene lib. VI *contra Celsum*, de Christianis sparsæ sunt, ignorata veritate instaurabant contra dominos suos fideles.

C

D

(58) Εἴ τι τοιοῦτο. Ἔν τι τ. Gruteri Lect. Struth. Ὅτιτε ms. Norfolc.

(59) Δι' οἰκειότητα. Hæc vox non solum propinquitatem generis designat, sed etiam amicitiam ac benevolentiam. Interpres Nicephori etiam humanitatem addidit, non contentus necessitudinis vocabulo. Vales.

(60) Κατ' ἡμῶν. Cod. Reg. ἐφ' ἡμῖν. Vales. Addit ei Strothius marg. ed. Genev. ego ms. Norfolc. a quo quidem codice abest τῷ ante Θεῷ.

(61) Τι τῶν βλασφήμων. Recte Rufinus blasphemiam adversus Christianorum religionem intellexit. Quod plane confirmatur verbis proxime antecedentibus καὶ δι' ἐκείνων. Cum enim servi Christianorum, metu cruciatuum perterriti, infanticidia et incestos concubitus de Christianis confessi essent, studebat Satanas, ut Christiani qui comprehensi fuerant ejusmodi calumnias in religionem nostram jactarent. Quippe judices omni tormentorum genere Christianos urgebant, ut Thyesteas quasdam cœnas et incestos concubitus apud se peragi faterentur. Quo spectat illa vox Blandinæ, in mediis cruciatibus nihil aliud proloquentis quam: « christiana sum: nihil apud nos mali geritur. Potest etiam illud καὶ δι' ἐκείνων, referri ad decem illos, qui initio persecutionis capti animum desponderant. Christophorsonus blasphemiam contra nomen Christi intelligere maluit. Vale. Favent saltem huic vocis βλασφημίας interpretationi verba, quæ infra de una ex lapsis nomine Bibliade, sed postea martyre exstant: Καὶ Βιβλίάδα δέ τινα μίαν τῶν ἠρνημένων, ἤδη δοκῶν ὁ διάβολος καταπεπωκέναι, θελήσας δὲ καὶ διὰ βλασφημίας κατακρῖναι· ἦγεν ἐπὶ κόλασιν, ἀναγκάζων εἰπεῖν τὰ ἄθεα περὶ ἡμῶν ὡς εὔθραυστον ἤδη καὶ ἀνανδρον.

(62) Καὶ στρατιωτῶν. Rufinus vertit *officium*, *milites*. Nam Græca vox utrumque significat, tam officiales, seu apparitores judicum, quam milites; ut fusius ostensuri sumus ad libros *De Vita Constantini*. Hic vero milites malim intelligere, cum supra mentio fiat tribuni militum. Vales.

(63) Εἰς Σάγκτον. Rufinus Sanctum diaconum Viennensem interpretatur; quod est ambiguum. Neque enim Sanctus fuit diaconus Viennensis Ecclesiæ, ut quidam hac Rufini versione inducti existimarunt. Certe Lugdunenses in hac epistola id non dicunt sed tantum affirmant illum Vienna oriundum fuisse. Fuit igitur hic Sanctus patria quidem Viennensis, diaconus autem Lugdunensis Ecclesiæ. Vales. Opinatus contra est David Dalrymple, vir nobilis, qui quodcunque Epistolæ apud Eusebium superest, in Anglicam vertit linguam, hunc fuisse diaconum Viennensis Ecclesiæ minoris enim momenti esse patriam ejus, quam locum, quo munus ecclesiasticum obibat. Videoque in Serapionis Fragmentis, quæ infra collocantur, similia his verba: Ἄλλος Ἡούπλιος Ἰούλιος ἀπὸ Δεβελτοῦ ἐπίσκοπος, hoc est,

in virtute potentiaque ostenditur, non specie inani gloriatur. Nam cum universi trepidaremus, ipsaque illius temporalis domina, quæ et ipsa una cum reliquis martyribus strenue pugnabat, formidaret, in primis ne illa ob tenuitatem corporis, liberam confessionem edere non valeret : tanto animi robore firmata est Blandina, ut tortores qui invicem sibi succedentes a prima luce usque ad vesperam omni tormentorum genere eam excruciaverant, resoluta nervorum compage deficerent ; seque victos confessi, cum nullum tormenti genus quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, mirarentur adhuc illam spiritum ducere, toto corpore lacerato, atque perfosso, testarenturque unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta tormenta. Verum beata illa, instar generosi cujusdam athletæ, in ipsa confessione vires atque animos resumebat, Eratque ei refectio et quies, sensumque omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum : *Christiana sum*, et : *Nihil apud nos mali geritur*.

VI. Sanctus vero, cum et ipse supra humanum modum cuncta quæ ab hominibus excogitari potuerant tormenta fortiter sustineret, sperantibus jam impiis aliquid se indecorum atque illicitum ex eo audituros, ob nimiam vim et magnitudinem cruciatuum, tanta firmitate eis restitit, ut nec suum, nec gentis aut civitatis ex qua esset oriundus nomen, nec utrum servus esset an ingenuus, prolocutus sit, sed ad omnes interrogationes Romana lingua responderit : *Christianus sum*. Hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse subinde profitebatur ; neque aliam vocem ab eo gentiles extorquere valuerunt. Quam etiam ob causam maxima adversus illum et præsidis et tortorum pertinacia furoris exarsit : adeo ut cum nihil amplius ipsis superesset quo illum torquerent, candentes æris laminas mollioribus ejus membris affigerent. Et membra quidem adurebantur ; ipse vero erectus atque inconcussus, firmis vestigiis in confessione perstitit, utpote cœlesti fonte aquæ vivæ quæ ex

A καυχωμένην. Ἡμῶν γὰρ πάντων δεδιότων, καὶ τῆς σαρκίνης δεσποίνης αὐτῆς ἦτις ἦν καὶ αὐτὴ (64) τῶν μαρτύρων μία ἀγωνίστρια, ἀγωνιώσης μὴ οὐδὲ τὴν ὁμολογίαν δυνήσεται παῤῥησιάσασθαι διὰ τὸ ἀσθενὲς τοῦ σώματος, ἡ Βλανδίνα τοσαύτης ἐπληρώθη δυνάμεως, ὥστε ἐκλυθῆναι καὶ παρεθῆναι τοὺς κατὰ διαδοχὰς παντὶ τρόπῳ βασανίζοντας αὐτὴν ἀπὸ ἑωθινῆς ἕως ἑσπέρας, καὶ αὐτοὺς ὁμολογοῦντας ὅτι νενίκηνται, μηδὲν ἔχοντες μηκέτι ὅ ποιήσουσιν αὐτῇ· καὶ θαυμάζειν ἐπὶ τῷ παραμένειν ἔμπνουν αὐτὴν, παντὸς τοῦ σώματος διερρωγότος (65) καὶ ἠνεῳγμένου· καὶ μαρτυρεῖν, ὅτι ἓν εἶδος στρεβλώσεως ἱκανὸν ἦν πρὸς τὸ ἐξαγαγεῖν τὴν ψυχὴν, οὐχ ὅτι γε τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα. Ἀλλ' ἡ μακαρία ὡς γενναῖος ἀθλητὴς ἀνενέαζεν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ· καὶ ἦν αὐτῆς ἀνάληψις καὶ ἀνάπαυσις καὶ ἀναλγησία (66)

B τῶν συμβαινόντων, τὸ λέγειν ἀτι· Χριστιανή εἰμι, καί· Παρ' ἡμῖν οὐδὲν φαῦλον γίνεται

horum verborum : *Christiana sum*, et : *Nihil apud nos mali geritur*.

VI. Ὁ δὲ Σάγκτος καὶ αὐτὸς ὑπερβεβλημένως καὶ ὑπὲρ πάντα ἄνθρωπον πάσας τὰς ἐξ ἀνθρώπων αἰκίας γενναίως ὑπομένων, τῶν ἀνόμων ἐλπιζόντων διὰ τὴν ἐπιμονὴν (67) καὶ τὸ μέγεθος τῶν βασάνων ἀκούσεσθαί τι παρ' αὐτοῦ τῶν μὴ δεόντων, τοσαύτῃ ὑποστάσει ἀντιπαρετάξατο αὐτοῖς, ὥστε μηδὲ τὸ ἴδιον κατειπεῖν ὄνομα (68), μήτε ἔθνους, μήτε πόλεως ὅθεν ἦν, μήτε εἰ δοῦλος ἢ ἐλεύθερος εἴη· ἀλλὰ πρὸς πάντα τὰ ἐπερωτώμενα ἀπεκρίνατο τῇ Ῥωμαϊκῇ φωνῇ. Χριστιανός εἰμι. Τοῦτο καὶ ἀντὶ ὀνόματος, καὶ ἀντὶ πόλεως, καὶ ἀντὶ γένους, καὶ ἀντὶ παντὸς ἐπαλλήλως ὡμολόγει· ἄλλην δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν αὐτοῦ τὰ

C ἔθνη. Ὅθεν δὴ καὶ φιλονεικία μεγάλη τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ τῶν βασανιστῶν ἐγένετο πρὸς αὐτόν. ὥστε ὁπότε μηκέτι μηδὲν εἶχον ὅ ποιήσουσιν αὐτῷ, τὸ τελευταῖον χαλκᾶς λεπίδας διαπύρους προσεκόλλων τοῖς τρυφερωτάτοις μέλεσι τοῦ σώματος αὐτοῦ. Καὶ ταῦτα μὲν ἐκαίετο· αὐτὸς δὲ παρέμενεν ἀνεπίκαμπτος καὶ ἀνένδοτος, στερρὸς πρὸς τὴν ὁμολογίαν, ὑπὸ τῆς οὐρανίου (69) πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς τοῦ ἐξιόντος ἐκ τῆς νη-

Develti episcopus. Euseb. *H. E.* v, 19. Similiterque signantur episcoporum nomina et urbes apud concilium Carthaginiense sub Cypriano celebratum.

(64) Αὐτή. Ἄῦτη ed. Steph. Stroth. Mox desunt verba καὶ παρεθῆναι in ms. Norfolc.

(65) Διερρωγότος. Ed. R. Steph. περιερρωγότος. Cod. Med., Fuk., Savil. et Maz. διερρωγότος habent, quod magis placet. Vales. Lectionem alteram habent ms. Norfolc. et Nicephorus, sed ad oram exemplaris R. Steph. quod in Bodleiana exstat, διερρωγότος D rescriptum est.

(66) Ἀναλγησία. Istiusmodi indolentiam in Theodoro martyre memorat Theodoret. *H. E.* lib. III, cap. 11, et Foxus noster in Thoma Tomkins, cujus manum ardenti lucernæ immisit Bonnerus. Vid. *Martyrolog.* part. III, p. 154, noviss. edit. W. Lowth. Conf. § 14 hujus Epist.

(67) Διὰ τὴν ἐπιμονήν. Ed. R. Steph. ὑπομονήν. Amplector scripturam cod Medicæi et Maz., Fuk. et Sav., in quibus legitur ἐπιμονήν. Id est ob assiduitatem et gravitatem tormentorum. Nam quod ex Gruteri libro proponitur ὑπερβολήν, vanissima conjectura est. Paulo post, ubi legitur ὁπότε μηδὲν εἶχον, cod. Medicæus et Maz., Fuk. et Savil. vocem. interserit hoc modo : Ὁπότε μηκέτι μηδὲν εἶχον. Quod est elegantius Vales. Ante Valesium ἐπιμονήν Christoph. in ed. Genev. Lect. prætulerant. Et μηκέτι illæ quoque Gruteri lectiones interserebant Porro ὑπερβολήν tanuam conjectura ad marg. Castel. cod. affertur. Statim post, ὑπακούσεσθαι παρ' αὐτοῦ ms. Norfolc.

(68) Ὥστε μηδὲ τὸ ἴδιον κατειπεῖν ὄνομα. Similia videre est infra, libro *De martyribus Palæst.* cap. 2, et in Passione S. Felicis ad calcem Lactantii *De moribus persecutorum* edit. Oxon. et in Passione Tharaci, Probi et Andronici apud Baronium ad ann. 290, n. 2, 7, 9. W. Lowth. Ad quæsita illa quod attinet, moris fuit, ut de omnibus hisce rebus judex reum interrogaret. Mox, ἐρωτώμενα pro ἐπερωνώμενα ms. Norfolc.

(69) Οὐρανίου. Ἐπουρανίου ed. Steph. Stroth. Sed in exemplari editionis ed. Steph. quod in Bodleiana exstat, per lineam subter ductam idem reprobatur. Post πηγῆς τῆς addit ms. Norfolc. καὶ ante στερρός Christoph. Lect.

δύος (70) τοῦ Χριστοῦ δροσιζόμενος καὶ ἐνδυναμούμενος. Τὸ δὲ σωμάτιον μάρτυς ἦν τῶν συμβεβηκότων, ὅλον τραῦμα καὶ μώλωψ καὶ συνεσπασμένον (71), καὶ ἀποβεβληκὸς τὴν ἀνθρώπειον ἔξωθεν μορφήν. Ἐν ᾧ πάσχων Χριστὸς μεγάλας ἐπετέλει δόξας, καταργῶν τὸν ἀντικείμενον, καὶ εἰς τὴν τῶν λοιπῶν ὑποτύπωσιν ὑποδεικνύων, ὅτι μηδὲν φοβερὸν ὅπου Πατρὸς ἀγάπη, μηδὲ ἀλγεινὸν ὅπου Χριστοῦ δόξα. Τῶν γὰρ ἀνόμων μεθ' ἡμέρας πάλιν στρεβλούντων τὸν μάρτυρα, καὶ νομιζόντων ὅτι, οἰδούντων καὶ φλεγμαινόντων τῶν σωμάτων (72), εἰ τὰ αὐτὰ προσενέγκοιεν κολαστήρια περιέσοιντο αὐτοῦ, ὁπότε οὐδὲ (73) τὴν ἀπὸ τῶν χειρῶν ἀφὴν ἠνείχετο· ἢ ὅτι ἐναποθανὼν ταῖς βασάνοις, φόβον ἐμποιήσειε τοῖς λοιποῖς· οὐ μόνον οὐδὲν περὶ αὐτὸν τοιοῦτο συνέβη, ἀλλὰ καὶ παρὰ πᾶσαν δόξαν ἀνθρώπων ἀνέκυψε (74) καὶ ἀνωρθώθη τὸ σωμάτιον ἐν ταῖς μετέπειτα βασάνοις, καὶ τὴν ἰδέαν ἀπέλαβε τὴν προτέραν καὶ τὴν χρῆσιν τῶν μελῶν· ὥστε μὴ κόλασιν, ἀλλ' ἴασιν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ, τὴν δευτέραν στρέβλωσιν αὐτῷ γενέσθαι.

A ventre Christi profluit, perfusus firmatusque. Porro corpus ipsum abunde testabatur ea quæ acciderant ; quippe quod nihil aliud esset præter vulnera atque vibices ; totum contractum atque contortum nec jam externam hominis speciem retinens. In quo Christus ipse perpetiens, magna miracula patrabat, adversarium funditus delens, et illustri exemplo cæteris ostendens, nihil esse metuendum ubi charitas Patris adsit ; nullum dolorem, ubi gloria vertitur Christi. Quippe cum impii illi paucis post diebus iterum torquere martyrem cœpissent, crederentque si turgescentibus adhuc et inflammatis vulneribus eadem tormenta de integro adhiberent, fore ut illo superiores evaderent, quippe qui ne manuum quidem contrectationem posset sustinere ; vel id certe eventurum, ut ille tormentis immortuus, terrorem injiceret reliquis ; non modo nihil ejusmodi illi contigit, sed præter omnium opinionem, corpus ejus subito relevatum erectumque constitit in tormentis posterioribus, et pristinam speciem usumque membrorum recuperavit : prorsus ut secunda illa excarnificatio, divina opitulante gratia, medelam potius, quam pœnam ei attulisse videretur.

B

VII. Καὶ Βιβλιάδα δέ τινα μίαν τῶν ἠρνημένων, ἤδη δοκῶν διάβολος (75) καταπεπωκέναι, θελήσας δὲ καὶ διὰ βλασφημίας (76) κατακρῖναι, ἦγεν ἐπὶ κόλασιν, ἀναγκάζων εἰπεῖν τὰ ἄθεα περὶ ἡμῶν, ὡς εὔθραυστον ἤδη καὶ ἄνανδρον. Ἡ δὲ ἐν τῇ στρεβλώσει (77) ἀνέκυψε, καὶ ὡς ἂν εἰπεῖν ἐκ βαθέος ὕπνου ἀνεγρηγόρησεν· ὑπομνησθεῖσα διὰ τῆς προσκαίρου τιμωρίας τὴν αἰώνιον ἐν γεέννῃ κόλασιν. Καὶ ἐξ ἐναντίας ἀντεῖπε τοῖς βλασφήμοις (78) φήσασα· Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν (79) οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλό-

VII. Sed et Bibliadem quamdam ex eorum numero qui Christi fidem abnegaverant, cum jam diabolus a se absorptam crederet, velletque insuper damnationem illius cumulare blasphemia, ad supplicium duxit, adigens eam, utpote fragilem jam et ignavam, impia de nobis proloqui. Verum illa C resipuit inter cruciatus, ac veluti ex altissimo somno excitata est, præsente supplicio de æternæ gehennæ cruciatibus ipsam submonente. Et contradicens impiis : *Qui fieri possct*, inquit, *ut infantes*

(70) Ἐκ τῆς νηδύος. Alludit ad cap. VII ex Joannis Evangelio, in quo legitur : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. VALES.

(71) Συνεσπασμένον. *Contractum et incurvum* malim vertere, quam *distractum et dirulsum*, ut initio verteram. Hoc enim esset διεσπασμένον. Contractum autem intelligo præ magnitudine tormentorum. Nam qui in equuleo torquebantur vehementius, caput incurvare cogebantur, ut docet Am. Marcellinus, cum ait : « Vel sub equuleo caput incurvos, aut ictu carnificis torvi substravit. » Inepte Christophorsonus *contractum in rugas corpus* interpretatus est. VALES.

(72) Τῶν σωμάτων. Scribendum videtur τραυμάτων, ut legit Rufinus. VALES.

(73) Ὁπότε οὐδέ. Ὁπότε γοῦν οὐδὲ Gruteri Lect. et margo exemplaris Jonesiani. STROTH Statim ante περιέσονται pro περιέσοιντο ms Norfolc. et hoc loco τήν post οὐδὲ deest in ms. Bodl.

(74) Ἀνέκυψε. In ed. R. Steph. ἀνεκάλυψε. In codice Medicæo et Maz., Fuk. et Sav., et apud Nicephorum legitur ἀνέκυψε, quæ procul dubio vera hujus loci scriptura est. Opponitur enim ἀνέκυψε καὶ ἀνωρθώθη illis quæ supra dixerat de toto corpore Sancti diaconi contracto atque incurvato Itaque hic locus superiorem expositionem nostram plane confirmat. VALES. Habent ἀνέκυψε lect quoque Venet. et Christoph. et cod. Norfolc. atque margo exemplaris ed. Steph. quod in Bodl. exstat.

(75) Δοκῶν διάβολος. Ex ms. Savil. seu Bodl. articulum recepi. Καταπεπτωκέναι pro καταπεπωκέναι ms. Norfolc.

(76) Διὰ βλασφημίας. Christophorsonus blasphemiam adersus Christum intellexit. Videndum tamen est, ne hic quoque blasphemia adversus religionem Christianorum intelligatur. Certe quæ sequuntur verba id penitus evincunt. Sequitur enim ἀναγκάζων εἰπεῖν τὰ ἄθεα περὶ ἡμῶν. Porro hæc mulier in ms. Maz. ac Med. Βιβλίας dicitur non Βίβλις, sic etiam vocatur in Fuk. Rufinus hanc cum Blandina videtur confudisse gravi errore. VALES. Ex cod. Reg. Βίβλιδα posuerat ed. Steph. quam quidem nominis scripturam habent et Gregorius Tur. *De gloria mart.* c. 49, et martyrologi. Sed alteram lect, firmant ms. Steph. marg. ed. Genev. codicesque Bodl. seu Savil. et Norf. Qua vero ratione inductus Rufinus hæc omnia ad *Blandinam* detorserit, nescio, nisi si hocce nomen in codice suo pro *Bibliade* scriptum invenerit.

(77) Ἐν τῇ στρεβλώσει. Abest τῇ ed. Steph. STROTH.

(78) Ἀντεῖπε τοῖς βλασφήμοις. In ed R. Steph., τοῖς βασανισταῖς. Sed longe melior est lectio quam reperi in cod. Maz et Med., Fuk et Sav. τοῖς βλασφήμοις. Sic vocantur a Lugdunensibus gentiles, qui Christianam religionem calumniabantur, vel certe lapsi, qui præ cruciatuum violentia infanticidia et incestus a Christianis admitti fassi erant. VALES. Sed de lapsorum hujuscemodi confessione, nihil, quod credam, exstat. Valesii lectionem firmant Lect. Venet. ms. Norfolc. cum margine Steph. ed. in Biblioth. Bodl. Christophorsonique Lect.

(79) Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν. « Erubescat error vester Christianis, qui ne animulium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis et morticinis abstinemus, ne

comeiderent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet? Abhinc Christianam se esse confessa, in consortium martyrum relata est

VIII. Porro cum universa tyrannorum tormenta per martyrum constantiam a Christo essent hebetata ac retusa, alias machinas diabolus excogitavit; ut scilicet in obscurissimum ac molestissimum carceris locum conjicerentur, utque pedes in nervo ad quintum usque foramen distensos haberent, ac reliqua hujusmodi cruciatuum genera perferrent, quibus ministri, utpote infensi et a dæmone incitati, vexare inclusos consueverunt adeo ut ex eorum numero quamplurimi in carcere suffocati interierint, quos scilicet Deus, qui suam in omnibus gloriam ostendit, hoc mortis genere defungi voluerat. Alii siquidem qui acerbissime excruciati fuerant, ita ut ne vivere quidem diutius posse crederentur, quamvis omni curationis genere refocillati fuissent, permansuerunt in custodia, hominum quidem auxilio destituti, verum roborati a Deo, et tam animi quam corporis vigore firmati; qui quidem accendebant cæteros et consolabantur. Alii vero novelli qui recens comprehensi fuerant, quorum corpora cruciatibus perferendis nondum assueverant, cum gravitatem carceris pati non possent, in ipsa custodia exspirarunt.

IX. Beatissimus autem Pothinus qui episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ administrabat, nonagenario major, et corpore admodum infirmo, ob præsentem quidem corporis imbecillitatem ægre spiritum trahens, cæterum præ cupiditate imminentis mar-

A γων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; καὶ ἀπὸ τοῦδε Χριστιανὴν ἑαυτὴν ὡμολόγει, καὶ τῷ κλήρῳ (80) τῶν μαρτύρων προσετέθη.

VIII. Καταργηθέντων δὲ τῶν τυραννικῶν κολαστηρίων ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ διὰ τῆς τῶν μακαρίων ὑπομονῆς, ἑτέρας μηχανὰς ὁ διάβολος ἐπενόει, τὰς κατὰ τὴν εἱρκτὴν ἐν τῷ σκότει καὶ τῷ χαλεπωτάτῳ χωρίῳ συγκλείσεις· καὶ τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν (81), ἐπὶ πέμπτον διατεινομένων τρύπημα· καὶ τὰς λοιπὰς αἰκίας, ὅσας εἰώθασιν ὀργιζόμενοι ὑπουργοὶ, καὶ ταῦτα διαβούλου πλήρεις, διατείνειν τοὺς ἐγκλειομένους· ὥστε ἀποπνιγῆναι τοὺς πλείστους ἐν τῇ εἱρκτῇ, ὅσους γε ὁ Κύριος οὕτως ἐξελθεῖν ἠθέλησεν, ἐπιδεικνύων τὴν αὐτοῦ δόξαν (82). Οἱ μὲν γὰρ βασανισθέντες πικρῶς, ὥστε δοκεῖν μηδὲ τῆς πάσης θεραπείας τυγόντας ἔτι ζῆσαι δύνασθαι, παρέμενον ἐν τῇ εἱρκτῇ· ἔρημοι μὲν τῆς παρὰ ἀνθρώπων ἐπιμελείας, ἀναῤῥωννύμενοι δὲ ὑπὸ τοῦ Κυρίου (83) καὶ ἐνδυναμούμενοι καὶ σώματι καὶ ψυχῇ, καὶ τοὺς λοιποὺς παρορμῶντες καὶ παραμυθούμενοι. Οἱ δὲ νεαροὶ καὶ ἄρτι συνειλημμένοι, ὧν μὴ προκατήχισπο τὰ σώματα, τὸ βάρος οὐκ ἔφερον τῆς συγκλείσεως, ἀλλ' ἔνδον ἐναπέθνησκον.

IX. Ὁ δὲ μακάριος Ποθεινὸς ὁ τὴν διακονίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος, ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα ἔτη τῆς ἡλικίας (84) γεγονὼς, καὶ πάνυ ἀσθενὴς τῷ σώματι, μόλις μὲν ἐμπνέων διὰ τὴν προκειμένην (85) σωματικὴν ἀσθένειαν, ὑπὸ δὲ προθυ-

quo modo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto.» Tertull. *Apol.* cap 9. Eadem fere asserunt Origenes *contra Celsum*, lib. VIII, circa medium; Minutius Felix *Octav.* pag. 55; Clem Alex. *Pædag.* lib. III, cap. 3, prope finem. Ecclesia Orientalis hanc abstinentiam perpetuo servavit, et etiamnum servat. Augustinum vero, aliosque ejusdem ætatis Christianos, in contraria fuisse opinione, ex his ipsius verbis palam est «Et ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat; quis jam hoc observat ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? Aut leporem non edat si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte adhuc pauci tangere ista formidant, a cæteris irridentur.» Augustin. *contra Faustum Manich.* lib. XXXII, cap, 13. Read.

(80) Καὶ τῷ κλήρῳ. Καὶ ἐν τῷ κλ. mss. Bodl. et Norf.

(81) Καὶ τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν. Superiore libro ubi de Justini martyrio dictum est, observavimus ξύλον a Græcis dici, quem Latini appellant *nervum*. Id plane confirmat Rufinus qui hunc locum ita interpretatur: *Ac septimo (ut dicunt) puncto in nervo pedes, contra quam credi fas est, distenti, in intimo pœnarum loco deperirent.* Has διατάσεις τῶν ποδῶν optime expressit Prudentius in versibus quos supra citavimus:

Lignoque plantas inserit.
Divaricatis cruribus.

Porro hujus supplicii hæc videtur fuisse forma. Truncus fuit ligneus quinis hinc et inde foraminibus certo invicem spatio divisis excavatus; in hæc foramina tanquam in ocreas quasdam, pedes inserebantur noxiorum, et vinculis seu nervis astringebantur, ut ex Aratoris versibus colligitur, quos supra retulimus in adnotationibus ad librum IV. Et Rufinus quidem hæc foramina vulgo puncta appellata esse testatur, quod confirmat locus ex Passione Chrysanti et Dariæ, quem ibidem adduxi. Sed quod Rufinus septimum punctum dixit, vix credibile mihi videtur. Certe Eusebius hoc loco quintum duntaxat foramen dixit; et aliis in locis hunc numerum foraminum nunquam supergressus est. De his punctis intelligendus est locus in actis Græcis Passionis Tarachi Probi et Andronici: Μάξιμος ἡγεμὼν εἶπε βαλόντες αὐτῷ σίδηρα, εἰς τέσσαρα κεντήματα διατείνατε, quod vetus interpres pessime vertit hoc modo: *Mittite illi ferrum per quatuor loca nervorum, et confringite.* Vales.

(82) Ἐπιδεικνύων τὴν αὐτοῦ δόξαν. Pro his Christoph. Ἀλλὰ καὶ τοῦ Θεοῦ ἐνταῦθα ἐπιδεικνύοντας τὴν δόξαν. Stroth.

(83) Τοῦ Κυρίου. Τοῦ abest ed. Steph. Stroth. Addas ms. Bodl.

(84) Τῆς ἡλικίας. Τὴν ἡλικίαν non male ms. Norf.

(85) Διὰ τὴν προκειμένην. Hoc loco verba videntur esse transposita. Sic igitur legendum puto: Διὰ τὴν ἐγκειμένην σωματικὴν ἀσθένειαν. Et paulo post ubi legitur: Διὰ τὴν ἐγκειμένην τῆς μαρτυρίας ἐπιθυμίαν, scribo προκειμένην. Porro hoc Pothini martyrium elegantissime describit Eucherius Lugdunensis episcopus in sermone de S. Blandina: «Præstitit inter ista divina providentia, ut in tantis patriæ sacrificiis, etiam pontifex non deesset. Rapitur ad impiam quæstionem grandævus et plenus dierum B. pater noster Pothinus, Ecclesiæ hujus antistes, et pro eruditionis ut credimus merito, gregi suo jungitur. Ac post Dominici corporis sacrificium, profanis tribunalibus novam de se hostiam Christo oblaturus infertur. Senilis infirmitas per injurias et afflictiones furentium ministrorum

μίας πνεύματος ἀναρρωννύμενος διὰ τὴν ἐγκειμένην τῆς μαρτυρίας ἐπιθυμίαν, καὶ αὐτὸς ἐπὶ τὸ βῆμα ἐσύρετο (86)· τοῦ μὲν σώματος καὶ ὑπὸ τοῦ γήρως καὶ ὑπὸ τῆς νόσου λελυμένου· τηρουμένης δὲ τῆς ψυχῆς ἐν αὐτῷ, ἵνα δι' αὐτῆς Χριστὸς θριαμβεύσῃ. Ὃς ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τὸ βῆμα κομισθείς, παραπεμπόντων αὐτὸν τῶν πολιτικῶν ἐξουσιῶν καὶ παντὸς τοῦ πλήθους ἐπιβοήσεις παντοίας ποιουμένων, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ Χριστοῦ (87), ἀπεδίδου τὴν καλὴν μαρτυρίαν. Ἀνεταζόμενος δὲ ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος τίς εἴη Χριστιανῶν ὁ θεός, ἔφη· Ἐὰν ᾖς ἄξιος, γνώσῃ. Ἐντεῦθεν δὴ ἀφειδῶς ἐσύρετο, καὶ ποικίλας ἔπασχε πληγάς· τῶν μὲν συνέγγυς. χερσὶ καὶ ποσὶν ἐνυβριζόντων παντοίως, μηδὲ τὴν ἡλικίαν αἰδουμένων αὐτοῦ· τῶν δὲ μακρὰν, ὅ μετὰ χεῖρας ἕκαστος εἶχεν, εἰς αὐτὸν ἀκοντιζόντων· πάντων δὲ ἡγουμένων μεγάλως πλημμελεῖν καὶ ἀσεβεῖν, εἴ τις (88) ἀπολειφθείη τῆς εἰς αὐτὸν ἀσελγείας. Καὶ γὰρ τοὺς θεοὺς αὐτῶν (89) ᾤοντο οὕτως ἐκδικήσειν. Καὶ μόγις ἐμπνέων ἐρρίφη ἐν τῇ εἱρκτῇ (90), καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ἀπέψυξεν.

tyrii mirabili alacritate animi firmatus, etiam ipse ad tribunal ferebatur : corpore quidem partim ob senectutem, partim vi morbi penitus exhausto ac soluto ; animam vero adhuc retinens, ut per eam Christus triumpharet. Perlatus igitur a militibus ad tribunal, prosequentibus ipsum magistratibus civitatis, et universa plebe variis eum acclamationibus impetente, tanquam ipse Christus esset, egregium edidit testimonium. Interrogatus vero a præside, quisnam esset Christianorum Deus, respondit : *Si dignus fueris, cognosces.* Post hæc absque ullo humanitatis respectu raptatus, atque innumeris plagis affectus est, cum ii quidem qui propius astabant, calcibus et pugnis illum contumeliose appeterent, nec ullam ejus ætati reverentiam exhiberent ; qui vero longius distabant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjicerent ; omnes denique gravissimi delicti ac piaculi reos se existimarent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultare studuissent. Quippe hoc modo injuriam deorum suorum ulturos se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans in carcerem projectus est, tandemque post biduum animam exhalavit.

Χ. Ἐνταῦθα δή μεγάλη τις οἰκονομία τοῦ Θεοῦ (91) ἐγίνετο, καὶ ἔλεος ἀμέτρητον ἀνεφαίνετο Ἰησοῦ σπανίως μὲν ἐν τῇ ἀδελφότητι γεγονὸς (92), μὴ ἀπολειπόμενον δὲ τῆς τέχνης τοῦ Χριστοῦ. Οἱ γὰρ κατὰ τὴν πρώτην σύλληψιν ἔξαρνοι γενόμενοι, συνεκλείοντο καὶ αὐτοὶ, καὶ μετεῖχον τῶν δεινῶν. Οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ὄφελός τι αὐτοῖς ἡ ἐξάρνησις ἐγίνετο. Ἀλλ' οἱ μὲν ὁμολογοῦντες ὅ καὶ ἦσαν (93), συνεκλείοντο ὡς Χριστιανοὶ, μηδεμιᾶς ἄλλης αἰτίας αὐτοῖς ἐπιφερομένης. Οὗτοι δὲ λοιπὸν ὡς ἀνδροφόνοι καὶ μιαροὶ κατείχοντο, διπλότερον παρὰ τοὺς λοιποὺς κολαζόμενοι. Ἐκείνους μὲν γὰρ ἐπεκούφιζεν ἡ χαρὰ τῆς μαρτυρίας· καὶ ἡ ἐλπὶς τῶν ἐπηγγελμένων, καὶ ἡ πρὸς τὸν Χριστὸν ἀγάπη, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ Πατρικόν. Τούτους δὲ τὸ συνειδὸς μεγάλως ἐτιμωρεῖτο (94)· ὥστε καὶ παρὰ τοῖς λοιποῖς ἅπασι κατὰ τὰς παρό-

X. Hic vero singularis quædam Dei dispensatio, et immensa Jesu Christi misericordia apparuit ; raro quidem inter fratres exemplo, sed a dexteritate ingenioque Jesu Christi minime alieno. Omnes siquidem qui a prima statim comprehensione fidem negaverant, ipsi quoque in carcerem conjecti, eadem quæ cæteri martyres perferebant. Neque enim illis quidquam tunc profuit fidei suæ negatio. Verum illi quidem qui se id quod revera erant, esse profitebantur, tanquam Christiani conjiciebantur in vincula, nullo alio crimine ipsis objecto. Illi vero perinde ac homicidæ et scelerati homines deinceps detinebantur, duplo graviusquam reliqui supplicium perferentes. Illos enim gaudium martyrii, spesque promissæ beatitudinis, et charitas erga Christum, et Dei Patris Spiritus recreahat. Hos vero graviter

ita celerem sortitur exitum, ut intelligere ad tempus illud soli martyrio reservatum. » Vales. Pothini nomen in editionibus Rufini male scribi *Photinus* notat Strothius, imo Cacciari in omnibus suis codd. Rufini scriptis inveniri *Photinus*, aut *Fotinus* testatur Sed *Pontinus* æque malum habet Ruffinus ms. Magdalenensis.

(86) Ἐσύρετο. Ἐφέρετο ed. Steph. ducitur ad tribunalia imo potius defertur. Rufin. ἐσύρετο Niceph. et Valesii ed. Stroth. Lectionem Valesianam firmant nostri quoque manuscripti.

(87) Τοῦ Χριστοῦ Τοῦ κυρίου ms. Bodl.

(88) Εἴ τις. Εἴ τι episcopi Castal. cod. Stroth.

(89) Τοὺς θεοὺς αὐτῶν. Hoc αὐτῶν ex ed. Steph. restituit Strothius, quem ego secutus sum, quia ita sæpius scribi in vet. codicibus solet, etsi alterum ἑαυτῶν Valesius prætulerit.

(90) Ἐρρίφη ἐν τῇ εἱρκτῇ. Cod. Medicæus habet εἰς τὴν εἱρκτήν, nec aliter cod. Maz., Fuk. et Savilii. Vales. Ita Valesius, qui εἰς τὴν εἱρκτὴν imprimendum curavit, quod rectius est, ait Strothius, si grammaticam spectes ; at quis, inquit ille, hanc lectionem, si aderat primitus, mutasset in magis solœcam ? Porro exstat Stephaniana lectio in codd. Regio et Norfolc. Ad oram vero exemplaris edit Steph in bibliotheca Bodl. rescriptum est εἰς τὴν εἱρκτήν. Ita et Christoph. Lect., ἐρρίφθη Gruteri Lect. habent.

(91) Τοῦ Θεοῦ. Τοῦ. quod Valesius ex mss suis addidisse videtur, expunxit Strothius, sed cum Valesio faciunt ambo scripti mei.

(92) Σπανίως μὲν... γεγονός Notandum est quod aiunt Lugdunenses, rarum adhuc in Ecclesia ejusmodi indulgentiæ usum fuisse erga lapsos. Nempe quia ad hoc usque tempus pauci admodum lapsi fuerant. Itaque, cessante morbo, nihil opus erat hujusmodi medicina Subsecutis autem persecutionibus, hoc remedium crebrius usitatum est. Vales. A scopo hic aberrare Valesius Anglico interpreti videtur, quem supra (not. 63) nominavi ; siquidem putat ille hoc loco agi de lapsis raro exemplo, quod infra positum est, §§ 12 et 13, resipiscentibus ; atque fieri posse, ut ad Hebr. vi, 4 et seq. spectet auctor. Mox abest articulus ante Χριστοῦ a ms Norfolc.

(93) Ὁμολογοῦντες ὅ καὶ ἦσαν Ὁμολογοῦντες τὸν Θεόν ms. Norfolc. Mox quoque τὸν Θεόν pro τὸν Χριστόν idem ms.

(94) Ἐτιμωρεῖτο. Ἐτιμώρει ms. Steph. marg. edit. Genev. et exemplaris Jones. Stroth.

torquebat conscientia : ita ut dum traducerentur, A ipso vultu atque aspectu facile discernerentur a cæteris. Quippe illi quidem hilares accedebant, majestatem quamdam venustati intermistam vultibus præferentes, adeo ut vincula præcipuum ipsis ornatum addidisse viderentur, instar sponsæ fimbriis aureis variegatis ornatæ : ad hæc suavem Christi odorem spirantes, ita ut nonnulli terreno eos unguento delibutos putarent. Hi vero demisso vultu, abjecti et squalidi ac sordidi, omnique deformitatis genere cooperti, ab ipsis quinetiam gentilibus probro affecti, utpote ignavi atque imbelles, qui homicidarum quidem sibi ipsis crimen imposuissent, Christianorum autem venerandum et gloriosum ac salutare nomen amisissent. Quæ cum cæteri viderent, magnopere confirmabantur. Et si quem postea comprehendi contigerat, is statim absque ulla cunctatione confitebatur, ne cogitatione quidem tenus consilium ac suggestionem dæmonis admittens.

XI. His ita gestis, deinceps ipsorum martyria in varias mortis species divisa sunt. Ex omni quippe florum genere diversisque coloribus unicam texentes coronam beatissimi martyres, Deo Patri obtulerunt. Æquum sane erat, ut fortissimi athletæ, qui multiplex certamen subierant atque insignem victoriam retulerant, insignem immortalitatis coronam acciperent. Maturus igitur et Sanctus cum Blandina et Attalo ducti sunt ad bestias in amphitheatrum, ad publicum spectaculum inhumanitatis gentilium;

δους, διαδήλους τὰς ὄψεις (93) αὐτῶν εἶναι. Οἱ μὲν γὰρ ἱλαροὶ προήεσαν (96), δόξης καὶ χάριτος πολλῆς ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν συγκεκραμένης· ὥστε (97) καὶ τὰ δεσμὰ κόσμον εὐπρεπῆ περικεῖσθαι αὐτοῖς, ὡς νύμφῃ κεκοσμημένῃ ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς πεποικιλμένοις (98)· τὴν εὐωδίαν ὀδωδότες ἅμα τὴν Χριστοῦ (99)· ὥστε ἐνίους δόξαι καὶ μύρῳ κοσμικῷ κεχρίσθαι αὐτούς. Οἱ δὲ, κατηφεῖς καὶ ταπεινοὶ καὶ δυσειδεῖς, καὶ πάσης ἀσχημοσύνης ἀνάπλεοι· προσέτι δὲ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ὀνειδιζόμενοι ὡς ἀγενεῖς καὶ ἄνανδροι· ἀνδροφόνων μὲν ἔγκλημα ἔχοντες, ἀπολωλεκότες δὲ τὴν πάντιμον καὶ ἔνδοξον καὶ ζωοποιὸν προσηγορίαν. Ταῦτα δὲ οἱ λοιποὶ θεωροῦντες, ἐστηρίχθησαν. Καὶ οἱ συλλαμβανόμενοι (1) ἀδιστάκτως ὡμολόγουν, μηδὲ B ἔννοιαν ἔχοντες διαβολικοῦ λογισμοῦ.

XI. Μετὰ ταῦτα δὴ λοιπὸν εἰς πᾶν εἶδος διῃρεῖτο τὰ μαρτύρια τῆς ἐξόδου αὐτῶν (2). Ἐκ διαφόρων γὰρ χρωμάτων καὶ παντοίων ἀνθῶν ἕνα πλέξαντες στέφανον, προσήνεγκαν τῷ Πατρί. Ἐχρῆν γοῦν (3) τοὺς γενναίους ἀθλητὰς, ποικίλον ὑπομείναντας ἀγῶνα καὶ μεγάλως νικήσαντας, ἀπολαβεῖν τὸν μέγαν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον. Ὁ μὲν οὖν Μάτουρος καὶ ὁ Σάγκτος καὶ ἡ Βλανδίνα καὶ Ἄτταλος (4) ἤγοντο ἐπὶ τὰ θηρία εἰς τὸ δημόσιον (5), καὶ εἰς τὸ κοινὸν τῶν ἐθνῶν τῆς ἀπανθρωπίας θέαμα· ἐπίτηδες τῆς τῶν

(93) Διαδήλους τὰς ὄψεις. Confer verba Dionysii Alexandrini lib. VI Eusebii *Hist.* c. 41. W. LOWTH.

(96) Προῆεσαν. In codice Maz. et Fuk., Savil. et Medicæo legitur προσῆεσαν, quam scripturam secutus videtur Christophorsonus. Hoc est quod ante dixit κατὰ τὰς παρόδους ; dum scilicet e carcere procedunt usque ad tribunal. VALES. Neque favet lectioni Stephanianæ προσῆεσαν cod. Norfolc. C

(97) Ὥστε. Ὡς Steph. ed. STROTH.

(98) Ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς πεποικιλμένοις. Alludit ad locum qui est in Psalmo XLIV, et paulo aliter hodie legitur, περιπεποικιλμένῃ scilicet. At melius est περιπεποικιλμένοις. Mos enim erat, tunicarum fimbrias variegare, ut testatur Amm. Marcellinus in lib. XIV : « Ut longiores fimbriæ tunicæ perspicue luceant, varietate liciorum effigiatæ in species animalium multiformes. » Certe in cod. Med. et Maz. scribitur πεποικιλμένοις, nec aliter Fuk. VALES. Addas mss. Savil. seu Bodl. et Norfolc. sed Stephani lectionem περιπεποικιλμένοις Strothius in ed. suam revocavit Cæterum in edd. τῶν Ο' nonnullis legitur, περιβεβλημένῃ, πεποικιλμένῃ, ex qua forsan duplici lectione nata altera videtur περιπεποικιλμένῃ. D

(99) Εὐωδίαν ὀδωδότες τὴν Χριστοῦ. Alludit ad verba Pauli apostoli : *Christi bonus odor sumus* (II Cor. II, 15). VALES. Confer et Apostolum in Ep. ad Eph. V, 2. Verba autem quæ sequuntur : Ὥστε ἐνίους δόξαι καὶ μύρῳ κοσμικῷ κεχρίσθαι αὐτούς, sic vertit Rufinus : « Ita ut viderentur sibi non in ergastulo sed in mirotheca conclusi, » vel, ut legitur in cod. Magd. : « Sed in lecto strato plumis mirothecæ conclusi, » quasi invenisset vetus hic interpres κεκλεῖσθαι, non autem κεχρίσθαι.

Græca vero fortassis ita interpretanda sunt, tanquam si martyres tam hilares atque decori aspectu fuerint, ut nonnullis viderentur re vera bene olere, unguento delibuti ac nitentes, spectante auctore ad illud Psalmi CIV : Τοῦ ἱλαρῦναι τὸ πρόσωπον τῷ ἐλαίῳ. Ita odorem memorarunt auctores epistolæ de martyrio Polycarpi scriptæ, quem e corpore emissum ejus putabant. Sed tamen credidisse ipsum hujus Lugdunensis epistolæ scriptorem quemvis odorem divinum sub sensus cecidisse, quidquid alii tum temporis opinarentur, fortasse incertum est.

(1) Καὶ οἱ συλλαμβανόμενοι. Addunt δέ Gruteri Lect. et cod. Castell. STROTH.

(2) Τὰ μαρτύρια τῆς ἐξόδου αὐτῶν. Verba hic videntur esse transposita, quæ sic construo : Εἰς πᾶν εἶδος διῃρεῖτο τῆς ἐξόδου τὰ μαρτύρια αὐτῶν. VALES. Anne verba hæc, τὰ μαρτύρια τῆς ἐξόδου αὐτῶν, sive *testimonia per mortem ipsorum data*, simpliciter *martyria* significant ? Certe vetus interpres habet, *per diversas species martyrii ipsorum*, atque ita locum Nicephorus refinxit : Εἰς ποικίλον τὰ μαρτύρια διῃρεῖτο. Paulo post ἀνθέων pro ἀνθῶν ms. Norfolc.

(3) Γοῦν. Ed. Steph. lectionem δ' οὖν in textum suum recepit Strothius.

(4) Καὶ ἡ Βλανδίνα καὶ Ἄτταλος. Prius illud καί nescit ms. Norfolc. Cum circumflexo nomen Βλανδῖνα in ms. Bodl. sæpius scribitur. Desiderari autem articulus ὁ ante Ἄτταλος videtur.

(5) Εἰς τὸ δημόσιον. Hoc nomine amphitheatrum videtur intelligi. Neque enim referri potest ad θέαμα. Primo quia repetitur præpositio εἰς τὸ δημόσιον καὶ εἰς τὸ κοινόν, etc. Ita enim legitur in cod. Med., Maz., Fuk. et Savil. Quod si δημόσιον referretur ad vocem θέαμα, dixissent εἰς τὸ δημόσιον καὶ κοινόν, etc. Porro eleganter amphitheatrale munus, in hac epistola vocatur publicum gentilium inhumanitatis spectaculum. In eo siquidem loco gentiles suam tum in Christianos, tum in reliquos bestiarios, belluinam sævitiam publice spectandam exhibebant. VALES. Abfuerat ab ed. Steph. τό ante κοινόν. Habet interea ms. Savil. seu Bodl. ἤγοντο ἐπὶ τὸ δημόσιον, id vero factum est propter voces intermedias omissas, τὰ θηρία εἰς. Codex autem qui a Valesio hic et alibi tanquam Savilianus adducitur, exemplar fuit, ut sæpius dictum est, editionis Stephanianæ cum codd. scriptis ab Henrico Savilio collatum, non ms. ejusdem Savilii Bodleianus

θηριομαχιῶν ἡμέρας διὰ τοὺς ἡμετέρους διδομένης(6). Καὶ ὁ μὲν Μάτουρος καὶ ὁ Σάγκτος αὖθις διήεσαν ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ διὰ πάσης κολάσεως, ὡς μηδὲν ὅλως προπεπονθότες· μᾶλλον δὲ ὡὸ διὰ πλειόνων ἤδη κλήρων (7) ἐκβεβιακότες τὸν ἀντίπαλον, καὶ περὶ τοῦ στεφάνου αὐτοῦ τὸν ἀγῶνα ἔχοντες, ὑπέφερον πάλιν τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων (8) τάς ἐκεῖσε εἰθισμένας· καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν θηρίων ἑλκηθμούς· καὶ πάνθ' ὅσα μαινόμενος ὁ δῆμος ἄλλοι ἀλλαχοθεν ἐπεβόων καὶ ἐπεκελεύοντο· καὶ ἐπὶ πᾶσι (9) τὴν σιδηρᾶν καθέδραν, ἐφ' ἧς τηγανιζόμενα τὰ σώματα, κνίσσης αὐτοὺς ἐνεφόρει (10). Οἱ δ' οὐδ' οὕτως ἐλήγον (11)· ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον ἐξεμαίνοντο, βουλόμενοι νικῆσαι τὴν ἐκείνων ὑπομονήν. Καὶ οὐδ' ὡς παρὰ Σάγκτου ἕτερόν τι εἰσήκουσαν (12), παρ' ἣν ἀπ' ἀρχῆς εἴθιστο λέγειν τῆς ὁμολογίας φωνήν. Οὗτοι μὲν οὖν (13) δι'

A præbito de industria numerum die propter nostros. Et Maturus quidem ac Sanctus rursus omnia tormentorum genera in amphitheatro subierunt, quasi nihil antea perpessi essent; aut potius quasi athletæ qui multis jam vicibus adversarium superassent, et de corona ipsa jam decertarent, rursus consueta illic flagrorum verbera pertulerunt, et bestiarum ipsos trahentium morsus, et quæcunque alia vulgus insanum pro suo quisque arbitrio variis acclamationibus imperabat: ipsam postremo ferream cathedram; cui superposita martyrum membra cum torrerentur, illorum nares molestissimus nidor implebat. Verum illi ne sic quidem finem sæviendi fecerunt, sed contra eo vehementius accendebatur eorum furor, cum expugnare martyrum constantiam contenderent. Nullam tamen ab ipso Sancto

B

(6) Τῶν θηριομαχιῶν ἡμέρας... διδομένης. Hujus loci sensum non assecuti sunt interpretes. Sensus autem est, præsidem seu legatum provinciæ Lugdunensis, spectaculum ferarum extra ordinem populo præbuisse, constituta ad id die, propter Christianos quos ad bestias damnaverat. Erant enim apud Romanos ordinarii ac solemnes munerum dies, qui in mensem Decembrem incidebant, ut est in Kalendario Heruvartii. Extra hos dies non licebat munerariis ac duumviris quibus hujusmodi editionum onus erat impositum, spectacula ferarum populo exhibere ut docet epistola Ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi, quæ superius relata est. Verum majores judices qui jus gladii et ad bestias damnandi habebant, hujusmodi meridiana spectacula, quoties ipsis libitum erat, exhibebant, ut cum populi voluptate noxios e medio tollerent. Cujus rei exemplum illustre est in Actis martyrum Tarachi, Probi et Andronici. Nam cum Maximus proconsul Ciliciæ eos ad bestias damnasset, advocans Terentianum sacerdotalem Ciliciæ, jussit ei sequenti die munera edenda curare, ut legitur in cap. 10 eorumdem Actorum. Vales. Ait Strothius: « Ad hoc ἐπίτηδες referendæ sunt voces διὰ τοὺς ἡμετέρους. interpretamur igitur, *cum nostrorum causa opportune adessent dies, quibus dari solerent spectacula.* Non enim extra ordinem dabantur tunc spectacula, ut Valesius putat, sed aderant dies, quibus darentur, nunc vero cum Christiani, quorum facta est mentio in carcere tenerentur, atque ad mortem damnati essent, etiam propter hoc opportune aderant. » Hæc ille; at vereor, ut ἐπίτηδες adverbialiter sumptum opportunum quid vel commodum usitate sonet; certe Vett. Gloss. habent, ἐπίτηδες, *de industria, data opera, consulto.* Cujus interpretationis illustrationem dabit Aristoteles in *Poetica*, c. 19: Τὸ γὰρ θαυμαστὸν οὕτως ἕξει μᾶλλον, ἢ εἰ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου καὶ τῆς τύχης· ἐπεὶ καὶ τῶν ἀπὸ τύχης ταῦτα θαυμασιώτατα δοκεῖ, ὅσα ὥσπερ ἐπίτηδες φαίνεται γεγονέναι· οἷον, ὁ ἀνδριὰς ὁ τοῦ Μίτυος ἐν Ἄργει ἀπέκτεινε τὸν αἴτιον τοῦ θανάτου τῷ Μίτυι, θεωροῦντι ἐμπεσών· ἔοικε γὰρ τὰ τοιαῦτα οὐκ εἰκῇ γενέσθαι. Dici quidem possit, illud a Deo causa Christianorum provisum fuisse, seu consulto factum. Sed cum Valesio magis facio.

(7) Διὰ πλειόνων ἤδη πλήρων. Jam supra monuimus multas hic translationes esse a re athletica. Inter has numeranda est vox κλῆρος. Solebant enim athletæ qui in ludis certaturi erant, sortito educi. Quod quomodo fieret, docet nos Lucianus in *Hermotimo*. Cistella erat argentea, Deo certaminum præsidi sacra, in quam conjiciebantur sortes seu tesseræ breves. In duabus inscripta erat littera A, in aliis duabus B, in uliis item duabus Γ, et sic deinceps. Tum athletæ sortes e cista educebant.

Quibus A obvenisset, ii inter se committebantur primo loco pugnaturi. Eratque hic πρῶτος κλῆρος. Similiter qui litteram B eduxissent, secundo loco inter se certabant. Ita sors et urna suum cuique adversarium assignabat. Is qui adversarium suum vicerat, non statim coronabatur. Sed cum aliis qui adversarios item suos vicerant, iterum pugnaturus componebatur, donec unus omnium victor superesset. Quam in rem pluribus opus erat sortitionibus. Hinc est quod in inscriptione Farnesiana, quam refert Gruterus pag. 314, Asclepiades quidam Pancratiasta, in multis certaminibus victoriam retulisse dicitur, τὸ δεύτερον καὶ τρίτον μετὰ πρῶτον ἢ δεύτερον κλῆρον στήσας τοὺς ἀνταγωνιστάς. Id est, *post primam aut post secundam sortitionem, secundo vel tertio superatis adversariis.* Id enim usu veniebat, ob eam rationem quam dixi, quoties plura erant paria athletarum. Quippe victores inter se C componebantur, et secunda inter eos fiebat sortitio, ac rursus tertia; donec victoria ad unum rediisset. Et hoc est, quod in hac Epistola dicitur διὰ πλειόνων κλήρων. Ad hanc athletarum sortem referenda sunt ea, quæ habes in principio hujus Epistolæ de Epagatho: Ἀνελήφθη καὶ αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων. Vales Ante ἀγῶνα addunt ἔσχατον Christoph. Lect. Stroth.

(8) Τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων. Musculus vertit *verberum illationes*. Cristophorsonus *trajectiones*. Dictum videtur pro τὰς ἐν ταῖς διεξόδοις μάστιγας, id est, verbera illata dum traducerentur in pompa. Moris autem erat, ut bestiarii antequam pugnarent cum bestiis flagris verberarentur, ut docet Tertullianus in lib. I *Ad nationes*, cap. 18, et in lib. *Ad martyras*, cap. 5. Sic in Passiones SS. Perpetuæ et Felicitatis scriptum legimus: « Ad hoc populus exasperatus flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit. » Ubi vide quæ notat Lucas D Holstenius. Itaque eo loco διεξόδους vel to transcursiones flagrorum. Omnium enim venatorum flagra per ordinem excipiebant bestiarii, ut ex Actis illis et ex Tertulliano discimus, qui et transcurrendi verbo in ea re utitur. Vales

(9) Καὶ ἐπὶ πᾶσι. Abest καὶ ad edit. Steph. Stroth

(10) Ἐνεφόρει. Ενεφόρει cod. Castell. Stroth.

(11) Ἔλῃγον. Ἤλγουν ms Bodl., quod Nicephorus quoque invenit, qui tamen locum sic refinxit: Οἱ δὲ τοσοῦτον ἤλγουν ὡς καὶ νικᾶν βούλεσθαι τὴν ὑπομονήν, οἷα μαινόμενοι.

(12) Εἰσήκουσαν. Posuit quidem Valesius, fortasse ex scriptis suis, certe cum eo consentientibus mss. Bodl. et Norfolc. ἤκουσαν, sed ex ed. Steph. εἰσήκουσαν revocantem Strothium secutus sum.

(13) Μὲν οὖν. Abest οὖν ed. Steph. Stroth.

scilicet, Judæos et gentiles. Rectius itaque Musculus vertit : *Omnibus rationem fidei suæ reddebant.* Possis etiam vertere : *Omnibus se excusabant.* Id enim proprie est ἀπολογεῖσθαι. Unde apologiæ sacerdotum, de quibus Gregorius Magnus in *Sacramentario*. Vales. Suam igitur ipsius interpretationem corrigere voluit Valesius.

(75) Ἔλυον μὲν ἅπαντας, ἐδέσμενόν δὲ οὐδένα. Quæ fuerint partes martyrum in reconciliandis lapsis, cæterisque peccatoribus revocandis ad Ecclesiæ pacem communicationemque, plene ostendunt Cyprianicæ epistolæ. Martyras enim neutiquam pro judicibus in hujuscemodi causis, sed pro intercessoribus tantum et suffragatoribus, gerere se

D oportebat, ut ibi ex jure et consuetudine probatur

(76) Ὑπὲρ τῶν λιθαζόντων ἐδέετο. Ὑπὲρ τῶν ὑβριζόντων ἐδέοντο Christoph. Lect. Stroth. Nec. male. Non vertit vetus interpres. Addit autem καί ante ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν ms. Norfolc.

(77) Ταῦτα Τοῦτο. Christoeh. Lect. et cod. Castel. Stroth. Sed fortasse vix opus est, ut quid mutetur. Scribitur τούτῳ in ms. Norfolc. male ; in eodemque codice corruptam supra est ἀποπνιχθεὶς ὁ θὴρ in ἀποπνιγεὶς ὁ θὴρ, et καταπεπωκέναι in καταπεπτωκέναι.

(78) Κατὰ πάντων. Κατὰ πάντα. Sic ex cod. Reg. edidit Stephanus. Reliqui tamen cod. Maz., Med. et Fuk. scriptum habent κατὰ πάντων νικηφόροι. Id est omnibus victores. Nicephorus vero ita hunc locum refinxit, καὶ πάντες νικηφόροι, etc, Vales. Cum Valesii codicibus facit uterque meus.

bona, indigentibus liberaliter subministrabant, materna quædam misericordiæ viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt, et largitus est eis Deus [8] : quam etiam illi proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti. Cumque pacem dilexissent, pacem nobis commendassent, ipsi cum pace migraverunt ad Deum ; non dolorem matri, non fratribus dissidium ac bellum, sed gaudium et pacem et concordiam charitatemque omnibus relinquentes.

A παρεγγυήσαντες (79), μετ' εἰρήνης ἐχώρησαν πρὸς Θεόν· μὴ καταλιπόντες πόνον τῇ μητρὶ, μηδὲ στάσιν καὶ πόλεμον τοῖς ἀδελφοῖς, ἀλλὰ χαρὰν καὶ εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν καὶ ἀγάπην (80).

XVIII. Alcibiades quidam unus ex illorum martyrum numero, durum et squalidum vivendi genus sectabatur, nullumque omnino cibum admittens, solo pane et aqua ad id usque temporis vesci con-

XVIII. Ἀλκιβιάδου γάρ τινος ἐξ αὐτῶν (81), πάνυ αὐχμηρὸν βιοῦντος βίον (82), καὶ μηδενὸς ὅλως τὸ πρότερον μεταλαμβάνοντος, ἀλλ' ἢ ἄρτῳ μόνῳ καὶ B ὕδατι χρωμένου (83), Πειρωμένου τε καὶ ἐν τῇ εἰρ-

[8] Psal. xx, 5.

Ante Θεόν hic statimque post articulus τόν in cod. Norfolc. additur.

(79) Εἰρήνην ἀγαπήσαντες ἀεὶ, καὶ εἰρήνην ἡμῖν παρεγγυήσαντες. Post Strothium quidem ex edit. Stephani atque Nicephoro pronomen ἡμῖν pro ἀεὶ lectione Valesii reposui ; dum vero idem vir cl. ex eadem Stephani edit. αὐτοὶ pro priore ἀεὶ revocandum censet, mecum facit vetus interpres, Rufinus qui vertit : *Sed pacem* semper *habendam, pacem* fratribus *custodiendam commonebant.*

(80) Καὶ ἀγαπην. Addit Eusebius : Ταῦτα καὶ περὶ τῆς τῶν μακαρίων ἐκείνων πρὸς τοὺς παραπεπτωκότας τῶν ἀδελφῶν στοργῆς, ὠφελίμως προσκείσθω· τῆς ἀπανθρώπου τε καὶ ἀνηλεοῦς ἕνεκα διαθέσεως, τῶν μετὰ ταῦτα ἀφειδῶς τοῖς Χριστοῦ μέλεσι προσενηνεγμένων. *Atque hæc de beatorum illorum affectu erga eos fratres qui lapsi fuerant, ad legentium utilitatem hic posita sint, propter eos qui inhumano quodam ac truci animo prædicti, inclementer adversus Christi membra postmodum sævierunt.* Ait Valesius : « Novatianos intelligit, qui lapsis omnem spem indulgentiæ postea præcluserunt. » De Novatianis loquitur quidem Eusebius ; sed verba Lugdunensium dissidia atque lites his etiam temporibus in Ecclesia exortas fuisse circa communicationem lapsorum clare indicant ; aliis quidem severius circa hanc rem agentibus, aliis lenius, durissime fortasse omnium Montani sectatoribus. Hinc porro colligendum esse petet, vel ea tempestate invaluisse morem, ut lapsi a martyribus pacem Ecclesiæ expeterent ; cujus quidem moris hoc primum omnium fortasse est testimonium ; in quo etiam notanda verba sunt : Ἀλλ' ἐν οἷς ἐπλεόναζον αὐτοὶ, τοῦτο τοῖς ἐνδεεστέροις ἐπήρκουν, nam ea opinio de tanto martyrum merito, ut idem aliis quoque hominibus in satisfactionem delictorum communicari queat, isthuic ipsi consuetudini originem dedisse videtur. Verum optime ait Tertullianus : « Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius ? » *De pudicitia* cap. ult. Non quod crediderit antiquitas, martyras, aut quosvis alios, aliquid efficere posse vel sui vel aliorum gratia nisi per Christi sanguinem. Etenim etiam Origenes, qui opinionem de martyrum merito fovebat, hæc habet in *Exhort. ad martyrium* : Εἷς μόνος δεδύνηται δοῦναι ἀντάλλαγμα τῆς ἀπολλυμένης πρότερον ψυχῆς ἡμῶν τῷ ἑαυτοῦ τιμίῳ αἵματι, cap. 12, pag. 282, ed. Delaruan. Itidem S. Cyprianus in epist. 10 vel 8, cum de agone martyrum dixisset : « Pretiosa mors hæc est quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis, » statim post subjunxit de Christo : « Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. » Αὐτοὶ, de martyribus ait S. Joannes in Apoc. xii, 11, ἐνίκησαν αὐτὸν (diabolum) διὰ τὸ αἷμα τοῦ Ἀρνίου, καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν, καὶ οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου.

(81) Ἀλκιβιάδου γάρ τινος ἐξ αὐτῶν, etc. Dubium est, utrum verba quæ sequuntur, desumpta omnia sint ex Lugdunensium epistola. Eadem quidem *Chronici Paschalis* seu *Alexandrini* auctor habet ad pag. 26, ed. Ducangii, sed ex Eusebio, ni fallor, descripta. Cæterum, cum Valesius recte, ut opinor, paulo infra notavisset, Alcibiadem (si ita revera nominatus est) Montanistam distinguendum esse ab Alcibiade hoc confessore. Readingius interea hæc addit : « Utcunque Alcibiades hic diversus fuerit ab isto cognomine Montanista, eumdem tamen errorem hausisse videtur de necessitate abstinendi a quibusdam cibis, velut a malo principio conditis. » Istud vero de Montanistis quidem a cibis propter hujusmodi causam abstinentibus soli Epiphanio, etsi nulla mentio ejus facta est a Readingio, debetur, in eo tamen alios omnes auctores relinquenti, quod fœdissimum Encratitarum aliorumque hæreticorum errorem Montanistis in hæresi 48, n. 8, ascriberet, si revera quidem, quod vix certum est, Montanistas his hæreticis incluserit. Fortasse tamen hæc facta est divinæ voluntatis significatio propter Montanistarum sectam, tunc primum, ut Eusebius statim post ostendit, exortam ; namque hæretici isti ex jejuniis suis, xerophagiis, stationibusque, quæ præter instituta catholicæ Ecclesiæ observabant, laudem quærere, et plurimum sibi favorem captare soliti sunt. Ne igitur Alcibiadis exemplum aliquibus forte fratribus scandalo fieret, quasi ille patrocinaretur Montanistrarum, aliorumque hæreticorum tum scaturientium, superstitioni, verisimile est, aliam victus sui ordinandi rationem ipsi per Attalum divinitus fuisse imperatam. En autem plane apposite huic loco ita scribentem Tertullianum, dum officia charitatis in fratres incarceratos ita exprobrat catholicis : « Plane vestrum est in carceribus popinas exhibere martyribus incertis, ne consuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, ne » nova abstinentiæ disciplina (illa nimirum Montanistica) « scandalizentur. » *De jejuniis*, c. 12. Certe, quidquid secus nonnulli suspicati fuerint, alieni fuerunt a Montanismo fratres hi Gallici. Imo vero, si fide auctori *Synodici* a Joanne Pappo primum editi adhibenda est, synodus ab iisdem contra Montanum et Maximillam celebrata est. Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ ἐν Γαλλίᾳ συναθροισθεῖσα ὑπὸ τῶν ὁμολογητῶν· ἀποκηρύξασα Μόντανον καὶ Μαξίμιλλαν· ἧς ὁ ὅρος πρὸς τοὺς ἐν Ἀσίᾳ πιστοὺς διέδη, cap. 7.

(82) Αὐχμηρὸν βιοῦντος βίον. Αὐχηρῶς βιοῦντος ed. Steph. ; αὐστηρὸν βιοῦντος β. Christoph. Lect. Strota. Supra προαχθῆναι pro προσθεῖναι ms. Norfolc.

(83) Ἀλλ' ἢ ἄρτῳ μόνῳ καὶ ὕδατι χρωμένου. Addit *salem* Rufinus vertendo *sed tantum sale et pane cum aqua utebatur.*

κτῃ οὕτω διάγειν, Ἀττάλῳ μετὰ τὸν πρῶτον ἀγῶνα δν ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ ἤνυσεν, ἀπεκαλύφθη ὅτι μὴ καλῶς ποιοίη ὁ Ἀλκιβιάδης, μὴ χρώμενος τοῖς κτίσμασι τοῦ Θεοῦ,καὶ ἄλλοις τύπον σκανδάλου ὑπολειπόμενος. Πεισθεὶς δὲ Ἀλκιβιάδης, πάντων ἀνέδην μετελάμβανε (84), καὶ ηὐχαρίστει τῷ Θεῷ. Οὐ γὰρ ἀνεπίσκεπτοι χάριτος Θεοῦ ἦσαν, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἦν σύμβουλον αὐτοῖς.

A sueverat. Cumque in carcere positus eamdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post primum quod in amphitheatro confecerat certamen, revelatum est, non recte neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaturis Dei minime uteretur, et aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, et cunctis deinceps cibis promiscue uti cœpit, gratias agens Deo. Neque enim divina gratia eos præsentia sua destituerat ; sed consultorem habebant Spiritum sanctum.

(84) Ἀνέδην μετελάμβανε. Auctor *Chronici Paschalis*, qui, ut dixi, hæc attulit, φανερῶς pro ἀνέδην posuit. Et paulo post καὶ δικαίως addidit ante illa οὐ γὰρ ἀνεπίσκεπτοι ἦσαν, interpretandi causa, sed irrito conatu. Articulum ante Θεοῦ adjecit ms. Norfolc.

APPENDIX

I.

PASSIO SS. EPIPODII ET ALEXANDRI.

(D. Theod. Ruinart, *Acta martyrum sincera*. Veronæ, 1731, in-folio. p. 62.)

MONITUM

Non multo post sanctorum Pothini, et sociorum ejus cædem, quos ex Eusebio in urbe Lugdunensi illustri martyrio coronatos diximus. comprehensi sunt duo alii Christiani, qui eamdem urbem sanguine suo illustrarunt. Ii sunt Epipodius, et Alexander quorum Acta ex Aprili Bollandiano et Surio cum 2 codd. mss., uno Bibliothecæ Colbertinæ, altero insignis archimonasterii Sancti Remigii Remensi, collata proferimus. De iisdem sanctis martyribus exstat homilia Eucherii Lugdunensis, sub Eusebii Gallicani nomine tom. V, part. I, *Bibliothecæ Patrum* edit. Coloniensis.

Non uno et eodem dies hos sanctos martyres mortem pertulisse ex eorum Actis constat. Hinc factum est, ut cum diversis diebus eorum festivitas celebraretur (quod jam tempore Eucherii fiebat, ex laudata homilia), eorum Acta in duas partes divisa sint, adjecta unicuique parti sua præfatiuncula, ut in officiis divinis facilius legi possent ; quamvis ea ab eodem auctore simul conscripta fuisse nemo possit inficiari. Prioris, scilicet Epipodii, festum die vigesima secunda Aprilis, Alexandri vero die vigesima quarta ejusdem mensis etiam antiquiora Martyrologia celebrant. Unde conjicimus eorum martyrium ad annum 178 esse referendum, cum alii martyres Lugdunenses circa mensem Augustum anni præcedentis passi fuerint. Eorum vero sacra corpora tempore Gregorii Turonensis, in crypta Sancti Joannis sub altari cum beati Irenæi reliquiis collata erant, « de quorum monumentis, ut ait ille *De gloria Martyrum*, cap. 50, si pulvis cum fide colligatur, extemplo medetur infirmis. »

Florus et Ado Viennensis archiepiscopus, asserunt in suis Martyrologiis ad diem 24 Aprilis, simul cum Alexandro, alios triginta quatuor martyres passos fuisse, quem sanctorum numerum alii deinceps Martyrologiorum scriptores retulerunt. De iis tamen nec in Actis, nec in Eucherii laudata homilia quidquam habetur.

Præter hos martyres Lugdunenses, celebres sunt Marcellus et Valerianus, qui, furente persecutione, ex urbe Lugduno fuga elapsi, mortem quam illic evaserant, paulo post in vicinis urbibus oppetierunt; Valerianus apud Trenorchium oppidum, vulgo Tournus; Marcellus vero prope Cabilonum, ubi cinglo tenus in terra defossus, tertio post die beatum spiritum exhalavit. Utriusque meminit Gregorius Turonensis lib. I, *De gloria martyrum* cap. LIII et LIV. Solemnis jam erat tempore Gumtramni regis, Sancti Marcelli festivitas, ad quam, teste eodem Gregorio *Hist.* lib. IX, cap. 3, iste princeps accessit. Eum autem martyrem rex piissimus veluti præcipuum regni sui patronum agnovit, ad cujus sepulcrum basilicam cum monasterio construi curavit, in quem locum 40 episcoporum concilium ab eodem rege convocatum fuisse narrat Gregorii continuator cap. 1. Porro istud monasterium hactenus perseverat, nostris Cluniacensibus addictum.

PASSIO

SANCTORUM EPIPODII ET ALEXANDRI.

Ex codd. mss. et Aprili Bollandiano.

I. Si merita virorum fortium, et facta ad incitamentum posteritatis, mandantur annalibus, qui pro terrena libertate, vel patria inani intentione ceciderunt, relinquentes carnalium virtutum brevia monumenta, dum pereunt; quantis præconiis celebranda mors martyrum est, qui admirabili glorioso que compendio, dum manus suas ad cœlum porrigunt, fidei et devotionis exempla terris relinquunt, propagantes hominum vitam mortibus suis? Neque enim pro imperatore terrestri, sed pro Rege cœlesti sanguinem suum profundentes, non pro patria quæ gignit et recipit, non pro patria quæ habetur et amittitur, sed pro illa Jerusalem cœlesti, patria sempiterna, quæ meritis est constructa sanctorum, quæ culmina sua cœlo inserit, cujus incolæ mori nesciunt, cujus libertas jugum tartareæ captivitatis ignorat, cujus libertas cum immortali gloria et beatitudine perseverat. Et licet de præmiis martyrum pauca perstricta sint, quia nequaquam condignæ sunt passiones præsentis sæculi ad magnitudinem gloriæ cœlestis [1], quæ erit perpetua et sempiterna; attamen hi sunt perpetui sanctorum triumphi, qui merito scriptis proditi mittuntur ad posteros; ut si non contingit occasio passionis, succensæ tamen mentis æmulationis ardore, immaculatam vitam et contritione corporum et imitatione martyrii, consequantur. Itaque beatissimorum Epipodii (1) et Alexandri conflictus atque victorias, Christos in illis triumphante, referimus, ut fides credentium præmissum et desideret et sequatur exemplum.

II. Igitur principis Antonini Veri decimo septimo (2) imperii anno, cum per provincias gentilium furor desæviret, præcipue in Lugdunensi urbe debacchatus est, in qua pro sui magnitudine quanto majores degebant populi, tanto etiam gentilium copiosor rabies æstuabat; judices, officiales, tribuni, milites, vulgus certatim, indiscerto etiam sexu, Christianos multiplici crudelitate laniabant: quorum plurimi distinctis passionibus atque nominibus, ad succedentium memorias pervenerunt; innumeros vero, qui vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos cœlestis vitæ liber tantum continet. Nam post vastissimam martyrum stragem, et sævientium passionum crudelitatem, de qua etiam Christi famuli, quos tunc illustrissimæ urbes Vienna et Lugdunum tenebant, ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ scripta miserunt, cum pene ad integrum Christi nomen a gentilibus crederetur exstinctum: per proditionem domesticam Epipodius et Alexander occulte operam dare catholico fidei cultui, præsidi nuntiantur; quos ille indagine sollicita, exosæ religionis reliquias in illis exstinguere cupiens, præcipit inquiri.

III. Verum intermisso paulisper ordine passionis, quanti qualesve fuerint, convenit vel breviter publicari. Et Alexander quidem natione Græcus fuit, Epipodius vero Lugduniensis civitatis indigena; quos parvulos scholare contubernium et charitas jam virilis in primæva ætate conjunxerat; et ita litteris eruditissimi, concordia crescente, adeo provecti sunt, ut cum fuerint Christiani, et a clarissimis parentibus instituti, ad religionem tamen

[1] Rom. VIII, 18.

(1) In codd. Rem. et Colb. scribitur semper, *Ypipodius*; in Martyrologio Flori *Upipodus*; in homilia S. Eucherii, *Ephiphodius*.

(2) Cod. Rem. cum Colb. habet, *decimo octavo*.

se incitamentis mutuo provocarent; nam sobrietate, parcimonia, castitate, fide, opere misericordiæ, ita Deo sese[2] hostias dignas præparabant, ut in consummationis meritum profuerit gloria prolata martyrii. Erant ambo juventutis flore conspicui, neque adhuc conjugalibus nexibus implicati. Sæviente autem persecutione, implentes evangelica constituta, quoniam ad aliam vel etiam tertiam civitatem abire non possent, latebram ibi quæsierunt. Egressi vero occulte septa murorum, in eo vico qui propter Incisam-petram (3) situs est, tugurio se cujusdam religiosæ et fidelis viduæ sine ullis comitibus abdiderunt. Cumque illic aliquandiu, tecti fide mulierculæ et loci humilitate, latuissent, tandem illos sagax inquisitor invenit, quos per angustum cellulæ aditum fugientes manus infesta corripuit; qui ita trepidi inter insilientes irruperant, ut sanctus Epipodius calceamento pedis unius privaretur; quod postea fidelis mulier, tanquam thesaurum sibi repertum occuluit.

IV. Itaque captos etiam ante discussionem carcer accepit; quia manifesti putabatur criminis nomen esse ipsa appellatio Christiana. Deinde post triduum vinctis post tergum manibus ante præsidis statuuntur tribunal; quos sævissimus judex astante et infremente gentilium multitudine, de nomine et professione interrogavit. Illi vero et vocabula sua prodiderunt, et Christianos se esse perspicue testati sunt. Accenditur ergo judex, et popularis conclamatio attollitur, et in innocentes simul omnium insania consurgit. Potestas eos increpat, furorem suum hujusmodi clamore testatur: Etiam nunc adversus deos immortales humana temeritas perseverat? Etiam nunc convelluntur principum sanctiones, et uno eodemque majestatis crimine imperator impugnatur et numina? Ubi sunt tormenta, quæ intulimus? ubi cruces? ubi gladii? ubi bestiæ? ubi ignitæ laminæ? ubi districtio, etiam ultra mortis terminos procurata? Exstincti sunt homines, sepulcra (4) non exstant, et tamen Christi memoria perseverat. O puniendi, quo ausu in religione vetita perdurastis? Jam nunc pro vestræ præsumptionis temeritate pœnas dabitis. Ac ne se invicem exhortentur aut moneant (5) sermone vel nutibus, ejecto Alexandro qui est ætate firmior, Epipodius applicetur. Quem scilicet singulariter destitutum, dum pro conjectura ætatis teneriorem animo judicabat, serpentis antiqui usus calliditate, venenata blandimentorum arte sollicitat. Video enim te, ait, juvenem et nefas est ut in intentione pravi propositi perseveres et pereas. Non immortales deos colimus, quos universitas populorum, quos etiam nominibus propriis sacratissimi principes venerantur. Nos deos colimus lætitia, conviviis, cantionibus, ludis, comessatione et lascivia; vos vero hominem crucifixum, cui placere non possunt qui his omnibus perfruuntur, qui lætitiam (6) respuit, qui jejuniis delectatur, qui damnatis voluptatibus tristem et infecundam diligit castitatem. Quid vero tribuere beneficii cuiquam valet, qui se tueri a vilissimorum insectatione non potuit? Quæ quidem omnia idcirco tibi contexui, ut cum oblectatione et cum gaudio, quasi juvenis, austeritatem refugiens, mundi hujus lætitudine perfruaris.

V. Ad hæc beatus Epipodius: *Non ita me Christi ac fidei catholicæ armavit affectus, ut sensum meum misericordiæ tuæ figmenta permoveant. Pietas enim ista crudelitas est; vobiscumque vivere, mors est æterna; cæterum a vobis perire gloriosum est. Sempiternum vero Dominum nostrum Jesum Christum, quem crucifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio* (7) *homo pariter et Deus, famulis suis tramitem immortalitatis instituit, et ad cælestia regna perducit. Sed ut communiter tecum loquar, quia alta non recipis; nunquid ita cæcata mens tua est, ut nescias hominem ex animæ et corporis duplici constare substantia? Animæ imperio, corporis servitio magis utimur. Turpitudines quibus dæmones vestros colitis, oblectant membra corporis, mentes interimunt. Quæ autem illa vita est, ubi partis potioris detrimenta proveniunt? Nos pro anima adversus corpus bella suscipimus; nos pro anima adversus vitia dimicamus; vobis venter Deus est, et in morem pecudum, post ingluviem prodigam, finem vitæ præsentis, mortis judicatis occasum. Cæterum nos quicunque vobis persequentibus interimus, dum nos temporalia deserimus, vitam ingredimur æternitatis.*

VI. Judex vero, responsi hujus livore et admiratione defixus, iracundiaque stimulante commotus, admirabilis eloquentiæ domicilium, id est os martyris elidi pugnorum ictibus jubet. Ac deinceps sanctus Epipodius, illato dolore constantior, mistis cruore dentibus, hæc verba profudit: *Christum cum Patre ac Spiritu sancto Deum esse confiteor, dignumque est ut illi animam meam refundam, qui mihi et creator est et Redemptor. Ita enim mihi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Nec interest infirmitas corporea quo fine solvatur, dummodo anima cœlis invecta ad suum revertatur auctorem.* Cum hæc beatus Epipodius constanti assertione loqueretur, imperio truculenti judicis equuleo suspenditur, circumstantibus hinc inde lictoribus, ut latera ejus impressis ungulis sulcarentur. Tunc subito populi terribilis clamor factus est, petentis ut sibi detur, ut obrueretur imbre saxorum, aut membratim divisus sævientium insania carperetur. Ita furore

[2] mss. *in se.*

(3) Incisa-petra, vulgo *Pierre-encise*, arx seu castrum ad muros urbis Lugdunensis super rupem prærealtam.

(4) Martyrum priorum corpora cremata fuisse, ne fidelium veneratione haberentur vidimus supra in epistola ad Ecclesias Asiæ.

(5) Boll. et Sur. *muniant.*

(6) Cod. Colb. cum Sur. et Bollando *licentiam.*

(7) Cod Remig. *pietate.*

omnium tarda erat crudelitas judicantis. Metuens autem præses ne magis vim inferrent, et per seditionem potestas ac judicii reverentia turbaretur, ad sedandum circumfusæ multitudinis præcipitem et insanum furorem, causamque commotionis exstinguens, eductum extra tribunal gladio raptim feriri jubet. Itaque quanto infestior fuit inimicorum tumultus, tanto citius, dispositione divina, consummatio accelerata est martyrii ; ut puerum suum de passione ac persecutoribus triumphantem, velocius Christus remunerator reciperet, qui est benedictus in sæcula (8).

VII. Beatos martyres Epipodium et Alexandrum primum conjunxit infantia, deinde in timore divino instituit adolescentia, firmavit juventus, donec animis meritisque conjuncti, ad martyrium pervenerunt, quod tribuente Dei munere pariter susceperunt. Sed dum Dominus noster Jesus Christus ita militum suorum victrices dispensat coronas, ut qui ei jungebantur confessione temporali, dividerentur occasu, merito nobis præstitum judicamus, ut duplicata in illis solemnitate fruceremur. Nam et dum alternis diebus festa illorum proveniunt, et illos inseparabili veneramur affectu, non singulis diebus, sed geminatis obsequiis utrumque bis colimus (9). Et sicut nudiustertius solemnitas cœlo insertum Epipodium celebravit, ita hodierna festivitate beatum Alexandrum pervenisse ad regna cœlestia gaudeamus. Idcirco autem nunc revertamur ad historiam passionis.

VIII. Interempto ergo Epipodio martyre persecutor recenti adhuc cruore respersus, beati Alexandri sanguinem sitiebat. Quem receptum ex carcere, comperendinato examine, die interposito, furori suo præcepit offerri, ut ejus suppliciis non solum rabiem suam, verum etiam insaniam commoti et sævientis populi temperaret. Quem tamen etiamnunc hac percunctatione tentavit : Adhuc in potestate tua est ut evadas prædecessorum exempla, videasque quæ teneas. Ita enim persecuti Christicolas sumus, ut pene te solum arbitrer resedisse. Nam præter alias cæsorum catervas, etiam stultitiæ tuæ collega succubuit ; atque ideo tibi consulens, immortales deos thuris accensione venerare.

IX. Beatus Alexander dixit : *Gratias ago Domino, quod dum gloriosos martyrum evolvis triumphos, et illata tormenta commemoras, ad devotionem me quoque confirmas exemplis. Putasne ergo exstinctas animas quas fudisti ? Illæ quidem cœlum possident ; sed versa vice persecutores in illo agone perierunt. Fallit enim te opinio tua. Exstingui non potest nomen Christianum, quod ita, Deo fundante, firmatum est, ut et vita hominum custodiatur, et moribus propagetur. Deus noster cœlos quos fecit possidet ; terram tenet, inferna moderatur, et animas quas interemptas judicas, regnum cœleste suscepit ; vos vero cum diis vestris inferna retinebunt. Et quia fratrem* (10) *meum charissimum in summo* (11) *gaudio collocatum scio, securior viam devotionis ingredior. Ego Christianus sum, et fui semper, et futurus sum in gloriam Dei. Tu vero exerce corpus, quod pro imbecillitate terrena sortibus mundi videtur addictum ; cæterum animas nostras custodiet et recipiet ille qui contulit.*

X. Ad hæc præses misto pudore et furore desæviens, sanctum Alexandrum divaricatum ternis cædentibus præcepit verberari ; qui nulla humili responsione inter tormenta dejectus, Dei semper præsidium flagitavit. Cumque longissimo spatio cædentium succidua vicissitudine non frangeretur, præses interrogat, utrum etiamnum in hac confessione duraret. Cujus percunctationi inconcussa auctoritate respondit : *Deos gentilium dæmonia esse ; Deum vero omnipotentem, invisibilem, sempiternum sui propositi esse custodem.*

XI. Tunc judex : Christiani ad istam insaniam proruperunt, ut prolixitate pœnarum gloriam sibi existiment comparari, ei persecutores suos vicisse se judicent, quos oportet celeri fine consumi. Quia ergo in pertinacia sua et audiri nefas est et videri, idcirco Alexander fixus cruci, animam, sicut meretur, effundat. Post quam sententiam ministri sævique carnifices acceperunt beatum Alexandrum, salutarique signo eum, extensis in diversa brachiis ac manibus nexuerunt. Nec tamen diu beati martyris tormenta porrecta sunt ; ita enim laniatum fuerat corpus crudelitate verberantium, ut carne soluta costarum, patefactisque visceribus, secreta animæ panderentur. Nam dum totus in Christo est, eumque jam fessus (12) supremis vocibus invocat, beatum spiritum examinatus emisit.

XII. Hos itaque semper concordes et socios, quia mors diviserat, sepultura conjunxit, dum furantibus Christianis, educta occulte extra urbem corpora absconsa conduntur. Erat enim in colle superposito civitati concretis densatus stipitibus locus, ibique in modum speluncæ conclusa fructetis ac sentibus vallis latebat, et ut fit, ubi humor deciduus per naturale ministerium infunditur, inculta fecunditas, quo in recessu venerabilia corpora religiosa provisione demersa sunt ; quia gentilium furor, extremam denegans sepulturam ; etiam in corpora exanimata sæviebat. Postea vero venerabilem locum religiosorum cultus servavit, et prodidit reverentia

(8) Hic desinit passio sancti Epipodii in cod. Remigiano, sicut apud Surium in quo codice seorsim habetur passio sancti Alexandri, eo quod diversis diebus eorum festivitas ageretur.

(9) S. Eucherius in homilia de his sanctis : *Duplicia Epipodii et Alexandri tropæa, Ecclesiæ nostræ fides, interjecta bidui vel tridui distinctione concelebrat.*

(10) Non inde inferendum est hos martyres fratres germanos fuisse, sed suum fratrem Epipodium, utpote Christianum, appellat, sicut in epistola ad Asiæ Ecclesias, Blandina *soror* appellatur.

(11) Cod. Remig. *tuto.*

(12) Cod. Remig. *confessus.*

deducta per posteros,et virtutes plurimæ quæ sanctorum potentiam prodiderunt.

XIII. Nam cum tempore consequenti, populus Lugdunensis passim morbo sæviente corrueret, adolescens quidam natu nobilis, vi febrium valde succensus, per visionem commonitus est, ut remedium ab ea muliere, quæ calceamentum martyris habebat, expeteret.Illa vero se medicinæ nihil nosse respondit ; sed, Domino miserante, martyris per exuvias hospitali ope allata, se plurimos curasse non negabat. Statimque ei Lucia (13)benedictionem et hospitalis calicem salutis porrexit. Qui dum poculum remedium sitis accepit, protinus ita, exstincto ardore, convaluit, ut non ope humana, sed mirabili divinitatis auxilio, vitæ ac sanitati redditus diceretur. Quæ virtus fidei atque sanctorum per universam dispergitur civitatem, et innumera multitudo dum sanitatem corporum recepit, fidei incrementa suscepit, factaque est membrorum atque animorum præsens et æterna medicina. Sed et postea in locis illis mirabilia ista monstrantur,ejectio dæmonum, debilitatum curatio, restauratio sanitatum ; quæ ita pene quotidiana et iis majora proveniunt, ut credulitas, etiamsi spontanea non fuerit, exsistentibus miraculis exigatur. Itaque fidem dictis atque factis convenit applicari, quia amica Dei potentia, virtus et dignitas, ut fideles et credulos diligit, ita deserit dubitantes. Idcirco non ambigamus vera esse, quæ et auditu manifesta hausimus et videmus, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

II.

PASSIO S. SYMPHORIANI.

(D. Ruinart., *Acta martyrum*, p. 67.)

MONITUM.

Invenimus Acta beati Symphoriani martyris in multis codicibus mss., etiam antiquissimis, sed in tribus tantummodo sincera et utcunque pura. Ex his unus est abbatiæ Conchensis prope Ebroicas in Normannia ; secundus Rosbacensis, qui modo est monasterii Sancti Faronis in suburbio Meldensi ; tertius denique in nostra bibliotheca Sancti Germani a Pratis asservatur. Eorum opera stylum et verba, quæ passim Surius mutaverat, ad primigenium statum revocavimus, sicque ea Acta quæ Baronius sincera judicavit, collata cum Mombritio, ejusdem Baronii fragmentis, ac codd. mss. etiam iis in quibus interpolata habentur, proferimus ; quæ eadem esse non dubitamus quæ a Gregorio Turonensi lib. *De gloria confessorum*, capite 77, laudata sunt.

Cellula in qua beatum Symphorianum sepultum fuisse Acta memorant, post aliquod tempus in celebrem basilicam mutata est, cui cum monasterium fuisset adjunctum, abbas præfuit sanctus Germanus, qui teste Venantio Fortunato in ejus vita, tanta devotione erga hunc beatissimum martyrem ferebatur, ut singulas fere noctes, quandiu Augustoduni mansit, prope ejus sepulcrum transigeret. Ipse postea Parisiorum episcopus factus, in ejusdem beati martyris honorem sacellum construi jussit,in quo,sicut ipse præceperat, post mortem sacrum ejus corpus sepultum est, exstatque etiam nunc inferiori majoris basilicæ nostri monasterii sancti Germani a Pratis parti adhærens versus meridiem.

Verum non apud Æduenses solum celebris fuit beati Symphoriani memoria, cujus quippe natale,inter alia quæ in ecclesia Sancti Martini celebrari ordinavit Perpetuus episcopus Turonensis, recenset Gregorius in fine libri x *Historiarum*. Idem narrat lib i *De gloria martyrum*, cap. 52, miraculum quod sacris ejus reliquiis contigit in Arvernia sub Theodorico Francorum rege. Ejus missa habetur in Missali Gothico num. 63,quod ab eruditissimo P. Mabillonio editum est lib. iii, *De Liturgia Gallicana*. Ecclesiam quoque sub nomine Sancti Sinsuriani seu Symphoriani in pago Meldensi exstitisse sub prima regum nostrorum stirpe, patet ex Ermentrudis testamento, quod ab eodem Mabillonio, in appendice lib. *De Liturgia Gallicana* vulgatum est, num. 5. Tandem, ut cætera omittam, Martyrologia etiam antiquiora hujus sancti martyris memoriam recolunt die 22 mensis Augusti, quo festum ejus etiamnunc celebratur.

Porro ejus sancti mortem ad annum circiter 180 referimus, cum a beato Benigno sancti Polycarpi discipulo baptizatus dicatur. Nec dubium est quin *Aureliani* imperatoris nomen loco *Aurelii* in vulgata acta irrepserit. Certe codex S. Faronis supra laudatus diserte habet Aurelii nomen num. 2, ubi de imperatoris edicto agitur. Consentit Usuardus in Martyrologio. At auctor Chronici Sancti Benigni Divionensis tomo I *Spicilegii Acheriani*, ubi plura habet de sancto Symphoriano, ejus martyrium refert ad *Marcum Aurelium Antoninum, Macrini* successorem, id est *Heliogabalum*, buamvis non dissimulet hunc imperatorem vulgo *Aurelianum* dictum fuisse ab his, qui de Sancto Benigno Symphoriani eruditore scripserunt. Eumdem *Aurelianum* alii dicunt fuisse Caracallam. Vide Bolland. tom. I, Maii,ubi de S. Andeolo. Certe in mss. cod. Aurelius et Aurelianus, Fabius et Fabianus Valerius et Valerianus, aliaque similia nomina sæpius confunduntur ; quod sexcentis exemplis probare facillimum esset.

Augustodunum sive Ædua, vulgo *Autun*,ubi passus est Symphorianus, civitas olim Galliarum clarissima sub Romanis, etiamnun celebris est, ad fluvium Arosium in Burgundiæ ducatu sita, sub metropoli Lugdunensi, cujus episcopus ex sancti Gregorii Magni concessione libro vii, epist. 113, Indict. ii, in ea provincia primum locum obtinet, jusque habet Pallium, quod nunc est metropolitanorum insigne, deferendi. Ejus urbis patronum specialem sanctum Symphorianum agnoscit Fortunatus lib. viii, carm. 4.

(13) De ea muliere et S. Epipodii calceamento, vide Gregorium. Turon. lib. *De gloria confessorum*, cap. 64.

PASSIO SANCTI SYMPHORIANI.

Ex codd. mss.

I. Sub Aureliano (14) principe, cum adversus Christianum nomen persecutionis diræ procella detonaret, et ad delendam religionem catholicæ legis imperii sui decreta converteret, erat tunc in Augustodunensi urbe, Fausti (15) nobilis viri filius nomine Symphorianus Christianæ familiæ, litteris bene instructus et moribus, ita ut primævæ indolis florentes annos, senum anticipans vitam, immaculatæ mentis sinceritate superaret. Hic itaque cum in adolescentiam crescens transiret ab infantia, et jam ætas feliciter auspicata in robur virile migraret, tantam spem virtutum suarum omnibus fecit, ut illum jam omnes boni cum supernis virtutibus habere consortium, meritorum admiratione judicarent. Illustrabat namque eum cœlestis sapientia, et spiritualibus gemmis ornata simplicitas; et justum vitæ tramitem tenens, felicis gubernaculi defensione servatus, naufragium male blandientis sæculi elapsus est (16).

II. Erat tunc Ædua civitas antiquæ nobilitatis, titulis et sacrilegæ religionis referta cæremoniis, atque errori gentilium famulans, diversis idolorum templis, et vanæ superstitionis amore tenebatur. Nam Berecynthiæ, Apollinis et Dianæ cultum speciali dilectione venerata est. Itaque ad Berecynthiæ (17) matris dæmonum profanam solemnitatem populorum multitudo convenerat. Heraclius (18) illis temporibus vir consularis in eadem urbe residens, ad inquirendos discutiendosque Christianos sagaci inquisitione sollicitus erat; cui sanctus Symphorianus adfuit. Qui cum statuam Berecynthiæ, quæ carpento portabatur agminibus stipata populorum, despectam adorare noluisset, publicæ seditionis obtentu comprehensus tenetur, et Heraclio consulari statim (19) ingeritur. Heraclius vir consularis in tribunali residens dixit beato Symphoriano : Nomen conditionemque designa. Ille respondit : *Christianus sum* ; *Symphorianus vocor*. Judex dixit : A Christianus es ? quantum video latuisti nos, nam nominis hujus apud nos non magna professio est. Cur deæ matris effigiem profana abusione despiciens, adorare noluisti ? Sanctus Symphorianus respondit : *Jam dixi tibi, Christianus sum. Deum verum adoro qui regnat in cœlis : simulacrum vero dæmonis non solum non adoro, verum etiam, si permittis, mea auctoritate, malleis illud comminuo.* Judex dixit : Iste non solum sacrilegus, verum etiam rebellis conatur exsistere, an hujus loci civis sit, edicat officium. Ex officio dictum est : Hinc est, et quidem nobilis familiæ. Judex dixit : Jocaris tibi, Symphoriane gloriosæ indolis, hoc tibi sub ambiguo fama cœpit suadere mendacium. Ignoras forsitan quod principum nostrum scita sanxerunt ? B Officio recitante pandatur. Ex officio recitatum est : « Aurelius (20) imperator omnibus administratoribus suis atque rectoribus. Comperimus ab his qui se temporibus nostris Christianos dicunt, legum præcepta violari. Hos comprehensos, nisi diis nostris sacrificaverint, diversis punite cruciatibus, quatenus habeat dictrictio prolata justitiam, et in resecandis criminibus ultio terminata jam finem. »

III. Lectis imperatoriis præceptionibus, judex dixit : Quid ad hæc, Symphoriane, respondes ? Nunquid possumus hæc decreta convellere ? Duplex tibi crimen impenditur : videris et pro deorum despectione sacrilegium perpetrare, et pro legum abusione contemptor exsistere ; unde nisi præceptis satisfeceris, hæc omnia sanguinis tui placabit effusio. Sanctus Symphorianus respondit : C *Nunquam ego hanc imaginem nisi diabolicæ persuasionis infaustum simulacrum, et perditionis exsecrandum dæmonem judicabo. In chaos* (21) *semper semita vergente*[a] *collabitur, quisquis Christianus, damnatus passionibus deterioris vitæ, mala retrorsum conversus respexerit ; statimque per devium gradum semita*

[a] Al. *urgente*.

(14) Legi debet *sub Aureliano*, ut diximus in Admonitione. In cod. Conch. incipiunt Acta his verbis : *Cum adversus*, etc.

(15) Consentit Missale Gothicum ubi hæc habentur : *Non solum terrorum claritate natalium ... et Fausti fulgidus genere*, etc.

(16) Hic in codd. plerisque mss. Symphorianus dicitur a sancto Benigno baptizatus, et a sancto Andochio susceptus. Non dissentit Missale Gothicum, num. 63 laudato, hæc referens : *Qui beatos Patres Andochium, Benignumque secutus, per martyrii fragrantiam electus pervenit ad palmam.* Benignum et Andochium presbyteros cum Thyrso diacono et Felice in Galliam a B. Polycarpo missos fuisse tradunt vetera Martyrologia, Bedæ sincerum, Adonis, Usuardi, Rabani, Notkeri, etc. Ubi Benignus Divione passus dicitur Kalend. Novembris, atque a Leonilla sepultus, Andochius vero cum Thyrso et Felice die 24 Sep. Augustoduni. S. Benigni meminit Greg. Turon. in *Hist. Francor.* et lib. I *De gloria mart.* cap. 51, sub cujus nomine Divione exstat nobile monasterium ordinis nostri Benedictini. SS. Andochii, Ferreoli et Reginæ martyrum, meminit Widradus in utroque suo testamento sæc. III. Benedict. part. I pagg. 683, 688.

(17) Diu perseveravit apud Æduenses hæc erga D Berecynthiam falsa religio, cujus simulacrum cum pariter tempore Simplicii Æduensis episcopi deferretur, hujus antistitis precibus in terram ruit, nec ullo pacto moveri ultra potuit, quo miraculo multi permoti fidem susceperunt, ut narrat Greg. Turon. lib. *De gloria confessor.* cap. 77.

(18) Codex Resb. *Heraclius illius temporis consularis in eadem urbe sedebat ad inquir.*, etc.

(19) Sic idem codex. Alii, *arguendus præsentatur.*

(20) Sic cod. Resbac. et optime quidem, ut in Admonitione prævia diximus.

(21) In cod. Compend. *In hac causa semper*, etc. Cod. Resb. *Incautus semita vergente collabitur.*

exorbitante jactatus; et parati muneris gratia destitutus, antiqui hostis retibus patet. Deus noster, ut novit remunerare merita, ita novit punire peccata. Nomini suo obedientes vivificat, rebelles interficit; in cujus confessione firma stabilitate duranti, tutum mihi est sempiterni regis tenere portum, quam mortiferum diaboli sævientis intrare naufragium.

IV. Ubi vidit judex sanctum Symphorianum jussionibus suis non præbere famulatum, jussit eum a lictoribus cædi, et carceri mancipari; quem cum post comperendinatis diebus præsentare suis jussisset obtutibus, producebatur e tenebris filius lucis; de illo vestibulo foralis ergastuli, cum æterno Rege semper in æternitate victurus. Arctiores nexus liventium [4] lacertorum macie cutis attenuata laxaverat, et dum animum suum ad supernæ gaudia alacritatis attolleret, inter beata supplicia non fuit minus consumpsisse sanguinem, quam fudisse (22). Tum judex: Quantum rectius faceres, Symphoriane, ut immortalibus diis serviens, muneratum te ex ærario publico nobilis militiæ splendor attolleret. Qui nisi hodie venerandum deæ matris simulacrum genu prostratus adoraveris; Apollinis quoque et Dianæ sublimium numinum te cultorem venerabundum declaraveris, sine dubio interibis. (23) Quapropter, si vis, sertis redimire jubemus altaria; thure, odoribusque incensi sacrificia digna diis solve. Symphorianus dixit: *Non debet judex, cui commissa res publica est, frivolis verborum sermocinationibus subjacentem* (24) *proferre sententiam. Si periculosum est non quotidie ad profectum animæ aliquid addere, quando periculosius est a salute discedentem in scopulis peccatorum naufragio collidi?*

V. Judex ait: Sacrifica diis, ut possis palatii honoribus perfrui, Symphorianus respondit: *Judex tribunal suum polluit, qui gladiis legum latrocinatur* [5] *in publico, animæque suæ perpetuæ calamitatis mortem affert, et vita ejus perennis opprobrii maledictis proscinditur. Nos vitam quam Christo soluturi sumus ex debito, quidni ex voto solvamus? Sera pœnitudo est sub judicis timuisse conspectum, Munera enim vestra fucati mellis permista dulcedine, male credulis mentibus venena parturiunt; divitiæ vero nostræ semper in Christo sunt, quas non caduca per tempus vetustas diuturnitatis ipsius labefactatione corrumpit. Cupiditas autem vestra omnia habendo nil possidet, quæ diabolicis delegata* [6] *facultatibus infelicis lucri cupiditatibus detinetur* [7]*, Nobis vero nihil in hac mundo aufert humanæ fragilitatis lapsura conditio. Gaudia vestra instar vitri ad solis splendorem crepitantis dissiliunt. Quidquid finis interimit, casus involvit, cum æternam mundi vertiginem* (25) *rapax tempus obducit. Solus Deus noster beatitudinem vindicat. Hujus gloriæ exordium, quia non fuit conscia rerum, nescit antiquitas; hujus terminum quia non erit, nosse non poterit series inveterata sæculorum.*

VI. Judex dixit: Nimium diuque [8], Symphoriane, te de nescio cujus Christi magnitudine disputantem, patientiæ meæ tenore sustinui. Nisi matri deæ sacrificaveris, hodie te dilaniatum omnibus pœnis, capitalis sententiæ damnatione prosternam. Symphorianus dixit: *Ego omnipotentem Deum qui me fecit, timeo, et ipsi soli servio. Tu vero corpus meum ad tempus in potestate habes, animam vero meam non habes. At* (26) *nunc non in idoli hujus cultu portentosam attende superstitionem vestram, quod tu ad opprobrium et exitium tuum veneraris; in cujus sacris excisas corporum vires castrati adolescentes infaustæ imagini exsultantes illidunt, et exsecrandum facinus pro grandi sacrificio ducitis, sacrilegi sacerdotes, ut quod immane scelus est, religionis prætextu veletur. Ubi perstrepentes buxos et tibias, fanatici furoris inflati insania ubi cymbala pulsant corybantes. Apollinem vero istum, quis nesciat apud Amphrysum fluvium* (27) *Admeti regis fuisse pastorem? Qui voluptatum suarum illecebras recolens, laureas diligit sertis coronas. Ubi per implicitas ambages mugiente tropidum* [9] *specu diabolicas voces, ubi frequenter deceperit, dicitur aliquoties vera cecinisse. Dianam quoque dæmonium esse meridianum* (28)*, sanctorum industria investigavit, quæ per compita currens, et silvarum secreta perlustrans, incredulis hominum mentibus zizaniæ tribulos sceleris sui arte disseminat, Triviæ* (29) *tibi cognomen, dum trivii insidiatur obtinuit.* Hæc sancto Symphoriano loquente, judex furore succensus dixit: Symphorianus publici criminis reus, qui diis nostris sacrificare detrectans majestatis sacrilegium perpetravit, sacris etiam altaribus irrogavit injurias, gladio ultore feriatur; ut dum criminis funesta resecantur, deorum pariter et legum vindicetur injuria.

VII. Sic data sententia beatus vir Dei ducebatur ad victimam. Venerabilis autem mater sua, de

[4] Al. *labentium.* [5] Al. *glutinatur.* [6] Al. *divulgata.* [7] Al. *delinitur.* [8] Sur. *diu te.* [9] f *tripodum.*

(22) Hic desinit codex noster Germanensis.

(23) In plerisque mss. post hæc verba, *splendor attoleret*, desunt quæ sequuntur usque ad *Quapropter*, etc. In aliis textus depravatus est, quem ope trium nostrorum codd. sanavimus.

(24) Codd. Fossat. et Compend. *superjacentem*; alii codd. *jactantem.*

(25) Pro *vertiginem* aliquot codd. habent *virtutem* Resbac. *Æterna mundi vertigine rapax tempus abducit.*

(26) Quæ sequuntur usque ad sententiam judicis desunt in codd. Compendiensi, Fossat., etc. Plura prosequitur cod. Resb., more oratorio, quæ ideo omittimus

(27) Amphrysus Thessaliæ fluvius, exiguus quidem, sed ob Apollinem celebris.

(28) Cop. Concb. habet: *Dæmonium meridianum esse investigavit astutia; quæ per compita*, etc.

(29) Sic eam appellant Virgilius lib. VI *Æneidos* et Ovidius III *de Ponto*, eleg. 2. Ob id etiam quandoque cum tribus faciebus fingebatur.

muro nota illum voce commonuit dicens (30): « Nate, nate Symphoriane, in mente habe Deum vivum. Resume constantiam, fili. Timere non possumus mortem, quæ sine dubio perducit ad vitam. Sursum cor suspende, fili, aspice illum qui regnat in cœlis. Hodie tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Hodie, nate, ad supernam vitam felici commutatione migrabis. » Sic sanctus Symphorianus extra murum ductus, a percussore prostratus est : purpurei sanguinis sui unda perfusus, a religiosis latenter inde sublatus est.

VIII. Sic martyr delatus ad fontem, qui extra publicum campum est, et ibi in parva cellula sepultus, semper tamen virtutibus se publicavit, ita ut ipsis quoque gentilibus, ob miracula et sanitatum beneficia stupentibus, in maximo honore ea tempestate haberetur (31), non longe a basilica sua, quæ studio summo antistitis (32) nostræ ecclesiæ celsum protulit ædificata fastigium; fulget non uno muneris sui ornata privilegio, patroni nostri Symphoriani martyris referta virtutibus, qui prætervolantis vitæ naufragia, dum de diabolo triumpharet, exclusit, defensor factus patriæ suæ, dum ad veram patriam festinaret; apparuitque turris fortitudinis contra faciem adversantis inimici, quam sanguinis sui effusione construxit. Inexpugnabilem murum auxilio corporis sui perennis patrocinii mediator attollit, innumeras curationes meritorum suorum virtute donat. Denique per eum nobis apud Dominum Jesum Christum evidens misericordiæ panditur via, ut in omnium votorum plenitudinem felix aperiatur ingressus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est vita omnium sine fine sanctorum, et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

III.

ACTA SANCTORUM

ANDOCHII, THYRSI ET FELICIS

MARTYRUM

Apud Sidolocum in territorio Augustodunensi in Gallia.

AUCTORE ANONYMO.

(*Acta sanctorum Bolland.*, Septembr. tom. VI, die 24, p. 663, ex pervetusto codice ms. S. Benigni Divionensis)

I. Postquam gloriosus Irenæus (33), episcopus et martyr, migravit ad cœlum (34), medio fere noctis vultu terribili, umbræ pacifico (35), cum multitudine martyrum ad sanctum Polycarpum (36) veniens, ait: Agnosce filium tuum, quem erudisti, Pater. Sancte sacerdos, agnosce Irenæum tibi fuisse ministrum. Ecce accepimus promissionem quam nobis promisit Rex cœlorum et terræ. Nihil nobis de promissione sua fraudavit Redemptor noster. Audi, Pater, verba filii tui : transmitte nunc duos presbyteros, id est Andochium et Benignum, et Thyrsum diaconum, Galliarum urbibus, viros

(30) Hæc matris Symphoriani verba egregie extollit Missale Gothicum, ubi in immolatione missæ sic legitur : *Et materno colloquio, pietate transfertur ad præmium, cum ei insinuatur non debere mortem metuere ; quia martyribus vita non tollitur, sed mutatur.* In Præfatione vero : *Sicut illum exhortatio piæ matris extulit ad peragendam certaminis hujus victoriam; ita et nos,* etc. Unde apparet ea quæ in hac missa de Symphoriano habentur, ex his Actis desumpta fuisse.

(31) Quæ sequuntur nec apud Mombritium habentur, nec in plerisque codd. mss. quos vidimus, quorum unus Fossatensis annos 800 videtur superare. Habentur tamen in codicib. Resbacensi et Conchensi, sicut et apud Surium.

(32) Is esse videtur Euphronius qui teste Gregor. Turon. lib. II *Histor.*, cap. 15, basilicam Sancti Symphoriani, adhuc presbyter ædificavit. Is circa sæculi quinti medium floruit, quo tempore, ea quæ sequuntur, Actis beati Symphoriani adjuncta sunt, quæ ideo in plerisque codd. mss. desiderantur.

(33) Sancti Irenæi Lugdunensis in Gallia episcopi et martyris gesta apud nos illustrata sunt ad diem 28 Junii, ubi non ante annum Christi 202 passus fuisse ostenditur.

(34) Notat Chiffletius in codice Vaticano hic appositum legi *septimo die.*

(35) Forte legendum est *umbræ pacificæ.* In Clameciacensi apographo habetur *ore pacifico.*

(36) Si per Polycarpum hic designetur sanctus episcopus Smyrnensis et martyr, ut in uno et altero ms. legitur, non potuit huic S. Irenæus post martyrium suum apparuisse, nec alia Atorum asserta sustineri ; secus vero si Polycrates Ephesinus indicetur.

virtutibus et sapientia plenos, quos consimilis gloriosus exspectat triumphus : ut, quia paucitas a Christianis ibi remansit, baptismatis gratiam præbeant. Quia notum tibi sit, sanctissime Pater, quod gens illa, inspirante Domino, copiose desiderat servire Christo. Hæc cum loquentem, sicut eum agnoscebat, ita et beati martyres in alio cubiculo cum audiebant atque per soporem videbant. Sed cum hæc sancto suo sermone locutus fuisset, iterum psallente atque gaudentes, redierunt ad cœlos; in quo cubiculo tantus invaluit odor suavitatis, ut æstimarent, se paradisi miris odoribus collocari.

2. Mane autem facto, S. Polycarpus suos alloquitur fratres, referens eis, quæ gesta fuerant, et ut felix aggrederentur iter jubet. Ipse vero S. Andochius et Benignus et Thyrsus, quæ, Christo confortante, jubentur, gaudio magno repleti de tam sancta jussione Christi, non tardi de præceptis, vigilata nocte, psalmis et hymnis Deo gratias agentes [*imo* agunt]. Usque ad naviculam S. Polycarpus deducens et valedicens, ait : Angelus Domini comitetur vobiscum ; Spiritus sanctus sit in visceribus vestris. Magna vos gloria cœlestis exspectat, o piissimi fratres. Verbum Domini gentibus prædicate ; adventum Christi omnibus annuntiate. *O quam speciosi pedes evangelizantium pacem* [10] ! Multos habetis adjutores et intercessores vestros, qui pro vobis Dominum interpellare non cessant. Ne vos longi itineris conturbet austeritas, non regionis longinquitas, aut parentum desiderio coagulescat cor vestrum. Non vos minæ aut impiissimi Cæsaris conturbet impietas. Sit in cordibus vestris B. Pauli apostoli sermo : *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur sanctis* [11]. Polycarpus ait : Vale nobis dicite, fratres ; et lacrymans dixit eis : Paradisi vos gloria, et ante tribunal suum reportantes fructum laboris vestri Christus excipiat, et in illa felicium justorumque regione consocict athletas suos, ubi lux permanet et vita regnat, ubi priorum fides beata de vultus sui [ejus *id est* Dei], præsentia vivæ claritatis irradiat ; tibi alumna paradisi et candidata cœli turba concluditur.

3. Et ascendentes in naviculam, celeriter eos ad Massiliam (37) unda maris adduxit. Egressi itaque ad terram, ad Lugdunensium diriguntur urbem, et usque ad S. Zachariam presbyterum (38) pervenientes, qui latenter in crypta inter sepulcra martyrum latitabat ; et cum eodem verbum Domini meditantes, atque in Christo gaudentes et sperantes, ut suos dirigeret gressus, angelo admonente, ad Augustodunensem diriguntur civitatem (39). Erat tunc temporis Faustus, nobilissimus vir præfectorius (40), qui sub chlamide (propter iniquissimi Cæsaris minas) Christum latenter colebat ; cujus beati viri audita benignitate ac fide plenissima, ad eum, Angelo monente, veniunt. Qui cum eos vidisset, sicut thesaurum cœlestem, ita eos excepit : et cum eos presbyteros esse cognovit, suppliciter exoravit, ut omnibus amicis et familiæ ejus baptismatis gratiam condonarent. Defuncto igitur nequissimo Severo imperatore morte, quam quæsivit et invenit (41), succedente Aureliano (42) nequiore, qui, sicut imperium, ita et malitiam adeptus est, ubique similiter Christianos, qui idolis non sacrificassent, per diversas provincias diversis suppliciis maceratos, gladii jubet finiri sententia. Sed, ubi est plenissima fides, nec potestatem adversam timet, nec minas reveretur.

4. Habebat tunc temporis vir illuster Faustus filium quasi trium annorum, nomine Symphorianum (43) ; quos suppliciter exoravit, ut et eum baptismatis gratia consecrarent. Quod ipsi gaudentes, S. Benignus cum baptizavit, Andochius vero eum de sacro fonte suscepit. Qui Symphorianus repletus Spiritu sancto, cum esset fere viginti annorum, gloriosam et immarcescibilem martyrii meruit coronam accipere ; qui virtutibus manifesta probatione semper præclaruit. Nuper (44) quidem ipso tempore omnes amici vel familia domus Fausti per hos beatissimos martyres baptismatis gratiam fuerunt adepti. Erat in illis mirabilis virtus Christi ; cæcorum oculis lumen infundebant, dæmones de obsessis corporibus effugabant, debilium

[10] Rom. x, 15. [11] Rom. VIII, 18.

(37) In ms. Clameciacensi, in S. Andeoli et rhythmicis S. Benigni Actis dicuntur sancti nostri prius ad insulam Corsicam appulisse, ibidemque tempestate detenti, donec S. Andeolus, uti S. Irenæus S. Benigno sanctoque Polycarpo denuo apparens mandaverat, illuc advenisset, eorumdem socius futurus.

(38) Scriptores *Galliæ Christianæ* auctæ, t. IV, col. 12, Zachariam S. Irenæi Lugdunensis episcopi presbyterum et in episcopatu successorem statuunt.

(39) In Actis supra citatis hic dicitur S. Andeolus a sociis suis missus Carpentoracte.

(40) Crediderunt aliqui Acta martyrum nostrorum ab hoc Fausto scripta fuisse.

(41) Septimus Severus ab anno Christi 193 usque ad 211 imperium tenuit. Cur autem hic dicatur mortem quæsitam invenisse, discimus ex *Epitome* Sexti Aurelii Victoris editionis Lugdunensis apud Batavos in *Vita Severi*, ubi de ipso in Britannia ægrotante legitur : « Is dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum gravis ac plurimæ carnis avidius invasit, quem cum conficere non posset, crudelitate (*lege* cruditate) pressus exspiravit. » Illustrissimus Bosquetus in hisce Actis pro *Severo* legendum putavit *Verum*.

(42) Pro *Aureliano* hic legendum esse *Aurelium*, et per hunc intelligendum esse M. Aurelium Antoninum Caracallam, qui Severo patri suo una cum fratre Geta successit, extra dubium est. Præpropere tamen hic in Actis ea successio narratur.

(43) Hic est celebris apud Æduos martyr Symphorianus, cujus Acta apud nos data sunt ad diem 22 Augusti.

(44) Chifletius notat in codice Vaticano hic legi : *Nuperrime*.

membris sanitatem reddebant. Habebat autem vir illuster Faustus sororem sibi germanam Lingonicæ (45) civitatis matronam, nomine Leonillam (46), cujus erant parvuli gemini nepotes ex filio suo tres, viri aspectu pulcherrimo, animo pulchriore; id est Josephus et Eleusepphus et Melasippus, quos divinis litteris erudiebat. Erat in iis gratia plena, sed baptismi ablutionem, non erat, qui præberet.

5. Tunc præstantissimus vir S. Benignum presbyterum, sicut margaritam pretiosam aut munus cœleste, sorori transmisit; sicut manna cœleste aut margaritam splendidam Leonilla excepit. Quo excepto, hi gemini tres fratres baptismatis gratiam consecuti sunt. Qui accepto Spiritu sancto, cum fuerunt viginti et quinque annorum, a persecutoribus sunt comprehensi. Longum est enarrare quantam fuerunt perpessi pœnam; sed victricem accipiunt coronam. *Ili sequuntur Agnum quocunque ierit* [12], quos ipsius Agni sinceritas gemmis insignibus coronavit; quod passio ipsorum plenius declaravit. Quæ matrona similiter omnes domus, utriusque sexus, conditionis et ætatis per S. Benignum baptismatis gratia consecravit. Lætabantur in Christo fideles fidelissimæ domus, corroborabatur in eis inambigua et plenissima fides. Erat autem Aurelianus (47) iniquissimus Cæsar constitutus in extremis finibus Galliarum, et ad civitatem veniens Senonas (48), data ab eodem omnibus præpositis loci sententia, qui se Christianos profiterentur, diversis suppliciis macerari, cruciatibus mancipari; et quicunque diis nostris non sacrificaverint, gladii eos et capitali jubemus finiri sententia (49).

6. Erat autem ager nobilissimi viri, cui nomen est Sedelocus (50). Dum SS. Andochius et Thyrsus ad præfatam domum, quæ est in publico aggere, intrepide venirent, et prædicatione sua cunctis perdocerent ad salutem, quidam negotiator ibidem residens, nomine Felix (51), Christianus jam, orientalis vir, cujus negotiatio quotidie erogabatur in pauperes, S. Andochium presbyterum et Thyrsum diaconum in suo excepit officio [*al.* hospitio] Et cum se virtutibus manifesta traditione populis demonstrarent, subito Aurelianus imperator de civitate veniens Senonis, ubi ad præfatam domum aggressus fuisset, sibi tentoria tendi præcepit. Unus ostiarius crudelissimi Cæsaris, dum Felicis hospitium ingressus fuisset, invenit SS. Andochium et Thyrsum Christi verbum prædicantes; fremebundus veniens, nuntiavit quod Christiani in domo Felicis residerent. Quod audiens, secundum suæ rabiei morem in conspectu suo eos præsentari jussit. Felix Andochio ait: Ne patiaris me separari a corona pietatis tuæ, quam accepturus es a Christo, Pater; sed orationibus vestris adjutum pariter me perducatis ad pretiosam martyrii vestri coronam. Et facta oratione, intrepidi pergunt (52). Ligatis post tergum manibus, ducti sunt in conspectum iniquissimi Cæsaris.

7. Quibus Aurelianus ait: Cujus regionis homines estis? aut quod nomen vestrum? aut quem Deum colere vultis? S. Andochius ait; Orientales homines sumus, a sancto Patre nostro Polycarpo episcopo missi. Christum conditorem cœli, maris et terræ, et quæ in eis sunt, colimus. Nomen meum Andochius, fratrum meorum Thyrsus et Felix. Aurelianus ait: Nunquid ad irritandam potentiam nostram et deorum dearumque nostrarum tam longi itineris spatio venistis? Andochius ait: Nos venimus a Chriso admoniti, cujus verbum incorruptum gentibus prædicamus. Aurelianus ait: Nunquid in regionibus vestris, aut in provincia ista non cognovistis, quod antecessorum imperatorum et nostræ auctoritates sanxerunt, quod ii, qui diis nostris non sacrificaverint, diversis suppliciis afflictos gladii eos jubemus finiri sententia? S. Andochius ait: Nefas est, Deum conditorem

[12] Apoc. XIV, 4.

(45) Lingones, indigenis nunc *Langres*, antiqua Celticæ Galliæ civitas est in Campania, in colle ad fontes Matronæ sita, estque episcopalis sub metropoli Lugdunensi.

(46) De S. Leonilla, ejusque ex filio tergeminis nepotibus martyribus actum apud nos est ad diem 17 Januarii, ubi eorumdem gemina Passio data est. Quæ hic de collato ipsis per S. Benignum baptismo narrantur, inter fabulas reputo, quia ipsos in Cappadocia passos credo.

(47) In locum *Aureliani* substituendum hic esse *Aurelium*, conveniunt eruditi pene omnes; sed alii M. Aurelium Antoninum, cognomento *Philosophum*, alius Heliogabalum, alius Caracallam intelligunt; quod ultimum Actis conformius est.

(48) Senones antiqua Galliæ civitas, gentis Senonum primaria, Agendicum etiam olim dicta, nunc Gallice *Sens*, ad Icaunam fluvium sita, archiepiscopatu et vetustate illustris. Porro M. Aurelium Antoninum Caracallam in Galliis fuisse circa annum Christi 213, cum Tillemontio existimamus; sed an Senonibus fuerit ac ibidem edictum aliquod adversus Christianos vulgaverit, non ausim asserere.

(49) Ista nempe velut edicti verba recitat biographus, parvæ apud me auctoritatis.

(50) Sedelocus, qui in omnibus nostris Actorum apographis eorumdem martyrum palæstra fuisse dicitur, quique in Martyrologiis nonnunquam paulo aliter et corrupte scribitur, in *Itinerario Antonini Sidolocus* vel *Sidolocum* appellatur, notaturque inter Abbalonem (*Avallon*) et Augustodunum (*Autun*), E. P. XXVII (leg. XVII) ab hac civitate dissitus. In tabula Pentingeriana ibidem vitiose legitur *Sedeloco*, apud Ammianum Marcellinum, lib. XVI *De Gallis*, cap. 2, *Sedelaucum*. Est autem oppidum Galliæ Celticæ, indigenis nunc *Saulieu* vocitatum, in tractu Burgundiæ vulgo *l'Auxois* dicto, ac diœcesis Augustodunensis. Habet id oppidum ecclesiam collegiatam S. Andochio sacram, quæ olim ejusdem nominis abbatia erat.

(51) Venerabilis Beda, aliique hunc S. Felicem una cum cæteris a S. Polycarpo in Gallias missum dixerunt.

(52) Saussayus in Martyrologio Gallicano, nescio, utrum ex aliis Actis, an ex sensu suo, ubique pro imperatore præsidem substituit, aitque domum S. Felicis, cum hic sanctos tradere recusasset, vi ef-

derelinquere, et coli lapides et ligna, idola muta et surda. Aurelianus ait: Muta et surda esse dicis invictissimum Jovem, Mercurium atque Saturnum? Andochius ait: Hos, quos tu nominas, dæmonia esse manifesta probantur; nam species eorum absque visu, absque gressu, absque tactu esse videntur.

8. Aurelianus ait: Sacrificate diis nostris, ut ex ærario publico remuneratos, primos vos in meo palatio esse constituam; et ne male pro Christo vestro, qui ab hominibus est crucifixus, moriamini. Ab hac voce hi tres clamantes dixerunt: Aurum et argentum tuum tecum sint in perditione, lupe rapax; quia credis, te donum Dei per pecuniam supplantare. Nos pro Christo potius mori volumus, quam ab eo recedamus, ubi plus justi, quam sol, in regno cœlorum refulgent [13]; et illis ibi erit lumen æternum et vita immortalis, et dabitur illis ibi, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* [14]. Nam ii qui diis tuis deserviunt, ibunt in tenebras exteriores, inexstinguibili igne [*al.* inexstinguibilem ignem], quod præparavit patri tuo diabolo et angelis ejus. Ibi illorum fletus erit et stridor dentium [15]; desiderabunt lumen, et non videbunt. Nam si velis credere Christum, non introieris. Tunc iniquissimus Cæsar tradidit eos tortoribus, dicens: Nisi hodie sacrificaverint, diversis pœnis eos affligite. Tunc beati martyres cæsi (53), in ulmum cujusdam inversis manibus pariter suspenduntur, et rotæ impletæ saxis eorum pedibus colligantur.

9. Et dum tantam fuerant tota die perpessi pœnam, psallebant, dicentes: *Deus, in adjutorium nostrum intende, Domine, ad adjuvandum nos festina* [16]. Et ita tamen erant integri, quasi nec unam plagam accepissent. Post hæc iniquissimus Cæsar in crastina ipsos sibi præsentari præcepit, et ait: Sacrificate diis nostris, qui propter inobedientiam vestram talem fuistis perpessi pœnam. Responderunt ei dicentes: Agnosce, miser, quia minet tuæ et supplicia nobis refrigerium præstant. Cæsi Auctorem lucis non negavimus; suspensi, Christum semper confessi sumus. Aspice nos; illæsi ante conspectum Dei nostri stamus; quia Christus noster, quem tu negas, servos suos semper custodire promisit. Audiens autem hæc Aurelianus, ignem præparari præcepit; accensoque igne, ait: Aut sacrificate diis, aut in ignem vos, ligatis manibus et pedibus, jactari præcipiam. Ad hæc toti tres una voce, unoque consensu clamantes, dixerunt: Ecce carnes, quas ad tempus in potestate habes. Quod malitiæ tuæ diabolus dictaverit, fac; feri, occide, assa et manduca; nam nos non mutas a Christi confessione, qui et tuam detergere habet perfidiam.

10. Accensoque igne, ligatis manibus et pedibus, eos in ignem jactari præcepit; et nihil nociti [*i. e.* passi] ab omni combustione ignis, resolutis ligaminibus, stantes in fide, psallebant in medio igne, dicentes: *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* [17]. Dum hæc aguntur, tanta coruscatio cœlestis infremuit, et imber pluviæ super ignem descendit, ut nullus æstimaret ibi fuisse ignem accensum. Et ita intrepidi et liberati in conspectu Aureliani adfuerunt, dicentes: Agnosce nos, miser; vide quanta sit virtus Christi. Vides nos illæsos in tui præsentia iterum convenire. Crede Christo, et non timebis illius ultimæ diei necessitatem; quia, quantum homo negligens est ad delinquendum, tantum misericordia Domini dives est ad remittendum. Aurelianus ait: Dii nostri vobis subveniunt, et vos dicitis, Christi auxilio vos esse defensos. Andochius ait: Saxeum habes cor, ut non credas Creatori cœli et terræ, nec mirabilibus ejus.

11. Tunc impiissimus Cæsar, secundum suæ rabiei morem pariter eis vectibus colla feriri præcepit, ut ita finirent pretiosam et splendidam temporalem vitam, accepturi æternitatis gaudia et immarcescibilem coronam. Acta sunt hæc circa sanctos Dei martyres, id est Andochium presbyterum et Thyrsum diaconum, et Felicem, octavo Kalendas Octobris (54). Post hæc Aurelianus imperator ad Augustodunensem dirigitur urbem. Audiens autem Faustus, quod talia in sanctos Dei in suo agro per Aurelianum imperatorem diabolus fecerat, noctu veniens cum Symphoriano suo filio, qui erat jam tunc temporis quasi annorum quindecim (55), sanctos Dei martyres recondidit sepulcris, ubi quottdie virtus Domini mira declaratur. Illic lacrymas fundens S. Symphorianus, vigiliis et orationibus vacans, nolebat a loco illo removeri; donec, opitulante gratia Christi, perfeceus in gratia Dei, et indutus loricam fidei, festinavit ad coronam martyrii, quam et accipere meruit, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et laus et gloria et potestas cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen (56).

[13] Matth. XIII, 43. [14] I Cor. II, 9. [15] Matth. XXV, 41, 30. [16] Psal. LXIX, 2 [17] Psal. LXV, 10, 12.

fractam, atque ita eos captos fuisse, et Felicem eos sponte sua secutum esse.

(53) Tillemontius tom. III *Monument. eccles.*, pag. 39, observat, in Martyrologio Bedæ legi, ipsos flagellis cæsos fuisse, quod negat in suo ms. legi. Fateor, nec in mss. nostris mentionem de flagellis fieri, sed *cæsi* tamen in omnibus dicuntur. Idem Beda ibidem, et qui ipsum secuti fuerunt, Adeo et Usuardus mox pro *in ulmum* legunt, *in ultimo*; sed perperam, uti liquet ex contextu.

(54) Hæc circa annum Christi 213 contigisse videntur.

(55) In alio apographo Accinctino legitur, *quasi annorum viginti quinque*; verum error manifestus est, cum in eodem etiam dicatur S. Symphorianus martyrium subiisse cum esset fere vinginti annorum.

(56) In ms. mox laudato hic subditur: « Nobilissimus autem vir Faustus beatorum martyrum Passionem, Deo juvante, composuit et scripsit ad laudem ipsius, cui est honor et gloria et virtus cum sanctis suis nunc et semper, et in cuncta sæcula sæculorum. Amen. »

S. VICTOR I. PAPA

NOTITIA.

(Ex *Libro Pontificali* Damasi papæ, ap. Mansi, *Concil.* I, 693. — Omittuntur notæ et variæ lectiones quas Lector habet *Patr. Lat.* t, CXXI, col. 1279, in Collectione Anastasii Bibliothecarii.)

Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos x, menses II, dies 10. Fuit autem temporibus Ælii Pertinacis et Severi, a consulatu Commodi quinto et Glabrionis, usque ad Lateranum et Rufinum. Hic constituit, ut sanctam Pascha die Dominica celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes cleros. Martyrio coronatur. Et constituit ut necessitate faciente, ubicunque inventus fuisset quicunque hominum ex gentibus veniens, sive in flumine, sive in mari, sive in fonte, sive in stagno, baptizaretur : tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, integer efficeretur Christianus. Et fecit concilium. Et collatione facta cum presbyteris et diaconibus, accersitoque Theophilo Alexandriæ episcopo constituit, ut a decima tertia luna primi mensis, usque ad XXI die Dominica custodiatur sanctum Pascha. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quatuor, diaconos septem, episcopos per diversa loca numero duodecim. Qui sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano, quinto Kalendas Augusti. Et cessavit episcopatus dies XI.

DE SANCTO VICTORE

PAPA ET MARTYRE ROMÆ

COMMENTARIUS CHRONOLOGICO-HISTORICUS.

(*Acta SS. Bolland.*, Julii t. VI, die 28, p. 534.)

§ I. *S. Victoris dies cultus, ætas seu sedis duratio.*

1. Quemadmodum de S. Victoris papæ sanctitate et cultu ex fastis sacris monumenta habemus indubitata, sic ejus gesta, tempus sedis, obitus dies, et quæ ipsum circumstant ferme omnia spinosa et controversa sunt. Et de cultu quidem consonantia exstant Martyrologiorum testimonia, in quibus passim martyr fuisse asseritur, quidquid nonnulli laureolam istam in dubium revocare velle videantur. At de obitus die multa post Florentinium controversia, de qua pridem disputarunt Henschenius, Papebrochius et ex ipsis alii, nosque difficultates idcirco attigimus in prima ad Usuardum observatione 20 Aprilis, quo nimirum die in codicibus Hieronymianis Victor aliquis episcopus, ut Romæ passus cum tribus sociis commemoratur, quem Victorem papam esse noluit Henschenius, aliis cum Papebrochio oppositum sentientibus ; non quod multum intersit, utro die ejus recolatur memoria, sed ob diversas rationes quas singuli texendæ pontificum seriei aptiores existimarunt, utpote cum pontificatus ejus duratio ita involuta implexaque sit, ut qui eam extra controversiam poneret, hactenus inventus sit nemo, quod infra patebit manifestius.

2. A die obitus seu cultus ordimur, quem primus, quod sciam, 20 Aprilis consignavit auctor Romani parvi, his verbis : « Romæ, Victoris episcopi martyris, » quem mirum non est, sequaces habuisse Adonem, Usuardum et Notkerum cum tota eorum progenie. Adonis annuntiatio sic habet : « Romæ, sancti Victoris episcopi, qui tertius decimus post B. Petrum rexit Ecclesiam annis decem, et sub Severo principe martyrio coronatur. » Quæ omnia ex ipso accepit Usuardus, errore, quem correxit, excepto, dum rectius ordine quintum decimum fuisse asseruit. Iisdem istis omnibus ex Adone ad verbum descriptis, aliunde adjecit Notkerus jam dicta die 20 Aprilis in hunc modum : Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, et a quinta decima luna primi mensis usque ad vicesimam primam observaretur, quod eatenus sexta die Kal. Aprilis, absque ullius diei discretione celebratum est : » nempe ab Asiaticis aliquot episcopis, ritui Romano sese conformare detrectantibus, ut paulo clarius edisserit codex Usuardinus Bruxellensis inter auctaria ibi citatus, nosque in hujus commentarii § 3, explicare conabimur.

3. Quæ apud Notkerum sequuntur, ipse mutuatus est a Rabano, eodemque, quo ille scripserat die iterum repetiit, ut satis pateat, in diversa defle-

xisse. Ex genuino Beda metrico, aut Floro sub ejus nomine a majoribus nostris edito, nihil prorsus eruitur, unde de vero natali die statui queat, ut plane colligendum sit, martyrologorum omnium primum fuisse Rabanum qui hoc Julii 28 die S. Victoris memoriam egerit, hac plane phrasi : « Romæ, Victoris PP. et martyris, qui constituit in Ecclesia ut, faciente necessitate, ubi inventum esset, sive in flumine, sive in fonte, sive in mari, tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, quicunque hominum veniens ex gentili baptizaretur ; et sepultus est juxta corpus B. Apostoli in Vaticano; » quæ ex aliquo catalogo pontificio contracta sunt. Atque de antiquioribus martyrologiis hactenus : qui ex Usuardinis amplificatoribus in hac parte Rabanum primus secutus sit, non est mihi promptum definire, neque Baronius usquam indicavit, quo ex codice ipsum desumpserit : non vereor tamen opinari, Belinum ei suggessisse totam hodiernam de S. Victore adnuntiationem. Coli porro S. Victorem cum Nazario, Celso et Innocentio, ritu semiduplici, ex Romano Breviario notissimum est.

4. Sequitur modo implexissimus, quem dixi, nodus de sancti ætate seu potius sedis duratione ; in qua definienda, scriptoribus pluribus non oscitanter inspectis, perpensisque omnibus, ad præcipuas duas opiniones, reliquas revocari posse existimo ; alteram quæ Eusebii calculos utcunque sequi videtur, alteram quæ catalogos pontificios præferendos censet ; sic tamen ut neo prioris sententiæ sequaces inter se conveniant, nec posterioris, singulis in diversa, quasi dato studio, abeuntibus. Eusebium autem in ordinanda Romanorum pontificum chronologia securum ducem haud esse, norunt eruditi ; atque in ipso hujus controversiæ puncto sibi non constare, ex ejusmet verbis faxo intelligas. En ipsa ex ejus libri v, cap. 22, initio : « Interea Commodo decimum annum imperii agente (iis certissime est annus Christi 189) cum Eleutherus tredecim annis episcopatum administrasset, Victor in ejus locum successit. » De Victore autem sic habet ejusdem cap. 28 : « Qui cum decem annis sacerdotium administrasset, Zephyrinus ei successor substitutus est, anno principatus Severi circiter nono, qui est annus Christi 201, ut adeo non annis duntaxat decem, sed omnino duodecim S. Victorem sedisse oporteat, si consequenter loquatur Eusebius.

5. Audi modo cardinalem Baronium in *Annalibus* de S. Victoris pontificatus duratione hoc modo scribentem : « Anno Domini ducentesimo tertio, Annio Fabiano et Nonio Mucano coss. 28 Julii, Victor papa auspicatus jam annum decimum sui pontificatus per mensem unum et dies viginti octo, martyrio coronatur. » Quis consules istos, quis determinatos annos, mensem et dies Baronio suggesserit, non habeo unde conjiciam : id colligere posse videor, ab Eusebii sententia eum non longissime recessisse ; at vero pressius ei inhæret Labbeus in *Compendio chronologico*, dum anno Severi nono S. Victoris finem collocat, principium ejus referens ad annum 192, totum autem pontificatum annis novem circumscribens. Alia prorsus est, in conciliorum collectione Severini Binii ad eas notas chronologicas observatio, ausim dicere, discordes esse omnes quotquot de eo argumento legerim. Consule, sodes, reliquos omnes calculorum Eusebianorum sectatores cum Tillemontio, et recentiore eruditissimo Constantio in editis ab eo Romanorum pontificum epistolis pag. 91 ; id te exploraturum spondeo, quod vulgo fertur, tot esse diversas combinationes, quot capita.

6. Aut ego multum fallor, aut paulo rectius sentiunt qui ad catalogos pontificios seu libros pontificales recurrunt, quamvis et hæc priori non absimilis intercedat discrepantia, dum chronologi nostri citatos a semet textus, obtorto non nihil collo, fixæ a se pontificum seriei aptare contendunt. Inter duos istos catalogos, quos ante tomum I Aprilis illustravit Henschenius, secundus altero distinctior ; qui Damaso vulgo tribuitur, sic habet disertis terminis : « Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Fuit temporibus [Commodi, Pertinacis et Severi] Cæsaris, consulatu Commodi V et Glabrionis, usque Laterano et Rufino ; » ubi licet perturbata nonnulla agnoscat laudatus Henschenius, id in ordine ad præsentem quæstionem extra controversiam est, et annos, et menses et dies sic in exemplaribus aliis notatos esse ; nec minus certa et ubique conformis est consulum, pro sedis ingressu, Commodi V et Glabrionis, pro exitu, Laterani et Rufini expressio ; quod certe computum cæteris præfert Henschenius, a multis catalogis egregie confirmatum in grandi nupera elegantique Anastasii Bibliothecarii editione, mox pluribus a nobis convenienda.

7. Iterum repeto, in recitatis jam verbis, hæc duo passim admissa, saltem ab iis qui catalogis insistunt admittenda sunt ; primum quod sedere cœperit S. Victor a consulatu Commodi IX et Glabrionis qui manifestissime est annus 186, e vivis autem excesserit sub consulatu Laterani et Rufini anno 197 ; alterum quod sederit annos decem, menses duos, dies decem, quot ei constantissime tribuunt codices duodecim relati ab illustriss. Blanchino in laudata Anastasii editione tomo II in Prolegomenis pag. 93. Hos vidit vir. cl., vidit plerosque Pagius, vidit nostros Papebrochius, viderunt plures alii, quorum hic nomina referre opus non est ; ac nihilominus postulare audeo, ut inter istos omnes, vel duos mihi assignes qui aut annos, aut menses aut dies durationis pontificatus Victorini eadem prorsus ratione concludant. Ut a Papebrochio incipiam, en ejus computum : « Ordinatus 11 Septembris in Dominica, anno 186, sedit annos 10, menses 7, dies 10, depositus 20 Aprilis anni 197, translatus ad S. Petrum in Vaticanum 27 Julii, et cessavit episcopatus menses 13, dies 21. » Cessationum autem seu interpontificiorum, tum decessoris, tum successo-

ris causas non contemnendas adducit, quæ apud ipsum et apud Henschenium ad diem 26 Aprilis videri possunt.

8. Iis omnibus non obstantibus, aliam prorsus rationem in *Crisi* sua Baroniana inivit Antonius Pagius, a cujus placitis non recessit nepos Franciscus in suo Breviario, seu patrui *Criseos* in ordine ad pontifices compendio. Adducit ille verba ex catalogis jam citata, atque codicem Palatinum, cæteris plane consentientem, item catalogum nominum apostolicorum, in quo pro mensibus duobus unus duntaxat legitur; tum vero more suo pronuntians, protritis quodammodo auctoritatibus omnibus, definitive rem determinat: « Verum, inquit, cum in Eleutheri obitu Victoris initium 12 mensis Junii anni 185 (pro mero nempe arbitrio) collocaverimus, liquet, Victorem sedisse annos 12, mensem 1, dies 16, numeranda a die quo sedere cœpit, usque ad diem quo sepultus est. » Ita nimirum Pagius hic hypothesim suam, seu seriem pontificiam recte se ordinasse existimat, dum interim notas omnes chronologicas ad libitum convellit aut detorquet; neque enim signatis consulibus insistit, neque pensi habet catalagorum annos, menses aut dies, neque interpontificia admittit, vix paucos dies reperiens, quibus sedes vacaverit.

9. Plusculum se confecisse arbitratur laudatus illustrissimus Blanchinus, dum inter notas suas pag. 157, textum secundi nostri catalogi supra datum hoc modo immutat: « Victor sedit annis 12, diebus 10; fuit temporibus Commodi et Severi, a consulatu Commodi V et Glabrionis, usque Laterano et Rufino. » Probare id conatur a pag. 156, iis itidem argumentis, quæ seriem a se dispositam confirment, desertis catalogorum characteribus, qui tamen inviolati hic servandi videntur, si quid eorum auctoritate stabilitum velimus. Displicet itaque in ipso æque atque in Pagio quod pro consulibus anni 186 expressissimo signatis, nempe, ut jam inculcavimus, Commodo V et Glabrione, rotunde ipsi obtrudant annum superiorem 185, de quo nec somniarunt catalogi, quasi certum sit, S. Eleutherium eo anno obiisse 26 Maii, ac paucissimis interjectis diebus S. Victorem successisse, quod est manifeste catalogos infringere; quibus stantibus, omnino necesse est, non ad annum 185 sed ad sequentem 186 S. Victoris exordium figere, cumque Eleutherius præcedenti vivere desierit, cessationem aliquam nequaquam respuere. Certe si catalogorum præcipuos characteres intactos cupis, non alia tutior via excogitari potest.

10. Candide equidem fatcor, nullam prorsus superesse qua Martyrologium Romanum cum catalogis combinetur, neque propius ad hos patere accessum, quam iis inhærendo, quæ Henschenius in Eleutherio 31 Maii præstruxit, Papebrochius autem superius ordinavit. Statuatur itaque, ut ibi ex codd. Hieronymianis ostendit Henschenius, obiisse S. Eleutherium Materno et Bradua coss., anno 185, viii Idus seu 6 Septembris; successerit autem primum S. Victor, post integri anni interpontificium 186, die Septembris 11, sub coss. Commodo V et Glabrione; defunctus sit sub alia nota consulari 197, aut 20 Aprilis ex mente Papebrochii, ut sederit annis 10, mensibus 7 et diebus 10, vel, si mavis, præfer 28 Julii, eumque statuas sedisse annis decem, mensibus decem, diebus octodecim; qui calculus, etsi deficiat in signatis mensibus et diebus, potissimam servat substantiam, ut salventur notati consules; pontificatus autem tempora, non ad duodecim, quod Pagius primum ausus est, sed ad annos duntaxat decem cum præcipuis utriusque classis chronologis restringantur. Quæ hic opponi possent, ab Henschenio et Papebrochio, locis suis abunde soluta invenies. Quod si hæc ratio controversiam exponendi componendique minus arrideat, eam tibi præferre fas est, quam verisimiliorem agnoveris.

§ II. *Varia S. Victoris gesta et scripta.*

11. Præter jam recitata, ex Henscheniano Catalogo secundo, sive is Damasi pontificalis sit, sive cujuscunque alterius, de quo jam tandiu inter eruditos certatum est; ex hoc, inquam, Catalogo ea hic addenda sunt, quæ apud Rabanum et Notkerum ex parte contracta monuimus, ibi in hunc modum deducta: « Hic constituit ut Pascha die Dominica celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes cleros: martyrio coronatur. Constituit ut necessitate faciente, ubi inventas fuisset, sive in mari, sive in fonte aut stagno (tantum Christiana confessione declarata credulitatis) efficeretur integer *Christianus* quicunque hominum ex gentilitio veniens ut baptizaretur. Fecit concilium et interrogatio facta est de Pascha, vel de die prima cum Theophilo episcopo Cæsareæ de luna. Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quatuor, diaconos quinque, episcopos per loca duodecim, qui sepultus est juxta corpus B. Petri v Kalendas Augusti et cessavit episcopatus dies undecim. » Notavit Henschenius, inter alia menda citatum illic Theophilum episcopum scriptum fuisse *Alexandriæ*, qui certo fuit Cæsareæ in Palæstina.

12. Quam multa insuper luxata, ac verisimiliter amanuensium incuria vitiata sint, clarius patet quam ut hic a me observanda sint, aut restituenda, a quo tamen non abhorrerem, nisi Anastasii Bibliothecarii textum, huic satis consimilem variis notis et variantibus lectionibus explicatum jam dedissent Holstenius, Ciampinus, Schelstratius aliique, ac novissime illustrissimus Blanchinus, ut materia illa pridem exhausta sit. Audiamus modo Anastasium ipsum: « Victor, natione Afer, ex patre Felice, » etc. *ut supra in Notitia ex Libro Pontificali.* Utut hæc etiam confusa sint et implexa quæ criticorum ingenia exercuerunt, ex iis nihilominus præclariora sancti pontificis gesta eruenda essent, cum interim vix paucula recenseantur, ut adeo pridem a Baro-

nio, Labbeo, plurimisque doctissimis prægressi jam hujusque sæculi viris aliunde illustranda fuerint, quod hic primum ac præcipuum est, ea diligentia et accuratione, ut nonnulla duntaxat hinc inde capita hic delibasse, totam sit ejus gestorum seriem contexuisse, rejecta in paragraphum sequentem agitatissima cum aliquot Asiaticis episcopis de Paschatis celebratione controversia.

14. Inter præcipua quæ sancto pontifici passim tribuuntur contra emergentes eo tempore hæreses certamina, illud certe commemoratione dignum est, quod adversus Theodotum, cognomento Coriarium, apostatam Byzantinum et fortiter suscepit et gloriose exsecutus est, quemadmodum ex ipso Eusebio atque item ex Epiphanio, vetustis utique et puris fontibus, haurire conabimur, pro longiori clariorique eorum omnium elucidatione lectores de cætero ad præstantes illos commentarios, de tota ea re jam pridem concinnatos, remissuri. Huc spectat potissimum libri v *Historiæ ecclesiasticæ*, caput 28, ubi cum « de his qui Artemonis hæresim initio sectati sunt, cujusmodi moribus præditi, et quomodo sacras Scripturas depravare ausi fuerint, » accurate disserit, atque etiam enormem adversus S. Victorem calumniam egregie refellit, quid de totius erroris magistro Theodoto censendum sit, haud obscure declarat. En specimen ex libro seu narratione istius temporis, in qua impia sectariorum istorum mendacia memorantur et convincuntur. Ita ex illo narrat ibi Eusebius :

15. « Affirmant enim, inquit, priscos quidem omnes, et ipsos apostolos, ea quæ ab ipsis nunc dicuntur et accepisse et docuisse ; ac prædicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a Petro Romanæ urbis episcopum fuit ; a Zephyrini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem. Ac fortasse id quod dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem divinæ Scripturæ, deinde fratrum quorumdam scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adversus gentes et contra sui temporis hæreticos pro veritatis defensione scripserunt : Justinum intelligo, et Miltiadem, et Tatianum ac Clementem, aliosque quamplurimos : in quorum omnium libris Christi divinitas astruitur. Nam Irenæi quidem et Melitonis et reliquorum scripta quis est qui ignorat, in quibus Christum Deum simul atque hominem prædicarunt ? Psalmi quoque et cantica fratrum jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot abhinc annis ecclesiastica doctrina prædicata sit, qui fieri potest, ut omnes usque ad Victoris tempora eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgaverint ? Quomodo eos non pudet, hujusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens et auctor fuit, primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victorem a communione Ecclesiæ ejectum fuisse ? Nam si, ut aiunt, Victor eadem sentiebat quæ illorum detecet impietas, cur Theodotum, opinionis illius auctorem, ab Ecclesia removit ? Ac de Victore quidem se res habet. »

16. Quod hic desiderare fortasse quis posset in ordine ad ipsam totam Theodoti vesaniam, supplebit abunde Epiphanius, ex quo satis nobis erit personam referre, quam graphice depingit hæresi 54, his verbis : « Theodotus igitur ille Bizantio oriundus, quæ hodie Constantinopolis dicitur, arte coriarius erat, homo apprime litteris eruditus. Qui cum aliis plerisque, ineunte persecutione, comprehensus (quænam vero ea persecutio fuerit nondum comperi), sed tum ab urbis præfecto cum pluribus correptus, cum de omnibus quæstio ob Christi nomen haberetur, cæteri quidem Dei famuli, reportata victoria, cœleste præmium consecuti sunt, martyrio pro Christo perfuncti. At ille Christum negans, et a scopo veritatis excidens, transgressor est factus. Qua ex re cum probro omnium appetitus, pudorem sustinere non posset, relicta patria, profugus Romam contendit, et illic habitavit. Sed et Romæ a quodam agnitus, in eamdem ignominiam incidit, cum qui illum ob insignem eruditionem noverant, ob id eum incusarent, quod homo excellenti doctrina præditus a veritate excidisset. Quare ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit : Ego, inquit, non Deum negavi, sed hominem. Interrogatus, quem demum hominem ? Christum, inquit, hominem negavi. Hinc prædicandæ falsæ hujus opinionis occasionem accepit, ut Theodotiani, quorum ille auctor exstitit, qui nudum hominem esse Christum asserunt, atque ex humano semine genitum, » etc.

17. Synodus porro adversus impium istum habita paucis indicatur penultimo loco in *Collectione* Labbeana tomo I, col. 602 : « Synodus divina et sacra provincialis, collecta Romæ sub Victore sanctissimo papa aliisque quatuordecim episcopis ; quæ Theodotum, Æbionem et Artemonem abdicavit, qui non minus quam Judæi fide. Hi enim duces fuerunt Pauli Samosateni et Nestorii. » Cætera in *Annalibus* a Baronio ita explicata sunt ad annum 196 et alibi, ut ea hic ex instituto nostro attigisse sufficiat. Neque vero sola ea monstra in Christi Ecclesiam, satis aliunde per ea tempora afflictam, grassabantur, ut jam notato anno invenies num. 17. « Rursus vero de aliis, inquit, qui sub Victore prodierunt, hæreticis eorumque auctore Praxea, ultimo loco hæc habet Tertullianus : Sed post hos omnes etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit, hunc crucifixum passumque contendit, mortuum præterea, seipsum sibi sedere ad dexteram suam, cum profana et sacrilega auctoritate proponit. Hæc Tertullianus in commentario quem scripsit adversus hæreses,

sed de eo pluribus in libro adversus eumdem privatim conscripto. »

18. Sequuntur ibidem quæ ab hæresiarcha isto Praxea nequiter gesta sunt, quæque ei exprobrat Tertullianus, tum ejusdem subdola pœnitentia turpisque relapsus : quæ omnia utrum ad S. Victoris tempora spectent, compertum non est, uti nec satis discerni potest,quem Romanum pontificem insinuet Tertullianus, qui « falsis de Montano deceptus fuerit nuntiis. » Cæterum, vivente S. Victore, errores suos sparsisse Praxeam, satis certum est, ut tuto dici possit, toto pontificatus sui decennio hæresibus istis aliisque pluribus exercitum fuisse vigilantissimum pastorem ; quemadmodum patet ex alia synodo, quæ apud Sabbeum ultima est, quæque aut in Praxea Valentinum Sabelliumque, aut illum in ipsis merito condemnavit. Eadem quæ supra phrasis est : « Synodus divina et sacra provincialis, collecta Romæ a beatissimo papa Victore; quæ Sabellium et Noetum abdicavit, qui de divinitate in tribus personis subsistente, contractionem et commistionem personarum divulgabant ; Valentinum item,qui præter cæteras ineptias,corpus etiam Christi cœleste asserebat. » Porro utrum Tertullianus S. Victoris tempore Romæ fuerit, an potius sub Zephyrino tum etiam turpissima defectione,in Montani deliria prolapsus, non est qui hactenus satis clare definiat.

19. Posset et hic non minus obscura quæstio moveri, utrum inter episcopos, quos numero duodecim per diversa loca ordinasse sanctus dicitur,etiam aliquis ab ipso ad Caledonios seu Scotos directus fuerit, de qua re nonnulla disquisivit Blanchinus in suo *Anastasio* tomo II, pag. 161 (1), ubi testem adducit Boetium, aliaque erudite investigat, quæ apud ipsum legi malo,quam hic pluribus discutere: id certe facile concessero, nec S. Victorem, nec successores Romanos pontifices Britannicas insulas magis neglexisse, quam reliquam totius orbis catholicam Ecclesiam. Ad S. pontificis scripta quod attinet, hoc S. Hieronymi de scriptoribus ecclesiasticis exstat testimonium : « Victor,tertius decimus Romanæ urbis episcopus, super quæstione Paschæ et alia quædam scribens opuscula,rexit Ecclesiam sub Severo principe annis decem. » Epistolas fortasse innuit,quas ab ipso scriptas dubium non est; verum an eæ quæ ipsi in conciliorum Collectionibus ascribuntur, genuinæ sint, ex novissima editione Constantiana facile colligitur. Nunc una superest palmaris illa sub ejus pontificatu disceptatio, quam laudati scriptores aliique satis studiose illustrarunt, aliis contra in S. Victore nonnulla suggillantibus.

20. Fatendum sane est, celeberrimæ istius controversiæ seriem et ordinem erudite ac dilucide discussisse digessisseque Baronium ad annum 198, per totos septemdecim articulos, probantibus eumque passim sequentibus scriptoribus catholicis.Neque enim heterodoxos hic moramur aut hypercriticos alios qui ex Polycratis S. Victori adversantis pervicacia, ansam sibi præbitam credidere, qua pontificiam auctoritatem aut vellicarent aut arroderent inani prorsus conatu. Id etiam in confesso est, non unam eamdemque viam ingressos omnes in exponenda pontificia S. Victoris excommunicatione in Polycratem Asianosque episcopos lata ; Baronio cum reliquis passim eam vibratam agnoscente,aliis solas minas intentatas asserentibus:quæ omnia exposuit vir clar.Emmanuel Schelstratius in sua *Antiquitate illustrata*, anno 1678 Antwerpiæ edita, parte II, cap. 3.

S. VICTORIS I PAPÆ

EPISTOLÆ.

(Mansi, *Concil. ampl. Collect.*, I, 698.

—

EPISTOLA PRIMA (2).

AD THEOPHILUM ALEXANDRIÆ (3) EPISCOPUM (4).

De Pacha et baptismo : de accusatione et judicatione episcoporum atque de concordia unanimitatis.

Victor Romanæ ac universalis Ecclesiæ archiepicopus, Theophilo episcopo et cunctis fratribus in Alexandria Domino famulantibus, in Domino salutem.

Multa mihi gratulatio est, dilectissimi fratres, quod manifesto (sicut optamus) per gratiam Dei lumine [1] evangelicæ claritatis, et ab Ecclesia jam magna ex parte perniciosi erroris nocte depulsa, creditæ nobis dispensationis fructus crescit et augmentatur in Domino.

[1] S. Leo, ep. 53.

(1) *Patrologiæ Latinæ* tom. CXXI.
(2) Hæc cum sequenti viris eruditis suspecta.
(3) Cæsareæ corrigunt ex Beda.
(4) *Theophilum Alexandriæ episcopum.* Hic sub Arcadio imperatore vixit. Itaque ad Theophilum metropolitanum Cæsareæ Palæstinæ hanc epistolam scriptam esse, patet ex Eusebio lib. v, cap. 22. Sev. Bin.

I.

De celebratione Paschæ et baptismi.

[2] Celebritatem sancti Paschæ (5) die Dominica agi debere, et prædecessores nostri [3] jam statuerunt, et nos illud vobis eadem die celebrari solemniter mandamus, quia non decet ut membra a capite discrepent, nec contraria gerant. A quarta decima (6) vero luna primi mensis, usque ad vicesimum primum ejusdem mensis diem, eadem celebretur festivitas. Eodem vero tempore baptismus celebrandus est catholicus ; sed tamen, si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes, quocunque loco vel momento, ubicunque evenerit, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christianæ confessione credulitatis clarificata, baptizentur. Ipsis quoque quod in baptismo polliciti sunt, summopere est attendendum, ne infideles, sed fideles inveniantur. Ipsi vero qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur, atque inter fideles minime reputantur. Hæc vero statuta nulla debent improbitate convelli [4], nulla novitate mutari ; quia alia ratio est causarum sæcularium, alia divinarum.

II.

Ne quis incerta judicet.

[5] Audivimus namque, apud vos vestrosque diversa judicia fieri, et incerta judicari. Incerta, charissimi, nullatenus judicemus, quoadusque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Quia quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur.

III.

De causis episcoporum terminandis.

Similiter, ea vos judicare, ad apostolicam delatum est sedem, quæ præter nostram vobis definire non licet auctoritatem, id est episcoporum causas. [6] Unde ita constitutum liquet a tempore apostolorum, et deinceps placuit, ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus, licenter appellet et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, ejus retractari negotium [7] procuret. Et dum, iterato judicio, pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur episcopus ; quoniam quanquam a comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffiniri, inconsulto Romano pontifice, permissum est, cum beato Petro apostolo, non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino : « Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo [8] ». Et alibi in institutis [9] legitur apostolicis : [10] Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud patriarcham vel primatem diœceseos, aut penes universalis apostolicæ Ecclesiæ judicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi apostolorum suorumque successorum terminos transgredi, eorumque decreta violare. Culpantur enim, ut scriptum est, fratres, qui aliter circa episcopos judicare præsumunt, quam apostolicæ sedis papæ fieri placuerit. Et quis est qui judicat eum, quem Dominus sibi et huic sanctæ sedi reservari voluit judicandum. Ait namque Dominus per prophetam Isaiam : « Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quia non confundar. Juxta est, qui justificat me : quis contradicit mihi ? Stemus simul : quis est adversarius meus ? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus meus, auxiliator meus. Quis est qui condemnet me ? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui ? Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei ? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis. In doloribus dormietis [11]. Auditeme, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum : Accedite ad petram, unde excisi estis et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos, quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. Attendite ad me, populus meus, et tribus mea me audite. Quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est salvator meus, et brachium meum populos indicabit. Me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. Levate in cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum, quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Audite me qui scitis justum, populus ; lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus

[2] *De consecr.* distinct. 3. *Celebritatem S. Paschæ.* [3] Pius et Eleutherus. [4] S. Leo ep. 54. [5] In decret. Iv. lib. iv, Isid. II syn. 16, quibusdam leviter mutatis. [6] 3, quæst. 6 : *Accusatus vel jud.*, et in decr. Sixti II. et in decr. Julii ; et in decr. Iv. lib. iv. [7] Concil. Sard. c. 4. [8] Matth. xvi, 19. [9] *statutis.* [10] can. 17 Chalced. concilii, in epist. 1 Clementis ; 2, quæst. 6 : *Si put.* ; et in decr. Sixti II infra ; et similiter infra in decr. Julii, et in decr. Iv. lib. iv. [11] Isa. L, 7-11, ex Hier. vulgata versione.

(5) *Celebritatem sancti Paschæ.* Apostolica constitutio confirmantur.

(6) *A quarta decima.* Die scilicet Dominico, ut patet ex *Pontificali libro* in Vita Victoris.

autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generatione generationum [12]. » [13] Multis mundi hujus illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut veræ charitatis et continentiæ obtineatur integritas. Dominus enim *nullum vult perire*, sed *omnes salvos fieri* [14]. [15] Certus autem sum, vos ad hæc emendanda vel defendenda, Domino auxiliante, proficere. Data XIII Kalend. Augusti, Commodo et Gravione [16] viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA II.

AD AFROS.

De causis superioribus.

VICTOR, Ecclesiæ Romanæ et urbis archiepiscopus, universis episcopis per Africam constitutis. in Domino salutem.

